

R. P.
FRANCISCI
DE LVGO
HISPALENSIS
SOCIETATIS IESV,

LIBER II. & III.

DE DEO TRINO,

ET

ANGELIS.







LIBER SECVNDVS, DE DEO TRINO.

PROOEMIVM.

DIVINE Diuinus planè Areopagita Dionysius mysticam suam Theologiam orditur, ita Deum compellans, ita deprecans initio capitis primi. *Trinitas essentia, diuinitate, ac bonitate superior, & præstantior: Christianorum Theologia Dux, dirige nos ad ignotissimum, splendidissimúmque, ac summum scriptorum diuinorum cacumen, in quo simplicia, & absoluta, immunerabiliáque Theologiæ mysteria abstrusa sunt.* Dionys. Areopag. Nec immeritò, siquidem *Sicut sola Trinitas* (teste sancto Martiali epist. 1. ad Burdegalenses, cap. 10.) *in diuinitate vnitatis seipsam nouit, sic sola ipsamet se prodere potest, & patefacere. Solem hunc visibilem* (similitudo est Philonis, libro de præmiis, & pœnis) *num alia re, quàm seipso adiuti cernimus? Quid stellas? annon sola stellarum ope conspicimus? lucis aspectum nonne luci debemus? in eundem sanè modum per lucem à Deo dimanantem Deum ipsum cognoscimus.* Philo. Si sol radios colligat, mille licet faces accendas, solem non cernes; si Deus lumen suum tibi non impertiat, scientiarum licèt omnium lumina adhibeas, sacrosanctæ Trinitatis arcanum non intelliges. Non est ergo requirenda in hac materia demonstratio, sed regulis fidei veritas stabilienda; nec solùm quid de mysterio credere debeamus, sed quibus etiam verbis eloqui, quod sentimus ex Ecclesiæ præscripto definiendum. Etenim si in vlla alia disquisitione Theologica, in hac maximè de sanctissima Trinitate verissimum est illud, quod vulgò ex Hieronymo circumfertur. *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis.* Et sanè quædam sunt huius disputationis vocabula ex Scripturis desumpta, vel ex aliis disciplinis mutuata, vt Pater, Filius, Spiritus sanctus, generatio, processio, æqualitas, persona, suppositum, subsistentia, relatio, essentia, potentia, & similia, quæ faciliùs percipiuntur. Quædam verò huius materiæ propria à Patribus, & Doctoribus conuenienter mysterio accommodata; qualia sunt Trinitas, notio, circuminsessio, consubstantialis, homusion, hypostasis, quæ suis locis inserenda, & exponenda erunt ad amussim Pontificum, & Conciliorum. Quibus sic statutis licebit Antiquorum exemplo rationes aliquas congruentes indagare; quid etiam assertionibus Fidei sit consequens, quid repugnans, Theologico filo deducere; obiectionibus demum in contrarium occurrere. Ita enim myste-

rium illud noſtræ mentis captum excedit, vt quemadmodum veritatem illius ob altiſſimam profunditatem humana ratio peruestigare non poteſt; ſic etiam nequit vllam in eo falſitatem concludere.

Sic diſputarunt olim de Trinitate Patres Græci, & Latini, graſſante præſertim Arianorum, & Sabellianorum hæreſi; ſic hodie contra Nouatores Controuerſarij: ſic Scholaſtici cum Magiſtro in 1. ſent. per priores triginta quinque diſtinctiones; commodiori tamen methodo S. Thomas, & eius expoſitores 1. p. à quæſt. 27. vſque ad 43. incluſiuè. Poſtquam enim Angelicus Doctor de Deo tractauit vt vno, & de illius attributis, quæ vnitatem eſſentiæ conſequuntur, aptiſſimè ſubtexit Trinitatis notitiam: nam ea, quæ ad vnitatem ſpectant, & communiora ſunt, & cognitu faciliora, ideóque quaſi prima limina, & exteriora atria huius arcis diuinæ majeſtatis adeunda priùs, quàm ad interiora, & ſecretiora adyta introducamur. Et quamuis proceſſio creaturarum à Deo, reductióque creaturæ rationalis ad ipſum, vt ad vltimum finem, ſpectent ad Deum vt vnus, priùs nihilominus voluit S. Thomas expedire, quæ Deo competunt ab æterno; qualis eſt vnitas, ſcientia, voluntas, prouidentia, potentia, trinitas, & reliqua id genus attributa, quàm ea, quæ Deo conueniunt ex tempore, creare ſcilicet, & creata ordinare ad ſeipſum; vt temporalibus æterna, quæ longè præcedunt duratione, doctrinæ quoque ordine præponantur.

QVÆSTIO XXVII. S. Thomæ.

De proceſſione diuinarum perſonarum.

IRCA literam S. Thomæ animus eſt, vt fecimus huciſque ſingulis articulis concluſionem affigere, & rationem, quam reddit S. Doctor, propalare, doctrinam verò, fundamenta, rationes, quæ proſunt, vel obſunt diſputationibus enucleare.

ARTIC. I.

Vtrùm ſit proceſſio in diuinis.

COnclusio affirmat eſſe in Deo proceſſionem per modum emanationis immanentis intelligibilis. Probatur, quia Deus eſt ſuper omnes res creatas infinito quidem exceſſu: ergo perfectiſſimus modus proceſſionis, qualis eſt intelligibilis, tribuendus eſt Deo. Loquitur S. Thomas de proceſſione Filij duntaxat: nam infrà art. 3. dicturus eſt de proceſſione Spiritus ſancti; nec ſolùm reſpondet ad quæſtionem, *an eſt*, ſed etiam ad quæſtionem, *qualis eſt*; quia cùm alia ſit proceſſio in creaturis ſecundùm motum localem, alia ſecundùm phyſicam efficientiam, concludit neutram illarum in Deo reperiri, quia nec loco mutatur, neċ vllam habet cauſam efficientem. Significat ergo nomen proceſſionis in diuinis productionem immanentem intra ipſum Deum vnius perſonæ ab alia. Et licèt vox *proceſſio* vſu Eccleſiæ accommodata ſit productioni Spiritus ſancti, quæ non habet ſpeciale nomen, ſicut illud habet productio Filij, quæ dicitur generatio; tamen ex ſe communis eſt vtrique productioni, & idem denotat, quod origo; in qua communi ſignificatione ſumit illam S. Thomas in hac quæſtione, illiúſque Expoſitores. Nec ſolùm tribuitur productionibus paſſiuis, quibus perſonæ productæ recipiunt ſuum eſſe diuinum a producentibus, quod eſt quaſi quædam pati, ſed etiam, ſicut nomen origo, extenditur ad actiuas, quibus perſonæ producentes actiuè producunt, quod eſt veluti quædam agere in perſonas productas.

ARTIC. II.

Vtrùm aliqua proceſſio in diuinis generatio dici poſſit.

COnclusio. Proceſſio Verbi diuini eſt generatio, & Verbum procedens eſt Filius, non generatione communi, quæ eſt mutatio de non eſſe ad eſſe, ſed propria viuentium, quæ eſt origo viuentis à viuente coniuncto ſecundùm rationem ſimilitudinis in natura eiuſdem ſpeciei. Probatur hìc, & magis expreſſe 4. contra Gent. cap. 11. in hunc modum: In Deo eſt idem intelligere, & eſſe, ac ſubinde intellectio Dei eſt eiuſdem ſubſtantia: ſed eſſe verbum eſt intelligere: ergo eſſe Verbi eſt ſubſtantia Dei; atque ideò producitur ſecundùm rationem ſimilitudinis in eadem natura, non ſolùm ſpecie, ſed etiam eadem numero, quod eſt propriiſſimè generari. Hæc ratio ſubobſcura non paucis viſa eſt, nec in eius intelligentia conueniũt Thomiſtæ. Quaſdam obiectiones Ferraræ & Caietani refert, & refellit Vaſquez hìc, & diſcurſum articuli latiùs proſequuntur Cumel, & Molina.

ARTIC. III.

Vtrùm ſit in diuinis alia proceſſio à generatione Verbi?

VOx *alia* dicit diſtinctionem realem, & concluſio eſt affirmatiua, & de Fide Ioan. 14. & 15. quem adducit S. Thomas, ſicque formari

poteſt

potest eius ratio. Processio in diuinis attenditur penès actionem immanentem: huiusmodi autem actio in intellectuali natura est actio intellectus, & voluntatis: ergo cùm processio Verbi sit per operationem intellectus, restat alia processio per actionem voluntatis, vt quemadmodum in nobis datur alia quædam amoris processio, secundùm quam res amata est in amante, ita in Deo præter processionem Verbi detur alia processio per productionem amoris manentis in ipso Deo.

ARTIC. IV.

Vtrùm processio amoris in diuinis sit generatio.

COnclusio negat, & est de fide ex symbolo Athanasij relato à S. Thoma: Ratio sumitur ex differentia intellectionis, & volitionis, quatenus illa est de constitutione essentiali naturæ diuinæ, non ista, vt magis constabit infrà.

ARTIC. V.

An sint plures processiones in diuinis, quàm duæ?

COnclusio negatiua est de fide, & probatur, Primò quoniam in Deo sunt tantùm duæ personæ procedentes: ergo duæ tantùm processiones. Secundò, quia diuinæ processiones accipiuntur secundùm actiones immanentes. In natura autem intellectuali, qualis est diuina, dantur duæ tantùm immanentes functiones, scilicet intelligere, ac velle: ergo duæ tantùm processiones.



DISPVT. I.

An Trinitas in vnitate veneranda sit?

HVMANI generis hostis, etsi totus alioquin peruersus, & ordinis perturbator esse soleat, tamen non sine quodam ordine Catholicam Veritatem aggressus est oppugnare: siquidem prima nostræ Fidei fundamenta, primos articulos Apostolici symboli, qui Deum vnum, & trinum confitentur, à primis Ecclesiæ temporibus per varios hæreseon duces, & architectos varijs, ac inter se contrariis artibus, atque machinis labefactare conatus est; victúsque sæpè, triumphante de mendaciis veritate, non ideò deterritus, & sequentes articulos sequentibus sæculis impetere, & primos illos, quibus præcipuam fidei confessionem, & maius reipublicæ Christianæ momentum videbat inniti, nouis Nouatorum copiis instructis expugnare non destitit. Referunt latè, atque impugnant antiqui Doctores, & Moderni. Copiosius Sanderus de visibili Monarchia. Bellarminus tom. 1. controuers. 2. lib. 1. & 2. de Christo. Valentia quinque libris de Trinitate, & 1. tom. disp. 2. Salmeron tom. 2. in Euangelia tractat. 8. & seqq. Nos, quàm potuerimus conuenienti temporum, & doctrinæ methodo perstringemus.

Sanderus. Bellarmin. Valentia. Salmeron.

* * *

CAPVT I.

Rationes dubitandi.

PRima sumitur ex ratione naturali, qua receptissimum est illud axioma. *Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: sed in Deo Pater, & Filius, imò paternitas, & filiatio, sunt idem cum natura diuina: ergo debent esse idem omninò inter se. Deinde principium est per se notum nihil posse simul esse, & non esse: sed Paternitas est idem realiter cum essentia: hæc est idem realiter cum filiatione: ergo Paternitas est idem realiter cum filiatione, & consequenter si aliunde ponitur realiter distincta, simul erit, & non erit idem realiter cum illa. Prætereà hic est syllogismus expositorius: hæc essentia est Pater: hæc essentia est filius: ergo Filius est Pater. Tenet igitur illius consequentia, vel destruit hoc mysterium principia per se nota. 1.

Secunda ratio sumitur ab implicatione. Nam implicat idem simul esse productum, & improductum: genitum, & ingenitum: ergo non potest idem Deus esse genitus in vna persona, & ingenitus in alia: generabile enim, & ingenerabile differunt plusquam genere: ergo persona genita, & ingenita differunt plusquam genere; ac subinde specie quoque, ac realiter. Confirmatur, quia quando genitus fuit Filius, vel erat, vel non erat: si erat quare genitus est? si non erat: ergo aliquando Filius non fuit: ergo non est verus Deus. Vnde non sunt plures personæ eiusdem essentiæ diuinæ. 2.

Tertia ratio à diuinis attributis. Nam Deum esse spiritum, & omnis corporis, & corruptionis expertem, esse vnum, infinitum, simplicissimum, immutabilem, impassibilem, & his similia, certissima sunt, & in Ecclesia constitutissima. Sed his omnibus diuinæ processiones, ac subinde Trinitas personarum videntur repugnare: ergo non sunt admittendæ. 3.

Minor probatur, Primò, quia generationem substantialem ad hoc instituit natura, vt indiuidua, quæ in seipsis non possunt semper subsistere, saltem ministerio generationis per decisionem seminis operatæ in specie permaneant. Vnde substantiæ spirituales incorruptibiles non generant, vt Angeli alios Angelos non producunt, nec cælum incorruptibile cælos alios: ergo repugnat generatio summo, & æterno Spiritui.

Probatur secundò eadem minor, quia quidquid procedit ab alio, debet esse diuersum natura, & substantia à suo principio; alioquin productum produceret semetipsum. Quare persona producta in diuinis deberet esse distinctus Deus, quod derogat vnitati diuinæ naturæ. 4.

Probatur tertiò, quia persona in Deo aut dicit perfectionem, aut non: Hoc secundum dici non potest, alioquin perfectior esset persona humana, quàm diuina; nam humanam certum est dicere perfectionem: si ergo dicit perfectionem diuina persona, sequitur aliquam perfectionem etiam substantialem (cùm in Deo non sint accidentia) esse in vna persona, quæ non sit in alia, & per consequens singulis aliquid deficere. Præterea illa perfectio diuinæ personæ, vel est finita; & sic infinitæ deberent esse personæ, vt respondeant infinitæ perfectioni essentiali: vel est finita; & sic vnica persona sufficiet, cùm hæc omnem

contineat perfectionem, quam duæ, vel plures aliæ continerent. Demùm si vna persona diuina esset ab alia, haberet aliam perfectionem, ac subinde non esset summè perfecta. Sequela probatur, tum quia Christus Dominus Actorum 20.
Act. 20. dixisse fertur *Beatius est magis dare, quam accipere*; tum quia producere perfectius est, quàm produci; tum denique quia ex maiori virtute agendi maiorem colligimus perfectionem tam in Deo, quam in creaturis.

5. Probatur quartò, quia nequeunt plures esse vnum fine compositione aliqua; imò cum essentia diuina sit communis tribus personis, opus est aliquo superaddito, quo persona constituatur, & distinguatur: ergo quæuis persona componetur ex essentia diuina, & proprietate personali, quod repugnat simplicitati Dei.

Probatur quintò, nam si datur in Deo, processio ad intrà, debet id quod procedit, manere, recepique in ipso Deo; ac per consequens dabitur hic potentia receptiua. Quare non erit Deus immutabilis & impassibilis. Præterea sequeretur personam productam pendere à producente, nec esse ens à se, sed ab alio, ac subinde non esse primum ens, nec primum principium, siquidem habet aliud principium à quo dimanet; quæ omnia sunt alienissima à diuinis perfectionibus.

CAPVT II.

Varia Hæreticorum deliria.

1. QVi solo rationis ductu fine fidei gubernaculo Dei notitiam rimati sunt, Trinitatem, & distinctionem personarum non sunt assecuti, Sic Philosophi Gentiles; inter quos Plato ferma dicitur Arianorum iecisse, vt notat sanctus Thomas 4. contra Gentes cap. 6. Sic Iudæi veteres, licèt lumine fidei veram diuinitatem agnouerint, communiter ignorarunt Trinitatem; Vnde nunc ab ipsis propagati infideles Iudæi negant omninò pluralitatem personarum in Deo, putantque repugnare cum vera Fide suis Patribus reuelata. Sic innumeri hæretici à primis Ecclesiæ nascentis temporibus in hunc scopulum impegerunt. Nam circa annum 186. quidam ex discipulis Montani docere cœperunt, Christum esse simul Filium, & Patrem. Secutus est Praxeas, cuiusque sectatores Patripassiani dicti, qui Trinitatem ad vnius personæ angustias reducebant. Sic postea senserunt Hermogenes, Noethus, Sabellius, Paulus Samosatenus, Priscillianus Episcopus Abulensis, Mahometus, & ab illo propagati Mahometani, nostrisque temporibus Michael Seruetus, Georgius Blandrata, Paulus Alcia-
Bellarminus. tus, Franciscus Dauid, & Transiluani Ministri, vt refert Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 1.

2. Sanderus. Addit Sanderus lib. 7. de Visibili Monarchia hæresi 218. excitasse hunc errorem Deitistas, seu Trinitarios circa annum 1564. nam cùm tres Hypostases confiterentur in Deo, tres personas negabant, nescio quid per subsistentiam intelligentes. Horum omnium fundamentum fuit vni-
Tertullianus. tas Dei: vt enim eleganter dixit Tertullianus lib. contra Praxeam in principio; Variè Diabolus æmulatus est veritatem, *affectauit illam aliquando defendendo concutere, vnicum Dominum vindicat omnipotentem, vt de vnico hæresim faciat.*

3. Alij per oppositum non modò tres personas in Trinitate, sed etiam tres Deos distinxerunt.
Sic Peratæ apud Theodoretum lib. 1. hæretic. Theodoret.
fabularum cap. 18. Sic Ioannes Philoponus circà annum 604. Deinde Ioachimus Abbas circà annum 1190. asseruit tres personas non esse vnam singularem essentiam, sed solum per collectionem, sicut multi fideles dicuntur vna Ecclesia. Damnauit hunc errorem Consilium Lateranense sub Concil. Lateran.
Innocentio III. cap. 2. Raimundus Lullus circa annum 1260. docuit tres personas esse tres essentias diuinas, vt refert Bernardus de Luxemburgo. Denique Valentinus Gentilis Italus paulò posterior Serueto, vt eius asseclæ Matthæus Gribaldus, Franciscus Lismaninus proximis sæculis asseruerunt, veram esse in Deo non modò personarum, sed etiam naturarum Trinitatem: Vnde Tritheitæ dicti sunt. Sed cùm animaduertissent id non posse ex sacris litteris vnum Deum sæpissimè prædicantibus vlla ratione defendi, mutata sententia paulatim ad Arianismum delapsi sunt.

Huius erroris fundamentum fuit Trinitas, & distinctio personarum, quibus distinctæ quoque naturæ videntur assignandæ; in quo Basilius, Nissenus, & alij Patres duriùs videntur locuti, dum comparant tres personas diuinas tribus hominibus, aut tribus Angelis: solum tamen intendunt, tria esse distincta supposita. Porrò maiorem esse identitatem essentiæ in diuinis personis, quàm in creaturis, licet Patres illi vbique non asserant, tamen nullibi negant, & alicubi etiam affirmant, vt ostendit Bellarm. lib. 1. de Christo Bellarm.
cap. 3.

In particulari Patrem esse subsistentem perso- 4.
nam nullus veterum hæreticorum negauit, solus Gentilis, de quo suprà, quòd rationem personæ fortasse nesciret, insipienter admodum suis prothesibus hanc inseruit, *Pater non est hypostasis, seu persona, sed Spiritus, à quo omnia secundum Apostolum*: refert Valent. to. 1. disp. 2. punct. 1. Valentia.
§. 1. Nemo item negat apertè Patrem esse verum Deum: At illi negant reipsa, qui Filium aut Spiritum sanctum à vera diuinitate secludunt, ideóque verissimè nominantur Athei. Vt enim admonet Nazianzenus oratione 2. de Theologia. *Si* Nazian.
aliquid ex tribus euerteris, nam nec Pater est Deus sine Filio Deo, nec Pater, & Filius sine Spiritu sancto. Oppugnat etiam diuinitatem Patris illa hæresis, quæ, teste Augustino hæresi 74. sic tri- August.
formem asserit Deum, vt quædam pars eius sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus. His posset annumerari Ioachimus Abbas relatus num. 3. quoniam in istorum sententia persona Patris per se considerata (& idem est de quauis alia) non est verus & integer Deus.

Fundamentum erroris fuit, quia si tres perso- 5.
næ essent vna quædam simplex res, non tamen esset in Deo Trinitas, sed etiam Quaternitas; nam essent tres personæ, & vna illa res, & nihilominus sunt vnus Deus: ergo sunt vnum per compositionem, aut collectionem; & per consequens quæuis persona per se non erit Deus. Vrgetur, nam ille solus est Deus, qui sic habet totam essentiam diuinam, vt in tota illa subsistat: sed Pater non sic habet totam essentiam diuinam; ergo non est Deus. Minor probatur, quia tota Trinitas est de essentia Dei, tum quia est idem cum essentia, tum etiam quia nihil potest esse in Deo accidentale: quare quidquid est in Deo, debet esse essentiale: Et tamen tota Trinitas non est in Patre modo dicto; Vnde falsò dicimus Pa-

ter est Trinitas, verè autem Deus est Trinitas, & è contra: ergo Deus non est solus Pater, nec è contrà solus Pater est Deus?

6. Filium nemo negauit personam esse: Quidam tamen distinxerunt à Verbo diuino, & hoc non esse rem subsistentem, sed simplicem quandam Dei conceptionem de carne suo tempore assumenda similem nostro verbo mentali, cogitationique putarunt. Non esse verò Filium Dei verum Deum mentiti sunt ante Arium nonnulli: Nihilominùs specialiùs tribuitur hæc hæresis ipsi Ario, qui circa annum 314. pertinaciùs illam suscepit persuadendam, & latiùs curauit disseminari, docens Filium Dei esse absolutè creaturam ex nihilo, & in tempore factam, licèt ante alias omnes, & vt esset intellectus creationis cæterarum; atque ideò per quandam excellentiæ participationem appellari Deum. Vnde Christum etiam in sua propria natura, & persona dicebat esse minorem Patre?

7. Sectatores Arij, vt hæreticorum mos est, in varias sectas diuisi sunt. Alij Aetiani & Eunomiani dicti, posteà simpliciter Ariani, & Dissimiles sunt appellati, quia cum Ario consentiebant, Filium esse dissimilem Patri, substantia scilicet, & duratione. Alij dicti noui Ariani apud Augustinum 6. de Trinitate cap. 1. Filium dicebant productum ex æternitate: Imò Maximinus Arianus, & alij fatebantur ex substantia Patris esse genitum, etsi non consubstantialem, vt colligitur ex Augustino libro contra Maximinum. Eundem errorem sequutus est posteà Vstimandus, quem impugnat Idacius Clarus Hispanus to. 5 Bibliothecæ. Adhæsit Petrus Abailardus teste D. Bernardo epist. 190. ponens gradus in Trinitate, tribuensque Patri omnipotentiam, Filio semipotentiam, Spiritui sancto nullipotētiam, & adhuc fatebatur esse Filium consubstantialem Patri, inconsequenter sanè. Nouissimè cum nouis Arianis consentit apertè Valentinus Gentilis, & eius Commilitonea: apertè verò in idem barathrum delapsi sunt Erasmus, Lutherus, Melancton, Caluinus, & alij, vt ex illorum verbis conuincit Bellarminus præfat. ad secundam controuersiam, & Vazquez 1. p. disp. 109. cap. 1.

Augustinus. Clarus. D. Bern. Bellarm. Vazquez.

8. Horum fundamentum iactum est suprà cap. 1. num. 3. debere scilicet Deum esse prorsus à se, improductum, & independentem. Quod enim est productum, aut est ex nihilo; & sic erit creatum, aut est ex aliquo; & sic erit materiale, compositum, & imperfectum, quia particula *ex* sonat habitudinem materialem, & aliquid præsuppositum productioni, per quam aliud quid debet de nouo produci, vt ex vtroque constet adæquatus terminus productionis. Hoc autem non intelligitur sine compositione, & imperfectione.

9. Huc accedunt Autotheani, qui per oppositum dicunt, Christum Dominum habere à se diuinam essentiam non à Patre, similiterque Spiritum sanctum esse à se, non à Patre, & Filio. Videantur Genebrardus in præfatione librorum de Trinitate, & Salmeron tom. 2. in Euang. tract. 10. Fundamentum eorum fuit, quia Filius dicitur *Iehova* sicut Pater, & hoc nomen significat ipsum esse seu fontem essendi; Quòd si Filius non esset à se, esset precariò Deus, & re ipsa similis creaturis, quæ habent suum esse aliunde mendicatum.

Genebr. Salmeron.

10. Spiritum sanctum (inquit Nazianzenus orat. 5. de Theologia) Saducæi penitus non esse censuerunt: sed hi negabant vniuersaliter omnem spiritum, & sic refelluntur 1. p. q. 3. Vbi ostenditur Deum esse spiritum, & de Angelis, ac anima rationali probatur idem suis locis. Alij hæretici negauerunt Spiritum sanctum esse personam subsistentem, quoddam Dei donum, aut virtutem appellantes. Contra quos Athanasius libro de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sed eos imitantur Nouatores Seruetus, Blandrata, & alij apud Valentiam suprà §. 4. Alij dicebant esse quidem Spiritum increatum, non tamen esse personam propriam, sed diuinitatem ipsam communem Patri & Filio, quæ spiritualis, & sancta est, vt refert Augustinus hæresi 52.

Nazianz. Athanas. Valentia.

Ar Macedonius Episc. Constantinopolitanus, & cum illo Macedoniani, licèt circa personam Filij errauerint cum Ario, palliatis tamen verbis dissimularunt errorem. Ceterùm Spiritus sancti diuinitatem oppugnarunt apertè dicentes esse quidem substantiam, & personam intellectualem superiorem Angelis, creatam tamen à Patre per Filium, vt foueat, & moueat vniuersa. Ideò Concilium Constantinopolitanum I. contra Macedonium iubente Damaso celebratum est. His accesserunt Eunomiani teste Nazianzeno suprà; & quidam Ariani fatentes Filium esse Deum consubstantialem Patri, tamen Spiritum sanctum esse creaturam asserebant, & Valentinus quidam dicebat esse Angelum. Contra quos Athanasius in epistolis ad Serapionem. Similiter alij Ariani dicebant Spiritum sanctum esse minorem Filio, quod secutus est Abailardus, vt vidimus num. 7. addens Spiritum sanctum esse animam mundi. Consentit quodammodo Erasmus, dum in præfatione ad libros Hilarij dicit; *Audemus Spiritum sanctū Deum appellare, quod veteres non sunt ausi:* Mendacium planissimum, nisi veterum nomine intelligat hæreticos. Alij huius temporis Nouatores palam negant Spiritum sanctum esse Deum. 11.

Fundamentum horum est, præter scripturas quasdam perperam inductas, hæc ratio. Spiritus sanctus non est ingenitus, nec est genitus: reliquum est igitur, vt sit creatus, quia modus procedendi naturalis non est nisi per generationem. Quare si per generationem non procedit, non vtique procedit naturaliter, sed voluntariè, & quasi per artem; ac subinde erit aliquod opus factum. Huc spectat hæresis, & schisma Græcorum asserentium Spiritum sanctum non procedere à Filio, sed à solo Patre. De quo Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 21. & seqq. & nos infrà cum S. Thoma q. 34. 12.

Bellarm.

CAPVT III.

Trinitas personarum in vna diuinitate probatur.

Firmiter tenendum est, in Deo dari plures diuinas personas realiter distinctas. Est conclusio de fide, quæ sic excedit vires rationis, vt contra Paganos, qui scripturas diuinas non admittunt, immediatè conuinci non possit. Vnde priùs esset illis generatim demonstrandum Fidem nostram esse prudenter, & euidenter credibilem, de quo in materia de fide; Deinde ostendendum in particulari, hoc dogma contineri in hac fide, quod nos indicamus. Vnde manifestè concluditur esse verum, & secundùm prudentem rationem credendum. 1.

1. Contra Iudæos, qui saltem vetus testamen-
Genes. 1. tum admittunt, afferri solet illud Genes. 1. *In principio creauit Deus*, vsque ad id, *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Vbi Augustinus,
Origenes, & Rupertus explicant in principio, id
est, in Filio, vel Verbo, & in Spiritu tertiam per-
Vasq. sonam denotari. Ceterùm Vasquez 1. p. disp. 108.
num. 8. inualidum reputat hoc argumentum, quia
verisimilius est ibi non esse sermonem de Filio.
Solet item expendi loco Dei haberi in Hebræo,
creauit Elohim, id est, Iudices, quasi non vacet my-
sterio nomen plurale cum numero singulari
coniungi; quod sæpe aliàs reperitur in Scriptu-
ra. Sed Caietanus, Bellarminus, & alij Hebræo-
rum phrasi hoc attribuunt. Maius momentum
habet id, *Faciamus hominem ad imaginem, & si-
militudinem nostram.* Vnde mysterium Trinitatis
colligunt Origenes, Basilius, Chrysostomus, Am-
Perer. brosius ibi, & alij Patres apud Pereyrum ibidem,
& Vasquium suprà.

3. Idem argumentum sumi potest ex omnibus
locis, in quibus Scriptura inducit Deum loquen-
tem in numero plurali, vel loquentem de Deo
Genes. c. 3. tanquam de alia persona. Genes. 3. *Ecce Adam
Ibid. c. 11. quasi vnus ex nobis.* cap. 11. *Venite descendamus,
Ibid. c. 19. & confundamus linguas eorum.* cap. 19. *Pluit Do-
minus à Domino*, vbi ponitur vtrobique *Iehoua*
Oseæ 1. nomen proprium solius Dei. Oseæ 1. *dicit Do-
Zachar. 3. minus saluabo eos in Domino Deo suo.* Zachar. 3.
Dixit Dominus ad Satan, increpet te Dominus.
Præcipuè iuuant Scripturæ loquentes de Deo
Exod. 3. numero ternario. Exod. 3. *Ego sum Deus Abra-
Deut. 6. ham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Deut. 6. *Audi Is-
rael Dominus Deus noster Deus vnus est.* Vbi
Rabbi Simeon mysterium Trinitatis agnouit, vt
Galatinus. refert Galatinus lib. 2. de Arcanis cap. 9. Psal. 66.
Psalm. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos
Isaiæ 6. Deus.* Isaiæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus
Deus Sabaoth.* & alia similia, quæ latiùs perse-
quitur Galatinus suprà, adiunctis ipsorum Rab-
binorum expositionibus. Et licèt alij Rabbini
hæc omnia eludant, dicentes esse phrases idio-
matis sacri, difficiléque sit homines non piè af-
fectos conuincere ex solo veteri testamento, vt
Abulens. notant Abulensis opusculo de Trinitate, & Lyra
Lyra. aduersus Iudæos, tamen apud Catholicos suam
habent auctoritatem, quia Patres passim his argu-
mentis vtuntur, & Concilium Syrmiense apud
Hilar. Hilarium lib. de Synodis dicit anathema his, qui
aliter explicant loca citata ex Genesi.

4. Nititur præterea Galatinus supra cap. 6. & 10,
Galatinus. & qui eum sequitur, Vasquez, ex ineffabili Dei
nomine, quo passim vtitur Scriptura iuxtà Rab-
binorum sensum mysterium Trinitatis elicere,
atque in litterarum serie mira comminiscuntur
singularum potestatem disquirentes, & more Ca-
balistico philosophantes, qua ratione non fuerit
difficile ex singulis cuiusuis nominis litteris ar-
gumentari. Equidem circa huius nominis vim,
& notionem multi dixerunt multa: magis tamen
ad rem nostram discurrit noster Ludouicus del
Alcazar. Alcazar cap. 1. Apocalyp. vers. 4. notat. 3. vbi sa-
tis ostendit ingeniosè Trinitatem personarum in
vnica Diuinitate sub nomine Tetragrammato
eleganti periphrasi contineri.

5. Sunt alia veteris paginæ testimonia, quæ ad-
iuncta expositione Christi Domini, aut Discipu-
Psalm. 44. lorum eius vrgere possunt hæreticos. Psalm. 44.
Propterea vnxit te Deus Deus tuus, quo vtitur
Paulus ad Hebr. 1. vt probet Filij diuinitatem,
quoniam est Deus vngens, & Deus vnctus, non
secundùm naturam diuinam, secundùm quam
vngi non potuit, sed quatenus Filius, qui est ve-
rus Deus, potuit secundùm naturam humanam
esse vnctus à Deo Patre. Item Psalm. 109. *Dixit* Psal. 109.
Dominus Domino meo, quod adduxit Christus
Dominus Matth. 22. ad confundendos Iudæos.

Possumus etiam arguere contra Hæreticos ex 6.
particulis, quibus vtitur Scriptura denotantibus
distinctionem Ioan. 5. dicit Christus de Patre. Ioan. 5. &
Alius est, qui testimonium perhibet de me. & c. 14. 14.
de Spiritu sancto *alium paracletum dabit vobis.*
Prouerb. 8. cum illo eram. Ioan. 1. *Verbum erat* Prou. 8.
apud Deum, & infrà *Vnigenitus, qui est in sinu* Ioan. 1.
Patris. cap. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.*
ad Ephes. 2. *Per ipsum accessum habemus ad Pa-* Ephes. 2.
trem in vno spiritu. Vnde fit, nec sola nomina di-
stingui in Deo, nec attributa Patris esse Filium, &
Spiritum sanctum: non enim diceremus de vna
& eadem persona; alius est Marcus, alius est Tul-
lius, alius est Cicero, vel Marcus erat apud Tul-
lium, sapientia apud intellectionem; ergo vel
Scriptura loquitur ineptè, vel datur vera distin-
ctio realis inter Patrem, Filium, & Spiritum san-
ctum, vt inter subsistentes distinctos.

Deinde probatur ex innumeris binariis, & ter- 7.
nariis in Scriptura contentis. Ioan. 8. *Duorum ho-* Ioan. 8.
*minum testimonium verum est. Ego sum qui testi-
monium perhibeo de me ipso, & testimonium per-
hibet de me, qui misit me Pater*, & cap. 15. de Spi- Idem c. 15.
ritu sancto addit, *ille testimonium perhibebit de me.*
Vnde 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in* Idem 1.
cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: apertissi-
mè Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, &* Matth. 28.
Filij, & Spiritus sancti. Hæc & alia vrgent Patres,
quos latè referunt Valentia suprà puncto 1. Bel- Valentia.
larminus lib. 1. & 2. de Christo, & confirmat au- Bellarm.
thoritas Ecclesiæ Catholicæ, quæ in omnibus
Conciliis fidem in Patrem, & Filium, & Spiri-
tum sanctum ab Apostolis acceptam, vt inquit
Ireneus lib. 1. cap. 2. sanctissimè ante omnia pro- Ireneus.
testata est.

Accedit ratio in fidei principiis fundata. Qui 8.
procedit ab alio, necessariò distinguitur realiter
ab illo: vt enim inquit Augustinus lib. 1. de Tri- August.
nitate cap. 1. Nulla res est, quæ se ipsam gignat,
vt sit, sed Filius procedit à Patre, & Spiritus san-
ctus ab vtroque: ergo distinguuntur realiter. Mi-
nor probatur, & simul conclusio S. Thomæ hic
art. 1. ex Psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui* Psalm. 2.
te. 2. Reg. 7. *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi* 2. Reg. 7.
in Filium, quibus probat Paulus Hebræorum 1. Hebr. 1.
Filij processionem a Patre. Ad idem est, quod di-
citur Prouerb. 8. *Dominus possedit me.* Ecclesi. 24. Prou. 8.
Sapientia primogenita, sed clariùs Ioan. 8. *Ego ex* Eccles. 24.
Deo processi. Videatur Concilium Nicænum, & Ioan. 8.
alia Concilia, quæ veritatem istam definiunt.

Pro qua potest ratio formari sic. In Deo sunt 9.
plures personæ, vt ostensum est, & non est nisi
vna improducta, vt docet Concilium Florenti-
num, & alia quæ negaui posse dari distinctionem
in Deo sine origine, vt videbimus infrà quæst. 43.
ergo necessarium est, vt aliæ sint productæ; non
à se, quia nihil producit seipsum: ergo ab alia
persona; non ab alia creata, quia dicit imperfe-
ctionem: ergo ab increata: ergo datur in Deo
realis productio personæ diuinæ à persona diui-
na; & hanc vocamus productionem ad intrà in
Deo, seu processionem. Vnde simul refellitur er-
ror Autotheanorum; eundémque reuincit Scri-

ptura

ptura Ioan. 5. *Pater dedit Filio vitam habere in semetipso*, & infrà, *Ego viuo propter Patrem*, & cap. 7. *Ego scio, quia ab ipso sum.* Matth. 11.
Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; ergo non à seipso, sed à Patre habet Filius vitam, essentiam, & omnia. Quapropter omnia Concilia post Nicænum illius Symbolum receperunt cum illis verbis *Deum de Deo, lumen de lumine.* Vi-
Bellarm. deantur Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 19. &
Salmeron. Salmeron tom. 2. in Euang. tract. 10.

10. Esse autem cum distinctione personarum vnicum Deum clamant Scripturæ frequenter; & ratio naturalis Dei vnitatem demonstrat, de quo in Metaphysica, & suprà quæst. 11. disp. nostra 18. c. 7. specialiter docetur Ioan. 5. *& hi tres vnũ sunt.* Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* in VI. Synodo actione 11. sæpéque alibi, vt videri potest apud Salmeronem suprà. Grauiter Alexander I. epist. 1. tom. 1. Cõciliorum, & Benedictus I. epist. decretali ad Episcopum Dauid tom. 2. Conciliorum in fine, inquiunt. *Si Trinitas non est, cur in Genesi dicitur, Dixit Deus, fecit Deus, & benedixit Deus? Si verò vnitas non est; quare tertiò dixit Deus, & non Deos pluraliter commendauit?* Videte quæ sequuntur: eodem enim orationis filo pleráque vtriosque paginæ testimonia intertexunt appositissima ad hanc rem.

11. Addi solent congruentiæ naturales, quæ non demonstrant fidem, sed ea supposita ostendunt Trinitatem personarum diuinarum non esse contra rationem. Prima sumitur ex conditione summi, & Infiniti boni, cuius est summè, ac infinitè se communicare, quo pacto non potest se communicare creaturis, cùm nulla sit infinita in essentia. Secunda, ex fœcunditate diuinæ naturæ: nam qui tribuit aliis generationem, non erit ipse sterilis, vt dicitur Isaiæ 66. Tertia, ex perfectione beatitudinis, quæ comprehendit omnia bona. Vnum autem & quidem insigne bonum est consortium æqualium personarum. Quarta ex vestigiis Trinitatis impressis in creaturis, quæ latiùs persequitur Augustinus in libris de Trinitate à 9.
Augustinus. ad 15. quasi ab Archetypo Trino emanarit trina fabrica in pondere, numero, & mensura consistens; trinus rerum ordo spiritualis, corporalis, & mistus; triplex rationalis potentia, memoria, intellectus, & voluntas; triplex bonorum supellex, naturæ, gratiæ, & gloriæ triqueto numero concentúque sonora. Videatur Salmeron suprà
Salmeron. tract. 8.

CAPVT IV.

Singularum personarum diuinitas ostenditur.

1. EX distinctione personarum in eadem omnino natura diuina satis colligitur, vnamquamque esse Deum, & eundem omnino Deum cum aliis, quod definitur in Concilio Lateranensi, & habetur in cap. *Firmiter* de summa Trinitate, faciléque probatur: nam illæ tres personæ non possunt habere naturas numero distinctas: ergo debent habere vnam & eandem, per quam quæuis persona sit verus Deus. Antecedens probatur, quia si darentur plures naturæ diuinæ similes prorsus, & æquales, iam darentur tres essentiæ æquè primæ, quod repugnat rationi naturali, vt ostenditur in Metaphysica, consequentérque darentur tres Dij: nam vnitas Dei cùm debeat esse simplicissima, & perfectissima non potest per collectionem constitui, siquidem vnitas collectionis est imperfecta, & accidentalis: ergo vbicumque daretur natura diuina numero distincta, daretur vnus Deus.

Si autem illæ naturæ forent inæquales, sola 2.
illa, quæ perfectissima esset, constitueret verum Deum, quæ fuit hæresis Arianorum: ergo debent habere tres istæ personæ diuinæ eandem numero naturam: hanc autem repugnat rationi naturali, & perfectioni diuinæ sic esse partibilem, vt pars eius possit esse in vna persona, & pars in alia, vt dicebant hæretici relati cap. 2. num. 4. ergo in quacumque persona est illa natura diuina, est tota essentia Dei, ac subinde quælibet persona per se sumpta est verus Deus. Vnde fit primò Patrem per se sumptum esse verum Deum, quod est expressum in Scriptura Ioan. 1. *Verbum erat apud Deum* Ioan. 1.
id est, apud Patrem, in Græco ponitur articulus, ad indicandam excellentiam diuinitatis; plura afferunt Hilarius lib. 4. de Trinitate, & Augu- Hilarius.
stinus lib. 6. & lib. 15. cap. 7. Augustinus.

Fit secundò Filium Dei esse verum Deum per 3.
essentiam æquè ac Patrem; & quoniam eadem persona est Filius, & Verbum & Christus Dominus, vt docet Ioan. cap. 1. *Verbum erat Deus &* Ioan. 1.
Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti à Patre, Sequitur Verbum, & Christum Dominum esse verum Deum; Imo hoc potissimùm intendit Ioannes in suo Euangelio: nam illud scripsit contra Ebionem, Cerinthum, & alios hæreticos negantes Christi diuinitatem, vt testatur Hieronymus libro de scriptoribus Ec- Hieronym.
clesiasticis. Probat etiam ex professo Paulus tota epistola ad Hebræos. Probant etiam Scripturæ testimonia, quæ simpliciter Filio, Verbo, seu Christo diuinam naturam attribuunt, Baruch 3. Baruch 3.
Hic est Deus noster, & infrà *Post hæc in terris visus est.* Isaiæ 13. *Deus ipse veniet & saluabit nos*, & Isaiæ 13.
alia multa, quæ propugnata Patrum expositionibus aduersus hæreticorum calumnias latè persequuntur nostrates.

Specialiter probatur iis testimoniis, quæ Chri- 4.
stum dicunt esse Filium Dei naturalem. Quippe tam euidens est ista consequentia; Est Filius Dei naturalis: ergo est Deus, vt quemadmodum Atha- Athanas.
nasius obiicit Arianis serm. 3. ne Diabolus quidem ipse illam negare potuerit. Quare de Christi diuinitate dubitans, illo modo interrogat. *Si Filius Dei es.* quasi consequenter constaret, Christum Dominum esse Deum, & miraculorum auctorem: ipsíque Iudæi satis intelligebant, Deum se profiteri Christum, eo ipso quòd Patrem suum diceret esse Deum, vt habetur Ioan. 5. Filius autem Ioan. 5.
Dei vocatur Christus Dominus Matth. 3. & 6. Matth. 3. & 6.
Ioan. 1. & 3. Luc. 1. ad Galatas 4. ad Hebræos 1. ad Ioan. 1. & 3.
Rom. 8. Psal. 109. dicitur *Ex vtero ante luciferum* Luc. 1.
genui te. Vnde constat non esse sermonem de Galat. 4.
filiatione adoptiua, sed de naturali: nam *ex vtero*, Hebr. 1.
id est, ex substantia Patris Athanasius, & alij Pa- Rom. 8.
tres interpretantur. Psal. 109.

Dicitur etiam vnum cum Patre Ioan. 10. *Ego* 5.
& Pater vnum sumus, quo simul liberamur ab er- Ioan. 10.
roribus Sabellij, & Arij, vt docet Augustinus August.
tract. 36. in Ioannem: nam quatenus dicit *sumus*, indicat distinctionem personarum; quatenus dicit *vnum*, significat vnitatem essentiæ, de qua etiam Ioan. 17. dixit Christus ad Patrem *Mea omnia tua* Ioan. 17.
sunt, & tua mea sunt. Eandem indiuiduam vnitatem naturæ, seu consubstãtialitatem Patris & Filij,

vt

vt significarent, & declararent Patres Concilij Nicæni Filium vocarunt homousion Patri, quam Victorinus. vocem Marianus Victorinus speciali opusculo de illa dicit fuisse diuinitus inuentam. Ideò illam magna veneratione suscipiunt & suspiciunt sancti Doctores, quia per eam & vnitas essentiæ, & distinctio personarum denotatur, ac subinde simul damnantur Arius, & Sabellius; vt declarant Epiphanius. Hilarius. Epiphanius in Ancorato, & Hilarius lib. de synodis; totáque Ecclesia Latina loco vocis *Homousion* posuit in symbolo vocem *consubstantialis*.

6. Ex suprà iacto fundamento fit tertiò Spiritum sanctum esse verum Deum, quod testatur Scriptura sæpissimè. Primò directè Actor. 5. *Mentiri te Spiritui sancto, non es mentitus hominibus, sed Deo.* 1. Corint. 3. *Templum Dei estis, & Spiritus sanctus Dei habitat in vobis.* Secundò, quatenus diuinas proprietates tribuit Spiritui sancto, scilicet imme-

1. Cor. 3. Sapient. 1. sitatem Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum:* omnipotentiam Sap. 7. *omnem habens virtu-*

Ibid. 7. *tem:* tribuit item illi omniscientiam 1. Corinth. 2. *Spiritus omnia scrutatur*, & infrà; *quæ sunt Dei nemo nouit, nisi Spiritus Dei.* Tertiò, quatenùs illi adscribit diuinas operationes. Sic dicitur Spiritus sanctus creare, conseruare, iustificare, viuificare, seu suscitare, gubernare Ecclesiam, patrare miracula, largiri dona, regenerare, ac saluare nos. Hæc & alia vrgent Patres contra Macedonianos, & iustis etiam voluminibus Spiritus sancti diuinitatem ex professo defenderunt Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Nyssenus, Cyrillus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, & Catholica Ecclesia profitetur in symbolo, se credere in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filióque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur.

CAPVT V.

Rationes dubitandi, & argumenta Hæreticorum diluuntur.

1. QVÆ hæretici cauillantur ex sacris litteris plura sunt, quàm in compendium redigi possint, & latè à nostratibus expediuntur. Videantur Bellarm. Salmeron. tur Bellarminus lib. 1. de Christo, Salmeron, tom. 2. in Euangelia, Valentia, Vasquez, Molina hîc. Nobis sufficiet, quas opposuimus rationes in principio, & pro hæreticis fundamenta retulimus, enodare. Ad primam rationem dubitandi, Respondetur, principium illud naturale in rebus etiam creatis non debere sine vlla limitatione vsurpari: alioquin in arte syllogistica, quæ illi nititur, non essent necessariæ tot figuræ, & modi syllogismorum, quibus explicatur, quomodo coniungi debeant duo extrema cum medio, vt concludi possit esse inter se coniuncta. Quare varij varias apponunt limitationes. Quidam dicunt debere quidem extrema esse idem vni tertio re, & ratione. Alij volunt, quæ sunt eadem vni tertio, esse eadem inter se, non simpliciter, sed in illo tertio. Alij dicunt esse eadem inter se, nisi Suarez. obstet extremorum oppositio. Suarez lib. 4. de Trinitate cap. 3. fatetur hoc principium, si vniuersaliter, & in tota abstractione sumatur, abstrahendo ab ente creato, & increato, esse falsum, quoniam ad summum demonstratur inductione in creaturis, cum quibus non esse comparandam naturam diuinam docet circa difficultatem istam Anselmus lib. de Incarnatione cap. 6. Anselmus.

Nos qui latiùs de hoc egimus in libris Priorum, paucis dabimus nostrum sensum, secuti Capreolum in 1. dist. 2. q. 3. art. 1. fine, docentem, quæ sunt eadem vni tertio adæquatè, aut vni tertio incommunicabili, esse idem inter se: Quod declaramus in hunc modum. Hoc principium debet intelligi non de identitate reali sola, nec de sola identitate rationis, sed de qualibet proportionaliter, dum ita disponantur extremitates, & medium, vt si medium sit aliquo modo commune, maior extremitas dicatur de omni illo, vt vel sic possit enunciari de omni minori extremitate. Quare forma syllogistica præcipuè nititur illis principiis *dici de omni, & dici de nullo*, quæ in libris Priorum explicuimus, maximeque requirit, ne varietur aliquo modo distributio, vel suppositio. Igitur in præsenti quia Deus, & natura, vel essentia diuina est communis realiter tribus personis, si non distribuatur, non valet consequentia, sicut in humanis, quia homo est terminus communis ratione nostra, non valet Petrus est homo, Paulus est homo: ergo Petrus est Paulus; benè tamen valet, Homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal, quoniam animal dicitur de omni homine, non verò Paulus. 2. Capreolus.

Quocirca rectè notat Molina 1. p. q. 28. art. 3. disp. 3. nomen aliquando non posse distribui completè, quia distributio debet immediatè distribuere ea, de quibus distributum prædicatur, & contingit nonnunquam significatum nominis verificari de aliquo, vel de aliquibus, pro quibus tale nomen non supponit, sed aliud impedimentum interuenire; v. g. hoc nomen *essentia*, vel natura diuina non potest distribui completè, quia cùm sit abstractum, non supponit pro suppositis, de quibus tamen verè significatum eius prædicatur, quod vocant antiqui Theologi, non posse distribui in termino: potest tamen completè distribui extrà terminum, sumendo scilicet aliquod commune in significando tam essentiæ diuinæ, quàm suppositis; quale est nomen *res*; & sic deberes dicere. Pater est idem cum omni re, quæ est essentia diuina: sed omnis res, quæ est essentia diuina est idem cum Filio: ergo Pater est idem cum Filio; vbi consequentia tenet, sed vtraque præmissa est falsa. 3.

Addo hanc doctrinam esse quoque necessariam in termino *Deus*, quem diximus in summulis in esse singularem ob singularitatem naturæ, quam formaliter, & determinatè importat. Vnde incapax erit distributionis, in se ipso, quia terminus singularis non distribuitur, & Deus est terminus singularis: ergo distribui non potest in se ipso, sed extra terminum distribuendus erit. Quòd si axioma illud ita generaliter accipiatur de identitate reali, vt quæcunque quomodocunque sint eadem realiter vni tertio, sint idem realiter inter se; tenebit quidem in rebus creatis ratione materiæ, ac indoctionis omnibus illis communis, non tamen in diuinis, vbi hoc inter alia ob infinitam perfectionis supereminentiam fateri cogimur singulare, quod intendit Anselmus suprà, &c, qui cum illo loquuntur Recentiores. 4.

Vnde facilè dicitur ad secundum principium, tenere videlicet illud in hac materia, quia Pater ita est idem realiter cum essentia, vt non distinguatur realiter ab illa; non tamen est idem realiter cum omni re, quæ est essentia, 5.

quod

quod necessarium erat ad bonam consequentiam illius syllogismi secundùm debitam formam, & figuram: ratione verò solius materiæ non tenet, propter supradicta; sic etiam negamus illum, qui adducitur esse syllogismum expositorium: nam hæc essentia, licèt sit terminus singularis, fungitur in prædicationibus munere vocis vniuersalis, vt notat S. Thomas 1. p. q. 39. art. 4. ad 1. hoc est enim proprium, & speciale Trinitatis, vt sit in illa quiddam simplicissimum, & singularissimum, videlicet essentia diuina, & adhuc commune, seu communicabile pluribus realiter. Medium autem syllogismi expositorij debet esse singulare, & incommunicabile. Huc tandem recidunt Suarez suprà, & Vasquez 1. p. disp. 123. Suarez. Vasq.

6. Ad secundam rationem, Respondetur, nullam esse implicationem, quòd Deus sit genitus in vna persona, & non in alia; contradictio enim debet esse secundùm idem omninò. Generabile autem, & ingenerabile tunc differunt genere, cùm natura eius, quod generatur, per generationem producitur, non verò cùm solùm communicatur vni ab alio. Itaque Filius, qui accipit à Patre eandem numero naturam communicatam sibi per æternam generationem, non potest à Patre distingui natura, sed solùm quoad modum illam habendi: sicut Adam ex nullo homine fuit productus, Eua ex solo Adamo, Abel ex Adamo, & Eua; & tamen omnes erant einsdem naturæ specificæ; quo exemplo vtuntur Nazianzenus orat. 5. de Theologia, Augustinus lib. 1. & 2. contra Maximum, & alij. Ad confirmationem, Respondeo cum Basilio lib. 2. contra Eunomium, Filium non fuisse, antequam gigneretur, tamen fuisse, cùm gigneretur, nec ideò frustrà genitum esse. Nam etiam in rebus creatis momentaneæ mutationes, aut actus & sunt, cùm fiunt, & fiunt cùm sunt; nec inde sequitur Filium non semper fuisse, quia semper genitus est, atque ita semper etiam fuit. Nazian. August. Basil.

7. Ad tertiam rationem negatur minor, & ad primam eius probationem dicimus quamlibet perfectionem in creaturis repertam eminentiori modo fore constituendam in Deo seclusis Imperfectionibus; ideoque esse spirituale, & incorruptibile, quod in Angelis reperitur cum sterilitate, in Deo reperitur sine illa; & virtus generandi sibi simile in substantiis corruptibilibus reperta propter conseruationem speciei, in Deo dari, quatenùs dicit perfectionem, sine vlla tamen defluxu materiæ, sine motu, sine corruptione, cæterisque defectibus creaturarum; ita enim est natura diuina spiritualis, & indiuisibilis, vt etiam sit infinita, & licèt non possit sui partem decidere in generatione, vt decidit homo; potest tamen se totam infinita fœcunditate alteri communicare, quod non possunt homo, vel Angelus, cùm sint naturæ finitæ, ac limitatæ.

8. Ad secundam probationem respondet S. Thomas hic quæst. 27. a. 1. ad 2. distinguendo antecedens: Quidquid procedit ad extrà, concedo, ad Intra per modum Verbi, vel amoris, nego: nam ad summam istorum perfectionem spectat, vt sint idem cum intelligente, vel amante; sed generalius dici potest, ideò in creaturis naturam generantis distingui realiter ab essentia, quia generans non de tota substantia sua Filium gignit, sed ex parte, quæ quidem distinguitur realiter à remanente substantia vel natura Patris; Deus autem cùm infinitæ fœcunditatis sit, ex tota sua substantia Filium gignit, & spirat amorem; & sic illis suammet naturam communicat, vt idem omninò Deus sint cum Patre, retenta personarum distinctione sufficienti, vt idem non producat se ipsum. Vnde rectè Nazianzenus libro de Trinitate circa finem docet, Homousion esse alium ipsum, quoniam est alius in personalitate producta, & ipsemet cum generante in natura communicata. Nazian.

Ad tertiam probationem, Respondeo personam in Deo dicere perfectionem essentialem infinitam eandem cum omnibus, & in singulis, sed non in omnibus eodem modo; quia Pater habet illam à se, Filius à Patre, Spiritus sanctus ab vtroque; nec sufficit vna persona ad huiusmodi distinctionem personalem, quæ pertinet etiam ad perfectionem Dei; Vnde non multiplicatur infinitum simpliciter, & absolutum. An autem multiplicentur perfectiones relatiuæ, dicemus infrà disput. 11. vbi ostendemus non esse inconueniens aliquam perfectionem relatiuam esse in vna persona diuina, & non in alia. 9.

Negamus item sequi personam procedentem esse perfectiorem: & ad primam probationem sequelæ dicimus, Christum ibi non loqui de necessaria, & naturali datione, & acceptione naturæ, qualis est processio diuina, sed de libera eleemosynæ largitione. Ad secundam dicimus, quando productum accipit quidquid est perfectionis in producente, non esse perfectius producere, quàm produci, & ita contingit in Deo, vbi persona producta recipit naturam diuinam cum relatione, ac subinde habet perfectionem omnem producentis formaliter, vel virtualiter, vel æquiualenter, vt magis explicabitur disp. 11.

Ad tertiam dicimus, non semper ex maiori vi producendi colligi maiorem perfectionem, cùm homo generet sibi similem, & non Angelus, qui est homine perfectior: nam aliunde potest excessus ille virtutis compensari.

Ad quartam probationem Respondetur tunc solùm plura componere vnum, quando naturæ diuersæ sunt finitæ, ex quibus vnum coalescit, nec aliquid componentium est id ipsum, quod componitur, vt videri potest in compositis creatis. Secùs se habent personæ diuinæ ad essentiam: nam omnes simul sunt vna essentia, & quæuis illarum per se est eadem essentia; atque ita quatenus Deus, sunt vnum quid simplicissimum vnitate naturæ, quæ ex seipsa vnica est, & incomposita, nec ex personarum proprietatibus coalescit: At quatenus personæ sunt, non sunt vnum, sed plura; ideò nihil possunt componere: nam omnis compositio tendit ad vnitatem; singulæ autem ita propriis differentiis, & natura communi constituuntur, vt proprietas illa sit idem simplicissimum, & Indiuiduum cum essentia diuina. Sic tradunt Cyrillus lib. 7. de Trinit. Augustinus 11. de Ciuit. cap. 10. Damascenus lib. 1. de Fide cap. 10. & alij. 10. Cyrillus. August. Damascen.

Ad quintam probationem Respondet Valentia tom. 1. disp. 2. quæst. 1. punct. 1. §. 28. ad potentiam passiuam requiri, vt indigeat, & perficiatur forma recepta, quasi nullatenus habeat illam per identitatem. In diuinis autem id, quod procedit manet in producente per identitatem naturæ sine vlla indigentia, vel distinctione reali. Quare non est in Deo physica potentia passiua, sed potentia logica, vt vocant, id est posse quidem illud, quod procedit, manere ibi per identitatem 11. Valentia.

titatem essentiæ, non per aliquem modum efficiendi physicum. Similiter in persona producente datur, non quidem potentia physica ad recipiendum aliquid ab alio, quoniam hæc petit distinctionem accipientis ab accepto: sed potentia logica, id est, non repugnantia ad accipiendam eandem naturam numero, ac eandem essentiam personæ producentis. Nec item sequitur personam productam pendere à producente: nam quod producitur accipiendo à producente eandem numero essentiam, nec dependet, nec causatur ab illo; causa enim definitur ab Aristotele esse, quæ influit in aliud, vel ad quam sequitur aliud: aliud autem in genere neutro dicit distinctionem naturæ, quam effectus recipit productam à causa, & consequenter pendentem ab illa. In diuinis autem licèt persona producta sit alia, & procedens alius à producente, quod solùm significat distinctionem, & productionem personalem, non tamen est aliud propter identitatem naturæ; itaque vox processionis, & productionis, quia communis est essentiali, & personali, potest accommodari diuinis personis, quæ licèt non producantur quoad essentiam, producuntur tamen quoad personalitatem: Vox autem effectus, dependentiæ, causalitatis, actionis, & similes sunt propriæ solius productionis essentialis, vbi essentia, vel natura producitur; & ideò remouendæ sunt à diuinis. Videatur S. Thomas infrà q. 33. art. 1.

12. Hinc etiam facilè fit personam productam non esse ens ab alio, quoniam hoc est nomen naturæ, & significat in communi acceptione, quod ab alio recipit naturam diuersam cum vera dependentia, & causalitate, sed est ens à se, non minùs, quàm producens, cùm habeat eandem numero naturam improductam: ratione verò personalitatis persona producta dicitur esse ab alio, non tanquam à causa, sed tanquam à principio: latiùs enim patet esse ab alio, quàm ens ab alio absolutè, seu nominaliter dictum, vt communiter vsurpatur. Similiter primum ens, & primum principium non dicit negationem alterius prioris, à quo procedat, sed à quo pendeat; ideoque persona producta est æquè primum ens, & primum principium creaturarum, ac persona producens; quia neutra pendet ab alia, & ab vtraque omnes creaturæ dependent æqualiter, cùm in omnibus diuinis personis sit eadem numero natura diuina, à qua creaturæ pendent immediate, non à personalitatibus, vt docet S. Thomas infra q. 45. art. 6.

13. Ad fundamentum primæ, ac secundæ hæresis, quas cap. 2. n. 1. & 2. retulimus, constat ex dictis, quomodo cum vnitate, & simplicitate naturæ diuinæ ob admirabilem illius fœcunditatem stet Trinitas personarum, & processio in diuinis interueniente summa identitate personarum in natura, & cum natura, simúlque distinctione reali, & relatiua oppositione inter se. Ad fundamentum tertiæ adductum ibi n. 5. negamus dari quaternitatem in Deo, vt rectè negauit Concilium Lateranense in cap. *Damnamus* de summa Trinit. quoniam illa vna res, seu natura, in qua tres personæ conueniunt, non distinguitur ab illis; & ideò non auget numerum cum illis, nec collectionem facit. Ad confirmationem Respondetur, quidquid est de essentia Dei, esse quoque de essentia cuiuscunque personæ: relationes autem formaliter non sunt de essentia Dei, licèt sint idem cum essentia, ideò nihil obstat, quin singulæ personæ sint verus Deus, etsi quælibet non sit alia, vel omnes simul.

Ad fundamentum quartæ relatum ibi n. 8. constat ex suprà dictis, personam productam non esse ex nihilo, sed ex substantia Patris. Sic loquuntur sacri Doctores, & sic exponunt Concilium Hispalense II. & Toletanum XI. id Psalmi 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Secluditur autem omnis compositio, quia nec est hic distinctio componentium, nec vlla potentia, sed purissimus actus in natura, & in personis singulis iuxtà suprà dicta. 14

Fundamentum quintæ relatum n. 9. facilè soluitur, quia sicut Filius est verè, ac propriè Deus, sic potest propriissimo Dei nomine compellari, dicique pariter fons essendi, siquidem habet vnā illam naturam à qua omnes aliæ naturæ dimanant: Hæc habet illam precanò, quia non habet illam productam libera voluntate producentis, sed communicatam per naturalem, & necessariam emanationem. 15.

Fundamentum sextæ cuius meminimus cap. 2. n. 12. dicit Basilius sermone contra Sabellianos igni infernali traditurum esse illos, qui cogitatione sua volunt sic metiri consubstantialis Trinitatis mysterium: nam etsi ratione nostra non assequamur modum alium naturalem producendi præter generationem, non ideò tamen negandus est Deo, qui non solùm cognoscit seipsum necessariò, sed amat etiam se se substantialiter, & naturaliter. De discrimine autem vtriusque processionis latiùs in sequentibus differendum erit. 16.



DISPVT. II.

Quomodo procedant diuinæ Personæ.

Egimus de quæstione, *an est*, quam articuli primi titulus inquirebat; nunc quales sint processiones diuinæ, quod docuit in conclusione S. Thomas, disquirendum erit.

CAPVT I.

Quædam supponuntur.

Quoniam homo factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, non modò vnius, sed etiam Trini, vt docet Augustinus de Trinitate lib. 9. 10. & 14. & explicat S. Thomas 1. p. q. 95. art. 6. & 7. quatenus sicut diuinæ personæ in eadem substantia distinguuntur secundùm processionem Verbi à dicente, & amoris connectentis vtrumque. Sic anima nostra cogitando interiùs format verbum, & ex hoc in amorem prorumpit, quæ tria licèt non sint in nobis eadem res indiuisa, sub vna tamen substantia continentur. Ideò Patres, & Scholastici per operationes creatæ mentis, & voluntatis exponunt communiter increatas processiones intellectus, & voluntatis diuinæ. 1. August.

Quare suppono primò, ex libris de anima actum vitalem creatum non esse receptionem speciei, vt quidam commenti sunt, nec solam actionem, aut passionem, nec solam qualitatem productam, sed vtrumque continere essentialiter, &

& actionem physicam, quæ simul est passio, & terminum eius intrinsecum vitaliter procedentem à principio intrinseco; & manétem in eodem. Atque licèt probabile sit actionem vitalem immanentem & terminum ipsius, imo inhærentiam illius in subiecto non distingui realiter inter se, sed sola ratione ratiocinata, quoniam experientia nullum præbet conuincens distinctionis indicium, nec sunt multiplicanda entia sine necessitate, subindéque ponitur à nónnullis idemmet actus vitalis realiter esse terminus productus, & actio, qua producitur, & vnio qua inhæret subiecto, in eoque recipitur. Ceterùm verisimilius mihi sit etiam in actibus vitalibus actionem, & inhærentiam distingui modaliter à qualitate producta. Primò, quia generaliter modos istos distinguimus ex natura rei à rebus modificatis propter diuersam naturam, seu quidditatem modorum, ac rerum, nec actibus vitalibus quatenus res sunt, seu quoad perfectissimam qualitatem, quam important, tribuenda videtur imperfectio modorum per identitatem omnimodam realem. Secundò, quoniam actio est essentialiter dependentia talis effectus ab agente isto, ita vt nec de potentia Dei possit ab alio procedere, vt docuimus in Physicis ex limitata essentia talis modi, qui est essentialiter influxus actualis huius agentis; ac qualitatem vitalem non oportet sic essentialiter addicere huic numero agenti, videlicet huic numero potentiæ cum isto habitu naturali, vel supernaturali, vt non possit diuinitus eadem à solo Deo produci, vel à Deo simul, & potentia vitali per auxilium extrinsecum eleuata. Tertiò, quia hæc opinio meliùs deseruit explicationi libertatis, & supernaturalitatis quoad modum, vel quoad substantiam in actibus nostræ mentis, & voluntatis iuxta suprà dicta disp. 9. cap. 3. libri primi.

3. Suppono secundò, verbum significare expressionem rei ore prolatam. Erasmus voluit propriè dici de sola voce externa, & impropriè de conceptu mentis. Origenes dixit, metaphoricè vsurpari in diuinis, ideò S. Th. infrà q. 34. art. 1. ad 1. dixit Origenem aperuisse fontem Arianorum. E contra Durandus in 1. dist. 2. q. 2. n. 27. in sola mente contendit reperiri Verbum propriè; in voce verò externa non nisi metaphoricè, ac per denominationem extrinsecam. Vtrumque est contra S. Thom. eo art. 1. & contra DD. ibi. Est etiam contra rationem, & vsum Scripturarum: Nam Verbum est quod ore profertur, aut producitur locutione. Sed verè mens loquitur, & lingua loquitur, & vox externa eatenus dicitur verbum quatenus exprimit internos conceptus, manifestátque rem intellectu præcognitam, quod sufficit ad propriam rationem Verbi. Mentis etiam notitia perfectè repræsentat rem intellectam; ergo propriè dicitur Verbum. Sic concludit S. Thom. vbi suprà, Verbum quadrifariam vsurpari, tribus modis propriè, & quarto modo impropriè. Primò, & principaliter pro interno mentis conceptu. Secundò, & secundariò pro voce externa. Tertiò, pro ipsa vocis imaginatione. Quartò, & metaphoricè pro re significata, iuxta illud Exod. 9. *Cras faciet Dominus verbum istud.*

4. Quid autem sit Verbum mentis? & ad quod deseruiat variant Doctores, ad hoc præcipuè mysterium attendétes. Ego prætermissis aliorum sententiis, quas alibi refelli, Suppono tertiò, sic esse loquendum in præsenti, vt Verbum mentis dicatur ipsemet actus intelligendi in facto esse, seu conceptus, & notitia intellectualis: Nec in nobis intellectio per modum termini, & Verbũ mentis distinguuntur, quia tam intellectio nostra, quàm verbum mentis essentialiter includit & actionem & qualitatem vitalem repræsentatiuam obiecti. Secũdùm abstractiores verò formalitates intellectio vt sic, & verbum differunt, quatenus Verbum importat necessariò rationem termini realiter producti per intellectum, à qua productione præscindit intellectio, siquidem hæc in Deo essentialis est, & idem omninò cum intelligente; Verbum autem etiam in diuinis est per realem processionem ab intellectu fœcundo Patris, & à dicente realiter distinctum.

Suppono quartò cum Suario lib. 1. de Trinit. c. 6. n. 5. hanc vocẽ *intelligere*, vel *intellectio*, ambiguam esse: nam potest præcisè significare productionem notitiæ: quo sensu Molina hic art. 1. disp. 8. memb. 2. cùm dicit, verbum esse conceptum, ac imaginem expressam obiecti productam per actum intelligendi; dicere verò esse ipsum intelligere per quod producitur verbum, seu imago expressa: Sic etiam sumuntur hæ voces *dicere*, & *dictio*, dum asserunt Patres verba dici non modò exteriùs, quod frequentiùs accidit, sed etiam interiùs. Videatur Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 10. & 15. vbi inter alia inquit *nostrum Verbum intimum, nisi nostra cogitatione non dicitur.* Hæc acceptio quoad vocem *intelligere*, minùs est propria, & vsitata: Quoad voces *dicere* & *dictio* magis est communis, & propria; Verbum enim sæpiùs vsurpatur pro termino locutionis, & sicut constat verbum vocale produci per actionem dicendi vocaliter, sic etiam Verbum mentale sumptum pro termino, dicitur produci per dictionẽ mentalem, id est, per actionem productiuam illius termini: sic verò sumptum intelligere in nobis, & dicere mentaliter non distinguuntur, quoniam vtrumque dicit actionem mentis, quatenus actio est: at verò distinguuntur modaliter à termino producto, qui dicitur verbum, seu conceptus mentis. 5. Suarez.

Secundò *intelligere* significat recipere actum intellectus, aut informari per illum, iuxta id Aristotelis pronuntiatum, intelligere est quoddam pati: vel loquendo iuxta nostram sententiam illa vox vtrumque complectitur, & importat, scilicet actum intellectus, vt productum ab intrinseco, & receptum in ipsomet agente. Quo etiam modo sumitur vox *dicere*, & *dictio*, cùm refertur ad rem ipsam quam dicimus: sicut enim dicimur intelligere res ipsas conceptas, & easdem dicere verbis externis significatas, sic etiam dicimur interiùs dicere res intellectas. Vnde nostrum dicere & intelligere, dictio, cognitio intellectus, verbum mentis, & cogitatio sunt idem in hac acceptione, iuxta quam Augustinus lib. 15. de Trinit. cap 10. explicat id Sap. 2. *Dixerunt apud se cogitantes*, & Matth. 9. *Dixerunt intrà se, hic blasphemat*; scilicet rem ipsam dixerunt, quam cogitabant, ideò respondit illis Christus Dominus. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid enim est* (ait Augustinus) *dixerunt intra se, nisi cogitando*: ergo dicere est cogitare. 6.

Anselmus in Monologio cap. 34. ait *Quoniam autem idem est summo Spiritui scire, quod intelligere, seu dicere, necesse est, vt eo modo sciat omnia, quæ scit, quo ea dicit vel intelligit.* Attamen S. Thom. 1. part q. 34. art. 1. ad 3. sentit Anselmum impropriè locutum fuisse, cùm pro eodem vsurpat intelligere, & dicere, tum quia in communi, præsertim in 7. Anselmus.

Deo, ratione nostra distinguuntur saltem vt includens & inclusum quodammodo: nam *intelligere* dicit solam perceptionem obiecti vitalem abstrahendo à productione vel identitate reali: *Dicere* autem & *dictio* superaddit explicitè & determinatè rationem originis, & processionis: tum etiam quia *dicere* propriè quoque sumitur in primo sensu; *intelligere* verò in secunda solùm acceptione propriè vsurpatur, & in hac dicimus coïncidere cum nostro verbo mentali, nec esse qualitatem ab illo distinctam: ac subinde præter actum intelligẽdi & amandi, non dari qualitatem aliam, quæ sit verbum mentis, aut impulsus voluntatis, vt contrà nonnullos ostendimus in libris de anima. Sicque possumus definire verbum mentis. Verbum mentis est conceptus, aut imago expressa alicuius obiecti mente prolata, deseruiẽs subinde, vt sit mentis locutio, & manifestatio rei cognitæ, vel ad ipsum loquentem, vel ad alios ordinata.

8. Hinc colligo, & suppono quintò, nec intellectionem nostram cum diuina, nec verbum nostrum cum diuino debere omninò comparari: nã licèt vtraque intellectio sit intentionalis repræsentatio obiecti; tamen nostra cùm creata sit, debet necessariò per actionem physicam ab intelligente procedere; ac per consequens inuoluit necessariò rationem verbi; diuina verò cùm sit improducta, per idẽtitatem manifestat Deo res omnes, & ita non induit rationem Verbi in omnibus personis. Præterea Verbum diuinum, & humanũ in his solùm conueniunt, quæ pertinent ad perfectionem; videlicet primò, quatenus vtrumque est spirituale, ac permanens, non transitorium, sicut vocale. Secundò, vtrumque est immanens intra ipsum intelligentem. Tertiò, vtrumque repræsentat naturaliter, & non ad placitum, nec ex accidenti (vt sic dicam) seu concomitanter, sed per se, ac ex vi processionis: nam vtrumque est ipsummet intelligere eius, à quo procedit.

9. Differunt tamen in multis; Primò, quia verbum creatum est accidentale, Verbum diuinum est subsistens. Hinc differunt secũdò, quia verbum creatum est forma constituens in actu secundò intelligentem illum, qui producit, & recipit tale verbum; at Verbum diuinum non est forma Patris, quia res subsistens vt sic non est forma alterius rei distinctæ. Nascitur hæc differentia ex alia, quæ potest esse tertia, quia verbum creatum producitur ex indigentia intelligentis, cùm sine illo non sit sufficienter constitutus in actu secundo intelligendi, sed solum præsupponatur in actu primo cum virtute producendi verbum, & intelligendi per illud. Verbum autem diuinum non oritur ex indigentia vel potentialitate aliqua sui principij, sed ex infinita perfectione, ac fœcunditate; ideoque non supponit personam producentem constitutam solùm in actu primo, sed etiam in actu secundo intelligendi. Demum differunt quartò: nam in productione Verbi creati forma illa repræsentatiua denuò edita distinguitur à forma, quæ est principium productionis illius, & comparatur ad eam vt actus secundus ad primum: in productione verò diuini Verbi, licèt productum sit distinctum à producente, tamen forma quæ in producto est ratio repræsentandi, est eadem quæ in producente: nam est ipsummet intelligere Patris communicatum Verbo. Vnde nec in diuinis intellectio condistinguitur prorsus à Verbo, sed ipsamet intellectio absoluta superaddita, seu producta relatione filiationis, seu dictionis passiuæ fit Verbum in secunda personã, non in aliis, vbi similis relatio non reperitur.

Suppono sextò, multiplicem esse distinctionum varietatem, & in singulis multiplices acceptiones, quas oportet in hac potissimum materia perspectas habere. Igitur omnis distinctio vel est realis, vel rationis: distinctio realis complectitur totum genus distinctionis, qua distinguitur vnũ ab alio, citrà omnem intellectus operationem. Præcipua est distinctio rei à re, quæ propriè, ac simpliciter est realis, & reperitur inter res actu, & re ipsa diuersas. Alia paulò minor dicitur ex natura rei, seu distinctio modalis quia reperitur inter rem aliquam, & modum illius. Alia est distinctio realis formalis, non actualis, qualem adscribunt Scoto nonnulli, sed virtualis, quæ non actu, sed solùm virtute operationem intellectus antecedat inter duas formalitates, siue realitates ita se habentes in suis denominationibus, ac muneribus præstandis, ac si realiter actualiter distinguerentur. Harum distinctionũ quælibet vlteriùs diuidi potest, quia vel est distinctio realis, modalis, aut virtualis adæquata, quando vnũ extremum est prorsus extra rationem alterius, vel est inadæquata, quando vnum extremũ includitur in alio, quæ dici solet distinctio includentis ab incluso. 10.

Distinctio rationis est, quæ formaliter, & actualiter non præexistit in rebus ratione distinctis, prout sunt in se, sed solùm prout substãt conceptibus nostris, & ab eis denominationem aliquam accipiunt. Alia est rationis ratiocinatæ, quæ habet fundamentum in distinctione reali virtuali talium formalitatum; potestque fieri quoties res actu indistincta æquiualet pluribus per distinctionem virtualem. Alia est rationis ratiocinantis quæ oritur præcisè ex nostro modo concipiendi sine fundamento diuersæ intelligibilitatis obiectiuæ, qualis reperitur inter conceptus implicitos, & explicitos eiusdem omninò formalitatis. Distinctio rationis ratiocinatæ diuiditur in præcisiuam omninò, & non præcisiuam omninò; præcisiua est quando vnum secundùm rationem non includit aliud, sicut genus non includit differentiam, nec è contra; non præcisiua est quando conceptus vnius includit conceptum alterius, & addit aliquid peculiare, vt species includit genus, & addit differentiam, potestque dici distinctio includentis ab incluso secundùm rationem. Quæ omnia latiùs tradidimus lib. 1. disp. 15. ideo breuiter percurrimus in præsenti. 11.

CAPVT II.

Processiones diuinas esse per intellectum, & voluntatem.

QVia distinctio virtualis in Deo sufficit, vt aliquid illi conueniat sub vna ratione, & non sub alia, Videndum erit sub qua ratione conueniat Deo producere personas, vt modum processionum calleamus. Nonnulli tribuunt Richardo Victorino, quòd vtramque processionem diuinam asseruerit esse per voluntatem, sed illum ab hac calumnia vindicat Vasquez disput. 112. num. 1. Aliqui etiam putarunt Gregorium in 1. distinct. 7. quæst. 1. art. 2. & dist. 10 quæst. 1. art. 1. negasse processiones diuinas esse per intellectum, & voluntatem; sed immerito: Nam ibi disputat de principio *quo* processionum, & supponit illas esse formaliter intellectionem, & volitionem; 1. Vasquez. Gregor.

volitionem; negat tamen intellectum, vel voluntatem dicenda esse principium producendi, quia potentiam intellectiuam, vel volitiuam non agnoscit in Deo. Durand. Durandus verò, vt erat audaci ingenio in dist. 6. quæst. 2. negat expresè processiones diuinas esse formaliter per intellectum, & voluntatem, dicens esse immediatè per naturam, quam videtur ab intellectu distinguere. Quidam etiam Hieronymus Zanchlius, qui superiori sæculo, licèt alioquin hæreticus, pro Trinitatis mysterio librum Heydelbergæ conscripsit, Durando nimium addictus temerariè affirmauit, Valentia. esse oppositum temerarium, vt refert Valentia hîc punct. 3.

2. Ceterùm dicendum est processiones diuinas esse per intellectum, & voluntatem, & non immediatè per essentiam, vel naturam, vt ab illis ratione distinctam: nam quatenùs natura diuina constituitur intellectiuè iuxtà nostram sententiam, processio Filij est etiam per naturam, non tamen processio Spiritus sancti. Ita sanctus Thomas hîc artic. 1. & eius Expositores communiter; sic etiam Alensis, Albertus, Bonauentura, Gabriel, Richardus, Scotus, Marsilius, quos refert, & sequitur Suarez. Valentia. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 5. Valentia punct. 3. Vasquez supra, & ferè Recentiores.

Eccles. 24. Ioan. 1. & 8. Genes. 1. Probatur primò, ea Scriptura, quæ Filium appellat Sapientiam genitam, Eccles. 24. Sapientia verò non est nisi ab intellectu, appellat Verbum Ioan. 1. & suprà Ioan. 5. Verbum autem dictione procedit; dictio verò spiritualis, qualis est productio Verbi diuini, est actus intellectus, vt diximus cap. 1. Similiter Genes. 1, *dixit Deus fiat lux*, &c. certè ad intrà dixit, non ad extrà. Quare Patres id accipiunt de Verbo æterno quo facta sunt vniuersa; Vnde ipsa Sapientia de se pronuntiat, Sapien. 7. & Eccles. 24. Sap. 7. Eccles. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui*: id est ex intellectu Dei: nam in re spirituali nihil oris nomine, nisi intellectus significari potest; Spiritus verò sanctus vocatur Amor, propter processionem voluntaris.

3. Concil. Tolet. II. VVormac. Lateran. Probatur secundò, ex Conciliis Toletano II. cap. 1. VVormaciensi in confessione fidei, Lateranensi sub Martino V. consultatione 2. vbi recipiunt communem Doctrinam Patrum de processione personarum per intellectum, & voluntatem.

Chrysost. Cyrillus. & alij. Anselm. Hilarius. Hieron. Probatur 3. ex consensu Patrum Chrysostomi, Cyrilli, Basilij, Theodoreti in cap. 1. Ioannis, Anselmi in Monologio cap. 45. & sequentibus, Hilarij lib. 2. de Trinit. Hieronymi epist. 40. ad Ruffinum, Irenei, Damasceni, & aliorum, qui vel asserunt Dei Filium esse sermonem, seu Verbum, sicut Euangelista Ioannes, vel per proprietates, & actus intellectionis & amoris explicant processiones istas, vel expresè dicunt Filium procedere ab intellectu, Spiritum sanctum à voluntate quem ideò vocant amorem procedentem, vt Gregor. homil. 30. in Euang. Gregor. Augustinus. & Augustin. lib. 15. de Trinitate cap. 17. qui lib. 9. cap. 12. inquit. *Sicut Dei Verbum Filium esse nullus Christianus dubitat; ita charitatem esse Spiritum sanctum.*

4. Durand. Hæc omnia testimonia dicit Durandus non esse propriè capienda, sed metaphoricè per quandam accommodationem; quia sicut actus intellectus in nobis est prior, quàm actus volentatis, sic in Deo processio Filij est prior, quam processio Spiritus sancti. *Ideo (ait) illa dicitur esse per intellectum, hæc per voluntatem*; Sed magna est audacia, teste Suario supra, verba Scripturæ, & Sanctorum ad sensum tam improprium detorquere. Sequitur etiam ex illa sententia secundam personam non esse propriè Verbum, quod spectat ad hæresim Alogianorum: Hos enim refert Augustinus lib. de hæresibus cap. 30. propterea sic dictos fuisse, quia Domini verbum recipere noluerunt, Ioannis Euangelium respuentes. Augustinus. Sequitur item tertiam personam non esse propriè charitatem, & amorem productum, contra modum loquendi Patrum; Ideò S. Thomas in hac quæst. 27. art. 1. cùm dixisset processionem esse in Deo secundùm intelligibilem emanationem, subdit. *Et sic fides Catholica emanationem ponit in diuinis*: Recentioresque communiter Durando notam inurunt. Torres hîc Torres. artic. 5. disput. 1. sentit Durandi sententiam esse falsam, temerariam, periculosam. Molina Molina. ibi disput. 2. vocat erroneam, & periculosam in fide quoniam in re grauissima singularis est, & aliena à sensu Sanctorum, & à modo loquendi Scripturæ; Suarez appellat errori proximam, & nostram conclusionem in Theologia certam.

Rationes pro illa varias congerunt Torres, 5.
Molina, & Valentia, quas non esset Durando difficile enodare. S. Thomas hîc artic. 1. & 3. hanc reddit rationem, quam dicit Suarius esse à priori iuxta materiæ capacitatem: in omni rerum generatione productio, vel communicatio naturæ fit per operationem propriam, siue accommodatam tali naturæ, In re autem purè intellectuali propria operatio est actus intellectus, vel voluntatis. Cùm ergo Deus sit in gradu purè intellectuali, productio quæ datur intra illum, debet esse per actum intellectus, & voluntatis. Sed posset respondere Durandus, in re purè intellectuali creata non dari potentiam generatiuam; Ideóque non dari alias operationes nisi intellectus, & voluntatis: Deum verò sic esse in gradu purè intellectuali, vt etiam contineat perfectiones omnium viuentium, & consequenter fœcunditatem naturæ condistinctam ab intellectu, & voluntate, atque independentem ab illis.

Quare mihi videtur, tripliciter posse contra 6.
Durandum procedi. Primò ex sola ratione non supposita Fide; & sic nec dum processiones dari diuinas potest ostendi. Secundò supponendo ex fide dari processiones intra Deum; & sic etiam mihi probabile fit non demonstrari ratione quapiam, illas esse per intellectum, & voluntatem; siquidem omnes huiusmodi rationes, quæ fiunt à Doctoribus possunt quoquo modo dissolui. Quòd enim non sint aliæ actiones immanentes in Deo, nisi intellectio, & volitio; nec aliæ vitales, nec aliæ perfectiores: quod in creaturis generatio non manet immediatè à natura, quæ est potentia remota, sed à potentia proxima realiter distincta; quapropter etiam in Deo dari debent potentia remota, & potentia proxima ad generandum seclusa imperfectione distinctionis realis inter illas; siquidem ratio potentiæ remotæ, & proximæ, vt sic, non dicit intrinsecè imperfectionem, similesque rationes non conuincunt Durandum, qui dicere posset, etiamsi processiones immediatè dimanent à natura diuina, esse tamen immanentes, quoniam identificantur cum perso

personis, quæ sunt idem cum essentia diuina: diceret esse vitales, quia sunt viuentes à viuente coniuncto ratione essentiæ communis; & esse perfectissimas, siquidem per illas natura diuina communicatur; nec indigere naturam diuinam propter suam infinitam perfectionem, & fœcunditatem potentia distincta, etiam per rationem: nam imperfectio creaturæ est, quòd egeat potentiis, licèt in quorundam opinione non distinguantur semper realiter, nisi vellet dicere Durandus, sicut datur in Deo potentia operatiua ad extrà distincta virtualiter ab intellectu, & voluntate, sic etiam dari potentiam productiuam ad intrà ratione distinctam ab eisdem, quæ consequantur naturam immediatè. Alia argumenta fiunt ab inconuenienti; quia si vtraque persona immediatè procederet à natura, nulla posset reddi ratio sufficiens, cur sint duæ processiones, & non plures; cur vna sit prior, & ab vno, & generatio formaliter; alia verò posterior, & à duobus, & spiratio. Responderi tamen posset pro Durando quamuis vtraque processio sit immediatè à natura, nullam apparere repugnantiam in ea prioritate, & differentia processionum, tametsi ratio non sit adeò perspicua: multa enim conueniunt Deo, quorum ratio à nobis reddi non potest, eo quod superent nostrum captum.

7. Igitur tertiò possumus vrgere Durandum supponendo ex fide non solùm esse processiones in Deo, sed etiam esse per modum Verbi, & amoris procedentis iuxta modum loquendi Scripturæ, & Patrum; & sic videtur Theologicè concludi contra Durandum; nam manifestè sequitur à posteriori, Filium procedere ab intellectu, & Spiritum sanctum à voluntate: siquidem omne Verbum spectat ad intellectum, & omnis amor ad voluntatem, adeò Doctores censuris suprà dictis notant Durandum, quasi neget conclusionem Theologicam, quæ ex principiis fidei, vel fidei proximis, & ex ratione naturali sequitur manifestè. Rursus ad hominem sic possumus arguere contra Durandum. Processiones sunt immediatè per naturam diuinam: sed hæc in sententia probabiliori, quam tradidimus lib. 1. disp. 16. cap. 7. constituitur intellectiuè: ergo vna processio debet esse per intellectionem; non tamen altera, quia foret similiter generatio, cùm formaliter communicaret naturam, & similitudinem in illa, vt dicetur inferiùs disp. 3. & 4. Ergo hæc posterior processio debet esse per voluntatem: nam immediatè sequitur intellectionem volitio. Confirmatur, quoniam in Deo non est alia vita nisi intellectiua, vt rectè docet S. Thomas in hac q. 27. a. 5. sed vita intellectiua natura sua debet se communicare primò per intellectionem, quæ est ipsi connaturalissima operatio; deinde per volitionem: ergo per has operationes procedunt diuinæ personæ: repugnaret enim processiones esse per naturam, & non per intellectum immediatè.

8. Sed probat suam sententiam Durandus; Primò, quia sancti dicunt Filium procedere à Patre natura, non voluntate; sic Hilarius lib. 1. de synodis,
Hilar. Augustinus lib. 15. de Trinitate, Damascenus
Augustinus
Damascen. lib. 1. de Fide cap. 8. Ergo saltem processio Filij est immediatè per naturam, & ex fœcunditate illius. Respondetur illos Patres esse pro nobis, qui dicimus naturam Dei esse ipsam actualissimam intellectionem: licèt enim processiones sæpè dicantur naturales, seu per naturam, quia sunt omninò necessariæ, & non liberæ; specialiter processio Verbi sic dicitur, vt intelligatur Verbum esse Filius naturalis, & non adoptiuus; magis tamen ad rem nostram sic dicitur, quoniam in diuinis, vt docet sanctus Thomas infrà quæst. 30. art. 2. ad 2. processio per naturam, & per intellectum coincidunt; siquidem communicata natura formaliter communicatur intellectio, & è contrà. Quare si per fœcunditatem naturæ intelligatur productiua virtus illius, sola processio Filij prouenit ex naturæ fœcunditate, sicut ex fœcunditate intellectus. Si verò intelligatur communicabilitas Deitatis petentis esse in tribus personis, in prima sine productione, in reliquis verò per productionem earum, vtraque processio prouenit ex fœcunditate naturæ, quasi ex ratione radicali, vt loquitur Suarez, cum hoc tamen stat, quòd natura petat communicari Filio per intellectum, & Spiritui sancto per voluntatem.

Probat 2. quia nulla creatura, etiam intellectualis, communicat suam naturam per intellectum, & voluntatem: ergo nec Creator. 9.
Respondetur posse argumentum retorqueri contra Durandum; imò contra Catholicos omnes, quia nulla substantia creata purè spiritualis producit aliam per naturam immediatè, nec vllo alio modo: ergo nec Deus producit immediatè per naturam; nec producit ad intrà vllo modo. Ad limitationem igitur intellectus, & voluntatis creatæ pertinet, quòd non possint producere, aut communicare naturam substantialem; ad infinitam verò perfectionem intellectus, & voluntatis diuinæ, quòd possint; sicut ad limitationem materialium viuentium spectat, quod imperfectè communicentur, & ad extrà; nec tamen per naturam, sed per potentias distinctas. Deus autem communicatur ad intrà; & sic per actus immanentes proprios naturæ intelligentis essentialiter.

Probatur tertiò: nam si personæ diuinæ procederent per actus intellectus, & voluntatis, 10.
aut isti actus essent principia producendi; & hoc non, quia sunt actiones immanentes, quæ nihil producunt, teste Aristotele 9. metaphysicæ, aut essent productiones ipsæ, & hoc etiam non, quoniam intellectio, & volitio non distinguuntur nisi ratione; processiones verò re ipsa; tum etiam quoniam intellectio, & volitio sunt actus essentiales communes omnium personarum; productiones verò sunt notionales actus proprij personarum producentium: ergo nullo modo procedunt personæ diuinæ per tales actus.

Respondeo intellectionem, & volitionem 11.
diuinam esse principia saltem inadæquata. Nec est verum actiones immanentes in creaturis nihil producere: saltem enim actus producunt habitum, & in opinione probabili, assensus præmissarum efficit assensum conclusionis, intentio electionem, cognitio amorem; & licèt in creaturis nihil producerent, secùs esset in Creatore: sicut etiam in Deo vna persona spiritualis producit aliam, non verò in creaturis. Addimus prætereà diuinam intellectionem, & volitionem esse quoque productiones ipsas, vt declarabitur infra disput. 5. & ad primam impugnationem respondetur, licèt productiones passiuæ realiter distinguantur ob relationes, quas simul inuoluunt, non tamen actiuas, quia non opponuntur inter se.

Secunda

12. Secunda retorqueri potest contra Durandum: nam etiam natura diuina est communis omnibus personis: Quomodo ergo per eandem naturam Pater generat, & non generatur; Filius verò generatur, & non generat? Itaque respondemus intellectionem, & volitionem dupliciter considerari. Primò, secundùm se, quo pacto sunt actiones essentiales communes tribus personis, (essentiales vocamus, vt condistinguuntur à notionalibus.) Secundò, vt superaddunt esse respectiuum; & sic sunt actus notionales cuiusque personæ proprij, quod declarabitur in sequentibus.

CAPVT III.

Processiones diuinas esse per intellectionem, & volitionem.

1. Scotus. ALiter ad hoc argumentum respondet Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. §. *Obiicitur contrà*, & sæpe alibi, vbi distinguit in Deo duas quasi actiones, quas vocat intelligere, & dicere; per hanc docet produci Verbum, non per illam, & perinde sentit intellectionem, & volitionem non esse principia producendi, nec productiones ipsas in Deo: Dicit enim Patrem producere Filium per dictionem, non per intellectionem formaliter; ita distinguens dictionem, & intellectionem, vt neutra sit ab alia propriè loquendo, nec vna sit ratio alterius, sed potiùs sub hac ratione concomitanter se habeant, quasi ambæ sint immediatè à memoria fœcunda Patris, vt à proxima ratione operandi: sic enim vocat Scotus intellectum Patris, vt constitutum in actu primo ad intelligendum, & dicendum iuxta phrasim Augustini. Addit tamen Scotus intelligere priùs esse quodammodo quàm dicere, quia prius est rem in se perfici, quam communicari alteri; intelligere verò tantùm est ad perfectionem intelligentis, dicere autem ad se communicandum alteri.

2. Eadem proportione loqui debet Scotus de voluntate, atque in illa distinguere volitionem, & spirationem, neutram ab alia, nec ratione alterius, sed vtramque immediatè à voluntate Patris, & Filij, vt constituta in actu primo ad volendum, & spirandum; ita vt sicut principium producendi Verbum est intellectus constitutus in actu primo, productio verò illius est dictio; sic principium producendi amorem personalem sit voluntas Patris & Filij prout constituta in actu primo, productio verò ipsius amoris sit spiratio; quod innuit Scotus lib. 14. Quapropter intellectio, & volitio solùm se habebunt concomitanter ad processiones, sicut alia Dei attributa. Fundamentum Scoti fuit suprà positum, & dirutum, scilicet quòd actus, per quos diuinæ personæ procedunt, sunt notionales, & proprij; intellectio autem & volitio diuina sunt essentiales, & communes.

3. Herrera. Rada. Caietan. Torres. Vasquez. Suarez. Scotum sequuntur Herrera disp. 10. Rada controuers. 8. & 16. aliíque Scotistæ; reiiciunt tamen & meritò cum S. Thoma hic Caietanus art. 1. Torres ibi disp. 4. Vasquez disp. 112. num. 6. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 7. & alij communiter; Etenim licèt nonnulla vera doceat Scotus, scilicet Verbum procedere per dictionem, intelligere, ac dicere aliquo modo distingui; ceterùm quòd ita distinguantur adæquatè, vt neutrum includatur in alio, nec vllum habeant ordinem inter se, vel connexionem secundùm rem, vel secundùm rationem, sed vtrumque velut concomitanter sit ab intellectu fœcundo in actu 1. non est admittendum.

Sic autem impugnatur Scotus quoad hanc partem. Concilia & Patres adducti cap. 2. non solùm dicunt personas procedere per intellectum, & voluntatem, sed etiam per cognitionem, & volitionem; & Augustinus sæpè docet Filium gigni per potentiam cognoscitiuam, illúmque vocat Sapientiam genitam de Sapientia generante: Rursus Patrem, & Filium dicit diligendo se producere Spiritum sanctum. Sed hoc intelligendum est non solùm materialiter, & concomitanter, sed formaliter, & per se: ergo personæ diuinæ procedunt formaliter per intellectionem, & amorem. Minor probatur: nam alioquin Pater non magis produceret Filium intelligendo, quàm amando; nec Pater, & Filius magis producerent Spiritum sanctum amando, quàm intelligendo; siquidem volitio non minùs comitatur productionem Filij, quàm intellectio, & hæc non minùs productionem Spiritus sancti, quàm volitio. Hoc autem est absurdum, & contra modum loquendi Patrum: ergo formaliter intelligendum est, quòd procedat Filius per intellectionem, & Spiritus sanctus per amorem. 4.

Confirmatur, & declaratur, quia si dictio non est intellectio, nec per se connexa cum intellectione, cur dicitur esse operatio intellectus, potiùs quàm alterius facultatis, vel certè quamuis esset ab intellectu, procederet ab illo quasi materialiter tantùm: nam in sententia Scoti diuinus intellectus non est ratio producendi Verbum, quatenùs se explicat in actum intelligendi, sed quatenus alioquin habet virtutem producendi. Materialiter ergo se habet, & quasi per accidens, ad productionem Filij virtus intelligendi, vt intelligendi, ac subinde Filius non esset ex vi suæ processionis Sapientia Patris, vt loquitur Scriptura sacra, nec Sapientia genita, vt loquitur Athanasius contra Gregales Sabellij, & Augustinus sæpe. 5.

Dices, dictionem illam, etiamsi non sit intelligere, esse tamen ab intellectu, vt intellectus est, & fœcundus per speciem intelligibilem, quia tendit ad exprimendum in termino suo totum id quod in potentia continetur per speciem: talis est enim dictio intellectualis in nobis, & talis concipi debet in æterno Patre: licèt in nobis, quia terminatur ad verbum accidentale, quod est forma intrinseca intrinsecè afficiens, & reddens potentiam intelligentem, coincidit cum intellectione. At in æterno Patre terminus dictionis est subsistens, & consequenter nec potest esse forma Patris, nec constituere illam intelligentem; retinet tamen aliud munus verbi mentalis, quod est terminare dictionem, respicere dicentem, & repræsentare ipsi per modum termini; quod sufficit, vt Filius dicatur Sapientia solius Patris, & cetera enodentur quæ solent apponi. 6.

Ad horum impugnationem oportet præsupponere, sicut capite præcedenti, nullam rationem intellectiuæ potentiæ competere Deo, quod ostendimus lib. 1. disp. 16. cap. 4. nam eo ipso quod dictio supponit intellectum Patris vt constitutum in actu ad intelligendum, debet supponere iam intellectum constitutum in actuali intellectione, siquidem actus primus, prout sonat 7.

potentiam receptiuam intellectionis, aut actuabilem, non est tribuendus Deo: ergo dictio, seu dicere Patris æterni est ab intellectione actuali, vel illam claudit in se. Quare sic arguo contra Scotum ad hominem. Personæ diuinæ procedunt per intellectum, & voluntatem, vt docet Scotus, sed in Deo non sunt potẽtia intellectiua, vel volitiua, sed ipsamet actualis intellectio, & volitio, vt supponimus: ergo diuinæ personæ procedunt per actualem intellectionem, & volitionem, & non per alias actiones ab his adæquatè condistinctas.

8. Secundò, iuxta Scotum, essentialia secundùm ordinem rationis sunt priora notionalibus, & intelligere prout est perfectio Patris, est priùs quàm dicere; ergo necessarium est admittere ordinem aliquem rationis inter intelligere, & dicere, ac aliquam connexionem illorum. Tertiò, Theologi communiter, & ipsemet Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. & dist. 32. quæst. 1. & in 2. dist. 1. quæst. 1. §. *quantum ad primum*, & §. *quantum ad hoc*, dum quærunt an Verbum, & Spiritus sanctus procedant ex cognitione, & amore sui, aut creaturarum planè supponunt produci personas istas per cognitionem, & amorem; alioquin inutilis esset quæstio. Malè igitur negat Scotus processiones diuinas esse per intellectionem, & volitionem. Scotus.

9. Itaque fit ex dictis diuinum verbum procedere per actum intelligendi, vt talis est, & Spiritus sanctus per actum amandi vt talis est formaliter; quod docet S. Thomas hic art. 5. & quæst. 34. & 36. & Thomistæ communiter, quia Pater producit Verbum suum dicendo, vt constat ex notione Verbi, quam explicuimus cap. 1. & ex Patribus ibi adductis. Sed Pater æternus non dicit, nisi intelligendo non solùm materialiter, sed etiam formaliter, siquidem ratio dicendi est ipsamet intelligentia, vt eo cap. 1. dictum est, & docuit Anselmus in Monologio cap. 34. dicens idem esse summo Spiritui scire, quod intelligere, seu dicere, & Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. ibi *Nihil aliud est apud se dicere, quàm apud se cogitare*: ergo Verbum diuinum procedit per actum intelligendi, vt talis est. Quæ ratio proportione seruata facilè potest ad amorem applicari. Anselmus. Fulgent.

CAPVT IV.

Processiones diuinas esse per intellectionem, & volitionem notionalem.

1. Henricus. QVoniam intellectio, & volitio communes sunt omnibus personis, non verò productiones, & processiones personarum; Henricus quodlibeto 6. quæst. 1. & in summa art. 54. Distinguit in nobis quandam intellectionem, & volitionem directam, remissam, & imperfectam, ad quam intellectus, & voluntas se habeant merè passiuè: aliam reflexam, feruentem atque perfectam, ad quam concurrant actiuè. Similiter in Deo distinguit aliam intellectionem, & volitionem simplicem, & quasi passiuam, per quam non procedunt personæ, & hanc vocat essentialem; aliam reflexam, & actiuam, per quam procedunt, & hanc vocat notionalem. Alij aliter dicũt in Deo fuisse dupliciter intelligere, ac velle: Primò essentialiter quatenus hi actus attingunt obiectum, & sic conueniũt omnibus personis, nec per istos dantur processiones. Secundò notionaliter, quatenus producunt terminum, scilicet Verbum, & amorem; & sic solis competunt personis producentibus, & per huiusmodi actus sunt formaliter processiones. Hanc sententiam refert, & refellit Torres hic art. 5. disp. 1. part. 3. disputationis, dicitque videri S. Thomæ in 1. distinct. 32. q. 1. & Scoti in 1. dist. 2. q. 7. Eandem sententiam impugnauerat Aureolus in 1. dist. 23. agens specialiter de dilectione, putauitque illam esse S. Thomæ 1. p. q. 37. art. 1. Vbi asserit amorem in Deo dici & essentialiter, & nominaliter, seu personaliter. Torres. Aureolus.

Dico tamen 1. Vnicam esse in Deo Intellectionem, vt vnicam volitionem in ratione actus intelligendi, & amandi respectu obiecti adæquati intellectus, & voluntatis diuinæ, ac subinde non esse in Deo intellectionem, & volitionem notionalem vllo modo distinctam ab essentiali in ratione actus intelligendi, & amandi. Sic docent Aureolus supra, & Capreolus illi respondens in 1. dist. 32. quæst. 1. art. 1. S. Thomas hic quæst. 37. art. 1. & 2. Caietanus ibi, Torres supra, Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 7. Et probatur contra Henricum, quia nec in nobis datur intellectio, & volitio, ad quas intellectus, & voluntas concurrant merè passiuè, vt constat ex Philosophia, nec in Deo datur intellectio & volitio essentialis imperfecta, vel remissa, vel quæ eminentissimo modo non sit simul directa, & reflexa, quamuis simplicissima: alioquin Spiritus sanctus, qui non habet intellectionem, & volitionem notionalem, sed solùm essentialem non haberet intellectionem, & volitionem summe perfectam. Videantur Scotus in 1. dist. 2. q. 7. & dist. 27. q. 1. & 2. Vasquez 1. part. disp. 113. cap. 1. & Suarez supra, qui latiùs impugnant Henricum. 2. Idem. Capreolus. Caietan. Torres. Suarez. Scotus. Vasquez. Suarez.

3. Præterea, si opinio, quam Torres refellit constituit in Deo duos actus intelligendi, & duos amandi, alterum essentialem, alterum notionalem omninò condistinctos inter se distinctione rationis præcisiua, siue adæquata, benè impugnatur à Suario suprà: nam licèt in Deo distinguantur scientia necessaria, media, & libera; & quæuis subdistingui possit in tot membra, quot sunt obiecta partialia; tamen hæc distinctio est per conceptus inadæquatos eiusdem intellectionis essentialis in ordine ad obiecta inadæquata. Ceterum in ordine ad obiectum adæquatum intellectus diuini, quo sensu procedit conclusio, nec est, nec intelligi potest, nisi vnicus actus intelligendi, scilicet essentialis, qui est adæquatus tanti obiecti: Vnius enim virtutis vnus est actus adæquatus, & quidquid superaddatur superfluum est, & repugnans, vt sumitur ex S. Thoma hic a. 5. & de potentia q. 9. art. 9. vbi ait. Non est in Deo nisi vnum simplex intelligere, & vnum simplex velle.

4. Confirmatur, & declaratur: nam si daretur alius actus intelligendi, verbi gratia, vel attingeret aliud obiectum, & hoc non, aliàs intellectio essentialis non attingeret omne verum, ac subinde non esset adæquata obiectio diuinæ mentis, vel attingeret idem obiectum, sed alio modo, & hoc etiam non, quia sequeretur intellectionem essentialem esse imperfectam, cùm non attingat suum obiectum omni modo possibili pertinente ad perfectionem, vel non attingeret aliud obiectum, nec alio modo; & sic poneretur frustrà: Similéque argumentum fieri potest de volitione. Dices, non ponitur frustrà, quia

ponitur

ponitur vt sit productio, vel principium productiuum termini distincti, quod non potest præstare essentialis intellectio, aut volitio. Sed contrà; nam eadem ratione ponere posses aliam essentiam, aut naturam diuinam notionalem distinctam ab essentiali, vt Deus generans distingueretur à Deo genito: Sicut ergo eadem natura communis addita personalitate Patris est sufficiens principium vt *quod* processionum & personarum productarum, sic intellectio & volitio communis addita relatione producentis sufficiens erit, vt sit principium *quo*, siue ipsa productio actiua.

5. Dices iterum, saltem distinguendam esse intellectionem notionalem ab essentiali distinctione includentis ab incluso, & in hoc sensu procedere supradictam sententiam: Sic enim aliqui distinguunt duplex intelligere, scilicet essentiale, ac notionale; ita vt essentiale claudatur in notionali, & non è contrà, quoniam essentiale est commune, notionale verò proprium superaddens aliquam realitatem communi. Sed contrà, quia vel illud, quod addit intellectio notionalis essentiali, determinat illam in ratione actus intelligendi ad esse talis intellectionis, & hoc non, quia nec addit illi respectum ad aliud obiectum, nec ad idem aliter attingendum, vt probatum est: vel determinat illam in ratione actionis productiuæ,

Vasquez. vt sentit Vasquez ea disp. 1 t 2. cap. 5. & hic est planè sensus intentus ab illis Doctoribus, & re ipsa verus, vt fatetur Suarez. Quare non debuit illa sententia simpliciter & absolutè refutari à Canariensi, quia si rectè percipiatur, vera est.

6. Suarez. Quemadmodum verò loquendi Suarez suprà num. 9. censet nullatenus esse concedendum in Deo duplex intelligere, (idem intellige semper de voluntate, & volitione proportionaliter) sed vnum & idem vt coniunctum cum tali conditione, vel non coniunctum, sicut essentia diuina considerari potest præcisè, ac secundùm se, & etiam prout est in Patre; nec propterea distinguitur duplex essentia. Nec Doctores, qui refelluntur à Canariensi, dixerunt aliam esse intellectionem essentialem, aliam notionalem, sed intelligere diuinum sumi dupliciter, essentialiter, & notionaliter, ita vt vnum, & idem intelligere sit in Patre, & in aliis personis, diuerso tamen modo (vt sic dicam) nam in Patre est ante omnem productionem, vt propterea verè dicatur Pater habere illud intelligere à se: in Filio autem est communicatum à Patre, vt sæpè docuit ipse

Ioan. 5. 7. 17. Filius Ioan. 5. 7. & 17. quod Patres interpretantur esse communicatum ipsi per æternam sui generationem: ita Pater produxit Filium per illudmet intelligere commune personis omnibus, quatenus illud habet à se, & non per generationem acceptum: vt sic enim cùm nondum prodierit in in actum, habet virtutem productiuam, eodémque modo proportionaliter erit, de amore philosophandum. Sed pro maiori declaratione.

7. Dico secundò eandem intellectionem, & volitionem diuinam, vt terminatur ad obiectum cognitum, & amatum dici essentialem, & communem omnium personarum, quoniam inest omnibus illis eas omnes constituens intelligentes, atque volentes; Vt autem terminatur ad Verbum, vel ad amorem productum, dici notionalem, & propriam personarum producentium; quoniam includit relationes proprias illarum, & ita est in illis solis eas constituens producentes: simul enim versatur circa obiectum producendo terminum, & producit terminum intelligendo, vel diligendo obiectum; sic docent Vasquez & Suarez suprà, & videtur esse sententis S. Thomæ in hac quæst. 27. art. 5. dicentis, duas processiones accipiendas esse in diuinis secundùm duas actiones immanentes, quæ solùm sunt in Deo, scilicet intelligere & velle.

8. Ratio constat ex dictis, quia si non est in Trinitate duplex intelligere, necessarium est dari vnicum, & simplicissimum. Hoc autem habere diuersos illos respectus ad obiectum, & terminum, & in distinctis personis reperiri diuersis illis modis, ex ipso mysterio, & ex Scriptura manifestè deducitur, idemque est proportionaliter de dilectione quantum ad rem spectat. Quoad voces verò, assignat discrimen aliquod S. Thomas 1. part. q. 37. a. 1. Nam in intellectu sunt nomina, & verba distincta ad significandam productionem, & terminum illius, scilicet *dictio, dicere, verbum*, & ad significandum actum intelligendi vt sic, scilicet intellectio, intelligere. Quare S. Thomas ibi, & a. 2. ad 2. dicit intelligentem dici de Deo solùm essentialiter. In voluntate tamen ob nominum penuriam solemus eadem voce significare actum amandi, productionem, & terminum illius, scilicet nomine amoris, vel dilectionis; ideò dixit S. Thomas ibi, amorem & essentialiter, & notionaliter sumi, non quia sint actus amandi distincti, vt malè putauit Aureolus suprà relatus num. 1. Hæc enim distinctio nusquam reperitur apud S. Thomam; sed quoniam etiam Spiritus sanctus vocatur amor, & eius productio, dilectio.

CAPVT V.

Corollaria quædam.

1. EX dictis fit primò personas diuinas procedere per intellectionem, & volitionem essentialem specificatiuè, non reduplicatiuè. Patet quoad primam partem, quia de ratione Verbi, & amoris producti est procedere per vim intelligendi, & amandi, vt constat ex dictis cap. 1. Sed in Deo non est alia vis intelligendi, & amandi, nisi intellectio, & volitio, vt ostendimus lib. 1. disp. 16. cap. 4. ergo de ratione Verbi diuini, & amoris producti est procedere per intellectionem, & volitionem. At in Deo non est nisi vnica intellectio, & volitio communis omnium personarum, vt vidimus cap. præcedenti: ergo personæ diuinæ procedunt per illammet intellectionem, & volitionem, quæ est essentialis omnibus personis, saltem specificatiuè.

2. Quoad secundam partem probatur: nam aliàs Filius, & Spiritus sanctus procederent ab omnibus personis; quidquid enim procedit ab vna persona per actum sibi cum aliis communem, vt communem, procedit etiam ab omnibus aliis, quibus actus communis est: sic creaturæ procedunt ab omnibus personis diuinis, quia procedunt per intellectionem, & volitionem essentialem, vt essentialis est, & communis omnibus illis. Etenim particula reduplicatiua addita termino significanti rationem communem facit illum supponere pro omnibus participantibus eam; ideo hæc est falsa propositio; Homo quatenus animal, ratiocinatur, quia particula *quatenus* facit,

facit, vt terminus *animal* supponat pro omnibus participantibus animalitatem, & subinde significat omnia animalia ratiocinari, atque ideò hominem ratiocinari, quoniam est vnum ex illis.

3. Fit secundò, diuinas personas procedere per intellectionem, & volitionem, vt notionales sunt reduplicatiuè. Constat ex dictis nuper, quia procedunt per intellectionem & volitionem, non vt actus intelligendi, & amandi respicientes solùm obiecta: nam alioquin omnes personæ per illos producerent, sicut omnes per illos agnoscunt, & amant: ergo prout respiciunt terminos producendos, quo pacto sunt notionales & inuoluunt relationes producentium.

4 Vnde formari potest ratio, cur Verbum non producat aliud Verbum intellectuale, nec Spiritus sanctus alium Spiritum volitione, quia cùm Filius non intelligat alia intellectione, nisi qua Pater; nec Spiritus sanctus velit alia volitione, nisi qua Pater, & Filius; & Pater per intellectionem generet Filium, qui est terminus adæquatus tali potentiæ; Paterque simul, & Filius per volitionem vt per potentiam spirent amorem, qui terminus etiam est tali volitioni adæquatus, vt potentiæ spiratiuæ; nec Filius inuenit, quod intellectione possit producere, nec Spiritus sanctus, quod spiret per illam volitionem. Vnius quippe virtutis vnicus est terminus adæquatus, vt ait S. Thomas infrà quæst. 34. art. 1. ad 4. quoniam vna potentia nequit elicere duos effectus, nisi singuli sint inadæquati; alioquin ageret vltrà quàm posset. Nec refert, quòd potentia sit in vna, vel in multis personis: hoc enim non auget vim, vt si calor idem esset in tribus subiectis, non haberet maiorem vim, quàm in vno; quare si primum calidum produxisset summum calorem adæquatum illi virtuti, alia duo non haberent, quid vltrà producerent. Ita S. Thomas hic quæst. 34. art. 1. & quæst. 41. art 6. & de potentia quæst. 9. art. 9. & 4. contra gentes cap. 3. quibus in locis eandem huius veritatis rationem reddit, quam oppugnat latè Scotus in quodlibetis, non tamen expugnat.

5. Fit tertiò intellectionem, & volitionem notionaliter sumptas distingui à se ipsis sumptis essentialiter, tanquam includens ab incluso distinctione rationis non præcisiua, sed inadæquata: nam actus notionalis includit essentialem, & addit relationem personæ producentis, ac subinde dicit non solum respectum ad obiectum cognitum, vel amatum, sed etiam ad terminum productum. Vt declaremus autem quis horum respectuum sit prior, notandum est primò tot dari genera prioritatis, quot suprà numerauimus distinctionis cap. 1. quæuis enim prioritas postulat distinctionem sibi proportionatam, cùm nihil sit prius seipso, sed alio à se distincto; ac subinde eo modo, quo est prius, differt à posteriori, vel reipsa, si sit prioritas realis, vel virtute, si sit virtualis, vel ratione, si sit prioritas rationis.

6. Deinde quælibet harum prioritatum est duplex, *in quo*, & *à quo*; illud est prius prioritate reali *in quo*, quod antecedit tempore; illud verò prioritate reali *à quo*, quod est reale principium alterius, non autem è contra; sicut causa est prior effectu, & in diuinis Pater est prior Filio, & vterque Spiritu sancto. Illud est prius prioritate virtuali *in quo* quod ita se gerit à parte rei, ac si esset prius tempore, quàm aliud; cùm tamen neutrum vnquam extiterit sine alio: sic se habet quodammodo dilectio, qua Deus dicitur hodie diligere Petrum iustum, respectu odij, quo cras eundem prosequetur peccatorem: ita enim Deus dicitur hodie diligere Petrum iustum, non autem odio habere, sed habiturus cras, ac si actus, quo diligit hodie, esset hodiernus, & actus quo cras prosequetur eundem, non esset hodiernus, sed crastinus; cùm tamen reuera vterque fuerit ab æterno, & sit futurus in æternum.

Illud est prius prioritate virtuali *à quo* ita se gerit in re ac si esset principium reale alterius, cùm tamen non sit, quia videlicet ita posteriori conuenit esse ratione prioris, ac si reuera prius esset principium posterioris, quo pacto se habet intellectio diuina respectu volitionis: sic enim competit Deo velle ratione intellectionis, non autem è contra, ac si intellectio esset vera radix volitionis, cùm tamen non sit, sed potiùs idem omninò cum illa: nam est verum dicere, Deum velle, quia intelligit, non autem intelligere, quia vult. 7.

Quoad prioritatem rationis illud est prius prioritate rationis *in quo*, quod potest concipi sine alio, non autem è contrà, quia priùs concipitur, vt necessariò præsuppositum posteriori; Quo pacto genus est priùs ratione, quàm species, quia hæc præsupponit rationem genericam. Quamuis autem misericordiam possumus priùs concipere, quàm iustitiam; & è contra, quia tamen neutra concipitur vt necessariò præsupposita alteri, ideò neutra est prior, quam alia prioritate rationis *in quo*. Quod si non solùm possit vnus sine alio concipi, sed etiam existere, sicut sol sine luce dicitur prius natura. Illud est prius prioritate rationis *à quo*, quod concipitur tanquam radix & principium alterius, etsi reipsa tale non sit; sic essentia est prior suis passionibus quamuis sint identificatæ cum essentia. 8.

Notandum est secundò, licèt ex prioritate reali, aut virtuali, *à quo*, rectè colligatur prioritas rationis *à quo*, quia si vnum est principium reale, aut virtuale alterius rectè concipitur, vt principium; tamen ex prioritate reali, aut virtuali *à quo*, non rectè colligitur prioritas rationis *in quo*: nam licèt à parte rei aliquid sit radix alterius, & non è contra, ideóque radix non pendeat à radicato in suo esse, potest tamen pendere in cognosci, cum relatiua simul sint cognitione. Idem est in causis creatis, quando cognoscuntur, vt causæ. 9.

Notandum est tertiò, in Deo nihil esse prius natura, vel duratione, quàm aliud: Vnde nihil est prius prioritate reali *in quo*. Nec inter essentialia, & notionalia, datur prioritas realis *à quo*, quia nec inter illa est distinctio realis actualis, vt probatum est lib. 1. disp. 17. nec emanatio realis vnius ab alio. Est autem natura diuina prior, quàm relationes prioritate virtuali *à quo*, non tamen *in quo*, quoniam ita se gerit, ac si relationes orirentur ab illa, cùm tamen non oriantur: Est enim verum dicere, Deum ideò esse trinum in personis, quia est Deus, non autem è contrà: Ceterùm enim ita se gerit, ac si antecederet illas duratione, nulla quippe denominatio conueniens Deo ratione naturæ antecedit tempore denominationem aliquam conuenientem ipsi ratione personalitatis. Igitur intelligere diuinum, & velle sumptum essentialiter, est prius seipso notionaliter sumpto prioritate virtuali non adæquata, nec *in quo*, sed inadæquata, & *à quo*. Nam hæc propositio est vera. Deus quia cognoscit, & vult potest gignere, 10.

ac spirare, vel gignit, & spirat: ergo cognitio, & volitio essentiales ita se habent à parte rei, ac si essent principia, quasi formalia potentiarum productiuarum, vel ipsarum productionum.

11. Dices, sola distinctio inadæquata non videtur sufficiens, vt vnum se gerat tanquam principium alterius; nam cùm vnum includatur in alio, esset quoque radix sui ipsius: quod enim est radix alterius, est etiam radix eius quod in altero includitur quidditatiuè. Respondetur illam propositionem, quia Deus intelligit, & amat, potest gignere, vel gignit, potest spirare, vel spirat, non esse veram in sensu causali, quasi efficiente: nihil enim potest esse principium virtuale quasi efficiens eius, in quo includitur quidditatiuè tale principium; & hoc conuincit argumentum, esse tamen veram in sensu causali quasi formali, quoniam intellectio, & volitio sunt principia quasi formalia, saltem partialia formaliter constituentia potentias productiuas & productiones ipsas, quo pacto pars est priùs totius, in quo clauditur essentialiter.

12. Rursus intelligere diuinum, & velle sumptum essentialiter est prius seipso notionaliter sumpto prioritate rationis; non solum *à quo*, vt dicebamus n.10. sed etiam *in quo*. Sic docet S.Th. 1.p.q. 33.a.3. ad 1. dicens omnia absolutè dicta secundùm ordinē intellectus nostri esse priora, quàm propria, quoniam includuntur in intellectu propriorū, sed non è conuerso: in intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non conuertitur. Quamobrem intelligere, ac velle essentiale, quod est commune, erit priùs quàm notionaliter sumptum, quod est proprium, prioritate rationis *in quo*, siquidem intellectio, & volitiō prout sunt actus intelligendi, & amandi possunt concipi non conceptis potentiis productiuis, aut productionibus ipsis.

13. Dices iterum, in nobis prius est, naturam subsistere subsistentia propria, quàm intelligere, aut velle: nam actiones sunt suppositorum, sed concipimus intellectionem diuinam ad modum humanæ: ergo in Deo priùs concipitur Deitas subsistens, quam intelligens, aut volens: ergo diuinæ subsistentiæ, quæ sunt notionales, priùs concipiuntur quàm intelligere, aut velle essentiale. Respondetur negando primam consequentiam, quoad rationem intelligentis: cùm enim intellectio diuina sit constitutiuum essentiale Deitatis, non potest intelligi Deitas subsistens, quin concipiatur intelligens, sicut non potest concipi homo sine rationali. Quoad rationem volentis concedimus primam consequentiam, sed negamus secundam: nam antequam concipiamus Deitatem volentem, non concipimus eam subsistentem triplici subsistentia relatiua, quæ est notionalis, sed subsistentia vt sic abstrahente ab absoluta, vel relatiua, vna, vel triplici, quomodo concipiunt eam, qui agnoscentes vnum Deum ignorant Trinitatem, ac subinde non concipiunt tres subsistentias sub ratione trium, ac distinctarum; nec aliquam propriam alicuius personæ sub ratione propria ipsius, quo pacto sunt nationales, sed sub ratione communi, & conceptu formali personæ diuinæ, vt sic, quo pacto non sunt aliquid notionale ratione nostra: sicut enim vt aliquid in re sit notionale, debet esse re ipsa proprium alicuius personæ, sic vt sit notionale ratione nostra, debet concipi, vt proprium alicuius personæ, & non sub conceptu communi.

DISPVT. III.

An processio diuini Verbi sit generatio.

PRocessio Verbi diuini dicit originem, aut emanationem actiuam, & passiuam, & de vtraque procedit difficultas celebris inter Doctores, qui varias meditati sunt rationes explicandi quomodo processio diuini Verbi sit generatio propriè, sed non omnes satisfaciunt, longum esset singulas prosequi, nonnullas delibabimus, vt nostras tandem elucidemus.

CAPVT I.

Rationes dubitandi, & quædam supposita.

Sit prima ratio dubitandi, nam vt processio Filij sit generatio formaliter, debet formaliter producere simile in natura, iuxta definitionem generationis relatam art. 2. sed intellectio diuina formaliter solùm producit simile intentionaliter: ergo processio Verbi, quæ est per intellectionem, non est formaliter generatio. Minor probatur: nam intellectio Patris ex vi sua non potest formaliter aliud dare, nisi quòd ipsa formaliter est, sed ipsa formaliter quatenus intellectio, non est similitudo in natura, sed intentionalis repræsentatio obiecti, licet identice sit etiam natura: ergo formaliter solùm producit simile intentionaliter, licèt ex identitate naturæ producat etiam terminum similem in natura materialiter tantùm: quantumcunque enim crescat intellectionis perfectio in ratione intellectionis, semper manet formaliter intra notionem similitudinis intentionalis. 1.

Secunda ratio dubitandi sit, quia generatio Verbi, vel esset vniuoca, vel esset æquiuoca. Hoc non, quia constare non posset cum perfecta similitudine ad rationem generationis requisita. Hæc vniuoca dici potest, quia sicut Paternitas, & Filiatio, quæ constituunt primam, & secundam personam, sunt diuersæ rationis inter se, sic personæ per eas proprietates constitutæ different etiam inter se: ergo neutro modo. 2.

Suppono primò, nihil posse in diuinis procedere, quod non sit Deus, propter summam simplicitatem essentiæ diuinæ, quæ cùm propositionem relatiuam non habeat cum personis productis, aut cum proprietatibus illarum personalibus, identificatur cum illis realiter; Vnde quidquid producitur in Deo, Deus erit; non tamen quæuis productio erit generatio: nam ad rationem generationis non sufficit quòd productum habeat eandem naturam cum producente materialiter, & identicè solùm: Sic enim etiam Spiritus sanctus accipit à Patre & Filio eandem omninò naturam, cum illis, & est idem omninò Deus: sed requiritur, vt formaliter, & per se aliquid accipiat speciale, ad cuius intelligentiam. 3.

Suppono secundò, sicut in summa Dei simplicitate sufficit distinctio virtualis perfectionum formalium, vt vna sit principium *quo* vnius actionis, vel operationis, & non alia formaliter loquendo, iuxta suprà dicta lib. 1. disp. 16. verbi gratia misericordia miserendi, iustitia puniendi, intellectio 4.

intellectiu Verbi, amor Spiritus sancti; sic eandem distinctionem sufficere ex parte termini, vt hic formaliter producatur sub vna ratione, & non sub alia; nam eadem est proportio termini, & principij *quo*; Immò illud quod ex parte producentis est principium formale *quo*. Est etiam forma per se, formalitérque communicata termino producto, vt colligitur ex S. Thoma 1. p. quæst. 41. art. 5. Illa ergo ratio, sub qua producitur aliquid in diuinis, dicitur terminus illius productionis, & habetur ex vi processionis formaliter, & per se. Cetera verò, quæ indentificantur cum hoc termino dicuntur haberi materialiter, non quia habeantur ex materia quapiam, vel circa illam, sed ad eum modum, quo obiectum materiale comparatur ad rationem formalem, sub qua attingitur. Dicuntur etiam haberi identicè, & non per se, non quia communicentur per accidens: nam etiam habentur perseitate rei (vt loquitur

Suarez. Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 5. num. 12.) Sed quia nun ita formaliter habentur, nec sunt ratio *sub qua* productionis illius; sicut eadem entitas formæ potest fieri per creationem sub ratione formali entis, & per generationem sub ratione formali talis entis, licèt vtraque ratio sit realiter omninò eadem. Hinc igitur formalis ratio diuinæ generationis diiudicanda erit.

5. Suppono tertiò, conclusionem S. Thomæ hîc art. 2. asserentis processionem diuini Verbi esse generationem, constare de fide, quam confitemur in Symbolo Athanasij & Nicæno, dum credimus Filium Dei genitum fuisse, non factum, &

Psal. 2. & 88. & 109. Isai. 53. Ioan. 1. pleraque Scripturæ testimonia docuerunt Psal. 2. & 88. & 109. Isai. 53. Ioan. 1. Videantur adducta suprà disput. 1. cap. 4. num. 4. Nam quæ probant Christum, aut Verbum diuinum esse Filium Dei naturalem, pariter probant, eius processionem actiuam, & passiuam esse generationem, iuxta

Anselmus. illud Anselmi ad obiectiones Arianorum in 2. *Quis Filium dicat, & genitum nesciat? Quis Patrem valeat credere, quem non consideret genuisse.*

6. Sicut autem Pater æternus non dicitur Metaphoricè Pater Verbi, sicut dicitur Pater pluuiæ

Iob. 38. Deut. 31. Ephes. 3. Iob. 38. & Pater, ac genitor hominum Deuteron. 31. sæpéque in Euangelio; sed verè ac propriè, vt indicatur ad Ephes. 3. *ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis Paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Vbi significatur Paternitatem propriùs conuenire Deo, quàm creaturis, vt exponunt ibi Anselmus, & S. Thomas: Sic similiter generatio Verbi non metaphorica, & impropria, sed propria, & vera censenda est.

Vasquez. Videatur Vasquez hic disput. 113. quamuis enim generatio diuina non sit vniuocè, & adæquatè eiusdem rationis cum generatione viuentium, quæ reperitur in creatura; siquidem diuina infinitè distat à ceteris; tamen communis Notio, seu ratio generationis viuentium conuenit gene-

Valentia. rationi diuinæ suo modo, vt notat Valentia hîc punct. 4.

7. Huius certissimi fidei dogmatis non est requirenda demonstratiua ratio, sed congrua, & probabilis, qualem reddit S. Thomas, ex definitione generationis petitam. Et quidem generatio latissimè dicitur quæuis productio etiam accidentalis formæ dependentis à subiecto; sic distinguitur à creatione. Secundò strictiùs dicitur quæcunque productio substantiæ perfectæ; sic distinguitur ab alteratione & augmentatione; sed hæc vtraque generatio est cum mutatione, quam S. Thomas excludit in præsenti. Tertiò igitur strictissimè dicitur *origo viuentis à viuente coniuncto secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei:* Quæ definitio ex varijs Aristotelis locis compacta traditur à S. Thoma hic, & latiùs in quarto contra Gentes cap. 11. ab omnibúsque communiter admittitur, & pro nostro instituto breuiter erit percurrenda.

Primò dicitur esse *origo viuentis*, hoc est vitalis, & præterea suppositi, vel naturæ præcedentis ab alio supposito, non partis procedentis à toto. Sic possunt excludi pili, vel vngues, vt notat 8.

Vasquez. Vasquez disput. 113. num. 2. licèt S. Thomas per vltimam particulam dicat excludi. Secundò dicitur *à principio*, scilicet actiuo, sic excluditur productio Euæ de costa Adami, quæ non fuit genita

Molina. ab Adamo vt notat Molina 1. p. quæst. 27. art. 2. Dicitur tertiò *à principio coniuncto*, ità videlicet vt generans intrà se vitaliter ex substantia sibi coniuncta formet semen, quo posteà producatur viuens. Quapropter Aristoteles 8. Ethicor. cap. 12. ait genitum semper esse coniunctum generanti. Hinc excluduntur productiones Angelorum, Adami, & ceterorum viuentium, quæ Deus creauit. Quartò dicitur *secundùm rationem similitudinis in natura specifica*, vt constat ea Aristotele 7. Metaphysic. textu 28. & 2. de anima textu 34. & 38. & 1. de generatione tex. 25. Hinc excludit S. Thomas non solùm productionem capillorum, sed etiam vermium, & similium, quæ in animalibus generantur, & potuissent etiam excludi per tertiam particulam.

Generatio muli non omninò secluditur, quoniam ex intentione naturæ verè intendebatur ibi 9.
similitudo in natura specifica; sed ex commistione seminum per accidens impeditur, & sic est generatio imperfecta, & quasi monstruosa, vt

Canariens. Caietan. Vasquez. notat Canariensis hic. Præterea Caietanus, & alij addunt definitioni hanc particulam *ex vi processionis*, quam Vasquez suprà num. 31. putat non esse necessariam, certè illam subindicat S. Thomas hîc art. 4. & quæst. 35. a. 2. & 4. contra Gentes cap. 11. fortasse verò illam non expressit, quia subintelligi poterat in ipsa definitione, vt docet

Suarez. Suarez lib. 9. cap. 1. num. 4. siquidem generatio debet tendere formaliter ad similitudinem, cùm sit communicatio formalis naturæ, vt talis est.

Hinc constat quomodo processio Verbi diuini 10.
sit formaliter generatio: nam est vitalis, & suppositi viuentis à viuente, iuxtà illud Matthæi 16. Matth 16.
Tu es Christus Filius Dei viui; & Ioan. 5. *sicut Pa-* Ioan. 5.
ter habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. Idem non à se, sicut Pater, sed *in se*, hoc est subsistentem, & completam, quoniam in Deo non est vita accidentalis, aut substantia partialis. Deinde est à principio coniuncto, ratione scilicet eiusdem essentiæ. Sic

Psal. 109. Psalm. 109. dicitur *ex vtero*, idem ex mea substantia, *& essentia genui te.* Demùm est secun-

Ioan. 1. dùm rationem similitudinis: nam Ioan. 1. dicitur Verbum, & hoc est quædam similitudo saltem

Sapient. 7. Ioan. 6. Hebr. 1. Colos. 1. intentionalis. Vnde Sapient. 7. dicitur *speculum claritatis Dei, & imago bonitatis illius* Ioan. 6. *Hunc Pater signauit Deus.* Hebræor 1. *figura substantiæ eius*; ad Colossen. 1. *Imago Dei inuisibilis.* Ex quibus colligitur habere Verbum ex vi suæ processionis similitudinem his metaphoris speculi, sigilli, figuræ, & imaginis significatam: Hanc autem similitudinem esse in natura eadem numero probat S. Thomas, quoniam in Deo idem

est intelligere, ac esse. Circa quam rationem multa dicunt posteriores Doctores; seligemus quædam pro maiori nostræ sententiæ confirmatione.

CAPVT II.

Quomodo ex vi generationis diuinæ similitudo in natura communicetur.

1. PRima sententia docet, sufficere ad propriam rationem generationis, vt aliquam similitudinem ex vi sua formaliter communicet; dummodo saltem per identitatem conferat similitudinem in natura; ideóque processiones Verbi diuini esse generationem, quia formaliter confert Verbo similitudinem intentionalem, & identicè naturam diuinam, seu similitudinem in natura diuina perfectissimam. Ita videntur sentire Caietanus hic art. 2. & infrà quæst. 35. art. 2. Ferrara 4. contra gentes cap. 11. Molina hic art. 2. & 3. disp. 4. Valentia puncto 4. & alij; dum probant processionem Verbi esse generationem, quia processio intellectus per se, ac formaliter tendit ad assimilationem; & ideò perfectissima intellectus vi sua profert perfectissimam similitudinem. Caietan. Ferrara. Molina. Valentia.

2. Hanc opinionem reiiciunt latè Canariensis hic 4. part. commentarij, & Vasquez disp. 113. cap. 6. argumentorum summa eò tendit, vt probent, inde sequi, Spiritum sanctum procedere quoque similem in natura Patri, ac Filio ex vi suæ processionis, quia perfectio dilectionis diuinæ non potest communicari sine diuina substantia, & natura propter identitatem, quam habet cum illa, sicut diuina intellectio, vel intellectus: nam sicut intellectus ex sua ratione solùm habet producere, vel communicare similitudinem intentionalem duntaxat, quæ prout talis est, non sufficit ad rationem generationis perfectæ, sed ea ratione intellectus diuini, vel increati habet producere similitudinem etiam in natura, quoniam est idem cum illa: sic similiter voluntas, licèt ex communi ratione voluntatis non habeat assimilationem; ex ratione tamen voluntatis diuinæ, seu perfectissimæ habet producere, seu communicare similitudinem in natura, quoniam est idem cum illa non minùs quàm intellectus, vt latè prosequitur Vasquez supra. Canarien. Vasquez.

3. Dicunt Aduersarij discrimen esse, quia de ratione Verbi est manifestare rem, quam persona per locutionem declarare contendit; Vnde quo perfectior est locutio, eo perfectior est manifestatio; & cùm hæc sit per similitudinem, perfectissimus manifestandi modus erit per perfectissimam similitudinem eum re manifestata. Perfectissima verò similitudo est in natura: ergo ea eo quòd intellectio diuina ex vi sua communicet aliquam similitudinem, sit vt intra genus etiam intellectionis communicet similitudinem in natura, quod non habet voluntas; ac per consequens identitas illa similitudinis in natura maiorem habet connexionem cum similitudine intentionali, quàm cum impulsu voluntatis. Vnde illa sufficiet ad rationem generationis, quod videtur approbare Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 5. num. 14. & 15. sed tandem refellit infrà cap. 6. num. 5. Nos verò sic impugnamus: Verbum diuinum non solùm manifestat essentiam diuinam, sed etiam relationes diuinas, & creaturas omnes æquè perfectè: Et tamen hæc manifestatio, seu repræsentatio perfectissima creaturarum non est per similitudinem in natura cum re repræsentata, nec repræsentatio paternitatis est per similitudinem realem in paternitate, sed solùm intentionalem: ergo similiter manifestatio quantumcunque perfectissima Deitatis erit vt sic per similitudinem intentionalem illius. Suarez.

Dices, ad perfectissimam rationem Verbi pertinere perfectissimam similitudinem, non solùm intentionalem, sed etiam in natura cum obiecto, non vtcunque cognito, vel terminatiuo solùm, sed cum obiecto determinatiuo; hoc autem respectu diuinæ cognitionis non sunt creaturæ, vel relationes diuinæ, sed sola diuina natura, quæ determinat primariò diuinum intellectum ad sui cognitionem; & deinde quasi secundariò ad cognitionem omnium perfectionum, quæ Deo insunt formaliter, vel eminenter. Contrà verò possumus in nostra sententia vrgere, quia non natura diuina, prout natura est, sed essentia diuina, prout condistinguitur à natura, est determinatiuum intellectionis diuinæ, vt diximus lib. 1. disp. 27. cap. 3. & per consequens Verbum diuinum solam præ se ferret similitudinem in essentia, quæ non sufficeret ad rationem perfectæ generationis petentis similitudinem in natura. Sed in omni sententia potest etiam impugnari, quia repræsentatio perfectissima intellectualis, siue obiecti terminatiui, siue determinatiui ad perfectissimam rationem Verbi nullo modo petit similitudinem in natura cum re repræsentata, vel cum specie determinante intentionaliter, sed solùm in esse intelligibili, vt constat in omnibus intellectionibus creatis; siue naturalibus, siue supernaturalibus, quæ perfectissimè repræsentent obiectum: nunquam enim pertingunt ad similitudinem in natura: Equidem ipsamet natura diuina per modum speciei perfectissimæ determinat intellectum ad visionem claram Deitatis, & tamen Verbum istud beatorum perfectissimum non repræsentat per similitudinem in natura. Si dicas id contingere propter impedimentum subiecti creati, quo secluso natura diuina vt getens munus speciei postulat determinare ad intellectionem sibi similem substantialiter. Contrà nihilominùs perurgemus. Ergo iam id habet à natura diuina, non præcisè, ratione determinationis intelligibilis, sed ratione subiecti increati, in quo intellectio per essentiam diuinam determinata necessariò debet identificari cum ipsamet Deitate: Quod equidem facile similiter est in voluntate diuina reperire: sic enim determinat ab essentia, & bonitate diuina ad amorem ipsius Deitatis, & personarum, vt debeat amare per amorem diuinum, & substantialem, & consequenter similem in natura diuina cum re amata. 4.

Secunda sententia fit Canariensis hic 4. part. commentarij, & Vasquez 5. disp. 113. cap. 7. qui particulam illam *in similitudinem natura* putant intelligendam non de similitudine, quæ prouenit ex vnitate naturæ, sed de similitudine, quæ sit imago producentis: nam eos, qui patrem exprimunt, dicimus verè filios, & eos, qui non exprimunt, dicimus filios non esse. Similitudo itaque duo dicit, nimirum primò, significat relationem fundatam in vnitate qualitatis, vel naturæ, quam habet albus cum albo, homo cum homine. Secundò, significat repræsentationem 5. Canariens. Vasquez.

actualem,

actualem, siue habitualem; quo pacto imago dicitur similis exemplari: hæ autem duæ similitudines ita sunt diuersæ, vt inuicem nonnunquam separentur: Nam 1. modo est ouum ouo simile, nec tamen illud repræsentat, species verò expressa hominis illum repræsentat, etsi non sit illi similis primo modo: repræsentare enim est facere cognoscere, ad quod non requiritur similitudo in natura, sed per modum imaginis. Ad rationem ergo Filij, seu generationis propriæ requiritur quidem similitudo in natura quomodocunque habeatur, siue ex vi productionis, siue non, sed aliunde proueniat, dum tamen producatur præterea terminus, vt imago producentis. In Deo autem solùm Verbum producitur, vt imago Patris, quia producitur ad repræsentandum, vt ipse
Idem. Vasquez ostendit disp. 145. cap. 5. referens pro hac sententia Nazianzenum, Athanasium, Anselmum & alios Patres, quatenus dicunt Verbum esse Filium, quia est imago, quod non habet Spiritus sanctus.

6. Hanc sententiam refellit Suarez lib. 11. de
Suarez. Trinit. cap. 5. num. 7. & cap. 6. à num. 10. notans in primis non distinguere Patres in Verbo diuino inter imaginem, & similitudinem habitam ex vi processionis. Vnde S. Thomas 4. contra Gentes cap. 11. probat rationem imaginis in Verbo ex processione secundùm rationem similitudinis, & ceteri Patres indifferenter vtuntur vtrolibet ter-
Augustinus. mino, docuitque Augustinus lib. quæstionum in Deuter. quæst. 4. ibi. *Si patri filius similis est, etiam imago rectè dicitur, vt sit pater prototypus, vnde illa imago expressa videatur.* Impossibile igitur est aliquem habere totam similitudinem sufficientem ad filiationem ex vi processionis, & carere ratione imaginis, quæ vel in filio necessaria est, vel processionem eius comitatur: Constat autem in filio quolibet, vt filius sit, solam similitudinem specificæ naturæ viuentis postulari: ergo qui hanc recipit ex vi processionis, habet consequenter quidquid necessarium est ad rationem imaginis.

Declaratur vlteriùs: Nam in filio triplex simi-
7. litudo potest distingui. Prima specifica. 2. indiuidualis. 3. accidentalis in lineamentis, colore, dispositionéque corporis, & hæc tertia indicat certè, quando adest, perfectionem accidentalem virtutis generatricis, & ad perfectionem accidentalem generationis confert; tamen non est de ratione generationis substantialis, nec semper reperitur in filiis, vt docet Aristoteles 4. de generat. animalium cap. 3. & experientia passim ostendit. Secundam certum est, quando reperitur, ad perfectionem indiuidualem generationis, & geniti conducere, ab ipsáque natura indiuiduali connaturaliter intendi, vt probat Aristoteles supra, sed adhuc non requiritur simpliciter ad rationem generationis cùm sæpè non sint filij similes parentibus in proprietatibus indiuiduis, vt docuit Aristoteles ibi, & euidens experientia testatur. Contra quam non potest Vasquez probare filium secunda, vel tertia similitudine carentem non esse propriè filium, & genitum substantialiter. Quare si constituat rationem imaginis in secunda, vel tertia similitudine, vel repræsentatione, proculdubio non erit talis imago de essentiali ratione generationis, licèt ad maiorem perfectionem accidentalem aut indiuiduam possit pertinere. Sola ergo similitudo specifica est simpliciter necessaria ad generationem primò & formaliter per se intenta, & per generationem formaliter communicanda, de qua planè loquitur Aristoteles 2. de anima tex. 49. dum ait. Finis autem est generare quale ipsum; & hæc est propria, & essentialis ratio imaginis in filio essentialiter requisita; quælibet autem alia, vel accidentalis, vel fictitia.

Dicunt Caoxienses, & Vasquez non omne 8.
quod procedit simile ex vi processionis repræsentare suum principium: nam ignis productus ab igne non repræsentat ignem producentem, nec est imago illius, quia non est similior illi, quam aliis: requiritur ergo ad rationem imaginis præter similitudinem producti cum producente intentio naturæ, vel generantis ad hunc finem directa, vt Filius Patrem repræsentet, quæ reperitur in Verbo, & non in Spiritu sancto. Sed contrà primò, quia non est de ratione imaginis, quòd sit similior suo principio, quam alijs: nam vnus homo potest æque, vel magis assimilari fratri, quàm patri suo, & tamen est imago patris, & non fratris. Similitudo ergo cum processione sufficit ad rationem imaginis, etsi iuxta communem vsum rebus homogeneis non tribuatur hæc denominatio; Illa verò intentio, quæ superadditur, vel est producendi simile in natura, & hæc quidem assequitur finem suum in generationibus perfectis, videtúrque sufficiens ad propriam rationem generationis, & imaginis, vel est producendi simile in indiuiduatione, aut in accidentibus, & hæc intentio sæpè non assequitur finem suum: nec est subinde ad substantialem rationem generationis, & imaginis necessaria, sed ad melius esse, vel ad perfectionem accidentalem, in quem finem intendi potest, & solet.

Vnde argumentor secundò, contra hanc par- 9.
tem, & simul contra præcedentem sententiam, quoniam vt docet S. Thomas hic art. 4. ad 3. loquimur de generatione diuina sumpta notione generationis ex creaturis: at in his nunquam reperitur generatio terminata formaliter ad similitudinem intentionalem, aut accidentalem, sed solùm ad naturalem, & specificam: Ideò enim processio Verbi vt sic non est generatio propriè, licèt formaliter terminetur ad imaginem & similitudinem intentionalem, vt constat in verbo creato; & aliunde filius in humanis eo est imago patris, & propriè genitus, quòd ea vi generationis accepit naturam per quam repræsentet patrem, & sit similis essentialiter ipsi, licèt non sit similis, nec repræsentet patrem indiuidualiter, aut accidentaliter: ergo proportionaliter in diuinis processio Verbi erit generatio propriè, non quatenus communicat formaliter similitudinem, aut repræsentationem intentionalem, & per identitatem confert similitudinem simul in natura: quia talis communicatio naturæ non est quasi formalis differentia intra rationem generationis, sed quasi materialis, iuxta suprà dicta cap. 1. Quare non potest illam reddere veram generationem formaliter; sed quatenus est substantialis imago Patris ratione diuinæ naturæ formaliter acceptæ per processionem istam Verbi diuini.

Itaque dico 1. de ratione perfectæ generatio- 10.
nis, vt sic, ac subinde de ratione quoque diuinæ generationis est formaliter & per se communicate similitudinem in natura. Vnde qui diuinam intellectionem virtualiter vel ratione ratiocinata distinguunt à natura diuina, cùm solum possint colligere, communicari per intellectionem identicè Filio diuinam naturam, non assignabunt

propriam

propriam rationem generationis in Verbo, quantumcumque desudent.

Probatur primò de generatione in communi ex Arist. 2. Phys. t. 14. Vbi ait. *Generatio via est ad naturam.* at via per se primò, & formaliter tendit in terminum: ergo formaliter tendit ad communicationem naturæ; & 5. Met. c. 4. ait. *Forma etiam est substantia: hæc autem est generationis finis:* ergo ad eam debet tendere formaliter: Idē habetur 1. Phys. text. 70. & 71. & 7. Metaph. text. 2. sæpèque alibi. Athanasius. Ideò Athanasius l. de definitionibus ait. *Inde natura dicta est quòd ita nata sit*, & infrà. *Dicta est natura à nascendo*; Primò, quia terminat natiuitatem; quæ est generatio viuentium. Confirmatur, quia finis generantis, & generationis est conseruare speciem media productione indiuiduorum eiusdem speciei: ergo tendit formaliter ad communicandam eandem naturam, saltem specie, vt sumitur ex Aristotele. 2. de anima text. 34.

11. Hinc constat particulam *similitudinem* in definitione capiendam esse de similitudine specifica ex vi generationis formaliter, quod apertè indicant Scholastici in 1. d. 4. dum exigūt ad generationem similitudinem in natura, præsertim S. Th. hic a. 2. & q. 33. a. 1. ad 4. aliisq; locis, & colligitur Genes. 5. ex Gen. 5. vbi de Adamo dicitur, *genuit filium ad* Chrysost. *imaginem, & similitudinē suam*, vel vt legit Chrys. hom. 21. in Genesim. Genuit secundùm speciem Rupert. suam, & secundùm imaginem suam. Rupertus hic ait. *Genuit ad imaginē, & similitudinem suam, scilicet homo rationalis rationalē, mortalis mortalem, & hoc idem de cæteris, quoscumque genuit, filijs & fi-* Augustinus. *liabus rectè dici potuit.* Notàtque Augustinus q. 4. super Deuteronomiò non dici hominē imaginem Dei genitam, sed factam, quia non est imago eiusdem substantiæ: Seth autē dicitur genitus ad imaginem, & similitudinem Patris sui Adami, quoniā eiusdem substantiæ, & naturæ erat cum illo; & quamuis Chrysostomus ibi explicet de similitudine morum eorundē cum Patre, hoc non est contra nos, quia pertinere potest ad perfectionem generationis accidentalem, aut indiuidualem, quæ in Seth maior eluxit, quàm in Caino; non tamen propterea Cainus cum sola similitudine specifica desinit filius, & genitus appellari propriè.

12. Probatur secundò de generatione diuina ex dictis, quia si omnis generatio creata ex ratione perfectæ generationis habet communicare primò & per se naturam, & consequenter ea, quæ naturam consequuntur, generatio etiam diuina ne sit imperfectior, quantum ad modum communicandi, debet formaliter, & per se primò communicare Filio naturam diuinam, & consequenter eius proprietates; nō inuerso ordine primò & per se formaliter intellectionē (quæ in aduersariorum sententia naturā supponit nostro modo concipiēdi) solúmque identicè, ac secundariò naturam diuinam: nam eodem modo communicabitur natura diuina per amorem, qui licèt non faciat similē repræsentando, facit tamen vnū affectiuè amātem cum amato; & sic in Deo, vbi perfectissimus est amor, faceret formaliter vnū. & simile in natura, & consequēter generaret, quod est contra fidem.

13. Veruntamen inter eos adhuc, qui fatentur similitudinem in natura formaliter esse communicandam ex vi generationis, varij variam assignant rationē generationis diuinæ. Sit ergo. 3. sententia Richard. Rich. Vict. lib. 6. de Trinit. c. 18. & seqq. docentis Filium esse debere imaginem, & similitudinem Patris, ita vt accipiat naturā à Patre, cum eadem virtute, ac potentia illam communicandi: Quare cùm Verbum in diuinis ex vi suæ processionis sic accipiat naturam à Patre, vt eam possit Spiritui S. cōmunicare; est Filius, & genitus: Quia verò Spiritus S. non sic accipit virtutem productricem ad intra, nec Filius, nec genitus est, sed procedens.

Richardum sequūtur Alensis 1. p. q. 42. memb. Alensis. 2. §. 1. & memb. 3. art. 2. ad tertium. Maior in 1. dist. Maior. 13. q. 1. Vbi talem definitionem generationis confinxit. *Est productio non de nihilo alicuius viuentis cognoscentis ab aliquo eiusdem naturæ numero, vel specie, siue res habeat esse, post non esse, siue semper habeat esse, sic scilicet quod res producta, quando est generatio, possit sic facere in productione, sicut res generans.* Prolixa sanè definitio, explicat tamen quæ licèt in communi definitione nō exprimantur, facilè intelliguntur; & addit postremam conditionem desumptā ex hac sentētia Richardi.

Si obijcias, mulus non potest producere alium, sicut ipse productus est ab equo: ergo non est filius equi; respondet Maior, satis esse si ex proprietate suæ naturæ competat illi generare, licèt ex aliquo accidenti impediatur, vt solet inter homines euenire; mulos autem per se ex intentione naturæ gigni habiles generationi; imò in Asia frequenter generare, vt narrat Theophrastus.

Qui hunc dicendi modum amplectuntur Moderni notant primò, dupliciter vsurpari naturam in sensu proprio. Primò communiter pro quidditate, essentiaue cuiusque rei. Secundò, strictè pro principio intrinseco producendi aliud viuens de substantia sua. Notant secundò cùm dicitur generatio fore in similitudinē naturæ, intelligi de natura non communiter, sed strictè sumpta, quasi in generatione viuentis non solum intendat generans assimilare sibi genitum in modo essendi, sed etiam in præcipuo modo operādi proprio viuentium, qui est vitaliter producere aliud viuens, ac subinde communicet formaliter naturam etiā strictè dictam; ita vt si viuens aliquod creatum procederet à viuente sine potestate communicandi alteri suam naturam, non esset filius, etsi de facto nulla talis processio reperiatur in creaturis. 14.

Hinc colligunt, Deitatem præcisam à relationibus, cùm non sit principium producendi ad intrà aliud viuens, non esse naturam strictè dictam, sed communiter sumptā determinarique in solo Patre per paternitatem ad esse principium gignendi, in Patre autem & Filio adesse principium spirandi, siue per relationem Spiratoris, siue per Paternitatē, & filiationem; de quo infrà: At in Spiritu S. per nihil determinari ad esse principium operādi ad intrà. Vnde licèt in omnibus personis Deitas sit natura communiter dicta, quia est omnium quidditas, & in omnibus est principium operandi ad extra, non tamen in omnibus est naturæ strictè dicta, sed solùm in Patre, & in Filio, qui simul cū Deitate accipit à Patre relationem spiratoris, & filiationis, quarum vna vel altera determinat Deitatem in Verbo ad esse principium spirādi Quare Verbum procedit, vt Filius, quia producitur similis Patri in essendo, & in producendo ex se aliud viuens, quod non habet Spiritus sanctus. 15.

Probant suam opinionem: nam Pater & Filius præter similitudinem quam habent in Deitate communem etiam Spiritui sancto, habent inter se, prout differunt à Spiritu sancto, quandam specialem conuenientiam in relationibus proprijs Patris, & Filij, vel in relatione Spiratoris sibi communi, tanquam in aliquo determi- 16.

naore Deitatem ad esse in illis principinm producendi ad intrà substantiam viuentem. Hæc autem specialis similitudo cùm sit in aliquo determinante essentiam ad esse naturam viuentem strictè, propriissiméque dictam, reddit absolutè Patrem, & Filium similes in aliqua ratione naturæ propria viuentium: ergo hæc maior similitudo, quam Verbum habet ex vi processionis, non autem Spiritus sanctus est sufficiens ratio, quare Verbum sit Filius, non autem Spiritus sanctus.

17. Vasquez. Suarez. Hanc sententiam reiiciunt S. Thomas infrà quæst. 35. art. 2. Vasquez 1. part. disp. 113. nu. 21. Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 6. n. 4. & meritò, quia supponit rem dubiam, quam non probat. Vnde eadem facilitate, qua asseritur esse de ratione generationis communicare talem similitudinem in principio productiuo substantiæ viuentis, poterit negari, dicique cum Vasquio suprà, non minùs fore filium, qui produceretur omninò impotens ad generandum, quam qui generare potest alium filium; nec Spiritum sanctum fore Filium magis quam nunc est, etiam si produceret aliam personam. Præterea vrget Vasquez. Filius in humanis producitur cum potentia producendi alium, non vtcunque, sed per generationem: at in diuinis Filius non producit alium per generationem: ergo in modo producendi Filius diuinus non est imago Patris, sicut in humanis. Respondent, de ratione Filij non esse similitudinem in omni modo producendi, quem Pater habet, sed sufficere, quòd procedat similis in natura strictè dicta, saltem aliqua compatibili cum tali filio: nam filium gignere alium est imperfectio incompatibilis cum diuina perfectione. Quapropter id non conuenit filio creato, quatenus filius est, vt sic, sed quatenus est creatus: at producere aliud viuens præscindendo à generatione, vel alia productione non dicit imperfectionem in filio humano pugnantem cum diuino; & ideò non conuenit humano, vt humanus est, sed est de ratione filij, vt sic, & per consequens Filij diuini. Quis autem non videat hæc omnia voluntariè, ac sine fundamento excogitari? cùm enim totum fundamentum huius sententiæ sit impositio huius nominis, *natura* ad significandum in rebus creatis principium gignendi, quia natura dicta est à nascendo, & accommodata principio natiuitatis, planè translata hac acceptione ad Deum, eodem sensu dicetur natura præsertim in ordine ad generationem; vnde saltem nō erit in filio, qui potentiam generandi non habet, natura sic strictè sumpta tam propriè, ac completè, sicut in Patre.

18. Vrgentiùs refellit hanc opinionem S. Thomas supra quia similitudo inter diuinas personas non est attendenda secundùm proprietates notionales; alioqui nec Verbum esset perfecta similitudo Patri. Siquidem in relatione filiationis non procedit illi similis. Dicūt esse similem in ratione principij spiratiui & licèt non sit ita similis Patri extensiuè, sicut filius humanus, qui est similis in ratione principij generatiui, est tamen similior quasi intensiuè, quoniam est similis in eodem singulari principio producendi: sed contrà, quia principium istud nihil est aliud, quam Paternitas in Patre, & filiatio in filio, cum vtraque enim identificatur illa ratio principij spiratiui: ergo cum Pater constituatur in ratione naturæ strictæ, ac propriissimæ quam isti assignant, non solùm per rationem principij spiratiui, sed potissimùm, & priùs ratione quodammodo per rationem principij generatiui; Filius non erit similis saltem adæquatè Patri diuino in tali natura, nec similior simpliciter, quàm filius humanus, quia diuinus licèt secundùm vnam rationem identificetur, secundum aliam distinguitur realiter, & differt, ac opponitur relatiuè cum natura Patris strictè sumpta. Quapropter in ipsamet ratione naturæ, quam ipsi confingunt, Filius est dissimilis Patri, magis quam similis ex vi processionis.

Præterea sequitur ex ista opinione naturam diuinam strictè sumptam constitui intrinsecè per notionalia, scilicet per paternitatē, & filiationem, ac subinde non esse communem Spiritui sancto, quod dissonat bonæ Theologiæ. Nec satisfacit moderna distinctio naturæ communiter dictæ, ac strictæ sumptæ. quia Patres, & Theologi sine distinctione aliqua damnant hæreticos dicentes in tribus personis non esse naturā eandem, quod signum est manifestum, naturam in diuinis significare semper aliquid absolutum essentiale, & commune; siquidem nullus Patrum meminit vnquam huius acceptionis naturæ, quā isti propriissimam iactitant, & formalissimam. Deinde si idem significat natura Filij diuini strictè sumpta, quod persona Filij: per filiationem enim constituitur in istorum sententia, sicut in ratione personæ, sic in ratione principij productiui alterius personæ; ac per consequens in ratione naturæ strictè sumptæ: ergo sicut persona Filij est terminus realiter productus per generationem; ita natura diuina erit terminus realiter productus. quam propositionem sub his terminis respuunt Theologi: quia natura diuina non producitur, sed communicatur. Qui verò negat absolutè naturam diuinam produci, negat planè in quouis sensu proprio id posse affirmari; nam ea est vis negationis. Ideò hæc propositio est falsa *Deus non generat*, aut *Deus non est genitus*, vt videbimus q. 39. quia negatio omnem modum proprium verificationis affirmatiuæ partis excludit. Sentiunt ergo Theologi cùm similes propositiones damnant, per hunc terminum *natura diuina* ineptè significari aliquid respectiuum, sed præcisè denotari in omni sensu propriè rem absolutam omninò. 19.

Denique negantibus Græcis processionē Spiritus sancti à Filio nunquam Patres, vel Theologi Latini obiecerunt, non futurum esse Filium, si non esset principium Spiritus sancti: nunquam ergo existimarunt inde pendere filiationem. Dicunt Aduersarij Concilium Florentinum in confessione fidei prioribus literis ad Græcos missæ sic asserere. *Credētes Spiritum sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est vt intelligant, Spiritum à solo Patre procedere, ac consequenter non esse filium. Qui autem proferunt Spiritum ex sola Patris persona procedere. hi proculdubio substātiam ab hypostasi separant, & partitionem nugantur diuinæ substantiæ, quod à veritate valdè alienum piè creditur.* Ergo sentiunt Patres Concilij non fore in Trinitate Filium vllum, si Spiritus sanctus à solo Patre procederet, quia videlicet nullus esset ei similis in virtute productiua ad intrà. 20.

Quidam hac pressi difficultate dicunt ibi literam esse mendosam, & ad libitum corrigunt, sed absque fundamento, vt benè opponit Vasquez 1. p. disp. 147. cap. 3. Respondetur ergo referre Patres in illis primis verbis sententiam Græcorum, qui cùm tres personas realiter distinctas fatentur in Deo, & vnicam solùm improductam, 21. Vasquez.

aliundéque dicerent, Spiritum sanctum non procedere à Filio, consequenter asserebant à solo Patre procedere, & adhuc non esse Filium scilicet Spiritum sanctum, sed hunc distingui realiter à Filio. Hinc ergo Concilium infert contra Græcos, partitionem diuinæ substantiæ, id est distinctioné in illa sine oppositione relatiua, quod reputat à ratione valdè alienoio. Videatur Vasquez suprà, & ipsum Cooeilium pauld inferius, vbi sic repetit idem argumentum ab ineonuenienti.

Idem. *Ne quisquam credendo Spiritum sanctum ex solo Patre procedere, tres in partes vnicam illam diuinam substantiam diuidi mente concipiat. Idcircò verbum ex Filióque necessarium in symbolo duximus esse.* Quare nihil fauet Cooeilium opinioni Richardi, potiùs ex Concilio sumitur cootra illam argumentum negatiuum suprà factum.

22. Sed ne io refellendis aliorum placitis ampliùs distineamur. Dico secundò, ex vi generationis diuioæ per intellectionem communicari Filio formaliter similitudinem in natura; quoniam intelligere Dei est ipsum esse Dei: Hæc est planè sentcotia, & ratio S. Thomæ, quam sequitur Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 5. & 6. num. 14. sæpéque alibi, & possumus in hunc modum formare. Intellectio diuina est de intrinseca constitutione diuinæ naturæ, & eius quasi vltima differentia, vt probatum est lib. 1. disp. 16. cap. 7. sed diuina intellectio communicatur formaliter Filio, seo Verbo diuino ex vi processionis per intellectum, vt constar ex supradictis disp. 2. cap. 3. & 4. ergo communicatur illi formaliter natura ex vi processionis, & pariter vtraque similitudo intentionalis, & naturalis. Vbi nota quòd similitudo, quæ est relatio realis, petit distinctionem in forma, quæ similis dicitur: at similitodo, quæ est fundamẽtum relationis, id est, vnitas, non petit eam distinctionem; imò eo maior est vnitas, quò maior identitas; De hac igitur intelligeoda est definitio generationis, non de prima. Videatur Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 8. numero. 7.

Suarez.

Idem.

23. Confirmatur nostra conclusio: nam in humanis perfectissima ratio generationis viuentium consistit io hoc, quòd vita substantialis, quæ est principium *quo*, & formale generantis (cùm generatio sit actio vitæ) communicetur formaliter per generationem, etiamsi gradus soperiores entis, substantiæ, corporis non sint ratio formalis vel geoerandi actiuè, vel terminandi generationem passiuè; sufficit enim quòd per talem generationem formaliter communicetur natura secundùm vltimam differentiam, & in ea genitum formaliter assimiletur generanti; sed io Deo non est nisi vita intellectiua per actualem intellectionem quasi per vltimum complementum essentiæ constituta: ergo formalis communicatio intellectionis requiritur, & sufficit ad perfectissimam rationem generationis diuinæ vitalis, quæ terminetor ad vitam intellectiuam Filij formaliter; ac subinde Verbum non modo procedit formaliter, vt simile in natura, & subinde generator propriè, sed etiam procedit simile generanti, vt generanti vitaliter: sicut enim Dei Vita intellectualis, quæ est diuina intellectio, quatenùs est de essentiali constitutione naturæ diuinæ, est principium *quo*, & ratio formalis tam intelligendi, quàm generandi in Patre; sic eadem prout terminatur relatione filiationis, est formalis ratio terminandi generationem, atque Filius per illam est similis Patri, vt generanti vitaliter vita essentiali.

24. Habemus ex his explicatam definitionem generatioois suprà traditam cap. 1. & vim rationis S. Th. planè perspectam, & facilem viam conciliandi Doctores & Patres quos Vasquez ea disp. 113. refellit: plores enim conspiraot ad similitudinem in natura ex vi processionis per intellectum declarandam; hæc autem constitui non potest, nisi diuina intellectio sit de essentiali naturæ diuinæ constitutione: cùm enim intellectio diuina sit generatio actiua, prout coniuncta paternitati; & vt coniuncta filiationi, quasi in produci generatio passiua, & in producto esse sit ipse terminus generationis; nullatenus colligi potest, terminum formalem huius generationis esse similem in natura, nisi diuina iotellectio sit de conceptu quasi specifico diuinæ naturæ: sicque capiendi sunt Alensis, Bonauentura, Richardus, & quicunque dixerùnt Verbum procedere per modum naturæ, vt aduertit Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 5. oum. 19.

Vasquez.

Suarez.

25. Habemus etiam solutionem primæ rationis dubitandi positæ cap. 1. nam ex oostra conclusione 2. constat quo modo per intellectionem vtraque similitudo intentionalis, & naturalis exhibeatur. Circà secundam rationem dubitandi quæri posset. An diuinæ processiones sint vniuocæ, vel æqoiuocæ? de quo variè loquuntur Doctores; Gabriel in 1. dist. 9. quæst. 2. docet partim esse vniuocas propter identitatem naturæ, partim verò æquiuocas propter distinctionem formalem relationum, & personarum. Durandos verò in 1. dist. 4. quæst. 1. Scotus dist. 7. Cumel hic art. 5. disp. 1. quæst. 5. dicunt esse simpliciter vniuocas; quooiam vniuocatio processionum attendenda est penes conuenientiam in natura, non in personalitatibus. Ego quidem reor Verbi generationem esse vniuocam formaliter ex vi processionis ipsius, cùm communicetur per illam formaliter natura diuina, quatenus natura est, ex qua similitudo, & vniuocatio pensanda est: nec enim in rebus creatis filius prodit patri similis in singularitate, nec Christos Dominus prodiit similis Matri suæ in personalitate, & adhuc sunt eorum generationes vniuocæ: Processionem verò Spiritus sancti, sicut ex vi productionis formaliter non communicat naturam diuinam, vt naturam formaliter, & primariò, sic ex sua ratione non habere vniuocationem fatetur Cumel. Mihi videtur sufficere ad rationem productionis simpliciter vniuocæ, quòd terminetur ad similem naturam, licèt materialiter & secundariò; quo pacto natura diuina est etiam termious processionis Spiritus sancti in sensu supradicto cap. 1. n. 4.

Gabriel.

Durand.
Scotus.
Cumel.

Idem.

DISPVT. IV.

An processio Spiritus sancti sit Generatio.



ITA est inexhaostum dioinarum pelagus processionum, vt discursu suprà facto nondum exhauriri videatur. Ideò specialiter adhuc de Spiritus sancti processione erit instituenda disputatio.

CAPVT I.

Quid sentiant alij.

Ioan. 1. & 3. Idem epist. 1. c. 4. Prou. 4. Colos. 1. Ambros. Suarez.

1. CErtum est de fide solam processionem filij esse generationem: Spiritum verò sanctum nec genitum esse, nec Filium. Probatur ex omnibus Scripturæ locis, vbi Filius dicitur vnigenitus Ioan. 1. & 3. & epist. 1. cap. 4. Nec obstat Salomonem etiam vocari vnigenitum Prouerb. 4. nam in homine potest primogenitus sic dici, quatenùs pro aliquo tempore vnigenitus fuit, vel per metaphoram ad exaggerandum eximium, & singularem amorem parentum erga illum. Neutra tamen ratio habet locum in Verbo diuino, siquidem & æternitate, & dilectione est illi æqualis Spiritus sanctus. Nec item obstat, dici Christum primogenitum omnis Creaturæ ad Coloss. 1. nam Ambrosius lib. 1. de fide cap. 4. Respondet, Genitum dici propter consubstantialitatem, primò propter æternitatem; Communior tamen expositio est, Christum vocari vnigenitum, vt Deum, primogenitum vt hominem, videatur Suarez lib. 1 1. de Trinit. cap. 5. num. 2.

Concil. Tolet. I. & II. Isidor.

2. Expressiùs hoc habetur in symbolo Athanasij, vbi dicitur Spiritus sanctus non genitus, sed procedens; Et idem docetur in Concilio Toletanò I. & II. Conueniunt vbique Patres. Quòd si Isidorus lib. 1. de summ. bon. cap. 3. dicit Filium esse tertiam Trinitatis personam, non loquitur de ordine originis, sed voluntaria numeratione, ac si diceret esse vnam è tribus personis. Astipulatur ratio, quia vel generatio Verbi propter suam infinitatem expleuit fœcunditatem Patris, vel non: si expleuit: ergo non dedit locum alteri generationi, aut Filio; si non expleuit; ergo non fuit infinita in ratione generationis, & qua ratione prima non expleuit, nec secunda expleuisset; & sic in infinitum procederent.

3. Maior est difficultas in assignanda ratione speciali cur processio Spiritus sancti non sit generatio; & potest argumentum in oppositum sic efformari. Generatio est processio viuentis à viuente coniuncto secundum similitudinem in natura specifica; sed processio Spiritus sancti est huiusmodi: ergo est generatio. Minor probatur, quoniam est viuentis a viuente coniuncto, cùm sit in eadem numero natura; & est ex vi processionis in similitudinem naturæ: ergo cōuenit illi definitio generationis. Minor, in qua est difficultas, probatur, primò, quia Spiritus sanctus ex vi suæ processionis est essentialiter Deus: ergo similis in natura suo principio. Antecedens probatur: nam ex vi processionis est persona diuina; sed persona diuina essentialiter est Deus: ergo ex vi processionis essentialiter est Deus: ergo similis in natura. Hæc vltima consequentia probatur; quia Deus vt Deus essentialiter, & formaliter includit Deitatem: ergo si ea vi processionis formaliter est Deus, ex vi processionis habebit formaliter eandem numero naturam diuinam cum Patre.

4. Probatur secundò eadem minor; quoniam amor diuinus essentialiter includit existentiam à se, cùm non sit ab alio: ergo existentiam illimitatam, & infinitam in ratione entis: ergo essentialiter debet includere omnes perfectiones absolutas, & essentiales; ac subinde diuinam essentiam constantem ex illis: ergo eius communicatio erit communicatio naturæ formaliter.

5. Probatur tertiò quia quæcunque processio diuina est formalis cōmunicatio naturę diuinæ: ergo processio Spiritus sancti est talis. Antecedēs probatur: nam ex productione personalitatis in natura manet ipsa natura communis, & communicata: ergo Spiritus sanctus ex vi productionis, qua eius personalitas producitur in natura, habet naturam sibi à Patre & Filio communicatam formaliter.

6. Probatur quartò quia Spiritus sanctus habet naturam diuinam, vt est de fide, & non à se: nam etiam est de fide procedere illum à Patre, & Filio: ergo habet naturam communicatam ab illis: ergo ex vi alicuius processionis, sed non alterius nisi spirationis: ergo hæc est productio tertiæ personæ, & communicatio diuinæ naturæ formaliter.

7. Probatur quintò: nam si hæc processio consideretur in genere productionis, vt sic, tendit formaliter ad communicationem similitudinis, cùm omne agens intendat producere sibi simile ex Aristotele 1. de Generat. text. 51. Si verò consideretur, vt est talis productio, per volitionem etiam tendit ad simile: sicut enim Verbum in nobis procedit simile speciei intelligibili, quæ est ratio agendi, sic etiam amor procedit similis voluntati, quatenus sicut hæc est inclinatio quædam in actu primo ad bonum conueniens, ita volitio est actualis inclinatio in actu secundo, ad obiectum conueniens.

Damascen. Athanas. Alij apud Suarium. August.

8. Multi Patres docuerunt, simpliciter esse credendum, processionem Verbi esse generationem, non ita processionem Spiritus sancti, nec rationem vllam discriminis requirendam. Sic Damascenus lib. 1. de fide cap. 10. fatetur se rationem ignorare. Athanasius Dialogo 3. contra Anomæos dicit, esse mysterium inuestigabile. Idem ferè Basilius, Nazianzenus, Acatius, Bernardus apud Suarium lib. 11. cap. 5. Augustinus lib. 3. contrà Maximinum cap. 14. & 54. dicit inter alia. *Distinguere inter hanc processionem & illam generationem nescio, non valeo, non sufficio.* Imò Anastasius Sianita lib. de rectis fidei dogmatibus dicit. *Non est tutum hoc inquirere, quod soli Trinitati cognitum est.* Hos videntur sequuti Magister in 1. dist. 13. Gregorius, Marsilius, Maior; Gabriel ibi, Valentia hìc puncto 4. Nec multùm discrepat Scotus in 1. dist. 13. quæst. 1. §. *Ad quæstionem*, dicens processiones Verbi, & Spiritus sancti esse primò diuersas, & seipsis ita differre, vt vna sit generatio; & non alia, nec aliam esse rationem exigendam.

Anastasius. Magister. Gregorius, & alij. Scotus.

Augustinus. Anselm. Basilius.

9. Potest tamen tripliciter quæstio procedere; Primò requirent euidentem rationem discriminis; Secundò congruentiam, quæ veritatem fidei credita, & cognita reddat faciliorem. Tertiò, rationem Theologicam fidei simul, & rationi nitentem. Primum constat esse impossibile, cùm sit mysterium hoc super ratione, & in hoc conuenimus cum supradictis Patribus, & Doctoribus. Secundum videntur intendere Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 15. & Anselmus in Monologio cap. 53. dum dicunt in Deo, quia Verbum procedit ab vno esse genitum & Filium. Sed quia Spiritus sanctus procedit à duobus; ideò nec genitum, nec filium esse: Nam qui procedit à duobus, vt Filius ab vno procedit sicut à Patre, & ab altero sicut à Matre, quod in diuinis non reperitur. Item Basilius lib. 5. contra Eunomium cap. 12. dicens Spiritum sanctum non esse dicendum Filium; ne sit in Trinitate filius Filij, & ita suspicemur esse infinitos, aut innumeros filios.

Demùm

Demum Athanasius, & alij quos refert, & refellit Vazquez 1. p. disp. 113. & non possumus excusare reducentes eorum rationes ad solam congruentiam, quæ quoquo modo leniat difficultatem mysterij.

8. Tertium inquirunt Scholastici præcipuè, licèt enim quidam oneri succumbant, vt vidimus; alij tamen non desistunt. Itaque Bonauentura in 1. dist. 13. quæst. 2. ad 1. Richardus ibi quæst. 1. art. 3. Alensis 1. part. quæst. 43. membr. 1. Notant, triplicem esse modum productionis secundùm voluntatem, quo pacto creatus est Adamus à Deo sic volente: Secundum præter naturam, quo modo Eua ex Adami costa formata fuit. Tertium secundùm naturam, quomodo Abel ex Adamo, & Eua productus fuit: Docent igitur generationem esse debere viuentis à viuente ordine naturæ non per voluntatem, aut præter naturam; ideóque processionem Filij esse generationem, quia est secundùm naturam, cùm sit per intellectum, non item processionem Spiritus sancti, quia est per voluntatem; ac subinde non vi naturæ, nec modo naturali. Sed reiiciuntur facilè, quia licèt processio Spiritus sancti, sit per voluntatem, non tamen est libera, sicut creatio Adami, sed modo tam naturali, id est, determinato ad vnum per modum naturæ; sicut processio Filij, Vnde ex hac parte non erit excludendus Spiritus sanctus à ratione Filij cùm procedat ex necessitate, ac immutabilitate naturæ sicut Filius.

Bonauent. Richard. Alensis.

9. Ideò Durandus in 1. dist. 6 q. 2. n. 16. fatetur Spiritum sanctum procedere per modum naturæ; si referatur ad virtutem producentem necessariò, & determinatè; At verò si referatur ad supposita, à quibus procedit, non produci per modum naturæ, vt producitur Filius, sed per modum voluntatis, quia procedere ab vno sufficienti per se ad talem productionem, est modus naturæ; & sic procedit Filius. Procedere autem à pluribus eiusdem gradus, & perfectionis, quorum quilibet per se sufficiens esset ad talem productionem, est procedere per modum voluntatis: tunc enim plures concurrunt ad eundem effectum voluntate solùm modificantes inuicem virtutem suam. Igitur Spiritus sanctus producitur per modum voluntatis, non naturæ; quare non generatur.

10. Sed impugnatur facilè: nam etiã in rebus creatis quando concursus duarum causarum est naturalis, & necessarius ad productionem, modus quoque operandi erit naturalis: Sed ita concurrunt Pater, & Filius ad productionem Spiritus sancti, nec potest quilibet per se solum sic spirare, nec attemperat voluntariè virtutem suam, sed exerit quantum potest: ergo ex ipsis Durandi principiis reuincitur eius sententia. Opinionem Richardi Victorini retudimus disput. 3. cap. 2. & pronum erit ex dictis alias improbare quas refert Albertinus tom. 1. in prædicamento relationis, Corollario 14. dubit. 2. Vel ad secundum modum, videlicet ad solam congruentiam referre.

Richard. Victor.

Albertin.

CAPVT II.

Vera sententia.

1. Communior ratio discriminis in hac materia est, quam tradit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 27. indéque hauserunt Anselmus in Monologio cap. 53. & S. Thomas hic art. 2. & 4. latiúsque in 4. contra gentes c. 19. nimirùm Verbum procedere per modum similitudinis, & imaginis, non ita Spiritum sanctum; sic possumus explicare ad mentem Thomistarum; sicut in creatis illa potentia, quæ tendit ad similitudinem cum producente, dicitur generatiua: quæ verò se habet vt inclinatio, seu impulsus, scilicet leuitas in igne, volitiuum in homine, non dicitur generatiua, sed appetitiua. Sic in Deo illa potentia videlicet intellectiua, siue intellectio, quæ sit ex se apta producere simile; magis accedit ad potentiam generatricem, quàm illa quæ solùm est appetitus, vel inclinatio. Ideoque persona procedens per intellectionem est Filius; non verò quæ procedit per volitionem. Ceterùm hæc ratio sic explicata videtur aptior ad secundum modum supra positum cap. 1. num. 7. quàm ad tertium: nam quidquid machinentur Thomistæ, dum à natura diuina virtualiter separent intellectionem, sicut & volitionem, non possunt formalem communicationem similitudinis specificæ magis in vna, quàm in alia processione defendere, vt vidimus disput 3.

August. Anselm.

2. Ideò pro D. Augustino, & S. Thoma dicendum est, similitudinem, quæ est propria diuinæ intellectionis, non solùm esse similitudinem infinitam in esse Intentionali, sed etiam in natura diuina formaliter; cùm intellectio diuina pertineat per se primò ad naturæ diuinæ constitutionem in gradu intellectuali. Quare processio per diuinam intellectionem, & per similitudinem eius intellectualem est formaliter communicatio diuinæ naturæ, ac per consequens generatio: Volitio verò diuina cùm ex proprio conceptu supponat intellectionem, ac subinde naturam diuinam iam constitutam, solùm est de illius substantiali complemento: ideóque processio per voluntatem ex vi sua formali nec similitudinem, nec naturam formaliter communicat. Hæc ratio nititur altero principio fidei docentis secundam personam esse Verbum, ac subinde Sapientiæ prolem; Tertiam verò esse amorem & germen voluntatis; alteroque principio metaphysico, quod probauimos suprà lib 1. disp. 16. c. 7. ostendentes ea diuina perfectione & actualitate diuinam intellectionem esse de constitutione essentiali naturæ diuinæ. Vnde conclusio videtur esse Theologica, si non euidens, valdè tamen probabilis, ac pertinens ad tertium modum positum suprà cap. 1. n. 7.

3. Confirmatur, quia si per impossibile diuinus amor esset realiter distinctus à natura diuina & solùm illi vnitus, Communicatio amoris solùm consequenter esset communicatio naturæ ratione illius vnionis: ergo quamuis solùm virtualiter distinguantur, cùm sit amor extra formalem constitutionem naturæ, communicatio illius non erit communicatio naturæ, sed solùm ratione identitatis. Antecedens declaratur exemplo consecrationis panis & vini: licèt enim vtraque habeat eundem terminum adæquatum, tamen prima formaliter ponit ibi corpus & concomitanter sanguinem, & animam. Secunda formaliter sanguinem & reliqua consequenter ratione vnionis. Consequentia ostenditur in Incarnatione Verbi, vbi licèt personalitas diuina virtualiter solùm distinguatur à natura diuina, tamen communicatio; qua formaliter Verbum communicat suam personalitatem huma-

nitati non est formaliter & proximè communicatio naturæ, sed solùm identicè: ergo similiter in præsenti cùm amor distinguatur virtualiter à natura diuina.

4. Possumusque maioris claritatis gratia duplex discrimen inter vtramque processionem assignare ab eadem radice proueniens. Primum ex ratione similitudinis, quoniam intellectio, quæ ex sua ratione est similitudo intentionalia in Deo, est de formali constitutione naturæ diuinæ, & ita formalis eius communicatio est communicatio similitudinis in eadem natura, & per consequens generatio. Ceterùm volitio nec ex sua ratione est similitudo, nec de constitutione diuinæ naturæ. Quare communicatio illius non est communicatio similitudinis formaliter.

5. Secundum discrimen sumitur ex modo participandi diuinam naturam, quia Verbum illam participat ex vi suæ processionis formaliter; At Spiritus sanctus non ex vi processionia formaliter, sed quasi materialiter, & identicè:
August. Hugo Vict. iuxta quod debent intelligi Augustinus 5. de Trinit. cap. 14. & Hugo Victorinus in summa sententiarum tract. 1. cap. 7. Dum dicũt, Verbum esse Filium, quia procedit, vt natus, Spiritum sanctum non esse Filium, quia procedit, vt datus: Vt enim verba discriminis non coïncidant cum assertione ipsa, non videntur in alio sensu capi
Athanas. Basilius. posse. Huc similiter reuocandi sunt Athanasius in epistola ad Serapionem, & Basilius lib. 5. contra Eunomium cap. 12. dicentes Spiritum sanctum non esse Filium, quia diuina natura totaliter per vnam generationem communicatur, nec admitti possunt in diuinis duo Filij, quin admittantur innumeri: Etenim vt efficax sit ratio, intelligenda est formaliter de communicatione naturæ, vt natura est: nam alioqui probaret, non esse in Deo nisi vnicam processionem substantialem.

CAPVT III.

Ratio difficultatis enodatur.

1. AD argumentum factum cap. 1. num. 3. negatur minor, ad cuius probationem negatur etiam minor, & ad primam eius probationem dicimus Spiritum sanctum ex vi suæ processionis esse Deum, esse personam diuinam, & habere naturam diuinam essentialiter, non tamen formaliter, quia formaliter talis processio solùm communicat amorem, & ad illum vt spiratum terminatur, cetera quasi materialiter, & identicè: sicut in humanis materia est de essentia compositi, & tamen non communicatur illi formaliter in productione, cuius terminus formalis est vnio, vel forma; immò in ipsa forma gradus superiores entis, vel substantiæ non sunt ratio formalis terminandi, sed solùm gradus specificus, & tamen essentialiter, licèt identicè communicantur. Stat ergo aliquid communicari, quod sit de essentia termini completi, & tamen communicari formaliter.

2. Nec ea eo quòd Spiritus sanctus non sit similia in natura ex vi processionis formaliter, sequitur, quòd non sit similis absolutè: nam ipsa processio formaliter sumpta quamuis talem similitudinem non conferat ex sua ratione formali, non tamen excludit eandem; imò confert quasi materialiter, & ratione identitatis realis inter amorem, & Deitatem. Quò nonnihil videntur collineasse Bannes hic dub. 1. ad 5. Bannes. & Cumel disp. 1. §. vltimo in solutione secundi argumenti & secundæ eius confirmatio- Cumel. nis. Atque ea his soluitur etiam quarta probatio.

Ad secundam probationem Respondetur in amore diuino claudi existentiam à se transcendentalem iuxtà suprà dicta lib. 2. disp. 16. cap. 8. Ceterùm ista ratio existentiæ est quidem illimitata in ratione existendi sine dependentia quapiam, & per identitatem cum omni perfectione simpliciter essendi, non verò dicit formaliter diuinam naturam, sicut nec natura dicit essentialiter voluntatem, sed tantùm vt attributum de substantiali complemento, de quo egimus ea disp. 16. cap. 7. Ad tertiam probationem negatur antecedens, ad cuius probationem Respondetur: ex productione tertiæ personalitatis in natura benè sequi naturam diuinam communicari realiter Spiritui sancto, non tamen sequitur quòd communicetur formaliter, quia sic solùm tendit ad communicationem amoris diuini: Vnde licèt Deitas, & amor per illam tertiam personalitatem subsistant, hic tamen est terminus formalis communicationis, & subsistit solùm per identitatem cum natura; hæc autem est terminus communicatus propter identitatem cum amore, licèt subsistat per se quatenus est intellectiua natura. 3.

Dices, in processione Spiritus sancti formaliter producitur personalitas, ac subinde formaliter producitur persona, vt persona. Sed personalitas vt personalitas respicit naturam, quam terminet, & persona formaliter includit naturam; ergo cum productione formali personalitatis & personæ formaliter communicatur natura, vt natura. Confirmatur, quia Spiritus sanctus ex vi suæ processionis est amor, non creatus: ergo increatus: ergo est entitas diuina: ergo Deus. Deinde persona est rationalis naturæ indiuidua substantia: ergo persona diuina erit intellectualis naturæ diuinæ indiuidua substantia vltimò completa, & terminata: sed Spiritus sanctus procedit formaliter vt persona diuina: ergo vt similia in natura. Minor probatur, quia procedit formaliter vt suppositum diuinum vltimò completum in ratione subsistentis: ergo vt persona. Antecedens probatur, quia procedit formaliter vt Spiritus sanctus, sed hic constituitur vltimò in ratione talis per relationem spirati, quæ relatio simul est formaliter subsistentia, & personalitas: ergo procedit formaliter vt suppositum, ac persona diuina, ac per consequens vt similis in natura. 4.

Respondetur ad argumentum, id quod producitur, esse relationem & personalitatem, sicut id quod communicatur, est amor & natura diuina, tamen sicut hæc non communicatur formaliter vt natura, sed vt amor, sic personalitas non producitur formaliter vt personalitas, sed vt ratio, vel existentia producta per se vt *quo*, ad hoc vt amor per illam terminet productionem, & habeat esse spiratum: nam sine aliquo denuo producto non posset spirari, ac produci. 5.

Ad confirmationem Resp. negãdo Spiritum sanctum esse personam, aut suppositum diuinum ex vi suæ processionis formaliter, sed solùm amorem 6.

diuinum

diuinum productum cum existentia à se transcendentali: Nam illa relatio, quæ simul est subsistentia & personalitas, id habet quatenùs terminat diuinam naturam; quòd autem terminet naturam, non habet ex vi processionis formaliter, sed ex identitate naturæ diuinæ cum amore, cui debet conferre esse productum & distinctum à producente. Quare sicut si per impossibile amor diuinus distingueretur realiter à natura, relatio spirati solùm referret amorem productum, non tamen supposítaret, aut personaret illum, sic consideranda est nunc talis relatio id solùm habere ex vi processionis formaliter, reliqua ex identitate naturæ cum amore.

7. Quòd si velis adhuc in illo casu talem relationem, vel existentiam productam vocare subsistentiam, quoniam esset existentia cuiusdam substantiæ diuinæ, ac subinde perfectissimæ in ratione essendi à se, & per se, poteris probabiliter admittere Spiritum sanctum procedere formaliter vt suppositum diuinum; non tamen vt personam: nam hæc dicit intrinsecè, & essentialiter naturam: at Spiritus sanctus solùm producitur vt amor subsistens, in quo natura non includitur essentialiter, sed solùm identificatur cum illo; eo subinde solùm procedit identicè Deus, & persona diuina; sicut substantia amoris identicè solùm esset personalitas tertiæ personæ in hoc modo dicendi; Per se autem ex vi processionis formaliter solùm esset subsistentia. Habes instantiam in subsistentia animæ rationalis, quæ prout terminat animam separatam, est subsistentia, nec tamen constituit formaliter personam, sed aliquid subsistens; vt verò terminat compositum, est personalitas, & est eadem in vtroque statu secundùm Thomistarum sententiam.

8. Ad quintam probationem constat ex dictis, amorem ex sua ratione non habere similitudinem; & licèt habeat eam, de qua in argumento fit mentio, cùm non sit similitudo in natura, non sufficit ad rationem generationis. Quòd si obiicias ex his omnibus sequi Filium Dei perfectiori modo esse Deum, quàm Spiritum sanctum, cùm ex vi formali suæ processionis habeat naturam diuinam. Resp. vtrumque essentialiter includere diuinam naturam, ac subinde æquiualenter in illa perfectione omnem etiam notionalem, & modum habendi talem perfectionem; & hoc sufficit ad omnimodam æqualitatem. Quòd verò formaliter ex vi processionis Filius habeat similitudinem, non verò Spiritus sanctus, solùm ostendit diuersum modum procedendi, & habendi eandem naturam.



DISPVT. V.

De processionibus diuinis.

TAMETSI S. Thomas de originibus, quæ sunt ipsissimæ processiones, disserat infrà, quæst. 41. quia verò hîc discutit numerum, & distinctionem, quæ vix possunt tradi plenè, nisi præcognita earundem quidditate hanc prosequemur in præsenti, vt semel processionum disquisitionem absoluamus.

CAPVT I.

Supponuntur quædam.

SVppono primò, processiones diuinas alias esse actiuas, quæ se tenent ex parte producentis, alias esse passiuas, quæ se tenent ex parte productorum; sic generatio actiua spectat ad Patrem, generatio passiua ad Filium; spiratio actiua ad vtrumque; spiratio passiua ad Spiritum sanctum. Processio Verbi dicitur generatio, & dictio, processio Spiritus sancti dicitur processio, sumpto nomine communi pro speciali defectu vocum, iuxta supradicta circa litteram articuli primi; Dicitur etiam processio tertiæ personæ spiratio, quia vox ista sonat operationem voluntatis; ita docent Augustinus 15. de Trinit. cap. 14. Anselmus in Monologio cap. 34. & S. Thomas infrà quæst. 34. art. 1. ad 3. quia de ratione Verbi est locutione produci tanquam actione, iuxta supradicta disput. 2. & de ratione amoris est produci quadam voluntatis actione, quæ in nobis non habet nomen, in Deo autem dicitur spiratio. 1. Augustinus. Anselm.

Suppono secundò, processiones istas propriè nec esse actiones, nec passiones, vt tradunt Doctores cum S. Thoma infrà quæst. 41. art. 1. & 3. nam actio & passio important mutationem de potentia ad actum; & ideò nec persona producens dicitur agere, vel causare productam, nec producta dicitur agi, aut pati à producente. Sed quia hæc imperfectio non sic apparet in nomine actionis, aut actus, sicut in verbo agere, aut pati; ideò Scholastici cum S. Thoma hic art. 1. 2. & 3. his vocibus actionis, & actus significant processiones, quas etiam appellant actus notionales, vt ab essentialibus distinguuntur. 2.

Suppono tertiò, processiones diuinas esse actiones immanentes, vt communiter docent Patres, & Theologi cum S. Thoma hic, dicentes has processiones esse ad intrà, & secundùm actus manentes intra Deum. Videatur Valentia hic punct. 3. Ratio est, quia tam ipsæ processiones, quàm ipsarum termini ex natura sua manent in producente: nam processiones actiuæ manent in producentibus, & passiuæ manent in personis productis, vt videbimus; Personas verò productas esse in producentibus docet fides Ioan. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris*, & cap. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*: ergo Pater producit Filium in se manentem; & 1. Corinth. 2. dicitur Spiritus Dei esse in Deo, quod explicans Athanasius in confessione fidei sic ait. *Spiritus sanctus progressio Patris semper est in manibus Patris & in manibus Filij.* 3. Valentia. Ioan. 1. & 14. 1. Cor. 2. Athanas.

Suppono quartò, processiones istas esse vitales, quoniam, vt dicemus, tam actiuæ, quàm passiuæ processiones includunt intellectionem, & volitionem diuinam, quæ sunt ipsissimæ vitæ intellectualis operationes. Vnde quæuis actiua processio non solùm est tendentia physica in terminum, sed simul intentionalis in obiectum: licèt enim mutatio physica, quia dicit transitum de non esse ad esse, non possit tribui Deo, tamen tendentia physica, quatenus abstrahit ab illa imperfectione, potest tribui Deo, quia verè producit personam distinctam, tanquam terminum physicæ productionis, seu tendentiæ. Processio verò passiua est vitalis, non vitalitate actionis, sed quasi passionis, 4.

quatenus passiuè producitur per illam, & vitaliter aliquid intrà ipsummet producens. Itaque sicut intellectio, & volitio notionalis non dicit distinctam rationem intellectionis, & volitionis ab essentiali iuxta suprà dicta disp. 2. Sed eandem determinatam per relationem; sic actus notionalis est vtique vitalis eadem vita essentiali, addita verò relatione; ita vt sic intellectio notionalis quatenus notionalis, est intellectio, & est talis intellectio propria Patris actiuè dicentis, Filiique passiuè dicti, sic quatenus actus notionalis sit vita, & talis vita propria Patris actiuè producentis, Filiique passiuè producti.

5. Sed contra dicta obijcies, Primò, de ratione operationis immanentis est, vt tam ipsa, quàm terminus maneat in operante: Sed hoc nulli conuenit processioni: ergo nulla diuina processio est operatio immanens. Probatur minor, nam in primis processio non est in producēte, sed in persona producta; actiua verò licet sit in producente, non tamen terminus eius prout requiritur ad vitalem operationē: ita enim est persona producta in producente, vt non sit actus illius dans illi aliquod esse in genere causæ formalis, quo pacto debet esse operatum in operante ad rationem operationis immanentis, sed solùm est in illa per identitatem naturæ, quo pacto producens etiam est in persona producta, quod non videtur sufficere ad immanentem operationem: sicut nec sufficit quòd actiua processio valeat in producente: nam in opinione asserente actionem transeuntem esse in agente, adhuc talis actio non est immanens nec vitalis; Quoniam ad vitalitatem operationis non sufficit quòd productio sit perfectio agentis per modum causæ formalis, sed requiritur etiam per modum efficientis; ita vt per illam agens aliquid in se producat, quo perficiatur. Sic ergo licèt processio actiua sit in persona producente, quia tamen solùm perficit illam formaliter, non autem actiuè, sicut perficit personam productam; ideò persona producens non videtur mouere se per illam, nec perficere eo modo, qui requiritur ad actionem vitalem, & immanentem.

6. Resp. concessa maiori, negando minorem, & ad probationem dicimus productionem actiuam, & passiuam, & terminum illius esse in producente, quantum sufficit ad operationem immanentem, & vitalem, quia generatio, & terminus genitus manet in Patre tanquam dictio mentalis, verbùmque dicentis; Spiritus sanctus manet in Patre, ac Filio tanquam impulsus amantium sese vicissim; quæ sunt equidem operationes immanentes, & vitales; Nec est de ratione operationis immanentis vitalis vt sic esse in producente per modum actus informantis, aut perficientis intrinsecè: Id enim prouenit in operatione creata ex imperfectione, quia viuens operatur ex indigentia perficiendi se ab intrinseco, & accipiendi aliquod esse formale à termino suæ operationis. Hæc autem imperfectio, & indigentia cessant in operatione vitali increata, de cuius ratione solum est, vt per illam viuens producat aliquid in se manens, etiamsi solum operetur ad perficiendam aliam personam.

7. Obijcies secundò, nam de ratione operationis vitalis physicæ est, vt per illam viuens iam constitutum in statu naturali sibi debito in instanti generatione operetur aliquid intra se, quod non pertineat ad naturalem constitutionem. Sed processiones diuinæ non sunt huiusmodi: ergo non sunt vitales. Maior patet; nam ideò potentiarum emanationes ab anima non sunt vitales, quia licèt per illas producatur aliquid intra producens, pertinet tamen ad statum naturalem sibi debitum in instanti generationis. Minor probatur, quia processiones diuinæ sunt naturales emanationes, quibus producitur aliquid pertinens ad naturalem constitutionem, nimirum duæ subsistentiæ, quibus constituitur subsistens triplici hypostasi, sibi connaturaliter debita: ergo non sunt emanationes viuentes constituti iam in suo connaturali statu, sed emanationes ordinatæ ad eius constitutionem; sicut emanatio personalitatis à natura Angelica.

Respond. concedendo maiorem, & negando minorem, ad eius probationem dicimus, licèt subsistentiæ productæ per diuinas processiones pertineant ad naturalem constitutionem Dei, prout supponit collectiuè pro omnibus personis; non tamen vt supponit determinatè pro persona producente per talem processionem, quia subsistentia producta per talem processionem non complet personam producentem, sed productam. Operatio verò ad intrà, de qua loquimur, non est Dei supponentis collectiuè pro omnibus personis; alioquin omnes generarent, & spirarent. Sed est Dei supponentis determinatè pro persona producente, quæ priùs origine, quàm producat, supponitur constituta in ratione personæ per propriam subsistentiam, & ita talis operatio est viuentis constituti iam in statu connaturali. 8.

CAPVT II.

Quid sint diuinæ processiones.

PRima sententia docet, processiones actiuas esse intellectionem, & volitionem. Ita Ferrara 4. contra Gent. cap. 13. Caietan. 1. p. q. 27. art. 1. Torres ibi art. 5. disp. 1. Vasquez disp. 112. Probatur primò ex doctrina Augustini, Fulgentij; & Anselmi asserentium dictionem includere intellectionem, & in summo Spiritu idem esse intelligere, ac dicere; & in Monol. cap. 58. appellat actum dicendi S. Anselmus intuitum, & cognitionem, consentit sanctus Thomas in hac quæst. 27. art. 5. dicens processiones accipiendas esse in diuinis secundùm intelligere & velle. 1.

Ferrara. Caietan. Torres. Vasquez. Anselmus.

Probatur secundò, quia Pater intelligit omnia Verbo, & Pater, ac Filius diligunt omnia Spiritu sancto, vt Patres loquuntur, sed non tanquam actibus intelligendi, & amandi essentialibus, vt per se constat: ergo tanquam terminis intellectionis, & volitionis suæ: ergo intellectio Patris, & volitio Patris, ac Filij sunt viæ, productiones, & tendentiæ terminatæ ad Verbum, & ad Spiritum sanctum. Vltima consequentia patet, & prima probatur; Nam si Pater non intelligit Verbo tanquam intellectione, nec tanquam termino intellectionis solùm cognoscet illo, vt obiecto repræsentante. Hoc autem modo non solùm Pater, sed etiam aliæ personæ cognoscent Verbo, quia Verbum omnibus personis repræsentat obiectiuè omnia. Sed Patres specialiter volunt Patrem intelligere omnia Verbo, seu in Verbo: ergo quia est terminus intellectionis illius. 2.

Secunda sententia docet processiones actiuas esse idem adæquatè cum relationibus producentium, 3.

tium, videlicet generationem cum paternitate, spirationem actiuam cum relatione spiratoris, & processiones passiuas cum relationibus productorum, scilicet natiuitatem cum filiatione, spirationem passiuam cum relatione spirati. Suarez. Sic Suarez lib.6. de Trinit. cap. 1. dicens esse communem Magister. Theologorum; & sic videtur docuisse Magister in 1.dist.26. dum ait *generatio, & natiuitas aliis nominibus sunt paternitas, & filiatio.* Sequitur Bonauent. Gabriel. Capreolus & alij. S.Thomas infrà quæst.41.art.1.ad 2.Bonauentura, Gabriel, Capreolus, Durandus, Scotus, & alij apud Suarium suprà. Probatur primò auctoritate Athanasius. Patrum, Athanasij dialogo 1. de Trinitate contra Damasc. Anomæos, Damasceni lib.1.cap. 10. & 11. Ambrosij, Fulgentij, Augustini, & aliorum apud Suarium lib.7.cap.6.qui nullum discrimen agnoscũt inter relationem producentium, & processiones actiuas, nec inter relationes personarum productarum, & processiones passiuas, siquidem pro eodem accipiunt esse Patrem, & esse genitorem; esse genitum, & esse Filium, nec solùm distinguunt personas relationibus, sed originibus: ergo processiones omninò coincidunt cum relationibus.

4. Probatur secundò, cum S. Thoma suprà, quoniam in creaturis actio solùm dicit mutationem cum relatione: ergo sublata mutatione, nihil potest esse actio nisi relatio. Sed á diuinis processionibus omnis mutatio secludenda est: ergo nihil remanet, quod possit esse generatio, vel spiratio, nisi relatio personæ producentis, vel productæ.

Probatur tertiò, quoad processiones passiuas: nam origo passiua est via ad terminum productum; Hæc autem in creatis est ipsemet terminus prout in fieri: ergo pariter in diuinis, vbi solùm producitur relatio, processio passiua erit ipsamet relatio, prout in produci. Confirmatur, nam generatio passiua est à Patre, saltem, *vt quo*, Nam est ratio, qua Filius à Patre procedit, ac subinde est respectus Filij ad Patrem distinctus a Patre; idémque erit de processione passiua Spiritus sancti respectu Filij: ergo processiones passiuæ sunt relationes personarum procedentium.

5. Tertia sententia docet processiones esse intellectionem, & volitionem in recto, connotare tamen relationes in obliquo, scilicet actiuas producentium, passiuas procedentium, ita Cumel Cumel. 1.p.q.41.a.1.disp.1.dicitque insinuari à S.Thoma de potentia 2. art. 5. probat primò in generatione actiua: nam actus notionalis, quo Pater producit Filium, est intelligere notionale Patris: sed intellectio notionalis dicit in recto intellectionem essentialem, ac subinde naturam diuinam connotando proprietatem Patris: ergo generatio actiua est intellectio connotando paternitatem.

Probat secundò, in spiratione actiua, quæ non potest esse relatio spiratoris, cùm hæc sit posterior secundùm rationem productione Spiritus sancti. Quare spiratio actiua non includit talem relationem in suo conceptu, sed connotat paternitatem, & filiationem dicens in recto vnicum actum realiter communem Patri, & Filio: ergo dicit in recto amorem essentialem connotatis relationibus in obliquo.

6. Quoad processiones passiuas probatur tertiò, quia sicut Pater habet producere Verbum per suam intellectionem, ita Verbum habet produci per eandem, vt est in illo à Patre recepta: ergo processio passiua Filij est intellectio essentialis prout in Filio, siue quatenus per illam accipit esse à Patre. Confirmatur ex creatis, vbi actio, & passio sunt idem realiter: nam idem est actus, quo agens se communicat, & quo effectus recipit esse: ergo proportionaliter in diuinis idem est actus, quo producens se communicat, & quo productus accipit esse communicatum.

Probatur quartò, quia commune est omni generationi passiuæ identificari formaliter termino generationis, id est formæ, vel naturæ rei genitæ. Sed in diuinis formalis terminus generationis est natura prout communicata Filio. Personalitas verò non est terminus *quo*, sed quasi conditio requisita in termino generato: persona enim est id quod producitur. Ergo natiuitas dicit in recto intellectionem, quæ est natura diuina, similitérque de intellectione licet argumentari.

Quarta sententia sit Molinæ 1.p q. 40. art. 2, 7.
disp. 2 membro 3. dicentis processionem dicere Molina.
relationem in recto, & in obliquo dicere intellectionem, & volitionem essentialem. Probat, quia productio debet esse rei distinctæ: sed in Deo non est distinctio realis sine relatione: ergo processio dicit relationem in recto. Ceterùm cùm in diuinis omnis productio præsupponat essentiam, & intellectionem, ac volitionem essentialem vt fontem, & principium remotum productionum, quod communicatur etiam per ipsas productiones, debet processio saltem in obliquo respicere intellectionem, & volitionem; ita vt per se processio actiua sit respectus eius, à quo alius; Passiua verò sit relatio eius, qui ab alio, connotando in obliquo intellectionem, & volitionem, quæ per processiones communicantur.

Quinta sententia docet processionem tam 8.
actiuam, quàm passiuam identificari conuertibiliter cum persona producta, & subinde distingui realiter à persona producente, atque ab eius relatione. Sic videtur sentire Scotus, quatenus po- Scotus.
nit processionem Verbi per actum dicendi identificatum cum Verbo, & distinctum realiter à Patre dicente, atque ab eius relatione; idémque diceret proportionaliter de amore; Videte illum in 1.dist.2.quæst.7. & quodlib. 1. conclus. 3.

Probatur primò, nam in creaturis actio, & passio non distinguuntur inter se realiter, & simul insunt termino producto, vt patet ex 3. physic. ergo proportionaliter in diuinis eadem processio habet duplicem respectum ad principium, & ad terminum. Quare processio Filij v. g. prout tendit ad Filium, erit natiuitas, & vt est à principio, erit generatio: Vtraque tamen ratio identificabitur adæquatè cum filiatione, distinguetúrque realiter à paternitate; nec interest ratio mutationis, aut dependentiæ reperta in creaturis, quia saltem concipitur in diuinis processionibus via quædam, vt docet S.Thomas 1. part. quæst. 40. cum duplici respectu ad principium, & ad terminum; ergo hæc vnica via, vt est à principio, est origo actiua, & vt est ad terminum, passiua; Tota verò identificatur cum termino producto secundùm rem.

Probatur secundò: nam agens non solùm est principium termini, sed etiam ipsius actionis, cùm ipsa quoque actio realiter egrediatur ab agente: ergo etiam Pater æternus non tantùm est principium Filij, sed etiam productionis actiuæ, qua Filius producitur; siquidem illa realis generatio realiter egreditur à generante, & per consequens habet

habet cum illo relatiuam oppositionem originis; cúmque talis processio per se primò terminetur ad relationem Filij; ipsa etiam erit relatiua; sine filiatio in fieri. Probatur tertiò: nam spiratio actiua quatenùs est relatio spirantis subsequitur productionem passiuam etiam Spiritus sancti, tanquam fundamentum sui: ergo spiratio non potest identificari cum relatione spirantis, sed spirati. Propter hæc & alia, quæ latiùs prosequitur

Suarez.

Suarez lib. 6. cap. 2. iudicat hanc opinionem non incommodam explicationi mysterij, & quibusdam Theologis dicitur placuisse.

10. In tanta sententiarum varietate, vt eas quodammodo redigamus ad concordiam. Dico primò, processiones actiuas, & passiuas includere intrinsecè, ac in recto tam intellectionem, vel volitionem, quam relationem cuilibet proportionatam: ita vt generatio actiua claudat intellectionem, & paternitatem; Natiuitas eandem intellectionem & filiationem; spiratio actiua volitionem, & relationem Spiratoris; spiratio passiua volitionem eandem, & relationem spirati. Crederem ex antiquis raros esse, qui ab hac conclusione positiuè dissentiant. Etenim Doctores primæ sententiæ, qui in processionibus actiuis intellectionem, & volitionem includunt, non excludunt relationes; imò expressè simul illas includunt Vasquez ibi num. 50. & Torres 3. p. disputationia.

Vasquez.
Torres.

11. Doctores verò secundæ sententiæ ita relationes includunt, vt non excludant intellectionem, vel volitionem: solùm enim contendunt origines identificari cum relationibus adæquatè, & non cum sola essentia. Ceterùm illa dicuntur adæquatè identificari, quæ ita sunt idem inter se, vt cùm cum quocunque vnum est idem, sit etiam aliud, & à quocunque vnum distinguitur, distinguatur aliud. In hoc igitur sensu identificantur processiones cum relationibus, & cum personis, vt ipsimet Doctores loquuntur, persona verò vtrunque dicit, relationem, & naturam. Similiter capiendi sunt alij Theologi, qui dicunt personas procedere per intellectionem, vel volitionem notionalem, vt talis est iuxta dicta disp. 2. Sed hæc includit essentialem, & addit relationem, vt ibi probatum est: ergo vtraque pertinet per se ad rationem processionis.

12. Quòd processiones includant intellectionem, & volitionem etiam in recto probant contra quartam opinionem argumenta primæ, & tertiæ, & Patres ibi relati præsertim cùm dicunt, Patrem intelligendo generare, & Filium nasci intelligendo; Item Patrem, & Filium amando producere Spiritum sanctum. Videatur Augustinus lib. de cognit. veræ vitæ cap. 16. vbi dicit, *summus Pater Verbum suum seipsum cogitando genuit*; & Suarez lib. 11. cap. 2. num. 3. asserit in locutionibus Patrum hanc sententiam contineri, Pater & Filius diligendo se inuicem producunt Spiritum sanctum. Sola verò Paternitas, aut filiatio, vel spiratio, quæ ex proprio conceptu non est intellectio, aut volitio, vel istæ solùm in obliquo connotatæ talem denominationem dare non possunt: Nec enim Pater intelligit Paternitate, nec sola connotatione intellectionis, sed intellectione ipsa, quæ sic versatur circa obiectum, vt etiam producat terminum quem simul respicit vt productum, & vt obiectum, ac subinde terminus producitur cognitione. Habent enim hoc peculiare notionales actus, vt versentur circa obiecta cognita, vel amata producendo simul, non quidquid cognoscunt, vel amant, sed aliquem terminum, quem simul intelligant, aut diligant; in quo cunctis intellectionibus, aut dilectionibus creatis antecellunt, vt rectè Vasquez 1. part. disp. 112. cap. 3. & 4.

Augustinus

Suarez.

13. Deinde processiones includere simul in recto, & intrinsecè relationem contra tertiam sententiam probant argumenta secundæ, ac præsertim de processione passiua constat, quia non solùm terminus principalis procedens ab aliquo debet distingui realiter à suo principio, vt Filius à Patre, sed etiam ratio procedendi, quæ simul procedit suo modo, & per seipsam à tali principio: ergo processio passiua non potest esse sola intellectio, vel volitio, quæ communis est tribus personis, sed debet includere simul in recto relationem, qua distinguatur intrinsecè à producente. De actiua etiam probatur: nam hæc non est communis omnibus personis, cùm non omnes generent vel spirent: ergo est quid proprium alicuius, vel aliquarum: sed nihil est in diuinis personis proprium, nisi relationes: ergo processio actiua debet includere relationem.

14. Nec sufficit connotatio, quia cùm Patres dicunt, personas originibus distingui, loquuntur per se de distinctione intrinseca, non solùm per eas connotata. Præterea rogo, illa connotatio relationum in natura est aliquid absolutum, aut respectiuum? si primum: ergo est commune omnibus personis, & consequenter insufficiens ad realem distinctionem illarum. Si secundum: ergo coincidit cum relationibus, & cum illarum oppositione, sine qua nihil est in Deo realiter distinctum. Insto in actibus liberis, qui licèt habeant diuersam connotationem, seu terminationem ab obiectum extrinsecum, tamen quia non includunt relationem realem, nec oppositionem relatiuam, nullam inferunt distinctionem realem nec inter se, nec à personis: ergo similiter quæcunque connotatio relationis si non est relatiuè opposita cum alia connotatione, ac subinde si non est relatiua, non sufficiet ad distinctionem realem processionum.

15. Vtramque inclusionem intellectionis, & relationis in generatione significauit Augustinus 15. de Trinit cap. 14. dicens, *Patrem dicendo se producere Verbum*. Nam dicere se, non significat producere se, sed intelligere se: ergo intellectio tantùm in Patre est generatio Filij, non tamen quæuis intellectio, sed ea, quæ est dictio, & ex supradictis disput. 1. includit etiam productionem, & distinctionem Verbi à dicente, ac subinde relationem realem producentis, & producti: Magis expressit Anselmus in Monolog. cap. 32. dum inquit. *Quis neget summam Sapientiam, cùm se dicendo intelligat, gignere consubstantialem sibi similitudinem?* Itaque Pater generat dictione, quæ respectu obiecti est intellectio, respectu termini productio actiua realiter ab illo distincta per relationem, quam includit: Filius autem sicut in esse producti claudit intellectionem, in qua est idem cum Patre, simúlque relationem, per quam realiter distinguitur à Patre; sic in produci claudit eandem intellectionem, vt in communicari, & eandem relationem prout in produci. Atque idem est proportionaliter de processione actiua, & passiua Spiritus sancti: Quæuis enim processio dicit duo. Primum est communicatio Deitatis, siue formalis, siue marginalis:

tialis: & ex hac parte claudit intellectionem, vel volitionem essentialem. Secundum est productio personæ distinctæ; & ex hac parte claudit relationem cum oppositione necessaria vt persona producens, & producta distinguantur realiter. Nec video quidquam in fundamentis aliarum opinionum, quod non confirmet hanc doctrinam, vel quatenùs videtur obstare, facillimè non dissoluatur ex dictis.

16. Consequenter dico secundò processiones actiuas, & passiuas non identificari adæquatè cum natura diuina, sed cum personis; ita vt generatio actiua sit idem adæquatè cum Patre, passiua cum Filio; spiratio actiua cum Patre, & Filio, passiua cum Spiritu sancto. Hoc planè intendit, & probat secunda sententia; nec videntur ceteræ dissentiri præter quintam. Prima pars nostræ conclusionis probatur, quia nihil notionale potest adæquatè identificari cum natura: nam hæc est communis, & non illud. Sed processiones sunt actus notionales, vt constat ex Patribus frequenter distinguentibus personas per origines: ergo non possunt adæquatè identificari cum natura diuina.

17. Secunda pars conclusionis in processione passiua facilè cernitur: est enim ordo saltem transcendentalis ad suum principium à quo realiter procedit: ergo non solùm includit communicationem naturæ vt in via, & in communicari, sed etiam relationem realem producti ad producentem, & per consequens identificatur adæquatè cum ipsa persona producta.

In processione actiua probatur contra quintam sententiam, primò auctoritate Patrum, quos citaui num. 3. dum per processiones actiuas distinguunt personas producentes à productis, planè per aliquid ipsis producentibus intrinsecum secernunt, non per solam denominationem quasi extrinsecam à processionibus existentibus in terminis productis: In humanis enim denominatio generantis arguit distinctam naturam in Patre, non tamen ipsa formaliter confert intrinsecam distinctionem: Vnde si generans per suammet realitatem aliàs non distingueretur à genito, per solam denominationem generantis intrinsecè non differret, sicut ipse generans hodie à seipso non generante heri non differt intrinsecè, nec realiter: Quando ergo Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1. probat distinctionem Patris à Filio, quoniam aliud est genuisse, quàm natum esse, supponit denominationem genitoris esse intrinsecam personæ Patris æterni: nam omnis distinctio realis à propria realitate desumenda est.

18. Secundò probatur ratione: nam hæc actiua processio non potest identificari adæquatè cum natura, vt suprà dictum est: ergo cum aliqua persona: Non cum producta: ergo cum producente. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia Pater v. g. non potest esse principium generationis actiuæ sicut est passiuæ: esset autem principium vtriusque si vtraque identificaretur cum Filio: Debet enim Pater esse prior prioritate reali *à quo* omni illo, quod ab eo realiter procedit; sed non potest esse sic prior generatione actiua: ergo non potest esse principium illius. Minor probatur, quia Pater constituitur in suo esse personali per relationem Paternitatis, quæ supponit, vel saltem comitatur generationem actiuam: ergo non potest Pater esse prior quam generatio actiua prioritate *à quo*, cùm ad esse Patris ipsamet actiua generatio sit necessaria. Debet igitur persona producens vt in sua constitutione sit independens à termino producto, & prior illo prioritate *à quo*, præhabere in se ipsa sufficiens quasi fundamentum relationis, per quam constituitur, ac subinde processionem actiuam secum identificatam, ita vt non expectet terminum productum ad sui constitutionem intrinsecam quasi prærequisitum, vt resultet relatio, sed solùm vt requisitum ad hoc, vt terminet; sicut etiam in humanis requiritur effectus ad esse actionis, & agentis, quatenùs agens est; & tamen actio & agens vt sic sunt quid prius effectu prioritate *à quo*.

Hinc facile soluuntur argumenta quintæ sententiæ, omissis quæ in Suario ibi citato videri possunt. Ad primum Respondetur, processionem tam actiuam, quàm passiuam quoad absolutum, quod important, scilicet intellectionem, aut volitionem identificari non solùm inter se, & cum termino producto, sed etiam cum persona producente propter infinitatem diuinæ naturæ, cum qua identificatur adæquatè intellectio, & volitio; tamen quoad relatiuum identificari non possunt, quia processio actiua in Patre, v. g. claudit paternitatem, quæ opponitur filiationi; & est manifestum discrimen quoad hoc in diuinis, ac in humanis, quod in humanis nullum agens constituitur intrinsecè in suomet esse personali per suam actionem, aut per relationem inde resultantem; At in diuinis Pater v. g. intrinsecè constituitur in esse personæ per relationem genitoris; atque ideò debet habere secum identificatum fundamentum talis relationis, & rationem fundandi relationem. 19.

Ad secundum, negatur antecedens in diuinis, licèt aliter eueniat in humanis ob discrimen nuper assignatum. Vnde persona non est reale principium processionis actiuæ, sed per illam personæ productæ, & passiuæ processionis. Ad tertium concedimus, relationem Spiratoris non pertinere ad constitutionem personæ, vt sic, Vnde posset quoad hanc partem sequi ex productione actiua, & passiua tertiæ personæ iam constitutæ, quod de facto admittit Suarez lib. 5. de Trinit. cap. 8. num. 7. Quia tamen putamus eam relationem intrinsecè pertinere ad potentiam spiratiuam, vt infra dicemus cap. 4. & talis potentia debet esse prior prioritate *à quo* termino producto, & eius origine passiua; consequenter debet secum præhabere identificatam spirationem actiuam, quasi rationem fundandi relationem, qua completur ratio potentiæ spiratricis, vt in simili de constitutione Patris philosophati sumus num. 18. 20. Suarez.

Dices, ea quæ sunt in inferioribus dispersa, vniuntur in superioribus: ergo multo magis quæ sunt idem in creaturis, scilicet generatio actiua, & passiua, erunt idem realiter in Deo; sicut si producens & productum non distinguerentur realiter in creaturis, nullum haberemus fundamentum distinguendi realiter in diuinis personam producentem a producta; imò à fortiori dicendum esset in Deo non distingui, cùm multa, quæ distinguuntur realiter in creaturis, identificentur in Deo, non è contrà. Respondeo, totam rationem identitatis in Deo sumi ab infinita perfectione diuinæ naturæ vel essentiæ, totam verò rationem distinctionis realis sumi ab oppositione relatiua. Quare quæ distinguuntur realiter in creaturis, si non inuoluant relatiuam oppositionem, erunt in Deo eadem indiuisibilis entitas; 21.

Quæ

Quæ verò talem oppoſitionem inuoluunt, diſtinguuntur realiter in Deo, ſiue diſtinguantur realiter in creaturis, vt producens, & productum; ſiue non diſtinguantur, vt generatio actiua, & paſſiua, quoniam in creaturis non dicunt oppoſitionem relatiuam, quam dicunt in Deo. Vbi proceſſio actiua eſt præerequiſita ex parte producentis, vel potentiæ productiuæ, vt ſuprà dictum eſt.

22. Hinc fit primò, proceſſiones actiuas eſſe in perſonis producentibus, paſſiuas verò in productis. Fit ſecundò, proceſſiones actiuas diſtingui virtualiter inter ſe, quia ſpiratio actiua communicatur Filio, & non actiua generatio; non tamen diſtinguuntur realiter inter ſe: nam idem eſt in Patre generatio, & ſpiratio actiua. Diſtinguere autem iſtas proceſſiones realiter non eſt contra fidem; imò nec, vt Suarez putat, temerarium erit, eas adæquatè identificare cum paſſiuis, iuxta quintam ſententiam. Tenendo tamen proceſſiones actiuas eſſe intellectionem, aut relationem paternitatis, & ſpiratoris, illas diſtinguere realiter eam cenſuram meretur, quam ſententia diſtinguens eas relationes, aut attributa inter ſe; de quo ſuprà lib. 1. diſp. 17.

23. Fit tertiò, generationem actiuam, & paſſiuam diſtingui ab intellectione diſtinctione rationis ratiocinatæ non præciſiua adæquatè, ſed inadæquatè: Idémque de ſpiratione actiua, & paſſiua reſpectu voluntatis, & de omnibus proceſſionibus reſpectu relationum, quas includunt.

24. Fit quartò, diſtingui realiter proceſſiones actiuas à paſſiuis ſibi correſpondentibus, ſcilicet generationem actiuam à natiuitate, ſpirationem actiuam à paſſiua: ſed à non correſpondentibus non ita: nam ſpiratio actiua identificatur cum natiuitate, quia non includit formaliter relationem oppoſitam cum illa.

CAPVT III.

Dari proceſſionum principia.

1. SVppono dari principium *quod* proceſſionum diuinarum, ſcilicet perſonam producentem: nam verè Pater eſt principium Filij, & vterque Spiritus ſancti, de quo communiter loquuntur Patres, & Concilia, cùm dicunt Patrem eſſe principium perſonarum ſine principio; Filium verò eſſe principium de principio. Dari verò principium *quo* per modum potentiæ productiuæ ad intra ſimpliciter negat Aureolus in 1. diſt. 7. quæſt. 1. art. 2. dicens perſonam producentem eſſe principium *quod*, proceſſionem verò actiuam eſſe principium *quo* per modum actionis, non potentiæ, quia non datur in Deo potentia phyſica ad generandum, vel ſpirandum, ſed ſolùm potentia logica, id eſt, non repugnantia, qualem habet etiam Deus ad eſſendum, vel intelligendum eſſentialiter. Aureolus.

2. Probatur primò, quoniam vbi non eſt verè productio elicita, verè non eſt potentia producens; Hæc enim eſt reſpectu producti media actione, vel productione à ſe elicita. In Deo autem non eſt productio elicita intra ipſum, quia productio actiua eſt omnino idem cum producente, ac ſubinde eſt improducta: ergo in Deo non eſt potentia phyſica ad intra, ſed ipſa productio eſt prima ratio, à qua eſt perſona producta.

Probatur ſecundò, quia pater non habet potentiam phyſicam ad hoc vt ſit pater. Sed ſolùm potentiam logicam, alioquin poſſet producere ſuam paternitatem; ſed conſtituitur in eſſe patris generatione actiua: ideò enim eſt pater, quia generat: ergo non habet potentiam phyſicam ad generandum, ſed logicam; & ſicut eſſe patrem non eſt actus alicuius potentiæ phyſicæ, ſed logicæ, ita eſſe filium non erit actus potentiæ phyſicæ, ſed logicæ.

Probatur tertiò: nam omnis potentia productiua poteſt concipi vt productiua, quin concipiatur vt producens, hoc autem repugnat Deo ad intrà; alioquin poſſet perſona producta concipi, vt producibilis, & poſſibilis, quin concipiatur, vt producta, & exiſtens, quod repugnat Deo, cui ſic eſt eſſentialis exiſtentia, vt ſine illa concipi non poſſit quidquam diuinum.

3. Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 7. quæſt. 1. art. 1. ad 1. Aureoli, huius primo argumento conuictus aſſeruit in Deo non dari potentiam realem reſpectu actuum notionalium, ſed tantùm reſpectu perſonæ productæ, cui conſentiunt quoad hoc Capreolus ibi quæſt. 1. art. 2. ad 2. Aureoli contra primam concluſionem. Caietanus, Canarienſis & Molina quæſt. 41. art. 4. dicentes in Deo non eſſe potentiam ſecundùm rem reſpectu generationis, aut ſpirationis actiuæ ſecundùm ſe ſumptæ, quia proceſſiones actiuæ non diſtinguuntur à perſonis producentibus; dari tamen potentiam ſecundùm rem ad generandum Filium & ad ſpirandum Spiritum ſanctum. Gregorius, Arimin. Capreolus. Caietan. Canarienſ. Molina.

4. Probat Molina, quoniam vbi productio non eſt actio, ſed reſpectu eius, a quo alius, ſignificatus per modum actionis, non datur potentia comparatione productionis, ſed reſpectu termini, vel rei productæ: ſed inter diuinam perſonam producentem, & productam non mediat actio, quæ elidatur à producente, ſed ſolùm relatio producentis, aut producti per modum actionis: ergo potentia realis in Deo ſolùm eſt concedenda reſpectu perſonæ productæ non verò reſpectu productionis; & ita videtur ſentire S. Thomas 1. part. quæſt. 25. art. 1. ad 3. vbi concedit in Deo potentiam creatiuam in ordine ad effectum, non tamen in ordine ad operationem: nam operatio Dei (inquit) non diſtinguitur ab ipſa potentia Dei, ſed actio Dei *eſt diuina eſſentia* & quæſt. 41. art. 4. ad 3. dicit, ſi potentiam ponimus creandi in Deo, ità poſſumus ponere potentiam generandi, vel ſpirandi.

5. Dico primò, in Deo dari propriè realem potentiam & principium *quo* per modum potentiæ ad generandum, & ſpirandum. In hoc conueniunt Theologi contra Aureolum. S. Thomas quæſt. 41. art. 4. & in 1. diſtinct. 7. quæſt. 1. art. 1. & de potentia quæſt. 2. art. 1. Magiſter in 1. diſtinct. 7. Capreolus, Caietanus, & Molina ſupra. Vaſquez diſp. 163. cap. 2. Suarez lib. 6. de Trinitat. cap. 5. Cumel. 1. p. quæſt. 41. a. 4. diſp. 1. Vbi citat Auguſtinum, & Ariſtotelem. Probat S. Thomas: nam omne producens producit aliquo ſui, & hoc vocamus potentiam. Sed reſpõdet Aureolus, Deum producere aliquo ſui, vt productione, non vt potentia. Probat Cumel; quia Patres ſæpe dicunt ad perfectionem Patris æterni pertinere, vt poſſit generare: ergo & habere potentiam generatiuam. Reſpondet Aureolus habere potentiam logicam, non phyſicam. Probat Molina, quia Scriptura ſignificat, & Concilium Lugdunenſe, Magiſter. Capreolus. Caietan. Molina. Vaſquez. Suarez. Cumel.

ac

ac Florentinum docent in Deo esse principium generandi & spirandi, loquunturque de principio reali, non per solam potentiam logicam, vel non repugnantiam terminorum: ergo per potentiam physicam. Sed responderet Aureolus esse sermonem ibi de principio *quod*. Vrgeri tamen potest: nam in Florentino non solùm dicitur, Patrem esse principium generatiuum, sed etiam sessione vltima in prima confessione fidei Latinorũ additur. *Credimus Patris, & Filij vnam esse communem potestatem producendi Spiritum sanctum.* Potestas autem non sonat principium vt *quod*, nec potentiam logicam, sed physicum principium *vt quo*.

6. Probatur secundò ratione, quia persona producens est principium *quod* physicum personæ productæ: ergo habet principium *quo* physicum: nam omne principium *quod* habet principium *quo*. Hoc autem inductione constat, esse distinctum à productione quatenùs productio est, quia principium *quo* idem est quod potentia, seu virtus, qua instructum aliquod agens operatur: principium verò *quod* dicit totũ ipsum quod hac virtute prædictum producit aliud. Nullum autem agens datur productiuum alicuius rei, quod non habeat virtutem ad producendam illam: Et aliud quidem est posse producere rem, aliud producere de facto: ergo principium *quo* secundùm se diuersum est à productione præcisè, vt est productio: nam illud est potentia productiua: productio verò dicit viã, & tendentiam actualem ad dandum esse termino. Igitur in diuinis productio ad intrà, quatenus productio, præcisè non constituit personam in ratione principij *quo*, sed vt habet adiunctam rationem potentiæ productricis; ac subinde præter productionem debet dari potentia physica, siue sit eadem realiter cum productione, siue aliquo modo diuersa, vt videbimus. Confirmatur quoniam actus secundus supponit primum, sed ista productio est, & concipitur ad modum actus secundi: ergo requirit aliquid, quod concipi possit per modum actus primi; & hunc vocamus principium *quo*, seu potentiam.

7. Si petas, quam sit certa nostra conclusio: Cumel dicit sententiã Aureoli non esse tutam. Molina censet non solùm esse singularem in re valdè graui, sed etiam parum cõsonam Scripturæ, Conciliis, & rationi, Vasquez erroris insimulat. Alij nulla censura notant: imò dicunt non esse improbabilem. Ego existimo Aureolum non tam errasse negando potentias distinctas à processionibus actiuis, quàm negando potentias absolutè, quia supposito, quod concedit personas ab actibus notionalibus emanare. Debuisset asserere actus ipsos esse potentias: nam entitati cui conuenit, vt aliquid oriatur ab ipsa, non potest non conuenire ratio potentiæ productiuæ, licèt aliunde conueniat eidem ratio productionis.

8. Dico secundò, admittendam esse potentiam productiuam realem in Deo, non solùm respectu personæ productæ, sed etiam respectu processionum. Sic videtur sentire S. Th. 1. p. q. 41. a. 4. nam cùm in titulo quæsiisset, vtrùm esset in Deo potentia respectu actuum notionalium, in corpore diuersis verbis eandem concedit. Et ad tertium respondet, in Deo esse talem potentiam respectu illarum actionum, secundùm quas res aliquæ procedunt à Deo distinctæ, vel essentialiter, vel tantùm personaliter; cùm tamen ibidem dicat nõ esse talem potentiam respectu operationis immanentis essentialis: Nec aliud dicere voluit locis in contrarium adductis: solùm enim negat potentiam secundùm rem respectu operationum immanentium intellectus, & voluntatis diuinæ, intelligens essentiales, non verò notionales.

Ratione probatur facilè in nostra sententia, quia potentia productiua notionalis non solùm est principium *quo* personæ productæ, vt prima conclusione probatum est, sed etiam processionis passiuæ, per quam persona procedit: nam talis quoque processio realiter procedit, vt diximus cap. 2. num. 13. & 16. ergo datur realis respectu processionum passiuarum, quod videtur docere, probareque. Vazquez disp. 163. cap. 2. Ceterum respectu processionum actiuarum vel concede potentiam realem absolutè, scilicet ad producendum aliquid per ipsas, etsi tales processiones non producantur, quo sensu loquitur Cumel. 1. part. quæst. 41. art. 4. disp. 1. vt vel sic simpliciter affirmes cum S. Thoma potentiam ad actus notionales, in quibus includitur vtraque processio actiua, & passiua; Vel nega talem potentiam ob rationem Molinæ, Canariensis, & aliorum suprà num. 3. & 4. qui hoc fortassis duntaxat contendunt; nec videtur esse dissensio nisi de voce. 9. Vasquez. Cumel.

Ad primum Aureoli Respondeo, satis esse distinctionem realem inter productum, & producentem, vt in hoc ponatur potentia productiua realis respectu personæ productæ, & respectu productionis passiuæ, quæ quodammodo mediat ratione nostra, licèt idẽtificetur cum suo termino: & quia talis potentia nequit elicere processionem passiuam, nisi per actiuam; ideo dici potest principiũ producendi actiuè, id est, à quo per productionem actiuam manat passiua, & persona producta; Ad quod per accidens est, quòd actiua procedat etiam à producente, sicut procedit in creaturis ob identitatem cum passiua, vel quod non procedat, sicut in Deo non procedit ob identitatem cum producente; ac subinde per accidens est potentiæ productiuæ, vt sic, esse vel non esse principium productiuum processionis actiuæ. 10.

Ad secundum respondeo, probare, non esse in Patre potentiam productiuam generationis actiuæ, qua constituitur in esse Patris, cum hoc tamen stat, dari potentiam productiuam generationis passiuæ, qua filius constituitur in esse Filij: Vnde negamus illud *sicut*: nam esse Filium est actus potentiæ physicæ Patris, esse verò Patrem est actus solius potentiæ logicæ; ideoque propositiones significantes virtutem productiuam paternitatis, aut generationis actiuæ sunt falsæ; propositiones verò significantes potentiam productiuam generationis passiuæ, vel filiationis sunt veræ. 11.

Ad tertium respondeo, sicut essentia creata potest concipi sine existentia, quia potest non esse, secùs increata, cui repugnat non esse, sic vis productiua termini creati, cùm possit saltẽ diuinitùs ab operatione cessare, potest concipi sine actione, secùs potentia productiua termini increati, quæ nec de potentia Dei absoluta potest ab operatione vacare, nec distinguitur realiter ab actiua processione, nec cõstituitur sine illa, nec sine relatione ad terminũ productũ, vt dicemus capite sequenti; Aliud est enim potentia, aliud esse in potẽtia, primum dicit solam virtutem agẽdi, siue repugnet illi priuatio actionis, siue nõ repugnet. Secundum dicit virtutẽ agendi sub priuatione, vel præcisione actus; De ratione autem potentiæ productricis vt sic non est esse, vel concipi in potentia, 12.

siue negatiuè, negando illi actum, siue præcisiuè, præscindendo ab actu: nam id solùm est de ratione potentiæ productiuæ termini creati. Ratio verò potentiæ productiuæ termini increati dicit aptitudinem, & fœcunditatem principij à quo procedat persona producta, nec vnquam est, aut concipi potest esse in potentia negatiuè, vel præcisiuè propter identitatem cum productione actiua, & oppositionem cum termino. Fundamentum Molinæ, & Thomistarum conclusione secunda explicatum, & expeditum est.

CAPVT IV.

Principia, & termini processionum expediuntur.

1. Bonauent. Durand. MAior est difficultas, quid sit hæc potentia productiua notionalis.

Prima sententia sit Bonauenturæ in 1. dist. 7. quæst. 1. & Durandi ibi quæst. 2. dicentium, esse solam relationem personæ producentis, videlicet potentiam generatricem esse paternitatem, & potentiam spiratiuam esse relationem spiratoris. Probatur, quia proprius actus est à propria forma: sed generatio est proprius actus Patris: ergo est à propria forma Patris; Hæc est Paternitas & non essentia, quæ est omnibus communis: ergo sola relatio est potentia. Confirmatur, quia principium *quo* debet esse realiter distinctum à principiato; sed sola relatio producentis distinguitur à persona producta: ergo sola relatio est principium *quo*. Accedit Augustinus de fide ad Petrum cap. 3. dicens. *Generatio est opus paternæ*
Athanasius. *proprietatis*, & Athanasius Dialogo de Trinitate contra Anomæos pag. 659. asserit. *Patrem hypostasi sua gignere.*

2. Secunda sententia sit, hanc potentiam esse solam essentiam, etsi requirat relationem, vt conditionem ad producendum, ita Scotus, Gabriel, Caietanus, Marsilius, Capreolus, Ægydius Romanus, & plures Thomistæ, quos re-
Suarez. Comel. ferunt, & sequuntur Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 5. num. 6. & Comel. 1. parte. quæst. 41. art. 5. disp. 1. Probatur primò ex S. Thoma 1. part. quæst. 41. art. 5. dicente potentiam generatiuam esse diuinam naturam in Patre. Prætere-
Ioan. Theol. reà Ioannes Theologus in Florentino sess. 18. dicit, *Filium ex Patre, & ex Patris substantia generari, ita vt Pater sit generans; principium autem quo ipsa persona generat est id quod solùm communicabile est*, Idemque repetit sess. 19. At illa particula *solùm* excludere videtur à ratione potētiæ relationem, & quidquid fuerit notionale.

Probatur secundò, ratione S. Thomæ: nam
3. in omni productione illud est principium *quo* in quo productum assimilatur producenti: sed hoc est natura in diuinis personis: ergo natura est potentia; alioquin (vt infert Scotus) productio Filij foret æquiuoca, siquidem Filius non esset Patri similis in principio producendi; quare non esset perfecta generatio. Confirmatur: nam per id Pater est formaliter potens ad generandum, per quod est fœcundus; habet autem fœcunditatem non à relatione, quæ non est actiua, nec communicabilis, sed à natura, quæ propter suam infinitatem est communicabilis: ergo natura est formale principium. Vt autem hæc potentia sit propria personæ producentis, debet includere proprietatem Patris, saltem vt conditionem necessariam ex parte producentis.

Tertia sententia sit Vasquij, qui 1. part. disp. 4.
164. reiecta sententia Scoti docet cap. 3. po- Vasquez.
tentiam notionalem includere diuinam essentiam in recto, connotaréque relationem in obliquo; ita vt proprietas personæ non solùm sit conditio requisita, vt potentia exeat in actum, (quod dicebat secunda sententia) sed etiam vt sit formaliter potentia, subindéque nomine potentiæ connotetur essentialiter in obliquo; & in ipsius conceptu contineatur. Hanc dicit esse sententiam Thomistarum, quos secunda sententia per se refert, & videtur illam tenere Mo- Molina.
lina 1. part. q. 41. art. 5. concl. 3. dicens, essentiam sine relatione non sortiri rationem potentiæ; atque S. Thomas ibi concludit, *Potentia generandi significat in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem.* Probatur, quia natura est communis: ergo debet modificari, seu determinari per proprietatem, saltem in obliquo connotatam ad rationem potentiæ propriæ talis personæ.

Quarta sententia docet, essentiam & relationem simul esse potentiam notionalem; ita qui- 5.
dam apud Durandum suprà, dicentes, æqualiter pertinere vtramque ad rationē potentiæ Henricus verò quodlib. 3. q. 3. & in summa, a 57. q. 7.
vtramque dicit per se directè, ac in recto requiri, Henric.
principaliùs tamen proprietatem, quia principaliùs requiritur in productione distinctio, quam similitudo producti. Valentia tom. 1. disp. 2. q. 15.
punct. 2. citans Richardum, Albertum, & Augo- Valentia.
stinum absolutè docet potentiam generatricem esse adæquatè, & completè essentiā, intellectum, & relationem Paternitatis; atque potentiam spiratricem esse essentiam, voluntatem, & relatio-
nem spiratoris. Albertinus tom. 2 in prædica- Albertin.
mento Relationis corollar. 11. dubit. 2. num. 6. censet, relationem intrinsecè integrare vnum principium cum essentia; non quia influat, (quippe totum influxum physicum, & realem refundit in essentiam) sed quatenus confert ad distinctionem realem à termino producto.

Notandum est in hac quæstione, sicut in si- 6.
milibus aliis, nomine essentiæ, vel naturæ non solùm intelligi Deitatem, vel naturam diuinam proprissimè sumptam, sed quamcunque perfectionem absolutam, vt condistinguitur à relatione, quemadmodum hac voce *essentialiter*, vt opponitur notionali sæpiùs vtitur Augustinus; & sic exponitur à S. Thoma In 1. distinct. 33. art. 1. quæstiunc. 1. ad 5. Hoc supposito dico primò potentiam productricem notionalem includere non solam relationem, sed simul essentiam diuinam. Est conclusio contra primam sententiam, sed conformis secundæ, tertiæ, & quartæ. Probatur primò auctoritate Augustini, Damasceni, Richardi Victorini, quorum verba referunt Vasquez, & Valentia supra dicentium generationem esse opus naturæ, vel secundùm operationem naturæ, ea propria essentia, substantia, & natura gignentis; atque Spiritum sanctum procedere de diuinitate Patris, & ex ipsamet essentia Patris, Filij, hoc est, tanquam principio *quo*, vt communiter intelligitur: nam licèt per illas loquendi formulas duo significentur, scilicet origo procedentis à producente tanquam à principio actiuo, & consubstantialitas in natura diuina, per quæ concluditur productio ex nihilo, vel
actio transiens, vt tradunt Albertinus tom. 2. Albertin.

in prædicamento Relationis Corollar. 12. dubit. 4. & Suarez suprà cap. 5. & 6. (Suarez.) Verumtamen de principio vt *quo* capit eas locutiones Ioannes Theologus in Florentino sess. 18. & 19. atque Athanasius dialogo de Trinitate contra Anomæos pag. 667. (Ioan. Theo. Athanas.) *Verum*, id est essentiam, ex qua gignitur Filius interpretatur vim gigendi. Et quidem quando Patres loquuntur de generatione Verbi, possumus essentiam, aut substantiam diuinam strictè capere pro diuina natura, quæ constituitur essentialiter intellectione.

7. Probatur secundò, quia de ratione naturæ est esse principium operationis, vt *quo*: nam suppositum operatur vt *quod*, sed Deus constituitur in essentiali ratione diuinæ naturæ per intellectionem, cuius affectio est volitio, vt lib. 1. disp. 16. visum est: ergo ab eisdem habet rationem principij vt *quo* generandi, & spirandi. Probatur tertiò, quia de ratione Verbi, & amoris est esse ab intellectu, & voluntate: ergo secunda persona, quæ est Verbum, & tertia quæ est personaliter amor oriri debent ab intellectu, & voluntate tanquam à potentiis, vt contra Durandum, & alios probatum est suprà disp. 1.

8. Dico secundò, potentia generatiua non est sola intellectio, nec potentia spiratiua sola volitio, sed in vtraque prætereà clauditur relatio producentis, vt intrinseca, & essentialia virtuti productiuæ. Et conclusio contra secundam sententiam, sed conformis tertiæ, & quartæ, doceturque palam à S. Thoma 1. part. quæst. 36. art. 4. ad primum, & secundum. Vbi potentiam spirandi dicit esse proprietatem, cùm tamen in diuinis nulla sit nisi relatiua proprietas.

Probatur primò quia principium distinguitur realiter à principiato: sed essentia præcisè non distinguitur à persona producta; ergo non est principium nisi addita relatione, per quam distinguatur.

9. Dices cum Suario, sat esse principium *quod* distingui, licèt non distinguatur principium *quo*. Sed contrà: nam ratione principij *quo* distinguitur principium *quod* à principiato: repugnat enim aliquod habere virtutem producendi se: ergo magis repugnat aliquid esse vim producendi se. Confirmatur: nam principium *quo* est ratio, qua producens cõtinet in virtute productum; sed non potest producens continere productum, nisi per aliquid distinctum à producto, quia nihil est ratio continendi se virtualitèr: ergo potentia notionalis debet essentialiter claudere relationem.

10. Probatur secundò; nam alioquin hæc esset vera propositio *Deitas gignit*, sicut hæc *Deitas creat*, quoniam est virtus creandi. Dices. *Deitas creat*, non eo præcisè verificari, quia Deitas sit virtus creandi, sed etiam quia distinguatur realiter à creato, quoniam vtrunque significat propositio: Quare cùm Deitas non distinguatur à persona genita; quamuis sit virtus gigendi, hæc propositio *Deitas generat*, erit falsa, quia significat distingui Deitatẽ à persona genita. Sed contrà, quia si admittis ibi significari distinctionem: ergo iam admittis in actu producendi distinctionem includi, & per consequens in potentia productiua tali productioni correspondente.

11. Deinde hæc propositio, *Deitas creat*, verè non significat distingui creationem à Deitate vt constat ex ipsa voce, sed creationem esse operationem Deitatis, vt virtutis creandi, sicut dicimus, *ignis, vel calor calefacit lignum*, & licèt requiratur approximatio, vt conditio; tamen hæc non significatur illa propositione, sed soli principio, vt *quod*, vel vt *quo* tribuitur denominatio agendi; ergo similiter si sola Deitas est potentia generatiua, poterit illi soli tribui denominatio generantis, vt principium *quo*, non significata distinctione, si solùm hæc ponitur esse conditio; quod latiùs prosequitur Valentia, tom. 1. disput. 2. q. 15. punct. 2. & videtur sentire Ioannes Theologus suprà: (Valentia. Ioan. Theol.) nam cùm Marcus Ephesinus ex eo quòd essentia dicebatur à Latinis principium *quo* spirandi colligeret essentiam producere, & produci; Respondet Ioannes substantiam secundùm esse absolutum non esse principium, per *quod*; & ideò non sequi, vt eadem substantia causa sit, atque causata, quasi dicat, essentia vt absoluta non est principium *quod*, nec *per quod*, ideóque nec est causa, cui possit tribui productio actiua, nec causata, cui possit tribui passiua: sentit ergo, quòd si esset principium *quo*, posset illi tribui actiua productio.

Probatur tertiò, quia sequitur ex opposito in quauis persona dari potentiam productiuam, 12. quod licèt consequenter admittat Suarez lib. 4. (Suarez.) cap. 10. & lib. 5. c. 5. num. 9. dicens id esse necessarium, vt personæ in quouis potentiæ genere sint æquales, non tamen est admittendum; alioquin quæuis persona gigneret, aut spiraret. Dices, quamlibet personam non habere conditionem ad operandum, ac subinde talem potentiam in aliquibus personis esse impeditam, non quidem priuatiuè carendo conditione, quam ibi petat, sed negatiuè carendo conditione, quam petit in alia persona: videtúrque fauere Augustinus lib. 3. (August.) contra Maximinum c. 12. dicens, Filium non genuisse Creatorem, non quia non potuit, sed quia non oportuit, & c. 14. Potentiam generatiuã videtur sub omnipotentia comprehendere, colligens, si Pater non posset gignere Filium æqualem sibi, non esse omnipotentẽ; sed contrà vrget Vasquez: nam hæc notionalis potẽtia nec habet in aliqua persona impedimentum extrinsecum accidentarium, quod dicit imperfectionẽ; nec intrinsecum essentiale: nam vbi petit esse, petit operari, cùm operari sequatur ad esse; imò totum esse potentiæ, vt potentiæ sit ad operandum, ac subinde si postulat esse in tribus, in omnibus postulat operari, & consequenter conditionem necessariam, vt in omnibus operetur: ergo in nulla persona habet impedimentum ex natura rei, id est, carentiã conditionis, vt ibi operetur, ideóque repugnat carere conditione negatiuè, quin careat etiam priuatiuè.

13. Nec obstat Augustinus in contrarium adductus: nam in primo loco solùm voluit, non esse imperfectionem in Filio, quòd non generat, sed ideò non gignere, quia non congruit eius proprietati personali. Secundus Augustini locus difficilis est, varias eius expositiones refert Vasquez. 1. part. disp. 165. cap. 2. (Vasquez.) Ipséque censet, omnipotentiam ibi sumi ab Augustino pro plena fœcunditate, quæ sufficiat æqualem sibi Filium generare: hanc enim habent parentes creati; nec debemus illam denegare Patri æterno, nisi defectum plenæ fœcunditatis ipsi tribuamus. Ceterùm omnipotentiam communiter, & propriè vocamus cum Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 3. (Fulgent.) *quæ omnem creaturam de nihilo fecit*. & omnem possibilem potest creare; atque in ista omnes personæ sunt æquales, cùm eandem omnes participent, vel potiùs habeant

communem, docentque sæpiùs Doctores, & Patres ita contineri in hac omnipotentia absoluta omnem perfectionem possibilem intensiuam potentiæ, vt quidquid potentiæ productricis notionalis accedat vni personæ diuinæ præ aliis ad summum augeat extensionem potentiæ productricis, non intensionem. Vasquez. Valentia. Videantur Vasquez supra, & Valentia tom. 1. disp. 2. quæst. 5. punct. 2. ad 1. & quæ dicemus quæst. 42. art. 6.

14. Confirmat Valentia sequelam illam: scilicet si ponatur in omnibus personis potentia productiua ad intrà, fore vt omnes producerent ad intrà; quia repugnat productum procedere ab aliqua vi productiua, & non procedere ab omni supposito, in quo tunc est talis virtus; sicut si idem calor esset in tribus ignibus, calefactio talis caloris procederet à tribus illis suppositis, vt à principio *quod*. Sed quando quæuis persona producitur, essentia diuina est in tribus: ergo si sola essentia est vis productiua, quæuis persona procedit à tribus. Dices non procedere, quia vis producendi non est in tribus priùs origine, quàm personæ procedant, prout requiritur ad operandum; sed contrà, quia prioritas originis cùm sit à quo, solùm consistit in eo, quod productum sit à producente, licèt vtrumque sit simul duratione, & cognitione: ergo dicere Filium non esse à Filio, quia potentia generatiua non est in Filio priùs origine, quàm Filius procedat, est dicere non esse à Filio, quia non est à Filio, quæ est petitio principij: nam hoc probat argumentum, nimirum ex hoc quòd talis potentia sit in Filio, quando Filius procedit, sequi talem implicationem, quòd Filius procedat à Filio, ac subinde sit prior origine seipso; & similiter quòd Spiritus sanctus producat semetipsum, & Filium; atque ideò sit origine prior se, & Filio, quæ absurda sequuntur ex contraria sententia.

15. Hinc fit circa tertiam sententiam, quando dicit à potentia connotari à relatione, si per connotationem intelligat aliquid distinctum ab ipsa relatione, redit argumentum suprà factum cap. 2. num. 14. si autem ipsam relationem velit intrinsecè pertinere ad rationem potentiæ, vt fatetur Vasquez, licèt in obliquo, mihi videtur discrimen inter tertiam, & quartam sententiam ad modum concipiendi, vel significandi spectare: quia siue potentia dicatur esse essentia & relatio, vtraque in recto; siue essentia cum relatione, vel adiuncta relationi in obliquo, dum vtraque constituat intrinsecè rationem potentiæ, solùm variatur modus significandi, & ad summum indicatur, minùs principaliter illuc ingredi relationem; quia frequenter, quod est minùs principale, significatur in obliquo, vt cùm dicimus album est albedo in subiecto, Deus est Deitas cum supposito; licèt nonnunquam magis principale significetur in obliquo, vt cùm dicimus Deus est habens Deitatem.

16. Quoad rem igitur dico tertiò, essentia, & relatio æquè necessariò & essentialiter, requiruntur ad rationem potentiæ productiuæ, quia tum fœcunditas, tum distinctio à termino sunt prorsus ad talem potentiam requisitæ; Quod docet expressè quarta sententia, & explicat Valentia. Valentia concl. 3. dicens relationem esse vim quandam vltimam, per quam essentia completur in ratione principij *quo* productiui ad intrà; Nihilominus tamen stat vim istam reperiri perfectiùs, & principaliùs in diuina natura, vel volitione, quàm in relatione; tum quia principium operationis est magis proprium naturæ, vel affectionis ipsius, quàm indiuiduationis, aut principij distinctiui; tum quia perfectiùs relucet in termino formalitas naturæ vel volitionis, quàm relationis; tum denique quia diuina cognitio, & volitio sunt perfectiores in essendo secundùm se ac subinde sunt etiam principaliores, quàm relationes in ratione operantium: Et hoc videntur intendisse Magister in 1. dist. 7. & S. Thomas 1. part. quæst. 41. art. 5. Magister. dum aiunt, potentiam generandi significare diuinam essentiam, non autem relationem dumtaxat: & hoc solùm vult S. Thomas ibi reiiciens à ratione potentiæ paternitatem, intellige solam: in eodémque sensu concludit potentiam significare in recto naturam diuinam, & in obliquo relationem.

17. Videtúrque aptum exemplum, quo S. Thomas vtitur eo art. 5. scilicet indiuiduationis: nam hæc præcisè sumpta non est ratio agendi: ceterùm nec solùm agit natura, vt præcise natura, sed vt talis singularis natura est: sicut enim non datur actio realis nisi indiuidua, sic non nisi à principio singulari potest oriri; alioquin sicut natura præcisa non distinguitur à producta, sic nec posset esse causa illius: debet ergo sumi vt distincta à termino per differentiam indiuidualem; itáque producit simile quoad id, quo principaliter agit, scilicet quoad ipsam naturam, non tamen quoad omne id, quo agit, scilicet indiuiduationem, alias produceret non solùm simile, sed idem. Et fortes fortem, quod absurdum infert S. Thomas, quem paulò aliter explicat Valentia. Valentia eo punct. 2. scilicet de relatione, vt est proprietas constituens personam: vt sic enim quasi in obliquo significatur nomine potentiæ, quamuis vt vis quædam productiua formaliter pertineat ad constitutionem potentiæ.

18. Dico quartò, qui dicunt Deitatem esse radicem intellectus & voluntatis, consequenter affirmant naturam diuinam esse remotum principium, sed principale processionis vtriusque: proximum autem & minùs principale intellectum, & voluntatem. Nos verò, qui lib. 1. disp. 16. docuimus, nec secundùm rationem obiectiuam dari in Deo intellectiuum radicale, vel potentiale, consequenter dicimus, non debere distingui potentiam notionalem radicalem à potentia proxima, nec istam coincidere cum potentia intellectiua, vel volitiua, quoniam hæ non dantur in Deo, sed cum actuali intellectione vel volitione, quam Canariensis hic art. 5. & alij moderni negant esse principia producendi, quia sunt productiones ipsæ. Affirmant tamen Suarez lib. 1. cap. 8. num. 2. Henricus, & alij. Suarez. Henricus.

19. Probatúrque primò ex Augustino, qui lib. 6. de Trinitate, cap. 1. & 2. & lib. 15. cap. 14. August. viens abstractis pro concretis, vt assolet in hac materia, dicit Filium esse sapientiam genitam de sapientia generante: similiter Spiritus sanctus dicitur amor productus de amore producente: ergo Pater quatenus sapiens gignit Filium, & vterque quatenùs amans producit Spiritum sanctum; ac subinde ipsamet intellectio, & volitio sunt principia producendi vt *quo*.

20. Probatur secundò, quia personæ procedunt per intellectum, & voluntatem, vt per principia, iuxta supra dicta disput. 2. contra Durandum; sed in Deo non datur intellectus, & voluntas per modum potentiæ, sed actualissima intellectio, & volitio, vt lib. 1. d. 16. c. 4. probatum est: ergo intellectio, & volitio sunt principia processionum.

21. Itaque (vt magis explicemus sensum nostrum) intellectio, & volitio diuina, quatenus continent perfectionem intellectualis, & volitioi permanentis iuxtà supradicta lib. 1. disp. 16. cap. 4. in fine induunt rationem potentiæ generatricis, & spiratricis: at quatenùs continent perfectionem intellectionis, & volitionis actualis, induunt rationem generationis, & spirationis actiuæ in producentibus, & passiuæ in personis productis. Sed quia ratio potentiæ realiter productricis intrinsecè claudit distinctionem à termino producto, & à productione passiua, debet includere necessariò præter intellectionem, & volitionem relationem aliquam, quæ sit ratio talis distinctionis, & per quam compleatur in ratione potentiæ notionalis. Igitur relationes diuinæ propter suam perfectionem, & simplicitatem vnica ratione continent quæ per diuersas præstantur à creaturis, v. g. diuina paternitas, & est ratio subsistentiæ secundùm quam importatur explicitè à nomine personæ, quod non habet relatio creata; & est ratio referendi Patrem ad Filium, secundùm quam importatur explicitè nomine Patris. Et est complementum diuinæ naturæ quatenùs vitæ intellectualis in ratione principij, à quo potest alia persona generari, sicque importatur explicitè à potentia generatiua, scilicet habitudo principij generatiui vt *quo*: Demùm est complementum ipsius actualis intellectionis in esse originis actiuæ, ac quasi viæ, per quam Filius generetur, & ipsum principium denominetur actu generans; & vt sic includitur explicitè in actu notionali. Similiter filiatio quatenùs subsistentia, relatioque Filij ad Patrem importatur explicitè à persona Filij; quatenùs quasi in fieri complet diuinam intellectionem, importatur explicitè à generatione passiua. Et proportionaliter de potentia spiratiua, & spiratione actiua, quæ constant volitione, ac relatione Spiratoris, & de spiratione passiua, quæ constat eadem volitione, ac relatione spirati philosophandum est.

22. Dices primò, ratio referendi Patrem ad Filium videtur supponere Filium, & consequenter potentiam generatricem, & generationem ipsam: ergo non potest antecedenter ad hæc intelligi, nec constituere personam Patris, aut eius potentiam, vel generationem actiuam. Resp. hæc omnia, dum in eadem persona considerantur, esse simul cognitione, solùmque differre penès conceptus inadæquatos, non præcisiuos explicitos vnius rationis, & implicitos aliarum; inter quos nulla est propriè prioritas, *à quo*, sed mutua connexio, & quasi suppositio sub his diuersis formalitatibus explicitis. Etenim quatenùs potentia generatiua, & generatio actiua concipiuntur vt sic explicitè, supponunt principium vt *quod* subsistens, & per consequens distinctionem à termino: at quatenùs hæc subsistentia, & distinctio sumuntur à relatione, videntur supponere relationem; & illa quatenùs prærequirit fundamentum, & rationem fundandi, vicissim supponit generationem, & potentiam generatricem; nec maior distinctio vel prioritas videtur in præsenti requirenda; nisi velis totum argumentum concedere de relatione prædicamentali, dicens constitui personam, & potentiam, processionemque compleri relatione transcendentali, quam subsequatur prædicamentalis, non iam constituens, aut complens, sed referens pure ad terminum, vt explicabimus infrà disp. 7. cap. 2.

23. Dices secundò cum Vasquio suprà cap. 2. ergo principium *quo* non differt à principio *quod* præcisiuè, si vtrumque claudit essentiam, & relationem simul. Respondeo distingui præcisiuè inadæquatè tanquam inclusum ab includente, quia principium *quo* solùm includit vnam perfectionem absolutam, & vnam relationem, videlicet potentia generatiua claudit intellectionem præcisè, atque paternitatem, potentia spiratiua volitionem, & relationem Spiratoris: Persona verò, quæ est principium vt *quod* includit essentiam simul, & naturam, & attributa vtriusque, & duplicem relationem, scilicet paternitatis, & spiratoris Pater, filiationis autem, & spiratoris Filius: nam ex his omnibus resultat persona dicens substantiam completam. Vasquez.

24. Dices tertiò, intellectio est radix volitionis, ergo est radix potentiæ spiratricis, quæ est volitio, ergo datur principium radicale spirationis distinctum à principio proximo. Respond. intellectionem non esse radicem realem volitionis, quam nos in conclusione negamus, sed duntaxat virtualem; Vnde non datur volitionum radicale realiter, nec radicalis potentia spiratiua realis in Deo. Virtualiter verò fieri eo ipso quòd communicatur intellectio formaliter Filio per generationem, consequenter communicatur illi volitio quasi virtualiter contenta in intellectione; sic dici potest, eo ipso quòd communicatur Filio volitio, quæ nondùm prodiit in actum sibi proprium, atque ideò fœcunda ex se se ad spirandum, naturali sequela communicandam esse relationem Spiratoris, quasi virtualiter in ipsa generatione passiua præcontentam, quia communicata natura formaliter per generationem, consequenter communicatur omnis virtus actiua talis naturæ, siue ad extra, siue ad intra, cuius ea natura vt sic communicata sit capax. Vnde videtur in generatione passiua, vel in termino illius formali virtualiter quodammodò potentia spiratiua contineri.

25. Dices quartò, cum Suarin lib. 10. cap. 4. hanc differentiam assignat S. Thomas quæst. 40. art. 4. inter relationem Spiratoris, & paternitatem, quòd ante paternitatem non est constitutum suppositum generans; ideóque necesse est quòd Paternitas præcedat generationem, vt constituens personam gignentem: at verò ante relationem Spiratoris supponuntur supposita spirantia constituta, scilicet Pater & Filius: ergo hæc relatio non præsupponitur spirationi, sed posita spiratione intelligetur resultare talis relatio, sicut ceteræ relationes non constituentes personam; ideóque non potest pertinere ad constitutionem principij spiratiui *vt quo*. Resp. relationem Spiratoris, etsi non pertineat formaliter, aut essentialiter ad constitutionem suppositorum spirantiũ, quatenus personæ sunt vt sic, tamen requiri prorsus ad constitutionem principij spirantis *vt quo*: nam hoc debet accipere distinctionem realem proximam, & immediatam à relatione opposita Suarez.

termino. Prætereà licèt volitio cum paternitate ac filiatione coniuncta sufficientem habeant distinctionem ad spirandum saltem mediatam, tamen non esset vnica potentia simplex communis Patri & Filio, nec vnica spiratio qualis asseritur in Florentino in litteris vnionis, quia paternitas, & filiatio, quæ constituerent talem rationem potentiæ, non essent communes vtrique personæ, si sumantur copulatiuè; disiunctiuè autem non sufficerent ad spirandum: ergo sicut potentia spiratiua est vnica, communisque Patri, & Filio, sic relatio illam complens debet esse vnica, communisque Patri, & Filio; nec est alia talis nisi relatio Spiratoris.

26. Explicata iam potentia notionali, & eius actu tam actiuè, quàm passiuè sumpto, restat explicare terminum processionis; & omnes conueniunt personam productam esse terminum adæquatum processionum; Vnde sola persona dicitur genita vel procedens. De termino autem formali ferè sunt eædem sententiæ, ac de potentia notionali. Gregorius, & Gabriel dicunt non distingui à totali; Henricus, & alij censent esse relationem. Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 6. & Cumel. 1. part. q. 41. a. 5. disp. 2. putant esse naturam diuinam connotata relatione, vt conditione, citantque alios.

Suarez. Comel.

27. Dices quintò, vnica, & simplicissima processione producitur diuina persona, & communicatur illi essentia diuina. Quamobrem processio comparata ad essentiam est eius communicatio, comparata verò ad relationem est eius productio, nec producit relationem nisi communicando naturam, nec communicat naturam nisi producendo personalitatem. Ratio est, quia cùm essentia diuina prorsus existat à se, non potest produci, nec esse terminus formalis productionis, ac subinde nec communicari potest immediatè per propriam productionem, sed ex eo quòd in essentia producatur relatio, qua mediante procedat persona diuina.

28. Hinc fit duplicem terminum inadæquatum distingui virtualiter in processione, alium productum, alium communicatum, sicut in generatione humana eadem indiuisibilis actio, quoniam est productio hominis producendo vnionem, & est communicatio animæ rationalis, quam solus Deus creat, habet terminum productum, scilicet hominem, aut vnionem, quæ verè fit à generante, habetque terminum communicatum, scilicet animam, quæ non producitur à generante; sed communicatur genito media vnione. Vterque verò terminus est duplex, scilicet formalis, seu primarius, qui formaliter, seu primariò producitur, aut communicatur directè ex vi productionis; alter materialis, seu secundarius, qui materialiter, seu secundariò simul cum altero producitur, aut communicatur; vt in generatione humana terminus formalis productionis est vnio; primarius homo; secundarius verò, seu materialis est compositum ex homine, ac proprietatibus, siue substantialibus, siue accidentalibus illius. Terminus formaliter, & primariò communicatus est anima, materialiter verò & secundariò communicantur proprietates animæ, quæ sicut consequuntur animam, sic ex consequenti censentur communicari.

29. Dico sextò, intellectio, seu natura diuina est terminus formalis communicatus per æternam generationem, & volitio, ceteraque attributa sunt terminus materialis huius communicationis: At spirationis terminus formaliter communicatus est volitio, materialis verò intellectio, & natura cum ceteris affectionibus. Constat ex supradictis disp. 3. & 4. quia secunda persona procedit formaliter per operationem intellectus, vt sapientia Patris: ergo communicatur illi formaliter intellectio. Sed hæc est formaliter de constitutione naturæ: ergo terminus communicatus secundæ personæ formaliter est natura. Tertia verò persona procedit vt amor formaliter, & per operationem voluntatis: ergo terminus illi formaliter communicatus est volitio.

Dico septimò, terminus formalis processionis, quatenùs producit, est relatio personæ productæ; secundarius dici possunt proprietates transcendentales relationum. Probatur, quia formalis terminus productionis est ratio, per quam formaliter res producta terminat productionem, & à qua sumit denominationem productæ; atque ideò illa produci debet, saltem vt *quo*, vt correspondeat principio *quo*. Sed persona diuina terminat suam productionem ratione solius personalitatis, quæ producitur: ergo sola personalitas est talis terminus. 30.

Hinc constat primò quomodo vnica, & simplex Verbi diuini processio passiua prout comparata ad personam sit eius productio, & importet intellectionem cum filiatione, vt in produci, seu comproduci, cuius formalis terminus productus sit eadem filiatio, vt in producto esse; Terminus verò completus, & vltimus sit filius in esse producto; comparata verò ad diuinam naturam sit eius communicatio, & vt sic importet naturam, vt in communicari cum filiatione, quatenus hæc producitur in natura: nam media productione filiationis communicatur natura diuina, manetque communis personæ productæ: Quod proportionaliter applica spirationi passiuæ. Constat secundò, pro quæst. 34. & 35. S. Thomæ, quam propriè secunda persona, cùm sit terminus vltimus, & completus propriissimæ generationis, sit formaliter, & personaliter Filius; & cùm per talem generationem acceperit formaliter diuinam naturam, siue potiùs intellectionem sibi communicatam cum vera emanatione à Patre vt a dicente; simul est propriè Verbum à Patre prolatum; & cum eo ipso ex vi suæ processionis habeat vim repræsentandi Patrem, vtpote ad eius imitationem expressum, est vera, & propria Patris imago, videantur Canariensis hic, Molina, Vasquez, & Cumel 1. p. q. 34. & 35. 31.

Canariens. Molina. Vasquez. Cumel.

Fundamenta primæ sententiæ confirmant nostram secundam conclusionem, non tamen conuincunt solam relationem induere rationem potentiæ: nam ad hoc vt potentia sit propria personæ producentis, & ad hoc vt distinguatur realiter a producta, sufficit, quòd includat relationem: iam enim totum illud coniunctum ex relatione, & essentia habet conditiones ibi requisitas, sicut humanitas est hominis propria, non quoad materiam, sed solùm quoad formam. Vnde Augustinus, & Athanasius ibi relati manifestè sunt pro nobis contra secundam sententiam. 32.

Ad cuius primum fundamentum iam diximus de S. Thoma num. 15. & 16. Ioannes verò Theologus potiùs est pro nobis, quia non dixit, principium esse id solùm, quod communicabile est, quo pacto faueret Suario, sed esse id, quod solùm communicabile est, ita vt illa dictio exclusiua *solùm* teneat se duntaxat ex parte prædicati, quod dicit solùm esse communicabile, non verò ex 33.

parte

parte copulæ principalis; idenque sensus sit, id quod solùm est communicabile, scilicet essentiam, esse principium *quo*, non tamen illud solum, sed simul cum relatione, quod satis expressit sect. 19. dicens. *Propterea tamen non sequitur, vt hæc substantia secundum suum esse commune. & absolutum principium sit, per quod*, & infra, *Quod in Niceno symbolo celebratur, ex Patre, id est, ex Patris substantia natum, necesse est ex hypostasi Patris significet*; & id infrà declarans ait, *illud ex Patris substantia principium quo, vel per quod, non autem generans significare firmiter tenemus.* Includit ergo manifestè in principio *quo* hypostasim producentis.

34. Secundum verò fundamentum, seu ratio S. Thomæ cum sua confirmatione conuincit nostram primam, & tertiam conclusionem: damus enim perfectam similitudinem in natura, quæ est principalior virtus producendi, tamen ipsa ratio, & denominatio similitudinis petit necessariò, & includit distinctionem realem: nihil enim est sibimet simile; declaraturque satis exemplo, quod adducit S. Thomas eo art. 5. differentiæ numericæ, quæ non est conditio, sed ratio agendi, quia potentia actiua creata sicut per eandem indiuisibilem entitatem claudit rationem specificam, & numericam, sic per vtramque constituitur in ratione potentiæ, & quamuis vniuoca sit, producit effectum similem specificè, dissimilem numericè, nihilominùs tamen genitor, & genitus dicuntur similes simpliciter: nam ad istam denominationem affirmatiuam sufficit conuenientia in aliquo principaliori, non autem dicuntur dissimiles, nisi secundùm quid, quia differunt in re minùs principali. Igitur tam in diuinis, quàm in humanis genitus est similis genitori quantùm ad id, quod est principalis in potentia productiua, scilicet quoad naturam ipsam, non tamen quoad omne id, quod est productiuum vt *quo*, scilicet quoad relationem, vel indiuiduationem, aliàs non produceretur simile, sed idem. Tertia sententia nihil habet speciale contra nos.



DISPVT. VI.

De numero, & distinctione processionum.

HABEMVS ex dictis disputatione præcedenti cap. 2. num. 21. Processiones actiuas non distingui realiter inter se; nunc de passiuis potissimùm agendum est.

CAPVT I.

Quid sentiant alij.

1. Circa numerum, & distinctionem processionum sunt aliquæ causæ dubitandi. Prima sit: nam quæuis perfectio diuina est simpliciter infinita: ergo non potest esse nisi vnica. Consequentia probatur: nam vnica habet totam perfectionem processionis, quæ possit in Deo reperiri: ergo non possunt esse duæ, alioquin neutra esset simpliciter infinita, quia perfectio vnius deesset alij. Confirmatur, quia per primam processionem communicatur natura quantum communicabilis est, alioquin esset inadæquata, & finita communicatio: ergo non potest communicari per alteram, siquidem non potest esse duplex eiusdem naturæ communicatio adæquata, & infinita.

Secunda sit: nam istæ processiones non possunt distingui realiter ex parte naturæ diuinæ quam includunt, vt patet, nec ex parte relationum, quoniam istæ non opponuntur inter se, v.g. relatio spirati opponitur relationi spiratoris, sed non filiationi: ergo ex nulla parte distinguuntur realiter. Confirmatur, quia processiones actiuæ ideo non distinguuntur realiter inter se, quia non opponuntur relatiuè, nec vna procedit ab alia: sed similiter neutra processio passiua est ab alia, quia spiratio passiua non est à filiatione, sed à volitione cum relatione spiratoris, nec opponitur relatiuè, vt dictum est: ergo non distinguuntur realiter. 2.

Tertia sit, si processiones passiuæ sunt duæ, maximè quia intellectio, & volitio sunt duæ actiones, vt dicit S. Thomas hic art. 3. & 5. Sed intellectio, & volitio diuina realiter non sunt duæ, sed eadem indiuisibilis operatio: ergo sufficit etiam vnica realis processio. Consequentia probatur, quia, quidquid operatur intellectio diuina, operatur realiter, & identicè volitio, & è contrà, propter earum identitatem: ergo similiter quidquid procedit per intellectionem, procedit realiter, & identicè per volitionem, & è contra: ergo non est necesse vt alia processio respondeat intellectioni, & alia realiter distincta volitioni, sed vnica tantum vtrique. 3.

Confirmatur primò: nam eiusdem virtutis nequeunt esse plures actus adæquati, sed quæuis processio cùm sit infinita, adæquabitur virtuti Dei quamuis infinitæ, quoniam est vnica realiter virtus: ergo datur vnica processio, non plures. Confirmatur secundò: nam aliàs sicut ex distinctione virtuali intellectionis, & volitionis elicimus distinctionem realem duarum processionum, possemus etiam ex distinctione intellectus practici, & speculatiui, scientiæ necessariæ & liberæ, aut cognitionis Dei, & creaturarum possibilium, amoris pariter diuini respectu Deitatis, & creaturarum, vel attributorum plures processiones distinguere realiter Verbi practici, & speculatiui, amoris, essentiæ, & attributorum, &c. 4.

Propter hæc Raymundus Lullius in opusculis de Trinitate sensisse videtur, vnicam in Deo dari processionem; vnicum scilicet actum bonificandi, id est, communicandi suam bonitatem, seu perfectionem ad intra, nec ampliùs requiri ad Trinitatem personarum. 5. R. Lullius.

Secunda sententia sit Suarij lib. 1. de Trinit. cap. 9 Comelis hic art. 4. disp. 2. conclus. 1. asserentis esse de fide processiones passiuas distingui realiter inter se. Probatur primò, quia de fide est, personas procedentes distingui realiter inter se: ergo & processiones passiuas. Consequentia patet, quia processiones distinctarum personarum necessè est distingui eo modo, quo personæ procedentes distinguuntur. Confirmatur, quia de fide est generationem passiuam esse ab vno, & spirationem passiuam esse à duobus: ergo de fide est distingui realiter. Probatur secundò quia fides docet processionem passiuam Filij non esse spirationem, nec processionem Spiritus sancti esse generationem: ergo & distingui realiter, alias verum esset dicere; Processio Verbi 6. Suarez. Comel.

 est

est spiratio, & processio Spiritus sancti est generatio; quod est confundere processiones.

7. Tertia sententia sit quorundam Thomistarum apud Cumelem supra, qui dicunt, has processiones differre quidem realiter, non tamen specificè, sed solùm numericè. Probatur, quoniam in Deo non est vlla differentia essentialis: ergo nec specifica. Antecedens est de fide, sicut vnitas omnimoda essentiæ. Consequentia probatur, quia differentia specifica pertinet ad essentiam rei. Confirmatur: nam Filius & Spiritus sanctus solo numero distinguuntur: ergo pariter processiones illorum solo numero distinguentur. Antecedens patet, quia conueniunt in eadem prorsus essentia, & solùm differunt personaliter: sed processiones sumunt præcipuè specificam differentiam à terminis: ergo cùm personæ diuinæ distinguantur solo numero, processiones ad illas terminatæ solo numero, & non specificè distinguentur.

CAPVT II.

Nostra decisio.

1. Svppono primò, processiones posse quadrupliciter comparari. Primò actiuas inter se. Secundò, passiuas inter se. Tertiò, actiuas cum passiuis sibi correspondentibus. Quartò, cum non correspondentibus: quod ex parte tetigimus suprà disp. 5. cap. 2. num. 23. Suppono secundò, distinctionem specificam non semper præsupponere realem; sed sæpè cum virtuali duntaxat reperiri vt inter actionem & passionem; potentiam, & patibilem qualitatem in calore, &c. His suppositis.

2. Dico primò, processiones passiuæ realiter distinguuntur: Est expressa conclusio S. Thomæ hic art. 3. & communis Theologorum. Videantur Cumel, & Suarez supra. Probatur argumentis secundæ sententiæ, & ex iis, quæ diximus disp. 5. cap. 2. Non tamen existimo simpliciter esse de fide: nam in tertia sententia relata en cap. 2. cùm dicatur processiones passiuas in recto esse intellectionem, & volitionem connotatis solummodò relationibus, apertè sequitur eas non distingui realiter, vt ostendimus ibi num. 13. & 14. & tamen illam sententiam non video damnari hæresis, nec dum erroris, aut temeritatis, quod magis constabit solutione argumentorum.

3. Ad primum enim negari potest consequentia, & ad eius probationem dici, quòd sicut ex distinctione reali personarum procedentium solùm infertur distinctio virtualis processionum actiuarum, sic & passiuarum, cùm neutra etiam ex his sit ab alia: nam spiratio passiua non est à generatione passiua formaliter, sed à potentia spiratiua. Ad confirmationem similiter negatur consequentia: nam etiam generatio actiua est vnius, & spiratio actiua duorum, & tamen solùm distinguuntur virtualiter.

4. Ad secundum Respond. idem esse ferè in actiuis processionibus: licèt enim sint idem realiter, tamen non dicitur Pater gignere spiratione, vel spirare generatione propter distinctionem virtualem: Quare pariter eadem distinctio virtualis sufficiet, vt Spiritus sanctus non dicatur produci generatione, nec Filius spiratione; Quando verò Patres & Doctores negant Spiritum sanctum procedere per generationem, & dicunt generationem non esse spirationem, aut è contra; indifferenter loquuntur de actiuis, & passiuis: ergo sunt intelligendi formaliter, & de sola identitate virtuali, quam vtrobique negant. Vnde quamuis possit in rigore metaphysico dici, generatio actiua est spiratio actiua, vel è contra, propter identitatem realem: tamen in rigore Theologico propter communem vsum Doctorum accipientium eas propositiones in sensu formali, sunt absolutè negandæ. Nos verò qui asserimus in processionibus passiuis includi relationes personarum procedentium, debemus secundùm fidem fateri, processiones passiuas distingui realiter inter se: nam alioqui non distingueremus realiter filiationem à relatione spirati, ac subinde Filium à Spiritu sancto; cùm hi non nisi proprietatibus relatiuis distinguantur.

Dico secundò, processiones passiuæ realiter distinctæ sunt tantùm duæ. Est conclusio de fide, traditur à S. Thoma hic, & a ceteris Theologis. Probatur ratione S. Thomæ in hac quæst. 27. art. 5. quam circa literam proposuimus: Et confirmatur primò, quia de fide est, non esse duos Filios, sicut nec duos Spiritus sanctos: ergo de fide est, non esse duas generationes, aut duas spirationes passiuas. Vnde patet actiuas esse tantùm duas virtute distinctas, quia non possunt actiuæ multiplicari virtualiter, quin passiuæ multiplicentur actu, cùm respiciant illas, saltem transcendentaliter. Præterea quia fides docet, duas esse solùm personas procedentes: Vnaquæque autem processio debet esse in suo in genere indiuisibilis, & impartibilis (vt sic dicam) in plures conceptus processionum, quoniam habet vnicum terminum totalem, cui non potest communicare naturam, nisi producendo relationem, nec potest producere relationem, nisi communicando naturam: Quidquid enim producitur in Deo, debet esse Deus. 5.

Confirmatur secundò: nam vnica productione sibi adæquata producit intellectus diuinus in Patre, & voluntas in Patre, & Filio quicquid producere possunt; Vnde præcluduntur vlteriores processiones, alioquin essent infinitæ, cùm non sit maior ratio, cur sint tres, vel quatuor duntaxat processiones passiuæ, quam plures, vt arguunt Augustinus tom. 6. lib. 2. contra Maximum, & S. Thomas 1. part. quæst. 41. art. 6. videatur Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 9. num. 8. vbi periculosam vocat sententiam Lullij, quoniam impossibile quidem est, cum vnica processione saluare omnia, quæ de hoc mysterio fides docet: videlicet esse tres personas, vnam generare, non aliam; vnam spirari, non aliam, &c. 6.

Augustinus. Suarez.

Dico tertiò, processiones passiuæ non solùm distinguuntur realiter, sed etiam specificè: sic videtur supponere S. Thomas in hac quæst. 27. art. 4. & 5. & quæst. 41. art. 7. ac sæpè alibi. Scotus in 1. dist. 7. quæst. 1. Capreolus dist. 13. quæst. 1. & Suarez suprà. Probatur, quia processio Filij est generatio, non autem processio Spiritus sancti: ergo differunt specie: sola enim distinctio numerica sufficeret, vt essent duæ generationes, sicut in hominibus generatio Petri, & Pauli, non tamen sufficeret vt vna esset generatio, & non alia. Ceterùm Cumelis in hac quæst. 27. art. 4. disp 2. notat. 1. In diuinis non esse propriè genus nec speciem, sed, vt ait Damascenus 3. de fide cap. 4. secundùm quandã similitudinem creaturarum. Mihi videtur iuxta suprà dicta lib. 1. circa litteram 7.

Scotus. Capreolus. Cumel. Damascen.

quæstionis

quæſtiuncula 3. art. 5. propriè poſſe in diuinis reperiri genus relatiuum, & ſpecies aliqua productionis, non tamen erunt ſpecies prædicabiles, ſed tantùm ſubiicibiles, quæ ſortiuntur vnicum indiuiduum, qualis eſt generatio paſſiua, vel filiatio; ſpiratio paſſiua, vel relatio ſpirati. Notat ſecundò, Cumelis, aliam eſſe ſpeciem ſuppoſiti, quæ eſt ſpecies principaliter, & abſolutè: ſumitúrque à natura, quæ in diuinis perſonis eſt vnica, & eadem in omnibus, aliam eſſe ſpeciem proprietatis, & de hac loquimur in præſenti.

8. Si quæras, vnde ſumatur hæc diſtinctio. Scotus dicit proceſſiones diſtingui ſeipſis, fauétque Bonauentura in 1. diſt. 13. quæſt. 3. At verò Henricus quodlib. 5. quæſt. 1. docet ſumi à principiis ſcilicet ab intellectione, ac volitione; faciliùs tamen videtur illam ſumere à terminis formalibus, ſiue productis, quales ſunt relationes perſonarum productarum, ſpecie quidem diuerſæ, vt dicemus inferiùs; ſiue communicatis, quales ſunt intellectio in generatione, & volitio in ſpiratione: licèt enim intellectio, & volitio virtualiter ſolùm diſtinguantur, ſimul etiam differunt quodammodo ſpecificè in ratione termini formalis, cùm ita ſe gerant in ſuis denominationibus, ac muniis præſtandis, ac ſi realiter, & ſpecificè differrent. Sed diſtinctio ſpecifica terminorum dat productionibus ſpecificam diſtinctionem: ergo inde ſumitur conuenienter.

Bonauent. *Henric.*

9. Dico quartò, proceſſiones actiuæ, licèt non diſtinguantur realiter inter ſe, quia non opponuntur relatiuè, diſtinguuntur tamen virtualiter ex natura rei, quod ſufficit, vt ſimpliciter dicantur duæ proceſſiones, licèt non duæ res: quamuis enim actu non differant; habent tamen terminos actu diſtinctos, videlicet Filium, & Spiritum ſanctum, ad quorum numerum numerantur. Dices eandem eſſe proceſſionem actiuam vtriuſque perſonæ, non ſolùm realiter, ſed etiam virtualiter, quia ſicut eadem generatio prout terminatur ad communicandam naturam, eſt communicatio, & vt terminatur ad producendam relationem, eſt productio ſine diſtinctione virtuali harum formalitatum inter ſe; ſic eadem proceſſio prout concipitur eſſe generatio, tendet ad Filium, & vt concipitur eſſe ſpiratio, tendet ad Spiritum ſanctum ſine diſtinctione virtuali. Sed contrà: nam in illo exemplo verum eſt dicere, naturam communicari per productionem relationis, & relationem produci per cõmunicationem naturæ: at in præſenti falſum eſt Patrem gignere ſpiratione, aut ſpirare generatione; imò ſpiratio actiua communicatur Filio; non verò generatio actiua. Ideóque dicimus diſtingui virtualiter ex natura rei, quæ quidem eſt diſtinctio propria huius myſterij, Vbi quædam ita ſunt idem realiter, vt non ſolùm præſtent diuerſa munera, ſeu denominationes reales, ac ſi realiter differrent, ſed realiter etiam communicetur eſſentia diuina, non relatio, & producatur relatio, non eſſentia: Quare cum identitate reali propter ſuam eminentiam, & virtualem huiuſmodi diſtinctionem, quam Caietanus 1. part. quæſt. 39. art. 1. & de ente, & eſſentia cap. 6. vocat diſtinctionem formalem eminenter, admittere poſſunt affirmationem ſimul, & negationem eiuſdem prædicati, quod non videmus in creaturis: Dicimus enim filiatio diuina producitur, non Deitas; potentia generatiua & generatio actiua non communicantur Filio; potentia vero ſpiratiua, & ſpiratio actiua communicantur eidem, & ſic de aliis: hanc igitur vocamus cum nonnullis Doctoribus diſtinctionem virtualem ex natura rei.

Itaque proceſſiones diuinæ; quatenus ſic virtualiter diſtinguuntur, differunt ſpecificè; ſic docent communiter Theologi qui dum ſine diſcrimine dicunt proceſſiones ſpecie differre, ſignificant equidem vtraſque tam actiuas, quàm paſſiuas ſpecie diſtingui. Probatur, quia tendunt in terminos ſpecie diſtinctos, ſiquidem generatio actiua tendit ad Filium, & ſpiratio actiua ad Spiritum ſanctum, qui licèt in natura diuina non differant ſpecie, nec numero: at in proprietatibus ſpecificè diſtinguuntur, ſiquidem perſonalitas Filij conſtituit illum verè genitum; Perſonalitas verò Spiritus ſancti non conſtituit illum Filium, nec verè genitum, ſed ſpiratum? Rurſus generatio actiua producit formaliter ſimilem in natura, ſpiratio actiua non niſi materialiter, & identicè ſimilem. Vnde relationes etiam diuinæ differunt inter ſe ſpecificè propter diuerſitatem fundamenti, ac termini quaſi ſpecificam, & propter diuerſum modum reſpiciendi. Demùm perſonalitates diuinæ, quæ cum proceſſionibus, vel relationibus coincidunt, ſimiliter diſtinguuntur quaſi ſpecificè. 10.

Dico quintò, quæuis actiua proceſſio diſtinguitur à paſſiua ſibi correſpondente, non ſolùm realiter, ſed etiam ſpecificè, quoniam actiua includit relationem producentis; paſſiua verò relationem producti, vt diſputatione præcedenti viſum eſt; ſed hæ relationes differunt ſpecie, quia diuerſimodè reſpiciunt diuerſos terminos: ergo productiones etiam in quibus includuntur diſtinguentur ſpecie. Hinc fit proceſſionem actiuam diſtingui etiam à non correſpondente ſpecificè, quia claudit diſtinctam ſpecie relationem, v. g. generatio actiua relationem Patris, & ſpiratio paſſiua relationem ſpirati; ſpiratio actiua relationem ſpiratoris, & generatio paſſiua relationem Filij. 11.

Dico ſextò, proceſſiones diuinæ quouis modo comparentur, conueniunt in aliqua ratione ſibi communi; ſic tenent Caietanus in hac quæſt. 27. art. 1. & Suarez lib. 1. cap. 9. num. 3. contra Scotum, Durandum, & Gabrielem dicentes diuinas proceſſiones differre ſe totis, aut eſſe primò diuerſas. Probatur noſtra concluſio, quia ſicut ab omnibus productionibus creatis abſtrahitur vna ratio productionis creatæ communis actiuis, & paſſiuis ſaltem tranſcendentaliter (nam diuerſis prædicamentis, qualia ſunt actio, & paſſio nihil datur vniuocum) & alia ratio productionis actiuæ, vel actionis communis omnibus actionibus vniuocè; idémque de paſſiuis, ſeu paſſionibus conſtat; ſic poteſt in diuinis abſtrahi conceptus obiectiuus, vel diuinæ proceſſionis, vt ſic communis actiuis, & paſſiuis ſaltem analogicè, vel actiuæ productionis communis actiuis vniuocè, & paſſiuæ proceſſionis communis paſſiuis etiam vniuocè, cùm non tranſcendat vltimas earum differentias, ſed ab illis omnino præſcindatur. 12.

Vnde facilè ad fundamentum tertiæ ſententiæ Reſpond. diſtinguendo de ſpecie ſecundùm naturam ſubſtantialem, & intellectualem, quam fatemur variari non poſſe in diuinis, & de ſpecie ſecundùm proprietates, quas non eſt cur non poſſimus ſpecificè diſtinguere: ſicut omnes homines ſunt eiuſdem ſpeciei ſimpliciter ſecundùm naturam: 13.

naturam; at proprietates albi, & nigri; actiones creationis, & generationis; personalitas Christi, & nostra specie. Vel plusquam specie distinguuntur; sic etiam diuinæ personæ in ordine ad naturam diuinam idem sunt, non solùm specie, sed numero; proprietates verò & processiones illarum in esse talium differre possunt specificè.

CAPVT III.

Opposita diruuntur.

1. AD primam causam dubitandi negatur consequentia, & ad eius probationem distinguitur antecedens: habet totam perfectionem intensiue concedo; extensiuè nego: quæuis enim processio est simpliciter infinita, & habet intensiuè totam perfectionem processionis, quam alia, vel ambæ simul, quatenùs intensiuè est tam perfecta, sicut alia, & sicut ambæ simul propter infinitatem essentiæ, quam vtraque communicat, & cùm identificatur; extensiuè tamen non habet quælibet totam perfectionem quam ambæ simul, quia neutra claudit perfectionem alterius, nec est infinita in tota latitudine processionis; sed quæuis in suo genere, scilicet generationis, vel spirationis actiuæ vel passiuæ; subindéque neutra postulat perfectionem alterius, vt sit in suo genere simpliciter infinita.

2. Ad confirmationem Respond. similiter quauis processione communicari totam Deitatem modo infinito, & quantùm communicabilis est intensiuè, id est, communicatione tam intensè perfecta, quàm est ipsa natura diuina; non tamen extensiuè, quia non communicatur tam latè, quàm est communicabilis Deitas, cùm se extendat ad aliam communicationem, personámque distinctam, debeatque duobus procedentibus communicari; nec possint per vnicam processionem duæ personæ realiter distinctæ procedere, sed quælibet sicut in producto esse, sic in produci debet distingui per oppositionem relatiuam, quæ vtrobique reperitur.

3. Ad secundam, omissis aliis solutionibus, quæ videri possunt in Cnmele hic art. 4. disp. 2. fine. Molina quæst. 36. art. 2. disp. 3. Vasquez 1. p. disp. 148. cap. 2. Respondeo processiones passiuas opponi virtualiter, non propter solam identitatem filiationis cum relatione spiratoris, sed quia filiatio est constitutiua personæ Filij, qui sic constitutus per filiationem est principium *quod* spirationis passiuæ, eo modo, quo actiones sunt suppositorum, & per consequens est correlatiuum Spiritus sancti in ratione spiratoris vt *quod*: Certum enim est relationes diuinas non solùm distingui, opponíque realiter, quatenus correlationes sunt, sed etiam quatenus constitutiuæ correlatorum, de quorum ratione est distingui, quia nihil est correlatum sibi, sed alteri; persona verò spirans, & consequenter suppositum relatum vt *quod* relatione spiratoris ad spiratum est persona Patris, & persona Filij, ac subinde relationes correlatiuorum constitutiuas necessarium est distingui realiter inter se, siue sint ipsæ correlationes, quibus correlata se mutuò respiciunt, quales sunt diuina paternitas, & filiatio, siue non sint correlationes, sed disparatæ, quales sunt filiatio, & relatio spirati. Videatur Molina suprà §. *Præcipua difficultas.*

Camel.
Molina.
Vasquez.

Declaratur hoc magis, si addamus, personas ipsas Patris, & Filij, vt tales sunt, terminare relationem spirati, & non secundùm relationem spiratoris: per hanc enim respiciunt Spiritum sanctum, sed non respiciuntur ab illo: nam aliud est respicere, quod præstant per relationem spiratoris formaliter; aliud verò respici, quod non præstant per relationem spiratoris, sed per suas personalitates, vt docet Suarez; sicut in creatis Pater respicit Filium per paternitatem, terminat verò filiationem secundùm suam entitatem absolutam: ista verò ratio terminandi sufficit ad distinctionem realem: nam relatio realis non potest terminari nisi ad terminum realiter distinctum. Deinde talis ratio terminandi fundatur in ratione producendi, saltem vt *quod*: nam ideò terminant relationem spirati, quia spirant, sed terminant secundùm suas personalitates: ergo spirant secundùm suas personalitates: ergo etiam secundùm illas virtualiter, & radicaliter opponuntur cum spirato. Quare cùm dicitur in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obstat relationis oppositio, non solùm intelligitur de oppositione correlationum, sed etiam correlatiuorum, & terminorum cum relatione, quam terminant. 4.

Rursus opponuntur processiones passiuæ, quatenùs in generatione passiua, vel in eius termino formali virtualiter continetur potentia spiratiua, vt diximus disput. 5. cap. 4. num. 21. Vnde respondeo ad confirmationem Processionum actiuarum neutram esse ab alia vllo modo; passiuarum verò vnam esse ab alia, saltem mediatè: nam per natiuitatem producitur Filius, qui simul est principium vt *quod* spirationis passiuæ, postulatque connaturaliter potentiam spiratricem, quasi affectionem intellectionis sibi formaliter communicatæ. Atque idem est de oppositione inter paternitatem, vel generationem actiuam, cum spiratione passiua; quia Pater vt Pater est principium *quod* spirationis passiuæ, & correlatiuum, vt *quod* spirati; Continétque volitionem fœcundam, ac subinde quasi virtualiter præcontinet relationem spiratoris, in qua notione conuenit cum Filio; quia volitio diuina petit in quouis supposito, in quo nondum prodierit in actum, omne complementum intrinsecum ad prodeundum: taliter verò habet Pater æternus volitionem à se, & taliter communicat eam Filio vt eadem potentia spiratiua quasi radicetur, & cõtineatur virtualiter in vtroque & in alterutro, non consequuta quidem ad filiationem, quatenus filiatio est, vt sic, sed quatenus simul cum intellectione est communicatio volitionis nondum effœtæ (vt sic dicam) sed adhuc exigentis complementum ad spirãdum. 5.

Dices, Deitas est radix paternitatis, & hæc opponitur filiationi; nihilominus Deitas non opponitur filiationi, nec distinguitur realiter ab illa: ergo quòd natiuitas sit radix virtualis spirationis actiuæ, non arguit oppositionem, aut distinctionem natiuitatis à spiratione passiua; sed contrà: nam in humanis, & diuinis vniuersaliter est certum, non posse aliquid producere seipsum, nec rem à qua producens adæquatè dimanat, nec posse aliquid esse principium *quod* sui ipsius; Non est autem vniuersaliter verum, relationem debere respicere terminum distinctum realiter, non solum à semetipsa, sed etiam à sua radice virtualis; siquidem relatio prædicamentalis creata, quæ distinguitur à suo fundamento, per semetipsam respicit illud vt principium, vt distinctum vt proximum, 6.

proximum, &c. ne multiplicentur relationes distinctionis distantes, vel similes in infinitum. Igitur poterit in diuinis radix virtualis relationis identificari cum termino illius, sicut potest in humanis esse terminus ipse; non tamen poterit radix adæquata potentiæ spiratricis identificari adæquatè cum termino ipsius, quia non potest vllo modo produci per potentiam, ad quam supponitur. Itaque concluditur inter radicem relationis, & terminum illius non esse necessariam essentialiter distinctionem: potest enim essentia vtriusque saluari, cum identitate reali: At inter radicem adæquatam potentiæ productricis, & terminum illius requiritur essentialiter distinctio realis, ita vt sine tali distinctione consistere non possit essentialis ratio radicis adæquatæ, etiam virtualis, & potentiæ productricis à tali radice, saltem virtualiter manentis, & termini producti per talem potentiam.

7. Ad tertiam rationem Respond. licèt actus intelligendi, & amandi non distinguantur realiter, sed virtualiter, quia neuter est ab illo realiter, sed virtualiter; processiones tamen distingui realiter, quoniam vna est ab alia realiter modo dicto, ac per consequens habent relatiuam oppositionem producentis, & producti. Quod potissimùm suadetur ex fide, & hac suppositia redditur ea probabilis ratio congruentiæ per analogiam ad intellectionem, & volitionem creatam: nam licèt in Deo solùm distinguantur virtualiter, tamen ita se habent in ordine ad productiones suorum terminorum, ac si distinguerentur realiter, sicut in nobis vbi Verbum mentis est reale principium amoris creati: similiter ergo Verbum increatum erit principium amoris increati, ac per consequens vna processio passiua erit ab alia modo dicto.

8. Ad primam confirmationem Respond. iuxta suprà dicta num. 1. eiusdem virtutis non posse dari plures actus adæquatos extensiuè, benè tamen intensiuè: nam causa vniuoca habet plures effectus intensiuè sibi adæquatos; Quæuis autem processio diuina præcisè adæquat virtutem Dei productricem ad intra intensiuè, non tamen extensiuè. Ad secundam negatur sequela, & ad eius probationem dicimus quamuis illæ scientiæ, & affectus distinguantur virtualiter in ordine ad aliqua munia realia, non tamen in ordine ad distinctas processiones reales singulis illis formalitatibus respondentes, sicut distinguuntur intellectio, & volitio; quod præcipuè innititur ex fide proponente has duas processiones, & non alias; supposita verò fide reddi potest congrua differentiæ ratio; quia volitio non solum distinguitur, sed etiam oritur virtualiter ab intellectione; Vnde congruenter infertur processionem per volitionem oriri realiter, ac subinde distingui quoque realiter à processione per intellectionem, vt ostensum est. At scientia practica v. g. licèt distinguatur, non tamen oritur virtualiter à speculatiua, vel è contra, atque idem est in odio peccatoris, & amore iusti, aliisque eiusmodi, quæ fient separantur in creaturis, possent ex suppositione impossibili concipi separata in Deo; volitio verò non posset in Deo dari, si per impossibile non esset in illo intellectio. Aliam congruentiam reddit Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 9. n. 5. & 6.

* * *

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

QVÆSTIO XXVIII. S. Thomæ.

De relationibus diuinis.



QVONIAM ex tribus relationum fundamentis ab Aristotele assignatis 5. Metaphysicæ cap. 15. text. 40. secundum in creaturis est actio, & passio, quibus in Deo correspondent processiones; ideò postquam de his egit S. Thomas, rectè subiungit tractationem de relationibus, quæ propterea dantur in Deo, quia reperiuntur intra illum processiones personarum.

ARTIC. I.

Vtrùm in Deo sint relationes reales.

CONclusio affirmat, & probatur à S. Thoma: Primò, quia Deus est realiter Pater, & Filius, sed est paternitate, & filius filiatione: ergo paternitas & filiatio sunt in Deo relationes reales. Patet consequentia, quia si essent relationes rationis, aut denominatio solùm extrinseca non possent personæ relationibus multiplicari, ac distingui realiter, & cùm non possint nisi relationibus distingui, vt infrà ostendemus, incideremus in hæresim Sabellianam impugnatam disp. 1. Probatur, quia relationes intercedentes inter res eiusdem naturæ & ordinis, quarum vna procedit ab alia, non sunt relationes rationis, sed reales: Atqui diuinæ relationes sunt inter personas eiusdem ordinis, & eiusdem numero naturæ, quarum vna procedit ab alia: ergo sunt relationes reales.

ARTIC. II.

Vtrùm relatio in Deo sit idem quod sua essentia.

PRima conclusio: Relationes diuinæ sunt in re idem cum essentia diuina; est de fide, vt constat ex Concilio Rhemensi contra Gilbertum, & ex Lateranensi in cap. *firmiter*, & in cap. *Damnamus*. Probat S. Thomas; primò quia omnis res, quæ non est diuina essentia, est creatura: ergo si relationes diuinæ non sunt essentia diuina, erant creaturæ. Secundò, quia quod in creaturis habet esse accidentis, translatum ad Deum habet esse substantiæ, cùm in Deo nullum sit accidens: ergo relationes diuinæ habent in Deo esse substantiale diuinæ essentiæ: quidquid enim est in Deo est essentia diuina. Secunda conclusio: Relatio diuina distinguitur ratione ab essentia. Probatur, quoniam in relatione diuina importatur respectus ad terminum, non verò in essentia diuina. Concil. Rhemens.

ARTIC. III.

Vtrùm relationes, quæ sunt in Deo realiter ab inuicem distinguantur.


NOn petit vniuersim, Vtrùm omnis relatio realis existens à Deo, distinguatur realiter ab alia quacunque relatione diuina; sed indefinitè, Vtrùm inter relationes reales, quæ sunt in Deo

Deo datur distinctio realis, & in hoc sensu conclusio affirmat, & est de fide, vt colligitur ex Concilio Toletano II. in confessione fidei, & ex Florentino sess. 18. S. Thomas probat: nam quoties aliquid tribuitur alicui, tribuenda sunt illi omnia, quæ sunt de ratione rei attributæ (intellige quæ sunt de ratione illius secundùm communissimam abstractionem à creato, & increato, vt explicant hic Caietanus & Vasquez) sed de ratione relationis (intellige secundùm suprà dictam abstractionem) est respectus vnius ad alterum, secundùm quem aliquid opponitur alteri relatiuè; Cùm ergo sit in Deo relatio realis ad intrà, oportet quòd sit ibi oppositio, ac subinde detur distinctio realis relationum sic oppositarum.

ARTIC. IV.

Vtrùm in Deo sint tantùm quatuor relationes.

Conclusio affirmat, & cùm sit exclusiua duas habet exponentes. Prima quæ asserit in Deo esse quatuor relationes reales, est tam certa Molinæ, vt contrarium appellet errorem in fide. Secunda, quæ negat esse plures probatur à S. Thoma, quia relatio diuina fundari potest in sola actione, vel operatione ad intrà. Sed in Deo est duplex tantùm processio, & secundùm quamlibet sunt duæ tantùm relationes reales, altera producentis, altera producti, quæ in generatione sunt Paternitas, & filiatio, in productione Spiritus sancti mutuatis vocibus ab originibus altera vocatur spiratio, altera processio: ergo sunt quatuor relationes.



DISPVT. VII.

An dentur in Deo relationes, & quales.



EGIMVS de relatione in logica, vbi distinximus relationes rationis, & reales; transcendentales, & prædicamentales. Certum est in Deo dari relationes rationis, quibus dicitur Creator, aut Dominus ex tempore. De relationibus realibus tam prædicamentalibus, quàm transcendentalibus manet inquirendum.

CAPVT I.

Rationes dubitandi.

1. Prima sit: Relatiuum est, cuius totum suum esse est ad aliud se habere: ergo sic Pater dicitur relatiuè ad Filium, totum suum esse habet à Filio, quod est hæreticum; Consequentia patet: nam esse relationis pendet à termino; ideò correlatiua posita se ponunt, perempta se perimunt: ergo in Deo non datur relatio realis. Secunda ratio sit. Ea quæ non sunt perfecta Deo non attribuuntur, vt materia, priuatio, motus; sed relatio inter omnia entia habet debilius esse, vt dicunt Philosophi: ergo non est ponenda in Deo.

2. Tertia ratio dubitandi sit, quia relatiua sunt, quæ quomodolibet respiciunt aliud, vel quibus hoc ipsum est esse ad aliquid aliquo modo se habere: sed in diuinis non est aliquid, aut aliud, quod possint relationes respicere: nam aliud in neutra terminatione, qualiter ponitur in definitione relatiuorum, innuit diuersitatem in essentia, quæ cùm in Deo non possit esse diuersa, nec dabuntur in Deo relationes, quatum totum esse est ad aliud.

Quarta sumitur ab inconuenienti, quia positis relationibus realibus in Deo, sequitur eandem entitatem simplicissimam, v.g. Patris esse simul absolutam, & relatiuam, ac subinde respicere aliud, & non respicere; sequitur esse in Deo plures relationes, ac per consequens plures realitates, plures existentias, perfectiones, essentias, & substantias: ad multiplicationem enim relationum realium omnia hæc multiplicanda sunt. Quod videtur admodum dissonare. 3.

S. Thomas in hac quæst. 28. art. 1. docet, quòd alia genera, vt quantitas, qualitas, & similia secundùm propriam rationem significant aliquid inhærens; ea verò quæ dicuntur ad aliquid, significant secundùm propriam rationem solum respectum ad aliud, qui aliquando est realis, aliquando rationis. Hanc doctrinam varij variè accipiunt, & traduot. Primò quidam dicunt, mentem S. Doctoris esse, quòd vera, & propria ratio relationis inueniatur in relationibus rationis, sicut in realibus, cùm secùs eueniat in aliis prædicamentis: non enim minùs refertur genus ad speciem, quàm Filius ad Patrem: ideò deceor formaliter rationem relationis non esse aliquid, sed ad aliquid se habere; & ita de se nec esse ens reale, nec rationis, sed ab vtroque præscindere. Alij totum hoc concedunt de relatione latè sumpta, quamuis propria, tamen addunt relationem magis strictam esse realem, nec vllo modo rationis, & huc pertinere relationes paternitatis, filiationis, & similes. Sic Ferrara 4. contra Gentes cap. 14. 4.

Ferrara.

Tertiò Caietanus hic art. 1. & Capreolus in 1. dist. 33. quæst. 1. dicunt, in relatione reali duo debere distingui, & quòd sit inhærens, & quòd dicat respectum ad aliud, siue, vt alij loquuntur, esse *in*, & esse *ad*: secundùm esse *in* admittunt relationem esse aliquid reale, negant verò secundùm esse *ad* dicere realitatem etiam relationem diuinam. Vnde colligunt, relationem secundùm vltimam differentiam relationis non esse aliquid, sed ad aliquid, quoniam vt sic non dicit *in*, sed *ad*; & quidem relatio realis non habet quòd sit realis ex termino, sed ex fundamento; Quare relatio cogniti ad cognitionem non est realis, etsi terminus sit realis, quia fundamentum eius non est reale: ergo nulla relatio secundùm esse *ad* præcisè dicit realitatem. 5.

Caietan. Capreolus.

Receptum quidem est enti, & non enti, siue enti reali, & rationis nihil esse commune, saltem essentiale, & vniuocum; analogum tamen aliquid attributionis aut proportionalitatis non repugnat dari vtrique commune, vt docet in præfenti Molina: Quoniam igitur hæc proportionalitas est maior inter relationes rationis, & reales, quàm inter alia entia rationis, & realia, scilicet inter formam positiuam, & priuatiuam, forsan propter debilissimam entitatem relationis creatæ prædicamentalis, ideò S. Thomas prædictum discrimen assignauit; expressè tamen concludit Patrem, & Filium habere respectus reales ad inuicem; vbi satis insinuat, etiam secundùm rationem *ad* dicere realitatem. 6.

CAPVT

CAPVT II.

Nostra sententia.

1\. Dico primò: In Deo sunt relationes reales. Probatur primò ex Scriptura nominante personas diuinas nominibus significantibus relationem, videlicet Patris, & Filij. Probatur secundò ex Concilio Toletano II. in confessione fidei, Vbi inter alia dicit. *In relatione personarum numerus cernitur, & infrà. Hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt*, & quamuis expresè non dicat, has relationes esse reales, id tamen colligitur ex modo loquendi de illis; dicuntur enim esse verè, ac propriè in Deo, non minùs quàm substantia, numerare quoque, seu distinguere personas realitèr, quòd præstare non potest nisi relatio realis. *(Concil. Tol. II.)*

2\. Probatur tertiò ex Patribus, sic enim docent Ioannes Theologus in Florentino sess. 18. Augustinos, Anselmus, & alij, quos refert Suarez lib. 5. cap. 1. & Vasquez 1. part. disp. 114. præsertim Boëthius 1. de Trinit. cap. 2. vbi ait. *Substantia prabet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* Cum verò cap. 6. dicit, ad aliquid non prædicari de Deo, aliter exponit S. Thomas quæst. 28. art. 1. ad 1. scilicet non prædicari per modum inhærentis Deo, sed solùm per modum recipientis; Alitèr exponunt Vasquez & Suarez, qui ex contextu colligunt ibi loqui Boëthium de relatione Dei ad creaturas. *(Ioan. Theo. Suarez. Vasquez. Boëth.)*

3\. Probatur quartò, ex vnanimi consensu Theologorum cum Magistro in 1. dist. 33. & cum S. Thoma hic, & de potentia quæst. 8. art. 1. vbi dicit esse de fide. Probatur quintò ratione: nam in Deo reperiuntur omnia, quæ ad relationem realem requiruntur, scilicet distinctio realis personarum, processio vnius ab alia in eadem natura, & ordine. Quòd si fundamentum requiras, datur etiam ibi potentia generatiua, & spiratiua realis, datur etiam terminus omninò necessarius, defectu cuius relatio creatoris in Deo non est intrinseca, nec realis: ergo dantur relationes diuinæ reales.

4\. Dico secundò, relationes diuinæ sunt reales, non solùm quoad esse *in*, sed etiam quoad esse *ad*. Sic tenent communiter Cumel, Vasquez, Suarez, & alij. Probatur primò, nam esse *ad* claudit intrinsecè, ac essentialiter esse *in*, nec potest ab illo præscindi: ergo vbi esse *in* est reale, etiam esse *ad* erit reale. Antecedens probatur: nam esse *ad* essentialiter dicit habitudinem: ergo vnius ad aliud: ergo essentialiter dicit referre subiectum ad terminū, vbi iam essentialiter clauditur esse in subiecto: nequit enim intelligi, quid referat relatio, nisi suppositum in quo est. Probatur secūdò: nam in diuinis esse *ad* est habitudo intrinseca, v.g. Patris ad Filium, & è contra: ergo sicut Pater intrinsecè, ac realiter est Pater, sic illud esse *ad* debet esse reale, alioquin oppositio, cōstitutio, & distinctio personarum, quæ proueniunt à relationibus secundùm rationem formalem relationis, nec solùm prout relationes sunt in suppositis, sed etiam, imò præcipuè prout respiciunt terminos, vt loquitur Concilium Toletanum, & Patres, non essent reales, quod apertè derogat veritati huius mysterij.

5\. Dico tertiò, in Deo sunt relationes reales prædicamentales, siue ad modum prædicamentalium, quæ in hoc differunt à transcendentalibus, quòd prædicamentales petunt terminum existentem, & respiciunt illum purè vt terminum, transcendentales autem non petunt existentem terminum, nec respiciunt illum purè vt terminum, vt latiùs docuimus in Logica. Hanc conclusionem videntur tenere Theologi, qui docent diuinis relationibus conuenire rationem prædicamenti ad aliquid, non minùs quàm essentiæ diuinæ conuenit ratio prædicamenti substantiæ, seclusis tamen imperfectionibus substantiæ & relationis creatæ, vt patet ex Augustino 5. de Trinit. cap. 8. & sequentibus, S. Thoma hic, Vasquio 1. p. disp. 114. cap. 3. & alijs. *(August. Vasquez.)*

Ratio est manifesta: nam in Deo est vera paternitas, & filiatio, imò magis propriè quàm in creaturis, iuxtà id ad Ephes. 3. *Ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur.* Sed paternitas, & filiatio sunt respectus prædicamentales, & idem est de relatione spiratoris, & spirati: ergo dantur in Deo relationes prædicamentales. Confirmatur, quia productionem creatam necessariò comitatur relatio prædicamentalis inter producens, & productum distincta realiter à productione, siquidem non magis dicit imperfectionem, quam productio; Et quidem ea, quæ non dicunt imperfectionem in nobis, & distinguuntur realiter, quales sunt productio, & relatio prædicamentalis, dari debent in Deo, saltem virtualiter, vel ratione distincta. 6. *(Ephes. 3.)*

Dico quartò, dantur in Deo relationes transcendentales, quæ non respiciunt terminum purè vt terminum, sed vt principium, vel principiatum. Hæc conclusio non habetur expresè in antiquis Doctoribus, traditur ab Hurtado disp. 15. metaphysicæ sect. 9. & ab alijs Recentioribus. Probatur, quia secundùm doctrinam logicorum relatio transcendentalis est quæ non respicit terminum purè vt terminum, sed vt causam, vel effectum, vt obiectum, vt complementum, vt producentem, vel productum, &c. Sed in Deo est potentia productiua & productio realis ad intrà: ergo sunt etiam relationes reales transcendentales: Vt enim ait S. Thomas in hac q. 28. art. 3. cui tribuitur aliquid propriè, tribuitur etiam id, quod est de ratione illius; de ratione verò potentiæ productiuæ, vel productionis abstrahentis à diuina, & humana est esse respectum transcendentalē ad productum, vel ad producens, sicut de ratione paternitatis, & filiationis est esse respectum prædicamentalem ad terminum, nec respectus transcendentalis dicit imperfectionem magis, quàm prædicamentalis, sicut generatio non magis dicit imperfectionem, quàm paternitas, & filiatio: ergo tam propriè sunt in Deo relationes transcendentales, sicut prædicamētales, & sicut productiones. 7. *(Hurtadus.)*

Confirmatur primò, quia potentia generatiua, & generatio diuina in ratione potentiæ, & generationis conueniunt cum humana potentia & generatione non minùs quàm paternitas & filiatio diuina cum humana in ratione paternitatis & filiationis: ergo sicut hæ participant rationem respectus prædicamentalis inclusi in paternitate, ac filiatione humana, sic etiam illæ participant rationem respectus transcendentalis inclusi in potentia, & generatione humana. Confirmatur secundò, quia licèt non essent in Deo paternitas, & filiatio, quæ sunt relationes prędicamentales, sed solùm potentia, & generatio actiua, & passiua; adhuc essent in illo respectus reales productiui, & producentis ad productum, produ- 8.

ctique ad producens ratione potentiæ, ac generationis tam actiuæ, quàm passiuæ, sicut potentia, & generatio creata etiam præcisa paternitate ac filiatione est respectus realis: ergo essent respectus transcendentales, quia non sunt respectus reales nisi prædicamentales, vel transcendentales: ergo nunc etiam sunt transcendentales, quia non minùs sunt modò potentia, & productiones in Deo, quàm si non essent in illo relationes prædicamentales.

9. Quòd si petas, an & quomodo relationes prædicamentales, & transcendentales distinguantur inter se in Deo? Respondent moderni non distingui ratione præcisiua, sed ratione nullo modò præcisiua. Probant primò, quia non habent terminos reipsa distinctos. Secūdò, quia quidquid competit personæ ratione originis propriæ, quæ est relatio transcendentalis, competit ratione relationis prædicamentalis, & è contrà: sicut enim Pater actiua generatione gignit, sic etiam paternitate; & sicut est pater paternitate, sic etiam generatione, & per vtramque æqualiter constituitur a parte rei in ratione personæ: ergo non differunt virtualiter, aut ratione præcisiua, sed solùm non præcisiua; quatenùs per species generationis, & paternitatis humanæ modò cōcipimus explicitè vnam rationem, modò aliam. Probant tertiò: nam alioquin essent in Deo octo relationes reales, quatuor transcendentales, & quatuor prædicamentales, contra communem Theologorum. Sequela probatur, quia distinctio virtualis, aut præcisiua sufficit ad realem numerum relationum.

10. Hæc mihi non videntur conuincere; quare, suppositis supradictis, censeo relationes transcendentales, & prædicamentales in Deo distingui virtualiter, & ratione præcisiua inter se. Primò, quia dicunt formaliter diuersas, quæ in creaturis distinguuntur realiter. Ergo in diuinis distinguuntur ratione præcisiua, cùm non sit necessaria mutua inclusio vnius in alia: Quippe tota necessitas, quæ nos coëgit disputatione quinta ad includendam relationem in potentia, & in generatione actiua, & passiua, fuit distinctio realis, quæ debet intercedere inter producens, & productum. Sed hæc distinctio sufficienter habetur per relationem transcendentalem, quam inuoluunt potentia, & processio in suis rationibus: talis enim relatio dicit etiam intrinsecam oppositionem cum termino, quamuis illum respiciat, non purè vt terminum, sed vt principiū, aut principiatum: ergo non est cur includat intrinsecè in suo conceptu obiectiuo præciso relationem prædicamentalem, quæ potiùs petit ex se supposita processione, & termino iam producto resultare, vt præcisè referat producentem ad productum purè vt ad terminum; & è contrà.

11. Probatur secundò, solutione argumentorum in contrarium. Ad primum enim Respondeo requiri terminos realiter distinctos ad numerū relationum realium simpliciter multiplicandum in communi acceptione, vt videbimus disp. 9. tamen ad distinctionem præcisiuam earundem sufficit, si eundem terminum diuersimodè respiciant, scilicet vel vt purè terminum, vel vt principium, aut principiatum, sicut in humanis ob eandem diuersitatem dantur relationes prædicamentales, & transcendentales distinctæ realiter inter se, licèt ad eundem omninò terminum. Ad secundum negatur antecedens, quia ratione generationis actiuæ conuenit Patri respicere transcendentaliter Filium, non prædicamentaliter; nec in hac opinione Pater gignit paternitate prædicamentali, sed transcendentali, nec est Pater prædicamentaliter generatione, sed transcendentaliter, & consequenter de constitutione personarum philosophandum erit, vt suo loco videbimus. Ad tertium constat ex solutione primi non multiplicari numerum relationum realium sine diuersitate reali terminorum.

CAPVT III.

Enodantur rationes dubitandi.

1. AD primam Respondeo, relationem etiam creatum, si prædicamentale sit, nunquam, si transcendentale sit, non semper pendere per aliquam causalitatem à suo termino, licet illum requirat vt conditionem aliquo modo iuxta diuersitatem relationis. Proportionaliter in diuinis Pater dicit transcendentalem ordinem, & prædicamentalem ad Filium, sine vlla dependentia ab illo, requirit tamen illum necessariò, vt productum, aut vt terminum quem respiciat: Hoc autem non excedit rationem conditionis, sine qua non esset Pater deficiente Filio, nec est inconueniens, quod ad esse Patris, vt Pater est, requiratur Filius vt conditio, cùm ipse quoque Filius sit increatus, & necessarius in suo esse: Nec in relatione Filij, vel Spiritus sancti reperitur vlla dependentia, sed productio sine illa, iuxta supra dicta disput. 1. cap. 6.

2. Secunda non procedit in relatione transcendentali: nam hæc etiam in creaturis dicit eandem perfectionem, quam substantiæ vel formæ, quas transcendit, & à fortiori in Deo. Relatio verò prædicamentalis in creaturis habet debilissimam entitatem, quia supponit fundamentum, & terminum, nec producitur per se, sed resultat ad positionem alterius, & facilè deficiente termino euanescit: at in Deo relationes etiam prædicamentales sunt subsistentes omninò necessariæ, per se productæ in secunda & tertia persona, sine vlla tamen dependentia, identificanturque cum diuina natura. Quare potiùs dicunt perfectionem in Deo.

3. In quo sic est philosophandum: vt relatio prædicamentalis spiratoris sit priùs origine in Patre, & ab isto communicetur secundæ personæ, sicut volitiones reflexiuè scilicet, non in primo signo, quo communicatur natura, sed in sequentibus; in eodem tamen signo, quo intelligitur esse in Patre talis relatio, intelligitur communicari Filio. Similiter filiatio prædicamentalis producitur à Patre in signo sequenti post productionem relationis transcendentalis; relatio prædicamentalis spirati producitur proportionaliter à Patre, & Filio; quia cùm illæ relationes sint productæ realiter, & non à personis, quibus insunt, quia non distinguuntur realiter ab illis, debent necessariò produci ab ipsis principiis productiuis relationum transcendentalium, & ad perfectionem vtique relationum istarum prædicamentalium, cùm sint diuinæ, pertinet, vt non intelligantur resultare: sicut humanæ, sed per se produci, licèt secundariò: sicut passiones identificatæ cum essentia creata producuntur ab agente, adhuc tamen intelliguntur dimanare ratione nostra ab essentia: nam hæc

dimanatio

dimanatio rationis non impedit productionem realem ab agente.

4. Molina. Ad tertiam benè Molina in hac quæst. 28. a. 2. disput. 5. in fine respondet in definitione relatiui particulam ad *aliud* idem significare ac ad distinctum, siue illud distinguatur essentialiter, siue personaliter. Dici etiam potest sumi adiectiuè, id est, ad aliud relatiuum, siue illud sit diuersum essentialiter, siue non. Alterutro modo capi potest, August. quod dicit Augustinus lib. de fide ad Petrum c. 2. scilicet *in hac sancta Trinitate aliud est genuisse, & aliud natum esse; & aliud est spirare, aliúdque procedere.* Et lib. 5. de Trinit. cap. 5. ait *diuersum est Patrem esse, & Filium esse.* Sic ferè exponit Magister. Augustinum Magister in 1. distinct. 26.

5. Ad quartam Respond. non esse maius inconueniens eandem rationem esse simul absolutam, & relatiuam secundum diuersas rationes, quàm communicari, & non communicari propter eandem distinctionem virtualem, quod disp. 1. cap. 6. fuit expeditum. Cetera inconuenientia, quæ opponuntur in decursu sequentium disputationum expedientur.

DISPVT. VIII.

An, & quomodo relationes diuinæ distinguantur ab essentia.

De distinctione diuinorum attributorum tam inter se, quàm ab essentia diuina diximus lib. 1 disput. 16. & 17. Igitur iuxtà ibi dicta est ferè procedendum in præsenti difficultate.

CAPVT I.

Variæ sententiæ.

1. Rationes dubitandi sunt eædem, quæ mysterium ipsum oppugnant, & suprà disp. 1. fuerunt adductæ: Nam quæ non sunt idem inter se, non possunt esse idem vni tertio. Verificantur contradictoria de essentia, & relationibus: ergo distinguuntur realiter. Propter hæc est prima sententia Gilberti Porretani, qui sensit relationes diuinas distingui realiter ab essentia tanquam rem à re: dicebat enim tres proprietates in personis esse tres res æternas, & ab inuicē, & à diuina substantia numero differentes, vt ha- Cõcil. Rhemense. betur in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. Bernard. Vnde Bernardus serm. 8. in Cant. & lib. 5. de consideral. impugnat Gilbertum tanquam po- Suarez. nentem quaternitatem in Deo. Videatur Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 1.

2. Secunda sententia est Scoti, Nominalium, & Scotus. Durandi distinguentium relationem ab essentia ex natura rei. Et quidem sensus Scoti circa distinctionem istam dubius est, vt notaui lib. 1. disp. 15. & 17. Dicit enim in 1. dist. 2. q. 4. & 7. relationes non esse idem à parte rei cum essentia, non tamen dicit expresse distingui relationem à parte rei ab essentia, nec vocat hanc distinctionem simpliciter realem, sed formalem, vel ex natura rei, nunquam vocat illam virtualem, negans esse realem actualem, ac tandem concludit posse vocari rationis.

3. Durand. Magis expressè Durandus in 1. dist. 33. q. 1. & dist. 34. q. 2. & 3. non dubitat fateri distinctionem realem non rei à re, sed qualis est inter rem, & modum, sicut in nobis subsistentia distinguitur à natura: Quia Damascenus lib. 1. de fide, cap. 9. 11. Damascen. & 13. docet personas diuinas differre quoad existendi modum: Quam opinionem amplecti videntur Nominales Ochamus in 1. dist. 1. & 33. Ochamus. Marsilius ibi quæst. 3. art. 2. Gabriel in 3. dist. 2. Marsil. quæst. 1. art. 1. & 3. dubit. 3. licèt interdum sub- Gabriel. obscurè loquantur.

Franc, de Lugo in 1. part. D. Thomæ.

Tertia sententia est Molinæ hic art. 2. d. 6. Vasquij d. 121. & aliorum distinguentium relationem, 4. Molina. & essentiam diuinam distinctione rationis omninò præcisiua; ita vt nec relationes sint de essentia Vasquez. diuinæ naturæ, nec è contrà diuina natura claudatur essentialiter in relationibus.

Quarta sententia huic extremæ contraria est 5. quorundam Recentiorum apud Cumelem hic Cumel. art. 2. disp. 3. circa finem, & apud Suarium lib. 4. Suarez. de Trinit. c. 5. dicentium non distingui præcisiuè vllo modo, sed essentiam diuinam esse de conceptu essentiali relationum, & è contrà relationes esse de conceptu essentiali essentiæ diuinæ; quia mutuò sunt idem: ergo essentialiter. Videtur astipulari Caietanus 1. p. q. 27. a. 2. & q. 39. Caietan. art. 1. Ferè consentit Aureolus in 1. dist. 2. dicens Aureolus. relationes nec re, nec ratione distingui ab essentia, quia putat etiam distinctionem rationis repugnare summæ simplicitati Dei. Probatur primò: nam aliàs daretur in Deo compositio rationis, quod reputat inconueniens. Secundò: nam essentia faceret numerum cum relationibus, & sic esset paternitas in Deo. Tertiò, quia conceptus paternitatis nihil addere potest conceptui diuinæ essentiæ, quoniam si quid reale superadderet, darentur ibi duæ realitates. Quartò, quia personæ includuntur in conceptu essentiæ.

Quinta sententia est Henrici quodlib. 5 q 6. 6. Canariensis hic art. 2 d. 3. Cumelis ibi disp. 3 Sua- Henric. rij suprà c. 5. & 7. Albertini tom. 1. principio 7. Canariens. corollario 1. distinguentium essentiam à relatio- Cumel. nibus. Præcisiuè, non tamen è contra, quia putant Suarius. Deitatem esse de essentia relationum. Vnde istæ Albertin. non possunt ab essentia diuina præscindi, è contrà verò relationes non esse de essentia Deitatis, & ita hanc posse præscindi à relationibus.

Sexta sententia sit huic è regione opposita di- 7. cens relationes esse de conceptu essentiali essentiæ diuinæ, non verò è contrà. Sic Egidius Lu- Egid. Lusit. sitanus tom. 1. de beatitudine lib. 5. quæst. 13. a. 1. §. 2. refert quosdam Thomistas affirmare diuinam essentiam essentialiter includere relationes in semetipsa, citat Magistrum Bannes 1. p. q. 28. Bannes. art. 1. dub. 3. ad 6. & vltimum argumentum. Va- Valentia. lentiam tom. 1. disp. 2. q. 4. punct. 1. & Sotum in 4. Sotus. dist. 49. quæst. 3. art. 3. post secundam conclusionem; ipseque Egidius eandem sententiam amplectitur §. 4 si essentia diuina sumatur in sua adæquata veluti totalitate; atque art. 2. §. 2. docet relationes non includere essentialiter diuinam essentiam.

CAPVT II.

Vera decisio.

Dico primò; Relationes diuinæ non distin- 1. guuntur ab essentia actualiter, nec vt res à re, nec vt modus à re. In hoc conueniunt

quatuor posteriores sententiæ, & communiter Doctores. Prima pars conclusionis definita est contra Gilbertum in Concilio Rhemensi, vbi dicitur. *Nec aliquas omninò res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiusmodi adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.* Et Eugenius III. definiuit, Deum simpliciter esse suam essentiam, cùm in creatis homo non sit sua humanitas. Similiter
Concil. Florent. Lateran. in Florentino sess. 1. 19. & vltima, reperitur substantiam, & personam diuinam esse idem: in Lateranensi cap. *Firmiter*, definitur in Deo esse tres personas, sed vnam naturam omninò simplicem, & cap. *Damnamus* definitur, non esse in Deo quaternitatem; Hæc autem manifestè sequitur ex
Bernard. Vasquez. sententia Gilberti. Videantur Bernardus serm. 60. in Cantic. & Vasquez 1. p. disp. 120.

2. Secunda pars conclusionis probatur contra secundam sententiam eisdem Conciliis: nam in primis essentia res est, relationes etiam, etsi concipiantur à nobis ad modum relationum creatarum, quæ sunt modi, verè tamen sunt res, alioquin essent valdè imperfectæ: imò licèt essent modi, haberent adhuc entitates reales distinctas realiter ab entitate essentiæ, saltem modaliter, ac subinde daretur quaternitas in Deo, quatuor scilicet entitatum realiter distinctarum contra Lateranense. Deinde habent esse distinctum à Deitate iuxta sententiam illam; ergo vel illud esse est à se ac diuinum, & sic erunt plures Dij; vel non est à se, & sic erit creatum, vel saltem non erit esse Dei: Vnde relatio non erit Deus contra Rhemense. Et sicut homo dici non potest humanitas, quia claudit subsistentiam realiter distinctam modaliter; sic Deus aut persona diuina, & à fortiori relatio non poterit Deus appellari. Denique sequeretur compositio realis in diuinis personis, aliaque inconuenientia, quæ deduximus suprà lib. 1. d. 17.
Suarez. Videantur Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 2. & alij Recentiores, qui congerunt sententias Patrum, & argumenta contra Durandum.

3. Dico secundò; Relationes non sunt de essentia Deitatis, aut essentiæ diuinæ; sic tenent tertia, & quinta sententia; Docétque S. Thomas suprà quæst. 33. art. 3. ad 1. Vbi dicit propria non esse de conceptu communium, & quæst. 8. de potentia art. 2. dicit, istam propositionem non esse per se. *essentia est paternitas.* & 3. p. q. 3. a. 4. dicit, quòd intellectus noster potest intelligere bonitatem, & alia attributa essentialia non intellecta paternitate, & filiatione, quæ sunt personalia: ita
Ferrara. etiam Ferrara lib. 2. contra Gent. cap. 9. Egidius
Egid. Rom. Romanus, Argẽtinas, Boëthius, Augustinus, An-
Argentinas & alij. selmus apud Suarium suprà c. 5. Fauent Concilia & Patres dum distinguunt in Deo communia à propriis, absoluta à relatiuis, & communia, siue absoluta vocant essentialia, propria verò, seu relatiua non ita, sed vocant illa personalia. Quòd si relationes essent de essentia Dei, forent æquè essentiales, ac prædicata communia vel absoluta.
Molina. Deinde sic arguit Molina d. 6. si paternitas includeretur in Deitate, essentia diuina generaret, &
Concil. Lat. generaretur contra Lateranense in cap. *Damnamus*; Nam quod includit paternitatem, generat vtique, & quod includit filiationem generatur.

4. Ratio præcipua conclusionis est, quoniã quidquid est de essentia alicuius rei, debet vbicunque res fuerit reperiri, cùm nequeat res esse, nec dum intelligi sine sua essentia: ergo quidquid est de essentia Deitatis, debet esse de essentia singularum personarum, cùm in singulis tota reperiatur essentia: Sed relationes non reperiuntur omnes in singulis personis, quia nulla persona est essentialiter Trinitas, cùm tamen singulæ sint essentialiter Deus: ergo relationes non sunt de essentia Deitatis.

Confirmatur primò, quia Lateranense in cap. 5.
Firmiter dicit, *Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuisa, & secundùm personales proprietates discreta.* Et in cap. *Damnamus* definit, Patrem communicasse Filio totam essentiam, non verò relationem: est ergo tota diuina essentia indiuisa, tota communis, tota absoluta, tota extra relationem, quod secus esset, si relationes ad illam essentialiter pertinerent. Nec valet, ad hoc quod tota essentia sit in singulis personis, sufficere si quælibet habeat essentiam, quæ realiter identificat secum omnes relationes: nam aliud est idem esse realiter essentiam, & relationem, aliud esse relationes de essentia Deitatis, sicut à parte rei idem est animal cum differentiis illud contrahentibus, tamen hæ non sunt de essentia animalis, alioquin vbicunque esset animal, esset etiam rationale, hinnibile, ac latrabile, vel non esset in homine tota essentia animalis, si quædã rationes essentiales illi deessent; sicut non est in homine tota essentia equi, quia deest ipsi quædam essentialis differentia equi.

Confirmatur secundò, quia relationes diuinæ 6.
non sunt de essentia Deitatis, siue sumantur collectiuè, siue diuisiuè: ergo nullo modo. Antecedens, quoad primam partem, patet ex supra dictis: nam esse Trinum quod dicit omnes relationes collectiuè sumptas, non est de essentia Dei, vel Deitatis, siquidem Pater essentialiter est Deus, & tamen non est Trinus. Rursus essentia diuina, quatenus essentia diuina formaliter est absoluta; ergo non potest includere in suo conceptu essentiali respectiuum, vt respectiuum. Antecedens
probatur ex Concilio Toletano II. in confes- Tolet. II.
sione fidei; vbi asseritur Deum non dici ad alium, sed ad se; Patrem verò dici ad Filium;
quod etiam tradit Augustinus lib. 7. de Trinita- August.
te, cap. 2. Consequentia est manifesta: nam absolutum includit negationem respectus, cùm absolutum, vt absolutum sit ad se, respectus autem ad alium.

Secunda pars antecedentis, scilicet nec di- 7.
uisiuè competere relationem essentialiter naturæ diuinæ, ostenditur primò quia paternitas non est de essentia Filij, siquidem intelligitur Filius perfectè constitutus secundum conceptum intrinsecum & essentialem Filij sine paternitate: Prætereà, si paternitas esset essentialis Filio, posset de Filio simpliciter prædicari, imò prædicatione essentiali, quod est falsum: ergo nec est de essentia Deitatis. Consequentia probatur: nam quidquid est de essentia Dei, est de essentia Filij secundùm fidem, cùm Filius sit completè Deus: sicut ergo non diceretur completè essentialiter homo, qui non includeret quidquid est de essentia hominis, ita Filius Dei non diceretur completè Deus secundum conceptum intrinsecum, & essentialem, nisi clauderet essentialiter quidquid est de essentia Dei; quod idem argumentum applicari potest aliis relationibus diuisiuè sumptis.

Ostenditur secundò, quia Pater communicat 8.
Filio totam essentiam diuinam iuxta definitionem Lateranensis; sed non communicat Paternitatem,

tatem, vt Paternitatem, quippe communicatio est per identitatem, & Paternitas vt sic manet distincta realiter à Filio: ergo Paternitas non est de essentia Dei. Ostenditur tertiò, quia si filiatio vt sic esset de essentia Deitatis, sequeretur produci diuinam essentiam, cùm generatur Filius, vel saltem aliquid comproduci pertinens ad essentiam Dei, scilicet filiationem, quæ per se sit de conceptu Deitatis. Consequens autem est falsum; quia Deitas perfectè constituta in suo conceptu essentiali supponitur generationi: aliter enim Deus non esset ex Deo: ergo non potest produci, cùm generatur Filius, nec comproduci aliquid pertinens ad essentiam Dei.

9. Dico tertiò, essentia diuina propriissimè sumpta non est de conceptu essentiali relationum; ita docet & probat authoritate, & ratione Ægydius Lusitanus lib. 5. de Beatitudine, quæst. 13. art. 2. §. 2. & 3. Tenet etiam tertia sententia, pro qua Molina citat Durandum, & Gregorium, sed magis est ad rem S. Thomas de potentia quæst. 8. art. 2. ad 6. dicens, quòd sicut hæc propositio non est per se, *Essentia est Paternitas*, ita nec hæc, *Paternitas est essentia*. Probatur primò, quia vel datur aliquid in Patre, quod totum præcisè consideratum sit proprietas Patris, aut nihil: si nihil: ergo nihil est reale quod sit proprietas personalis Patris contra Lateranens. in cap. *Firmiter*. Et pleraque Concilia discernentia personas realiter proprietatibus. Si datur aliquid: ergo illud ita consideratum non includit essentiam, aliàs illud totum præcisè consideratum non esset proprietas Patris, cùm essentia ibi inclusa sit communis; vel admissurus es Patrem differre per essentiam à Filio, vt illa est de essentia Paternitatis, sicut differt paternitate. Nec videntur posse realiter multiplicari differentiæ reales, quin multiplicentur realiter prædicata essentialia in illis, vt sic inclusa, etiamsi sint transcendentalia: sicut enim Petrus, & Paulus conueniunt in ratione entis, & differunt in entitatibus propriis, ita vt ad multiplicationem realem differentiarum multiplicentur entitates in illis inclusæ; sic Pater, & Filius ita erunt idem in essentia diuina, vt si hæc includatur essentialiter in relationibus, multiplicetur etiam realiter in illis, & differant quoque personæ realiter in talibus essentiis.

Ægid. Lusit.

10. Probatur secundò: nam, vt arguit Vasquez, hæc propositio esset vera. Deus paternitate est sapiens, & paternitate est Deus, vt in simili arguebamus supra lib. 1. disput. 16. cap. 6. num 12. Verè quippe dicitur, homo humanitate sentit, aut viuit, propter inclusionem animalitatis, & vitæ in humanitate: ergo similiter in præsenti si relationes clauderent essentialiter Deitatem. Probatur tertiò, à priori, quia conceptum relationis diuinæ, prout distinctæ à Deitate possumus resoluere in sua prædicata essentialia, quin recurramus ad essentiam diuinam strictè sumptam. Etenim ad rationem personalitatis etiam increatæ præcisè sumptæ non requiritur, quòd sit prima radix omnium perfectionum, sed solum quòd sit realis ratio terminandi naturam incommunicabiliter cum infinita perfectione in eo genere, non tamen in genere diuinæ naturæ, vel essentiæ vel omnipotentiæ, vt in simili ostendimus de attributis eo cap. 6.

11. Sed pro maiori declaratione: Dico quartò; Relationes distinguuntur ab essentia diuina, & è contra virtualiter atque ratione adæquatè præcisiua. Prior pars probatur ex suprà dictis lib. 1. disput. 15. cap. 2. & disput. 16. cap. 3. Nam ita se habent essentia, & relatio in ordine ad diuersa munia realia, ac si realiter distinguerentur, ita vt prædicata etiam contradicentia verificentur de illis realiter, in quo propria ratio huius mysterij resplendet. Posterior pars probatur inde facile: nam si potest filiatio diuina immediatè terminare vnionem humanitatis quam essentia non terminat immediatè, potestque Deitas terminare relationem creaturæ ad Creatorem, quam filiatio non terminat immediatè, quantò magis poterunt terminare diuersos conceptus, ita vt quem terminat vna, non terminet alia vllo modo; siquidem maiorem vim habet præscindendi vnum ab alio actio & ordo intentionalis, qualis est conceptus mentis potentis quidem indiuisa diuidere, quàm actio, & ordo realis, qualis est vnitio humanitatis, & respectus creaturæ ad Deum. Rursus si relatio, & essentia habent virtualem distinctionem sufficientem, vt de illis verificentur prædicata intrinseca contradictoria; qualia sunt produci, & non produci, quanto magis vt verificentur extrinseca contradictoria, qualia sunt cognosci, & non cognosci eodem conceptu, dum ita cognoscitur relatio vt nullo modo ibi repræsentetur essentia, & è contra; quæquidem est distinctio rationis adæquatè præcisiua.

CAPVT III.

Expenditur argumentis doctrina.

1. PRo prima, & secunda sententia, obiicies primò, Augustinum, qui lib. 7. de Trinit. cap. 1. ait, relatum in quantum relatum supponere aliquid absolutum; & cap. 2. inquit *Filius non est eo Verbum quo Sapientia: nam Verbum relatiuè dicitur, sapientia absolutè*, & cap. 4. dicit aliud esse, Deum esse, & Patrem esse concinit Anselmus lib. de processione Spiritus sancti cap. 2. dicens, non esse idem esse Deum, quod esse Patrem, videntur igitur insinuare paternitatem distingui realiter ab essentia. Respondeo, ad prædictas locutiones sufficere distinctionem virtualem, ratione cuius ita censetur absolutum præcedere relatiuum, ita Pater est Pater paternitate, & non Deitate, & est Deus Deitate, & non paternitate, ac si relatum, & absolutum actu distinguerentur realiter.

August.

Anselm.

2. Obiicies secundò; maior est distinctio inter relationes, & essentiam diuinam, quàm inter attributa, & essentiam, sed attributa distinguuntur ab essentia ratione ratiocinata præcisiua adæquatè, imò etiam virtualiter, vt vidimus lib. 1. disp. 16. cap. 3. ergo relationes distinguuntur ab essentia plusquam ratione nostra, maiorique distinctione quàm virtuali: ergo saltem ex natura rei, quæ in distinctionibus actualibus minima est. Respondeo concedendo maiorem cum Ferrara lib. 2. contra Gent. 9. Albertino supra n. 20. & aliis; concedendo quoque minorem iuxta suprà dicta eo c. 3. Negando tamẽ consequentiam: nam in ipsamet distinctione virtuali possumus latitudinem quandam aduertere, secundum quam detur maior distinctio virtualis inter

Ferrara.

Albertin.

relationes, & essentiam, quàm inter essentiam, & attributa.

3. Hic autem excessus distinctionis apparet, primò, quoniam attributa diuina identificantur adæquatè cum essentia diuina, & inter se se, singuláque cum omnibus, ita vt cum nullo identificetur essentia vel attributum aliquod, cum quo non identificentur pariter omnia; quod non sic est inter relationes, & essentiam; hæc enim identificatur cum paternitate, cum qua non identificatur filiatio, licèt identificetur cum essentia. Secundò, apparet in ipsamet ratione distinctionis virtualis: nam essentia diuina & attributa ita præstant sua munia, quasi intentionalia, ita præstant suas denominationes formales, ac si distinguerentur actualiter; At verò quoad efficientiam realem, quidquid efficit realiter essentia, pariter efficiunt realiter attributa: Quare in sensu identico, vel in concreto possunt inuicem prædicari, vel subiici eisdem prædicatis: Dicimus enim Misericordia est Deitas, misericordia est id, quod intelligit, iustus miseretur, intelligens amat; Ceterùm essentia & relatio ita præstant etiam munia realia, ita se habent quoad productionem actiuam, & passiuam, ac si realiter actualiter distinguerentur: Vnde nec identicè, nec in concreto, possunt inuicem prædicari de eisdem subiectis, vel subiici eisdem prædicatis: nam essentia diuina non producitur, sed communicatur, filiatio verò non communicatur, sed producitur; imò Filius dici non potest communicari, vel non produci, nec dici potest esse id, quod communicatur, & non producitur. Hæc ergo maior distinctio virtualis est propria, & specialis huius mysterij, quam Caietanus 1. part. quæst. 39. artic. 1. & de ente, & essentia cap. 6. vocat distinctionem formalem eminenter, & Albertinus suprà inquit, *hac distinctio virtualis eminenter continet distinctionem actualem, quia facit quidquid faceret distinctio actualis*. Alij vocant illam virtualem ex natura rei cum quibus loquimur.

Caietan.

Albertin.

4. Obiicies tertiò de essentia, & relationibus verificantur contradictoria: nam essentia realiter communicatur tribus personis, non paternitas. Sed contradictoria non verificantur de re omninò eadem: ergo relationes distinguuntur realiter ab essentia. Confirmatur, quia Pater totam suam entitatem simplicissimam communicat Filio, vt habetur in Lateranensi, cap. *Damnamus*. Si ergo substantia Patris est simplicissima entitas includens absolutum & respectiuum sub vnica ratione formali à parte rei, totam hanc communicaret Filio, Quòd si non communicat, sequitur quòd respectiuum in Patre distinguatur realiter ab absoluto.

Lateran.

5. Ad argumentum Canariensis in hac q. 28. a. 2. disp. 3. & Vasquez 1. part. disp. 121. putant distinctionem rationis inter essentiam & relationem ad id sufficere, sed non placet: nam illa contradictoria non verificantur de essentia & relatione præcisè prout subsunt nostris conceptibus, per quos distinguuntur ratione, sed prout sunt in re: ergo præter distinctionem rationis requiritur alia distinctio realis, saltem virtualis. Suarez lib. 4. de Trinit. c. 4. in fine censet distinctionem virtualem, quæ reperitur in creaturis, sufficere ad contradictoria realiter verificanda. Hoc tamen est valde difficile, nec affertur exemplum conuincens, imò in Deo admittitur cogente fide, vixque capitur intellectu, nisi recurrendo ad infinitatem diuinam. Respondeo igitur illam maiorem distinctionem virtualem, quam vocant ex natura rei, propriam equidem huius mysterij solius sufficere ad illa, & similia contradictoria realia realiter verificanda: sicut enim est huius mysterij propria vnitas realis cum Trinitate reali, sic etiam identitas realis cum tali distinctione, qua posita non sunt contradictoriæ propositiones, quæ formantur, quia non sunt de eodem actualiter, & virtualiter, prout ibi requiritur ad propriam contradictionem: aliter enim non repugnant extrema.

Canariens.
Vasquez.

Suarez.

6. Ad confirmationem Gregorius negat in Patre dari aliquam entitatem incommunicabilem propter argumentum ibi factum. Sed contrà, quia Paternitas est res aliqua, seu realitas, & hæc entitas non est Filius, sed distinguitur realiter ab illo: ergo in Patre datur aliqua res incommunicabilis: nam in præsenti communicabile idem est, ac identificabile. Albertinus suprà num. 19. dicit totam Patris entitatem, etiam relationem communicari Filio essentialiter; & sic loqui Concilium, quatenus paternitas est idem cum essentia, quæ communicatur, non tamen communicari personaliter, quia constituit personam realiter distinctam: Ego talem loquendi modum non probo: sicut enim paternitas dicitur notio, & proprietas solius Patris, sic potest dici simpliciter incommunicabilis alij personæ: cùm ergo dicit Concilium quòd *Pater totam substantiam communicat filio*, per *substantiam* intelligit essentiam, vt sæpè alij Patres; Paternitatem verò sæpè Concilia, & Patres dicunt non fuisse communicatam Filio, sed esse proprietatem discernentem realiter primam personam ab aliis; datur igitur in Patre entitas communicabilis, & incommunicabilis, quæ realiter actualiter identificantur, & distinguuntur virtualiter ex natura rei, quod est speciale Trinitatis arcanum.

Albertin.

7. Obiicies quartò: nam essentiæ, & paternitati conuenit definitio distinctionis realis actualis: ergo & ipsa distinctio. Antecedens probatur, quoniam vnum actu distingui ab alio, est esse aliquid actu, quod non est aliud, v.g. si vnum est actu rationale, & aliud non est actu realiter rationale; si vnum est actu Petrus, aut hoc indiuiduum, quod non est aliud, distinguuntur planè realiter actualiter: sed essentia diuina est aliquid actu; quod nō est paternitas: nam essentia est filiatio, quæ non est paternitas: ergo essentiæ, ac relationi conuenit definitio distinctionis actualis, ac subinde talis distinctio, quia cui conuenit definitio, conuenit definitum. Respondeo negando antecedens, & ad probationem dicimus, definitionem distinctionis actualis non explicari sufficienter ibi, nisi superaddatur quòd vnum ita sit actualiter aliquid, quòd non est aliud, vt ipsum nullo modo sit illud aliud, à quo distinguitur: Quamuis autem essentia sit actu aliquid, quod non est paternitas, nempe filiatio, quia tamen est etiam actualiter ipsa paternitas, ideò non distinguitur ab illa; distinctio enim importat negationem, & hæc omnem identitatem destruit illius generis.

8. Obiicies quintò pro secunda sententia cum Scoto. Pater intelligendo se, intelligit essentiam suam, & paternitatem: ergo vel intelligit illas vt duo obiecta formalia, vel vt vnum alio, ac alio modo conceptum. Si hoc dicas, sequitur paternitatem & essentiam solùm distingui penes

modum

modum cóciplendi, non secus ac Deus & Deitas; & cùm solus modus concipiendi non sufficiat vt vnum in re communicetur, & non alterum, sequeretur communicata essentia communicari simul realiter paternitatem, quod est hæreticum. Si verò dicas primum. Sic argumentor. Notitia intuitiua est rei actualiter existentis in rerum natura: cùm ergo Deus intelligat essentiam, & paternitatem per notitiam intuitiuam, vt duo obiecta formalia; fit vt essentia, & paternitas priùs nostro more concipiendi existant, vt duo, quàm detur talis notitia, cùm obiectum præcedat notitiam (præsertim intuitiuam) cuius est obiectum; ac subinde fit, vt essentia, & paternitas ex natura rei sint duo obiecta formalia distincta formaliter inter se ante operationem intellectus. Respondeo Patrem intelligere suam essentiam, & paternitatem, vt vnum obiectum quoad vnam rationem formalem realem, & nihilominùs vt plures rationes virtualiter ex natura rei modo dictos; quod satis est, vt vna suapte natura communicetur & sit communis multis, altera verò non item.

9. Fundamenta Aureoli facilè diruuntur: nam ad primum admittimus compositionem rationis in Deo, quæ nullum maius inconueniens importat, quàm distinctio rationis. Videantur supradicta lib. 1. disp. 16. cap. 10. Ad secundum dicimus relationes non facere numerum realem cum essentia, sed solùm virtualiter, quo sensu Patres sæpè dicunt diuinas perfectiones etiam absolutas esse multas. Ad tertium respondeo relationes superaddere diuinæ naturæ realitatem virtualiter distinctam, Vnde in Patre quidem erunt duæ realitates distinctæ virtualiter, non actualiter. Ad quartum negamus claudi personam in conceptu próprio essentiæ diuinæ sub præcisis prædicatis essentialibus conceptæ.

10. Sed obiicies pro illa quarta sententia prætereà primò non posse percipi, quòd ea, quæ sunt realiter idem, non sint etiam essentialiter idem: Nam si relatio est realiter ipsamet essentia Dei: ergo est de essentia Dei. Ad hoc argumétum diximus lib. 1. disp. 16. cap. 6. aliud esse identificari cum aliquo, & aliud esse de essentia illius: plura enim identificantur cum homine, quæ non sunt de essentia hominis: sic relationes diuinæ sunt ipsamet essentia diuina, quatenus identificantur realiter cum Deitate, non tamen sunt de essentia Deitatis, nec è contrà, quatenus nec relatio constituit essentialiter Deitatem, sed supponit illam; nec Deitas constituit essentialiter relationem, sed præsupponitur virtualiter ad illam.

11. Obiicies secundò; S. Thomas 1. part. quæst. 27. art. 2 ad 3. docet, in diuina perfectione contineri Verbum, & principium Verbi, & quæst. 39. art. 6. ad 2. dicit hanc esse propositionem per se. *Deus est Pater*, sicut hæc *Pater est Deus*. Sed hæc secunda propositio est per se primo modo, quia Deus est de essentia Patris: ergo & in priori propositione Pater est de essentia Dei. Respondeo S. Thomam in priori loco intelligendum esse quantum ad constitutionem substantialem personarum: nam ad diuinam perfectionem adæquatam pertinet vt natura diuina subsistat in tribus suppositis. Ad secundum locum dicimus, vtramque propositionem esse per se, in quo stat paritas, non tamen est vtraque in primo modo dicendi per se, sed solùm secunda, cuius prædicatum est de essentia subiecti: prima verò est in secundo modo, quia subiectum est de essentia prædicati, & idem est de ista propositione *Deus est Trinitas, vel est Trinus*. Videatur Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 6. Suarez.

12. Obiicies tertiò; Paternitas est de essentia Patris: ergo est de essentia Dei, quia Pater non habet aliam essentiam, nisi Dei. Respondeo aliud esse loqui de essentia Patris simpliciter, aliud de quidditate eius formaliter, quatenus Pater est, priori modo paternitas non est de essentia Patris, sicut nec personalitas de essentia hominis; Posteriori modo ratio communis personæ prædicatur essentialiter de persona Patris, paternitas verò magis identicè, quàm essentialiter, vt cùm dicimus Petrus est Petrus, vel hæc persona est hæc persona, signato Petro vtrobique.

13. Pro quinta sententia obiicies primò, cum Suario: Essentia diuina includitur re ipsa essentialiter in relationibus: ergo etiam secundùm nostros conceptus debet includi, nec conceptus relationis poterit ab essentia præscindi. Consequentia patet, quia quod est essentialiter superius, necessariò clauditur essentialiter in conceptu inferioris. Sed essentia diuina est communis etiam secundum rem relationibus: ergo includitur essentialiter in conceptu relationum. Primum antecedens probatur primò, quia Deitas est de essentia Patris: ergo de essentia paternitatis; quippe concretum in Deo nihil aliud est, quàm ipsa forma subsistens; Quare nihil potest esse de essentia concreti, & non de essentia abstracti. Secundò, quia quæuis relatio est Deus: quidquid enim est in Deo, est Deus, & de relationibus in particulari sic definitur in Concilio Rhemensi: ergo essentialiter est Deus, quia maioris perfectionis est includere Deitatem essentialiter, quàm quouis alio modo. Sed quidquid est Deus, est summè perfectum, quod esse vel concipi potest: ergo quidquid est verè Deus, est essentialiter Deus: imò ipsa denominatio Dei videtur esse essentialis, quoniam sumitur à natura essentialiter constituente rem talem.

14. Respondeo à parte rei nullum apparere discrimen inter relationes comparatas ad essentiam, & essentiam comparatam ad relationes, cùm à parte rei sint eadem prorsus entitas indiuisibilis; & tamen in opinione Suarij relationes non sunt de essentia Deitatis: non ergo sufficit identitas vnius cum alio ad hoc quòd sit de essentia illius, sed vlteriùs requiritur, vt per ordinem ad nostros conceptus non possit vnum concipi sine alio. Quare cùm tam essentia possit concipi sine relatione, quàm relatio sine Deitate, neutrum profectò est de essentia alterius. Itaque ad argumentum negatur antecedens: nam à parte rei sola datur identitas, non verò inclusio, præsertim essentialis, quoniam ista denominatio sumitur per ordinem ad conceptus nostros.

15. Ad primam illius antecedentis probationem concesso antecedenti negatur consequentia, quippe concreta etiam in diuinis ratione differunt ab abstractis, & per illud, quod superaddunt per intellectum, concreta possunt includere aliquid essentialiter, quod non sit de essentia abstracti. Ad secundam probationem Respondeo relationem esse Deum identicè solùm, nec in illa præcisè concipiendam esse summam perfectionem simpliciter, vt ipsemet Suarez docuerat lib. 3. de Trinit. cap. 10. sed perfectionem infinitam duntaxat in suo genere, ad quod non pertinet Suarez.

 esse

esse Deum essentialiter, ideóque talis denominatio non est in relatione essentialis, sed merè identica, sicut in multis aliis formalitatibus; nec diuina natura, vel essentia strictè sumpta est superior ad relationes, sed communis illis per identitatem, sicut animal rationali, & hinnibili.

16. Obiicies secundò, cum Albertino: Relatio diuina essentialiter est ens aliquod actuale determinatum: ergo vel est creatum, vel increatum: non enim datur medium, cùm extrema sint contradictoria, scilicet esse à se, & non esse à se, sed ab alio: sed non est ens creatum, cùm non sit creatura: ergo est ens increatum essentialiter: ergo essentialiter est Deus. Hæc vltima consequentia probatur, quia proprium constitutiuum Deitatis est à se, per quod distinguitur ab omni alio ente, quod non est Deus: sed relatio non potest concipi secundùm suam rationem essentialem sine ratione entis à se: ergo claudit essentialiter constitutiuum Deitatis, & consequenter diuinitatem ipsam. Hoc argumentum solutum est in simili lib.1.disp.16.cap.8. Hunc breuiter dicimus esse à se; id est, non ab alio, vt anima, nec vt à principio reali, nec vt à præsupposito secundùm rationem, aut virtualiter esse constitutiuum proprium essentiæ diuinæ, quòd nec relationes, nec attributa transcendat; esse verò à se, id est, non ab alio tanquam à causa, transcendit relationes tanquam rano communis, & essentialis eisdem. Vnde nec sunt entia creata, quia sunt à se in isto sensu lato, nec sunt essentialiter Deus, quia non sunt à se in sensu stricto.

17. Obiicies tertiò; S. Thomam 1.part.quæst. 33. art.3.ad 1. docentem communia includi in conceptu propriorum. Respondeo ibi loqui S. Thomam in concreto, quapropter addit; *intellectu enim persona Patris intelligitur Deus*; & sic fatemur esse prædicationem essentialem, non tamen inde fit, Relationem in suo conceptu præciso claudere Deitatem. Obiicies quartò, Concilium Rhemense, quatenus docet, ipsas etiam relationes, & proprietates esse Deum; Respondeo, loqui Concilium in sensu identico duntaxat, vt
Vasquez. constat ex contextu, & notat Vasquez 1. part. disp. 121.cap.2. An autem ista distinctio rationis interueniens inter essentiam diuinam & relationes fiat ab intellectu diuino; Decidendum erit iuxtà suprà dicta lib. 1.disp.15.cap.4.& disp. 34. cap. 2.

CAPVT IV.

An saltem communicabilitas ad relationes sit de essentia Deitatis.

1. RAtio dubitandi est: nam esse communicabilem tribus personis non conuenit naturæ diuinæ ratione personalitatis, sed ratione fœcunditatis, & infinitatis substantiæ terminabilis triplici substantia: ergo conuenit essentialiter: sicut enim est de essentia creatæ substantiæ esse radicem vnius subsistentiæ, sic de essentiæ diuinæ esse radicem trium. In contrarium est, quia prædicata essentialia sunt communia singulis personis; sed esse communicabilem tribus de nulla persona dici potest: ergo non est aliquid essentiale.

2. Videtur equidem fore distinguendum, & in primis, cùm communicabilitas, seu fœcunditas per intellectum, & voluntatem conueniat Deitati prout infinitæ in gradu intellectuali; & hic sit ipsi essentialis, vt dictum est lib.1.disp.16.cap. 7. sequitur communicabilitatem, quasi radicalem esse essentialem Deitati ratione gradus intellectualis inclusi in natura diuina, non solùm quasi specificè, sed etiam quasi indiuidualiter; cùm in natura diuina talis gradus intellectualis sit essentialiter singularis, & existens à se quasi per talem communicabilitatem radicalem indiuiduatus.

Itaque identificabilitas cum relationibus est essentialis Deitati, non verò identitas actualis, quæ positiua est in re, licèt à nobis explicetur per negationem distinctionis, & dicit saltem in obliquo, seu minùs principaliter ipsas relationes, vt identificatas naturæ. Conuenit tamen Deitati 3.
ex se cum paternitate, ac spiratione actiua identificari, quatenus sunt rationes improductæ, proflusque a se, licèt ex proprio conceptu naturam supponant; cum filiatione verò, & spiratione passiua mediis processionibus identificatur natura diuina. Quare respectu paternitatis non dicitur Deitas communicabilis, aut communicata, sed communis, quia communitas abstrahit ab eo quod natura sit ex se in illo, cui est communis, vt est in Patre; vel per communicationem & processionem, vt est in Filio, & in Spiritu sancto. Ideò nec actualis communicatio, nec communicabilitas sumpta pro potentia proxima dici potest essentialis naturæ: nam in vtraque includitur relatio, & in potentia spiratiua clauditur volitio, quæ non sunt de essentia Deitatis. Potest adhuc communicatio, & communicabilitas proxima, & multo magis identitas dici connaturaliter intrinseca Deitati, necessarioque competens ipsi. Sic intelligendus est Suarez lib.4. de Suarez.
Trinit.cap.8.num.4. Quòd si aliud velint Cumel Cumel.
hic art.2.disp.3.& Albertinus tom.1.principio 7. Albertinus.
corollar.1.num 7. reiiciantur.

Ad primam rationem dubitandi, Respondeo, 4.
distinguendo antecedens; de communicabilitate radicali concedo; de proxima nego: Nec sufficit ad hoc vt aliqua ratio competat essentialiter naturæ, quòd illi conueniat ex se, & non ratione personalitatis, in quo Cumel, & Suarez inquuntur iuxtà suam opinionem de inclusione attributorum in essentia diuina, ideóque dicunt communicabilitatem esse de essentia Deitatis: At in nostra opinione multa conueniunt ex se Deitati, quæ non competunt essentialiter: nam attributa & relationes etiam sunt de substantiali complemento Dei & adhuc non sunt de essentia Deitatis, vt dictum est lib.1.disp.16.cap.6. Quare nec communicabilitas proxima est de essentia Deitatis, licèt ipsi conueniat ex se tanquam substantiale complementum illius.

Ad secundam distinguitur etiam maior, & mi- 5.
nor: quodlibet enim prædicatum essentiale Deitati est de essentia personarum, non tamen simpliciter, & absolutè, sed nonnunquam cum addito: Cùm enim Deitas distinguatur ratione inadæquatè præcisiua a personis, prædicata, quæ conueniunt Deitati, prout sic distinctæ, non debent de personis simpliciter prædicari, sed cum addito; scilicet Pater est communicabilis ratione naturæ, vel secundum naturam, vel habet naturam essentialiter communicabilem, sicut etsi Deitas sit essentialiter ens absolutum, Pater non potest simpliciter dici talis, sed cum addito. Similiter de essentia hominis sunt anima & corpus

nihilominùs

nihilominùs quæ conueniunt essentialiter his partibus vt distinctis à toto, scilicet esse substantiam incompletam, partialem, communicabilem alteri comparti, non dicuntur simpliciter, & absolutè de homine; secus est in prædicatis, quæ Deitati conueniunt simpliciter, & non solùm quatenus præscinditur à personis, vt esse sapientem & amantem; hæc enim simpliciter etiam de personis dicuntur.



DISPVT. IX.

De numero, & distinctione relationum.



TERNARIVS numerus diuinarum relationum realiter distinctarum, & non minor, tam certus est, quàm ternarius numerus personarum ostensus disputatione prima. Nam in vnaquaque persona necessaria est vt minimum vna relatio habens oppositionem cum aliis personis, & inferens distinctionem ab illis. An verò dentur plures relationes reales, & quomodo distinguantur, quæstio solet esse propria huius loci.

CAPVT I.

Opiniones diuersæ.

1. Gregor. PRima sententia est Gregorij in 1. dist. 26. negantis in Deo quartam relationem spiratoris, vnde tres solum videtur admittere. Fauet Albinus Flaccus lib. 1. de Trinit. cap. 5. dicens, relationem Spiritus sancti ad Patrem, & Filium non esse reciprocam, quod etiam indicat Hugo Etherianus lib. 4. contra Græcos cap. 2. Vbi ait, Spiritum sanctum distingui a Filio per relationem ad ipsum, & subdit, *licèt sit proprietas relatiuorum, vt cum termino recipiant conuersionem, hoc quidam non arbitrantur de Spiritu sancto recipiendum, quia licèt ipse sit Patris, & Filij, non tamen conuersim Pater, & Filius ad ipsum referuntur.* Fauent Concilium Toletanum II. Lateranense & Patres antiqui, qui triplicis relationis, non huius quartæ meminerunt.

Albinus Flaccus. Hugo Etherian.

Concil. Tolet. II.

2. Probatur ratione, quia sicut in creatis agens, quod supponitur ad actionem constitutum in suo esse, denominatur agens ab actione recepta in termino producto sine forma sibi denuò adueniente antecedenter saltem ad actionem; ita cùm Pater, & Filius supponantur constituti iam in suo esse personali ad productionem Spiritus sancti (quod secùs est in Patre respectu productionis Filij) à sola processione passiua Spiritus sancti poterunt denominari principium spirans: ergo non est necessaria quarta relatio spiratoris.

3. Confirmatur primò, quia nulla relatio conuenit Deo per resultantiam, qui est modus imperfectus; sed spiratio actiua non potest aliter illi conuenire; cùm enim non constituat personas, debet ad illas iam constitutas consequi, ac subinde resultare: ergo non datur. Confirmatur secundò, quoniam vna relatio non fundatur in alia: ergo nec relatio spiratoris in paternitate, & filiatione. Nam hac ratione probat S. Thomas 1. part. quæst. 42. art. 3. ad 4. Vnam personam non referri ad aliam relatione realis distinctionis, quoniam vna relatio non est referibilis per aliam.

4. Secunda sententia ponit quartam relationem in Deo distinctam actualiter ab omnibus aliis; ita videntur sentire Scotus, & Gabriel qui sic distinguunt spirationem actiuam à paternitate, & filiatione, sicut relationes ab essentia, de quo diximus disputatione præcedenti. Vlteriùs progreditur Durandus in 1. dist. 13. quæst. 2. qui videtur distinguere relationem spiratoris a paternitate, & filiatione, non solùm vt modum a re, sed vt rem à re; cùm dicat magis distingui ab illis, quàm ab essentia, à qua distinguit relationem, vt modum: Quam dicit fuisse magnorum virorum opinionem, & probat pluribus argumentis; sed hæc sunt præcipua.

Durand.

5. Primùm enim potest vnica relatio respicere duos terminos distinctos realiter, & multò minùs si alter sit producens, alter productus; sed Pater refertur ad Filium, & ad Spiritum sanctum ambos productos, sed realiter diuersos, & Filius refertur ad Patrem producentem, & ad Spiritum sanctum productum: ergo non potest in Patre eadem relatio esse paternitas, & spiratio actiua, nec in Filio esse potest eadem spiratio actiua cum filiatione. Secundum, quia relatio spiratoris, & paternitas vel sunt vna res, vel duæ: si dicas primum: ergo sunt etiam vnica relatio, quare non erunt quatuor relationes reales in Deo, sed tres, contra communem sententiam. Sequela probatur, quia multiplicato inferiori, multiplicatur superius: ergo cùm omnis relatio sit res, vbi sunt duæ relationes reales, non potest esse vnica res, sed duæ. Quòd si duas res admittis: ergo distinguuntur realiter, alioqui non multiplicarentur in esse rei. Tertium si paternitas est idem realiter cum relatione spiratoris, poterit verè dici, paternitas est relatio spiratoris, & consequenter Pater refertur ad Spiritum sanctum paternitate, sicut spiratione, & ad Filium spiratione, sicut paternitate; ac subinde Spiritus sanctus erit Filius, cùm terminet filiationem, & Filius erit Spiritus sanctus, cùm terminet spirationem.

6. Tertia sententia posset opinari, plures dari relationes reales in Deo, quàm quatuor. Probatur primò, quia præter relationes originis dantur inter personas diuinas realis oppositio, distinctio, æqualitas, similitudo, circuminsessio: ergo dantur etiam pleræque relationes. Probatur secundò, quia relatio spiratoris identificatur cum paternitate, ac filiatione: ergo est duplex, quia nequit vna relatio cum pluribus identificari; Hoc enim est proprium rei absolutæ; alioquin paternitas, & filiatio non solùm essent vnica essentia, sed vna relatio. Probatur tertiò, quoniam in Patre non solùm est paternitas ad Filium, vt Filius est, sed etiam respectus dicentis ad Verbum vt dictum, & per consequens alia erit relatio geniti, scilicet filiatio, alia dicti ad dicentem: ergo dantur plures relationes quàm quatuor.

CAPVT II.

Quid sentiendum sit.

1. DIco primò: Datur in Deo relatio realis spiratoris communis Patri, & Filio, qua respiciunt Spiritum sanctum, distincta aliquo modo ab aliis tribus, & appellatur spiratio actiua,

tribuendo

tribuendo illi nomen processionis ex inopia vo-
cum: ita communiter Theologi in 1. distinct. 13.
26. & 28. & cum S. Thoma in hac quæst. 28. art.
4. vbi docet esse in Deo quatuor relationes, post-
quàm dixerat art. 1. in Deo dari relationes reales,
quod censet esse de fide quæst. 8. de potentia art.
1. Quare multi Recentiores æque certum existi-
mant, hanc relationem esse realem sicut alias
tres, tamen definitiones Conciliorum in hac non
Suarez. sunt ita expressæ. Suarez lib. 5. de Trinit. cap. 4.
num. 5. dicit esse conclusionem Theologicam, &
quidem communis consensus Theologorum in
re tam graui, & fundamenta quæ adducuntur
magni ponderis sunt.

2. Probatur 1. ex Conciliis: nam Toletanum II.
Concil. Tol. II. in confessione fidei, docet personas ad inuicem
referri: ergo spirator mutuò refertur ad spiratum;
nec potest nisi per relationem spiratoris referri;
Conc. Lugd. quia non per paternitatem, aut filiationem, vt
tales sunt: & Concilium Lugdunense sub Grego-
rio X. cap. vnico de summa Trinit. in 6. definit,
Spiritum sanctum à Patre, & Filio vnica spiratio-
Ioan. Theol. ne procedere. Item Ioannes Theologus in Flo-
rentino sess. 24. dicit in Patre, & Filio vnicam esse
potestatem spirandi; & in litteris vnionis definit
Eugenius, vnicum esse principium, vnicámque
spirationem Spiritus sancti: Vbi licèt expressè
non videantur loqui de relatione, sed de origine,
vel potentia notionali; tamen cùm hæc sint etiam
formaliter & intrinsecè relationes transcenden-
tales, vt ostensum est disp. 7. saltem habetur ex
his Conciliis dari relationem transcendentalem
spiratoris, & consequenter distinctionem neces-
sariam inter producentem, & productum, ac
per consequens oppositionem in eo genere rela-
tiuam: nam in Deo nihil distinguitur realiter,
nisi relatiuè opponatur.

Vnde probatur secundò ratione S. Thomæ:
3. Nam inter producens, & productum si sint eius-
dem ordinis, & naturæ, datur mutua relatio, etiam
prædicamentalis, vt Philosophi docent, & patet
inductione tam in Deo quoad relationem mu-
tuam Patris, & Filij, quæ generationem comita-
tur, quàm in creaturis vniuersis, sed Pater, &
Filius se habent ad Spiritum sanctum, vt produ-
cens ad productum: ergo sicut Spiritus sanctus
refertur ad vtrumque relatione reali spirati ad
spiratorem; sic vterque refertur ad Spiritum san-
ctum relatione reali mutua spiratoris ad spira-
Suarez. tum. Videatur Suarez supra num. 6. & 7.

4. Dico secundò; Relatio spiratoris distinguitur
realiter à relatione spirati. Sic S. Thomas hic,
Caietanus, Capreolus, & alij. Patet, quia sunt
relationes oppositæ; Oppositio verò est tota ra-
tio distinctionis realis in Deo; nec in relatione
mutua quando extremum vtrumque est illius ca-
pax, admittenda est relatio in vno extremo, quin
altera relatio realiter distincta correspondeat in
Idem. altero, vt bene Suarez suprà cap. 5. num. 3.

5. Dico tertiò; Relatio spiratoris non distingui-
tur realiter à paternitate, & filiatione, nec vt
res à re, nec vt res à modo; ita S. Thomas, &
Thomistæ; item Gregorius, Marsilius, Egidius
Vasquez. Romanus, quos sequitur Vasquez 1. part. disp.
138. cap. 1. Suarez suprà cap. 5. qui sententiam
Durandi intellectam de distinctione rei à re cen-
set errorem in fide, quia ponit quaternitatem
rerum in Deo contra illud Ioannis *Tres sunt, qui
testimonium dant in Cælo*, & contra Lateranense
Concil. Lat. cap. *Damnamus*, vbi simpliciter, & sine vlla re-
strictione dicitur, *in Deo Trinitas est solummodò
non quaternitas*: ergo omnem vtcunque quater-
nitatem damnat, non solùm relationum cum
essentia, sed etiam relationum inter se. Denique
argumenta quibus probauimus disputatione præ-
cedenti relationes non distingui actualiter ab
essentia, conuincunt etiam non distingui actua-
liter relationem spiratoris à paternitate, vel filia-
tione, pugnat quippe cum diuina simplicitate, vt
ea quæ reperiuntur simul in aliqua persona, di-
stinguantur realiter inter se.

Dico quartò, relatio spiratoris distinguitur à 6.
paternitate, & filiatione virtualiter ex natura
rei; sic Doctores suprà relati, Constátque ex di-
ctis disput. 8. quia præstant diuersa munia etiam
realia, & subinde recipiunt prædicata contradi-
centia; paternitas enim respicit Filium, non
Spiritum sanctum, relatio spiratoris è contra:
Hæc communicatur Filio, non illa. Rursus filiatio
respicit Patrem, non Spiritum sanctum; relatio
spiratoris è contrà; filiatio producitur, & non
communicatur, relatio spiratoris communicatur
& non producitur: ergo distinguuntur virtua-
liter ex natura rei.

CAPVT III.

Enodantur opposita.

AD primum primæ sententiæ sumptum ab 1.
authoritate. Respondeo Albinum, & Hu-
gonem loqui de Patre, & Filio, vt sub istis no-
minibus collatis cum Spiritu sancto: nam hic
dicitur esse Spiritus Patris, & Filij, tamen ipsi
non dicuntur Pater, & Filius Spiritus sancti.
Nomen autem spiratoris non erat inter antiquos
ita vsitatum, quia Concilia, & Patres præcipuè
agebant de relationibus constituentibus, & di-
stinguentibus personas, non tamen excludunt re-
lationem spirationis. Imò sub processione, vel
spiratione virtualiter illam capiunt.

Ad rationem Respondeo denominationem 2.
agentis in creaturis, & Creatoris in Deo sum-
ptam ab actione solùm extrinseca esse extrinse-
cam; denominationem verò realem relationis
nunquam esse extrinsecam, nec solum requirun-
tur relationes reales in Deo ad constitutionem
personarum, sed vt mutuò referantur, & opponant
formaliter producentem, & productum: & sic
est necessaria quarta relatio, vt spirans referatur
ad spiratum, & opponatur formaliter cum illo.

Ad primam confirmationem in primis distin- 3.
guitur maior; per resultantiam realem, concedo,
quia hoc dicit imperfectionem; per resultantiam
virtualem, aut rationis, nego; quia nullam im-
perfectionem dicit. Minorem verò quidam con-
cedunt de resultantia rationis, quia non reputant
necessarium, vt hæc relatio præconcipiatur ex
parte personarum spirantium; cùm hæ iam sup-
ponantur constitutæ in esse personali; & conse-
quenter asserunt, hanc relationem non esse priùs
origine in Patre, quam in Filio, quia non priùs
spirat Pater quàm Filius. Ideóque solùm commu-
nicari Filio à Patre quasi radicaliter, quia com-
municatur ipsi virtus spirandi, sic S. Thomas in-
frà quæst. 40. art. . & 4. Valdéque probabile di-
cit Suarez lib. 5. cap. 6. num. 9. Quidam verò ne-
gant, quoniam includunt eam relationem in spi-
ratione actiua, & in potentia spiratiua, quod se-
cuti sumus disp. 5. cap. 2. & 4.

Potest

4. Poteſt etiam probabiliter diſtingui iuxtà ſuprà dicta diſp. 7. cap. 2. ſpiratio actiua, vt dicit relationem tranſcendentalem, non reſultat, ſed præſupponitur ex parte potentiæ, & ſpirationis actiuæ, quod nemo poteſt inficiari, ſi talem relationem admittat. Vt verò dicit relationem prædicamentalem, reſultat poſita ſpiratione paſſiua, & termino; quod eſt commune relationibus creatis, nec eliditur fundamentis adductis ea diſputatione 5. pro noſtra ſententia: nam omnia illa ſufficienter intelliguntur de relatione tranſcendentali. Ad ſecundam confirmationem quidquid ſit in creatis de antecedenti: quidam enim illud concedunt, alij probabiliùs negant; neganda tamen eſt conſequentia: nam paternitas, & filiatio in diuinis conſtituunt perſonas capaces productionis, ac ſubinde relationis illi annexæ, cùm in creaturis relationes non conſtituant ſuppoſita, ſed ſupponant.

5. Ad primum fundamentum ſecundæ opinionis, Reſpondeo negando antecedens, quia termini diſtincti realiter ſolùm poſtulant in Deo diſtinctas virtualiter relationes, quando iſtæ non opponuntur inter ſe, vt in præſenti contingit, & videre etiam eſt in proceſſionibus actiuis, quæ licèt habeant terminos, realiter diſtinctos, diſtinguuntur ſolùm virtualiter, vt viſum eſt diſp. 5. cap. 2.

6. Ad ſecundum Gregorius, & Gabriel ſuprà concedunt eſſe vnicam rem, & vnicam etiam relationem, & conſequenter dicunt eſſe in Deo tres ſolùm relationes reales; quia licèt relatio ſpiratoris ſit realis, tamen non diſtinguitur realiter ab aliis; ac ſubinde tres remanent incommunicabiles inuicem, & realiter diſtinctæ, quod putant requiri, vt ſimpliciter numerentur; & non Suarez. eſſe improbabilem ſententiam dicit Suarez lib. 5. cap. 7. num. 3. Ceterùm S. Thomas, Scotus, & alij communiter dicunt eſſe duas relationes reales, non tamen duas res, quia ſub nomine, & conceptu relationis ſolùm multiplicantur quoad id quod connotant in obliquo, ſcilicet quoad terminos: At ſub nomine rerum, aut entium important id ſolùm, quod dicunt in recto, ſcilicet entitates ſuas, quæ realiter non multiplicantur: Vnde fatentur multiplicari ſuperius multiplicato inferiori in recto, non verò ſi multiplicetur quoad obliquum dumtaxat. Certè quæſtio eſt de nomine, in qua loquendum eſt cum multis, ſufficiénsque ratio videtur eſſe talis loquutionis diſtinctio realis terminorum, & virtualis ex natura rei relatiuum ipſarum inter ſe, vt ſimpliciter dicantur duæ relationes, & conſequenter quatuor relationes reales numerentur in Deo; ſicut etiam dicuntur eſſe in Deo plures ideæ: Videatur Vaſquez Vaſquez. 1. part. diſp. 137. cap. 2.

7. Ad tertium Gabriel admittit illam primam propoſitionem, quia ſolùm facit ſenſum identicum. At S. Thomas, Scotus, Vaſquez, & Suarez ſuprà negant illam, quoniam in relationibus exiſtimant non ſufficere identitatem ad mutuam prædicationem. Ego teneo, vbi non eſt mētio productionis, aut operationis, quæ ſemper redolet ſenſum formalem, tam in relatiuis, quàm in abſolutis admitti poſſe mutuam prædicationem per verbum ſubſtantiuum. Secùs eſt de hac propoſitione. Generatio eſt ſpiratio, quia ſignificantur ibi productiones, & idem eſt de ceteris, quæ adduntur in argumento, & faciunt planè ſenſum formalem, cùm fiant per Verbum adiectiuum. Vnde formalem etiam identitatem requirunt. Quòd ſi in iſta quoque propoſitione, *paternitas eſt relatio ſpiratoris*, ſit periculum ſenſus formalis, diſtinguatur, & concedatur in ſenſu identico, negetúrque in formali.

8. Ad primum tertiæ ſententiæ Scotus quodlibeto 6. art. 2. & in 1. diſt. 31. quæſt. 1. dicit relatio- Scotus. nes æqualitatis ſimilitudinis, & identitatis inter diuinas perſonas eſſe reales, quoniam habent omnia requiſita ad talem realitatem. Attamen Caietanus, Canarienſis, & Thomiſtæ communiter dicunt eſſe rationis. Sequuntur Vaſquez diſp. Vaſquez. 166. & Suarez ſuprà cap. 2. nam omnis (inquit) Suarez. habitudo poſitiua inter diuinas perſonas vel reducitur ad diſtinctionem, aut oppoſitionem, & ſic eſt originis, & realis vt viſum eſt, vel reducitur ad vnitatem, & ſic eſt rationis; quia fundamentum ſcilicet eſſentia diuina, eſt idem omninò in omnibus extremis; Idem autem ad ſeipſum non refertur relatione reali, vt docet circa difficultatem illam S. Thomas infrà quæſt. 41. art. 1. ad 4.

9. Ego ſic diſtinguo, ſi comparamus perſonas diuinas, vt ſunt æquales, ſimiles; imò idem prorſus in eſſentia diuina, non habent relationes reales ſimilitudinis, aut identitatis: nam in eo genere relationum, in quo fundamenta primò referuntur, & ſubiecta ratione fundamentorum, opus eſt fundamenta realiter diſtingui; quod intendunt S. Thomas, & eius ſectatores. Si verò comparētur perſonæ, prout diſtinguuntur inter ſe in proprietatibus perſonalibus, verè habent relationes reales diſtinctionis, & oppoſitionis, non tamen diſtinctas, nec realiter, nec ratione præciſiua à quatuor ſuprà numeratis, quoniam intimè imbibitur in ſingulis diſtinctio, & oppoſitio cum aliis oppoſitis, nec poſſunt mutuò præſcindi, quod etiam concedit Suarez ſuprà, nec video negari à Thomiſtis: dicunt etiam relationes reales æqualitatis, & ſimilitudinis diſtinctas ab illis quatuor non realiter, ſed ratione præciſiua; quia cùm vna relatio poſſit fundare aliam, vt docuimus in logica, non eſt cur iſtæ relationes non admittantur; adhuc autem non faciunt numerum, quia non habent terminos realiter diſtinctos; nec hoc videtur negare S. Thomas eo art. 1. dum enim negat dari tales relationes reales diſtinctas à relationibus perſonalibus, intelligit ab iſtis non diſtingui realiter, vel virtualiter cum diſtinctione reali terminorum, quod neceſſarium eſſet, vt multiplicarentur relationes ſimpliciter; & hoc iam ſpectat ad modum loquendi, vt viſum eſt num. 6.

10. Ad ſecundum, negatur conſequentia: nec enim ita eſt proprium rei abſolutæ identificari cum rebus diſtinctis, vt non conueniat etiam relationi; circa quam varios modos dicendi excogitauit Suarez lib. 5. de Trinit. cap. 6. Certum tamen eſt, Suarez. vnicam eſſe relationem & rem: dum enim Concilia relata ſuprà cap. 2. num. 2. definiunt Spiritum ſanctum ex Patre ſimul, & Filio tanquam ab vnico principio, & vnica ſpiratione procedere; decernunt vtique relationem tranſcendentalem in eo principio, & ſpiratione imbibitam vnicam eſſe. Deinde Florentinum in litteris vnionis definit. Patrem dediſſe Filio omnia, quæ Patris ſunt præter eſſe patris. Sed in Patre præter relationem paternitatis datur relatio ſpiratoris diſtincta virtualiter, vt diximus cap. 2. ergo dedit illam Filio, ac ſubinde Filius habet eandem relationem ad Spiritum ſanctum etiam prædicamentalem, quam habet Pater. Demùm hic etiam tenet illud axioma;

In

In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obſtat relationis oppoſitio: ergo eſt vnica relatio, & vnicates, nec aliter vnitas principij, & ſpirationis à Concilijs definita poſſet ſtare, licèt ſimul identificetur cum duabus relationibus realiter diſtinctis: Sicut eſſentia diuina eſt vna, & identificatur cum tribus.

11. Ad tertium, Reſpondeo relationes dicentis, & dicti nec virtualiter, nec ratione ratiocinata diſtingui à paternitate, & filiatione: Vt enim dicit
Auguſtinus. Auguſtinus 7. de Trinit. cap. 3. *eo Verbum, quo Filius, & eo Filius, quo Verbum*, quod conſtat ex ſupra dictis diſp. 3. Quare ſimiliter eo eſt dicens, quo Pater, & eo Pater, quo dicens; ſolùm ergo differunt ratione ratiocinante, ſcilicet ex diuerſo modo concipiendi per diuerſas ſpecies creaturarum, ſicut de relatione, & perſonalitate dicemus infrà.

CAPVT IV.

Occurrentia dubia expediuntur.

1. PRimum eſt, vtrum relationes diuinæ habeant fundamentum, vt rationem fundandi. Varij variè reſpondent: ego iuxta ſuprà dicta diſput. 7. Dico relationes tranſcendentales, ſicut nec in creatis egent fundamento, vel ratione fundandi, ſic nec in diuinis egere: relationes verò prædicamentales etiam in Deo habere fundamentum, & rationem fundandi ratione noſtra, etiam ex parte conceptus obiectiui; atque ideò quodammodo virtualiter præſuppoſita: Quia relationes prædicamentales diuinæ ſupponũt principium *quod* & *quo*, & originem actiuam, ac paſſiuam per relationem tranſcendentalem conſtituta. Quare cum ſufficienti fundamento in re ipſa concipiuntur reſoltare in perſona, poſitis productione, ac termino proportionaliter ad relationes paternitatis, & filiationis creatas.

2. Dubitatur ſecundò, Quos terminos habeant relationes diuinæ in Logica, & Metaphyſica. Probabilior opinio ſeit, relationem terminari ad abſolutum, non ad relatiuum; in diuinis verò certum eſt relationes habere terminos reales realiter à ſe diſtinctos; ita vt paternitas terminetur ad Filium, vt Filium, ſiue ad filiationem, & hæc terminetur ad Patrem, vt Patrem, ſiue ad paternitatem, & relatio ſpiratoris terminetur ad Spiritum ſanctum, vt procedentem. Ratio eſt: nam in diuinis eadem relatio conſtituit perſonam, & relatiuum ſimul, ſeu correlatiuum alterius, ideóque neceſſarium eſt, vt eadem proprietas, quæ eſt correlatio alteriùs, ſit etiam terminus illius, cùm ſecùs eueniat in creatis, vbi ſuppoſita non conſtituuntur per relationem ad alterum ſuppoſitum. Præterea cùm relatio diuina ſolùm diſtinguatur à termino vt relato, id eſt, ratione relationis, non ratione abſoluti, neceſſariò reſpicit terminum, vt relatum, & eius relationem, non tamen aliquid abſolutum, alioqnin non haberet terminum realiter diſtinctum.

3. Ceterùm reſtat difficultas; An relatio ſpirati terminetur ad Patrem, & Filium, vt Pater, & Filius ſunt, an vt ſunt ſpirator, ac per conſequens ad correlationem ſpiratoris, quia hæc non conſtituit perſonam, ſicut ceteræ, ſed ſupponit conſtitutam, ac ſubinde ſufficientem ad terminandum? Omiſſis aliorum placitis, ſicut docui vniuerſaliter in Logica relationem prædicamentalem non terminari ad ſuam prædicamentalem correlationem, ſed ad tranſcendentalem, quæ in principio *quod* ſubſtantiali, vel in principio *quo* accidentali reperitur; ſic exiſtimo proportionaliter in diuinis omnem relationem prædicamentalem non ad prædicamentalem ſibi oppoſitam, ſed ad tranſcendentalem terminari repertam in potentia productiua, & in ipſa perſona producente. Quare ſicut paternitas tranſcendentalis reſpicit entitatem filij, quæ filiatione conſtituitur, ſic etiam paternitas prædicamentalis terminatur ad filiationem tranſcendentalem, & ad ſubſtantiam Filij. Similiter filiatio tranſcendentalis, & prædicamentalis terminatur ad paternitatem tranſcendentalem, quæ in eius perſona, & potentia reperitur. Item relatio ſpiratoris tam prædicamentalis quàm tranſcendentalis terminatur ad ſubſtantiam Spiritus ſancti, quæ conſtituitur relatione ſpirati, & hæc ſiue tranſcendentalis, ſiue prædicamentalis terminatur ad relationem tranſcendentalem ſpiratoris incluſam in potentia ſpiratiua formaliter, vt vidimus diſput. 5. cap. 4. contentiuèque radicaliter in ipſis perſonis ſpirantibus, vt perſonæ ſunt, quia licèt vt ſic diſtinguantur realiter inter ſe, ſunt tamen vnum principium ſpiratiuum reale, non ſolùm vt *quo*, ſed etiam vt *quod* ex vnitate formæ, per quam habent talem rationem principij: ſicut ſunt vnus Deus propter vnitatem Deitatis.

Dubitatur tertiò, An & quomodo relationes differant à perſonalitatibus, & perſonis. Reſpondeo, tres relationes perſonales, & incommunicabiles à perſonalitatibus perſonarum, quibus inſunt, non differre virtualiter, nec ratione præciſiua, ſed ſolùm non præciſiua, ſcilicet penes implicitum, & explicitum: At verò à perſonis differre vt incluſum ab includente diſtinctione virtuali inadæquata. Sic communiter Theologi, quod amplius conſtabit quæſt. 40. Ceterùm relatio ſpiratoris diſtinguitur a perſonalitatibus Patris, & Filij virtualiter ex natura rei, vt colligitur ex ſuprà dictis cap. 2. num. 6. à perſonis verò vt incluſum ab includente diſtinctione virtuali præciſiua inadæquata. 4.

Dubitatur quartò, An relationes diuinæ conueniant in aliqua ratione vniuoca? Negat Molina 1. part. quæſt. 28. art. 4. diſp. 2. Probatur primò, quia ſequeretur relationes diuinas conſtare genere, ac differentia, & per conſequens in illis dari compoſitionem Metaphyſicam, quod cum diuina ſimplicitate pugnat. Secundò, quia relationibus conſtituuntur vltimò ſuppoſita diuina in eſſe ſuppoſitorum: id autem quia vltimò conſtituit ſuppoſitum, eſt quid incommunicabile, primóque diuerſum: ergo relationes diuinæ non conueniunt in aliqua ratione vniuoca, ſed ſe totis diſtinguuntur. Idem ſentit Vaſquez 1. part. diſp. 158. num. 32. diuerſo tamen fundamento, ſcilicet quia conceptus communis diuinæ relationis eſt tranſcendens, & denominatiuus, & quaſi ſecundæ intentionis, nec poteſt aliter concipi, vel abſtrahi niſi vt modus naturæ imbibitus in conceptu *ad* & in vltimis differentiis. 5. Molina. Vaſquez.

Melius Caietanus 1. part. quæſt. 27. art. 4. ad quartum dubium, & quæſt. 30. art. 4. & Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 3. num. 12. dicunt conuenire in conceptu vniuoco relationis ſubſiſtentis, vel increatæ, qui ſit abſtractus ab ſpecialibus earum differentiis, & eſſentialis ſuis inferioribus; ſicut 6. Caietan. Suarez.

etiam

etiam de conceptu personæ communi tribus diuinis personis docet ibi latè Suarez cum S. Thoma, Bonauentura, & alijs. Atque vtrobique est ratio, quia personæ diuinæ conueniunt in ratione subsistendi incommunicabiliter, & diuinæ relationes in ratione respiciendi, vel referendi ad terminum intrinsecum, & increatum: ergo potest ab illis abstrahi ratio communis non minùs, quàm à personis, vel relationibus creatis.

7. Vnde ad 1. Molinæ Respondeo, non repugnare Deo compositionem Metaphysicam, vt sæpè diximus. Quòd autem ratio communis diuinis relationibus dicatur genus, & ratio contrahens vnamquamque dicatur differentia, non video cur negandum sit; nisi ponatur illa ratio communis esse transcendens, vt ponitur à Suario, & Vasquio suprà. Cur autem reperiatur in diuinis personis, & relationibus ea transcendentia magis, quàm in humanis, ipsi viderint, res est non magni ponderis. Qui tamen transcendentiam asseretet, analogiam potiùs quàm vniuocationem, deberet subiungere cum Vasquio. Mihi videtur transcendentia ista non esse necessaria; sed abstrahi posse ratio communis extrà differentiam singularum personarum, & relationum. Ad secundum respondent benè Vasquez, & Suarez suprà, non esse contra rationem vltimi termini, quòd ab illo possit abstrahi ratio communis multis similibus terminis: sed quòd possit vlteriùs in eodem genere, scilicet alia personalitate terminari.



QVÆSTIO XXIX. S. Thomæ.

De personis.



QVIA relationibus constituuntur diuinæ personæ; ideò explicatis relationibus Angelicus Doctor personas incipit expedire.

ARTIC. I.

Vtrùm sit conueniens definitio personæ.

Boëtius. Conclusio. Congrua est definitio personæ, quam tradit Boetius libro de duabus naturis, pagina 5. scilicet *persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Sanctus Thomas intelligit *substantiam* vt abstrahit à prima, & secunda; *indiuiduam* autem, vt rationem, quæ contrahit substantiam ad esse primæ, nimirùm ad indiuiduum singulare completum in ratione substantiæ, ac per consequens in ratione subsistendi per se incommunicabiliter; *rationalis, naturæ, vel intellectualis* dicitur, ad excludenda supposita aliarum naturarum, quæ licèt sint substantiæ completæ, ac subsistentes, adhuc non sunt personæ. Cùm ista definitione coincidit alia, quæ colligitur ex Richardo Victorino lib. 4. de Trinitate, cap. 22. & 23. & qua vsus est Ioannes Theologus in Florentino sess. 19. scilicet persona creata est rationalis naturæ incommunicabilis existentia; vel naturæ diuinæ, si sit persona diuina: nam idem est apud Richardum *existentia*, quod *substantia* apud Boëthium, & idem est *incommunicabilis*, quod *indiuidua*. Videatur Suarez lib. 1. cap. 1. (Richard. Victor. — Ioan. Theol. — Suarez.)

ARTIC. II.

Vtrùm persona sit idem quod hypostasis, subsistentia, & essentia.

PRima conclusio; Persona est idem in natura intellectuali, quod suppositum, hypostasis, res naturæ, & subsistentia in tota natura, quoniam omnia ista nomina significant eandem rem, scilicet substantiam completam, prout diuersis rationibus consideratur. Vocatur enim suppositum secundo intentionaliter, prout concipimus illam subiici in propositionibus: Vocatur primò intentionaliter hypostasis, prout illam concipimus sustentare accidentia; Dicitur item res naturæ, prout supponitur naturæ specificæ, sicut hic homo est res naturæ humanæ; Demùm dicitur subsistentia, prout concipimus illam per se existere, non in alio.

Secunda conclusio; Persona non est idem quod essentia (intellige virtualiter) quatenus persona claudit essentiam, & aliquid amplius.

Tertia conclusio in corpore, & ad tertium, *substantia* quandoque significat essentiam, quandoque suppositum, seu subsistentiam: nam abstractum sumitur pro concreto, subsistentia pro subsistente. Sic loquuntur sanctus Thomas hic, Concilium Toletanum II. & V. Synodus Constantinopolitana, cap. 1. de voce *hypostasis*, & *vsia*. Fuit olim grauis in Ecclesia dissensio, sicut & de voce subsistentiæ. Videantur Ruffinus lib. 10. Ecclesiasticæ historiæ cap. 29. & Vasquez hic disput. 124. Iam vsus obtinuit, vt *hypostasis* pro subsistentia sumatur, *vsia* pro essentia. (Conc. Tol. Constantinopol. V. — Ruffinus. — Vasquez.)

ARTIC. III.

Vtrùm nomen persona sit ponendum in diuinis?

COnclusio affirmat, & est de fide: nam in symbolo Athanasij dicitur, *alia est enim persona Patris, alia Filij*, habetur etiam in cap. *Firmiter*, & in Toletano II. alijsque sæpe. Ratione probat sanctus Thomas, quia tribuendum est Deo, quidquid est perfectionis in natura, sed persona semotis imperfectionibus, quæ in personis creatis reperiuntur, significat id, quod est perfectissimum, & summæ dignitatis in tota natura, scilicet esse subsistens in natura rationali: ergo conueniens est vt hoc nomen persona dicatur de Deo. Laurentius Valla lib. 6. elegantiarum, cap. 34. voluit personam significare qualitatem, & sic in brutis reperiri. Sed errauit in vtroque. (Valla.)

Videantur Suarez lib. 1. cap. 1. & Vasquez hic. (Suarez. Vasquez.)

ARTIC. IV.

Vtrùm persona significet relationem.

Prima conclusio. Persona prout abstrahit à creata, & increata, non significat relationem, sed id, quod subsistit incommunicabiliter in natura rationali, vt ab aliis distinctum.

Secunda conclusio: Persona in diuinis significat relationem vt subsistentem, quia distinctio in diuinis non est nisi per relationes originis.

Tertia conclusio: Persona in diuinis significat relationem per modum relationis solùm in obliquo, quia relatio in recto non pertinet ad rationem personæ quatenus est relatio, sed quatenus significatur per modum hypostasis. Sensus est, cùm personalitas diuina sit relatiua, debet in diuina persona importari relatio, formaliter quidem, id est, magis principaliter si comparetur ad naturam, materialiter verò, & minùs principaliter, si comparetur conceptus explicitus relationis ad conceptum explicitum personalitatis.

Quod intendit docere S. Thomas in hac quæstione, scilicet dari personam in Deo, tam euidens est quàm esse Deum substantiam, completam: implicat enim intelligere substantiam completam existentem, si naturali modo existat, (vt abstineamus à quæstione de possibili) & non sic existere, vt vltimò terminetur, siue proprio termino, siue alieno; alienum autem non potest habere natura diuina, in qua quidquid intrinsecum reperitur, debet esse per omnimodam identitatem cum ipsa: ergo debet Deitas esse terminata proprio termino, ac per consequens datur persona diuina. Nec occurrit aliquid disputatione dignum.

QVÆSTIO XXX. S. Thomæ.

De pluralitate personarum.

Probauit Angelicus Doctor dari personam in Deo, nunc inquirit numerum personarum.

ARTIC. I.

Vtrùm sit ponere plures personas in diuinis.

Conclusio affirmans est de fide: nam Athanasius in symbolo ait, alia est persona Patris, alia persona Filij. Probatur etiam ex pluralitate relationum, quoniam hæ sunt in Deo subsistentes, & per consequens significantur nomine personæ. Videantur suprà dicta disp. 1.

ARTIC. II.

Vtrùm in Deo sint plures personæ, quàm tres.

Conclusio: In Deo sunt tres personæ duntaxat. Probatur ex 1. Ioan. vltim. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo* adiuncto testimonio Augustini lib. 7. de Trinitate, cap. 4. Ratio sumitur ex numero relationum, & processionum, & sic potest formari. Dantur in diuinis vnica persona improducta, & duæ tantùm productæ: ergo sunt tantùm tres. Antecedens quoad primam partem est de fide, quia Concilium Nicenum, Toletanum VI. & XI. Athanasius in symbolo, & alij Patres appellant Patrem non procedentem, innascibilem, & ingenitum, non solùm vt negat propriam generationem, quo sensu etiam Spiritus sanctus dici potest ingenitus, sed vt significat non productum vllo genere productionis. Quoad secundam partem constat ex numero processionum, de quo disp. 6. dictum est. Rationes aliquas addit Suarez lib. 1. cap. 4. & 10. sed certè ad principia Fidei reducendæ sunt. Vnde fit consequens etiam esse de fide ex Conciliis & Patribus, quos refert Suarez ibi.

1. Ioan. vlt. Aug. Conc. Nic. Tolet. VI. & XI. Suarez.

S. Thomas in præsenti hanc reddit rationem. In Deo sunt tantùm quatuor relationes, vt constat ex quæst. 28. quarum paternitas & filiatio cùm sint oppositæ nequeunt eandem personam constituere, sed duas; spiratio verò cùm non opponatur paternitati vel filiationi, non distinguitur realiter ab illis. Ideóque non constituit distinctam personam. Demùm cùm processio immediatè opponatur spirationi, ac subinde mediatè paternitati, ac filiationi, necessariò constituit personam distinctam à personis spirantibus: ergo tres sunt personæ in Deo, nec plures, nec pauciores. In hac ratione supponitur idem Spiritum sanctum procedere à Filio, quod infrà ostendendum erit.

ARTIC. III.

Vtrùm termini numerales ponant aliquid in diuinis.

Conclusio: Termini numerales in Deo supra res, quas significant, non addunt nisi negationem. Probatur, quia multitudo se habet ad multa, sicut vnum ad ens: sed vnum non addit aliquid supra ens, nisi negationem diuisionis tantùm, vt ostendit S. Thomas suprà quæst. 11. art. 1. ergo multitudo significat res, de quibus dicitur, cùm in diuisione circa vnamquamque illarum. Vbi nota S. Thomam hic non dicere terminos numerales, vel vnitatem significare de formali solam negationem, sed nihil addere supra entitatem præter negationem; quod diuersum quidem est; cùm hoc sit verum, illud autem falsum. Videantur suprà dicta lib. 5. disp. 18. cap. 7.

ARTIC. IV.

Vtrùm hoc nomen persona possit esse commune tribus personis.

Conclusio: Persona est communis non secundùm rem, sed secundùm rationem, id est, non datur vna persona numero realiter communis tribus personis, datur tamen realiter ratio personæ per hoc nomen significata, communis illis ratione nostra, & per abstractionem intellectus. Probatur quia persona diuina significat rem subsistentem in tali natura. Hoc autem est commune tribus personis diuinis, cùm vnaquæque subsistat in natura diuina, & distinguatur

guatur ab aliis: ergo est communis secundùm rationem, non secundùm rem ipsam. Videantur suprà dicta disp. 9. cap. 4. num. 5.

Notationes circa quæstionem.

Gabriel. Vasquez. Noto primò, cum Gabriele in 1. dist. 24. quæst. 2. artic. 3. dub. 1. & cum Vasquio hic art. 1. secundùm quantitatem continuam, id est, secundùm intentionem perfectionis non dari in Deo totum & partem, maius, & minùs; & sic loquitur Athanasius in Symbolo, dum ait, *in hac Trinitate nihil maius aut minus*: at secundùm quantitatem discretam, id est, quoad numerum personarum reperitur in Deo totum, & pars, scilicet totus numerus, & eius partes; maior etiam numerus & perfectior in toto ternario, & minor, ac minùs perfectus in binario; nec hoc repugnat infinitati diuinæ, cùm non arguat inæqualitatem in perfectione simpliciter. Quare S. Thomas hic art. 1. ad 4. solum corrigit modum loquendi, nimirum vt in hoc numero non concedamus absolutè totum & partem, maius & minus, ne forsan indicetur aliqua compositio, vel excessus perfectionis, sed cum addito dici potest numerus maior, Suarez. vel minor, vt aduertit Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 10. num. 8.

Noto secundò, hoc esse speciale in isto numero, vt non excludat omnem identitatem rerum Conc. Tol. Bernard. numeratarum; ideò dicitur in Toletano II. quòd *Trinitas non recedit à numero, nec comprehenditur numero*, & Bernardus lib. 5. de consideratione circa medium, ait *Habes quid numeres, & quid non numeres: substantia vna est, per-* Boëthius. *sona tres sunt*: sic intelligendus est Boethius de Trinit. dum loquit; *Atque hoc verè vnum est, in quo nullus est numerus*, intellige, qui non admittat vnitatem naturæ.

Noto tertiò, vnitatem esse rationem merè posituam, & adhuc esse passionem entis, quatenùs explicat determinationem quandam ad hoc esse: potest enim ens concipi non concepta explicitè hac determinatione, licet non concepta hac, vel illa differentia particulari, & tunc concipitur essentia entis in communi. Potest deinde alio conceptu explicitè concipi ens, vt determinatum ad hoc esse singulare; & tunc concipitur explicitè vnitas indiuidua quam solam arbitror esse realem, & passionem entis realis, quia nullum datur ens à parte rei, nec vlla entitas, quæ non sit singularis: ergo conceptus differentiæ singularis obiectiuus includit conceptum entis, & solùm differt ab illo penes implicitum, non tamen est de essentia illius; sic etiam se habet conceptus vnitatis cum ente. Conc. Rhem. Quod in Deo confirmat Concilium Rhemense sub Eugenio III. quatenos dicit vnitatem Dei esse Deum, cùm tamen id non affirmet de aliquo prædicato negatiuo: sic in rigore hæc est falsa propositio (inquit Molina 1. part. quæst. 31. art. 1.) Deus est im- Molina. mutabilitas, & idem erit de hac: Deus est immutabilitas, incomprehensibilitas, &c. quia Deus non est negatio vllo modo, sed quid merè positiuum, etsi negationibus explicetur: ergo vnitas quæ simpliciter, & in abstracto prædicatur de Deo, est quid merè positiuum licèt negationibus explicetur.

Noto quartò, quòd in logica tradidi, cir-

Franc. de Lugo in 1. part. D. Thomæ.

ca prædicamentum quantitatis, nempe numerum, seu multitudinem esse dumtaxat ens per accidens, ac subinde non esse vnum ens, sed multa entia. Vnde nihil significat reale præter ipsas entitates, & vnitates, vt docent sanctus Thomas hic art. 3. & Fonseca lib. 4. Metaphys. cap. 13. quæst. 4. art. 4. & Suarez Fonseca. disp. 41. Metaphysicæ sect. 1. & disp. 4. Suarez. sect. 4. & sequentibus, vbi benè declarat quomodo opponantur vnum & multa. Quare numerus in Deo, scilicet Trinitas, significat ipsas vnitates personarum præcisè, ac subinde rationes positiuas earundem, quæ negationibus exponuntur.



QVÆSTIO XXXI. S. Thomæ.

De his quæ ad vnitatem, vel pluralitatem pertinent in diuinis.

Tota quæstio procedit de vocibus, & de modo loquendi in hac materia, vbi magni refert quomodo loquaris.

ARTIC. I.

Vtrùm sit Trinitas in diuinis.

Conclusio affirmat & probatur: nam in diuinis ponitur pluralitas, sed idem quod significat pluralitas indeterminatè, significat Trinitas determinatè: ergo ponenda est Trinitas in diuinis ad significandum determinatum numerum personarum. Ad primum docet S. Thomas nomen *Trinitas* secundùm etymologiam significare vnam essentiam trium personarum; sed secundùm proprietatem vocabuli significare potiùs numerum personarum vnius essentiæ, id est, tres personas distinctas. Et quidem Isidorus lib. 1. etymolog. cap. 4. *Trinitas* (inquit) Isidor. *est trium vnitas*, quod arripuit Valla lib. 3. elegantiarum cap. 5. dicens esse Triom vnam diuinitatem. Genebrardus verò lib. 2. de Trini- Valla. tate, & Salmeron tom. 2. in Euangel. tract. 11. Genebr. dicunt Isidorum, aut ludere voluisse tropo no- Salmeron. tationis oratoriæ, quo similiter iocamur, dicentes Ciuitatem esse Ciuium vnitatem, aut equidem in hac etymologia, sicut in aliis nimium fuisse.

Meliùs igitur Doctores & Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 5. docent nomen *Trinitas*, sicut Bellarm. Græcum *Trias* sonare ternionem, seu ternarium, & sicut quaternio apud Latinos nihil aliud significat nisi numerum quatuor rerum, sic Trinitas cum tribus hypostasibus reciprocatur, ad quas designandas est vso recepta talis vox. Sic dixit Athanasius in symbolo *Tri-* Athanas. *nitatem in vnitate veneremur*; absurdè verò diceretur Trium vnitatem in Vnitate veneremur; similiter Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. Vnitatem opponit Trinitati, dicens, *Trinitas ad* Fulgent. *personas refertur, Vnitas ad naturam*: ergo Trinitas non dicit de formali vnitatem, sed solùm numerum & distinctionem personarum.

Ad tertiam negat S. Thomas triplicitatem in Deo, quoniam hæc vox ex Boëthio significat proportionem inæqualitatis: certè constat ex

 vin,

vsu, qui magni habendus est in hac materia, nomen *triplex* aut *triplicitas* non prædicari de Deo, sicut prædicantur *Trinus* & *Trinitas*; imò sæpè negant Patres Deum esse multiplicem: nam hæc vox multiplicat formale significatum termini cui adiungitur. Trinus verò solùm multiplicat supposita.

ARTIC. II.

Vtrùm Filius sit alius à Patre.

Conclusio. Dicitur *alius* masculinè, non *aliud* in neutra terminatione: nam hæc est informis atque conuenienter significat essentiam communem; masculina verò, vel fœminina est formata & distincta; ideoque significat aliquod suppositum determinatum in natura communi. Quare sicut absolutè non potest dici Filius aliud à Patre, sed vnum cum Patre, & è contra Pater & Filius non possunt dici vnus, sed vnum, quia masculinum genus absolutè prolatum refertur ad personam, neutrum verò ad naturam; sic addito substãtiuo non potest dici Filius alius Deus, sed vnus Deus, nec vnum suppositum cum Patre, sed aliud suppositum.

ARTIC. III.

Vtrùm dictio exclusiua solus *sit addenda termino essentiali in diuinis.*

Conclusio. Si dictio *solus* accipiatur categorematicè, id est, ex parte prædicati absoluti, non potest de termino essentiali prædicari, vt si dicamus Deus est solus, quia significat, Deum esse solitarium absque consortio, seu distinctione personarum; si verò sumatur syncategorematicè, id est, ex parte subiecti, potest addi termino essentiali, vt si dicamus solus Deus est æternus, quia significat nulli alij præter Deum id conuenire. Videatur Molina hic.

ARTIC. IV.

Vtrùm dictio Exclusiua possit adiungi termino personali.

Conclusio. Cum termino personali additur dictio exclusiua, & prædicatum est commune, vt cùm dicimus solus Pater est Deus, si excludat à forma subiecti, est vera propositio, quia reddit hunc sensum, ille qui solus est Pater, est Deus; si tamen excludat à consortio prædicati aliud neutraliter tantùm, etiam est vera, quia reddit hunc sensum, nihil aliud à Patre est Deus; si verò excludat alium masculinè est falsa, quia Filius est alius à Patre, & tamen est Deus; & quia communiter facit hunc tertium sensum, non est extendenda talis locutio, sed sicubi reperiatur in authentica Scriptura, piè quidem exponenda in primo vel secundo sensu; ideò verba illa Ioan. 17. Ioan. 17.
vt cognoscant te Deum solum verum. Ita exponit Augustinus 6. de Trinit. cap. 9. aliique Patres, vt ly *solum* non referatur ad pronomen *te* quod significat ibi personam Patris, sed coniungatur cum nomine *Deum*, vt sensus sit, cognoscant te, qui es solus verus Deus. Vbi dictio Augustinus.

solus non excludit alias personas Trinitatis, sed alios Deos falsos. Sic etiam intelligenda est ea dictio Isaiæ 37. Dan. 3. & explicatur Deuteron. 32. *Videte quòd ego sim solus, nec alius Deus præter me*, S. Thomas hîc ad primum admittit istam explicationem, addit tamen si dictio *solus* intelligatur de persona Patris capienda esse verba illa in secundo sensu suprà posito, sicut & illa Matthæi 2. *Nemo nouit Filium nisi Pater.* Cùm enim aliquid essentiale dicitur de aliqua persona, non excluduntur aliæ propter vnitatem essentiæ, sed excluditur aliud in neutra terminatione. Quòd si prædicatum non sit commune, sed personale, potest dictio exclusiua addi termino personali, vt benè notat Vasquez hic: Sic enim dicimus solus Pater gignit, solus Filius generatur. Isaias 37. Dan. 3. Deut. 32. Matth. 2.

DISPVT. X.

Quæ prædicata plurificentur in diuinis personis.



CVM persona diuina claudat naturam & relationem, nec ea parte naturæ possit esse pluralitas, omnis hæc à relationibus sumenda erit; nec tam in re ipsa, quam in modo loquendi versatur difficultas, vtraque tamen expedienda.

CAPVT I.

De essentia, & existentia.

1. DE fide est in Deo esse vnicam essentiam, & naturam diuinam, de qua in symbolo Athanasij dicitur Patris, & Filij, & Spiritus S. vna est diuinitas; Et præterea docet fides in Deo dari tres personas, tresque relationes reales, quarum quælibet sit ens existens & subsistens. Vnde fit in Deo esse tres entitates, tres realitates, seu res relatiuas, nec sub his terminis video ab vllo Catholico negari, sed doceri communiter à Patribus & Doctoribus, quos sequuntur Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 6. & Vasquez disp. 122. cap. 3. & 7. Suarez. Vasquez.

2. Hinc etiam deducunt nonnulli apud Suarium 3. part. tom. 1. disp. 11. sect. 2. in diuinis dari tres essentias, quia relatio, vt relatio, habet suam essentiam, scilicet relatiuam per ordinem ad terminum, sed diuinæ relationes in hac essentia relationis distinguuntur; siquidem vt sic habent rationes formales, & quasi specificas realiter distinctas: ergo datur in Deo distinctio essentiarum, sicut entitatum & rerum. Ideò Caietanus 1. part. quæst. 28. art. 2. distinguit inter quod quid est relationis, & quod quid est naturæ diuinæ, & S. Thomas in 1. distinct. 33. quæst. 1. artic. 1. ad 1. inquit quòd quatenus esse significat quidditatem quam explicat definitio, sic essentia & relatio non vniuntur in esse. Caietan.

3. Hinc Canariensis & Suarez lib. 3. cap. 6. n. 4. colligunt esse in Deo tria entia, saltē cum addito, scilicet relatiua. Præterea dari tres existentias

colligit

colligit vterque. Richardus, Scotus, Alensis, Cumel, quos sequitur Suarez suprà cap. 5. & 3. p. tom. 1. disp. 11. sect. 2. Tres substantias admittunt Augustinus, Hilarius, Anselmus, S. Thomas, quos
Molina. refert & sequitur Molina 1. part. quæst. 29. art. 2. disp. 2. Consequenter esse tres bonitates & perfectiones relatiuas inferunt Gabriel, Heruæus,
Suarez. Clictouæus, Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 9. Va-
Valentia. lentia tom. 1. disp. 2. quæst. 2. punct. 1. ad 3. & plures alij. Idem est de tribus vnitatibus, veritatibus, & similibus transcendentibus, vt persequitur Suarez cap. 7. & 8. & cum illo Iuniores. Ratio in his omnibus est, quia multiplicato inferiori multiplicatur superius, & omnia prædicata essentialia, vel propria inferioris, sed multiplicantur relationes diuinæ, & quæuis relatio etiam vt distincta virtualiter ab essentia diuina & realiter ab aliis essentialiter est ens: ergo habet essentiam; est existens: ergo habet existentiam; est per se: ergo habet rationem substantiæ, ac subinde simul est vna bona, & vera. Multiplicantur igitur omnia ista prædicata in personis & relationibus diuinis.

4. Suarez. Addunt nonnulli moderni, quorum meminit Suarez 3 part. tom. 1. disp. 11. sect. 1. in Deo tantùm esse tres existentias relatiuas realiter distinctas inter se, & nullam absolutam communem: nam existentia substantiæ (inquiunt) est idem prorsus etiam ratione nostra cum subsistentia; cùm sit de intrinseco conceptu existentiæ substantialis, vt reddat substantiam existentem per se, & non in alio, quod est ipsum subsistere. At in diuinis nulla est subsistentia absoluta, vt constabit disputatione seq. sed solùm tres relatiuæ quibus diuina natura subsistit: ergo similiter erunt tres existentiæ relatiuæ duntaxat, quibus existat natura diuina.

5. Alij per oppositum vnicam asserunt essen-
Idem. tiam in Deo, tres relatiuas negant. Suarez su-
Cumel. pra sect. 2. Cumel. 1. part. quæst. 28. art. 2. disp. 4.
Vasquez. Vasquez, & ferè omnes. Vnicam etiam existentiam non tres personales Capreolus, Caietanus,
Bellarm. Vasquez disp. 112. cap. 2. & Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 15. & 16. Vnicam item perfectionem, non triplicem. Maior, Caietanus, Canariensis, Gabriel, Vasquez suprà cap. 6. Bellar-
Molina. minus cap. 12. Molina quæst. 42. art. 6. disp. 2.
Scotus. Quod etiam amplectuntur Scotus quodlibet. 1.
Durand. art. 1. & 2. Durandus in 3. dist. 1. quæst. 3. num. 15. dum aiunt relationes diuinas ex se formaliter nec habere perfectionem, nec imperfectionem, sed solùm identicè participare perfectionem essentiæ. Secludunt itaque a relationibus omnem perfectionem non solùm relatiuam, sed etiam absolutam, cùm censeant relationes diuinas vel distingui ex natura rei ab essentia, vel saltem illam essentialiter non claudere. Probant, quia nulla relatio siue creata siue increata est ens quantum quantitate perfectionis, sed non quantum, id est, non perfectum. Hoc tamen facilè corruit ex Metaphysica, vbi ostenditur quamlibet entitatem etiam relatiuam habere suam bonitatem, & perfectionem transcendentalem sibi proportionatam.

6. Thomistæ verò & Molina suprà dicunt relationes habere perfectionem ex se, non tamen aliam, etiam ratione distinctam à perfectione essentiali, & ita denegant relationibus perfectionem relatiuam: concedunt tamen illis perfectionem absolutam, quia putant essentiam eiúsque perfectionem essentialem in qualibet relatione claudi, sed non satis explicant cur sit relatio, quamuis intrinsecè claudat entitatem absolutam, est adhuc entitas relatiua, sic etiam non sit perfectio relatiua, licet includat perfectionem absolutam.

Paulò aliter philosophatur Vasquez: sentit 7.
enim relationes etiam prout differunt ab essen- Vasquez.
tia dicere perfectionem, quia pertinent ad perfectionem Dei; Non verò tres perfectiones realiter distinctas, sed sola ratione, quia nec sunt plures perfectiones totales, cùm pertineat ad integrandam eandem Dei perfectionem totalem, quæ est vnica, nec sunt plures partiales, quia non integrant illam per compositionem, sed per simplicitatem. Attamen hoc argumentum non viget: nam sicut in Deo sunt tres entitates relatiuæ totales in suo genere distinctæ realiter inter se, identificatæque cum entitate absoluta, cur etiam non erunt tres perfectiones relatiuè distinctæ realiter inter se identificatæque simul cum perfectione absoluta, & nullatenus partes illius? Videatur Suarez lib. 3. cap. 9. Suarez.
à num. 5.

Igitur dico primò; Essentia simpliciter distin- 8.
cta vnica est in Deo, sicut & natura diuina, siue Deitas vnica est communis & absoluta. Sic Doctores citati num. 5. Probatur: nam essentia diuina simpliciter dicta significat ens esse, id est, non ab alio realiter, vel ratione præsuppositum, sed tanquam primum fundamentum ceterorum; vt sic verò non includitur in relationibus, & consequenter non multiplicatur in illis; imò nec in homine dicitur esse nisi vnica essentia, licèt habeat substantiam, & pleraque accidentia distincta: nam essentia simpliciter supponit pro prima ratione essendi, sicut natura pro prima ratione operandi, & multò magis in Deo hoc nomen *essentia* vsu Patrum & Conciliorum pro sola natura communi, vel prima radice, seu quasi fundamento essendi Dei vsurpatur. Quare nec cum addito tres essentias relatiuas in Deo debemus admittere, sicut nec tres relatiuas naturas, vt notat Sua- Idem.
rez ea sect. 2. tametsi constet apud Catholicos esse in tribus relationibus tres rationes quidditatiuas secundùm quid, quia quæuis relatio habet suam quasi essentialem quidditatem distinctam ab aliis secundùm quidditatiuum conceptum relationis; quæquidem in relatione creata dicitur essentia relatiua vel relationis: at in Deo ea locutio vitanda est ob Ecclesiæ vsum, & periculum offensionis. Habendum est enim
præ oculis in hac materia quod monet Au- Augustinus.
gustinus lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 23. Dicens, *liberis verbis vtuntur philosophi & in rebus ad intelligendum difficillimis religiosarum aurium non timent offensionem, nobis autem ad*
certam regulam loqui fas est. Videantur Valen- Valentia.
tia in prologo huius materiæ cap. 3. & Suarez Suarez.
ea disput. 11 sect. 2. qui ponentium tres essentias in relationibus diuinis non sensum damnat, sed modum loquendi falsum & erroneum appellat; nec illorum fundamentum probat sic loquendum esse, sed sentiendum, vti nos diximus.

Dico secundò, in Deo datur vna existentia 9.
absoluta & essentialis communis tribus personis, ita communiter Theologi, & Suarez ea Idem.
disp. 11. sect. 1. Oppositum damnat temeritatis

& erroris. Probatur, nam existentia est de essentia Dei: sed essentia Dei, vt vidimus, est vna communis & absoluta: ergo datur etiam in Deo vna existentia communis & absoluta. Minor & consequentia constant. Maior probatur Exod. 3. vbi Deus se nominat *Qui sum, & qui est*. Ibique Patres intelligunt significari essentiam Dei communem personis, & Iustinus Martyr oratione ad Gentes sic explicat. *Ego sum existens ille, vel existens illud seipsum videlicet à non existentibus opponens.* Nec potest essentia Dei præscindi ab existentia: vt sic enim diceret solùm esse potentiale: implicat autem quod est essentialiter a se, esse, aut concipi posse potentiale, id est, potens esse ab alio, cùm ens à se importet omnimodam negationem essendi ab alio: Includit ergo actum purum essendi, ac per consequens existentiam sibi essentialem. Fundamentum verò in contrarium adductum num. 4. supponit falsum, scilicet existentiam distingui ab essentia, & coïncidere cum subsistentia in substantiis creatis; Vtrumque enim reiicitur in Metaphysica. Videatur ibi Suarez, & in supradicta sect. 1.

Exod. 3.

Iust. Mart.

10. Dico tertiò, præter existentiam absolutam Deitatis, de qua suprà dantur in Deo tres existentiæ relationum distinctæ realiter inter se. Sic Doctores relati num. 3. & præterea Heruæus tractatu de relationibus. Albertus in 1. dist. 23. artic. 1. ad 2. Henricus etiam in summa art. 34. quæst. 2. & quodlibeto 5. quæst. 2. & quodlibet 2. quæst. 11. quibus locis licet pro opposita sententia referatur, tamen solùm docet non existere relationes absolutè, id est, vt res, sed existere vt modos, similiter Richardus Victorinus 4. de Trinit. cap. 12. & sequentibus, planè numerat & distinguit existentias relatiuas, etiam vt dicunt actum existendi, præsertim vbi docet in Deo esse tres existentias quibus, Pater existit a se, Filius a Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque. Videatur Suarez latè perpendens mentem Richardi contra Patrem Vasquium, qui Richardum aliter interpretatur. Præcipuum conclusionis fundamentum est identitas existentiæ cum essentia vel entitate actuali in creaturis quidem realis, in Deo diuinisque rationibus etiam formalis & essentialis. Vnde manifestè deducitur quot multiplicantur entitates realiter, tot multiplicari existentias, siquidem quælibet entitas etiam relatiua diuina est essentialiter existens.

Heruæus. Albert. Henricus. Richard. Victorinus. Suarez.

11. Confirmatur primò, quia relationes, vt inter se realiter distinguuntur, sunt aliquid actu; alioquin vt differunt, essent nihil: quod enim actu non existit, absolutè nihil est; sed vt differunt, non sunt actu actualitate essentiæ, quia sic non differunt, sed conueniunt: ergo propriis actualitatibus, quæ sunt existentiæ relatæ.

Confirmatur secundò, quia quando Pater generat, vel producit aliquod esse actuale relatiuum, vel non: si producit: ergo datur esse actuale realiter distinctum à producente, & virtualiter ab esse absoluto essentiæ: si non producit tale esse: ergo nec entitatem actualem, quoniam entitas produci non potest in esse actuali sine illo. Equidem producere formalissimè est dare esse actuale rei productæ, nec intelligi potest producens entitatem, nisi producatur aliquod esse actuale illius: sed cùm relatio Filij producitur, non producitur existentia absoluta, sed communicatur Filio: ergo assignandum est actiuæ generationi aliquod esse actuale quod producat: hoc autem est existentia relatiua producta: ergo dantur tres existentiæ relatiuæ realiter inter se distinctæ, quarum duæ realiter producantur.

12. Obiicies primò, S. Thomam asserentem sæpiùs in diuinis personis non dari aliud esse essentiale, & aliud personale, sed vnicum essentiale. Similiter Augustinus de Trinit. lib. 5. 6. & 7. docet esse dici ad se, ac subinde non multiplicari in Deo, sic videtur loqui Hieronymus epistola 57. & Damascenus lib. 3. de fide cap. 11. relationes diuinas vocat modos existendi. Vnde colligit Vasquez non dari existentias personales: modum enim existentiæ quis vnquam existentiam appellauit?

August. Hieron. Damascen.

Respondeo intendere S. Thomam locis adductis à Vasquio ea disp. 126. n. 3. diuinam essentiam, vel naturam vt sic solùm existere formaliter per existentiam absolutam, & non relatiuam, nec hanc requiri vt existat essentia diuina, sed vt existat relatio; sic Suarez supra. Imò simpliciter & absolutè vnica existentia & vnicum esse absolutum tribuendum est Deo & diuinis personis, sicut vna essentia: nam esse simpliciter dictum sonat existentiam absolutam, quæ in Deo vnica est; & sic loquuntur Patres citati; cum addito verò dici possunt tres existentiæ relatiuæ quas Damascenus vocat modos existendi, quia non reddunt formaliter & simpliciter existentem essentiam, sed solùm personas secundùm quid, scilicet secundum esse relatiuum.

Vasquez.

13. Obiicies secundò; Si darentur in diuinis tres existentiæ relatiuæ, darentur similiter tres essentiæ, cùm essentia & existentia in Deo non distinguantur etiam ratione. Respondeo, de re satis constare apud Catholicos, vt diximus num. 8. Quoad voces verò discrimen esse quòd in Deo solùm entitas absoluta dicatur essentia. existentia verò latiùs patet, & omni entitati actuali tribuitur suo modo. Vnde entitas relationis dici non potest essentia, etiam cum addito, sed quidditas vel ratio formalis relationis; potest verò dici existentia, non simpliciter, sed cum addito, vt visũ est.

14. Obiicies tertiò; Sequeretur esse in Deo tres actus puros: nam existentia dicit vltimum actum, & in Deo non habet admistam potentiam. Sed consequens non est admittendum: ergo nec antecedens. Suarez 3. part. tom. 1. disp. 11. sect. 2. negat sequelam, quia putat actum purum dicere infinitatem simpliciter in genere entis. Alij non verentur admittere sequelam, quoniam illæ tres existentiæ verè sunt actus essendi, nec nomen actus puri semper pro actu essentiali & infinito in tota latitudine actus accipitur apud Patres.

Suarez.

15. Obiicies quartò: Duratio est existentia rei, vt constant ex Metaphysica: ergo si dantur tres existentiæ relatiuæ, dantur etiam tres durationes: sed duratio diuina est æternitas: ergo dantur tres æternitates, & consequenter tres æterni, non solùm adiectiuè, sed etiam substantiuè contra Athanasium in symbolo. Et idem argumentum fieri potest de immensitate: nam illæ existentiæ sunt vbique per semetipsas: ergo sunt immensæ, etiam vt distinctæ ab essentia.

Respondeo dari quidem in diuinis tres durationes, quæ licèt ad genus vel speciem æternitatis possint reduci, non sunt tamen dicendæ tres æternitates; quoniam hoc nomen Patres non cuilibet durationi diuinæ, sed soli essentiali

essentiali & vitali accommodant. Immensitatem Suarez. negat Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 12. num. 9. multiplicari, qnia requirit infinitatem simpliciter (intellige quatenus significat rationem éaistendi in omni loco per essentiam, præsentiam, & potentiam) & ideò soli competit naturæ diuinæ, non verò relationibus, quæ secundùm propias rationes intelligi possunt ex se afferre præsentialitatem aliquam illimitatam in suo genere, quæ multiplicetur in illis, non tamen attingat eacellentiam immensitatis.

16. Et dictis fit, si substantia sumatur pro essentia rei, & prò sola natura communi, quo sensu Aristoteles vtitur voce substannæ in definitione vniuocorum, vnicam substantiam asserendam esse Concil. in Deo, non triplicem. Sic loquuntur Concilium Tol. II. VI. Toletanum II. VI. & XI. Lateranense in cap. XI. *Damnamus* & Patres relati à Molina 1. part. Lateran. quæst. 29. art. 2. disp. 1. quando negant in Deo Molina. tres substantias. Si verò *substantia* significet idem qnod suppositum, vt apud Patres olim significasse docet Vasqnez disp. 125. cap. 5. vel sigoifi- Vasquez. cet idem quod ens per se, vt distinguitur contra accidens, possumus in Deo tres substantias admittere, sicut illas concedunt in hoc sensu Augustinus, Hilarius, Anselmus, & S. Thomas relati à Molina suprà, qui prudenter admonet, tum propter æquiuocationis periculum, tum propter vsum Patrum, & Conciliorum non esse absoluiè asserendas tres substantias in Deo, sed cum addito scilicet relatiuas incommunicabiles, &c.

17. Similiter Augustinus lib. 10. de Trinit. cap. 6. Augustinus. negat in Deo tria indiuidua, quoniam indiuiduum simpliciter constituitur per naturam indiuiduam, quæ in Deo est vnica: Ceterùm secundùm quid & cum addito, scilicet in ratione suppositi dici possunt personæ diuinæ distingui, seu multipli- Damascen. cari numero, sic Damascenus lib. 3. de fide cap. 4. & 8. dixit, numero, non natura differre diuinas Anastasius. hypostases; & similiter loquitur Anastasius Si- Sinaita. naita in libro de dogmatibus fidei.

CAPVT II.

De perfectione & reliquis transcendentibus.

1. SVppono in essentia diuina non solùm prædicata essentialia, sed etiam affectiones essentiæ in singulari reperiri, scilicet vnicam vnitatem, veritatem, & bonitatem ac perfectionem infinitam simpliciter in genere entis. Quærimus tamen an præter istam perfectionem & reliqua prædicata propria diuinæ essentiæ vel naturæ dentur tres perfectiones, seu bonitates relatiuæ? Tres vnitates & veritates, sicut tres existentiæ. Sententias & Ductores retulimus capite præcedenti.

2. Iam dico primò, contra Scotum, & Durandũ, Relationes diuinæ, quatenùs relationes sunt, distinctæ virtualiter ab essentia, dicunt perfectionem non absolutam, sed relatiuam. In hoc ferè reliqui Theologi conueniunt. Probatur primò, Cyrillus. auctoritate: nam Cyrillus lib. 1. Thesau. cap. 6. de Patre æterno inquit, *Perfectus est non solùm quia Deus, sed quia Pater est*; & infrà. *Notio ergo* Damasc. *perfectionis fœcunditas est*. Damascenus 1. de fide cap. 11. ait *Quantum ad personæ perfectionem hoc* Concil. *est existendi modum, discrimen animaduertimus.* Constan. I. Idem habet Concilium Constantinopolitanum primum in epistola, ante illud, & VI. Synodus actione 18. subsistentiarum perfectione confitentia. Probatur secundò ratione, quia ratio boni & perfecti est transcendentalia ad nmnem entitatem positiuam: vt enim docet, Boethius lib. de Boëthius. hebdomadibus cap. 2. & Augustinus de doctrina Augustinus. Christiana cap. 32. Omne quod est hoc ipso bonum est. Sed personalitates, & relationes diuinæ sunt ex propriis rationibus entitates, quibus nihil deest ad propriam rationem personalem: ergo vt sic bonæ sunt & perfectæ quòd latiùs ostendit Snarez lib. 3. de Trinit. cap 9. à num. 15. Suarez.

Dico secundò, tres relationes diuinæ dicunt 3. tres perfectiones relatiuas distinctas inter se realiter, & ab essentia virtualiter. Hæc conclusio est contra Molinam, Vasquium & nonnullos Thomistaa, sed communis aliis multis telaris cap. 1. num. 3. Probatur primò ex Damasceno lib. 1. de fide cap. 11. dicente Patrem & Filium distingui perfectionibus personalibus; consensit VI. Synodus dicens supra Trinitatem ex tribus perfectis glorificandam esse. Tres autem perfecti non dicerentur sine tribus perfectionibus iuxta Symbolum Athanasij. Probatur secundum ratione ex supra dictis, quia diuinæ relationes ex propriis rationibus sunt bonæ & perfectæ: sed vt sic distinguuntur: ergo habent distinctas bonitates & perfectiones sicut distinctas rationes personales entitatiuas. Confirmatur; nam quæuis personalitas & relatio prout differt ab alia est integra & perfecta in suo esse: Quippe nihil deest paternitati v. g. ad propriam rationem paternitatis, & idem est de aliis: ergo dicit vt sic perfectionem relatiuam, & per consequens oppositam & condistinctam realiter à perfectione filiationis diuersámque virtualiter ab essentiali perfectione naturæ cùm hæc non distinguatur realiter à filiatione.

Probatur tertiò, quia personalitates, prout di- 4. stingnuntur ab essentia, sunt constitutiuæ ac distinctiuæ personarum; sed sunt constitutiua perfecta, alioqui non constituerent perfectè personas: ergo quatenus distinguuntur virtualiter ab essentia, & realiter inter se, sunt perfectæ.

Probatur, quartò quia diuinæ personalitates habent appetibilitates diuersas: ergo distinctas bonitates transcendentales. Consequentia constat ex S. Thoma 1. part. quæst. 5. art 1. & 6. Vbi ex diuersa appetibilitate colligit diuersam bonitatem. Antecedens probatur, quia paternitas est appetibilis Patri & non Filio: filiatio verò è contrà. Dices esse appetibiles ratione essentiæ, sed contrà, quia non solùm Pater sibi vult esse Deum, sed etiam esse Patrem: ergo esse Patrem, quod præcise habet à paternitate est appetibile Patri, ac subinde bonum bonitate perfectionéque personali.

Confirmatur; Nam paternitas est conueniens 5. Patri & non Filio; filiatio verò è contrà: ergo habent distinctas conuenientias, & per consequens bonitates. Respondet Vasquez prædictas conuenientias & bonitates non esse reales, sed rationis, quia nihil est sibi conueniens, sed alteri. Rectè tamen impugnat Suarez, quia licèt relatio conuenientiæ eiusdem ad seipsum sit rationis ac res conueniens reale quidpiam est, quod sufficit vt res conueniens alteri sola ratione distincta dicatur ipsi conuenire realiter, esséque reale bonum ipsius, sicut ipsa Deitas dicitur esse bonum reale conueniens realiter diuinis personis, ma-

ximè quia Deus sicut est amabilis sibiipsi, sic etiam erit appetibilis, & conueniens realiter.

6. Obiicies primò; Augustinus 6. de Trinit. cap. 2. & lib. 7. cap. 1. & lib. 9. cap. 1. & 2. aliique Patres negant in Deo tres magnitudines, ac subinde tres perfectiones: nam in Deo non est magnitudo molis, sed perfectionis. Respondeo; quamuis antiqui Patres renuant concedere tres magnitudines, tres perfectiones, ac bonitates, nec videantur multiplicare perfectionem essentialem, quam significat vox *perfectio* absolutè prolata, tamen vsus Theologorum, præsertim recentiorum, obtinuit, vt possint admitti tres perfectiones & bonitates cum addito, scilicet relatiuè, non tamen simpliciter propter vsum Patrum.

7. Obiicies secundò, In Deo non sunt nisi perfectiones simpliciter, cùm omnis perfectio sine imperfectione, quales sunt omnes diuinæ, sit perfectio simpliciter: sed relationes ex se non sunt perfectiones simpliciter, quia nulla perfectio simpliciter est incompossibilis cum alia perfectione simpliciter; Quæuis autem relatio est incompossibilis cùm sibi opposita: ergo relatio non dicit perfectionem in Deo. Confirmatur, quia nulla Dei perfectio est finita in genere entis, cùm nihil sit in Deo finitum, ac limitatum: ergo quælibet Dei perfectio est infinita in genere entis. Sed nulla relatio diuina est infinita in genere entis, cùm excludat oppositam: ergo non dicit vllam perfectionem.

8. Respondeo bifariam. Posse intelligi perfectionem aliquam esse simpliciter talem. Primò, simpliciter, id est, non secundum quid. Secundò, simpliciter, id est, simpliciter, quæ iuxta S. Anselmum in Monologio cap. 5. est melior ipsa, quàm non ipsa in quolibet, non solùm in quauis natura, vt explicat Vasquez, quem refellit Suarez, sed etiam in quouis supposito, vt explicant communiter Theologi: Priori modo quæuis perfectio sine imperfectione est perfectio simpliciter, quoniam est infinita in suo genere; quo pacto se habet omnis diuina perfectio absoluta vel relata. Posteriori modo sola illa perfectio, quæ reddit habentem meliorem non habente, est perfectio simpliciter: Et sic non omnis perfectio diuina est simpliciter, sed solùm perfectio absoluta, vt vita, vel abstrahens ab absoluta & relata, vt substantia, & Spiritus; vel abstrahens ab omnibus relatis vt persona seu relatio vt sic: Relatiua verò perfectio determinate sumpta vt quaternitas non est perfectio simpliciter simplex, quia non reddit Patrem meliorem Filio. Priori modo vna perfectio simpliciter est incompossibilis cum alia perfectione simpliciter, quoniam opponitur illi. Posteriori autem modo nulla datur alteri incompossibilis, quia nequeunt opponi, vt contingit in absolutis.

9. Iam ad argumentum distinguo minorem; relationes non sunt perfectiones simpliciter. Posteriori modo, concedo; priori modo, nego: nam hæ perfectiones possunt excludere oppositas sibi. Ad confirmationem respondeo, non omnem Dei perfectionem esse infinitam in omni genere entis, de cuius ratione est identificare sibi omnem perfectionem sine imperfectione, ac per consequens esse perfectionem simpliciter simplicem. Nec inde fit, aliquam Dei perfectionem esse finitam: nam inter finitum & infinitum in omni genere entis datur medium, scilicet perfectio infinita in suo genere, v. g. paternitas continet omnem perfectionem possibilem in genere paternitatis, non tamen in omni genere entis, cùm non identificet sibi filiationem quæ etiam est perfectio sine imperfectione, ac subinde infinita in genere suo.

Obiicies tertiò; Sequeretur aliquam imperfectionem esse in vna persona, quæ non sit in alia, & per consequens nullam personam esse summè perfectam, cum desit illi aliqua infinita perfectio (quod, inquit Molina, horrent aures audire) ac subinde tota Trinitas erit perfectior singulis personis, quia clauderet plures perfectiones. Negat primam sequelam Cumel; quia cùm quæuis persona habeat essentiam, quæ identificatur cum omnibus aliis, consequenter habet perfectionem etiam aliarum. At non mihi placet iste modus dicendi, quoniam inesse Patri essentiam, quæ identificatur cum filiatione, non est inesse illi formaliter filiationem; Hæc habet maiorem difficultatem perfectio, quàm entitas, cùm tamen omnes concedant, entitatem esse distinctam in singulis personis. Sicut ergo Pater est infinitus simpliciter in omni genere entis, licèt non habeat entitatem relatiuam filiationis, sic erit infinitè perfectus simpliciter in omni genere, licèt non habeat perfectionem relatiuam filiationis. 10.

Itaque ad argumentum concedo primam sequelam, & nego secundam, quia quæuis persona habet Deitatem, & per illam formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices; habet item perfectiones relatiuas, etiam oppositas, saltem virtualiter, vel eminenter, vt loquitur Suarez cap. 10. Sic enim continentur in natura diuina. Quare ista etiam vt præcisa à relationibus habet infinitam perfectionem intensiuè simpliciter in omni genere, quæ nullo addito crescere potest, & hanc communicat cuiuis personæ, quæ proptereà simpliciter dicitur Deus. Quod autem formaliter sit aliqua perfectio non simpliciter simplex, in vna persona, & non in alia, & plures in omnibus, quam in singulis, nec in his arguit defectum, nec in tota Trinitate perfectionis excessum intensiuum, sed ad summum extensiuum; sicut humanitas adiuncta Verbo non reddit illud intensiuè perfectius, sed extensiuè. 11. Suarez.

Obiicies quartò, Sequeretur esse in Deo tres perfectiones inæquales, & per consequens aliam personam alia perfectiorem, quia relationes differunt specie: species autem ex Aristotele sunt sicut numeri. Circa hoc Damascenus lib. 1. de fide cap. 11. dixit. *Secundum proprietates personales principalior est existendi modus Patris qui a nullo est, quàm cæterorum duorum, qui ab eo sumunt originem.* Vbi Clictoueus videtur concedere paternitatem secundum propriam perfectionem relatiuam antecellere filiationi, & spirationi; atque in eundem sensum explicat Patres Græcos dicentes sæpè Patrem esse maiorem Filio, non natura, sed dignitate personali: Videantur quos citat Vasquez disp. 122. cap. 3. Hæc putat Clictoueum hoc esse contra æqualitatem simpliciter, quia Filius ratione essentiæ habet totam illam perfectionem saltem eminenter. Sed certè Patres nomine principalioris, & maioris solam significant prioritatem originis, eodemque sensu dicunt aliquando Filium fuisse ministrum, & instrumentum Patris in creatione rerum, vt notat Vasquez suprà, & quæst. 45. art. 6. 12. Damascen. Clictoueus. Vasquez. Idem.

13. Itaque ad argumentum neganda est sequela: nam in creaturis etiam non est omninò certum

repugnare

repugnare species diuersas æquales perfectionis, & de facto admittuntur à nonnullis æqualis gravitatis in peccatis. Et quidquid sit in creatis, in Deo sane differentia specifica non excludit æqualitatem, quia sumitur à sola oppositione, & tam perfectum terminant, & fundamentum habet vna relatio, ac alia, tantamque necessitatem essendi; & omnes terminant eandem naturam infinitam simpliciter in omni genere; Vnde singulæ participant omnem perfectionem possibilem in genere personalitatis relatiuæ determinatæ. Videantur supra dicta disp. 1. cap. 5.

14. Dico tertiò: Sicut entitas, existentia, & perfectio, sic etiam multiplicantur cetera transcendentia in relationibus & personis diuinis. Ita Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 6. 7. & 8. Discurramus per singula. Tria entia renuit concedere S. Thomas in 1. dist. 25. art. 4. quoniam ens dictum est ab esse, in Trinitate verò est vnicum esse, sicut vna essentia. Ceterùm concedenda esse in Deo tria entia docet Canariensis quæst. 39. art. 3. Suarez cap. 6. & alij: quoniam ens non significat de formali ipsum esse, sed entitatem quamlibet: Et S. Thomas quæst. 39. art. 3. ad tertium dicit hoc nomen *res* secundùm quod pertinet ad relationem, pluraliter prædicari de diuinis personis, quia transcendens est. Hæc autem ratio si est adæquata, idem conuincit de ente, ceterisque transcendentibus. Suarez contendit etiam sine addito posse multiplicari. Canariensis verò id concedit, si nomen *ens* sumatur pro relatione; & cautiùs fore, si distinguatur, vt distinguit S. Thomas eo art. 3. ad 3.

Suarez.

Canariens. Suarez.

15. Dici tres res, conueniunt omnes cum S. Thoma ibi, Augustino, & Anselmo apud Suarium supra; idem est de hoc transcendenti *aliquid*. Ideò Richardus de S. Victore lib. 4. de Trinit. cap. 8. tres personas vocauit tres aliquos, & Patrem dixit esse aliquem alium à Filio. Sic etiam præter vnitatem essentialem, quam sanctam & vnam vocat Ecclesia, & Patres in I X. Synodo actione 11. quæuis persona est vna, cùm sit indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio, & ita faciunt numerum, vt docet S. Thomas quæst 30. art. 3. ad 1. & multiplicant vnitates personales, vt docet Richardus in 1. distinct. 24. art. 1. quæst. 3. hæ verò nec sunt propriè loquendo specificæ, nec numericæ, sed personales. Possunt etiam dici indiuiduales, si ad rei singularitatem, & non ad naturam referantur iuxta supra dicta cap. 1. num. 17.

Richard. Victorinus.

Richard.

16. Idem Richardus ea quæst. 3. ad primum negat in Deo tres veritates, quia veritas dicit essentiam conformabilem concepui; nihilominus tamen veritas in intelligendo, & in dicendo vnica est in Deo, & essentialis, quia pertinet ad intellectum, & voluntatem. At veritas in essendo, qua quælibet entitas est conformabilis vero conceptui sui, non solùm reperitur in essentia vna essentialis, sed etiam in personis triplex relatiua, quia verè conuenit Patri paternitas, sicut Deitas: Quando autem dicitur prima veritas, vel absolute veritas denotatur suprema, vel essentialis veritas; ideò tres veri, seu veritates dicendæ sunt cum addito, scilicet *relatiuæ*; quod in ceteris transcendentibus semper consultius erit: ratio enim de cautio S. Thomæ quæst. 39. art. 3. ad 3. de qua suprà num. 14. militat in omnibus.

Idem.

* * *

CAPVT III.

De ceteris attributis.

Attributa propria, quæ concernunt operationem, certum est non multiplicari in personis, sicut non multiplicatur natura diuina, quam consequuntur; talis est volitio, & eius affectiones; talis est omnipotentia, & denominationes ab illa prouenientes Creatoris, Domini, & similes. De æternitate, & immensitate dictum est cap. 1. num. 15. de reliquis. 1.

Dico primò. Si ratio entis à se, necessarij, simplicis, spiritualis, diuini, increati, infiniti, immaterialis. incomprehensibilis, ineffabilis, & similes sumantur absolutè, vt communiter sumi solent, sic de fide est, non multiplicari in diuinis. Constat ex Symbolo Athanasij ibi, *Nec tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus*. Idem docet Augustinus 5. de Trinit. cap. 8. & in cap. *firmiter* dicitur vnus solus esse verus Deus incommunicabilis; incomprehensibilis & ineffabilis Pater, Filius, & Spiritus sanctus, estque doctrina communis Patrum & Theologorum. 2.

August.

Dico secundò: Omnes istæ rationes multiplicantur in relationibus diuinis, si sumantur, non prout significant determinatè quid absolutum, sed prout significant quid relatiuum determinatè, vel prout abstrahunt à relatino, & absoluto. Probatur, quia relationes diuinæ secundùm id quod addunt essentiæ, & per quod opponuntur inter se, multiplicantur realiter, sed secundum id sunt entia realia diuersa à creatis, finitis, contingentibus, & similibus: ergo habent rationem aliquam determinatam, & propriam, per quam ab ipsis discernantur, sed nulla alia ratio excogitari potest, nisi suprà dicta entis à se necessarij, & c. ergo relationes diuinæ secundùm proprias entitates habent istas rationes multiplicatas realiter. 3.

Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 12. negat tres increatos, vel tria increata in diuinis substantiuè sumpta, quoniam in Symbolo Athanasij dicitur, *Non tres increati*. Præterea nam increatum negat dependentiam essentialem, id est, in essentia producta: Vnde illa negatio non conuenit completè nisi ratione essentiæ: sicut enim in humanis subsistentia non creatur propriè, sed concreatur, sic esse creatum, vel increatum propriè conuenit soli essentiæ, & supposito, seu personæ ratione illius. Iam hoc pertinet ad modum loquendi: & sicut diximus disp. 1. cap. 5. ideò personam, vel relationem in Deo produci, & non effici, quoniam effectiu dicit productionem naturæ: Quare ratione naturæ improductæ potiùs, quam ratione relationis productæ dicitur Filius non factus, & independens, sic fateor ratione naturæ præcisè habere Filium esse increatum. Nihilominus sicut dantur verè in Deo tres relationes independentes, admittunt aliqui Moderni dari tres realitates increatas. Nomen verò increati videtur ab Athanasio, & ab Ecclesia fuisse iam appropriatum naturæ diuinæ sicut nomen *essentia*, ita vt nec cum addito dici debeant tres increati relatiuè, nisi apertissimè constet, nullo modo multiplicari naturam diuinam, sed relatiuas entitates, quæ etiam vt tales petunt non creari. 4.

Suarez.

Infinitum in omni genere certum est non multiplicari, quoniam est proprium diuinæ naturæ 5.

turæ: at in genere proprio cuiusque relationis etiam Suarez admittit tres infinitates realiter distinctas, quia vox *infinitum* non est ita determinata ad significandam illimitationem essentialem Dei, quin significet etiam notionalem, saltem cum addito. Quare tres infiniti dici possunt relatiuè; In ceteris autem cautè loquendum est, sed vt regulas aliquot assignemus, notamus triplicia posse in diuinis prædicata distingui, quædam essentialia, siue Deo conuenіant ab æterno, vt esse sapientem, siue ex tempore, vt esse Dominum: quædam relatiua, quorum alia sunt communia secundùm rationem, vt persona, suppositum, relatio, vt sic, alia communia secundùm rem, vt spiratio actiua, relatio spiratoris, alia nec ratione, nec in re, vt paternitas; quædam demùm abstrahentia ab essentialibus, & relatis, vt res, ens, verum, &c.

6. Iam dico tertiò, Prædicata essentialia substantiuè sumpta dicuntur solùm in singulari; sic loquitur Athanasius in Symbolo. *Non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens; Non tres Domini, sed vnus est Dominus*: nam ad multiplicationem substantiui requiritur multiplicatio non solùm habentis, sed formæ habitæ, vt dicitur in libris Perihermenias, & ostendit Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 3. num. 5. in prædicatis autem essentialibus formale significatum est vnicum. Adiectiuè verò pluraliter prædicantur, quia terminus numeralis additus adiectiuo multiplicat solùm habentia, seu supposita, sic dicimus tres diuinos, & possemus dicere tres omnipotentes, & cetera prædicata, quæ referuntur ab Athanasio in Symbolo absolutè prolata sumuntur substantiuè. Quare cùm multiplicantur, aliquid debet addi, vel ex contextu constare, quòd sumantur adiectiuè. Sic in eodem Symbolo personæ dicuntur coæternæ, & in cap. *firmiter*, consubstantiales, & coomnipotentes. — Suarez.

7. Dico quartò, Prædicata relatiua secundùm rationem communia pluraliter enuntiatur, etiam substantiuè: dicuntur enim tria supposita, tres personæ, relationes, &c. quia significata etiam formalia multiplicantur. Prædicata verò relatiua re & ratione propria, vt pater, non dicuntur pluraliter, nec substantiuè, nec adiectiuè, quia nec formale, nec materiale significatum multiplicatur. Sic in Symbolo dicitur. *Vnus Pater, non tres patres, &c.* Communia verò secundùm rem, vt spirator est vnus substantiuè, sed adiectiuè dicuntur etiam duo spirantes. At prædicata indifferentia, quæ abstrahunt à relato, & absoluto, dicuntur & singulariter, & pluraliter, scilicet vnum ens, & tria entia; & sic de ceteris. Cauendum tamen est, quæ horum communiter accipiantur pro re absoluta, quæ prorsus illi destinata sunt, quæ magis indifferentia iuxta superiùs dicta: nam vsus communis magni habendus est in communi modo loquendi, vt rectè admonent Suarez cap. 6. num. 6. & alij Theologi in hac materia.

8. Vnde dico quintò, Generaliter statuendum est, debere nos in hoc mysterio vti vocibus, quæ solam significent distinctionem personalem, cauendas verò, quæ sonent etiam essentialem. Vox *distinctio* & *distingui* sine suspicione est. Verbum *differt* suspectum est S. Thomæ, in vsu verò Patribus Nazianzeno, Damasceno, Iustino & aliis apud Suarium cap. 13. Vocem *diuersitatis* potiori iure censet S. Thomas vitandam, quia videtur — Suarez.

innuere varietatem etiam in forma. Idem est de voce *diuisionis* & *separationis*; Sed tamen personas esse discretas, & secerni dicunt Concilium Toletanum primum, & secundum in confessionibus fidei, Lateranense in cap. *firmiter*, & Lactantius lib. 4. diuin. Institution. cap. 29. Dicitur etiam Pater esse alius à Filio, non aliud, vt sæpè notaui. Termini numerales, qui significant diuisim admittuntur, vt *duo, tres*. Qui significant collectiuè, recipiuntur *Trinus*, & *Trinitas*; non ita triplex, nisi addatur persona, vel quid simile. Videantur Suarez suprà, & Vasquez disp. 131. — Concil. Tol. I. & II. Lateran. Lactan.



DISPVT. XI.

An sit in Deo vnica subsistentia, vel triplex.



GRAVIS controuersia inter Recentiores præcipuè, sed fursan de voce magis, quam de re, aut saltem de re physica, vel metaphysica potiùs quam Theologica, vt ex discursu patebit.

CAPVT I.

Supponuntur quædam.

SVppono primò, sicut dantur in Deo tres personæ, sic dari tria supposita, tres hypostases, & consequenter tres personalitates, quia nomen *persona* est substantiuum, & non potest multiplicari, nisi multiplicata forma: sed forma principaliter significata per hoc nomen *persona*, & abstractum proprium huius concreti est personalitas: ergo multiplicatis personis, necesse est personalitates multiplicari. Videatur Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 5. 1. Suarez.

Suppono secundò, personam significare substantiam completam, non solùm ratione indiuiduationis, quam singulare determinatum addit supra rationem specificam, sed etiam ratione vltimi termini, per quem substantia est sibi adæquata ratio existendi in se, & non in alio; qui terminus communiter appellatur subsistentia, cuius vocis variæ fuerunt olim acceptiones. Quidam accipiebant pro substantia, vel essentia, & sic renuebant tres subsistentias concedere in diuinis. Alij non pro essentia, sed pro supposito vtente abstracto pro concreto; & præualuit hæc pars in Synodo quadam Alexandrina præsidente Athanasio, vt refert Eusebius lib. 10. Historiæ cap. 29. Vnde dimanauit ad Patres; sic Concilium Toletanum II. Synodus Constantinopolitana V. cap. 1. Hieronymus in expositione Symboli ad Damasum, Boëthius lib. de duabus naturis, Magister in 1. dist. 25. §. *Sciendum est igitur*. S. Thomas vbique subsistentiam vsurpant pro subsistente; ideóque dicunt esse, quod per se existit, & nomen alio, & id cui conuenit subsistere; passimque sic loquuntur Antiquiores. Primus fuisse dicitur Caietanus, qui 1. part. q. 3. art. 2. subsistentia accepit in abstracto pro ipsa ratione subsistendi formaliter constitutiua subsistentis, quem Moderni sequuti sunt. 2. Synod. Alex. Eusebius. Concil. Tolet. II. Synod. Constan. V. Hieron. Boeth. Magister. Caietan.

Præterea Molina 1. part. quæst. 29. art. 2. disp 3. 3. Molina.

in hac etiam abstractione varias distinguit acceptiones subsistentiæ. Prima est pro actu existendi per se, id est, non in alio, vt in subiecto inhæsionis, siue vt in subiecto completo; & sic omni substantiæ completæ, vel incompletæ conuenit, nulla quippe forma substantialis inhæret alteri subiecto completo. Secunda est, vt dicit negationem existendi in alio, vt in comparte, vel subiecto, à quo dependeat in suo esse; & sic nulli competit incompletæ substantiæ, seu nulli formæ substantiali præter animam rationalem. Tertia magis stricta, & propria dicit negationem existendi in alio tanquam in toto, vel composito aliquo modo; qua ratione sola supposita subsistere dicimus, non verò animam rationalem, neu secundas substantias, nec naturam etiam completam, aut indiuiduam: nam hæc omnia sunt in supposito, saltem vt partes metaphysicæ illius.

4. Quid autem sit ista ratio existendi per se, quam suppositum addit naturæ? variant Doctores in Metaphysica. Henricus, & Durandus ad solum modum significandi recurrunt, quasi suppositum nihil ampliùs dicat, quàm natura, nisi quòd hæc significatur, vt forma habita, suppositum verò per modum habentis. Scotus & eius asseclæ solam negationem agnoscunt dependentis ab alio tanquam à toto: ita vt natura substantialis, quatenùs connotat negationem existendi in alio, atque ideò sibi soli, & non alij est ratio essendi, sufficienter subsistat. Alij relati à Suario lib. t. cap. 5. num. 5. dicunt esse quid positiuum, sed rationis. Videatur idem Suarius in Metaphysica disp. 34. & Fonseca 5. Metaphysicæ cap. 8. q. 6.

5. Nos quidem supponimus cum communi sententia, suppositum non differre solùm à natura ex modo significandi: nam humanitas Christi realiter est natura humana, & realiter non est suppositum: ergo in re significata aliquid deest ipsi ad rationem suppositi. Quòd autem illud non sit merè negatiuum, patet in eadem humanitate Christi, cuius subsistentiam supplet Verbum diuinum: Quis verò dicat à Verbo diuino suppleri solam negationem? Deinde personæ diuinæ distinguuntur realiter inter se per id solum quod addunt naturæ diuinæ: non tamen distinguuntur solis negationibus. Sed positiuè: ergo per aliquid positiuum. Non solùm per rationem, sed etiam à parte rei: ergo per aliquid positiuum reale: Nec dum humanitas Christi assumpta fuit à subsistẽtia Verbi, ad solum ens rationis assumpta fuisse censenda est. Igitur quamuis subsistentia, sicut etiam persona soleat per negationem explicari, non tamen consistit in negatiuo, sed in positiuo reali fundante hanc negationem.

6. Suppono tertiò, hoc positiuum in creaturis distingui ex natura rei, seu modaliter à natura cum qua constituit suppositum & subsistens in concreto; posséque ab illa supernaturaliter tolli, vt de facto contingit in Incarnatione. Probabilius etiam est in compositio naturali subsistentiam esse compositam ex partiali subsistentia materiæ & formæ, & vnione ipsarum, ratione cuius subsistentiæ partialis dicetur quæuis pars subsistere in prima acceptione posita num. 3. & anima rationalis etiam in secunda, solùm autem compositum ratione totius subsistentiæ completæ dicetur subsistere in tertia acceptione.

7. Suppono quartò, ad rationem subsistentiæ non sufficere positiuum, in quo fundetur negatio actualis existentiæ in alio: nam accidentalia Eucharistiæ non sunt actualiter in alio, & tamen non habent subsistentiam; quia ponere ibi modum substantialem superuacaneum est: requiritur ergo positiuum in quo fundetur negatio aptitudinalis existentiæ in alio. Id est, aliquid ratione cuius subsistens sit ineptum ad existendum in alio quocunque modo, & ad communicandum se alteri. Potest autem distingui duplex communicabilitas, alia per identitatem, quæ nequit esse vnius ad vnum (hæc enim est mera identitas) sed vnius ad multa: nec enim Deitas est communicabilis attributis, quia non sunt multa realiter, secùs personis tanquam multis. Alia per vnionem, quæ potest esse vnius ad vnum, distinctum tamen: pars enim communicatur comparti, & toti. Cùm ergo dicitur persona esse incommunicabilis, non negatur communicabilitas per identitatem, sed per vnionem: nam Deitas à parte rei est persona, & tamen realiter est communicabilis multis per identitatem; sicut communicabilitas annexæ substantiæ incompletæ non est communicabilitas ad multa per identitatem: nam Deitas hoc modo est re ipsa communicabilis multis; & tamen non est realiter incompleta, sed est communicabilitas per vnionem ad aliud realiter distinctum, & hanc negat formaliter persona & personalitas. Illa vt *quod*, hæc vt *quo*, ac subinde constituit formaliter rationem substantiæ completæ ad quam consequitur talis negatio.

CAPVT II.

Referuntur sententiæ. 1.

PRima opinio asserit in Deo vnicam subsistentiam absolutam communem tribus personis, & præter hanc non dari tres relatiuas, sed relationes personales in diuinis solùm esse tria complementa naturæ, vel tres personalitates, vel tres modos incommunicabilitatis, quibus natura communis & subsistens absolutè constituitur incommunicabilis relatiuè; & sic contrahitur ad rationem personæ. Ita Durandus in 3. dist. 1. quæst. 2. Capreolus & Paludanus ibi Scotus etiam quæst. 2. §. *ad quæstionem igitur*. Probatur primò ex S. Thoma quæst. 2. de potentia art. 1. Vbi dicit essentiam diuinam non accipere esse per supposita, & quæst. 8. art. 3. & 7. distinguit illa duo, quæ sunt de ratione suppositi, scilicet subsistere, ac esse incommunicabile, subdens, *relationes in quantum relationes non habent quod subsistere faciant*. Fauet etiam Augustinus 7. de Trinit. cap. 4. & 5. vbi probat Deum ad se subsistere, non ad aliud, & quod ad se dicitur non multiplicari in Deo; vnde tres subsistentias, sicut tres substantias videtur negare. Probatur secundò, quia subsistentia est perfectio simpliciter simplex cùm sit melior ipsa, quàm non ipsa; Melius enim est diuinam naturam subsistere, quàm non subsistere; nulla verò relatio est perfectio simpliciter simplex, vt vidimus disp. 10. cap. 2. num. 9. ergo subsistentia est aliquid absolutum, & non relatio, ac subinde multiplicari non potest.

Durand. Capreol. Paludan. Scotus. Augustinus.

2. Secunda opinio è contrario constituit in Deo tres subsistentias relatiuas, & nullam absolutam ita Alensis 3. part. quæst. 2. memb. 3. Bonauentura in 3. dist. 1. Henricus quodlibeto 1. quæst. S. Richardus, Marsilius, Genebrardus, quos refert & sequitur Vasquez 1. part. disp. 125. cap. 3. Valentia hic

Alensis. Bonauent. Henricus. Richard. Marsil. Genebrard. Vasquez. Valentia.

Salmeron. hic disp. 2. quæst. 13. punct. 3. Salmeron tom. 2. in Euang. tract. 12. & 5. vltimo solut. ad 1. & alij. Probatur primò, auctoritate: Nam Patres & Concilia Græca postquam controuersia de voce *hypostasis* definita fuit, & vera significatio huius nominis explicata, vt suppositum, & non essentiam denotaret, quoties vsurparunt eam vocem, *tres hypostases* in Deo *relatiuas*, nullam vnquam absolutam concessere. Sic Concilium Ephesinum ca-
Concil. Ephes. Epist. Conc. Constant. Concil. Chalced. Constant. V. & VI. Ioan. Max. none 4. & epist. Concilij Constantinopolitani primi, quæ habetur ante illud ad Damasum, Chalcedonense sess. 16. Constantinopolitanum V. consult. 8. can. 1. Cōstantinopolitana VI. act. 11. Idem autem significat Latinè subsistentia, quàm Græcè hypostasis, vt docet Ioannes Maxentius in confessione fidei tom. 5. Bibliothecæ sacræ. Vnde Patres & Concilia Latina similiter tres hypostases, & subsistentias relatiuas prædicant, nullam absolutam. Sic Martinus in Concilio Lateranensi
Concil. Lat. Concil. VVormac. Richard. Victorinus. Iustin. Imp. consultat. 4. & 5. canon. 1. & 5. Concilium VVormacense cap. 5. Richardus Victorinus lib. 2. de Trinit. cap. 11. & lib. 4. cap. 16. & sequentibus. Imperator Iustinianus Latinè scribens ad Ioannem II. in confessione, qui habetur post Concilium Toletanum II. colum. 9. intelligens hunc communem Ecclesiæ sensum loquit. *Quoniam non est idem natura & substantia: omnes enim sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam siue substantiam aut formam, aliud subsistentiam siue personam; & naturam quidem vel substantiam & formam, hoc quod est commune significare, subsistentiam autem, siuè personam hoc quod est speciale.*

3. Probatur secundò, quia natura diuina in ratione naturæ per existentiam absolutam non ita completur nostro modo intelligendi, vt per se possit esse sine aliquo alio, imò ita communicatur adhuc tribus suppositis, vt cum fundamento intelligatur esse in illis, non autem per se sola: ergo existentia naturæ sine relatione considerata non reddit naturam omninò existentem per se, imò relinquit eam aptam, vt alio modo terminetur vlteriùs & quasi compleatur in ratione existendi per se. Confirmatur primò, quia subsistentia completa non solùm dicit negationem existendi in alio, vt in subiecto: nam hæc etiam conuenit naturæ creatæ secundùm se sumptæ, sed etiam negationem existendi in alio, vt in supposito, vel in toto cuius sit pars: sed natura diuina secundùm se sumpta non dicit hanc negationem: ergo non habet subsistentiam absolutam.

4. Confirmatur secundò, quia subsistentia completa dicit vltimum complementum substantiæ in esse substantiali, siue in ratione existendi per se. Sed Deitas, prout virtualiter & ratione nostra præcedit relationes, non est vltimò completa in esse substantiali, siue in ratione existendi per se; siquidem vlteriùs completur per relationes, quod autem est completum, prout completum est, non est vlteriùs complebile: ergo non est subsistens completum, & per consequens non habet subsistentiam, absolutam, sed solùm tres relatiuas. Confirmatur tertiò, quia sequeretur ex opposito dari in Deo personam communem, seu suppositum absolutum, quod repugnat. Sequela probatur, quia suppositum nihil aliud est quàm natura subsistens, & persona est suppositum intellectuale.

5. Tertia opinio media docet, in Deo esse vnam subsistentiam absolutam, per quam Deitas primò & essentialiter subsistit communicabiliter, & præterea tres subsistentias relatiuas per quas incommunicabiliter subsistunt diuinæ personæ distinctas solùm per rationem ab essentiali subsistentia. Sic tenent Gabriel, Almainus, Ochamus, Gabriel. & Caietanus, quos refert & sequitur Soarez. 3. Almainus. part. tom. 1. disp. 11. sect. 3. & lib. 4. de Trinit. cap. Ochamus. Caietan. 11. & lib. 3. cap. 4. Consentit Cumel. hic quæst. Soarez. 30. art. 1. disput. 1. & probatur primò auctoritate Cumel. Agathonis Papæ in epistola; habetur in VI. Sy- Agath. Papa. nodo act. 4. Vbi confitetur trium subsistentiarum, seu personarum vnam subsistentiam; sic enim habet antiqua editio, licèt in noua Surius subsistantiam posuit pro subsistentia. Similiter Hilarius 7. de Trinit. in fine, subsistentiæ vnitatem, & Hilarius. naturæ subsistentiam concedit Hieronymus, Dionysius, Augustinus, & Nyssenus relati à Suario suprà, existentiam diuinæ naturæ vocant subsistentiam, & dicunt propriam esse Deitatis perfectionem, vt per se subsistat.

Probatur secundò, quia Deitas ex sua intrinseca ratione non eget alio, vt existat: ergo ex se subsistit: nam existentia independens ab alio est existentia per se, ac subinde subsistentia: ergo absque relatione subsistit. Cōfirmatur, quia si Deitas, vt præscindit à relatione, nōn esset completa & subsistens, mendicaret complementum à relatione: ergo includit quidquid spectat ad rationem substantiæ completæ & subsistentis: in hoc enim natura creata differt ab increata, quòd hæc seclusis personalitatibus est completa & non illa. 6.

Probatur tertiò, quia relationes non sunt actus essentiæ, sed personarum, cùm non referant essentiam, sed personas: ergo non complent essentiam, & per consequens essentia seclusis relationibus est completa & subsistens. Confirmatur, quia Deitas non exigit relationes ex indigentia subsistendi, sicut nec Verbum & Amorem productum ex indigentia cognoscendi & amandi, sed ex naturæ fœcunditate: ergo sicut præcisis Verbo & Amore producto est intelligens & amans essentialiter, sic præcisis relationibus est subsistens. 7.

Probatur quartò: Nam hic Deus in concreto est communis tribus personis; sed hic Deus non solùm dicit hanc Deitatem, sed etiam hanc subsistentiam: ergo sicut dicit Deitatem communem, sic etiam subsistentiam communem. Confirmatur primò: nam aliàs sequeretur Deitatem non esse substantiam completam in quauis persona; si enim adhuc complementum requirit tres relationes, cùm in quouis supposito sit vna sola, erit ibi incompleta. Confirmatur secundò, quia persona producens dat productæ, substantiam completam; sed non completam relatiuè, cùm non communicet relationem: ergo absolutè completam subsistentia absoluta. 8.

CAPVT III.

Quid sentiendum.

Dico primò. In Deo non est vna persona, vel personalitas absoluta, sed solùm tres relatiuæ, ita communiter Theologi, præsertim Recentiores contra Caietanum, qui p. part. quæst. 39. art. 4. & 3. part. quæst. 2. art. 2. dixit subsistentiam communem in Deo habere rationem personalitatis, saltem incompletè; ac per consequens esse 1. Caietan.

esse in Deo vnam personam, seu semipersonam absolutam, ac suppositum incompletum commune tribus relatiuis, qui modus loquendi (inquit
Suarez. Suarez 3. part. tom. 1. disp. 11. sect. 5. circa finem) cauendus est, vtpotè alienus à Conciliis & Patribus. Et quidem non esse in Deo vnam personam
Idem. aut suppositum commune Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 3. dicit esse de fide, contrà Sabellium; sed omissis illis probationibus, quæ forsan solutione non carerent.

2. Probatur à priori, quia Deitas vt præscindit virtualiter vel intellectu nostrum à relationibus, non intelligitur esse substantia vltimò completa & terminata, nec subinde communicabilis alicui vlteriori termino: ergo non est vna persona absoluta. Consequentia patet ex definitione personæ. Antecedens probatur, quia relationes, cùm sint personalitates, constituunt Deitatem in ratione personæ: ergo in ratione substantiæ vltimò completæ ac terminatæ per talem personalitatem, cuius munus est vltimò terminare, seu personare naturam; sicut de ratione volitionis est reddere formaliter volentem: ergo sicut volitio diuina non supponit Deitatem volentem formaliter, sed non volentem, sic relationes non supponunt Deitatem vltimò terminatam & completam in ratione substantiali, sed incompletam ratione nostra.

3. Dices, sicut præter volitionem essentialem datur amor productus, non ex indigentia, sed ex fœcunditate, sic relationes non adueniunt naturæ ad necessarium illius complementum, sed solùm vt quæ iam erat ex se completa communicetur pluribus per veram productionem. Sed contrà, quia volitioni essentiali nihil planè deesset in ratione volitionis, etiamsi non daretur amor personalis: At cùm relationes sint perfectiones substantiales & connaturales Deitati si deessent, profectò natura diuina careret aliquo substantiali connaturali sibi; & per consequens esset incompleta substantialiter: ergo prout ratione præscindit à relationibus, non intelligitur substantia completa, & subinde nec persona incommunicabilis alteri formaliter, & proximè, sed solùm virtualiter, ac remotè, quatenus intelligitur vt radix relationum, quibus reddatur proximè incommunicabilis alteri distincto, & constituatur, ac compleatur formaliter in ratione personæ, sicut humanitas Petri virtualiter est incommunicabilis Paulo, quia est radix personalitatis Petri, per quam formaliter redditur incommunicabilis Paulo.

4. Hinc sequitur primò spirationem actiuam, quæ constituit cum voluntate vnum principium spirandi commune Patri & Filio, non constituere vnam personam relatam communem eisdem, quia prout præscindit ab illis non est substantia completa, sicut nec incommunicabilis, sed completur in ratione substantiæ omninò per se stantis per paternitatem & filiationem cum quibus identificatur; ideòque dicitur esse in Patre & Filio, non è contra Pater & Filius in spiratore. Sequitur secundò nullam esse in Deo personalitatem absolutam communem tribus, nec aliquam relatiuam communem duobus; alioquin & illa constitueret cum essentia vnam personam absolutam communem tribus personis relatis; & hæc cum voluntate vnam personam relatam communem duabus (quod ostendimus sæpè

gnare (sicut tres personæ relatæ constituunt cum essentia tres personas relatiuas.

Dico secundò, in Deo sunt tres subsistentiæ relatiuæ. In hoc conueniunt contra primam sententiam secunda & tertia. Probatur primò ex Conciliis adductis pro secunda sententia specia- 5.
liter VVormaciense dicit cap. 5. in tribus subsistentiis esse vnam substantiam. VI. Synodus act. 11. inquit, *Sancta Trinitas est numerabilis personalibus subsistentiis.* Idem ferè habet VII. Synodus act. 3. in epistola synodica Theodori, quam Synodus approbat, & licèt Concilia vtantur nomine *subsistentia* in concreto, tamen cùm sit terminus substantiuus, non potest multiplicari, nisi multiplicata eius forma: sentiebant igitur Patres etiam formale significatum illius multiplicari, quod sæpè docet S. Thomas 1. part. quæst. 39. art. 3. & 4. quæst. 40. art. 3. Nazianzenus orat. 1 2. & alij apud Suarium suprà. Conc. VVormaciense. VI. Synodus. VII. Synod. Nazianz.

Probatur secundò à priori, quia tres relationes sunt tria complementa substantialia constituentia cum materia tres substantias completas in ratione subsistendi per se, ac per consequens ineptas ad existendum in alio, & quævis illarum est propria suppositi in quo est: ergo sunt tres subsistentiæ: nam subsistentia est ratio substantialis complens naturam in ratione essendi per se, id est, non in alio, vt in supposito. Confirmatur: nam in Deo sunt tres personalitates, vt vidimus cap. 1. num. 1. & suprà, concl. 1. ergo tres subsistentiæ: nam subsistentia est ratio communis & superior personalitati, sicut animal homini: multiplicato igitur inferiori multiplicari debet ratio superior. 6.

Probatur tertiò ab inconuenienti: nam si Verbum non haberet subsistentiam relatiuam sibi propriam, sed absolutam & communem, vnio hypostatica, quæ facta fuit ad subsistentiam Verbi non magis facta fuisset ad Verbum, quàm ad alias personas, præterea non intelligeretur in Trinitate processio substantialis nisi terminaretur ad rem subsistentem secundùm propriam rationem suam, nec natura diuina diceretur esse in tribus personis, sed è contra tres personæ dicerentur esse in hoc Deo subsistente. 7.

Dico tertiò, non solùm Deus, sed etiam Deitas prout est à parte rei est verè propriéque subsistens, imò suppositum & persona. Hoc mihi videtur conuincere argumenta tertiæ sententiæ, nec vllus credo negabit, quia Deitas à parte rei est substantia completa & incommunicabilis alteri distincto: ergo conuenit illi definitio personæ, quæ solùm negat communicabilitatem per vnionem cum alio distincto, non per identitatem: sicut enim Deitas realiter communicatur personis, & completur per relationes in ratione substantiali, & tamen realiter non est substantia incompleta, quoniam identificat secum omne suum complementum, ita licèt realiter communicetur personis, & quasi personetur per illarum subsistentias, tamen realiter est persona, nec excluditur aliquo modo à ratione illius, quoniam identificat secum omnes suas personalitates. Vnde realiter est triplex persona relatiua, non vna communis, & per consequens triplex suppositum, triplex relatiuum subsistens: nam ad huiusmodi prædicationem sufficit identitas realis, & ita verè dicimus Deitas est Pater, & est Filius, & est Spiritus sanctus. 8.

9. Dico quartò, ſi Deitas concipiatur præciſa à relationibus, prout ſic, poteſt dici ſubſiſtere in prima & ſecunda acceptione adductis cap. 1. num. 3. habetque ſubſiſtentiam abſolutam prout hæc ſignificat rationem eſſendi per ſe, id eſt, non in alio realiter diſtincto: Hoc enim reperitur diſcrimen inter naturam diuinam, etiam vt ſic præciſam, & quamlibet aliam creatam, quòd hæc indiget ad ſubſiſtendum per ſe termino realiter diſtincto à quo ſub ea ratione dependet: At natura diuina, nec dependet, nec indiget aliquo termino, vel complemento diſtincto realiter, ſed ex ſua infinitate poſtulat connaturaliter identificare ſecum omnem ſubſiſtentiam, & perſonalitatem ſibi poſſibilem, quæ triplex eſt; atque ideò etiam vt ſic præciſa non eſt in alio, quod ſimpliciter ſit aliud, ſed concipitur eſſe in alio per intellectum diſtincto.

10. Molina. Hanc concluſionem docuiſſe videtur Molina 1. part. quæſt. 29. art. 2. diſp. 3. concluſ. 2. dum aſſerit eſſe in Deo tres ſubſiſtentias perſonales, & vnam eſſentialem, quatenus ſubſiſtentia ſignificat exiſtentiam cum independentia à quocunque alio tanquam à ſuſtentaculo, quia dependentia requirit diſtinctionem quam excludit infinita perfectio & ſimplicitas exiſtentiæ diuinæ eſſentialis; ſic intelligit Caietanum, & alios Scholaſticos tertiæ ſententiæ, ſic Nyſſenum in vita Moſis, (Nyſſenus.) dum ait ſolam eſſentiam Dei verè ſubſiſtere, & Auguſtinum. 7. de Trinit. cap. 4. & 5. ſic poſſunt etiam capi Boëthius lib. de duabus naturis, Anaſtaſius, & Cyrillus Alexandrinus in compendiaria fidei explicatione, quæ habetur tom. 4. Bibliothecæ, aliique adducti à Suario pro ſua opinione, dum eſſentiæ vel naturæ diuinæ tribuunt ſubſiſtentiam, quoniam in nullo alio eſt. (Auguſt. Boëthius. Cyrillus. Alexand.) Igitur in hoc ſenſu poteſt defendi tertia ſententia, nec negari reor ab Auctoribus ſecundæ, faceturque Molina hanc acceptionem non eſſe frequentem apud Patres, vſurpari tamen non rarò à Scholaſticis, quod ego de Doctoribus tertiæ opinionis intelligo, ſecus enim eſt de aliis Theologis.

11. Ideò dico quintò: Si ſubſiſtentia capiatur (vt debet accipi, cùm ſimpliciter vſurpatur) in tertia acceptione adducta cap. 1. num. 3. prout dicit exiſtentiam omninò completam, & vltimò terminatam in ratione eſſendi per ſe, id eſt, non in alio, etiam ratione diſtincto, ita vt ſubſiſtens concipiatur omnibus modis ſubſiſtere ceteris prædicatis, & nulli ineſſe, ſed omnia quaſi inexiſtere eidem, non datur in Deo ſubſiſtentia communis, & abſoluta, ſed duntaxat tres relatiuæ. In hoc ſenſu vera eſt ſecunda ſententia, & propriiſſimè loquitur, rectè quippe docuit Valentia tom. 1. diſp. 2. quæſt. 3. punct. 3. (Valentia.) ad ſecundam quæſtionem opinionem Caietani (quam ſingularem vocat) in ſenſu præcedentis concluſionis nihil dicere contra veritatem, non tamen loqui ſatis cautè vocando ſimpliciter ſubſiſtentiam eam ſubſtantialem rationem, ſeu perfectionem eſſentiæ, cùm communiter Concilia & Patres nomen ſubſiſtentiæ referant ad ſuppoſitum, & ad proprietatem perſonalem: in ſenſu autem proprio ſuperuacaneam eſſe opinionem, & pluſquam falſam, quod ibi probat.

12. Nos autem ſuppoſitis iis quæ adduximus ſuprà pro ſecunda ſententia, probamus noſtram concluſionem, primò ab auctoritate, quia poſtquam Eccleſiaſticus vſus obtinuit, vt vox Latina *ſubſiſtentia*, & Græca *hypoſtaſis* ſignificaret idem, quod ſuppoſitum, ſeu perſona, vſi ſunt Scholaſtici diſputationis aut doctrinæ gratia nomine ſubſiſtentiæ in abſtracto ad ſignificandam rationem, qua vltimò conſtituitur perſona, ſeu ſuppoſitum: at verò ad ſignificandam aliam rationem omninò diuerſam, imò contrariam ſuppoſito, qualem aſſerit tertia ſententia, talem vocem vſurpare ſiue abſtractè, ſiue concretè non debemus, ſicut nec Græci nomine *hypoſtaſis* in eo ſenſu vnquam deprehenduntur abuti, imò expreſsè Athanaſius (Athanaſ.) in Dialogo de Trinitate, contra Anomæos pag. 165. negat hypoſtaſim, aut ſubſiſtentiam in Deo, quæ non ſit relatiua, dicens *eſſentiam non niſi vt in indiuiduis ſpectatur, hoc eſt in hypoſtaſibus, ſubſiſtere.*

Probatur ſecundò, quia ſubſiſtentia completa in creatis, iuxtà ſupra dicta cap. 1. num. 3. ſignificat vltimum complementum ſubſtantiæ cum negatione eſſendi quomodolibet in alio ſiue compoſito, ſiue ſuppoſito: ergo ſimiliter in Deo ſignificat vltimum completum, & terminum ſubſtantiæ diuinæ cum omnimoda negatione eſſendi in alio etiam ratione diſtincto: concipimus enim diuinam naturam & ſubſiſtentiam ad inſtar creatæ; ac ſubinde diſtinctos conceptus, quos naturæ, & ſubſiſtentiæ diuinæ ratione noſtra formamus, vocibus, vt communiter accipiuntur in humanis, eloquimur: Diſtinctio autem virtualis inter Deitatem, & perſonalitatem, quæ ſola meretur ſimpliciter nomen ſubſiſtentiæ in hac acceptione termini vltimi, complementique ſubſtantialis, ſufficit quidem, vt diuerſi ſint præciſiuè conceptus, non ſolùm formales, ſed etiam obiectiui, nec inuicem poſſint prædicari formaliter, ſed ſolùm identicè iuxtà tertiam concluſionem. 13.

Obiicies tamen contra concluſionem iſtam, imò & contra primam; quia Deitas, vt eſt vna entitas abſoluta, eſt ſubſtantia completa, & incommunicabilis alteri; ergo eſt vnum ſubſiſtens abſolutum & vna perſona communis. Reſpondeo Deitatem, vt vnam entitatem abſolutam præcisè, non eſſe ſubſtantiam completam, & incommunicabilem alteri, videlicet aliquo complemento abſoluto, ſed vt entitatem abſolutam, & relatam ſimul, ita vt ex vtroque conſtituatur in ratione ſubſtantiæ completæ, ſicut in ratione perſonæ; Quare non eſt vna perſona abſoluta, ſed triplex relata. Dices: ergo eſſentia diuina prout abſoluta præcisè, vel ſecundùm eſſe abſolutum eſt à parte rei ſubſtantia incompleta, & imperfecta, quod videtur abſurdum. Reſpondeo Deitatem, etſi virtualiter diſtinguatur à relationibus completiuis ipſius, eſſe tamen idem actualiter cum illis, & perinde licèt ſit virtualiter incompleta in ratione ſubſtantiæ, quatenus ita ſe gerit ad conſtituendam ſubſtantiam completam, & perſonam, ac ſi eſſet incompleta, & particularis, eſt tamen actualiter completa, non quidem vt vna, & abſoluta reduplicatiuè, id eſt, non habet vnicum complementum abſolutum, ſed ſpecificatiuè, quatenùs eadem eſſentia, quæ eſt vna, & abſoluta, ſimul eſt completa, prout relata, nimirum triplici complemento relatiuo, quoniam eſt identicè trina perſona, ſubindéque 14.

triplex

triplex substantia completa, quod sufficit, vt Deitas dicatur simpliciter completa, vt absoluta quidem, vel secundùm esse absolutum specificatiuè duntaxat: at prout relata, & absoluta simul, reduplicatiuè.

15. Dices iterum, Deitas vt antecedit relationes, nec est, nec intelligitur vt communicabilis alteri, alioquin talis conceptus esset falsus, cùm re vera non sit communicabilis alteri distincto realiter: ergo & est, & intelligitur vt incommunicabilis, ac subinde vt subsistens, & etiam vt persona. Respondeo, non esse communicabilem alteri, nec incommunicabilem proximè, sed incommunicabilem remotè, quatenùs est virtualis radix personalitatis, & complementi, quo redditur proximè incommunicabilis, vt dictum est: Vnde nec intelligitur communicabilis, nec proximè incommunicabilis negatiuè, sed præcisiuè, quatenùs non concipitur incommunicabilitas proxima ipsius: eodemque modo concipitur incompleta, non quidem negatiuè, negando esse completam, sed præcisiuè, quia non concipitur complementum, cùm præscindatur à personalitatibus relatiuis.

CAPVT IV.

Respondetur fundamentis contrariis.

1. Vasquez. AD primum primæ sententiæ respondet Vasquez disp. 125. n. 3. S. Thomam ibi loqui de actu existendi, quem appellat existentiam, seu esse; & quidem plerunque negat solam distinctionem realem inter existentiam, & subsistentiam Deitatis, aut denotat Deitatem existere per se modo dicto in 4. conclusione, in quo excellit omnem naturam creatam. Adde quòd in relatione, prout relatio est, non importatur explicitè ratio subsistentiæ; sicut è contra in ratione subsistentiæ, ac personalitatis non explicatur ratio relationis, ideoque dicit, relationes, in quantum relationes non habere, quod subsistere faciant: sicut è contra dixit Augustinus *quidquid subsistit, ad se subsistit*, id est, sub explicito conceptu subsistentiæ non dicitur ad aliud. Deinde notat ibi Vasquez nusquam Augustinum vsum fuisse nomine subsistentiæ, sed semper pro hypostasi reddidisse substantiam, suspectamque habuisse illam vocem siue Græcam, siue Latinam; ac subinde sicut tres substantias in Deo, sic tres hypostases renuit concedere; sed vnicam substantiam, vnicam hypostasim vbique prædicat, id est, vnicam essentiam diuinam. Idem est de Hieronymo, & aliis, qui ante compositam litem de his vocibus scripserunt.

2. Ad secundum, Respondeo In primis illud habere manifestam instantiam in persona, & personalitate: cur enim subsistentia erit perfectio simpliciter simplex magis quàm personalitas? melius quippe est etiam Deitati esse personam, quàm non esse, & habere illud vltimum complementum, quàm carere illo. Dicimus ergo subsistentiam, si sit distincta per rationem ab existentia essentiali, non esse de essentia Dei, sicut de attributis absolutis docuimus lib. 1. disput. 16. cap. 6. si verò non ponatur subsistentia distincta virtualiter, nec per rationem ab essentia, vt videtur loqui tertia sententia, sic admittimus illam esse de essentia Deitatis modo dicto in quarta conclusione. Vocem autem subsistentiæ negamus vsurpari propriè in eo sensu; Ceterùm vt vsurpatur in conclusione quinta, & communiter apud Philosophos, perfectio est simpliciter naturæ, quod subsistat vt sic, vt docet Vasquez 1. p. disp. 125. n. 23. sicut & esse personam in genere, quia melius est illi hoc, quàm oppositum, nec respectu naturæ inuoluit repugnantiam vllam cum æquali, vel maiori perfectione. Hæc autem perfectio, sicut & aliæ simpliciter simplices, continetur in Deitate, vt præcisa solùm radicaliter; at formaliter conuenit ipsi per identitatem cum relationibus; & est communis non secundùm rem, quia non datur subsistentia communis à parte rei, sed vniuersalitate prædicationis. Vasquez.

Pro tertia sententia notat Vasquez cap. 2. plures allegari, quàm deberent, nam Richardus, Gabriel, Ochamus, & Almainus non concedunt aliquem actum communem tribus personis, cui nomen subsistentiæ dicant conuenire. Augustinus, Hieronymus, & alij, vt vidimus num. 1. vnicam hypostasim in Deo ponunt, sed non triplicem ratione ibi dicta, quare tertiæ sententiæ non astipulantur. In verbis Agathonis meritò Surius literam correxit: nam & plura exemplaria Latina habent substantiam, & non subsistentiam, & quia sic meliùs cohæret contextus. Hilarium, Dionysium, & Nyssenum exponit Vasquez cap. 5. & nos possumus ad nostram quartam conclusionem referre; sicut & argumenta illius tertiæ sententiæ eandem conclusionem conuincunt, & quatenùs videntur vrgere contra quintam, sic facilè dissoluuntur. 3.

Ad secundum respondeo Deitatem à parte rei simul esse entitatem absolutam, & relatam. Vnde intrinsecè est independens ab alio, & subsistens non absolutè, sed relatè. Quare negatur secunda consequentia. Ad confirmationem negatur sequela: cùm enim relatio sit idem cum essentia, habere complementum à relatione, est habere illud à se; atque ita non mendicat à relatione: nam mendicare est accipere illud ab alio. 4.

Ad tertiùm, Respondeo relationes etiam esse perfectiones essentiæ, quam perficiunt, saltem integraliter, & extensiuè, licèt ipsam non referant: nam à parte rei relationes tribuêdo personas esse substantias completas, tribuunt etiam Deitati esse triplicem substantiam completam relatiuam. Vnde ad confirmationem dicimus Deitatem exigere tres subsistentias, vt adæquatè subsistat, ita vt si careret omni relatione, non subsisteret vllo modo: Hæc autem exigentia non est propriè indigentia, cùm sit rerum identificatarum: Nec simile de productione Verbi, & amoris est ad rem, vt diximus conclusione prima. Pater enim dicitur producere Verbum, non ex indigentia, quia nec indiget illo ad intelligendum, nec intelligit formaliter per illud: Deitas autem verè subsistit formaliter tribus subsistētiis relatiuis; & ideò illas omnes exigit vt subsistat modo connaturali. Quare deficiente qualibet non esset Deitas planè completa omni substantiali perfectione connatura sibi connaturaliter debita; & consequēter processiones diuinæ. licèt respectu personarum procedentium sint ex sola fœcunditate: at respectu Deitatis sunt ex connaturali exigentia subsistendi in tribus suppositis relatis. 5.

Ad quartū concessa maiori negatur minor: nam licèt hic Deus, vt est communis tribus personis, dicas 6.

dicat hanc numero Deitatem, quam ſignificat de formali, non tamen hanc numero ſubſiſtentiam, quam ſignificat de materiali, ſed ſubſiſtentiam diuinam vt ſic abſtractam à tribus relatis; ac ſubinde hoc prædicatum ex parte naturæ eſt commune communitate reali; ex parte verò ſubſiſtentiæ communitate rationis. Vt autem dicatur hic Deus, ſatis eſt eſſe hunc ex parte Deitatis, licèt non ſit hìc ex parte ſubſiſtentiæ: nam hic Deus ſignificat habentem hanc Deitatem, ſiue habens ſit hic determinatè, ſiue non; ſicut vnus Deus ſignificat habentem vnam Deitatem, ſiue habens ſit vnus, ſiue plures.

7. Ad primam confirmationem reſpondeo, Deitatem, etſi petat tres relationes, non tamen omnes in quouis ſuppoſito, ſed vnam in vno, & aliam in alio: nam Deitas vt in quouis ſuppoſito reduplicatiuè, eſt ipſum ſuppoſitum, quia claudit relationem propriam illius, quapropter excludit vt ſic reliquas ſibi repugnantes, ſicut ipſum ſuppoſitum eaſdem reſpuit, & ſine illis eſt vltimò completum; ſiquidem Pater, vt Pater non eſt per vlteriorem terminum, vel ſubſiſtentiam complebilis. Quare licèt careat aliis perſonalitatibus, carentia tamen perfectionis non debitæ non eſt imperfectio; Nec perfectio, quæ non exigitur, eſt neceſſaria ad complementum rei. Sic ergo Deitas vt in Patre reduplicatiuè ſolùm petit paternitatem, & per illam, vt eſt in illo, eſt ſubſtantia completa, licèt eadem Deitas, quæ eſt in Patre, ſpecificatiuè ſumpta, prout eſt in aliis perſonis alias relationes requirat, & vt ſimpliciter ſit completa in toto eſſe ſubſtantiali Dei, poſtulet triplicem relationem & ſubſiſtentiam, ita vt ſi careret aliqua illarum, eſſet ſimpliciter incompleta.

8. Ad ſecundam confirmationem negatur maior, quia ſicut non communicat perſonam, ita nec ſubſtantiam completam, quæ eſt eadem cum perſona. Dices: ergo communicat incompletam. Reſpondeo negando ſequelam: nam aliud eſt non communicare ſubſtantiam completam, aut perſonam, aliud communicare non completam, aut non perſonam. Primum ſignificat quòd non communicatur complementum, aut perſonalitas, quod eſt verum: Secundum autem ſignificat, quòd res communicata non ſit à parte rei completa per perſonalitatem, quod eſt falſum: ſicut aliud eſt non communicare paternitatem, aliud communicare non paternitatem: nam primum eſt verum. Secundum eſt falſum.



QVÆSTIO XXXII. S. Thomæ.

De diuinarum perſonarum cognitione.

POSITA perſonarum Trinitate in generali, antequam deſcendat ad earumdem particularem diſquiſitionem, controuertit Doctor Angelicus, vnde poſſit hauriri tanti myſterij notitia.

ARTIC. I.

Vtrùm Trinitas perſonarum poſſit per naturalem rationem cognoſci.

PRima concluſio. Impoſſibile eſt per ſolam rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis deuenire. Probatur, quia ratio naturalis rimatur Dei cognitionem ex creaturis, cùm in ſeipſo Creatorem non videat; ſed creaturæ ſolùm ducunt in cognitionem Dei, prout eſt vnus, quia virtus creandi eſt vna, & communis toti Trinitati: ergo non poteſt ratio naturalis ſeipſa notitiam aſſequi Trinitatis. Secunda concluſio, qui conantur demonſtrare myſterium hoc ratione naturali, derogant tum fidei dignitati, quæ eſt de rebus non apparentibus; tum vtilitati exponendo illam periculo irriſionis, cùm poſſint infideles anſam exinde arripere cogitandi, nos his rationibus ad credendum inniti, quæ omninò efficaces non ſunt. Tertia concluſio; Hoc myſterium, ſicut & alia fidei dogmata fidelibus quidem authoritate diuina probanda ſunt; Infidelibus verò qui ſcripturas non recipiunt, ſufficit oſtendere non eſſe impoſſibile, quod prædicat fides.

ARTIC. II.

Vtrùm, ſint ponendæ notiones in diuinis.

QVod Dionyſius de diuinis nominibus cap. 1. Dionyſ. nominationem dixerat, Auguſtinus 5. de Trinit. cap. 6. vocauit notionem, vſurpans nomen iſtud pro cognitione noſtra, conceptúque formali, quo aliquid proprium perſonæ diuinæ cognoſcimus; inquit etiam alia eſt notio, qua intelligitur genitor, alia qua genitus. Pro ratione verò cognita, conceptúque obiectiuo, quo res dignoſcitur, vſurpauit vocem iſtam Cicero lib. 3. offic. di- Cicero. cens; *Explica intelligentiam tuam, vt videam quæ ſit ſpecies, forma, & notio boni viri.* Vnde in diuinis notio erit propria perſonæ cuiuſque per quam ab aliis dignoſcitur. Sic accipiũt communiter Scholaſtici cum S. Thoma hic, cuius concluſio affirmat & probatur primò: nam ad id cogit Hæreticorum inſtantia, vt ſicut aſſignamus eſſentiam diuinam, in qua perſonæ ſunt omninò idem, ſic aſſignemus proprietates perſonales, & notiones in abſtracto, in quibus omninò diſtinguũtur realiter. Probatur ſecundò, quia Pater refertur ad duas perſonas realiter diſtinctas, & tamen eſt vna perſona realiter: ergo debemus in illo diſtinguere, ſaltem ratione, duas rationes proprias, quæ duobus illis terminis correſpondeant.

ARTIC. III.

Vtrùm tantùm ſint quinque notiones in diuinis.

COnclusio affirmat eſſe tantùm quinque, ſcilicet innaſcibilitatem, paternitatem, ſpirationem actiuam, filiationem, & proceſſionem. Probatur ex numero originum, per quas multiplicantur perſonæ, debentque diſcerni. Quare vt notat Durandus in 1. diſt. 26. q. 2. ad hoc, quòd ali- Durand. quid ſit notio, tria requiruntur. Primum, vt dicat aliquid ſpeciale vni perſonæ, vel duabus conueniens, quod docuit S. Thomas hìc ad 5. nam quod eſt cõmune perſonis non poteſt eſſe ratio dignoſcendi illas. Secundùm, vt pertineat ad originem, quia perſonæ diſtinguuntur relationibus originis:

ad originem autem (inquit S. Thomas) pertinet
à quo alius,& qui ab alio,& ſecundùm hoa duos
modos poreſt innoteſcere perſona. Tertium, vt
pertineat ad dignitatem, quod docuit S.Thomas
hic ad quartum : Quippe perſona,vel hypoſtaſis
præ ſe fert aliquam dignitatem;quare notio ipſius
debet etiam propriam aliquam denotare digni-
tatem, vnde talis perſona in ratione perſonæ di-
gnoſcatur. Hinc fit ſufficientem eſſe numerum
iſtum notionum : nam ad notificandum nume-
rum perſonarum primùm oportet ſcire dari per-
ſonam aliquam improductam, quod præ ſe fert
dignitatem ob quam Pater dicitur fons, & origo
Conc. Tol. diuinitatis in Toletano VI. XI. XVI.Sic ponitur
VI.XI.XVI. *innaſcibilitas*. Prætereà ad cognitionem cetera-
rum perſonarum, & diſtinctionis ipſarum aſſi-
gnantur notiones conſtituentes perſonas quaſi
in facto eſſe ſcilicet *filiatio*, cui correſpondet in
Patre *paternitas*, & *proceſſio*, cui correſpondet in
Patre & Filio *ſpiratio actiua*.

ARTIC. IV.

Vtrùm liceat contrariè opinari de notionibus.

CONcluſio. Hæreticus eſſet qui contrariè opinaretur de notionibus, conſiderans inde ſequi aliquid contra fidem, ſecùs ſi nihil intenderet contra fidem, aut non cum pertinacia. An autem de facto ſequatur aliquid contra fidem ex contraria doctrina de notionibus, non decernit S. Thomas, P. Vaſquez hic ait, quòd negare aliquam ex his rationibus, quæ per notiones deſignantur eſſet contra fidem. At negare dicendas eſſe notiones,vel addere alias huic denominationi, ſolùm eſſet contra Doctores.



DISPVT. XII.

Quam euidentiam poſſit habere viator myſterij SS. Trinitatis.



VB Viatore comprehendimus tam
hominem, quàm Angelum,quate-
nùs citra viſionem beatam poſſunt
in Deum tendere cognitione.Hæc
autem vel eſt omninò naturalis,dè
qua dicemus cap. 1. vel eſt ſupernaturalis,de qua
Cumel. in ſequentibus diſquirendum.Notat Cumelis hic
art.1. diſp.1. poſſe creatum intellectum circa ve-
ritatem aliquam verſari multipliciter. Nam pri-
mò poteſt oſtendere illam non repugnare; ſecun-
dò eſſe poſſibilem, ſcilicet ſecundum ordinariam
potentiam; tertiò ita eſſe de facto; & hæc tria
in hoc myſterio ſunt idem, quippe quod Deo
non repugnat,eſt illi poſſibile, & in æternis idem
eſt eſſe, & poſſe. Hæc autem oſtendere poteſt
lumen naturale, vel argumento euidenti; vel
probabili,vel ſumendo medium arguendi ex ipſis
rebus naturalibus, vel ex aliis fidei myſteriis.
Quartò, poteſt explicare, ſeu perſuadere veri-
tatem illam exemplis & ſimilitudinibus. Quintò,
poteſt oſtendere eſſe credibilem, vel ſoluere ar-
gumenta contra ipſam, Quæ omnia poteſt mens
noſtra cõſiderare reſpectu huius myſterij,vel ante
omnem fidei reuelationem,vel illa iam ſuppoſita.

Franc. de Lugo in 1. part. D.Thomæ.

CAPVT I.

Trinitatem eſſe ſuper rationem naturalem.

VT docet Auguſtinus de Spiritu, & Anima
cap.22. ex iis, quæ cognoſcuntur à nobis, 1.
quædam ſunt infra rationem, ea ſcilicet, quæ
ſenſibus percipiuntur; quædam iuxtà rationem,
quorum videlicet cognitionem poteſt intellectus
naturaliter aſſequi citra reuelationem; quædam
ſupra rationem, quæ nec ſenſus docet, nec ratio
perſuadet, ſed diuina reuelatione percipiuntur.
Adde alia eſſe contra rationem,quorum aſſenſus
contrarius eſt inclinationi noſtræ mentis. Igitur
prima ſententia poteſt eſſe, myſterium Trinitatis
eſſe contra rationem,tribuitur Holcot in 1.diſt.5. Holcot.
quem excuſat Suarez lib.1. cap. 11. militant pro Suarez.
hac parte omnia argumenta, quæ diſputatione 1.
cap.1.ſunt adducta.

Secunda ſententia extremæ oppoſita dicit,eſſe 2.
iuxta rationem, ita Raymundus Lullius, quem Lullius.
refert Vaſquez 1. part. diſp.133. cap. 1. affirman- Vaſquez.
tem, dari demonſtrationes huius myſterij tam
euidentes, vt Gentilem, & Mahumetanum
conuincere valeant, ſi eas ſemel ille velit pene-
trare; nec explicat, an ex parte aſſentientis ne-
ceſſarium ſit lumen aliquod ſupernaturale, an
ſola vis rationis naturalis ſufficiat. Probat autem
ſuam ſententiam afferendo rationes, quas de-
monſtrationes vocat, & Vaſquez ſuprà latiùs Idem.
refert, & refellit, earum ſumma eſt: Quoniam
in Deo eſt bonitas: ergo eſt actus bonificandi;
ergo eſt bonificans(ſic loquitur) & bonificatum,
ſeu bonificatiuum & bonificabile: ergo eſt con-
cordia inter bonificatiuum & bonificabile in
actu bonificandi:ergo eſt diſtinctio inter illa tria,
quia concordia non eſt niſi inter diſtincta: ergo
illa tria ſunt tres perſonæ in Deo. Vnde colligit
illas tres perſonas eſſe Patrem,& Filium,& Amo-
rem: nam hoc ſpectat ad ſummam perfectionem
diuinæ bonitatis, additque tam euidendem co-
gnitionem Trinitatis generari per iſtas demon-
ſtrationes vt aſſenſum fidei circa tale myſterium
excludat.

Tertia ſententia docet ſuppoſita fide huius 3.
myſterij poſſe viribus ingenij non ſolùm proba-
biliter, ſed etiam euidenter oſtendi,ſic Henricus Henricus.
quodlibeto 8. quæſt.14. & quodlib.12.quæſt.2.
Gerſon Alphabeto 13. littera H. Videtur fauere Gerſon.
Richardus Victorinus lib.1.de Trinit.cap.4.lib.3. Richard.
cap.5.& lib.9.cap.1. Victorin.

Quarta ſententia communis Theologorum &
Patrum,quos citant & ſequuntur Suarez & Vaſ-
quez ſupra. Molina quæſt. 32. art.1.Cumelis ibi Molina.
art.1.diſp.1. tenet myſterium Trinitatis nec eſſe Cumel.
contra,nec iuxta, ſed ſupra rationem naturalem;
atque ideò nec euidenter, nec dum probabiliter
potuiſſe ante reuelationem, oſtendi; ſuppoſita
verò reuelatione licèt non poſſit demonſtrari;
poſſe tamen probabiliter perſuaderi.

Dico primò, hoc myſterium non eſt contra ra- 4.
tionem ac ſubinde lumen naturale non poteſt de-
monſtrare Trinitatem in Deo eſſe impoſſibilem.
Ita Cumelis ſuprà concl.2.Suarez n.18.& proba- Suarez.
tur: nam aſſenſus huius myſterij eſt verus: ergo
non eſt contrarius inclinationi intellectus, quæ
eſt ad verum, nec Deus, à quo eſt talis inclina-
tio, mouere poteſt ad falſum, nec falſitas poteſt

naturali demonstrationi subesse; argumenta in contrarium dissoluimus disp.5.cap.vltimo.

5. Dico secundò: Trinitas non est iuxta, sed supra rationem, ita vt ante ipsius reuelationem factam nullus viator potuisset quidquam de ipsa suspicari; imò si casu aliquo rogaretur, an natura diuina, vel creata posset pluribus personis esse communis, negaret illicò ductus aliarum rerum inductione, vel si meliùs saperet iudicium suspenderet, & suam fateretur ignorantiam, cùm pro nulla parte suppetat euidens argumentum. Ab hac conclusione nec Lullius forsan dissentit, quia loquitur supposita reuelatione, vt sentit Vasquez suprà, vel aliqua notitia, saltem ex aliorum relatione præconcepta, & quidem non posse Trinitatem naturaliter demonstrari Catholicorum omnium esse commune dicit Vasquez suprà. Suarez reputat certum de fide, quia Scriptura proponit hoc mysterium tanquam abditum omninò, quod sola diuina reuelatione pnuerit innotescere. Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, Matth. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater*, & cap. 16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi.*

Ioan. 1. Matth. 11.

6. Ratione probatur conclusio, quia nec ostendi potest Trinitas a priori, cùm non habeat causam per quam ostendatur; nec à posteriori, cùm nullus sit effectus à Deo vt trino, sed omnes procedant à Deo, vt vno, ac subinde notificant Deum vt vnum, non vt trinum. Nouum autem genus, quod Lullius confingit æquiparantiæ, futile est, vt satis ostendit Suarez suprà, nec in tota natura datur principium vnde possimus Trinitatem diuinarum personarum timari, vel illam inquirere, vel apprehendere, vt possibilem, vel propositæ consentire, nisi forsan fide humana; ideò in hoc mysterio maximè verum habet quod Paulus docuit Hebr. 11. fidem esse sperandarum substantiam rerum, argumentum non apparentium.

Hebr. 11.

7. Dico tertiò, supposita diuina reuelatione possunt eidem adiungi rationes naturales, siue congruentiæ superiùs adductæ disp. 1. cap. 3. num. 13, quibus Trinitas persuadeatur probabiliter, non tamen euidenter: cùm enim sit ex se inceuidens, non potest per fidei reuelationem, quæ est obscura, reddi euidens eius cognitio. Hanc existimat Suarez lib. 1. cap. 12. num. 9 fuisse mentem Richardi. Nec rationes, quas tertia sententia formare solet, & Patres vsurpant aliquando, ampliùs conuincunt: manuducunt enim intellectum, vt apprehendat mysterium tanquam credibile, non tamen demonstrant eius existentiam. Potest ergo ratio naturalis explicare veritatem istam exemplis, soluere argumenta contra ipsam, ac subinde persuadere non esse impossibilem, nec dissonare rationi, vt ostendimus disp. 1. vltrà verò non extenditur.

Suarez.

8. Obiicies primò, Multi ex antiquis Philosophis mysterium Trinitatis agnouisse videntur, nec aliter quam lumine naturali: ergo est naturaliter cognoscibile. Maiorem probant pleraque eorundem testimonia, quæ referunt S. Thomas hic quæst. 32. art. 1 Eugubinus lib. 1. de perenni philosophia. Salmeron tom. 2. in Euangel. tract. 23. & Vasquez 1. part. disp. 132. Respondet S. Thomas Philosophos illos cognouisse quidem nonnulla Dei attributa, quæ diuinis personis appropriantur, non tamen personas ipsas, nec appropriationem huiusmodi attributorum. Vasquez & alij concedunt cognitam etiam illis fuisse Trinitatem aliquo modo, non tamen soln naturæ lumine, sed vel relatione Hebræorum, vel lectione sacrorum librorum, vel aliqua illustratione diuinitus ipsis facta, vt suspicatur Molina quod in S. Iobo, & similibus viris, imò etiam in Sibyllis verosimili existimandum.

Eugubin. Salmeron. Vasquez.

Molina.

9. Obiicies secundò, creatura, licèt per se primò respiciat Deum vt vnum, etiam respicit vt trinum: nam tres sunt re vera qui creant, quamuis virtus creandi sit vna: ergo cognita relatione creaturæ ad Deum, quæ naturaliter cognoscitur, saltem ab Angelo, cognoscitur etiam Trinitas. Respondeo ex relatione effectus non ita explicitè cognosci suppositum producens, quod solùm se habet materialiter ad productionem, sicut cognoscitur virtus producendi, quæ se habet formaliter: sicut enim effectus non procedit à supposito, vt supposito, sed vt habente vim producendi, sic nec respicit illud formaliter vt suppositum, sed vt habens vim agendi: Quippe cognitio relationis, vel relatiui coëxigit per se cognitionem termini formalis, quatenus formaliter terminat talem respectum, & specificat illum: at termini materialis cognitionem solùm requirit secundariò, quatenus sub notitia termini formalis confunditur, vel ex illa deducitur. Vnde licèt ex creaturis cognoscatur aliqualiter suppositum creans, non tamen ita explicitè, vt discernatur an sit vnum vel triplex; quare non fit iudicium de Trinitate personarum, sed cognoscitur aliquam esse personam, quæ creat per talem omnipotentiam, iudicando de ratione personæ vt sic, non verò de quidditate, vel multiplicitate ipsius.

10. Obiicies tertiò, vt docet Augustinus 6. de Trinit. cap. 10. in omnibus creaturis est vestigium Trinitatis: ergo possumus ex illis hoc mysterium inuestigare, sicut è vestigio hominis, vel pecudis colligimus, quale animal transierit illac. Confirmatur ex Genesis 1. & Augustino lib. 14. de Trinit. cap. 3. explicante hominem esse imaginem Dei vt trini: ergo saltem ex homine poterit Trinitas naturaliter cognosci, sicut ex imagine prototypus.

Augustinus. Genes. 1. Athanasius.

11. Respondeo in creaturis esse vestigium Trinitatis, quatenus in omnibus relucet sapientia, bonitas, & potentia Creatoris, quæ non sunt proprietates personales, nisi per accommodationem; atque ita creaturæ non ducunt sufficienter in cognitionem Trinitatis, nec hoc ipsum vestigij genus potuissemus venari, nisi præsupposita aliunde reuelatione, valdéque diuersum est vestigium hominis respectu ipsius, quia refert figuram pedis humani, quæ est propria hominis; creaturæ verò non repræsentant aliquid proprium singularum personarum diuinarum. Ad confirmationem respondeo imperfectiorem esse rationem illam imaginis, quam vt afferat ipsa per se cognitionem Trinitatis, cùm ne cogitaturi quidem fuissemus illam in homine Trinitatis imaginem, nisi suppeteret aliunde nobis reuelatio fidei diuinæ.

12. Obiicies quartò, S. Thomas concedit hic art. 1. & nos diximus conclus. 3. posse ratione naturali persuaderi, mysterium hoc non esse impossibile: ergo etiam esse possibile; atque ideò existere de facto, quia nun impossibile, & possibile idem sunt, & in æternis idem est esse, & posse. Respondeo nec S. Thomam, nec nos admittere quòd possimus conuincere sola ratione naturali, hoc mysterium non esse impossibile, simpliciter, & absolutè, quo pacto non impossibile, & possibile conuertuntur; sed solùm posse nos defendere

suppofita

suppositâ reuelatione mysterium istud non esse impossibile, quoniam est ex vi earum rationum, quæ per nostrum intellectum possunt opponi contra illud; manet tamen incuidens an ob alias rationes, quæ alio lumine naturali nitantur sit impossibile. Per fidem tamen omninò certi sumus ob nullas rationes implicare.

13. Obiicies quintò, Hæreticus, qui negat alium articulum, & confitetur Trinitatem, ex solia naturæ viribus assentitur: ergo solo naturali lumine potest cognosci. Respondeo nos non negare, quempiam posse naturaliter fide humana propter auctoritatem proponentis, aut aliorum credentium assentiri mysterio Trinitatis; sed negamus vllam suppetere rationem naturalem ob quam seclusâ omni reuelatione & auctoritate potuisset viator sibi persuadere hoc arcanum, aut suppositâ reuelatione illud demonstrare. Alia faciliora argumenta affert, & dissoluit Molina.

CAPVT II.

Notitiam quidditatiuam Trinitatis etiam supernaturaliter repugnare viatori.

1. Ognitio euidens rei alia est quidditatiua, alia accidentaria; hæc est, quæ non repræsentat rem, prout est in se, sed prout dicit ordinem ad aliquod accidens, vel terminum extrinsecum, & communiter habetur per species alienas: nam species, quæ non efficitur ab obiecto, vel quæ non ordinatur primariò ad repræsentandum illud, plerumque repræsentat talem rem sub aliquo accidenti, vel ordine ad terminum extrinsecum. Sic cognoscimus in hac vita per species accidentium substantias, per species corporum spiritus, per species sensibilium insensibilia. Cognitio verò quidditatiua, vt docet Vasquez disp. 134. cap. 1. est, quæ fertur in rem, vt est intrinsecè in se, & communiter habetur per speciem propriam, quia species, quæ procedit ab obiecto, vel ordinatur primariò ad illud repræsentandum, repræsentat illud, vt est in se, sic species albedinis repræsentat nobis albedinem, species vocis vocem vt est in se. Verum est tamen aliquando haberi cognitionem quidditatiuam etiam per alienas species; sic Deus & Beati creaturas existentes intuentur quidditatiuè per essentiam diuinam loco speciei concurrentem ad manifestandas illas prout in se sunt. Vasquez.

2. Cognitio quidditatiua alia est intuitiua, alia abstractiua. Hanc diuisionem videtur negare Vasquez suprà num. 8. omnem cognitionem quidditatiuam vocans intuitiuam, sed fatetur dissensionem esse de voce Scotus in 2. dist. 3. quæst. 9. §. *ad quæstionem igitur*, & Molina 1. part. quæst. 1. art. 2. disp. 4. dicunt intuitiuam esse quæ terminatur ab obiectum, vt existens & præsens; abstractiuam verò quæ abstrahit ab existentia, vel saltem à præsentia. Gabriel quæst. 1. prologi art. 2. notat. 2. & communis sententia cognitionem intuitiuam appellat quæ attingit rem prout est in se quoad existentiam exercitam; abstractiuam verò quæ terminatur ad rem, vt est in se quoad eius naturam & entitatem, præcisam tamen ab existentia: Sic Deus & Beati vident intuitiuè diuinam essentiam, abstractiuè creaturas possibiles. Vasquez. Scotus. Molina. Gabriel.

3. Nec est dubium quin notitia intuitiua Trinitatis non possit communicari viatori manenti in statu pari viatoris: nam eo ipso quòd intueretur Trinitatem, bearetur; cùm beatitudo consistat in intuitione Dei vnius & trini. Quæstio ergo manet de cognitione quidditatiua abstractiua, in qua sit prima sententia Scoti in 4. dist. 49. quæst. 11. docentis posse in Angelo dari notitiam quidditatiuam abstractiuam Trinitatis per actum, & speciem naturalem, quoad substantiam, si velit Deus speciem intelligibilem proportionatam illi donare, addit tamen eam speciem dici supernaturalem, quia non necessariò conuenit Angelo, nec potest ipsam ab obiecto desumere, sed Deus liberè donaret eandem, quamuis ipsa in se naturalis sit, & proportionata actiuitati naturali intellectus Angelici, solumque detur ad actum naturalem, quo Trinitas immediatè repræsentetur vt est in se. Probatur, quoniam in hoc nulla apparet implicatio. Scotus.

4. Secunda sententia est Maioris, Bassolis, Ochami, & aliorum apud Vasquium suprà cap. 2. assentium communicari posse viatori talem notitiam abstractiuam supernaturalem, qua cognoscatur Trinitas quidditatiuè, vt est in se per speciem propriam, non tamen intuitiuè. Consentit Molina suprà & quæst. 56. art. 3. Probatur primò, quia Deus potest infundere claram sui visionem, qualis est beata, & obscuram, qualis est fides; ergo & mediam, scilicet euidentiam abstractiuam, in qua nulla cernitur contradictio. Secundò, potest Deus efficere speciem impressam repræsentatiuam sui, prout est in se: ergò potest etiam facere vt per talem speciem cognoscatur Deus abstractiuè solùm. Confirmatur, quia cetera mysteria Incarnationis, Eucharistiæ & similia possunt euidenter cognosci citra visionem: ergo etiam mysterium Trinitatis. Vasquez. Molina.

5. Probatur tertiò, quia de facto Christus Dominus per scientiam infusam nouerat euidenter Trinitatem, & non intuitiuè, cùm scientia infusa distinguatur realiter à beata. Prophetæ quoque per donum prophetiæ . Paulus etiamsi vidit essentiam diuinam: nam posteà recordabatur se vidisse Trinitatem, quæ erat cognitio euidens, & abstractiua huius mysterij; imò quicunque comprehenderet lumen gloriæ vel visionem beatam, quæ dicunt intrinsecum ordinem ad Deum vt trinum, cognosceret euidenter, & abstractiuè Trinitatem.

6. Dico primò, impossibilis est notitia quidditatiua Trinitatis abstractiua, ita Durandus & Capreolus, quos refert & sequitur Vasquez disp. 134. cap. 2. Cabrera 3. part. quæst. 1. art. 1. disp. 5. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 1. num. 16. & alij communiter. Probatur, quia si Deus cognoscitur vt est in se, cognoscitur euidenter vt actu existens, cùm existentia sit de essentia Dei, in quo differt ab omni creatura. Ideò creaturæ potest dari cognitio euidens abstractiua, quia possunt cognosci eius prædicata essentialia non cognita eiusdem actuali existentia, Dei tamen essentialia prædicata non possunt euidenter, & quidditatiuè cognosci nisi simul cognoscatur existentia, quæ est ipsissima essentia Dei: Quare iam erit cognitio intuitiua, & visio beata. Vasquez. Cabrera. Suarez.

7. Respondet Molina ea disp. 4. posse repræsentari existentiam, imò & præsentiam rei, & adhuc notitiam non esse intuitiuam, sed abstractiuam: nam quando in præsentia Patris clausis oculis recordor illius, datur quidem species repræsentans, & obiectum præsens; & tamen illa notitia non Molina.

est intuitiua: similiter cùm Astrologus occlusis fenestris cognoscit ex propriis principiis eclipsim nunc existere, talis notitia est abstractiua, quia licèt euidenter cognoscatur existentia obiecti, tamen illa existentia experimento non conspicitur conuenire obiecto, sed aliunde probatur: Quòd si per fenestram videat eclipsim, notitiam intuitiuam tam sensu, quàm intellectu comparabit: Differunt ergo notitia intuitiua & abstractiua, ipsarúmque species non tam ex parte obiecti repræsentati, quàm ex diuerso modo repræsentandi.

8. Sed contrà: nam in primis non videtur necessaria ad intuitionem repræsentatio præsentiæ actualis; siquidem Deus intuitiuè videt creaturas futuras, quæ non sunt modò præsentes huic durationi, vel loco; nec præsentia localis, quæ in rebus creatis, est accidens, tanti refert ad cognitionem, vt nisi cognoscatur, non detur notitia intuitiua rei existentis; Deinde sicut cognitio repræsentans euidenter existentiam obiecti, consequenter repræsentat rem vt existentem pro aliqua differentia temporis, ac subinde connaturaliter extenditur ad repræsentandam non solùm veram realitatem, quam dicit res existens, cùm res possibilis solam dicat realitatem secundùm quid, sed etiam durationem aliquam determinatam; sic etiam connaturaliter extendetur ad repræsentandam aliquam præsentiam localem determinatam. Vnde à fortiori qui cognoscit quidditatiuè Deum, vt est in se, atque ipsiua existentiam à se, cognoscet simul connaturaliter eius immensitatem, ac subinde præsentiam illius, cùm sit proprietas secuta connaturaliter ad essentiam diuinam, quod non reperitur in creaturis, quarum non est propria passio hæc vel illa variabilis præsentia. Visa verò per propriam speciem existentia, & præsentia Dei immediatè in se ipsa, & vt est in se, non apparet, quid desit, aut deesse possit ad cognitionem intuitiuam; sensu quippe non potest percipi Deus, nec illud experimentum sensuum in omni notitia intuitiua necessarium est; siquidem Angeli cognoscunt intuitiuè creaturas existentes sola intellectuali visione ad ipsarum existentiam, seu præsentiam terminata. Et quidem in exemplis, quæ adducit Molina, tota diuersitas reducitur ad sensus externos, vel ad dependentiam, quam habet intellectus noster in cognoscendo ab illis, dum inde auspicatur species & cognitionem suam: at vbi non requiritur, vel adesse non potest talis sensatio, cessat ille diuersus modus cognoscendi clausis oculis, vel apertis, obserata fenestra, aut reserata.

9. Hinc colligitur contra Scotum repugnare à fortiori notitiam illam Trinitatis quidditatiuam, & naturalem Angelo, quam confingit, vt docent nobiscum Aluarez lib. 12 de Auxiliis disp. 119. & Salas 1. 2. tract. 2. disp. 3. num. 6. quoniam Angelus non potest naturaliter intueri Deum, prout est in se, vt ostendimus lib. 1. disp. 21 cap. 2. Quæcumque autem species, aut notitia repræsentans Deum, vt est in se, repræsentat intuitiuè, vt visum est: ergo non potest esse connaturalis Angelo. Nec valet euasio Scoti dicentis esse supernaturalem, quatenus liberè infunditur à Deo: nam si talis species est Angelo connaturalis, erit ipsi debita ab auctore naturæ, sicut aliæ perfectiones naturales; imò species omnes intelligibiles Angelorum iuxtà veriorem sententiam liberè infunduntur Angelis à Deo, sed quia iuxta naturæ debitum infunduntur, dicuntur naturales omninò. Quare nonnulli minus securam reputant eam opinionem Scoti.

Aluarez. Salas.

10. Dico secundò, possibilis est viatori notitia Trinitatis euidens, non tamen per propriam speciem, aut quidditatiua, sed accidentaria. Sic Henricus, Gerson, Durandus, Caietanus, & alij apud Vasquium disput. 135. cap. 1. tenet etiam Cumel hic quæst. 32. art. 2. disp. 2. conclus. 1. & Suarez 3. part. tom. 1. disp. 27. sect. 5. Probatur, quia Deus potest ita reuelare hoc mysterium, vt euidenter constet, Deum esse, qui reuelat, talem enim potest iniicere reuelationem, & talibus signis siue internis, siue externis, vt sicut vox Petri audita, licet non videatur Petrus, non solùm notificat rem, quam significat, sed etiam ex modo proferendi notificat esse Petrum proferentem; sic talis reuelatio notificet mysterium reuelatum, & simul reuelantem esse Deum, etiamsi Deus non videatur. Cùm ergo in tali casu constet euidenter Deum reuelare hoc mysterium, & prætereà euidens sit Deum mentiri non posse, fit euidens consequentia, & notitia veritatis sic reuelatæ, quæ dicitur euidentia in testificante, quia non cognoscitur Trinitas in se ipsa immediatè, sed in testimonio, ac per alienas species, cum infallibili tamen certitudine, & euidentia.

Vasquez. Cumel. Suarez.

11. Sic sentit Durandus in 3 dist. 23. quæst. 9. num. 12. Angelos in via cognouisse mysterium Trinitatis tali accepta reuelatione, vt euidentiam haberent Dei reuelantis: Sic etiam existimat Bassolis de damnatis, qui vt ait Iacobus cap. 2. *credunt, & contremiscunt*: nam qui sentiunt se iustè damnari, quia Trinitatem non crediderunt, euidenter agnoscunt dari Trinitatem. Quòd si petas quomodo cognoscetur euidenter reuelationem esse à Deo non viso Deo? Respondeo primò visa ipsamet actione, quæ dicit essentialem habitudinem ad Deum vt ad causam principalem. Secundò, visa eius supernaturalitate, quæ euidenter cognoscitur non posse esse nisi à Deo. Tertiò, visa independentia talis actionis ab omni causa creata colligitur euidenter pendere à solo Deo. Quartò, ex aliis effectibus, vel affectibus, quos ingerat menti, potest euidenter colligi à Deo manare, præsertim si infundatur immediatè intellectui humano sine dependentia à phantasmatibus, vel intellectui Angelico, qui moueri non potest nisi à Deo.

Durand. Bassolis. Iacobus.

12. Ad primum argumentum primæ sententiæ iam constat repugnantia talis cognitionis: esset enim intuitiua, quia videret Deum vt est in se ipso existens, & præsens omni loco; & non esset intuitiua, vt supponit Scotus. Ad primum secundæ sententiæ negatur consequentia, propter eandem contradictionem. Deus enim non potest videri quidditatiuè in aliquo medio priùs cognito; Ideò enim essentia diuina priùs cognita repræsentat Creaturas vt sunt in se, quia continet illas eminenter: at nulla creatura continet Deum eminenter; & ideò nulla creatura priùs cognita potest repræsentare Deum, vt est in se. Nec item potest quidditatiuè cognosci Deus in seipso, quin intuitiuè videatur, vt ostensum est: ergo nulla potest esse cognitio media inter fidem, & visionem beatam, nisi euidentia in attestante, quæ non est quidditatiua sed accidentaria.

13. Ad secundum argumentum nego antecedens iuxta suprà dicta lib 1. disp. 20. sed adhuc illo dato negatur consequentia, quia per talem speciem non videretur Deus, vt supponit argumentum,

&

& simul videretur, quia talis species repræsentaret existentiam, & præsentiam Dei; quare sequitur contradictio. Ad confirmationem, quidquid
Suarez. sit de antecedenti, de quo Suarez ea disput. 27. sect. 3. negatur consequentia: nam alia mysteria sunt res creatæ, quarum essentia, & possibilitas potest euidenter cognosci sine existentia: posset enim extra visionem beatam euidenter cognosci mysterium Incarnationis aut Eucharistiæ non implicare contradictionem cognoscendo videlicet euidenter rationem suppositi, & naturæ, accidentis, & substantiæ. Non potest autem Incarnatio intuitiuè videri secundum totum, quod includit, extra visionem beatam, quoniam includit personam Verbi, quæ prout est in se, videri non potest nisi beatifica visione; & idem erit de Eucharistia si Christus adæquatè videndus sit in illa. In tertio argumento variæ tanguntur difficultates sequenti capite discutiendæ.

CAPVT III.

An detur cognitio Trinitatis euidens in aliquo medio extrinseco, saltem quoad an est.

1. Caietanus 2. 2. quæst. 171. art. 5. affirmat, dari posse, imò datam fuisse de facto Prophetis speciem propriam Trinitatis, quæ repræsentet illam quoad *an est*, & non quantum ad *quid est*. Attamen licèt species corporeæ possint intuitiuè repræsentare obiectum, quoad *an est*, non repræsentando quod *quid est*, seu essentiam ipsius: at species spirituales, & intellectuales, quæ repræsentant substantiam, vt est in se quoad *an est*, non satis percipitur, quomodo non repræsentent etiam quidditatem illius, & multò minùs species propria Dei, cuius essentia est actu existere, videtur implicare, quod repræsentet Deum quoad
2. *an est*, & non quantum ad *quid est*.
Cumel. Cumelis 1. part. quæst. 32. art. 1. disp. 2. concl. 6. & 7. censet animam Christi per scientiam infusam habuisse euidentiam Trinitatis in attestante, quantum ad *an est*, & præterea cognouisse Trinitatem euidenter quantum ad *an est* in effectibus supernaturalibus. Probat, quia gratia & charitas disponit ad amandum Deum Trinum, & vnum, lumen gloriæ ad cognoscendũ Deum Trinum, & vnum; similiter omnes effectus supernaturales ordinis gratiæ ex natura sua dicunt habitudinem ad Deum vt vnum, & Trinum, eo quòd sint eiusdem ordinis cum ipso Deo: ergo per species repræsentantes quidditatiuè hos effectus supernaturales potest euidenter cognosci Trinitas personarum; non quidem in ratione principij effectiui, quia nullus effectus etiam supernaturalis procedit effectiuè à Deo vt trino, sed in ratione finis proportionati talibus effectibus, quia finaliter effectus supernaturales gratiæ, ac gloriæ ordinantur intrinsecè, ac per se ad Deum, quatenùs
3. est in se Trinus, & vnus.
Suarez. Suarius 3. part. tom. 1. disp. 27. sect. 3. & 5. circa finem probabile censet visionem beatam posse per scientiam infusam in genere proprio, & per species proprias cognosci, quia cùm illa visio sit qualitas creata, & finita, nihil repugnat, quòd cognoscatur quidditatiuè, & intuitiuè, quin cognoscatur quidditatiuè, vel intuitiuè Deus: licèt enim ea visio dicat transcendentalem habitudinem ad Deum, vt est in se, non ideò necessarium est videri clarè Deum ad videndam hanc visionem, & habitudinem eius: satis enim erit abstractiuè cognoscere in illa, & per illam Deum ipsum, cùm Deus solùm sit terminus quasi extrinsecus illius habitudinis. Idem censet à fortiori de actu, vel habitu charitatis, de lumine gloriæ, gratia, & similibus, quæ non tam proximè respiciunt Deum, sicut ipsa visio.

Per oppositum Vasquez 1. part. disp. 135. cap. 4. 4. Vasquez.
negat mysterium Trinitatis euidenter posse cognosci etiam quoad *an est*, in aliquo medio priùs cognito quamuis supernaturali; & de visione Dei probat, quia cognitio intuitiua nequit intuitiuè cognosci nisi cognito intuitiuè obiecto; nemo quippe discernere poterit, an hæc notitia sit intuitiua, & propria talis obiecti, nisi videat ipse simul obiectum illud, cum quo notitiam intuitiuam alterius de tali obiecto possit conferre. Idem est suo modo de specie impressa Trinitatis, si possibilis esset. De vnione verò hypostatica etiam triplici ad tres diuinas personas terminata probat, quia sicut ex intuitiua notitia relationis non sequitur intuitiua notitia termini: nam alioquin vel Angeli non viderent intuitiuè creaturam, vel intuerentur etiam Deum vt vnum; ita ex illa notitia intuitiua talium vnionum non est necesse cognosci sigillatim tres personas, sed solùm necessarium est naturam cum illo modo vnitam esse alicui personæ diuinæ: an verò diuersa vnio ad diuersam personam, vel ad eandem personam vniones diuersæ referantur, non est necesse cognosci ab eo, qui vniones ipsas intuetur. 5.

Pro decisione suppono cognitionem terminorum esse necessariam ad cognitionem respectuũ, seu relationum, ita vt si relatio sit mutua, vel prædicamentalis, vel transcendentalis, relatiua sint simul cognitione, vt docuit Aristoteles: non enim præsupponitur cognitio vnius ad aliud, sed simul cognosci necesse est. At verò in relatione non mutua, quales dixit Aristoteles esse relationes tertij generis, ad quod pertinet scientia, & scibile; quia cognoscens, & cognitum non sibi mutuò respondent, cùm in cognoscente sit relatio realis, in cognito verò rationis; in hac, inquam, non potest respectus ad aliquem terminum quidditatiuè cognosci, nisi præcognoscatur
terminus, vt cum communi sententia docet Sua- Suarez.
rez ea disp. 27. sect. 5. §. *Secundus modus dicendi.* Et disp. 47. Metaphysicæ sect. 16. num. 30. & 31. cùm enim essentialiter respiciat terminum, & ab illo quodammodo specificetur, pendet quidem à termino saltem in cognosci, quia potest terminus cognosci sine respectu ad ipsum terminato, non autem è contra respectus sine termino præ-
cognito. 6.

Hæc autem cognitio, seu præcognitio terminorum eatenùs necessaria videtur ad cognitionem relationum, quatenùs termini proportionantur cum illis; & ita quando talis proportio non datur secundùm ipsum esse, nec physicè, qualis datur inter causam, & effectum vniuocum, nec intentionaliter, qualis datur inter cognitionem intuitiuam, & eius obiectum, sufficit cognitio termini per alienas species: nam istæ sufficiunt ad manifestandum terminum, secundùm quod à tali respectu attingitur, & secundùm proportionem, quam habet cum illo. Quare relatio creaturæ ad Deum etsi terminetur formaliter ad potentiam creatiuam, quæ realiter est

Deus,

Deus, tamen ad sui cognitionem intuitiuam non requirit cognitionem, etiam intuitiuam, omnipotentiæ: nam esse creaturæ non proportionatur cum esse diuinæ potentiæ, prout est in se; siquidem est effectus æquiuocus, sed cum actione ad extrà manante, subindéque sufficit cognoscere intuitiuè actionem productiuam; principium autem & virtutem effectricem solùm, vt in ea actione, ac effectu reluceat, & per species alienas, euidenter tamen.

7. Iam dico primò, quomodocunque cognoscatur mysterium Trinitatis extra visionem beatam eiusmodi notitiam fore accidentariam, & non quidditatiuam; pro cuius intelligentia supponendum est, additatem Dei respectu conceptus quidditatiui esse rationem obiectiuam *quæ*, & *sub qua*, ceterùm respectu conceptus accidentarij solùm esse rationem *quæ*, non *sub qua* (non est sermo de ratione *sub qua* non cognita, scilicet de tali, vel tali cognoscibilitate obiecti, quæ dicitur obiectum, vel ratio formalissima; sed de ratione *sub qua* cognita, quæ coincidit cum obiecto, vel ratione formali, in quam primò fertur potentia vel habitus) etenim cùm accidentariè repræsentatur Deus, vt contingit in via, scilicet vt independens ab omni ente, vt causa vniuersalis, vt finis vltimus, &c. Primò & de formali obiicitur intellectui nostro independentia, causalitas efficiens, aut finalis, aut similis ratio creata, & extrinseca Deo; Secundò tamen & de materiali obiicitur Deus: Illa creatura vt sic appellatur ratio, *sub qua* repræsentatur Deus, vel eius quidditas; at verò quidditas Dei vocatur ratio, quæ repræsentatur sub illa formalitate.

8. Cùm verò repræsentatur quidditatiuè Deus, vt contingit in patria, scilicet vt est intrinsecè, ac in se nudus omni ratione sibi accidentaria, vel extrinseca, tunc primò & de formali obiicitur quidditas Dei, quæ vt sic repræsentata est ratio posita, in quam primò, & de formali fertur potentia, & sub qua fertur, sicut reuelatio est ratio, *qua* formaliter creditur, & *sub qua* creditur ipsa reuelatio per fidem. Igitur quandocunque Deus est ratio obiectiua, *quæ*, & *sub qua* cognitionis alicuius necessariò attingitur sub ratione existentis actualiter, cùm existentia à se sit ipsissima quidditas Deitatis: ergo cognoscitur intuitiuè. Quando verò est solùm ratio *quæ*, & non *sub qua*, repræsentatur solùm accidentariè; nec in hoc credo dissentire supradictos Doctores.

9. Dico secundò, cum Vasquio visionem beatam vnius non posse ab alio intuitiuè cognosci, nisi in isto præcedat intuitiua cognitio Dei. Probatur, quia respectus ad aliquem terminum non mutuus non potest quidditatiuè cognosci nisi præcognito termino; sed visio dicit relationem non mutuam ad obiectum visum: ergo non potest quidditatiuè cognosci nisi præcognito illius obiecto. Quod autem ista obiecti præcognitio debeat esse intuitiua ad intuitiuè cognoscendam visionem, probatur ex dictis: nam ad cognoscendum intuitiuè respectum debet terminus præcognosci quantum ad eam rationem, sub qua formaliter terminat: ergo ad cognoscendam intuitiuè visionem Dei, necessarium est præcognosci quidditatem Dei quantum ad eam rationem, sub qua formaliter terminat conceptum intuitiuum: sed hæc est quidditas Dei prout est in se nuda omni denominatione accidẽtaria: ergo hæc debet vt sic præcognosci visione, nimirum beatifica. Vtraque consequentia patet ex dictis, primum antecedens probatur, quia ratio sub qua obiectum terminat relationem cognitionis, est quæ tribuit illi speciem, & quidditatem cùm terminus vt terminus specificet respectum per hoc formalissimè, quod terminat vt ratio *qua*, & ratio *sub qua*: ergo necessarium est quòd præcognoscatur non solùm ratio *qua*, sed præcipuè ratio *sub qua*, cùm illa materialiter solùm se habeat, hæc verò formalissimè ad rationem termini, & specificationis respectus.

Quæ ratio militat etiam in lumine gloriæ, & in specie impressa Dei, si possibilis esset, & in vnione hypostatica, quæ non potest quidditatiuè cognosci, nisi cognita quidditatiuè persona Verbi, quæ est ratio *sub qua* terminandi talem respectum: at persona Verbi non potest quidditatiuè cognosci, nisi simul intuitiue per visionem beatam cognoscatur, cùm sit essentialiter existens à se. Ceterùm gratia & Charitas sicut non respiciunt Deum vt visum in se necessariò, sed cognitione Dei accidentaria, & confusa contentæ sunt, sic nec ad sui cognitionem quidditatiuam plusquam Dei cognitionem accidentariam præexequitent; quia ratio *sub qua* charitatis est bonum diuinum, saltem accidentariè cognitum: similiter fides, prophetia, & alij habitus, quorum ratio formalis *sub qua* est aliquid creatum extrinsecè coniunctum Deo, scilicet reuelatio diuina, causalitas efficiens, vel finalis, bonum nostrum, &c. solam cognitionem Dei accidentariam prærequirunt ad sui cognitionem quidditatiuam, vel etiam intuitiuam. 10.

Cùm verò S. Thomas hic quæst. 32. art. 1. dicit ex effectibus Dei Trinitatem cognosci non posse, loquitur de naturalibus, vel etiam de supernaturalibus, quatenus sunt effectus præcisè: nam vt sic procedunt à Deo solùm vt vno: hoc tamen non tollit, quin cognosci possit vt trinus in effectibus supernaturalibus, qui tendunt in ipsam Trinitatem, saltem vt in ratione *quæ*, licèt non vt in ratione *sub qua*. Hæc autem cognitio Trinitatis ferè reducitur ad euidentiam in attestante, de qua diximus cap. 2. Nam accidentia supernaturalia viatoris propria tendunt in Trinitatem, vt reuelatam; reuelatio verò licèt quidditatiuè videatur in seipsa non generat nisi euidentiam in attestante, & per alienas species, vt cap. 2. visum est. 11.

Vtrùm autem hoc sufficiat, vt notitia Trinitatis sic habita propriè dicatur euidens? quæstio est de nomine. Negat Vasquez ea disp. 135. quia principia extrinseca, id est, non habentia ex natura rei connexionem cum conclusione, qualia sunt actus fidei, reuelatio, & similia gignere nequeunt euidentem conclusionis assensum, quoniam licèt in bona consequentia quoties antecedens est verum, necesse sit consequens esse verum, non tamen quoties antecedens est euidens, debet esse consequens euidens, nisi habeat ex natura rei connexionem cum antecedenti: nam aliter non habebit antecedens vim manifestandi connexionem prædicati cum subiecto. 12. Vasquez.

Ego credendum affirmandum: nam vt assensus conclusionis sit euidens, non requiritur, per se loquendo, connexio conclusionis cum principiis in esse, sed in cognosci, id est, non requiritur, vt res significata per conclusionem habeat naturalem connexionem cum re significata per præmissas; sed vt cognitio conclusionis necessariò sequatur 13.

quatur ex cognitione principiorum euidentium: nam euidentia non conuenit rei cognitæ à parte rei, sed in mente: Deinde non potest habere conclusio connexionem cum præmissis in esse cognito, quin habeat etiam aliqualem in re, nam in hac fundatur illa, v.g. reuelatio diuina euidenter cognita habet connexionem necessariam cum re reuelata, siquidem esse non potest sine veritate obiectiua illius, quæ connexio, & non alia requiritur ad euidentiam conclusionis.

14. Hinc colliges, quæstionem esse de nomine, Vtrùm hæc cognitio sit euidens quoad *an est* tantùm, vel etiam quoad *quid est*. Potest equidem per hanc euidentiam in attestante sciri non modo existentia Trinitatis, sed personarum quoque distinctio, proprietates, processiones, & omnia, quæ ibi insunt, communia & propria prædicata, si omnia reuelentur ex testimonio Dei euidenter cognito. Quod ergo deerit ad rationem cognitionis euidentis quantum ad quid est? nisi quòd Theologi & Philosophi cognitionem illam, quæ non habetur per causas à priori, vel per effectus connaturales à posteriori, vel per propriam speciem rei in seipsa repræsentandæ, nolunt appellare euidentem quoad *quid est*, sed tantùm quoad *an est*, nec facilè à communi modo loquendi recedendum erit.

15. Igitur ad tertium argumentum, quod est cap. 5. restat dissoluendum, his suppositis dicendum est, circa scientiam infusam animæ Christi Domini varias esse sententias 3. part. quæst. 11. de quibus Suarez ea disp. 27. recte sanè cum Cumele 1. part.

Suarez. Cumel. Vasquez. quæst. 12. art. 2. quæst. 2. ad secundum principale, & Vasquio hìc disp. 135. cap. 4. num. 9. & 10. visionem beatam alterius beati cognitam fuisse Christo Domino per eam scientiam, quatenùs supponebatur in Christo cognitio intuitiua obiecti beatifici elicita, non ab eadem scientia infusa, sed à lumine gloriæ: licèt enim ad cognitionem relationis necessaria sit cognitio termini, non tamen per eandem scientiam haberi debet vtraque notitia. Quare scientia infusa beatorum in visione visionum beatarum alienarum non cognoscit formaliter Trinitatem, sed supponit illam aliunde visam, scilicet per scientiam beatam. Idem est de cognitione luminis gloriæ. In cognitione verò actuum fidei, & diuinarum reuelationum, aut similium cognoscebat Christus euidenter mysterium Trinitatis, sed accidentariè per euidentiam in testificante, quo pacto diximus cap. 2. posse cognosci.

16. De Prophetis etiam variè sentiunt Doctores, quia sæpe cognitio prophetica non distinguitur ab actu fidei, si verò distinguatur interdum, ad summum dicit euidentiam in testificante, nisi admittere velis in Propheta visionem beatam. Quòd si hanc adeptus est Paulus in raptu, post illum non mansit in memoria Pauli species repræsentans Deum; vt est in se, tum quia non est possibilis, tum quia deficiente lumine gloriæ illa foret superflua; nec mansit item species propria illius visionis beatæ, quia talis visio non poterat quidditatiuè cognosci non cognito eius obiecto

Durand. Capreol. formali, vt probatum est: sed vt docent Durandus in prologo quæst. 3. art. 2. ad 4. & Capreolus in 2. dist. 23. art. 3. ad quartum Scoti contra secundum, mansit memoria quædam confusa, & in

Dan. 2. generali, sicuti Nabuchodonosor Dan. 2. recordabatur, se vidisse in somno aliquid magnum, non tamen quid esset in speciali; sic Paulus recordabatur se vidisse mirabilem Dei pulchritudinem, non tamen quid esset Deus in seipso sub tali ratione quidditatis diuinæ, sed sub aliqua ratione creata, & imperfecta, sicut alij viatores concipiebat. Poterat etiam euidentem assensum mysteriorum fidei elicere, dum euidens ipsi erat, se illa vidisse, nec illi visioni potuisse subesse falsum: sed totum hoc reducitur ad euidentiam in testificante.



DISPVT. XIII.

De notionibus.



RIPLICIA nomina reperimus in diuinis, quædam essentialia, quæ significant essentiam siue perfectiones communes, vt Deus, omnipotens, sanctus: Quædam personalia, quæ significant personam in concreto, vt Pater, Filius; Quædam notionalia, quæ significant proprietates personarum in abstracto, vt paternitas, & Filiatio; & de his procedit præsens disputatio.

CAPVT I.

An dentur in Deo notiones, & quid sint.

PRima sententia est Præpositiui apud S. Thomam hìc quæst. 32. art. 2. existimantis 1.

distinctionem concreti, & abstracti pugnare cum Præposit. diuina simplicitate. Quare notiones negauit in diuinis, quæ nominibus abstractis significantur, & talia nomina dixit esse exponenda in concreto.

Facet Gregorius in 1. dist. 26. quæst. 1. & 2. docens Gregor. in Deo dari proprietates personales intransitiuè, id est, quæ sint ipsæ personæ, non autem transitiuè, id est, proprietates personarum, nisi terminis complexis explicentur, & in solo intellectu, vel voce consistant. Itaque notiones accipit pro conceptu formali, non pro obiectiuo. Consentit

Gabriel in 1. dist. 18. q. 1. art. 3. dub. 1. quoniam Gabriel. alias concedendæ forent (inquit) in Deo quinque res, sicut conceduntur quinque notiones.

Secunda sententia fit Aureoli apud Capreolum 2.

in 1. dist. 26. & apud Caietanum hìc art. 2. asserentis in Deo quamlibet notionem abstractè significatam distingui ex natura rei à suo concreto. Aureolus. Capreolus. Caietan. Probat, quia plura dicuntur de Patre, & non de paternitate, aut è contrà. Pater enim generat, non paternitas; & hæc secundùm se totam distinguitur realiter à filiatione, non verò Pater, quia habet essentiam communem: & idem erit in omnibus ipsis concretis & abstractis diuinis.

Dico primò, In Deo sunt notiones, & in nostro 3.

intellectu vel voce datur repræsentatio, vel significatio notionum. Sic Theologi communiter cum

Magistro in 1. dist. 26. & cum S. Thoma in hac Magister. quæst. 32. art. 2. Sic Patres apud Vasquium disp. Vasquez. 136. cap. 2. & apud Suarium lib. 5. de Trinit. cap. Suarez. 9. Probatur, quia notiones sunt proprietates personarum, quibus illas distinguimus inter se, sigillatimque cognoscimus. Sed in Deo sunt proprietates, quibus personæ non modò distinguuntur inter se, sed etiam discernuntur à nobis, id est, cognoscuntur esse distinctæ, ac singulæ dignoscuntur

tur in particulari: cùm enim non videamus illas in seipsis, oportuit formalitates aliquas ratione nostra præscindere, quæ notificant propriam cuiusque personæ quidditatem, & differentiam: ergo dantur notiones etiam obiectiuæ in Deo. Vnde colligo sicut diuina attributa sunt realiter in Deo quoad perfectiones per illa significatas, attributi verò denominationem & distinctionem actualem solùm habent ab Intellectu distinguente & attribuente vnum alteri; sic notiones quoad rem significatam esse realiter in personis, quoad denominationem verò notionis dicere de formali solùm ens rationis, quoniam abstracta diuina per solum intellectum nostrum distinguuntur actualiter à concretis,& significantur modo proportionato ad notificandas nobis proprietates personarum.

4. Ad fundamentum primæ sententiæ satis constat ex lib. 1.disp.16.quomodo non deroget simplicitati diuinæ distinctio rationis, aut etiam

Bernard. virtualis. Imò D.Bernardus serm. 80. in Cantica contêdit contra Præpositiuum congruentiùs Deo tribui abstracta, quæ per notiones importantur; quia significant formas omnino simplices ideóque Concilio Rhemensi dicit suspectam fuisse interpretationem Præpositiui somentis abstracta pro concretis, cùm veriùs, & saniùs concreta sumi debeant pro abstractis, nempe Deus est bonus, id est, ipsa bonitas,&c. Ad secundam etiam sententiam constat ex lib.1. disp.16. & 17. quomodo distinctio virtualis, aut rationis sufficiat ad diuersitatem prædicatorum, & prædicationum; sed adhuc pro maiori prædicationum istarum explicatione.

5. Dico secundò, licèt conceptus, quos de notionibus efformamus, vocari possint notiones, nempe formales, tamen magis propriè, communiúsque dicuntur notiones ipsi conceptus obiectiui. Quare sicut conceptus vt talis est, connotat necessariò formalem à quo denominetur, ita notio dicit in recto proprietatem, quam apprehendimus in persona diuina, connotat autem in obliquo nostram cognitionem proprietatis illius;

Basilius. Sic sentit planè Basilius epistola 43. dum ait. *Notionem esse cognoscibile signum*, id est, quo cognito discernimus personas, & rationem,subdit infrà dicens: Quia ergo necessarium est diuinas personas vt distinctas cognoscere, ideò etiam necesse est vt per quasdam proprias notiones inconfusas habeatur in Trinitate comparatio. Sic etiam docent Nyssenus, Hilarius, Nazianzenus apud Vasquium suprà.

6. Dico tertiò; Hæ notiones rectè concipiuntur, & explicantur nominibus abstractis. Probatur primò auctoritate, quia nominibus abstractis paternitatis, filiationis, processionis, innascibilita-

Damascen. tis, & aliis vtuntur Damascenus lib. 4. de fide

Sophron. cap.9.& 11.Sophronius in sua epistola in VI.Sy-

Ioan.Theol. nodo act. 11. Ioannes Theologus in Florentino

Hilar. Basilius. sess. 18. Hilarius lib. 9. de Trinit. Basilius lib.2.

Cyprian. contra Eunomium,Cyprianus, Anastasius,& alij.

Athanasius. Probatur secundò ratione, quia conceptio diuinarum proprietatum aut notionum in abstracto non solùm non repugnat, imò est conformior diuinæ simplicitati, vt ex Bernardo notabam suprà num. 4. Nam abstracta concipiuntur à nobis vt simpliciora; ideoque frequenter in Scriptura tribuuntur Deo, qui dicitur veritas, Charitas, sapientia, Iustitia, Virtus; ita enim Deus est sapiens, vt sit ipsa Sapientia per essentiam,quamuis abstractè concipiatur. Igitur concipimus abstracta in Deo ad significandam eius simplicitatem, vel ad faciliùs percipiendam conuenientiam, & differentiam personarum; concipimus item concreta ad significandam perfectionem, & subsistentiam diuinam,quæ nisi in concreto non significatur à nobis.

Vnde infero primò cum Vasquio 1.part.disp. 7.

136.num.2. in omni concreto, & abstracto, ne Vasquez.
sint nomina prorsus synonyma, debere aliquid significari per vnum directè, quod non significetur per aliud (excipio nomina transcendentia, vbi forsan concretum & abstractum synonyma sunt, vel differunt ex solo modo significandi) & quidem in creatis communiter in concretis importatur habens,quod realiter distinguitur à forma habita ratione subsistentiæ distinctæ modaliter à natura; quare nec identicè prædicantur, homo est humanitas, album est albedo; in diuinis autem cùm synonyma non sunt, vel omninò transcendentia, per concretum importatur habens ratione distinctum à forma habita ratione personalitatis, aut alterius formalitatis virtualiter distinctæ v.g. *Deus* principaliter significat naturam, materialiter tamen suppositum, quod ratione distinguitur à natura diuina,& nullo modo significatur hoc nomine *Deitas*; *Pater* principaliter significat paternitatem, minùs principaliter Deitatem quam nullo modo significat *Paternitas*, & idem est de aliis. Vnde facilè diluitur fundamentum Aureoli: nam eo ipso quòd diuersus conceptus obiectiuus respondeat concreto,quàm abstracto, fit vt non omnia, quæ de vno prædicantur,prædicentur etiam formaliter de alio,iuxtà ea quæ diximus de attributis lib.1.disp.16.cap. 9.Hæc enim propositio *paternitas generat* redderet hunc sensum; Ea ratio præcisè prout obiicitur nostro conceptui paternitatis, generat; hoc autem est falsum: nam vt sic per talem conceptum non repræsentatur Deitas quæ requiritur formaliter ad rationem generantis etiam vt *quo* iuxtà suprà dicta disp.5.cap.3.

Infero secundò cum Canariensi, & Vasquio 8.

suprà cap.3. & cum S.Thoma in hac quæst. 32. art. 2. ad secundum, prædicata quæ significant actionem, vel essentialem, vt sunt intelligere, velle, creare, vel notionalem, vt sunt generare, spirare,dicere, non prædicari de notionibus:nam hoc repugnat modo significandi earum (inquit S. Thomas) id est, sensui formali, qui per hæc verba adiectiua fit: at in sensu formali prædicantur actiones, vel de concretis, quatenus actiones sunt suppositorum, vel de abstractis, si hæc sunt illarum principia formalia;secùs de aliis,quæ nec sunt principium *quòd* cùm non sint supposita, nec principium *quo*, cùm non sint ratio formalis operandi; Quapropter hæc propositio est falsa *Paternitas intelligit, aut creat, aut spirat.* Videantur suprà dicta lib.1.disp.16.cap.9. ea tamen, quæ non significant actionem, vel aliunde non faciunt sensum formalem, possunt prædicari de notionibus, scilicet per Verbum substantiuum: nam in his (inquit S.Thomas) frequenter fit sensus identicus, & in Deo concreta non distinguuntur realiter ab abstractis: sic dicimus *Paternitas est Pater, est res quæ generat.* Quæ omnia maximè nituntur communi modo significandi,& loquendi sapientum, vt notat Suarez lib. 6. de Suarez.

Trinit. cap.7.num.5.

CAPVT

CAPVT II.

Notiones esse quinque duntaxat.

1. Basilius. PRima sententia potest esse, spirationem non censeri orationem, ac subinde non esse tot notiones numerandas, Probatur primò ex Basilio epist. 43. dicente, Patrem & Filium non communicare inter se in propriis notionibus; sed communicant in spiratione actiua: ergo hæc non est notio. Secundò; nam hæc relatio supponit iam constitutas personas: ergo & distinctas: ergo per illam non distinguuntur, ac subinde, nec à nobis discernuntur per spirationem.

2. Secunda sententia potest esse, dari solùm quatuor notiones iuxta numerum relationum. Probatur primò, quia notiones ponuntur ad dignoscendas personas, prout in se constituuntur, & discernuntur. At solis relationibus constituuntur & distinguuntur in seipsis: ergo solæ relationes possunt esse notiones. Probatur secundò, quoniam innascibilitas est negatio: sed negatio non potest esse notio: ergo innascibilitas non potest esse notio: Maior patet ex ipso nomine. Minor probatur, quia notio significare debet aliquam dignitatem eius personæ, quam notificat, vt docet S. Thomas in hac quæst. 32. art. 3. sed negatio nulla est dignitas: ergo non potest esse notio.

3. Scotus. Tertia sententia est Scoti in 1. dist. 28. quæst. 1. superaddentis sextam aliam notionem, quæ sit *inspirabilitas*, quia sicut Pater innascibilis, ita Filius est inspirabilis, & eadem ratione possent aliæ notiones multiplicari: nam Spiritus sanctus est ingenerabilis, id est, non producibilis per veram generationem, est improductiuum, & filius est non generatiuus. Deinde per origines etiam distinguuntur personæ, sicut per relationes: ergo sunt etiam notiones: Item Filius & Spiritus sanctus conueniunt in ratione procedentis: ergo hæc erit alia notio: ac per consequens non sunt quinque duntaxat.

4. Dicendum tamen est, notiones esse quinque, nec plures, nec pauciores. Ita Theologi communiter cum S. Thoma in hac q. 32. art. 3. & præter rationem ibi factam, probatur ex vsu Patrum, quos capite præcedenti citauimus. Præterea quia tres proprietates consideramus in Patre per quas illum discernimus à Filio, & Spiritu sancto, scilicet per *innascibilitatem* ab vtroque, quia neutet est innascibilis, id est, improducibilis, sicut Pater per *paternitatem* à Filio, per candem paternitatem, & *spirationem* à Spiritu sancto. In Filio duas consideramus proprietates, alteram cum Patre communem, scilicet spirationem, per quam discernimus etiam Filium à Spiritu S. alteram sibi propriam, scilicet filiationem, per quam discernimus illum à Patre, & ab Spiritu S. Ceterum in Spiritu S. vnicam reperimus proprietatem, videlicet *processionem*, per quam illum distinguimus à Patre & Filio: ergo sunt quinque tantū notiones, quod amplius constabit solutione argumentorū.

5. Ad primum primæ sententiæ respondeo Basilium ibi non loqui generaliter de omnibus notionibus, sed specialiter de his quæ sunt proprietates personales: vtitur enim nomine proprietatis, quod non tam latè patet, ac nomen, seu ratio notionis: & quidem proprietas dupliciter sumitur. Primò, strictè pro relatione propria cuiusque personæ solam illam constituente, quo sensu loquitur Basilius; & sic sunt tres duntaxat proprietates, atque spiratio actiua non est proprietas. Secundò, magis latè pro ratione quapiam, vel relatione non conueniente personis omnibus, nec illas omnes complectente; siue conueniat vni soli, siue duabus; & hoc sufficit ad rationem notionis: sic dicimus, quidquid in Deo non est essentiale, & commune, esse notionale, ac proprium. Ad secundum respondeo relationem spiratoris saltem transcendentalem formaliter distinguere Patrem & Filium ab Spiritu sancto, quod sufficit ad rationem notionis.

Ad primum secundæ sententiæ, concessa maiori, distinguitur minor. Distinguuntur solis relationibus positiuè, concedo; negatiuè, nego; Præter notiones enim affirmatiuas, quæ cum quatuor relationibus coincidunt, addenda fuit alia notio negatiua; quia cùm necesse sit ad diuinas processiones supponi personam aliquam improductam, quæ sit primum principium ceterarum, nec hæc conditio primi principij explicaretur per paternitatem aut spirationem, quia patres apud nos non solent esse personæ improductæ, oportuit addere notionem aliam primæ personæ propriam, quæ hanc illius prærogatiuam notificaret, nec commodè potuit nisi per negationem explicari. Quare ad secundum dicimus, licèt innascibilitas significet negationem de formali, tamen notificare fundamentum illius negationis, quod positiuum est, & magna dignitas Patris, habere scilicet personalitatem per se coniunctam diuinitati, & ab illa proximè manantem virtualiter sine productione reali, vnde Pater dicatur fons diuinitatis. Nec nouum est per negationem exprimere positiuam perfectionem, præsertim in diuinis, vbi iuxta doctrinam Dionysij faciliùs explicamus per negationes attributa, vel prædicata positiua propter illorum simplicitatem. 6.

Ad Scotum respondeo consistere rationem discriminis in hoc, quòd per innascibilitatem explicamus specialem dignitatem Patris, quæ per alias notiones non satis aperiebatur: At omnes aliæ negationes, quæ recensentur ibi, vel non dicunt dignitatem aliquam, vel saltem non dicunt quid positiuum, quod per alias notiones non satis exponatur, vt facilè constabit discurrenti. Origines etiam licèt sint notiones, sicut sunt etiam relationes transcendentales, tamen non augent numerum notionum, sicut nec relationum, quoniam idem omninò notificant, ac aliæ notiones fereque solùm differunt in modo significandi per modum viæ, cùm relationes & notiones meliùs significentur per modum formæ. Plurimùm enim pendet ratio notionis ex modo significandi, & ex communi acceptione vsuque Doctorum. 7.

Hinc colligo in diuinis dari proprietates personales, relationes, & notiones; & ita se habere inter se se, vt omnis proprietas personalis sit relatio, omnis relatio sit notio, non autem è contra: nec enim omnis notio est relatio, nec omnis relatio est proprietas personalis, vnde hæc est ratio inferior, relatio superior, notio suprema. Proprietas personalis est id per quod constituitur persona; & ita proprium vniuscuiusque, vt illi soli conueniat cuiusmodi sunt tres *Paternitas*, *Filiatio*, & *Processio*. Relatio est ratio referendi ad aliud, & præter tres supradictas datur quarta in diuinis scilicet *spiratio actiua*. 8.

Notio verò extenditur ad omnem rationem personarum propriam per quam dignosci possint, & ita quatnor suprà dictis additur quinta notio, videlicet innascibilitas.

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

QVÆSTIO XXXIII. S. Thomæ.

De Personis in speciali.

POst communes personarum rationes, iam descendit S. Doctor ad illas sigillatim enucleandas.

ARTIC. I.

Vtrùm competat Patri esse principium.

August. COnclusio affirmat, & probatur primò auctoritate Augustini lib. 4. de Trinit. dicencentis, Patrem esse principium totius Deitatis. Secundò, ratione, qnia hoc nomen *principium* communius est quàm causa, & solùm significat id, à quo procedit aliquid quocumque modo.

ARTIC. II.

Vtrùm hoc nomen Pater sit nomen propriè diuina persona.

COnclusio affirmat; Ratio est quia nomen proprium cuiusuis personæ significat id per quod talis persona distinguitur ab omnibus aliis; sed hoc nomen *Pater* significat paternitatem, per quam distinguitur persona Patris ab omnibus aliis: ergo est proprium illius. Quæ ratio licèt solùm probare videatur esse proprium vt opponitur communi, tamen ex solutionibus argumentorum colligit benè Caietanus sumi etiam proprinm hic, vt opponitur metaphorico, & extraneo, frequenter enim contingit, vt docet S. Thomas hic ad quartum aliquod nomen per prius esse impositum ad significandam rem aliquam creatam, & tamen propiius, & principalius significare rem increatam, cùm dicitur in diuinis.

ARTIC. III.

Vtrùm nomen Pater *dicatur in diuinis per prius, secundùm quod sumitur* personaliter.

COnclusio affirmat, quia nomen per prius dicitur de eo. in quo saluatur tota ratio nominis perfectè, quàm de eo in quo saluatur secundum quid: in Deo autem respectu Verbi reperitur perfecta ratio paternitatis, non vtique respectu creaturæ, sed solùm secundùm similitudinem: ergo per prius dicitur Pater notionaliter quàm essentialiter, non solùm prioritate perfectionis, sed etiam prioritate naturæ. Itaque nomen *Pater* dictum de prima persona respectu secundæ & de tota Trinitate respectu Creaturarum est analogum ad summum attributionis, vt docet Vasquez in præsenti.

* * *

ARTIC. IV.

Vtrùm esse ingenitum sit Patri proprium.

COnclusio affirmat, & probatur auctoritate Hilarij 4. de Trinit. & prætereà, quia Pater Hilar. est principium non de principio, & quantum ad hoc innotescit per proprietatem innascibilitatis, quam significat hoc nomen ingenitus.

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

DISPVT. XIV.

De Persona Patris.



AB hac quæst. 33. vsque ad 38. inclusiuè tradit Angelicus Doctor ea, quæ pertinent ad cognitionem diuinarum personarum in particulari; Et primæ personæ tria tribuit peculiaria, videlicet esse principium, esse Patrem, & esse ingenitum, quæ sigillatim sunt expedienda.

CAPVT I.

Primam personam esse principium & Patrem.

1. DAri quidem in diuinis principium ad intra probant ea, quæ pro confirmatione huius mysterij adducta sunt disput. 1. & per consequens est de fide rationem, ac nomen principij commune esse Patri, ac Filio. Sic docent Scholastici, & definitur in Concilio Lugdunensi sub Cōcil. Lugd. Gregorio X. referturque in cap. 1. de summa Trinitate, in 6. Vbi dicitur Spiritus sanctus procedere à Patre, & Filio, vt ab vno principio. Idem habetur in Florentino in litteris Vnionis, Conc. Flor. & docet Augustinus 5. de Trinit. cap. 13. aliique August. Patres. Ratio sumitur ex definitione principij, quam tradit Aristoteles 5. Metaphysicæ cap. 1. vbi post sex acceptiones principij ait. *Principium, est vnde est aliquid, aut fit, aut cognoscitur.* Vnde S. Thomas sic format argumentum. Principium est id, à quo aliquid procedit quocunque modo, in qua ratione principij sic abstracta nulla clauditur essentialiter imperfectio: ergo tam certum est dari principium in diuinis, & conuenire Patri, atque Filio, ac est certum produci, seu procedere diuinam personam ab alia, videlicet à Patre duas, & à Filio vnam.

2. Quare dico primò, principium generaliter sumptum non est proprium attributum Patris, vt ratio facta probat, & docet Florentinum suprà dicens Filium etiam esse principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem. Attamen esse principium sine principio, vel esse primum principium in illo ordine est proprium Patri. Sic definitur in Concilio Syrmiensi canon. 23. Conc. Syrm. Ideò Filius dicitur principium de principio, vel à principio, vt loquitur S. Thomas hic art 4. Pater verò dicitur fons, & origo totius Deitatis, fontana Deitas, & fontalis plenitudo: sic enim loquuntur Dionysius de diuin. nom. cap. 2. part. 1. Dionys. Athanasius oratione contra Gregales Sabellij, Athanasius.

Augustinus

Augustinus. Bonauent. Conc. Tol. VI & XI. Augustinus 4. de Trinit. cap. 2. Bonauentura in 1. distinct. 29. Concilium Toletanum VI. & XI. in confessionibus fidei, non quia procedat à Patre Deitas, aut producatur: nam in cap. *Damnamus* de summ. Trinitate anathematizatur qui dixerit essentiam generari, vel produci: sed quia Pater Deitatem aliis personis communicat. Vnde Deitas ibi non significat proprium terminum relationis principij, cùm non distinguatur realiter à principio, sed terminum formalem, seu naturam, in qua tale principium se se communicat. Magister. Suarez. Ita ferè Scholastici cum Magistro in 1. dist. 29. & Suarez lib. 8. cap. 3. num. 3.

3. Potest etiam in ea locutione sumi nomen abstractum *Deitas* pro concreto *Deus*, sicut sumpsit Augustinus, cùm dixit, Filium esse sapientiam genitam de sapientia generante, lucem de luce, Deitatem de Deitate, sensúsque est Patrem esse principium omnium personarum diuinarum, distributione scilicet accommoda, vt Bonauent. notat Bonauentura ea distinct. 29. in expositione litteræ, sicut cùm dicimus cælum continet Concil. Florent. omnia, videlicet alia à se; sic Florentinum sess. 25. in litteris vnionis vocans *Patrem fontem, & principium totius Deitatis*, addit pro explicatione *Filij scilicet & Spiritus sancti*. Sic etiam Conc. VVormaciense. Concilium VVormaciense in confessione fidei Patrem appellat principium totius Trinitatis, intellige non condistinctum ab illa, sed in ea contentum, tanquam prima persona, vnde emanant aliæ duæ. Hæc tamen posterior locutio non est sine explicatione vsurpanda, quia minus vsitata est; prior iam est vsu Patrum, & Theologorum emolita.

4. Augustinus. Hilarius. Augustinus lib. 3. contra Maximum cap. 4. & Hilarius lib. 4. de Trinitate, non longè ab initio Patrem vocant authorem filij. S. Thomas in 1. dist. 29. quæst. 1. artic. 2. vocem istam admittit, & addit soli Patri conuenire, quia signi- Caietan. Hilarius. ficat primum principium, quod sequitur Caietanus hic artic. 1. sed cùm idem Hilarius lib. 2. de Trinit. dicat à Patre, & Filio authoribus confitendum esse Spiritum sanctum, poterit nomen illud extendi quidem ad filium, qui est princi- Phœbadius. pium de principio; Ideo Phœbadius libro contra Arrianos, qui habetur tom. 5. Bibliothecæ, Patrem appellat auctorem sine authore, videa- Cumel. tur Cumel. hic.

5. Bonauent. Bonauentura in 1. dist. 29. art. 1. quæst. 1. ad 2. docet nomen *initium*, si sumatur pro primo principio posse tribui Patri; quia tamen illa non est propria nec vsitata significatio talis vocis; Magis enim videtur initium significare durationis aut existentiæ exordium, ideò cauenda est: Et Hilarius. Concil. Tolet. II. VVormac. Magister. quidem Hilarius lib. 4. de Trinitate, Concilium Toletanum II. & VVormaciense suprà. potiùs denegant initium diuinis personis. Videantur Magister in 1. distinct. 29. & S. Thomas ibi: Nomine causæ vsi sunt Græci, quia latiùs sumitur apud illos, respuunt tamen Latini. Videantur Concil. Flor. Vasquez. Florentinum sessio. 25. in litteris vnionis, & in oratione Bessarionis, & Vasquez disp. 139. cap. 6.

6. Notandum tamen est, rationem primi principij, quam dicimus Patri propriam, non esse notionem distinctam à suprà positis dispnt. 13. quia notio *principij* non est alia, quàm paternitas & spiratio, quæ determinant essentiam ad esse in Patre principium gignendi & spirandi. Notio verò *primi* est innascibilitas, quæ declarat hoc principium non esse ab alio, ac per consequens esse primum.

Franc. de Lugo in 1. part. D. Thomæ.

7. Dico secundò, esse Patrem, & spiratorem est proprium primæ personæ; esse quidem Patrem, vt distinguitur à secunda & tertia persona, quarum neutra est Pater; esse verò spiratorem vt distinguitur solum à tertia: nam etiam secunda est spirator. Quapropter inter has relationes Paternitas est simpliciter prima proprietas Patris, imò sola proprietas personalis, vt constat ex suprà dictis disp. 13. docetque Suarez lib. 8. de Suarez. Trinit. cap. 1.

8. Bonauent. Quòd si quæras, qua ratione conueniat Patri esse Patrem, ex quáue radice proueniat? Bonauentura in 1. distinct. 27. putat ex generatione prouenire, ductus argumento ex creaturis desumpto, & quoniam ipse personas originibus constituit. Alij dicunt prouenire paternitatem ex intellectione essentiali maximè qui censent generationem actiuam esse solam paternitatem, vt promanantem ab intellectu, vel intellectione essentiali per modum actionis physicæ. Hæc omnia refellit suprà Suarius; ipseque docet hanc primam proprietatem immediatè consequi ad naturam diuinam ex eo solùm quòd natura substantialis est, ac subinde radix immediata subsistentiæ sibi connaturalis, idque iuxta modum existendi Deitatis in tali persona: nam si Deitas est in diuina persona per productionem realem personæ, ex vi talis productionis emanat personalitas: at verò si Deitas existat in persona immediatè sine productione reali, per semetipsam, & immediatè secum afferet talem personalitatem.

9. Si rursus inquiras, cur ea prima, & immediata personalitas sit paternitas? Respondeo, propter fœcunditatem naturæ diuinæ, quæ est essentialiter intellectualis, & communicabilis radicaliter per operationes vitæ intellectualis cum summa identitate Deitatis, non potuit eius personalitas esse absoluta, sed relatiua, & accommodata primæ operationi talis naturæ, per quam operationem primò communicatur natura diuina, quæ est intellectio: & huic propria generatio viuentis, ac subinde relatio paternitatis correspondet. Videantur, quæ de hac essentiali communicabilitate naturæ diuinæ diximus suprà disp 8. cap. 4.

CAPVT II.

Patrem esse propriè ingenitum.

1. INgenitum tripliciter vsurpatur à Patribus. Primò, vt significet quod non est factum, seu causatū ab alio, quo sensu omnes diuinæ personæ Damascen. dici possunt ingenitæ, vt docet Damascenus 1. de fide cap. 9. Secundò, sumitur vt significet negationem generationis, seu natiuitatis propriè dictæ, quo sensu potest etiam Spiritus sanctus ingenitus appellari, vt tradunt Athanasius Athanas. Nazianz. dialogo 1. contra Anomæos, & Nazianzenus oratione de Epiphania. Tertiò, sumitur pro negatione omnis originis, & productionis, vtcumque, Concil. Tol. VI & XI. VVormac. Damasus. Iust. & alij. quo sensu proprium esse attributum & notionale Patris docent Concilia, & Patres. Videantur Toletanum VI. & XI. & VVormaciense in confessionibus fidei. Damasus, Iustinus, Hilarius apud

Suarez. Suarium lib.8.de Trinitate, cap.2. Ideò Nazian-
Nazianz. zenus orat. 35. n.36. dixit genitum & ingenitum
non esse immediatè opposita, vt explicat Nicetas
ibi, quia neutrum de Spiritu sancto dicitur, in hac
videlicet ingeniti significatione.

2. Si opponas, etiam hoc modo *ingenitum* non
est proprium solius Patris, cùm conueniat etiam
Suarez. Deitati, quæ nullo modo producitur, Suarez suprà
n.4. respondet cum distinctione quadam negatio-
nis & priuationis, quæ sumi videtur ex S. Thoma
in hac quæst. 33. art. 4. ad 2. Sed mihi non placet,
quia nullam priuationem censeo concedendam
in diuinis, nec capacitas secundùm rationem ge-
nericam verè priuationem constituit, aliàs equus
esset priuatus rationalitate. Nec vrget exemplum
talpæ adductum à S. Thoma, quia plures existimāt
talpam habere potentiam visiuam, sed impeditam
ex dispositione organi, vel, vt ego reor, munitam
crassiori quadam tunica, ne lædatur ab humo, sub
qua latitat, ac subinde minùs expeditam visioni,
minùs expositam conspectui nostro. Respondeo-
dum igitur est cum eodem S. Thoma ibi in fine
solutionis ad 2. non competere diuinæ naturæ ra-
tionem ingeniti, quoniam est in Filio, & Spiritu
sancto ab alio, vbi S. Doctor insinuat ingenitum
in hoc sensu significare non solùm non esse pro-
ductum, sed nec esse communicatum vllo modo,
& sicut Pater dicitur principium Deitatis, quia
communicat illam, etsi non producat eandem, ita
quando negatur Patri posse habere principium,
negatur etiam hoc quod est posse communicari,
vel esse secundùm totam suam entitatem, idem
cum persona producta. Quod tetigit quoque
Suarius suprà.

3. Quæres autem quid significet ingenitum for-
maliter? Quidam asseruisse dicuntur, significare
de formali relationem quandam oppositam rela-
tioni geniti, quam censebant positiuam esse, sicut
relationem inæqualis & dissimilis, vt refert & re-
Bonauent. fellit Bonauentura in 1. dist. 28. q. 1. quia darentur
quinque relationes in Deo contra communē sen-
tentiam; nec apparet, quæ sit illa relatio, nec ad
Vasquez. quem terminum, nec cui fundaméto nitatur. Vas-
quez 1. p. disp. 137. n. 18. & disp. 140. c. 3. docet de
formali dicere negationem de materiali verò quid
positiuum, scilicet paternitatem sub peculiari
conceptu primæ originis, quo non additur relatio
Bonauent. realis noua, sed rationis. Bonauentura suprà q. 1.
Durand. 2. & 3. Durandus, & alij, quos pro se Vasquez ad-
ducit solùm dicunt ingenitum de formali dice-
re negationem, fundamentaliter verò aliquid
positiuum.

4. Dico primò, vocem *ingenitus* de formali signi-
ficare negationem omnis processionis realis, &
communicationis passiuè: Sic docent S. Thomas
Capreol. in hac q. 33 art. 4 Capreolus, Canariensis, Caieta-
Canariens. nus, Vasquez, & Suarez suprà, sic Toletanum XI.
Caietan. dixit *Si modum, quo Pater consistit, quæras, cùm eum*
Vasquez. *à nullo alio ortum videas, ingenitum appellabis.* Sic
Suarez.
Tolet. XI. Basilius lib. 5. contra Eunomium circa finem ait,
Basilius. *ingenitum, quod natum non sit demonstrat.* Et vide-
tur hoc esse per se notum ex ipso modo signifi-
candi. Quòd autem denotetur hac voce funda-
mentum aliquod positiuum illius negationis di-
Vasquez. rectè quidem, sed materialiter, vt inquit Vasquez
Suarez. disp. 140. n. 11. probat Suarez suprà n. 7. quoniam
hæc negatio non solùm actum, sed etiam capaci-
tatem originis negat in Patre, quare necessariò, &
ab intrinseco conuenit ipsi: Omnis autem nega-
tio sic competens alicui rei fundamentum equi-
dem habet in ipsius propria perfectione: ergo
hoc fundamentum reperitur etiam in prima per-
sona respectu talis negationis, & denotatur per
hoc nomen *ingenitus* materialiter.

Si petas, quid sit hoc positiuum fundamentum? 5.
Vasquez 1. part. disp. 137. & 140. contendit esse Vasquez.
quandam rationem positiuam repertam in Patre,
rationeque distinctam ab essentia, & paternitate,
rationem videlicet primi principij, seu fontalis
plenitudinis, vt loquitur Bonauentura suprà, & Bonauent.
dist. 24. Sic etiam Nazianzenus, Basilius, Cyrillus, Nazian.
& Damascenus apud Vasquium ea disp. 137. c. 5. & alij.
dicunt ingenitum significare modum existendi
primæ personæ. Modus autem existendi positiuum
quid est. Quòd autem sit ratione distinctum à pa-
ternitate probatur, quoniam hæc vox indicat spe-
cialem primæ personæ dignitatem: hæc autem ra-
tione debet distingui à paternitate: nam alioquin
non esset notio diuersa ab ipsa: ergo datur fun-
damentum talis negationis aliquo modo distin-
ctum à paternitate, atque significatū hoc nomine.

Secunda sententia docet hanc negationem 6.
fundari in personalitate primæ personæ, qua-
tenùs est principium generationis & spiratio-
nis simul. Tribuitur Bonauenturæ in 1. distinct. Bonauent.
28. quæst. 1. Durando, & Hispalensi ibidem. Durand.
Probatur, nam ex eo quod Pater sit principium Hispalens.
vtriusque processionis, benè deducitur quòd
sit ingenitus, & innascibilis, ac subinde quòd
habeat negationem omnis originis personalis:
Quia si à Patre procedit omnis origo personalis;
ergo ipse carere debet omni origine personali
passiua.

Tertia sententia tenet, oriri negationem istam 7.
ex sola paternitate; sic Albertinus tom. 2. in Albertinus.
prædicamento relationis corollar. 13. dubit. 2.
Probatur contra secundam sententiam: nam
prima persona in illo priori, quo concipitur es-
se Pater, nondum concepta relatione spirato-
tis, iam concipitur cum illa perfectione existen-
di prorsus à se, etiam personaliter: ergo cum
sufficienti fundamento negationis istius; quo-
niam ipsa paternitas à nullo est per originem,
quapropter in se claudit innascibilitatem, seu
negationem fundamentalem omnis originis tan-
quam rationem notionalem propriam primæ
personæ; Quippe relatio spiratoris etiam repe-
ritur in secunda persona sine tali negatione;
imò cum opposito positiuo, scilicet cum na-
tiuitate.

Dico secundò, fundamentum talis negatio- 8.
nis nec esse diuinam essentiam, nec spiratio-
nem: nam vtraque est communicabilis, quam
rationem excludit prædicta negatio; sed esse pa-
ternitatem, quæ nec producitur, nec commu-
nicatur, ac subinde ratione paternitatis est Pa-
ter improducibilis, & incommunicabilis, quod
est esse ingenitum. Hæc autem ratio, qua pa-
ternitas fundat negationem istam, non distin-
guitur à ratione, qua est paternitas. virtuali-
ter, vel ratione præcisiua, sed solùm ratione
non præcisiua penes implicitum, & explici-
tum: explicat enim conceptus ingeniti pro fun-
damento negationis illam prærogatiuam Pa-
tris de qua diximus disput. 15. cap. 2. num. 6.
quam non explicat conceptus paternitatis. Quòd
autem illud fundamentum non possit esse rela-
tio rationis, vt dicebat Vasquez, ostendit Sua- Suarez.
rez lib. 8. cap. 2. num. 11. quia relatio ra-
tionis non dicit maiorem dignitatem, quam
negatio:

negatio: ergo si propter dignitatem ibi denotatam additur negatioi fundamentum positiuum, non debet istud poni relatio rationis. Quòd si recurras ad fundamentum huius relationis, id non potest esse nisi paternitas; imò nec intelligitur ad quem terminum tendat talis relatio, nec ad quid deseruiat.

9. Ad fundamentum primæ sententiæ iam constat, cur distinguatur notio innascibilitatis à paternitate, nimirum quoniam explicat eam dignitatem, quam paternitas dicit implicitè. Ad fundamentum secundæ sententiæ patet ex tertia quomodo relatio spiratoris nihil conferat ad rationem primi principij. Tertia verò sententia non est contra nos, nec Suarez suprà: licet enim videatur sub disiunctione adhærere secundæ sententiæ num. 9. tamen infrà num. 12. in solam paternitatem refundit fundamentum istius negationis.

10. Dices, etsi Filius non generaretur solùm, sed etiam generaret simul, & esset pater, adhuc non esset ingenitus: ergo paternitas non fundat negationem geniti. Rursus, si daretur in Deo solùm vna persona, non esset Pater, & tamen esset ingenita: ergo. Respondeo posito impossibili sequi quodlibet; sicut si possibilis esset alius filius, filiatio non esset proprietas personalis Verbi, non tamen inde variari significata propria; quod in nomine *ingenitus* est id, quod de facto, & de possibili fundat in diuinis negationem geniti, nec potest esse aliud, quàm paternitas.

11. Si dicas iterum; priùs est secundùm rationem nostram primam personam esse in se, quàm generare: sed eo ipso quod intelligitur esse in se, intelligitur non esse ab alio; siquidem habet esse quoque notionale prorsus à se: ergo priùs est esse ingenitum, quàm esse Patrem, ac subinde non potest negatio geniti fundari quidem in paternitate. Iam profectò tangis difficilem personarum diuinarum constitutionem, de qua dicendum est inferiùs ex professo quæst. 40.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

QVÆSTIO XXXIV. S. Thomæ.

De persona Filij.

ARTIC. I.

Vtrùm Verbum in diuinis sit nomen personale.

CONCLVSIO affirmat, & probatur, quia Verbum dicitur in Deo, propriè, quatenùs significat conceptum mentis secun- Augustinus. dùm Augustinum lib. 15. de Trinitate, cap. 10. sed conceptus mentis de sua ratione habet, quòd ab alio procedat: ergo in diuinis dicitur tantùm personaliter, cùm procedens ab alio sit necessariò persona. Docuerunt equidem S. Thomas in 1. Capreolus. Ferrara. dist. 27. quæst. 2. art. 2. Capreolus ibi quæst. 2. art. 1. concl. 4. & Ferrara 4. contra Gent. cap. 13. Verbum & personaliter, & essentialiter dici posse; Salas. quod amplexus est Salas 1. 2. tom. 3. de legibus tract. 14. disp. 2. sect. 1. num. 5. non decidens an vtraque Verbi acceptio sit propria necne: sed asserens Verbum personaliter sumptum constitui quidem ex cognitione diuina, & relatione

filij: essentialiter autem sumptum esse solam intellectionem diuinam; vt nostro modo concipiendi manat ex intellectu diuino, qua ratione omnes diuinæ personæ dicuntur interiùs loqui, seu dicere concepereque has vel illas veritates. Ceterùm re meliùs perpensa mutauit sententiam Angelicus Doctor hic docens cum Augustino, Magistro & aliis solùm notionaliter dici: Videantur Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 3. & Vasquez 1. p. Suarez. Vasquez. disp. 141. cap. 3. Fundamentum est quoniam in Scriptura solùm personaliter accipitur, & ex communi Patrum vsu significat terminum productum realiter locutionis.

ARTIC. II.

Vtrùm Verbum sit proprium nomen Filij.

CONclusio affirmat cum Augustino 6. de Tri- Augustinus. nitate, c. 2. Probatur quia solus Filius in diuinis procedit per intellectum. Videantur suprà dicta disp. 2. 3. 4. & 5. cap. 4. num. 28. Accedit Ioann. 1. *In principio erat Verbum.* & epist. 1. c. 5. Ioan. 1. Idē ep. 1. c. 5. & Apoc. 19. & Apoc. 19. *nomen eius erat Verbum.* & Patres ibi de Filio interpretantes contra Alogianos, qui propterea negantes diuinum Verbum simul Apocalypsim, & Euangelium Ioannis respuebant, & contra Arianos negantes Filium esse propriè Verbum intellectuale Dei, ne fateri cogerentur esse Deum; & contra Durandum in 1. dist. 27. quæst. 3. Durand. qui negans Filium procedere per intellectum, consequenter asserit non esse propriè Verbum, sed impropriè, eludens sanè proprium sensum Scripturarum, & Patrum, de quo diximus disp. 2. cap. 1. & 2.

ARTIC. III.

Vtrùm nomine Verbi importetur respectus ad Creaturas.

COnclusio affirmat, quia Verbum est expressiuum non solùm Patris; sed etiam creaturarum: ergo non solùm ad Patrem, sed ad creaturas etiam dicit relationem, scilicet transcendentalem realem: nec enim in corpore articuli meminit S. Thomas relationis rationis: nec videtur aliter constituere relationem Verbi diuini ad res possibiles, quarum videlicet est expressiuum necessariò, quàm ad dicentem, quem respicit realiter, & non per respectum rationis.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

DISPVT. XV.

Ex quarum rerum cognitione procedat Verbum.



OCCASIONEM præbet S. Thomas in hac quæst. 34. art. 3. ad 3. dicens non oportere, quod à creaturis procedat Verbum, licèt sit expressiuum creaturarum, quia non per scientiam à creaturis acceptam, sed per essentiam suam Deus cognoscit omnia creata.

CAPVT I.

Status controuersiæ.

1. SVppono quædam esse in Deo formaliter, quædam eminenter; formaliter insunt absoluta, qualia sunt essentia, natura, & attributa communia, actúsque liberi, siue voluntatis, siue scientiæ visionis, aut conditionatæ quoad illam formalitatem actus repertam in ipso Deo; insunt etiam formaliter relatiua, seu proprietates personales, aut notionales. Eminenter continentur Creaturæ secundùm triplicem statum, scilicet secundùm esse possibile, secundùm esse conditionatum, secundùm esse futurum absolutè, vel præsens, vel præteritum, & hæc omnia planum est comprehendi diuina cognitione.

2. Potest itaque primus sensus disputationis esse materialis, & identicus, seu specificatiuus, in quo certum est Verbum procedere quasi materialiter, identicè, ac specificatiuè ex cognitione comprehensiua rerum omnium, id est, ex cognitione reali, quæ est in Patre simplicissima intuitio, & comprehensio omnium intelligibilium etiam futurorum contingentium; Quis ambigat? Secundus sensus est formalis, & reduplicatiuus, Vasquez. quem Vasquez 1. p. disp. 142. c. 1. & alij sic accipiunt, vt quæramus, quæ intelligibilia concurrant ad productionem Verbi per modum obiecti motiui media essentia diuina vnita intellectui per modum speciei determinantis illum ad intelligendum, atque dicendum: sicut in creaturis obiectum, vel se ipso, vel media specie concurrit cum intellectu ad intellectionem, & productionem Albertin. Verbi; à quo vel parum differt, vel nihil, Albertinus tom. 1. in prædicamento relationis coroll. 14. dubit. 1. n. 3. dum ait, procedere quæstionem de obiectis cognitis, quæ se habeant vt principium productionis.

3. Ego faciliùs explico, & sit tertius sensus: supponimus enim ex supradictis disp. 5. intellectionem diuinam simul cum relatione paternitatis esse principium vt *quo* generationis passiuæ, & generationem ipsam actiuam; & tunc inquirimus, quarum rerum cognitio intelligatur esse ea, quæ formaliter constituit rationem potentiæ generatricis, & actiuæ generationis; ac subinde concipiatur prior origine, quam filius: nam ex illorum obiectorum notitia dicetur reduplicatiuè, ac formaliter procedere verbum diuinum: sicut enim volitio diuina creandi mundum procedit formaliter ex scientia simplicis intelligentiæ mundi, non ex scientia visionis, quia talis volitio supponit illam scientiam, non istam, sic Verbum ex eorum cognitione dicetur procedere formaliter, quorum notitiam necessariò præsupponat in generante.

CAPVT II.

Authorum sententia.

1. Scotus. PRima sententia est Scoti dicentis procedere Verbum ex cognitione solius essentiæ diuinæ: nam in 2. dist. 1. q. 1. art. 1. & 2. & quodlib. 14. docet non procedere ex cognitione creaturarum, & licèt expressè non excludat personas, tamen quoniam affirmat, procedere Verbum ex cognitione solius obiecti primarij quod est essentia, & in 1. dist. 27. quæst. 3. sentit personas diuinas non pertinere ad obiectum primarium diuinæ cognitionis, coniectant Vasquez suprà Vasquez. num. 4. & Suarez lib. 9. cap. 4. num. 2. exclu- Suarez. dere quoque cognitionem personarum, cognitionem autem attributorum, quæ Scotus distinguit formaliter ab essentia diuina, credit Vasquez suprà non excludi ab Scoto; sed meliùs Albertinus suprà num. 2. putat etiam excludi, Albert. & ego sumo coniecturam ex quodlib. 5. circa finem. Vbi ait, primum omnino in diuinis esse diuinam essentiam, Vnde suo ordine cætera emanent, primò, quidem intrinseca essentialia, quæ non dicunt respectum ad extra; secundò, notionalia, tertiò, creaturæ; condistinguit ergo à primario conceptu essentiæ etiam attributa absoluta, & per consequens ad rationem obiecti primarij diuinæ cognitionis non sentit pertinere. Est itaque Scoti sententia Verbum diuinum nec ex cognitione creaturarum, nec personarum, nec attributorum, sed ex notitia solius essentiæ diuinæ prout ab his omnibus condistinctæ procedere.

Probat Cumel hîc disp. 1. nouem argumentis, 2. & nonnullis confirmationibus, eorum summa Cumel. est, quòd intellectio diuina priùs intelligitur terminari ad suum obiectum primarium, quod est sola essentia diuina; sed vt sic terminata intelligitur fœcunda, & sufficiens ad generandum; nam Pater intelligendo gignit; sed tunc intelligit: ergo generat pro illo priori, ac per consequens ex solius essentiæ cognitione procedit Verbum diuinum.

Deinde specialiter probatur non posse pro- 3. cedere Verbum ex cognitione personarum, quia Verbum, & Spiritus sanctus pro illo priori signo, pro quo Verbum intelligitur produci, nō concipiuntur existere: ergo nec terminare cognitionem intuitiuam. Consequentia patet, quia cognitio, ex qua procedit Verbum, præsupponitur ipsi Verbo; Cognitio autem intuitiua Verbi ac Spiritus sancti supponit suum obiectum iam existens: ergo vel præsupponitur Verbum iam existens ante suam processionem, quod implicat cogitari, vel non procedit ex cognitione personarum: nec enim Pater potest sine Filio cognosci, nec Filius videri, antequam producatur, & multò minùs Spiritus sanctus ante productionem vtriusque.

Propterea est secunda sententia dicens pro- 4. cedere Verbum ex cognitione essentiæ, ac personarum; quæ tamen cognitio, quatenùs terminatur ad Verbum, & ad Spiritum sanctum, non sit intuitiua, sed quasi abstractiua. Hanc tribuit Cumel suprà conclus. 4. quibusdam Tho- Idem. mistis, & Vasquez refert attribui Caietano, sed Vasquez. immeritò. Ceterùm vterque reiicit illam, quia Verbum, & Spiritus sanctus sunt essentialiter existentes: ergo non possunt cognosci quidditatiuè, prout in se sunt, sine suamet existentia, essetque magna diuinæ cognitionis imperfectio, cognoscere vt futurum, aut vt possibile præcisè, quod nunquam est tale, sed semper existens essentialiter.

Tertia sententia est Vasquij suprà cap. 3. 5. & 4. & disput. 143. iuxtà suum sensum suprà Idem. cap. 1. relatum dicentis, procedere Verbum ex cognitione essentiæ, & attributorum, & Patris, ac Filij intuitiua, non verò Spiritus sancti, aut creaturarum: videtur enim ipsi argumentum Scoti

fortiùs

fortiùs procedere de Spiritu sancto. Probat primam partem suæ sententiæ, quoniam pro illo priori, quo Pater intelligitur fœcundus ad generandum, intelligitur cum essentia diuina, & cum omnibus eius attributis, & cum propria etiam personalitate, ac per consequens intelligens hæc omnia. Cùm ergo productio Verbi sit intellectio, & producere Verbum nihil aliud sit quàm intelligi; fit vt Pater intelligendo semetipsum, & intelligendo simul Verbum suum producat illud: nam intelligendo Verbum generat Filium.

6. Secundam partem probat à priori, quoniam ad productionem Verbi non præarequiritur cognitio Spiritus sancti, nec creaturarum: ergo non procedit ex illa, sed concomitanter se habet; antecedens probatur de Spiritu sancto, quia concipere possumus Patrem vt Patrem, & Filium vt Filium non considerata in eis relatione spiratoris, & subinde sine conceptu expressiuo Spiritus sancti; nihilominus intelligimus Verbum à Patre productum: ergo Spiritus sanctus & eius processio cognita non comparantur vt principium vllo modo præarequisitum ad productionem Verbi. De creaturis verò probatur idem antecedens similiter: nam essentia, vt potè omninò absoluta in se, potest perfectè cognosci pro illo priori, sine eo quòd cognoscantur creaturæ, cùm nullum ordinem realem importet ad illas, vt docet ipse Vasquez disp. 104. cap. 6. Vasquez.

7. A posteriori verò probat: nam aliàs sequeretur, Verbum esse imaginem Spiritus sancti, & creaturarum, quod est contra communem sensum Theologorum: sequela probatur, quia de ratione imaginis est quòd procedat ab eo cuius est similitudo; sufficit tamen vt procedat ab illo modo intelligibili, scilicet vt ab obiecto: sic imago equi v. g. dicitur imago ipsius, etsi solùm procedat ab equo vt ab obiecto modo intelligibili. Deinde quamuis vna vel altera creatura possibilis non esset, ac perinde non cognosceretur possibilis, non sequeretur per locum intrinsecum, aut Verbum diuinum non fore producendum aut alterius proprietatis, & naturæ futurum.

8. Suarez. Quarta sententia est quorundam Thomistarum, quos suppresso nomine refert Suarez lib. 9. cap. 6. num. 1. & Albertini suprà dicentium procedere Verbum ex cognitione essentiæ, ac personarum omnium intuitiua, non autem creaturarum, etiam vt possibilium. Prima pars probatur, primò, quia Verbum procedit ex paterna cognitione intuitiua & comprehensiua diuinitatis, alioquin non procederet ex cognitione perfectissima, & per consequens non esset Verbum perfectissimum; sed intuitio perfecta terminatur ad rem, prout est in se, & secundùm omnem perfectionem, & modum existendi illius, & multò magis comprehensio debet attributa omnia, & obiecti proprietates ambire: ergo intuitio & comprehensio Deitatis debet complecti modum existendi illius in omnibus personis, omnia item attributa, perfectionésque diuinas, quarum vna est fœcunditas, & communicabilitas ipsius, nec hæc videri potest sine personis, quibus illa natura communicatur.

9. Probatur secundò contra præcedentem sententiam, quia sicut non potest Pater comprehensiuè cognosci sub ratione Patris, quin cognoscatur simul Filius, cùm relatiua sint simul cognitione; sic similiter non potest cognosci Pater in ratione spiratoris, quin cognoscatur Spiritus sanctus: sed non potest Pater se comprehendere quin cognoscat omnem suam potentiam, etiam notionalem, ac subinde potentiam etiam spirandi, quia de intrinseca ratione paternitatis est vt sit spiratiua. Debet ergo ad perfectam cognitionem Patris includentis spirationem cognosci terminus, qui est Spiritus sanctus.

Secunda pars probatur primò, authoritate Anselmi in Monologio cap. 25. vbi agit ex professo de hac re, concluditque cap. 30. & sequentibus, Verbum diuinum non procedere ex creaturis etiam possibilibus secundùm proprias rationes, vt relatis Anselmi verbis ostendit Vasquez disp. 143. cap. 5. asserens etiam S. Thomam quæst. 4. de veritate art. 5. vbi ait Verbum principaliter, & quasi per se referri ad Patrem, sed ex consequenti, & quasi per accidens ad creaturas; & ad secundum inquit, Verbum non esse creaturæ, quasi sit à creatura; benè tamen esse de creatura, vel creaturæ, quoniam est illius repræsentatiuum tanquam obiecti. 10. Anselm. Vasquez.

Probatur secundò, præter argumentum tertiæ sententiæ, quia Verbum est magis necessarium quàm scientia possibilium: ergo non procedit ex illa; aliàs procederet ex re minùs necessaria, quàm sit ipsum, quod implicat: nihil enim potest habere maiorem necessitatem essendi quàm habeat principium vnde procedit. Antecedens probatur primò, quia creaturæ possibiles dicunt dependentiam à Deo in toto suo esse possibili, seu non repugnanti, saltem vt à causa exemplari: ergo non habent eandem necessitatem, quam Deus: Vnde si per impossibile non esset Deus, non essent creaturæ possibiles, etiam fundamentaliter, non autem è contra. Probatur secundò idem antecedens: nam Verbum cùm sit infinitum, est magis necessarium quàm possibilitas creaturarum, quæ est finita, & subinde quam scientia illarum, quia scientia non est magis necessaria, quàm suum obiectum. 11.

Quinta sententia est Caietani, Molinæ, Cumelis hîc art. 3. Canariensis quæst. 27. art. 5. disp. 1. part. 2. Suarij lib. 9. de Trinit. cap 4. & sequentibus, ac aliorum, quos refert, asserentium Verbum procedere ex cognitione essentiæ, omniúmque personarum (in quo conueniunt cum quarta sententia) & etiam creaturarum vt possibilium, non tamen vt existentium; siue absolutè, siue sub conditione. Probatur quoad creaturas possibiles primò authoritate Augustini 5. de Trinit. cap. 13. & 14. Vbi inter alia inquit. *Nouit omnia Deus Pater in sesipso, nouit in Filio, sed in sesipso tanquam sesipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de iis omnibus, quæ sunt in ipso.* Et 11. confess. cap. 7. ait. *Verbum sempiternè dicitur, & eo sempiternè dicuntur omnia.* Similiter Anselmus in Monologio à cap. 28. ad 44. ostendit Deum omnia dicere Verbo suo, quod ideò asserit esse perfectissimum, & verissimum respectu creaturarum, & in cap. 30. declarat Verbum non requirere creaturas futuras, sed simpliciter repræsentare creaturas. Expressiùs S. Thomas in hac quæst. 34. art. 1 ad 3. inquit *Pater intelligendo se & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia continentur, concipit Verbum, vt sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Idem sumitur ex art. 2. & 3. sæpè enim ipse ac alij Patres fatentur Verbo dici & exprimi creaturas, procederéque Verbum vt artem creaturarum, &c. 12. Caietan. Molina. Cumel. Canariens. Suarez. August. Anselm.

Probatur secundò: nam ad comprehensionem Dei 13.

Dei requiritur ſcientia creaturarum poſſibilium vt enim docet S. Thomas 1. contra Gent. cap. 49. per cognitionem comprehenſiuam debent cognoſci omnia, quæ ſecundùm naturam conueniunt Deo; ſed eſſe cauſam rerum conuenit Deo ſecundùm naturam: ergo ad comprehenſionem ſui debet Deus cognoſcere creaturas omnes tanquam in cauſa, in qua continetur eminenter, & virtualiter: ergo vt Verbum procedat ex comprehenſione Deitatis, procedere debet ex ſcientia poſſibilium.

14. Probatur tertiò: Siue Deus cognoſcat poſſibilia immediatè in ſeipſis, ſiue in ſeipſo, ſiue vtroque modo, de quo diximus lib. 1. diſput. 28. cap. 4. ea tamen cognitio eſt perfectio poſitiua neceſſaria, & infinita, & prior origine in Patre, quàm in aliis perſonis, quæ recipiunt à prima quidquid habent: ergo eſt fœcunda & productiua Verbi.

15. Probatur quartò: quia de ratione Verbi eſt procedere ex ſcientia eorum quæ Verbo dicuntur, ac ſubinde quorum eſt Verbum, ſiue procedat ex ſcientia in actu primo, ſicut in creaturis, vbi Verbum eſt à cognoſcente in actu primo per ſpeciem impreſſam, ſiue procedat ex ſcientia in actu ſecundo, vt in Deo, vbi eſt à cognoſcente in actu ſecundo, ſed Verbum diuinum eſt Verbum creaturarum, quæ illo ſempiternè dicuntur, vt conſtat ex Auguſtino, Anſelmo, & S. Thoma ſuprà: ergo procedit ex illarum cognitione. Maior patet; nam de ratione Verbi eſt produci à cognoſcente, vt cognoſcente ea, quæ Verbo exprimuntur, & per conſequens ab illorum cognitione: nam omnis alia cognitio impertinens eſt ad Verbum.

16. Confirmatur, & declaratur: nam ita procedit Verbum in Deo ex memoria fœcunda actuali ſcilicet in vltimo actu cognoſcendi, ſicut in creatura ex habituali, ſcilicet in actu primo & ſpecie impreſſa: ſed in creatura procedit ex ſpecie repræſentante in actu primo omnia, quæ per Verbum repræſentantur in actu ſecundo: ergo etiam in Deo procedit ex ſcientia omnium, quæ Verbo exprimuntur; ac ſubinde creaturarum ſaltem vt poſſibilium.

17. Quoad creaturas verò futuras abſolutè vel conditionatè probatur, non ſupponi cognitionem illarum generationi Verbi; primò, quia proceſſio Verbi eſt ſimpliciter & omninò neceſſaria, ſcientia verò viſionis, vel conditionata eſt ita contingens vt potuerit abſolutè non eſſe in Deo. Secundò, quia generatio Verbi eſt poſitiua & realis, ſcientia verò libera nihil reale addit neceſſariæ; Tertiò: nam actus liberi ſupponunt omnia neceſſaria, vt priora. Sed ſcientia viſionis ſupponit actus liberos diuinæ voluntatis: ergo ſcientia viſionis eſt poſterior proceſſione omninò neceſſaria; & per conſequens non poteſt ſupponi ad illam ex parte principij; imò cuncta decreta Dei libera, prout talia ſunt, non intelliguntur eſſe in Deo, donec Filius & Spiritus ſanctus ſint producti, quia ſicut actiones ad extrà ſunt indiuiſæ, ſic & actus liberi, à quibus actiones externæ proximè promanant. Quare loquendo formaliter, & in ſe Pater non prius ratione, vel origine habet decretum aliquod liberum quàm Filius, nec communicat Filio talem volitionem prout liberam, ſed communicat volitionem, quæ poſtquam in omnibus perſonis neceſſariò exiſtit terminata ad primarium obiectum ex conſenſu perſonarum omnium liberè terminatur ad hoc vel illud obiectum creatum: ergo tale decretum intelligitur eſſe poſt Filij proceſſionem: ergo multo magis ſcientia viſionis, quæ ſupponit volitiones liberas, & per conſequens non poteſt procedere Verbum ex ſcientia viſionis vt arguit Suarez cap. 7. num. 4. Suarez.

18. Sexta ſententia eſt quorundam Recentiorum, quos ſuppreſſo nomine refert Albertinus ſuprà Albertin.
num. 2. exiſtimantium non procedere Verbum ex cognitione creaturarum exiſtentium abſolutè, quia ſunt contingentes, procedere tamen ex cognitione omnium aliorum, quæ ſunt in Deo formaliter, vel eminenter, & ſimul ex ſcientia conditionalium: nam hæc eſt neceſſaria. Probatur ex diſcrimine inter futura conditionata & abſoluta; quia ſcientia conditionalis non ſupponit in Deo decretum liberum, ſed ſolam obiecti veritatem, ſeu futuritionem rei ſub tali conditione: ergo ex hac parte tam naturalis eſt hæc ſcientia, quam ſcientia ſimplicis intelligentiæ; prætereaque illa futuritio conditionata ſi vera eſt, in quocunque ſigno æternitatis vera eſt: ergo ſcientia quoque conditionalis, quæ terminatur ad illud obiectum iam exiſtit in eodem ſigno, ſubindéque præſupponitur productioni Verbi, quòd proptereà cenſendum erit ab illa ſcientia conditionalium procedere.

19. Septima ſententia docet procedere Verbum ex omni prorſus cognitione diuina, etiam, viſionis, ſeu libera, prout libera reduplicatiuè. Sic Valentia tom. 1. diſp. 2. quæſt. 8. punct. 2. & auidiùs hauſerunt nonnulli Recentiores. Probatur Valentia.
primò: nam Auguſtinus, Anſelmus. & S. Thomas relati num. 12. ſimpliciter aiunt Verbo diuino ſempiternè dici ac exprimi creaturas atque Patrem omnia intelligendo generare, nec excludunt creaturas abſolutè futuras. Imò illas comprehendunt vt de S. Thoma, & de Auguſtino fatetur Vaſquez diſp. 143. cap 6. loqui ſcilicet eos Vaſquez.
de creaturis poſſibilibus & ſimul de futuris, licèt aliter explicet pro ſe illorum teſtimonia. Prodit ſe ſatis Auguſtinus eo cap. 14. dum verbis ſupra Auguſt.
relatis ſubdit. *Omnia ſimiliter nouit Filius in ſe, ſcilicet tanquam ea, quæ nata ſunt de iis, quæ Pater nouit in ſeipſo; In Patre autem tanquam ea de quibus nata ſunt, quæ ipſe Filius nouit in ſeipſo.* Videatur idem Auguſtinus lib. 83. quæſtionum Idem.
quæſt. 63. & Pſal. 44 ad illa verba, *Eructauit cor meum, &c.* & in Pſal. 61. ad illa verba, *ſemel loquutus eſt Deus.* Vbi inter alia inquit *per productionem Verbi dixit Pater Filio opera ſua.*

20. Item verba S. Thomæ in hac quæſt. 34. art. 1. ad 3. videntur ſatis clara, dum enim ait Patrem intelligendo omnia concipere Verbum; particula *intelligendo* non ſumitur concomitanter, & per accidens, aliàs non magis produceret Verbum intelligendo, quàm amando ſe, & alia: nam amor nòn minùs comitatur generationem quàm intellectio, ſed ſumitur cauſaliter, id eſt, intellectione rerum omnium vt principio producendi generat Verbum. Deinde particulæ *omnia alia*, & *omnis creatura* non ſolùm comprehendunt creaturas poſſibiles, ſed etiam exiſtentes, vt patet ex quæſt. 37. art. 2. ad 3. vbi ſic ait S. Doctor. *Sicut dicit ſe & omnem creaturam Verbo, ita diligit ſe & omnem creaturam Spiritu ſancto*, planéque loquitur de dilectione libera creaturarum exiſtentium. Dixerat enim *Pater non ſolùm Filium, ſed etiam ſe, & nos diligit Spiritu ſancto.* Sed particula

nos

nos apertè denotat existentes : ergo secundùm Augustinum, & sanctum Thomam Verbum diuinum exprimit contingentia. Verbum autem non exprimit nisi quod repræsentatur in scientia, vel specie à qua procedit, vt constat in Verbo creato respectu speciei intentionalis, à qua procedit : ergo Verbum diuinum vt exprimat contingentia, procedere debet ex cognitione contingentium.

21. Hoc ipsum indicauit S. Thomas hic art. 1. dicens *vt sic* tota Trinitas Verbo dicatur, & omnia etiam creatura : nam particula *vt sic* manifestè declarat cognitionem omnium per se fuisse Patri necessariam : vt Verbo diceret omnia. Fauet Augustinus suprà dicens. *Quidquid est in scientia, de qua genitum est Verbum, in ipso est, quod autem in ea non est, nec in ipso est.* Sed omnia futura sunt, id est, exprimuntur in Verbo; & loquitur etiam Item. Augustinus de scientia futurorum, vt patet ex contextu præcedentis capitis, & sequentis : ergo futura repræsentantur in scientia, ex qua Verbum procedit : Hæc autem est scientia visionis : ergo sentit nasci Verbum ex scientia visionis, & cap. 15. ait *Verbum verum non est, nisi quod de re, qua scitur, gignitur*, id est, de scientia rei, cuius est Verbum. Cùm igitur Verbum diuinum etiam vt Verbum futurorum sit verissimum, vt ibidem, & cap. 12. docet idem Augustinus, sequitur quòd procedat ex scientia futurorum, & cap. 12. dixerat Verbum nihil de suo habere, sed totum de illa scientia de qua nascitur; habet autem repræsentare futura : ergo id habet de illa scientia ex qua nascitur, non quidem ex scientia necessaria vt necessaria, ex qua solùm habet repræsentare necessaria : ergo ex scientia contingenti ex qua habet repræsentare contingentia.

22. Probatur secundò, quia per simplicem creaturarum notitiam non est Pater sufficienter constitutus in actu primo ad loquendum cum Filio de rebus futuris, quas non cognoscit simplici intelligentia : non enim potest loqui de incognitis, alias Verbum quo loquitur, non esset verum : vt constat ex Augustino suprà : ergo prærequitur scientia visionis ad loquendum de rebus futuris : sed loquutio est productio Verbi, quo fit locutio : ergo principium producendi Verbum, quod est idem cum principio loquendi est scientia visionis, cùm loquatur Pater per Verbum suum de rebus etiam existentibus : nam omnia dicit Verbo suo, vt patet ex S. Thoma, & Augustino suprà. Confirmatur, quia scientia visionis est perfectio realis intrinseca Deo, & infinita, & prius origine in Patre quàm in Filio, cui omnia tradita sunt à Patre, Matth. 11. ergo non debet esse minùs fœcunda, quàm scientia simplicis intelligentiæ.

23. Probatur tertiò; quoniam vt Deus se comprehendat, debet cognoscere quidquid est determinatè futurum, vel non futurum, cùm vtrumque sit à voluntate determinata Dei nolentis hoc, volentis illud fieri tanquam à causa determinata futuritionis, & non futuritionis; & comprehensio sit cognitio omnium, quæ quomodocunque spectant ad rem comprehensam, vel sunt effectus eius. Cùm ergo Verbum diuinum procedat ex cognitione comprehensiua Dei, quoad rationem quam includit etiam causæ liberæ, procedere debet ex cognitione decreti liberi, & ex notitia contingentium obiectorum ad quæ volitio libera terminatur : tam enim decretum liberum, quàm creaturæ ad quas tendit sunt aliquid Dei supposita ipsius libera determinatione, illud formaliter, hæ verò effectiuè : Nec negari potest magis esse perfectam cognitionem Dei, si libera simul comprehendat, quàm si sola necessaria. Verbum autem procedit ex cognitione perfectissima : ergo ex cognitione simul contingentium.

Probatur quartò, quia licèt Pater Filio, & vterque Spiritui sancto necessariò det actus necessarios, liberè tamen dat liberos : ergo licèt principia dandi necessarios sint scientia & volitio necessaria, principia tamen dandi liberos erunt scientia & volitio libera. Antecedens patet, quia persona producta nihil habet à se, sed à producente : ergo etiam actus liberos, non quidem necessariò, sed liberè datos, quia licèt supposito quòd producens habens illos non possit eos non dare personæ productæ, simpliciter tamen potuit non dare, quia potuit non habere, ac subinde non dare. 24.

Si dicas cum Suario lib. 9. cap. 7. num. 5. scientiam visionis, & actus liberos non communicari personis productis immediatè ac formaliter, sed radicaliter, ac fundamentaliter. Contrà : nam hæc doctrina non videtur consona Concilio Florentino in decreto Eugenij dicenti Patrem dedisse Filio omnia, quæ habet præter esse Patrem, nec potest intelligi de sola radicali communicatione, alioqui similiter dici posset Patrem dedisse Filio formaliter solam Deitatem, & radicaliter tantùm attributa, quæ posteà Filius habeat à se formaliter; quod nemo concedet : ergo intelligitur de formali communicatione omnium absolutorum, ac subinde actuum etiam liberorum. 25. Suarez.

Confirmatur ex Ioannis 8. 14. 15. & 16. vbi Filius & Spiritus sanctus dicuntur loqui, non à seipsis, sed quæ audierunt videlicet Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque, quod explicant Patres de auditione veritatum, quas loquebantur, id est, de acceptione notitiæ ipsarum per æternam processionem, vt exponit Toletus ibi; loquebantur autem non solùm veritates necessarias, sed etiam contingentes, vt patet Ioan. 16. *Quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* At non loqui à seipsis, sed quæ audierunt ab alio, non solùm est habere notitiam eorum ab alio in radice : nam sic quæcunque nos scimus & loquimur, diceremur scire, ac audire à Deo à quo accepimus sciendi, loquendique radicem, scilicet intellectum, quod est contra communem modum loquendi : ergo est habere formaliter notitiam illorum ab alio communicatam non in sola radice, sed in ipsamet notitia, subindéque negari non debet, quin persona producens det productæ formaliter scientiam liberam & habeat eam priusquàm producta. 26. Ioan. 8. 14. 15. & 16. Tolet. Ioan. 16.

Probatur quintò, quia Spiritus sanctus procedit ex amore libero creaturarum : ergo Verbum ex scientia libera. Antecedens patet ex S. Thoma 1. part. quæst. 37. art. 5. dicente Patrem & Filium diligere nos Spiritu sancto, sicut seipsos : sed seipsos diligunt Spiritu sancto communicando illi formaliter amorem sui, per quem producunt illum : ergo diligunt nos Spiritu sancto, constituendo ipsum dilectorem nostri & communicantes eidem formaliter amorem nostri per quem producunt illum. Confirmatur : nam ideò Spiritus sanctus procedit vt amor necessarius obiecti necessarij; quia procedit per amorem necessarium : sed etiam procedit vt amor liber obiecti contin 27.

contingentis: ergo procedit per amorem contingentem. Quæ omnia argumenta procedunt à fortiori de scientia conditionali, quæ prior est, & minùs libera, quàm scientia visionis.

28. Si opponas huic sententiæ, sequi ex illa processiones esse actibus liberis posteriores, imò esse contingentes aliquo modo; concedunt aliqui Iuniores sequelam dicentes processiones Verbi, & amoris non esse ita necessarias, quin sint aliqualiter contingentes; ac subinde licèt quatenus necessariæ non sint posteriores, quàm actus liberi;tamen vt contingentes esse posteriores, nec hoc esse dissonum, sed maximè consonum Patribus & Doctoribus,qui dicunt Verbum diuinum esse Verbum creaturarum, vt existentium, & Spiritum sanctum esse amorem creaturarum:Consequenter enim dicendum est licèt Verbum quoad entitatem tam absolutam, quàm relatiuam, & quoad expressionem obiecti necessarij,non sit vllo modo contingens; quia nec entitas Verbi potuit vllo modo non esse, nec potuit non exprimere obiecta necessaria, & per consequens in ratione geniti sit Filius omninò necessarius, quia nomen Filij solùm importat respectum necessarium ad Patrem absque connotatione ad obiectum Verbo dictum; tamen in ratione dicti quoad expressionem obiecti contingentis esse contingens, quia potuit non exprimere contingentia.

29. Similiter fatendum erit Spiritum sanctum licèt sub nomine Spiritus correspondente nomini Filij, nequeat dici contingens vllo modo, quia tale nomen solùm importat respectum realem spirati ad spiratorem sine connotatione ad obiectum Spiritu sancto dilectum; tamen sub nomine amoris producti correspondente nomini Verbi debere dici amorem aliqualiter liberum, quoniam hoc nomen vltrà respectum realem omninò necessarium producti ad producentem importat connotationem partim necessariam & partim contingentem ad obiectum Spiritu sancto dilectum etiam liberè; subindeque admittendum est processionem Verbi, quatenùs exprimentis veritates contingentes, & prout est communicatio scientiæ liberæ, contingentem esse; similiter processionem amoris producti quatenùs respicientis obiectum liberæ dilectionis esse contingentem; Quamuis vt sunt processiones Filij, ac Spiritus sancti sub his nominibus, aut sub respectibus omninò necessariis sint omninò necessariæ.

CAPVT III.

Nostra decisio.

1. Perpendenti, quæ adduximus diuersarum opinionum fundamenta non dubito, quin huius controuersiæ difficultas innotescat. In re adeò lubrica incedam via, etsi minùs trita, fortè plana magis & consequenti ad doctrinam suprà traditam lib. 1. disp. 16. vbi naturam diuinam diximus constitui essentialiter intellectione diuinæ essentiæ, intellectionem verò relationum, attributorum ac creaturarum subsequi per modum affectionis, non ad essentialem, sed ad substantialem, aut quasi integralem Dei perfectionem pertinentis; quod supposita prioritate rationis requisita in obiecto ad cognitionem sic declaramus & applicamus in præsenti, vt prior sit prioritate rationis essentia diuina, quam sequuntur affectiones, transcendentales, deinde concipiatur intellectio essentiæ constituens naturam, hanc sequitur volitio naturæ, siue amor terminatus ad illam, & potentia creatiua, quæ supponit essentiam creaturarum non repugnantem, & denominat possibilem; cognitio item horum attributorum cum omnibus reflexionibus cognitionum, & volitionum circa obiecta prædicta.

Rursus ab eadem Deitate intelligitur orlri paternitas, immediatè, quæ simul cum intellectione constituit potentiam generatricem & generationem actiuam; in cuius termino quod est Verbum diuinum eadem proportione distinguendum est: etenim essentialiter & formaliter producta filiatione communicatur illi sola intellectio diuinæ essentiæ, & cum illa materialiter, ac identicè volitio, potentia, ceteraque attributa extra intellectum: substantialiter verò, & formaliter licèt non essentialiter communicatur eidem in alio signo intellectio attributorum, & paternitatis, ac filiationis Itaque Pater æternus intelligendo diuinam essentiam producit personalitatem Filij, ac illum constituit essentialiter, & formaliter in ratione Verbi diuini, & identicè communicat ipsi volitionem Deitatis, omnipotentiam, &c. cognoscendo deinceps attributa, & paternitatem simúlque filiationem, quæ iam supponitur producta, communicat Filio eandem cognitionem formaliter, sed per modum affectionis; & postquam producta concipitur tertia persona cognoscendo illam Pater communicat Filio cognitionem eandem; atque idem est de omni cognitione quasi reflexa, quam Pater habet à se, Filióque communicat in signis rationis sequentibus, vt illummet Filium adæquatè constituat in ratione Verbi completi, & integrè perfecti. Demùm spirant Pater & Filius amando Deitatem, & seipsos vicissim, atque producta tertia personalitate communicant Spiritu sancto volitionem Deitatis, & mutuum amorem producentium formaliter & primariò, materialiterque simul, & identicè naturam diuinam, & cetera attributa. Deinde formaliter, & secundariò communicant illi amorem attributorum, & spirationis passiuæ. 2.

Igitur dico primò Verbum diuinum inspecta essentiali generatione præcisè procedit essentialiter ex sola cognitione diuinæ essentiæ, vt asserit prima sententia: nam essentialiter solùm est Verbum & repræsentatio essentiæ diuinæ, at verò adæquata, & quasi integrali processione, perfectionéque Verbi diuini perpensa, procedit etiam formaliter ex cognitione omnium attributorum & personalitatum cum omnibus reflexionibus, quæ circa hæc obiecta diuina considerabiles sunt, vt asserit quarta sententia. Similiter Spiritus sanctus procedit formaliter & primariò ex amore Deitatis, & simul ex amore primæ & secundæ personæ reciproco, vt sit ex primaria processione mutuus nexus vtriusque iuxta modum loquendi S. Thomæ 1. part. quæst. 36. art. 4. ad primum, & quæst. 37 art. 1. sanctorúmque Patrum, quos referemus infrà disp. 17. cap. 6. Secundariò tamen & formaliter ac adæquatè procedit ex amore omnium attributorum, & relationum etiam spiratoriæ, ac spirati cunctorúmque diuinorum obiectorum, quorum omnium est adæquatus & substantialis amor. 3.

Hæc doctrina ea suprà dictis lib. 1. disp. 16. &

cx

ex fundamentis ptimæ, & quartæ sententiæ sat roboris videtur accipere. Præterea colligitur ex Augustino 15. de Trinit. cap. 14. dicente. *Filius nouit omnia quæ nouit Pater, sed ei nosse de Patre est, sicut esse; nosse enim & esse illi vnum est* : ergo sicut non omne diuinum esse communicatum Filio est ipsi essentiale, sed plura habet ad mudum proprietatum, sic nec omnis cognitio est essentialis illi, sed aliqua pertinet ad sobstantialem duntaxat Integritatem. Vnde distributione accommoda vt Filius adæquatè procedat ex adæquata comprehensione Dei; natura Verbi procedet ex essentiali Patris intellectione; ceterùm ex paterna cognitione attributorum & personalitatum procedet Verbum prout est eorundem expressiuum, qnod non ad essentialem, sed ad substantialem Verbi perfectionem spectabit. Vnde notanter subdit Augustinus. *Non enim seipsum integrè, perfectéque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo, quàm in seipso*: ad integritatem siquidem, & perfectionem adæquatam, & coæqualem Verbi cum intellectione paterna, non ad essentialem constitutionem pertinet, vt omnia norit, quæ Pater, omnia repræscotet quæ scientia Patris, ac subinde sub hanc adæquatam rationem Verbi procedit ab adæquata scientia Patris, & ab omni paterna cognitione, quæ dicat perfectionem io Deo præcisiuè concepta.

5. Idem significat S. Thomas hic art. 2. & 3. dùm comparat Verbum cum scientia Dei : sed hæc non est essentialis, nisi prout repræsentat essentiam præcisè : ergo nec generatio Verbi concipitur esse essentialis, nisi quatenùs communicat cogoitinnem essentiæ diuinæ præcisè, ab eademque procedit. Erit verò generatio adæquata, & quasi integralis, quatenus communicat adæquatam cognitionem omnium diuinarum perfectionum, & ab eadem procedit. Sicque facilè perspicitur qoomodo Pater omnia quæ nouit dicat Verbo suo eo modo quo illa nouit, scilicet quæ nouit intellectione essentiali, eadem intellectione dicit intentionaliter addita relatione & Verbo, vt sic, essentialiter constituto tanquam termino : Quæ verò nouit cognitione quasi iotegrali, & per modum proprietatis se habente, eadem Intellectione dicit, & termino per eandem proprietatem expressiuam completo, nec ad dictionem Verbi, prout essentalis est, id est, vt essentialem Verbi filiique rationem communicat, prærequiritur ex parte priocipij nisi intellectio constitutiua diuinæ naturæ præcisè.

6. Dico secundò, cum quinta sententia, Verbum adæquatè procedere ex scientia quoque simplicia intelligentiæ ad creaturas possibiles terminatæ. Probatur fundamentia illius sententiæ, ac præsertim : nam quæuis ratio cognitionia diuinæ, quæ præcisa à reliquis dicit perfectionem realem intrinsecam Deo, rationeque nostra distinctam ab aliis conceptibus obiectiuis scientiæ diuinæ influit in processionem Verbi, saltem adæquatam, & præsupponitur in Patre ad generatiooem Filij : Quod videntur conuincere argumenta quintæ sentcotiæ, præcipuè tertium, & tanquam
Albertin. certum supponit Albertious suprà num. 16. declararique potest ex principiis, quæ ferè omoes admittunt. Verbum enim procedit formaliter vt intellectio diuina, & quidquid habet perfectionis, habet à Patre per generationem æternam, vt sæpè repetunt Scriptura & Patres: ergo quidquid est perfectionis in intellectione diuioa communicatur Verbo formaliter ex vi generationis, & per consequens intelligitur prius origine in Patre, & influere per se in Filium. Paritérque de amore in ordine ad processiooem Spiritus sancti philosophandum est.

Hac regula generali præsupposita subsumo 7.
cognitionem possibilium in Deo esse relationem realem transcendentalem, ac subinde ex proprio & præciso conceptu dicere perfectionem realem & intrinsecam Deo in ratione talia cognitionis creaturarum necessariæ ratione nostra virtualiterque distinctam ab omni alia scientia diuina necessaria quod ostendimus lib. 1. disp. 28. cap. 5. Hinc autem per bonam consequentiam infertur procedere quoque Verbum adæquatè ex scientia simplicis intelligentiæ.

Circa amorem verò possibilium diximus lib. 8.
1. disp. 36. cap. 1. liberè complacuisse Deum in creaturis possibilibus, etiam sine ordine ad existentiam. Vnde non est cur Spiritus sanctus ex amore possibilium procedat magis quàm ex amore libero futurorum. Sic tenet nobiscum Cumel C, mel.
s. part. q. 34. art. 3. disp. 1. solut. ad 3.

Dico tertiò; Non potest Verbum diuinum 9.
procedere ex scieotia visionis, aut conditionali, quæ potuit abesse quidem Deo, nec Spiritus sanctus ex amore libero creaturarum, etiam adæquata processione. Sic contra sextam & septimam sententiam omnes reliquæ. Probatur primò, quia processiones diuinæ sunt adæquatè reales secundùm quamcunque rationem formalem in illis repertam : sed actus Dei liberi, licèt claudant entitatem necessariam cognitionis & volitionis diuinæ, nihil tamen reale superaddunt, etiam ratione distinctum, sed ad summum vel denominationem extrinsecam, vel relationem rationis. Quare præter formalitatem realem communicatam per intellectionem & amorem necessarium nihil habent reale formaliter, vt docuimus lib. 1. disp. 27. cap. 2. ergo actus liberi nihil possunt communicare formaliter, nec in realitatem terminorum realiter procedentium influere; nisi velis Verbum, & Spiritum sanctum procedere formaliter etiam ex nihilo tanquam ex principio formali suarum processionum.

Confirmatur & declaratur, quia postquam 10.
scieotia necessaria Patris prout dicit repræsentationem obiecti necessarij, perfectionémque substantialem & intriosecam talis repræsentationis, concurrit ad productionem adæquatam Filij communicando ipsi totam illam necessariam perfectionem, non intelligitur per hoc quòd terminetur ad futura, vel absoluta, vel conditionata præhabere perfectionem aliquam distinctam, saltem ratione præcisiua quam possit denuò communicare : sed vel nihil addit omninò, vel ad summum denominationem aliquam extrinsecam ab obiecto cognito vel relationem rationis: Ex hac autem denominatione vel relatione non potest realiter procedere Verbum, nisi velis processionem etiam esse rationis, aut per extrinsecam denominationem compleri : ergo vel procedit Verbum ex nihilo, vel potiùs nullo modo procedit ex scientia visionis aut conditionali, & idem est de amore libero respectu spirationis.

Probatur secundò, quia pro illo signo, quo 11.
concipitur processio Verbi etiam completa & adæquata, nec futura absoluta, nec conditionata sunt sic futura, nec cognoscuntur futura : ergo

Verbum

Verbum non procedit ex illorum cognitione. Consequentia videtur bona: nam omne principium debet priùs intelligi, saltem origine, quàm principiatum. Antecedens probatur, quia processio Verbi est omninò adæquate & completè necessaria, sicut & Verbum ipsum ad quod terminatur: sed necessaria sunt priora liberis: ergo Verbi processio prior est tali cognitione. Quo discursu

Vasquez. rectè perpenso nullus erit (inquit Vasquez disp. 143. num. 1.) tam hebes ingenio, qui non videat creaturas futuras secundum esse intelligibile per se ad generationem Verbi spectare non posse: Atque tam certum hoc reputauit Scotus, vt oppositum intulerit tanquam manifestum absurdum ad probandam suam sententiam adductam cap. 2. num. 1. Cui respondentes Caietanus & alij Doctores non audent sequelam admittere, nimitum Verbum processurum ex cognitione libera creatorarum, nec vllus audebit, inquit Vasquez suprà num. 28.

12. Dices primò, processionem Verbi esse quoque contingentem, quatenùs est ex cognitione futurorum, illamque communicat; atque ideò sub hac ratione non debere præcedere ante actus liberos. Sed contrà, quoniam eam propositionem protulit Modernus vnicus sine authore (quem sciam) Valentia quippe potiùs negat Verbum aut Spiritum sanctum potuisse vllo modo non procedere; & Moderniores, in manuscriptis licèt adhæreant illi opinioni rari, contingentiam tamen à processione quouis sensu reiiciunt: nam illæ voces *processio Verbi*, & *amor spiratus* in diuinis significant respectum notionalem, & intrinsecam perfectionem communicatam ad intra; & sicut nihil haberent minus, aut diuersum entitatis & perfectionis, siue hæc obiecta esse ot futura, siue non; sic nullo modo, & sub nulla ratione talium futurorum contingentiam participant: Nec scientiam ipsam visionis video contingentem appellari, sed contingentis.

13. Dices secundò, licet pro eo signo diuinæ generationis nundum intelligatur libera determinatio diuinæ voluntatis quasi exercita, tamen intelligitur quasi futura & consequenter poterit Pater æternus iam tunc cognoscere quid ipse voliturus sit in signis sequentibus, & quid humanæ voluntates eligent absolutè, vel sub conditione: ergo poterit totam hanc scientiam communicare Verbo formaliter per generationem, cùm tamen sit plane scientia contingentium: sic alius Modernus existimat sententiam Valentiæ sufficienter propugnari. Sed in primis iam lib. 1. disp. 29. cap. 4 ostendimus Deum non præcognoscere sua decreta libera absoluta vt futura, quia nunquam sunt realiter futura, sed semper existentia & præsentia ab æterno: Decreta verò conditionalia sub aliqua conditione libera vel ipsi Deo, vel creaturis. Diximus disp. 33. cap. 4. cognosci à Deo: Ceterùm horum cognitio sicut & ceterorum contingentium non potest præconcipi ante generationem Verbi: nam pro illo signo generationis diuinæ præscinditur scientia necessaria prorsùs à libera vel conditionali, quia conditionalis etiam supponit liberam determinationem creaturarum & creaturis existentem sub conditione pro tali duratione ac circunstantiis, cùm tamen diuina generatio, quæ omninò necessaria est, non possit aliquid contingens præsupponere, vt principium formale, ne dùm prioritate aliqua scientiam contingentium prærequirere.

Imò potius è contrario quòd decreta Dei libera & per consequens omnia futura, quæ pendent ea illis non præconcipiantur ante processiones personarum, sed istas supponant, clamare videntur Scriptura, & Patres, dùm sæpè repetunt opera Trinitatis ad extra esse indiuisa: Nec loquuntur solùm de operatione externa, sed etiam de consilio & determinatione voluntatis ad intra. 14.

Sic Psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vbi Verbum, & Spiritus sanctus ad molitionem cælorum prædicantur concurrisse, protinusque subditur. *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, &c.* Dictum autem & mandatum sæpe Doctores explicant esse volitionem Dei liberam & decretum internum, sic etiam intelligo cap. 8. Prouerbiorum à num. 22. *Dominus possedit me, &c.* Vbi satis innuitur ante decretum omne producendi creaturas parturiisse Patrem & concepisse Verbum suum, vt esset cum illo *cuncta componens.* Expresse Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Vbi inter alios qui docent Trinitatem personarum ibi denotari, Rupertus habet hæc verba. *Magnum planè consilium in illo sapientiæ consilio, in illo talium personarum Patris & Filij & Spiritus sancti non tam senatu quàm soliloquio venerando de nobis habitum est quod beata Trinitas magna sibi dignatione diuisit, vt Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus sanctus igniret; atque ita communi Trinitatis consilio reædificarentur in homine deserta seculorũ.* Idem de omni decreto libero dictum puta, conspirasse, scilicet omnes personas iam existentes in omnem liberam volitionem quam consequitur scientia visionis, ac subinde non posse per huiusmodi actus liberos personas diuinas processisse.

Prou. 8.

Gen. 1.

Rupert.

Sed specialiter non posse procedere Spiritum sanctum ex amore libero probatur tertiò, contra septimam sententiam, quia si solus Pater æternus determinat voluntatem diuinam ad obiecta libera, & sic determinatam communicat necessariò tertiæ personæ, vt asserit ea opinio, sequitur in tali determinatione Spiritum sanctum non esse liberum formaliter: Consequens est plusquam falsum: quis enim neget singulis personis libertatem formalem: ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur, quia sicut libertas formalis, & actualis requirit in principio operante liberè vt *quo* actualem indifferentiam, sic requirit eandem in principio operante liberè vt *quod*: dicuntur enim & verè sunt actiones suppositorum eorum, quæ sustentant actu naturam operantem, nec operabitur actu suppositum per naturam, quam non sustentet actu: similitérque non potest suppositum operari liberè vt *quod*, nisi per naturam, quam actu contineat cum actuali indifferentia operantem: sed Spiritus sanctus in ea opinione non operatur vt *quod* cum actuali indifferentia suæ naturæ, cùm hæc communicetur illi sic iam determinata, vt non possit retractare, nec suspendere amorem ad talia obiecta in indiuiduo terminatum: ergo non operatur vt *quod* liberè, licèt principium vt *quo* liberum sit, quia principium vt *quo* scilicet natura diuina, cùm esset indifferens, liberè se determinauit, & ita respectu ipsius semper illa determinatio est libera: tamen hoc principium vt *quod*, scilicet Spiritus sanctus, qui virtualiter distinguitur à Deitate, nunquam fuit indifferens per talem naturam, quia nunquam potuit non determinari per illam ad talia obiecta: 15.

ergo

ergo hæc non sunt liberè volita ab hoc supposito.

16. Confirmatur sequelæ vis, & declaratur exemplis: nam si Spiritus sanctus assumeret modò naturam humanam, quæ peccasset, vel mortua fuisset, & reuixisset; non diceretur hic homo peccasse, vel mortuus fuisse: nam illæ actiones non sunt eius naturæ dum supponitatur tali personalitate, vt docet Suarez 3. part. tom. 2. disp. 1. sect. 1. Suarez. §. *Nihilominus hæc sententia* dicens; si humanitas Christi non esset tempore mortis vnita Verbo, licèt post resurrectionem vniretur, non posset verè dici Deum fuisse mortuum; & similiter si priùs tempore fuisset purus homo, & peccaret, & posteà illa humanitas assumeretur à Verbo, non posset verè dici Deum peccauisse: Vnde colligit, quòd si in instanti conceptionis humanitas Christi non esset vnita Verbo, non potuisset dici Deum esse Filium Virginis, aut Virginem concepisse Deum, licèt id asserant nonnulli.

17. Item si naturam luciferi nudaret Deus sua personalitate, personarétque illam alia personalitate denuò edita, vt est probabile fieri posse, supposito etiam voluntatem Angeli esse inflexibilem, & quòd voluit semel liberè, non posse postmodum retractare; adde exempli gratia, nec cessare ab actu; hæc persona denuò constituta non peccaret certè peccato Luciferi, quod licèt illi naturæ liberum sit, quia liberè fuit electum, dum potuit oppositum eligere, huic tamen personæ vt principio *quod* nunquam fuit liberum. Cur ergo huic personæ vitio dandum, quod hæc persona, vt hæc persona est, euitare non potuit? Similiter ergo dicendum erit in ea opinione de Spiritu S. siquidē actus liberos, quos priùs origine determinatos accepit necessariò, nec aliter potuit ipse determinare, nec in posterum retractare.

18. Adde Cabezudum & alios constituere prædeterminationem physicam in ipsamet actione causæ secundæ, quatenus priùs natura concipitur esse à Deo, quàm a creatura, & adhuc nequeunt cum illa prioritate naturæ Doctores Societatis nostram libertatem conciliare: Quid autem aliud est diuinam voluntatem prioritate originis determinari à Patre æterno, quàm Spiritum sanctum ad eandem prædeterminari volitionem? quæ licèt libera sit respectu Patris, & respectu Deitatis, sicut illa prædeterminatio Cabezudi libera est respectu Dei; tamen respectu tertiæ personæ, quatenùs est tale operans vt *quod*, quis credet esse liberam, nisi qui in voluntate humana physicè prædeterminata libertatem potuerit inuenire? Ego neutrum mihi potero persuadere, nec sanè percipio qualis propria, & actualis libertas cum prioritate determinationis ab alio, siue in aliquo priori naturæ, siue originis possit in subiecto, vel supposito prædeterminato existere.

19. His probationibus præcipuè prima & tertia conciliantur libertas personarum productarum, & receptio simul omnium quæ habent: posset enim fieri hoc dilemma: Vel personæ productæ recipiunt per processionem actus liberos iam determinatos à producente, vel non: si hoc dicas: ergo non recipiunt omnia, quæ habent contra testimonia Scripturæ ac Patrum, & contra Florentinum dicens: Patrem omnia dedisse Filio præter esse Patrem. Si dicas primum: ergo non sunt liberæ. Nos autem dicimus, Patrem omnia dedisse Filio præter esse Patrem, & vtrumque dedisse Spiritui sancto omnia præter proprias notiones, omnia scilicet quæ dicunt entitatem & perfectionem realem, ac subinde quæ possunt per realem processionem & communicationem realiter transfundi; ceterùm nec Filium, nec Spiritum sanctum recepisse per processionem actus liberos, quoad liberam denominationem formaliter, quoniam hæc nihil addit reale.

CAPVT IV.

Diluuntur opposita.

1. FVndamentum primæ sententiæ probat primam partem nostræ primæ conclusionis, scilicet processionem essentialem Verbi ex sola cognitione diuinæ essētiæ, nec impugnat adæquatam processionem ex cognitione attributorum & personarum: nam ad istam, proportione seruata, iam præsupponuntur attributa & personæ, sicut & ad eorum cognitionem paternam. Secunda sententia facilè refellitur ex ibi dictis. Tertiæ sententiæ prima pars est pro nobis, si debitè intelligatur ita Pater esse fœcundus pro illo priori ad generandum, vt priùs ratione per solam intellectionem naturæ communicet notitiam essentialiter constitutiuam Verbi. Deinde per intellectionem paternitatis & filiationis communicet eandem cognitionem ad modum proprietatis; & sic de aliis. Ad primam probationem secundæ partis respondemus sub distinctione, non prærequiritur cognitio Spiritus sancti, & creaturarum ad essentialem Verbi productionem, vel ad essentialem constitutionem ipsius; cōcedo antecedens; ad productionem, & constitutionem adæquatā, & quasi integralem, nego. Ad secundam probationem à posteriori negatur sequela: nam ad rationem imaginis propriæ requiritur processio realis, vel saltē intentionalis ab obiecto motiuo: Verbum autem neutro modo procedit à Spiritu S. vel à creaturis.

2. Quarta sententia nobis fauet, si prima pars illius intelligatur de processione adæquata: secunda verò de essentiali: nam ad illam concurrit etiam cognitio personarum omnium, ad hanc verò non prærequiritur cognitio creaturarum: Cognitio tamen intuitiua & comprehensiua, quam inuoluit in probatione primæ partis, euoluenda est iuxtà inferiùs dicenda n. 5. Ad primam probationem secundæ partis respōdet Suarez lib. 9. de Trinit. c. 6. n. 6. Anselmum, & S. Thomā solùm negare Verbum esse à creaturis, quoniam hæ non concurrūt vt obiectum motiuum ad eam cognitionē, ex qua procedit Verbum, etiam vt expressiuum earum; & ideò concedunt esse Verbum de creaturis, seu Verbo dici, & repræsentari creaturas.

3. Ad secundam respondeo in primis negando consequentiam, quia dato antecedenti, sicut eadem scientia esset magis necessaria, prout respicit Deum, quàm prout respicit possibilia, sic etiam Verbum, & eius processio, quatenus oritur ex cognitione diuinæ essentiæ, & pertinet ad constitutionem essentialem, esset magis necessaria, quàm prout oritur ex cognitione creaturarum possibilium, & pertinet ad constitutionem quasi integralem, & adæquatam. Respondeo secundò negando antecedens, & ad primam eius probationem dicimus possibilitatem ex parte creaturarum nihil dicere positiuum actuale, sed solam negationem repugnantiæ fundatam in tali connexione prædicatorum, & in tali essentia aptitudinali, quæ non est minus necessaria, quàm Deus, iuxta suprà dicta lib. 1. disp. 28. cap. 1.

4. Ad secundam probationem illius antecedentis Respondeo infinitam distantiam inter Deum & creaturas possibiles satis discerni, cùm Deus sit necessarius in esse quodam actualissimo, & perfectissimo, creaturæ verò solùm in esse quodam aptitudinali, quod simpliciter est nihil in se, cùm nihil habeat actualitatis positiuæ. Videatur Suarez lib. 9. cap. 6. à num. 17. qui nostram quoque sententiam insinuat num. 12. & 15. dicens posse Verbum intelligi priùs ratione procedere ex cognitione diuinæ essentiæ præcisè, non tamen adæquatè, donec intelligatur procedere etiam ex necessaria cognitione creaturarum, vt sit Verbum adæquatum diuinæ scientiæ, vt dixit Augustinus, & exigit perfectio illius. Suarez.

5. Quinta sententia quoad vtramque partem est plane pro nobis: Illa verò probatio primæ partis, cui tantoperè nititur Suarez, non est accipienda sicut ab illo accipitur, sed dicendum est rationem cognitionis intuitiuæ consistere in hoc, quòd sic attingat suum obiectum, sicut est existens in seipso, vt simul coëxigat aliam cognitionem re, vel ratione distinctam terminatam ad terminum sui obiecti, si quem habeat. Intuitio v. g. omnipotentiæ coëxigit aliam cognitionem terminatam ad creaturas, quæ sunt terminus talis omnipotentiæ: distinctio enim obiectorum realis, vel etiam virtualis est sufficiens fundamentum distinguendi actus, vel re, vel ratione pro illorum imperfectione, vel perfectione. Idem est proportionaliter de comprehensione v. g. cognitio inadæquatè comprehensiua essentiæ diuinæ non petit per se ipsam attingere omnes illius perfectiones & affectiones, sed vt ab illa manent virtualiter aliæ cognitiones, quibus tales perfectiones repræsententur, ita vt ex omnibus illis notitiis virtualiter distinctis vna integra & adæquata comprehensio realis coalescat; & per hanc producitur Verbum adæquatè.

6. Ad fundamentum sextæ sententiæ Respondeo scientiam conditionalium, etsi non supponat liberum Dei Decretum absolutum, & actuale, supponere tamen liberam determinationem creaturæ, vel Creatoris, etiam sub conditione; quod obiectum simpliciter est contingens, cùm potuerit non esse, ac subinde ipsius scientia nullam perfectionem intrinsecam addit Deo, quæ possit influere positiuè in positiuam Verbi processionem.

7. Ad primum argumentum septimæ sententiæ, quamuis sanctus Thomas quandoque videatur de sola scientia possibilium loqui, vt notat Suarez lib. 9. cap. 7. num. 3. adhuc fateor Patres ibi adductos indistinctè loqui de creaturis possibilibus aut futuris, cùm asserunt creaturas dici vel repræsentari Verbo diuino: nam hoc sine dubio est expressiuum etiam futurarum; ac subinde capiendi sunt plerumque in sensu materiali & identico, de quo diximus cap. 1. n. 2. Cùm verò significant eam cognitionem liberam præcessisse in Patre tanquam rationem generandi, loquuntur iuxta subiectam materiam, quantum generaliter possunt. Omnis enim entitas, & perfectio cognitionis diuinæ, quæ etiam in scientia visionis relucet, præintelligitur in Patre ad adæquatam generationem, & ex vi ipsius communicatur non solum radicaliter, sed etiam formaliter; attamen cùm terminatio cognitionis illius ad obiecta libera & ipsarum repræsentatio prout futurorum nihil addat reale Patri, non potuit esse illi vt sic ratio positiua generandi, nec vllus Patrum tale commentum affirmare: Quare de scientia libera capiendi sunt specificatiuè, id est, Patrem intelligendo omnia, quorum cognitio dicit in illo perfectionem intrinsecam, hanc ipsam formaliter & reduplicatiuè communicasse Verbo per generationem, quæ quidem cognitio tam in Patre quam in Filio pro signo consequenti terminatur ad obiecta futura sine vlla additione, vel variatione reali, quæ nouam rationem processionis realis prærequirat; ideóque procedit Verbum ex scientia prout necessaria est, & ex scientia, quæ libera est, seu indifferens ex se ad hæc, vel illa obiecta; non tamen ex illa prout liberè terminatur ad talia futura, quoniam vt sic nihil dicit positiuum superadditum perfectioni necessariæ. Idem proportionaliter intendunt, cùm dicunt Patrem diligere nos Spiritu sancto.

Ad secundum similiter distinguendum est de loquutione: hæc enim quatenus est de obiectis necessariis, dicit intrinsecam & realem perfectionem cognitionis, quæ præconcipitur in Patre: atquatenus est de obiectis liberis, nullam addit perfectionem realem; ideóque loquitur Pater de creaturis vt possibilibus, præhabita ipsarum cognitione ante dictionem sui Verbi; ad loquendum verò de futuris nihil superadditum perfectionis debet præhabere, sed producto Verbo suo ex cognitione necessaria, eamet tam in Patre, quàm in Filio, vbi primùm creaturæ concipiuntur futuræ, sine additione vlla, repræsentat illas, ac subinde non solùm cognoscit Pater æternus res futuras intellectione essentiali, sed etiam simul dicit illas Verbo suo, & loquitur de illis, quatenus Verbum diuinum exprimit creaturas futuras eamet intellectione omnino, quam accipit à Patre. 8.

Ad confirmationem distinguo antecedens; Scientia visionis est perfectio realis secundùm intellectionem necessariam quam includit, concedo: secundùm quod superaddit ipsi, nego. Vnde secundùm entitatem necessariam est prius origine in Patre, non secundùm denominationem superadditam libertatis; aliud est enim quod entitatiuè claudunt actus liberi, quod quidem reale est & infinitè perfectum, cùm sit ipsamet positiua perfectio intellectionis, aut volitionis diuinæ ex se se determinatæ. Ad obiecta necessaria, & indifferentis ad libera, & secundùm hoc communicantur personis ex vi processionum, aliud autem quod superaddunt sub illa denominatione liberi, & prout terminati iam in exercitio ad obiecta contingentia, quia hoc nihil est positiuum, ac subinde prout sic distinctum non potuit communicari per processionem realem: Omnia igitur tradita sunt Filio à Patre, qui per generationem communicauit filio formaliter omnem perfectionem & actualitatem in actu libero repertam; omnis enim illa continetur in actu necessario; vsum verò libertatis communicauit illi quasi in actu primo (quod Suarez eo cap. 7. n. 5. vocat fundamentaliter & in radice) non in actu secundo, tum ratione sæpè dicta; quia scilicet visus liberi nihil addit perfectionis positiuæ; tum quia vt omnes personæ operarentur indiuisim, & liberè, debebant actus liberi ab omnibus personis simul & communi conspiratione ad obiecta libera terminari, vt ostendimus cap. 3. n. 15. & sequentibus. 9. Suarez.

Ad

10. Molina. Ad tertium Molina 1. part. quæst. 34. artic. 3. disp. 1. negat antecedens; ego verò distinguo, vt Deus se comprehendat comprehensione perfecta ex parte entitatis comprehendentis, nego antecedens: ex parte repræsentationis cuiusque obiecti vtcumque connexi cum re comprehensa, concedo. Itaque sicut actus liber nullam addit in Deo perfectionem, sic nec cognitio vel comprehensio illius; eadémque inuariata cognitio potuisset esse æquè perfecta comprehensio Dei sine cognitione obiecti contingentis, si istud non daretur: at supposito tali obiecto pertinet ad infinitam perfectionem diuinæ comprehensionis, vt sine vlla reali additione etiam ratione nostra illud repræsentet, quia verè tale obiectum est cognoscibile in se, & verè creaturæ terminant actum diuinæ voluntatis liberum, & scientiam visionis. Procedit ergo Verbum ex comprehensione Dei quoad totam perfectionem positiuam illius, quia hæc tota sortitur rationem principij *quo* ad generandum adæquatè; non tamen quoad omnem rationem repræsentationis, aut terminationis exercitæ, quæ cùm potuerit abesse, nec præintelligitur processioni necessariæ, nec in illam potest influere; sed præcontenta virtualiter, vel sufficienter in ipsomet actu necessariò, productis iam personis, intelligitur exerceri formaliter, vel efficaciter, vt alij loquuntur.

11. Ad quartum negatur antecedens, & ad probationem, fatemur nihil habere personam productam à se, scilicet entitatis & perfectionis positiuæ: Negatur tamen consequentia, quoniam actus liberi, prout liberi, nihil addunt positiuum; quoad actualem verò terminationem, quæ solam addit denominationem extrinsecam, vel relationem rationis, bene Respondet Suarez: & ad replicam ex Florentino fatemur Patrem omnia dedisse Filio, quæ dicunt perfectionem distinctam, vt explicuimus num. 9. nec videtur potuisse Pater per distinctam rationem processionis realis communicare, quod non dicit vllam realitatem distinctam, nec communicare libertatem, nisi communicaret indifferentiam sub ratione indifferentiæ sine prædeterminatione ad obiecta extrinseca.

12. Ad confirmationem in primis Maldonatus
Ioan. 7. & quod de Christo Domino dicitur Ioan. 7. *Mea doctrina non est mea*, & cap. 12. *à me ipso non loquor.* Intelligit cum Cyrillo & aliis de Christo vt homine. Quod autem cap. 16. dicitur de
Idem c. 16. Spiritu sancto. *Non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur.* Explicat, id est, non loquetur contraria his, quæ à Patre edoctus Christus docuerat. Deinde licèt Augustinus, Beda, & alij vtrunque referant ad æternas processiones, duo colliguntur ad summum in his
Tolet. sententiis significari vt docet Toletus eo cap. 16. notat. 21. scilicet originem Filij & Spiritus sancti à Patre, & communionem, seu communicationem substantiæ, ac inseparabilem omnium operationum? cùm enim essentiam, intellectum, & voluntatem habeat Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque, quidquid ratione essentiæ intellectus, aut voluntatis conuenit ipsis etiamsi nostro modo intelligendi processiones ipsas consequatur, id totum persona producta habet à producente, quatenus accepit à producente totam illam entitatem & perfectionem intrinsecam, quæ sine vllo incremento reali, vel determinatur liberè ad intrà, vel prodit se per operationem ad extra; Videatur Molina hic artic. 3. Molina.
disp. 1. 5. *Ad hoc argumentum.*

Ad quintum negatur antecedens, & ad pro- 13.
bationem explicamus S. Thomam sicut suprà num. 7. Ad confirmationem dicimus Spiritum sanctum procedere vt amorem creaturarum, quasi in actu primo indifferentem, determinari verò posteà simul cum Patre & Filio sine variatione vlla intrinseca, vt in simili de scientia visionis dictum est.

CAPVT V.

Minores quæstiunculæ deciduntur.

Quæres primò, an dicendum sit Verbum 1.
procedere ex cognitione personarum tanquam ex obiecto primario, vel secundario? Sua- Suarez.
rez lib. 9. de Trinitate, cap. 5. num. 2. sub quadam distinctione respondet iuxta sua principia; Ego absolutè censeo personalitates non esse obiectum primarium intellectionis diuinæ, cùm ipsarum cognitio non sit de constitutione essentiali Deitatis, sed proprietas illius, ac subinde procedere Verbum ex cognitione personarum secundariò iuxta dicta cap. 3. n. 2. & 3.

Quæres secundò, an personalitates, attri- 2.
buta creaturæque possibiles possint dici principium productionis Verbi, sicut obiectum cognitum solet esse principium cognitionis & termini illius? Videtur affirmare Vasquez de per- Vasquez.
sonalitate Patris disput. 142. num. 13. Meliùs tamen absolutè negant Suarez supra num. 5. &
Cumel hic disput. 1. conclus. 6. quia tunc obie- Cumel.
ctum dicitur esse principium cognitionis, quando non solùm est terminatiuum, sed etiam motiuum: atqui respectu diuinæ cognitionis nullum obiectum se habet ad modum motiui, vel gerit munus speciei determinantis diuinum intellectum nisi sola essentia diuina, vt diximus libro 1. disput. 28. cap. 2. num. 5. ergo nullum aliud obiectum potest dici principium processionis Verbi, quod planè docuit Sanctus Thomas hic art. 3. ad 3. & Anselmus in Monologio Anselm.
cap. 25. & 3. Videantur suprà dicta cap. præcedenti num. 2.

Quæres tertiò, quem respectum dicat Ver- 3.
bum ad Creaturas? Suarez suprà cap. 6. num. 15. Suarez.
& 19. docet scientiam possibilium dicere perfectionem intrinsecam Deo, & adhuc num. 21. fatetur Verbum dicere respectum rationis ad omnia necessariò cognita, qui fundetur in necessaria repræsentatione ipsorum. Alij dicunt (& forsan est idem sensus Patris Suarij) Verbum sicut & scientiam simplicis intelligentiæ esse quid omninò absolutum, respicere tamen creaturas ex vi processionis quodam respectu, qui non est rationis, sed vera & realis expressio creaturarum, quia tamen concipitur à nobis ad modum relationis realis; ideò communiter vocari relationem rationis, non quidem ex parte rei conceptæ, sed ex modo concipiendi.

Albertinus tom. 2. in prædicamento relatio- 4.
nis corollar. 3. distinguit de Verbo, quatènus Albertinus.
respicit creaturas vt obiecta solum repræsentata, & hunc censet esse respectum rationis: at quatenus respicit creaturas vt dictas à Patre in

ipſo Verbo, iuxta ſententiam aſſerentium Verbum produci formaliter ex cognitione creaturarum poſſibilium, ceuler conſequenter eſſe dicendum huiuſmodi reſpectum in Verbo eſſe realem tranſcendentalem ad creaturas, tanquam ad obiecta dicta; fundamentis abſtineo referendis, quia non mihi videntur ſatis firma, legat qui volet. Ego iuxta ſuprà dicta cap. 3. num. 7. arbitror eſſe relationem realem tranſcendentalem ad obiecta neceſſaria, quod probaui lib. 1. diſp. 28. cap. 1.

5. Quæres quartò, an hic reſpectus conueniat Verbo ratione intellectionis eſſentialis ſibi communicatæ; an verò ratione relationis propriæ? Aureolus. Hoc poſterius aſſeruit Aureolus apud Capreolum in 1. diſt. 27. quæſt. 2. concluſ. 5. & videtur ſententia ſancti Thomæ ea diſtinct. quæſt. 1. artic. 3. Probatur, quia de ratione Verbi quatenus Verbi eſt, exprimere creaturas intellectas à Patre; ſed eſſe Verbum conuenit ipſi ratione relationis, cùm ſit quid proprium: ergo & repræſentare conuenit ipſi ratione relationis propriæ. Oppoſitum docuit S. Thomas hîc artic. 3. ad 1. quem dicit Caietanus retractaſſe ſententiam: Sequuntur illum Ferrara 4. contra Gent. cap. 3. Capreolus ſuprà, Scotus in 1. diſtinct. 27. quæſt. 3. & alii. (Ferrara. Capreol. Scotus.) Probatur: nam hæc repræſentatio eſt intellectualis: ergo non conuenit ratione relationis, quæ non eſt intellectiua, ſed ratione intellectionis eſſentialis communicatæ per generationem. Vaſquez. Vaſquez diſp. 144. cap. 2. docet ratione eſſentiæ & relationis ſimul conuenire Verbo hanc relationem ad creaturas, quia nec ſola eſſentia, quæ eſt communis, nec relatio, quæ non eſt intellectualis, ſed eſſentia quæ continet rationem manifeſtantis determinata per proprietatem producti eſt fundamentum illius peculiaris relationis, quam habet ad creaturas. Camel. Suarez. Comel hîc artic. 3. diſput. 2. & Suarez cap. 6. num. 22. diſtinguunt aliud eſſe loqui de ratione formali repræſentandi, quæ conuenit Verbo ratione ſolius eſſentiæ, & ſic communis omnibus perſonis; aliud, de modo habendi illam, ſcilicet vt communicatam ex vi ſuæ formalis proceſſionis, & hoc eſt proprium Verbi, & inuoluit proprietatem illius.

6. Ego quidem exiſtimo eandem relationem tranſcendentalem, quæ eſt in ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & in omnibus perſonis ad creaturas neceſſariò cognitas ineſſe Verbo, & non aliam, quia nihil cognoſcit ſpeciale; denominari tamen in Verbo relationem non ſolùm cognoſcentia, ſed etiam exprimentis per modum Verbi, ſeu locutionis paternæ ex adiuncta proprietate; ſicut eadem intellectio eſſentialis in Filio conſtituitur in ratione ſpeciali Verbi per relationem filiationis. Vnde creaturæ poſſibiles non modò denominantur intellectæ, ſed etiam dictæ; Quare propendeo magis in ſententiam Camelis, & Suarij.

7. Quæres quintò, quid importet Verbum de formali, relationémne, an eſſentiam? In quo etiam contrarius ſibi fuiſſe ſanctus Thomas, Caietan. mutaſſéque ſententiam videtur Caietano hîc artic. 3. nam in 1. diſt. 27. quæſt. 2. artic. 2. & de veritate, quæſt. 4. artic. 5. dixit ſanctus Doctor, nomen *Verbum* directè & primariò in diuinis ſignificare diuinam eſſentiam, ſicut in nobis qualitatem abſolutam; relationem verò producti, Ferrara. ſeu dicti ſecundariò connotare, ſequitur Ferrara 4. contra Gent. c. 13. verſ. *ad 2. dubium*, & probatur ex analogia ad Verbum humanum: Cæterùm in hac quæſt. 34. art. 3. ad 4. inquit S. Thomas *Nomen Verbi principaliter impoſitum eſt ad ſignificandam relationem*, idémque inſinuat art. 1. & 2. ſequitur Caietanus hîc artic. 3. & Vaſquez diſput. 144 cap. 1. Vaſquez. Probatur, quia nomen filij primariò ſignificat relationem producti per generationem: ergo ſimiliter nomen Verbi ſignificat relationem producti per dictionem, Suarez lib. 9. cap. 3. num. 4. Suarez. cenſet parui referre vno vel alio modo ſentire.

Ego, ſicut ad rationem Verbi creati terminum & actionem opinor eſſentialiter pertinere, ſic vtrunque, ſcilicet intellectionem diuinam, & proceſſionem, credo nomine Verbi diuini formaliter importari: Quare per tale nomen relationem intrinſecè ſignificari neceſſe eſt, non tamen ſub explicito conceptu relationis, ſed originis ſeu dictionis: & hoc tandem ſentit Suarez ſuprà, qui meritò addit, magis principaliter & formaliter eo nomine ſignificari rationem repræſentationis, quàm productionis, aut relationis, licèt vtraque pertineat ad formale Verbi ſignificatum. 8.



QVÆSTIO XXXV. S. Thomæ.

De Imagine.

ARTIC. I.

Vtrùm imago in diuinis dicatur perſonaliter.

Concluſio affirmat, quoniam imago dicit ſimilitudinem cum origine: ſed origo in diuinis eſt quid perſonale: ergo imago in diuinis dicitur perſonaliter.

ARTIC. II.

Vtrùm nomen imaginis ſit proprium Filio.

Concluſio affirmat iuxtà modum loquendi Latinorum, & Scripturæ, quia ſolus Filius procedit vt Verbum, ac ſubinde formaliter, vt ſimile: Spiritus S. procedit, vt amor, atque ideò ſimilis materialiter, & eſſentialiter. Vnde Græci vocant illum imaginem, non tamen formaliter, ſicut Verbum, quod Latini requirunt ad rationem imaginis: Videantur ſuprà dicta diſput. 3. cap. 2. à num. 4. & diſp. 5. cap. 4. num. 28.



DISPVT. XVI.

De ratione imaginis in diuinis.



Rra nomina tribuuntur ſecundæ Trinitatis perſonæ, ſcilicet Filius, Verbum, & Imago; de ratione Filij dixit Sanctus Thomas quæſt. 27. vbi iam oſtendimus proceſſionem Filij eſſe propriè generationem; de ratione Verbi dictum eſt diſputatione præcedenti.

Reſtat

Restat dicendum de ratione imaginis, de qua tractat Angelicus Doctor in ista quæst. 35.

CAPVT I.

Quid & quotuplex sit imago.

1. August. Suppono primò Imaginem esse similitudinem ab aliquo expressam, vt docet sanctus Thomas hic artic. 1. ex Augustino lib. 83. quæstionum quæst. 74. & lib. 5. quæstionum in Deut. cap. 4. & libro imperfecto Genesis ad litteram cap. 16. sola ergo similitudo non sufficit: nam vnum ouum est alteri simile, nec tamen est ipsius imago; sed requiritur etiam processio; quæ duo Suarez. sufficere probat Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 8. num. 3. Ex communi vsu: nam inter homines Filius dicitur imago Patris cum sola similitudine, Vasquez. & origine ab illo. Cæterùm Vasquez 1. part. disput. 145. cap. 3. addit tertiam conditionem, scilicet quòd expressa sit ad repræsentandum. Et Cumel. Albertinus. quidem Cumel hic, Albertinus tom. 1. in prædicamento relationis corollar. 14. dubit. 13. atque alij communiter dicunt de ratione imaginis esse repræsentationem, aut vim repræsentatiuam. Suarez verò negat addendam esse hanc conditionem, quoniam illam non addidit Augustinus, & quatenùs potest continere sensum verum in duabus præcedentibus satis præcontinetur, pro euius maiori declaratione.

2. Suppono secundò, distingui triplicem imaginem, artificialem, intentionalem, & naturalem. Artificialis est similitudo alterius elaborata per artem ad exemplaris imitationem. Intentionalis est similitudo producta per potentiam cognoscitiuam ad repræsentandum intentionaliter obiectum talis potentiæ, qualis est species expressa. Naturalis est similitudo in natura, producta quidem ab alio ad ipsum realiter repræsentandum. Omnes istæ imagines conueniunt primo quatenùs sunt similitudines exemplarium, etsi diuerso modo: nam imago naturalis est similis per realem conuenientiam, vel vnitatem in forma, vel natura reali specifica, vel numerica. Artificialis est similis non in natura reali, sed in sola externa figura, vel lineamentis. Demùm intentionalis nullo modo est realiter similis obiecto, nec in natura, nec in figura, ducit tamen in cognitionem illius formaliter non minùs quàm aliæ imagines obiectiuæ; quapropter hæc imago intentionalis ab aliquibus vocatur metaphorica, & secundùm quid.

3. Conueniunt secundò in secunda conditione imaginis, scilicet in origine ab exemplari, quamuis in diuerso genere: nam imago naturalis procedit in genere causæ efficientis, & similiter intentionalis in nobis: nam ab obiecto paritur notitia. Ceterùm in Angelis, vbi species sunt congenitæ, nec hauriuntur ab obiectis, aliqui dicunt propterea non dari propriè imaginem intentionalem, sicut nec diuina cognitio est imago creaturarum, quia nullatenùs hauritur ab ipsis: alij admittunt in Angelis talem imaginem intentionalem: [illegible] enim ipsis dentur species intentionales distinctæ realiter à cognitione, quæ sint quasi vicariæ obiectorum, & illorum vice concurrant efficienter ad notitiam,

producunt hoc ipso reperiri processionem sufficientem ad rationem imaginis. Imago autem artificialis procedit a prototypo in solo genere causæ exemplaris.

Conueniunt tertiò, quatenùs omnes repræsentant exemplaria; modum autem repræsentandi licet in imagine artificiali, & intentionali facilè perspiciatur: nam illa quidem obiectiuè, hæc formaliter faciunt obiectum, aut exemplar intentionaliter præsens potentiæ, tamen in imagine naturali difficiliùs dignoscitur. 4. Suarez nullam aliam repræsentationem videtur agnoscere, quam naturalem similitudinem in natura receptam à patre, per quam filius præsentem facit naturam, saltem specificam, patris. Alij addunt, filium esse naturalem repræsentationem Patris, quoniam in genere causæ formalis facit patrem realiter præsentem, saltem quoad illam partem substantiæ paternæ, quam eandem numero retinet per generationem acceptam ex decisione seminis, ratione cuius refert naturaliter, & realiter patrem, quasi præsentans illum ipsum partialiter.

Si dicas hæc omnia communia esse cunctis productionibus substantialibus, præcipuè viuentium, etiam vegetabilium, quæ deciso semine generantur, cùm tamen hæc non soleant imagines suorum efficientium appellari: nec enim ignis productus est imago producentis, nec planta genita generantis. Respondeo primò cum sancto Thoma in hac quæst. 35. art. 1. similitudinem requisitam ad rationem imaginis esse debere vel in specie rei, vel in figura, quæ est præcipuum signum differentiæ specificæ animalium: cùm ergo hæc similitudo specifica multò magis eluceat in organica, & heterogenea compositione membrorum animalium, quàm in inanimatis, aut etiam in plantis, quæ minimum habent organi rationis inter viuentia; ratio & denominatio imaginis animalibus præcipuè tributa est. Sic videtur respondere Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 6. n. 12. Suarez. vbi admittit rationem imaginis non tribui iuxta communem vsum rebus homogeneis, ceterùm in viuentibus perfectis (ecce secludit vegetantia) nihil procedere perfectè simile suo principio ex vi processionis, quod non sit imago producentis. 5.

Respondeo secundò cum Albertino suprà, imaginem naturalem reperiri solùm in cognoscitiuis, quia paternus intuitus producit Filium cognoscendo seipsum tanquam exemplar quod imitetur in producendo, defectu cuius planta procedens ab alia planta non dicitur imago producentis: Quod sic potest declarari. Imago dicitur quasi imitago. Vnde sic definitur ab Aristotele 6. topic. cap. 2. loco 12. *Imago est id, cuius generatio per imitationem est*, vel iuxta Petionium, est id cuius origo ab imitatione perfecta est; imitari autem, & imitatio, sonat opus cognitionis respicientis exemplar, & dirigentis potentiam executricem ad repræsentandum in effectu, quod præcontinetur in mente: sicut ergo (inquit Abulensis cap. 30. Genes. quæst. 10.) artifex per formam exemplaris quod in mente conceptum gerit, imprimit similitudinem eius in rem fabricatam, sic anima sensitiua imaginem sensibilem, quam concepit in ipso ardore libidinis, imprimit fœtum, quod actus Iacob, & euentus fœtuum, vt illico [illegible] cum ex visu virgarum 6. Petionius. Abulensis.

variegatarum, & specie marinæ maculosarum oculis concipientium obiecta, milleque talia exempla satis confirmant. Videantur Hieronymus Genes. 30. Pereirus, & Rio ibi, Augustinus quæst. 93. Valles de sacra Philosophia cap. 11. & alij expositores, qui pro reddenda ratione talis euentus recurrunt ad naturam potentiæ generatricis, & ad maximam ipsius sympathiam cum imaginatione generantium; ex qua licebit arguere potentiam generatricem cognoscitiuorum aptam esse, quidem ex sese, vt a cognitione dirigatur, & operetur non solùm ex appetitu innato, sed etiam elicito intendente efformare, repræsentareque in geruto formam cognitam.

Hieron. Pereirus. Rio. Augustinus. Valles.

7. Quod confirmari potest ex experientia, quia videmus regulariter in brutis filios prodire similes parentibus, etiam indiuidualiter, & accidentaliter cùm frequentiùs discordent inter homines; cuius ea videtur apta ratio, quia cùm bruta operentur ex instinctu naturæ, & hæc inclinet ad cogitandum in actu generationis formam propriam, aut coniugis generantis repræsentandam in fœtu, ferè semper bruta sic cogitant, nisi per accidens rapiatur aliò tunc temporis imaginatio; ideoque fit inde, vt perfectio etiam accidentalis, aut indiuidualis fundiuidualiter intenta à natura reluceat in prole; quapropter in canibus, & equis inquiritur qualitas parentum, Hispanè *la casta*, quasi certum argumentum indolis filiorum simillimæ: At cùm homines pro libero arbitrio cogitationem facile diuertant ab eo, in quod natura propendet tempore coïtus, sæpiùs filij dissident à parentibus, quoniam hi non sui, vel coniugum, sed aliarum rerum exemplaria mente cogitantes, dum gignunt, talem sobolem producunt.

8. Consonat Isidorus lib. 12. Etymolog cap. 1. circa finem dicens, Iacob contra naturam similitudines colorum procurauit; nam oues illius tales fœtus concipiebant, quales vmbras arietum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Denique & hoc ipsum in equarum grege fieri dicitur, vt generosos obiiciant equos visibus concipientium, quo similes eorum concipere, & procreare possint. Nam & columbarum dilectores ponunt pulcherrimas columbas iisdem locis, quibus illæ versantur, quo videlicet rapiente visu similes generent. Etenim anima in vsu venereo formas extrinsecas intus transmittit, earúmque satiata typis rapit species obiectorum in propriam qualitatem. Hæc Isidorus, Vnde videor mihi colligere insitum esse à natura, vt in generationis ardore generans contempletur formam referendam in fœtu, & licèt Isidorus id solis fœminis attribuat, ad mares etiam cum Plinio, & aliis meritò extendit Martinus Del Rio lib. 1. Magicarum cap. 3. quæst. 4. & videtur magis naturæ conforme, vt fœmina cogitet marem, & mas fœminam contempletur tunc temporis, vt indicant exempla, quæ refert Isidorus, & quod ex Thoma Mauro narrant Pereirus, & Rio suprà. Ideò filij matrizant vbi magis se perdit virtus paterna, & è contra filiæ patrizant, vbi maternus influxus magis operatur.

Isidor. Del Rio.

9. Fit ergo ex his omnibus verosimile generationem animalium, sicut naturalissimum est opus naturæ, sic esse quoque naturalissimum opus cognitionis, quam requirit præambulam, & directricem ad modum exemplaris, ac appetitum inesse singulis indiuiduis, & innatum, & iuxtà naturæ propensionem elicitum, non modò propagandi speciem (quod est præcipuum) sed etiam se ipsa, quoad possint indiuidualiter, & accidentaliter referendi in filiis, & ad hunc finem esse connaturale, vt dum coniuges gignunt, vel seipsos cogitent ex amore proprio, vel alterutrum vicissim ex amore mutuo, vt ex vtriusque consideratione, & consensu reluceat imago naturalis in prole, eo quidem perfectior, quo magis exemplari conformis etiam indiuidualiter, & accidentaliter exstiterit; adeóque repræsentet, & faciat præsentem genitorem, vt dici possit, quod Ecclesiast. 4. *Mortuus est Pater eius, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.* Eccles. 4.

CAPVT II.

In diuinis imaginem dari propriè.

DVrandus in 1. dist. 28. quæst. 3. docet imaginem in diuinis non vsurpari propriè, sed impropriè, & latiori quadam significatione. Probat, quia Deus non est creaturarum imago cùm ab illis non procedat, nec vna persona diuina est propriè imago alterius, quia non est similis ipsi, nisi per rationem, siquidem relatio similitudinis in diuinis solùm est relatio rationis: ergo non est imago propriè. 1. Durand.

2. Dico tamen primò, in diuinis datur vera & propria imago, videlicet Filius: Sic enim appellatur Sap. 7. ad Coloss. 1. & ad Hebr. 1. & in sensu proprio sumitur à Patribus Chrysostomo ibi, Augustino, Ambrosio, Hilario, & aliis, consentiunt Scholastici in 1. dist. 27. & 31. S. Thomas hic, & eius sectatores, quos referunt Vasquez disput. 145. cap. 2. & Suarez lib. 9. cap. 8. Probatur primò: nam Scriptura potest in supradictis locis accipi propriè, & sine metaphoris, vt videbimus: ergo temerè recurrit Durandus ad tropos, & figuras. Probatur secundò, quia Filius diuinus habet omnes conditiones requisitas ad rationem imaginis; est enim similis Patri in natura, imò idem cum ipso in Deitate; procedit realiter ab illo, & repræsentat: ergo est imago. De primis duabus conditionibus videtur constare. Circa tertiam est specialis sententia Vasquij suprà cap. 5. dicentis, Filium esse imaginem solum intentionalem, quia repræsentat modo intelligibili, quatenùs exprimitur per intellectum Patris, vt Verbum illius; idque asserit, vt sic explicet, quomodo sit hoc attributum proprium solius Filij, qui est personaliter Verbum, & nullatenùs commune Spiritui sancto.

Sap. 7. Coloss. 1. Hebr. 1. Vasquez. Suarez.

3. Nihilominus dico secundò. Filius est non solùm intentionalis, sed etiam naturalis imago Patris, ita vt ratio imaginis primariò propriéque conueniat ipsi propter eandem naturam sub ratione naturæ conceptam formaliter ex vi suæ generationis. Ita significauit Paulus ad Hebr. 1. cùm Filium vocat figuram, seu characterem Patris, vt notat Ambrosius ibi, docetque Cyrillus cùm Concilio Alexandrino epistola 10. approbata in Concilio Ephesino.

vbi

vbi dicitur, *Propter eandem quam cum illo habet essentiam, & imago, & character, & splendor est gloriæ eius.* Idem habent Augustinus sæpe, Athanasius, & alij apud Vasquium disp. 113. & apud Suarium lib. 11. cap. 4. Dicentes eo esse Filium, quo imago, vel è contrà; sed ratio imaginis propria Filij non est intentionalis: nam hæc conuenit Verbo etiam creato, quod non est Filius: ergo consistit in imagine naturali; subindéque licet secunda persona sit simul imago intentionalis, & naturalis, sicut est Verbum & Filius; tamen ratio imaginis Intentionalis præcisè non sufficeret ad rationem imaginis propriæ Filij, nisi accederet imago naturalis, aut potius coincideret cum imagine intentionali; sicut intellectionem diuinam coincidere formaliter & essentialiter cum natura diuina docuimus suprà disp. 3. & lib. 1. disp. 16.

2. Itaque Filius repræsentat Patrem intentionaliter, quatenus est Verbum ipsius vt obiecti, & vt dicentis, ac subinde potest simpliciter imago intentionalis Patris appellari: repræsentat etiam & præcipuè naturaliter, quatenùs participat eandem numero naturam sub formali ratione intellectionis communicatam. Etenim paternus intellectus, intelligendo seipsum tanquam exemplar, quod imitetur in producendo generat Filium producta relatione, communicatáque formaliter ipsamet intellectione, ita vt similitudo geniti coincidat cum omnimoda vnitate, & imitatio prolis cum identitate naturæ, ac essentiæ paternæ: Sic intelligendus est Augustinus epist. 66. cùm dixit Patrem æternum genuisse alterum se: Sic intelligendus est Albertinus in coroll. 14. dubitat. 3. cùm docet Filium ex vi suæ originis produci per imitationem: Sic intelligendus est Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 8. num. 10. cùm ait quidquid est perfectionis in omni imagine, reperiri quidem in Verbo sine imperfectione: nam habet primariò rationem imaginis naturalis, & in illa formaliter inclusam rationem imaginis intentionalis, quatenus ad formalem, & essentialem constitutionem naturæ diuinæ pertinet intellectio diuina. Rationem autem propriam imaginis artificialis non habet, quia nec ab arte procedit, nec libera productione, sed quæ in arte facta est imitatio accidentalis in Verbo est supereminentiori modo substantialis, & essentialis per identitatem naturæ. Vide infra cap. 4.

Augustinus. Albert. Suarez.

3. Ad fundamentum Durandi Respondeo, facile similitudinem in natura requisitam ad rationem imaginis naturalis, sicut ad rationem propriam Filij non esse relationem formaliter, sed fundamentum illius, quod est vnitas, & quo hæc est maior, eò erit perfectior ratio Filij, vel imaginis naturalis, quamuis aliunde ex defectu distinctionis in forma non consurgat relatio realis similitudinis in illa. Quomodo verò non conueniat ratio imaginis Spiritui sancto, etiam quatenus naturalis est, ostendemus capite seq.

CAPVT III.

Solum Filium esse imaginem propriè.

1. DIco primò, Imago non dicitur essentialiter in diuinis, sed notionaliter; quia de ratione imaginis est distinctio, & processio ab exemplari: Nihil autem essentiale in Deo distinguitur realiter, aut procedit ab aliquo, cuius possit esse imago. Quare cùm Augustinus de fide ad Petrum cap. 1. dicit, Diuinitatem esse imaginem, ad quam factus est homo; S. Thomas hic art. 1. ad 1. explicat accepisse imaginem impropriè pro exemplari. Addit Suarez lib. 9. cap. 9. num. 11. Imaginem ibi non sumi ex parte Dei, sed ex parte hominis, sicut ea verba Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Dicit Pereyrus ibi posse dupliciter intelligi, vel de imagine, quæ sit in Deo; ita vt Dei natura fuerit tanquam exemplar ad cuius imitationem homo sit conditus; vel de imagine creata, quæ sit in homine, vt sit iste sensus: Faciamus hominem ita similem nostri, vt sit ipse velut nostra imago, & effigies: Priori sensu sumitur imago impropriè. Secundo verò sensu sumitur propriè, tamen homo non dicitur simpliciter imago Dei, sed velut imago, vel ad imaginem, quoniam imperfecta est; & quidem iuxta sensum illum secundum capienda fore verba Genesis, probat Suarez suprà, quia cùm dicitur factus homo ad similitudinem Dei, non significatur similitudo, quæ sit in Deo, sed quam homo participat: ergo similiter loquitur Scriptura de imagine.

Augustinus. Suarez. Genes. 1.

2. Quare Durandus in 1. dist. 28. quæst. 3. eo modo, quo concedit imaginem in Deo, videlicet impropriè, seu latè, fatetur non dici essentialiter, seu notionaliter, quia significat processionem: Addit verò, conuenire quoque Spiritui sancto, quatenus procedit etiam similis producenti, licet appropriatur Filio, quia procedit per modum naturæ: & communiter Filius præ se fert imaginem parentis. Imò Athanasius, Basilius, Gregorius Nyssenus apud Suarium lib. 11. cap. 6. num. 1. absolutè vocant Spiritum sanctum imaginem Filij, & in eandem sententiam inclinat Aureolus in 1. dist. 27. art. 2.

Durand. Suarez. Aureolus.

3. Dico tamen secundò, ratio imaginis conuenit propriè soli Filio; non autem Spiritui sancto, sic S. Thomas hic art. 2. & omnes ferè Scholastici Doctores, Patrésque Latini; Græcorum etiam Origenes, & Athanasius apud Suarium suprà, & apud Vasquium 1. part. disp. 145. cap. 2. Probatur primò ex Scriptura, vbi solus Filius dicitur imago. Signum est ergo, quòd nulla alia persona sit imago. Et quamuis hoc argumentum sit negatiuum; non tamen est inefficax in præsenti, accedente scilicet sensu communi Patrum, & simul coniectura non leui, nimirùm inde sumpta, quòd cùm frequenter Filius nominetur imago, nunquam talis denominatio, vel aliquod illius indicium alij personæ tribuatur. Probatur secundò ratione, quia Pater nec est imago sui, à quo non distinguitur, nec aliarum personarum, nec prorsus aliarum rerum, cùm à nullo procedat. At Spiritus sanctus in quo videtur esse maior difficultas, omissis aliorum rationibus sic excludendus est iuxta supradicta disp. 3. & 4. Nam in primis non est imago intentionalis, cùm non exprimatur ab intellectu ad intelligendum, aut repræsentandum intentionaliter, nec procedat formaliter per intellectionem, sicut procedit Verbum. Rursùs non est imago naturalis, sicut nec est Filius; quia non habet naturam diuinam formaliter ex vi suæ processionis communicatam, ac subinde nec similitudinem formaliter in illa, sicut habet Verbum; ita Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 6. num. 7. & nos latiùs suprà disput. 3. & 4. Albertinus suprà num. 2. probat à Albertin. priori,

Vasquez. Suarez.

priori, quia solus Filius producitur in diuinis per imitationem: At in productione Spiritus sancti proponitur voluntati diuina bonitas, non vt exemplar ad imitandum, sed vt finis amandus. Quæ quidem ratio debet tandem cum nostra coincidere, atque explicari iuxtà suprà dicta cap. 2. num. 2.

4. Ad fundamentum Durandi constat, non sufficere ad rationem imaginis similitudinem in natura quasi materialiter, & identicè, sed requiri formaliter, quo pacto reperitur in Filio, & non in Spiritu sancto. Patres illos Græcos dicit S. Thomas hic ad 1. vsos fuisse nomine imaginis pro similitudine perfecta; potest etiam addi Græcam vocem latiùs patere quàm Latinam *imago*; & vtrumque significare vel imaginem, vel similitudinem vtcunque, interpretésque minùs intentos rigorosæ locutioni, quàm par esset vertisse imaginem pro similitudine. Vasquez suprà num. 5. & Albertinus asserunt, eos fuisse locutos impropriè, potiùs rationem similitudinis, quàm imaginis attendentes. *Vasquez.*

5. Si dicas Spiritus sanctus habet formaliter ex vi suæ processionis volitionem diuinam: ergo quoad istam saltem erit imago Patris & Filij referens formaliter, & repræsentans ipsorum amorem; quæ quidem imago licèt non sit naturalis, id est naturæ, simpliciter erit imago, sicut artificialis, etsi non repræsentet exemplar in natura, sed in figura externa, simpliciter est imago. Respondeo nomen imaginis non esse extensum ad significandam quamcunque similitudinem, sed solùm artificialem, intentionalem, & naturalem, quæ est propriè in natura ex intentione primaria producentis; & adeò similitudo in amore licèt substantiali, quamuis repræsentet amorem producentis, non est verè, ac propriè imago naturalis, sicut nec Filius.

CAPVT IV.

Cuius imago sit Filius.

1. DIco primò: Filius est imago solius Patris; ita Doctores suprà relati, & concors sententia Theologorum. Probatur primò ex Scriptura, quæ nunquam vocat Filium imaginem alterius nisi Patris; Cùm enim ad Coloss. 1. dicitur *imago Dei inuisibilis*, præcesserat sermo de Patre. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre.* Similiter intelligendum est id ad Hebr. 1. *Figura substantiæ eius*, & Sapientiæ 7. *Imago bonitatis Dei.* Tum quia *Deus* simpliciter prolatus sumi solet pro Patre, vt notat ex vsu Ecclesiæ Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 9. num. 7. tum etiam quoniam in his locutionibus ex vi relatiuæ vocis *Imago* restringitur *Deus* ad supponendum pro persona Patris, sicut cùm dicitur Deus de Deo, vel Filius Dei, determinatur vox *Deus* ex adiuncto. Probatur secundò ex Patribus, præsertim Augustino 7. de Trinit. cap. vlt. vbi docet expresse, Filium esse imaginem solius Patris. Probatur tertiò ratione, quia Filius à solo Patre procedit: sed ad rationem imaginis requiritur processio: ergo Filius solius Patris esse potest imago; quod latè prosequitur Suarez suprà toto cap. 9. rectéque ostendit de imagine naturali ponissimum intelligendum esse. *Coloss. 1. Hebr. 1. Sap. 7. Suarez. August.*

2. An autem possit etiam dici Filius imago intentionalis Patris? Quidam omninò negant, quia Pater per modum obiecti non alio modo concurrit ad productionem Verbi, quam reliquæ personæ diuinæ, vel etiam creaturæ, scilicet terminatiuè solùm absque vero concursu obiecti; sicut ergo Verbum non dicitur imago creaturarum, aut Spiritus sancti, quia licèt repræsentet hæc omnia, non tamen vt obiecta motiua, à quibus obiectiuè determinetur aliquo modo; sic non dicetur imago intentionalis Patris, siquidem hic nec mouet, nec determinat in ratione obiecti magis, quàm alia obiecta. Ceterùm alij simpliciter affirmant, quia Filius exprimitur à Patre per intellectum ad se intentionaliter repræsentandum: Cùm verò Pater ex vi suæmet intellectionis det Filio hanc ipsam intellectionem, quæ est repræsentatio cognoscibilium omnium, & per consequens ipsius Patris; hinc fit, esse Filium intentionalem imaginem Patris, à quo procedit; attamen aliorum, à quibus non procedit, nimirum suimet ipsius, & Spiritus sancti, & essentiæ diuinæ, & attributorum non est propriè imago intentionalis, sed solùm similitudo, ac Verbum: nam ad hoc non est necessaria processio realis ab obiecto, cuius est Verbum, vt repræsentati solùm, sed sufficit expressio ipsius, etsi requiratur processio realis à dicente, cuius est Verbum vt loquentis per illud: Imago verò requirit processionem etiam respectu imaginati, vel intentionaliter repræsentati.

Existimo quidem hanc rationem imaginis intentionalis etiam in nobis esse minùs propriam, & magis impropriam in Verbo diuino; tamen aliquo modo posse tribui Verbo respectu dicentis semetipsum per illud, vel respectu obiecti motiui; quatenus Verbum procedit vel ex specie intelligibili realiter, vt in nobis, vel ex intellectione notionali, vt in Deo: licèt enim sola essentia diuina gerat munus speciei respectu diuinæ cognitionis, tamen sicut intellectio diuina superaddita virtualiter relatione, quæ requiritur ad distinctionem realem, est principium *quo* productiuum physicè Verbi diuini; sic potest asseri cum eadem distinctione quam à relatione desumit, esse principium quodammodo intentionale, seu quasi exemplar, quod exprimat Verbum: Quemadmodum enim in ratione Filij, & imaginis naturalis est secunda persona similis in natura, non ipsi naturæ, quia non distinguitur ab illa realiter, & ad similitudinem realem etiam fundamentalem requiritur distinctio realis similium; sed est similis Patri ex natura, & personalitate constituto, qui subinde claudit vnitatem simul, & distinctionem: Sic in ratione Verbi, ac imaginis intentionalis est similis in repræsentatione, ac intellectione, non ipsimet intellectioni essentiali, à qua non distinguitur, sed intellectioni notionali claudenti simul repræsentationem cum relatione, proindéque cum distinctione requisita ad rationem principij dicentis Verbum. 3.

Si petas, cui personæ Verbum diuinum repræsentet intentionaliter obiectum, ad quod repræsentandum profertur? Vasquez 1. part. disp. 144. num. 8. & alij putant, exprimi ad repræsentandum Patri omnia, ita vt Pater in Verbo, vt in termino à se producto omnia tanquam in speculo intueatur; sed meliùs asserunt alij Verbum diuinum exprimi, vt sibimet repræsentet intentionaliter omnia: Cùm enim producatur ex primaria intentione vt sit intellectio, seu sapientia genita, 4. *Vasquez.*

genita; formaliter etiam producitur, vt intelligat; ac subinde, vt sibimet intentionaliter repræsentet omnia cognoscibilia cognitione scilicet à Patre recepta: nam illa alia repræsentatio per modum obiecti in quo Pater se cognoscat, & alia omnia, communis est omnium personarum, in quibus cognoscuntur omnia, & omnes etiam cognoscunt in Verbo: Repræsentatio quippe omnium intelligibilium conuenit Verbo ratione essentiæ diuinæ, quare sicut essentia est in omnibus personis, sic etiam illa repræsentatio, atque idem obiectum habet in omnibus: quidquid ergo singulæ personæ cognoscunt in alia, cognoscit vicissim altera in singulis, vt docet Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 10. num. 5. & 6. Nec iure Vasquez notat sic opinantes erroris non leuis; quia cùm Verbum Patris appellatur, processio denotatur à dicente, non repræsentatio obiectiua, quæ communis est, vt explicuimus. Videatur etiam Suarez cap. 9. num. 12. (Suarez.)

5. Dico secundò: Omnes istæ rationes Filij, Verbi, & Imaginis sunt de quidditate notionali secundæ personæ. Sic Albertinus suprà num. 4. (Albertin.) Probatur; nam ex vi processionis adæquatæ per intellectum procedit secunda persona formaliter vt Filius, quatenùs accipit naturam diuinam formaliter; procedit vt Verbum quatenus est formalis terminus dictionis exprimens intellectionem Patris; procedit vt imago, quatenùs producitur per imitationem exemplaris paterni modo dicto: ergo sunt omnes de quidditate personali secundæ personæ, solumque differunt penes implicitum, & explicitum: Filius enim magis exprimit relationem producti. Verbum exprimit relationem dicti, & repræsentantis intentionaliter obiecta, quæ si non distinguantur realiter à cognitione, erit relatio rationis, si verò distinguantur realiter, vt creaturæ, erit relatio realis, vt diximus disp. 15. cap. 5. num. 4. Imago potissimum exprimit fundamentalem illam similitudinem, licèt includat etiam relationem procedentis. Videatur Vasquez disp. 145. n. 15. & 16. (Vasquez.)

6. Dicunt etiam Patres apud Suarium lib. 9. cap. 10. Filium esse sapientiam Patris, & potest vox *Sapientia* sumi, vel essentialiter, & tunc solùm per appropriationem conuenit Filio, vel notionaliter, & ad tollendam æquiuocationem addendum est aliqoid, quo id significetur, vt cùm dicitur sapientia genita, vel sapientia de sapientia; & sic dicitur propriè sapientia Patris, dum ille genitiuus *Patris* non significet habitudinem causæ formalis, sed originis, vt notat Athanasius contra Gregales Sabellij dicens, *Sapientia Patris est Filius, non vt in homine, vbi per sapientiam est sapiens, sed ex sapiente sapientia illa ortum habet.* Ratio est, quia Pater nullo modo recipit sapientiam à Filio in genere causæ formalis, sed potiùs illam ipsi communicat in genere productiui; Quare Pater non potest dici *sapiens sapientia genita*, quia denotatur habitudo formæ; Filius autem non est forma Patris, & consequenter omnes locutiones significantes causalitatem formalem in Verbo, respectu Patris, reiiciendæ sunt. Ideò propositionem illam *Pater est sapiens sapientia genita*, retractauit Augustinus 1. Retract. cap. 26. & sæpè alibi. Videatur Suarez eo cap. 10. vbi num. 10. alia nomina secundæ personæ percurrit. Nos iam ad tertiam accedamus. (Suarez. Athanas. August. Suarez.)

QVÆSTIO XXXVI. S. Thomæ.

De iis, quæ pertinent ad personam Spiritus sancti.

ARTIC. I.

Vtrùm hoc nomen Spiritus sanctus sit proprium alicuius diuinæ personæ.


CONCLVSIO: Licèt in re sit commune, vsu tamen Scripturæ, & Ecclesiæ accommodatum est tertiæ personæ, vt constat Matth. 28. & 1. Ioan. 5. accommodationis verò duplex fuit ratio. Prima, quia (Matth. 28. 1. Ioan. 5.) sicut Spiritus sanctus communis est Patris, & Filij nexus ab vtroque procedens, sic debuit sortiri nomen commune quidem ambobus, qui Spiritus sunt. Secunda, quia Spiritus impulsum sonat, & ita congruenter adaptatur procedenti per voluntatem. Notant verò nonnulli nomen istud, si sumatur in ratione duarum vocum, esse nomen essentiale, si verò sumatur in ratione vnius vocis, esse notionale, certè diiudicandum id esset ex adiunctis, iam rarò, vel nunquam sumitur essentialiter apud ecclesiasticos.

ARTIC. II.

Vtrùm Spiritus sanctus procedat à Filio.

CONclusio est affirmatiua de fide. Sumitur ex Scriptura Ioan. 16. & ex Conciliis, & Symbolo Athanasij, & Ecclesiastico. Ratione probat S. Thomas, quia si non procederet à Filio, non distingueretur ab illo, subindéque tolleretur Trinitas personarum. (Ioan. 16.)

ARTIC. III.

Vtrùm Spiritus sanctus procedat à Patre per Filium.

COnclusio affirmat, & probatur, quia significat ea propositio, quòd Filius habet à Patre virtutem ad spirandum; non autem dicitur è contrà procedit à Filio per Patrem, qoia non attenditur ordo inter Patrem, & Filium quantum ad virtutem, cùm sit eadem in vtroque, sed solùm quantum ad supposita, in quo ordine Filius est à Patre, non è contrà.

ARTIC. IV.

Vtrùm Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus sancti.

COnclusio affirmat, & probatur, quoniam in ratione principij spiratiui non opponuntur Pater, & Filius: ergo sunt vnum.

DISPV

DISPVT. XVII.

De processione Spiritus sancti.



X supradictis disp. 15. constat, quomodo Spiritus sanctus procedat essentialiter ex amore Deitatis, & Patris simul, Filiique reciproco: Veruntamen adæquatè ex amore attributorum, & ipsius tertiæ personalitatis, ac omnium reflexionum, quæ circa hæc obiecta possunt considerari: At ex amore creaturarum, siue futurarum, siue possibilium neutiquam quia talis amor liber est, processio verò Spiritus sancti necessaria. Nunc restat disquirendum à quibus personis procedat, & quo pacto.

CAPVT I.

Error Græcorum.

1. Ioan. 15. PRocedere Spiritum sanctum à Patre negauit nemo: nam expresse dicitur Ioan. 15. *Spiritus, qui à Patre procedit*, & Pater dicitur fons totius diuinitatis, id est, ceterarum personarum principium. Procedere tamen à Filio negauit Theodorus quidam Nestorianus (Alij vocant Theodoretum) circa annum 430. vt colligitur ex Concilio Ephesino tom. 2. cap. 39. Concil. Ephes. Postmodum amplexi sunt istum errorem Græci, qui hac potissimùm occasione in apertum schisma eruperunt circa annum 1050. Adhuc sequuntur aliqui in Græcia, & Armenia, & ex Lutheranis in Moscouia. Valentia. Vasquez. Videantur Valentia tom. 1. disp. 2. quæst. 10 puncto 2 & Vasquez 1. part. disp. 146.

2. Ioan. 15. Probatur primò ex Scriptura Ioan. 15. Vbi Christus docet. Spiritum à Patre procedere; quòd si procederet etiam à Filio, id Christus Dominus non tacuisset. Cyrill. Ierosol. Fauet Cyrillus Ierosol. catechesi 16. vbi sic ait. *Dicamus de Spiritu sancto ea tantùm quæ scripta sunt; si quid autem scriptum non est, curiosè non scrutemur, ipse Spiritus sanctus elocutus est Scripturas, ipse de seipso dixit, quantum voluit, aut quantum fuimus capaces. Quæ ergo ille non dixit, nos non audeamus.*

3. Côc. Nicen. Constant. I. Probatur secundò ex Conciliis Niceno, & Constantinopolitano I. Vbi solùm ponitur in symbolo Spiritum sanctum ex Patre procedere, nec illius processio à Filio proponitur credenda: Symbolum autem quod traditur pro regula fidei deberet omnia credenda proponere: imò cùm in tertia, & quarta Synodo facta sit sub anathemate prohibitio, ne aliquid immutetur de fide contenta in Symbolo antiquo, vbi non erat hæc particula *Filióque*, incusant nos Græci, quoniam illam addidimus, non solùm tanquam à fide deuios, sed etiam vinculis anathematis illigatos. Magister. Præsertim quia teste Magistro in 1. dist. 11. cap. 2. Leo Papa III. circa annum 900. post altare B. Pauli in tabula argentea Symbolum Constantinopolitanum sine illo additamento sculptum reliquit, subiungens hæc verba. *Qui aliter docuerit, vel aliter prædicauerit, Anathema sit.*

4. Dionys. Probatur tertiò ex Patribus: Dionysius enim de diuinis nominibus cap. 2. vocat Patrem fontem supersubstantialis Deitatis: Si autem Spiritus sanctus procederet à Filio, etiam Filius esset fons. Deinde Basilius epist. 43. Sic ait. Basilius. *Nullum secundùm propriam notionem communionem habet Filius cum Patre.* Quòd si Spiritus sanctus à Filio procederet, in notione spiratoris Pater, & Filius conuenirent. Magis expresse Damascenus 1. de fide cap. 11. negat Spiritum sanctum ex Filio esse. Damascen. Similiter loquitur Euthymius in id Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem*, & Theophylactus in id Ioan. 3. Euthym. Theophyl. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio.* qui nostrum loquendi modum acriter reprehendit.

5. Probatur quartò, quoniam in primo instanti originis, antequam Filius producatur, iam Pater habet sufficientem virtutem ad spirandum: ergo actus spirandi prius origine est in Patre, quam in Filio: ergo Spiritus sanctus in illo priori intelligitur procedere tantùm à Patre. Probatur quintò, quia si Spiritus sanctus procederet à Patre, & Filio, procederet per duas origines, & à duobus principiis: sed consequens est absurdum: ergo & antecedens. Sequela probatur, quia Pater & Filius sunt duo supposita distincta: ergo duo principia: ergo producunt per duas origines. Quod autem hoc sit absurdum, ostenditur, quia Spiritus sanctus procedit per amorem tantùm: ergo non potest procedere nisi per vnicam originem. Probatur sextò, quia si Spiritus sanctus procederet à Patre & Filio, essent hi duo similiores inter se, quàm cum Spiritu sancto, quod est absurdum, sequela probatur: nam essent similes in spirando, & in virtute spiratiua, quàm non haberet Spiritus sanctus.

CAPVT II.

Catholica Latinorum veritas.

1. DIcendum tamen est, Spiritum sanctum procedere non solùm à Patre, sed etiam à Filio. Est conclusio de fide. Probatur primò, ex Scriptura Ioan. 16. dicit Christus Dominus. Ioan. 16. *Ipse de meo accipiet, & annunciabit vobis*, redditque rationem. *Quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Vnde sic argumentor. Persona diuina nihil accipit nisi ab illa, à qua procedit: sed Spiritus sanctus accipit à Filio scientiam, & cognitionem, vt constat ex verbis citatis: ergo procedit à Filio; ideoque concludit Augustinus tract. 100. in Ioan. Augustinus. *Si virtus spirandi est in Patre, est etiam in Filio, quia omnia, quæ sunt Patris, sunt etiam Filij.*

2. Theophyl. Euthym. Theophylactus, & Euthymius aliter interpretantur *De meo accipiet*, id est, loquetur consentanea iis, quæ ego docui; vel de meo accipiet, id est, ex meo thesauro, qui est Pater, Vnde ego etiam accepi: sed neutra expositio quadrat, non prior, quia Christus non solùm dicit de meo accipiet, sed etiam non loquetur à semetipso, quasi Spiritus sanctus non solum locuturus sit consentanea doctrinæ Filij, sed ea ipsa non à semetipso, sed accepturus sit à Filio, non per disciplinam, qua non indiget, cum nihil ignoret, sed per æternam vtique processionem. Nec posterior, quia Pater non est thesaurus scientiæ quoad paternitatem, sed quoad essentiam, quæ communis est illi cum Filio, iuxta illud ad Coloss. 2. Coloss. 2. *In Christo Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Si ergo Spiritus sanctus accipit

scientiam

ſcientiam de hoc theſauro, neceſſariò illam ac-
cipit de eſſentia, quæ eſt communis Patri, & Fi-
lio, ac ſubinde non magis ab vno accipit, quàm
Dydimus. ab alio. Vnde Dydimus lib. 5. de Spiritu ſancto,
Cyrillus. & Cyrillus in hunc locum Ioannis, fatentur hinc
deduci, Spiritum ſanctum a Filio produci.
3. Item Ioannis 15. & 16. dicitur Spiritus ſanctus
Ioan. 15. & à Filio mitti: ſed perſona diuina non mittitur
16. propriè, niſi ab eo à quo procedit: ergo Spiritus
ſanctus procedit à Filio. Minor probatur: nam
omnis miſſio, vel eſt per imperium, ſicut ſerui
mittuntur à Domino, vel eſt per conſilium, ſicut
ægroti mittuntur à medico ad balneum, vel per
naturalem emanationem, ſicut arbor dicitur
emittere florem: ſed Spiritus ſanctus non mitti-
tur à Filio per imperium, vel conſilium, cùm ſit
tam potens ac ſapiens quàm Filius: ergo mitti-
Auguſt. tur per naturalem emanationem. Vnde Auguſti-
nus 4. de Trinit. cap. 20. dicit Filium mitti, nihil
aliud eſſe, quàm Spiritum ſanctum procedere.
4. Reſpondent Græci, hanc miſſionem Spiritus
ſancti à Filio non ſignificare proceſſionem inter-
nam, ſed miſſionem externam, quæ conſiſtit in
diſtributione donorum gratiæ: cùm enim Filius
det etiam hominibus ea, quæ dicuntur Spiritus
ſancti dona, dicitur quidem dare, ſeu mittere
Spiritum ſanctum. Sed contrà, primò, quia non
minùs verè, ac propriè Scriptura dicit mitti Spi-
ritum ſanctum à Filio, quàm mitti Filium à Patre:
ſed quando Pater dicitur mittere Filium, non eſt
ſenſus quòd miſerit tantùm dona quædam Filij,
ſed ipſum Filium: ergo idem eſt de miſſione Spi-
ritus ſancti. Secundò, quia ſi mittere Spiritum
ſanctum nihil aliud eſt, quàm dare dona Spiritus
ſancti; ergo etiam Pater mittitur à Filio, & à
Spiritu ſancto: nam hi dant omne donum deſ-
cendens à Patre luminum; id autem nuſquam le-
Auguſt. gitur in Scriptura, vt notat Auguſtinus 2. de
Iſaiæ 48. 16. Trinit. cap. 5. Quòd ſi Filius Iſaiæ 48. num. 16. &
& 61. 1. cap. 61. num. 1. dicitur mitti à Spiritu ſancto, in-
telligitur quatenus homo eſt, non quatenus Deus
Rom. 8. eſt. Denique Roman. 8. & ad Galat. 4. Spiritus
Galat. 4. ſanctus dicitur Spiritus Filij, quod non eſſet ve-
Suarez. rum, niſi referretur ad Filium, vt oſtendit Sua-
rez lib. 10. cap. 1.
5. Vnde facilè ſoluitur primum argumentum
Græcorum: habetur enim noſtra concluſio in
Scriptura ſatis, & quando Ioan. 15. dicitur Spi-
Auguſtinus. ritus procedere à Patre, reſpondet Auguſtinus
lib. 3. contra Maximinum cap. 14. non excludi
Filium, ſed exprimi Patrem vt primum authorem,
& principium ſine principio, in quo videlicet, &
Cyrillus. à quo eſt omnis virtus ſpirandi. Addunt Cyrillus
Anſelm. in defenſione noni anathematiſmi, & Anſelmus
in proceſſione Spiritus ſancti non excludi Filium:
nam in iis, quæ non repugnant filiationi, quid-
quid tribuitur Patri, intelligitur attributum
Filio; maximè cùm in aliis locis, vt vidimus, ma-
nifeſtè ſignificetur proceſſio Spiritus ſancti à Fi-
lio, & ibi etiam addatur, quem ego vobis mittam,
quia miſſio eſt æterna perſonæ proceſſio, vt di-
ctum eſt.
6. Probatur ſecundò ex Conciliis; Citantur anti-
Cõcil. Alex. quiora nonnulla, ſcilicet Alexandrinum cum
Cyrillo epiſt. 10. vbi veritatem iſtam propugnat
contra Theodotum, & Neſtorium; habetur in
Epheſin. Concilio Epheſino tom. 1. cap. 14. & to. 2. appro-
Molina. batur. Quare Molina in hac quæſt. 36. art. 2. diſp.
Vaſquez. 1. & Vaſquez diſp. 146. cap. 3. cenſent definitam
eſſe noſtram concluſionem in aliqua ex quatuor
primis generalibus ſynodis, ſcilicet in tertia,
quæ fuit Epheſina & ſubinde in quarta, quinta,
& ſexta, in quibus ea epiſtola Cyrilli, & vniuer-
ſaliter omnes eius epiſtolæ ſynodales approban-
tur. Sed certè nec agebatur præcipuè de hac quæ-
ſtione in illis Conciliis, nec verba ſunt ita ex-
preſſa, vt poſſimus hæreſis damnare illos, qui
contrarium eo tempore aſſeruerint. Nam vbi no-
ſter Peltanus vertit in Epheſino. *Quandoquidem* Peltanus.
*Spiritus veritatis nominatur, Chriſtus autem veri-
tas eſt, ſed & perinde quoque ab illo, atque à Deo
Patre procedit.* Legitur in Cyrillo epiſt. 10. *effun-
ditur*, vel vt alij vertunt, *emittitur ab eo, ſicut ex
Deo Patre*: Spiritum autem effundi, & emitti à
Filio fatebantur nonnunquam Græci in Florenti-
no nolentes admittere Spiritum à Filio procede-
re, vt conſtat ſeſſ. 25. in ſcripto Græcorum, &
vrgebant Latini, vt etiam procedere faterentur.
Itaque prima ſeptem generalia Concilia cele- 7.
brata ſunt apud Græcos. Primum fuit Nicenum Conc. Nic.
contra Arium, de Diuinitate Chriſti, cuius Sym-
bolum ſolùm dicit, Credo in Spiritum ſanctum,
rationem reddit Nazianzenus epiſt. 2. ad Celido- Nazianz.
nium, quia nondum exorta fuerat quæſtio de pro-
ceſſione Spiritus ſancti. Secundum fuit Conſtan-
tinopolitanũ contra Macedonium de diuinitate
Spiritus ſancti, cuius Symbolum addidit hæc ver-
ba, *Qui ex Patre procedit*, nulla facta mentione
Filij, quia tunc temporis, dubium non erat, an
Spiritus ſanctus procederet à Filio (hoc enim
Macedoniani concedebant, vt conſtat ex Baſilio Baſilius.
lib. 2. contra Eunomium) ſed an procederet à Pa-
tre: nam hoc negabant Macedoniani, dicentes
Spiritum ſanctum eſſe creaturam à ſolo Filio pro-
ductam. Tertium fuit Epheſinum contra Neſto- Cõc. Epheſ.
rium, in quo & tribus ſequentibus nihil habetur
expreſſum de proceſſione Spiritus ſancti à Filio,
nec de illa tractabatur. In ſeptimo tamen Conci-
lio Generali, quod eſt Nicenum II. act. 7. Sym- Nicen. II.
bolum, quod dicitur eſſe ſecundùm ſynodum
Nicenam primam, ſic habetur. *Credimus in Spi-
ritum ſanctum viuificantem, qui ex Patre, Filióque
procedit.* Notatque Seuerinus Binius in editione Binius.
Conciliorum Colonienſi anni 1606. addita fuiſ-
ſe verba illa in odium Iconoclaſtarum, contra
quos præcipuè Concilium illud celebratum eſt:
nam iſti ſimul cum veneratione imaginum nega-
bant proceſſionem Spiritus ſancti à Filio.
In Conciliis Latinis definitur hæc veritas in 8.
Toletano I. cap. 21. in Toletano III. IV. VI. VIII. Concil Tol. I. III. IV. VI. VIII.
Vbi primum reperitur ea particula *Filióque* addi-
ta ſymbolo circa annum 653. cetera enim anti-
quiora, quæ adducuntur incerta ſunt, vt conſtat
ex variis eorundem editionibus. Ideò Alberti-
nus, Valentia & alij fatentur, incertum eſſe quo
anno, vel à quo Pontifice ſit addita, repetitur in
Toletano XI. XII. & XIII. Definitur etiam no- Tolet. XI. XII. XIII.
ſtra Concluſio in Concilio Lateranenſi ſub Inno- Conc. Later.
centio III. cui Græci quidem interfuerunt, &
conſenſerunt, vt patet ex cap. 4. eiuſdem Conci-
lij: Deinceps in Lugdunenſi ſub Gregorio X. cui Conc. Lugd.
ſimiliter interfuerunt Græci, & omnibus conſen-
tientibus cantatum eſt ſymbolum cum additione
Filióque ter Græcè, terque Latinè: Definitur
etiam in Concilio Barenſi, cui Anſelmus inter- Conc Bareſ.
fuit, vt ipſe narrat lib. de proceſſione Spiritus ſan- Anſelm.
cti cap. 4. Rurſus in Florentino poſt longam inter Conc. Flor.
Græcos, & Latinos diſſenſionem: in VVormа- Conc. VVor.
cienſi, in Tridentino ſeſſ. 3. aliiſque multis. Tridentin.
Hinc ſoluitur ſecundum argumentum Græ- 9.
corum:

corum: constat enim cur in illis primis Conciliis non expressa fuerit ista veritas: Nec additio illius particulæ, *Filiòque* fuit contra prohibitionem Synodi III. & IV. quæ solùm vetabant mutationem, non additionem, quam maioris claritatis gratia temporum varietas, & quæstiones subortæ requirebant. Quòd si nec hoc fine, & modo liceret Verbum addere, damnari deberet etiam Concilium Constantinopolitanum, quod addidit processionem ex Patre, imò cuncta ferè posteriora Concilia, quæ nouam fidei declarationem, seu definitionem prioribus addiderunt. Quare huic Græcorum querelæ satis in Florentino factum est.

10. Tertull. Hilarius & alij. Athanasius. Probatur tertiò ex Patribus, Latini omnes nemine discrepante conueniunt. Tertullianus, Hilarius, Augustinus, Ambrosius, Leo Magnus, & alij apud Suarium, & Valentiam suprà. Ex Græcis Athanasius in Symbolo, quod licèt Græci contendant non esse Athanasij, manifestè tamen authoritate Conciliorum & Patrum, qui recipiunt illud vt Athanasij, atque potissimum vsu totius Ecclesiæ sub titulo Athanasij Symbolum illud recitantis reuincuntur; ipséque Athanasius satis se prodit in aliis locis. Consentiunt Basilius, Cyrillus, Epiphanius, & plerique relati in Florentino præsertim in oratione Bessarionis.

11. Bellarm. Damasc. Bessarion. Damascenum possumus cum Bellarmino lib. 2. de Christo à cap. 20. aliisque Recentioribus excusare sufficienter ab errore quem illi S. Thomas impingit in hac quæst. 36. art. 2. nam eo cap. 11. docet apertè Damascenus, Spiritum sanctum non esse ex Filio, sed per Filium communicari, & esse Spiritum Filij, illa verò præpositio *per* rationem principij denotat, vt probat Bessarion suprà cap. 6. nec potest à Damasceno dici Spiritus esse Filij, nisi per originem; Quippe ratione solius identitatis in natura Pater etiam & Filius dicerentur esse Spiritus sancti, quod est inauditum. Igitur quia Damascenus & alij Græci Patres putarunt has propositiones *a*, *de* vel *ex* denotare rationem primi principij, soli Patri tribuendas censuerunt, ideoque non dicebant procedere Spiritum sanctum ex Filio, sed ex Patre per Filium, vt Patrem esse primum principium, & Filium non primum, sed principium de principio designarent. Sic intelligit Vasquez Euthymium, & Theophylactum in contrarium adductos. Basilius autem, & Nazianzenus loquuntur solùm de proprietatibus personalibus, & de relationibus oppositis generantis, & geniti, in quibus Pater, & Filius non communicant, non tamen id negant de relatione spiratoris. Vnde soluitur tertium argumentum Græcorum.

12. Probatur quartò ratione à priori: nam de ratione procedentis per voluntatem est procedere post illud, quod procedit per intellectum, siquidem tam in Deo, quàm in nobis voluntas est posterior in operando, quàm intellectus: cùm ergo Spiritus sanctus sit à voluntate, erit posterior Filio qui est ab intellectu: sed in Deo nihil est prius, aut posterius nisi origine, quia prioritas temporis repugnat æternitati, & prioritas naturæ repugnat summæ independentiæ: ergo Spiritus sanctus est origine posterior quàm Filius: ergo procedit ab illo, vt à principio: non enim potest aliter esse posterior. A posteriori probatur ratione S. Thomæ, quia si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo, cuius sequelæ vis examinanda est capite sequenti.

CAPVT III.

An si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab illo.

1. HÆc est vna ex potissimis rationibus, quibus nostri Theologi contra Græcos vsi sunt, quia supposita distinctione personarum, quam Græci non inficiantur, si hæc stare non potest inter secundam & tertiam personam sine processione huius ab illa, rectè concluditur talis processio. Nec procedit quæstio de his personis, prout nunc sunt, quia Filius, vt nunc est, includit volitionem fœcundam, ac spirationem actiuam; & Spiritus sanctus includit processionem passiuam, quæ petit à duobus suppositis emanare: Quare si Spiritus sanctus non procederet à Filio, nec esset hic Filius, nec hic Spiritus sanctus: Intelligimus ergo nomine Filij personam genitam per intellectum, quæcunque illa sit, & nomine Spiritus sancti personam spiratam, quæcunque illa sit, vt docet Suarez lib. 10. de Trinit. cap. 2. num. 12. Suarez.

2. Gotfredus. Gregorius. Gabriel. Sed adhuc videntur hanc quæstionem inutilem reputare Gotfredus quodlibet. 7. quæst. 4. Gregorius in 1. dist. 11. quæst. 1. art. 2. & Gabriel quæst. 2. quoniam ex impossibili sequitur quodlibet; quare si supponimus dari personam genitam, & personam spiratam, & hanc non procedere ab illa, sequitur quodlibet: Distinguentur enim, cùm altera generetur, altera non generetur ex suppositione facta, & non distinguentur, quia non habent oppositionem relatiuam. Ceterùm vt rectè notauit Scotus in 1. dist. 11. quæst. 1. ex hypothesi impossibili potest sequi necessarium, si debitè applicetur ad inquirendam veritatem. Scotus.

3. Pro cuius explicatione notandum est, hypothesim impossibilem dupliciter quoad rem nostram posse se habere. Primò, vt sit tanquam ratio cognoscendi principium aliquod, vel radicem, vnde formaliter inferatur prædicatum, quod inquiritur, v.g. Si quæratur, an homo distinguatur ab equo per rationale, vel per animal, fit hæc suppositio impossibilis (si homo non esset animal, & esset rationalis, adhuc distingueretur ab equo) vnde bene colligitur: ergo ratio distinctiua hominis ab equo est rationale, & hanc formalem illationem vocant alij per locum intrinsecum. Secundò, potest hypothesis se habere, vt ex quo infertur aliud non formaliter, sed materialiter, siue, vt alij vocant, per locum extrinsecum, & tunc sequitur quodlibet v.g. in exemplo posito, si homo non esset animal, sed solùm rationalis, per te distingueretur ab equo; & rursus per materialem illationem non distingueretur, quia non esset rationalis: destructo enim animali destruitur rationale per necessariam connexionem quam habet rationale cum animali, ac subinde destrueretur ratio distinctiua hominis ab equo. Igitur in præsenti quæstione si loqueremur de Filio & Spiritu sancto, vt nunc sunt, vel de secunda & tertia persona iuxta materialem illationem, vera foret opinio Gotfredi, & sequeretur quodlibet, quia materialiter & identicè persona genita petit aliquid, quo distinguatur à spirata. Et è cótrà. Verumtamen non loquimur, nisi solum formaliter; ideò rectè notauit Suarez suprà lib. 10. cap. 2. num. 1. hanc quæstionem hypotheticam, Suarez.

etsi

etsi procedat ex hypothesi impossibili, tamen virtute continere categoricam quæstionem, an scilicet adæquata radix distinctionis inter secundam & tertiam personam sit processio, necne?

4. Prima sententia docet secundā & tertiam personam fore distinctas, quamuis vna non procederet ab altera, & consequenter negat adæquatam radicem formalem distinctionis istius esse processionē, aut hanc colligi sufficienter ex illa. Ita sentit Henricus quodlibeto 5. q. 9. sequitur Scotus in 1. dist. 11. q. 2. Probatur Primò ex Anselmo lib. de processione Spiritus sancti cap. 2. Vbi inter alia sic ait. *Hac itaque causa pluralitatis est in Deo, vt & Pater & Filius & Spiritus sanctus dici nō possint de inuicem, sed alij sicut ab inuicem, quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod potest dici relatiuè: nam quomodo Filius existit de Deo nascendo, & Spiritus sanctus procedendo, ipsa diuersitate natiuitatis, & processionis referuntur ad inuicem, vt diuersi, & alij ab inuicem.* Vbi videtur innuere, non distingui propter relationem originis, sed potiùs referri inter se relatione distinctionis propter diuersas origines, quas habent independenter ab hoc quòd vnus procedat ab alio, nec ne; & in fine capitis præscindendo à processione talem assignat causam distinctionis. *Quia Filius nascendo habet esse de Patre; Spiritus sanctus verò non nascendo, sed procedendo;* & cap. 4. subdit: *nam si per aliud non essent plures, Filius, & Spiritus sanctus per hoc solum essent diuersi, quia vnus nascitur, alius procedit:* ergo sentit Anselmus sola filiatione, & spiratione satis distingui Filium & Spiritum sanctum, etiam seclusa emanatione huius ab illo.

Henricus. Sotus. Anselm.

5. Probatur secundò ratione, quia productio Filij ex intrinseca ratione est generatio, productio verò Spiritus sancti nō est generatio: ergo ex propriis & intrinsecis rationibus postulant terminos realiter distinctos, ne idem omninò terminus generetur, & non generetur: sed in eo casu prædictæ productiones essent eiusdem rationis, ac sunt modò: ergo haberent terminos realiter distinctos.

Probatur tertiò, quia de facto Filius & Spiritus sanctus differunt per filiationem, & relationem spirati: ergo haberent eadem distinctiua, & per consequens distinguerentur realiter.

6. Confirmatur primò, quia repugnat ea, quæ seipsis differunt esse idem; sed filiatio & relatio spirati seipsis differunt: ergo quauis hypothesi data non erunt idem. Confirmatur secundò, quia nunc relationes geniti & spirati distinguuntur, licèt sint disparatæ nec apponantur, vel referantur ad inuicem: ergo etiam in eo casu licèt non opponerentur, distinguerentur.

7. Dicendum est tamen adæquatam radicem distinctionis inter secundam & tertiam personam esse processionem huius ab illa, ita vt si non procederet, non distingueretur. Ita cum S. Thoma hic artic. 4. eius Schola, Bonauentura etiam Durandus, & alij quos sequuntur Nostrates communiter. Ratio præcipua sumitur ex illo principio, *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Sed sine origine non stat relationis oppositio: ergo nec distinctio. Principium illud, quod semper in corde, semper in ore fuisse Latinis Patribus disputantibus cum Græcis palam ostendit Florentina Synodus, desumit Theologi ex Anselmo de processione Spiritus sancti cap. 3. vbi postquam de vnitate essentiæ, ac pluralitate relationum locutus fuerat, inquit, *Sic ergo huius vnitatis, & huius relationis consequentia se*

Anselm.

contemperant, vt nec pluralitas, quæ sequitur relationem, transeat ad ea in quibus prædicta simplicitas sonat vnitatis, nec vnitas cohibeat pluralitatem, vbi eadē relatio significatur, quatenus nec vnitas amittat aliquando suam consequentiam, vbi non obuiat aliqua relationis oppositio, nec relatio perdat quod suum est, nisi vbi obsistit vnitas inseparabilis. Desumunt etiam ex Boëthio lib. de Trinit. circa finem dicente: *substantia continet vnitatem, sola relatio multiplicat Trinitatem:* Quod etiam habet Ioannes Maxentius in secunda professione fidei, & Ioannes Theologus in Florentino sess. 18. ait, *Sola relatio apud omnes tam Græcos, quàm Latinos Doctores diuina processione personas multiplicat, cui etiam illa duo, à quo, & ad quod, de quibus est suprà dictum, conueniunt. Siquidem igitur relationes huiusmodi personas multiplicant, ita vt non vlla alia ratione, quam vi relationis Pater à Filio, ac vna persona ab alia differant, quem quidem in modum Spiritus etiam ab alio est; necesse est iuxta omnes suprà dictos Doctores sic intelligere, vt ideirco persona hæc, id est, Spiritus dicatur accipere, atque esse quod ab alio est. Propterea Magnus Basilius, & Epiphanius asserunt Spiritum sanctum accipere esse à Filio, ac procedere idem esse.* Denique desumunt præcipuè ex Concilio Toletano. XI. in confessione fidei sic Trinitatem exponente. *Hac ergo sancta Trinitas, quæ vnus & verus Deus est, nec recedit à numero, nec capitur numero: in relatione enim personarum numerus cernitur in diuinitatis verò substantia, quid numeratum sit; non comprehenditur: ergo hoc solo numerum insinuant, quòd ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quòd in se sunt,* alia littera dicit, *quod ad se sunt.*

Boëthius. Ioan. Max. Ioan. Theol. Concil. Tolet. XI.

Respondent pro Scoto Suarius lib. 10. de Trin. cap. 1. n. 7, Vasquez disp. 147. n. 18 & 31. Cumel hic art. 4. disp. 2. & alij, Anselmum potiùs fauere primæ sententiæ, vt constat ex suprà dictis n. 4. nō enim putat Anselmus dari pluralitatem & distinctionem inter relationes oppositas, sed etiam inter disparatas, siquidem seclusa processione Spiritus sancti à Filio, adhuc putat sufficienter distingui propriis relationibus geniti, & spirati, quod plane fatentur Scotistæ; dicunt enim Filium & Spiritum sanctum relationibus distingui, non verò quatenùs relatiuè opponuntur, sed quatenùs sunt ita disparatæ, vt in vnam coalescere non possint. Sic enim Damascenus lib. 1. cap. 10. & lib. 3. c. 1. tres solas relationes Paternitatem, Filiationem & processionem nūmerat, vt sufficientes ad distinctionem personarum: sic etiam capi posse Boëthium, cùm non explicet relationem oppositionem necessariam esse. 8.

Suarez. Vasquez. Cumel. Damasc.

At mihi perlegenti contextum Anselmi, perpendentiq; discursum illius, persuasum est, Anselmum, & cæteros similiter Patres adductos omnem in diuinis distinctionem realem ad relationes nō quidē disparatas, vt Vasquez existimat, sed oppositas inuicem per originem retulisse, vt tandem fatetur Suarius suprà n. 15. & 16. id colligo primò ex verbis illorum. Secūdò, ex discursu. Tertiò, ratione. Verba in Anselmo videntur aperta, dum generaliter docet, vnitatem entitatis diuinæ teneri semper vbi non obuiat aliqua relationis oppositio: non ergo solam relationem vtcunque, sed sed inuicem oppositam prærequirit ad distinctionem: nec enim diceret aliquis inter relationes disparatas relationis oppositionem intercedere. 9.

Suarez.

Quando verò Filium, & Spiritum sanctum solа natiuitate, & processione discernit, suspicor in ipsa

ipsa natiuitate Anselmum præsupponere virtutem spiratiuam radicaliter acceptam à Patre, qui non potuit non communicare Filio (vt ipse probat) omnia, quæ filiationi non opponuntur: ideò in fine capitis secundi post verba relata suprà n. 4. addit. *Nec Filius potest esse cuius Spiritus, nec Spiritus sanctus valet esse ille, cuius spiritus est.* Ille autem genitiuus possessionis, vt constat ex Florentino, significat processionem Spiritus S. à Filio: Denotat ergo in ipsa natiuitate præcisè contineri radicaliter virtutem spirandi spiritum à se distinctum, & c. 3. explicans, quomodo obuiet relatio vnitati personarum, inquit, *Quippe nec natura permittit, nec intellectus capit existentem de aliquo esse, de quo existit, aut de quo existit esse existentem de se.* Ecce apertam oppositionẽ originis. Vnde dum infrà subdit Anselmus (quod pro se refert Vasquez) *cùm autem apparebit, quia Spiritus S. est de Filio, tum quoque palàm erit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus S.* Ego sic intelligo, quod virtualiter, & implicitè continetur in natiuitate Filij, apparebit explicitè quoque, cùm consideretur processio Spiritus S. ab illo; ideò subnectit, *Consideremus adhuc, quomodo supradictæ oppositiones obsistunt consequentia prædictæ vnitatis eius de Deo.* Igitur omnem oppositionem relatiuam, quam solam ostenderat obuiare vnitati, refundit in processionem vnius personæ ab alia; subindéque in ipsa natiuitate supponit virtutem radicalem, ad hoc vt de Deo Filio sit Deus Spiritus sanctus.

11. Discursus autem Anselmi, quo etiam vsi sunt Latini Patres in Florentino, idẽ ostendit: sic enim arguit c. 4. *Cum dicimus Spiritus S. esse de toto Deo, qui est Pater, & Filius, aut alius totus erit Pater, alius totus Filius, vt sit de toto Patre, non de toto Filio Spiritus S. aut cùm est de Patre Spiritus S. non potest non esse de Filio, si non est Filius de Spiritu S.* quasi dicat, cùm vnitas diuinæ substantiæ non patiatur distinctionem, nisi per processionem, & oppositionem relatiuam, non potest Filius non accipere à Patre virtutem spirandi, alioquin esset alius totus à Patre spiratore, cùm haberet totam diuinitatem, & non totam eius substantiam sibi non repugnantem. Et cùm sibi obiecisset Anselmus: ergo sicut Filius est genitus, etiam Spiritus S. erit genitus, propter eandem vnitatem Deitatis, negat sequelam, *quia habent vterque à Patre esse Filius, & Spiritus S. sed diuerso modo, alter nascendo, alter procedendo, vt alij sint ab inuicem per hoc quod dictum est.* Vbi si solas relationes disparatas significaret, nulla foret solutio, nullúmque discrimen, quod inter processiones actiuas, & passiuas intendit assignare, cur illæ identificentur, non istæ: si enim admitteret Anselmus passiuas sine vlla oppositione inter se adhuc ex suis intrinsecis rationibus esse distinctas, vrgebat obiectio, similiter posse spirationem actiuam à filiatione distingui, & per consequens filio non communicari, quamuis ipsi relatiuè non opponatur, quod vehementer oppugnabat Anselmus: loquitur ergo de relationibus oppositis Filij, & Spiritus S. per quas mediatè, vel immediatè alij sint ad inuicem.

12. Tertiò vtor ratione Caietani hic artic. 4. Cùm enim in diuinis sola relatio dicatur efficere distinctionẽm realem, debet intelligi de relatione, vt relatio est: nam in humanis paternitas distinguitur à filiatione, quatenùs opponitur illi relatiuè; à similitudine verò quatenus est ab illa diuersa, & disparata: Et quidem inter hos modos distinctionis vnius realis relationis ab alia, hoc est discrimen, quod secundus cõmunis est relatiuis, & relationibus cũ ceteris rebus absolutis creatis: nam in omnibus illis rationes formales disparatæ mutuò distinguuntur: ergo non erat, cur specialis mẽtio de relatione fieret, si solum hic distinctionis modos significaretur, respectu cuius per accidens se habet ratio relationis. Primus verò modus est proprius relatiuis, quatenùs relatiua sunt. Vt ergo significaretur, omnia alia, quæ secundum suas rationes formales in rebus creatis disparata, diuersáque sunt in Deo propter omnimodam simplicitatem identificari, soli relationi adscribitur in diuinis distinctio, quæ prout relatio est à sola sibi opposita relatione, vel relatiuo distinguatur.

Sic planè tradit Toletanum XI. ibi *hoc solo numerum insinuant quod inuicem sunt*, vbi satis exprimit oppositionem, & licèt sit Concilium Prouinciale, Innocentius Papa in epistola ad Petrum Compostellanum vocat illud authenticum, vt habetur in margine nouæ editionis. Sic sentit Ioannes Theologus, cùm in relatione, ad hoc vt ex mente omnium Græcorum & Latinorum in diuinis distinguat, requirit processionem, & illa duo *à quo, & ad quod*, de quibus paulò suprà sic dixerat. *Vt igitur personæ differant inter se, necesse est vt personales proprietates incommunicabiles sint: propterea Doctores inquiunt nil nisi principij habitudo est, in qua quidem hæc duo considerantur à quo aliquid & ad quod aliquid.* Vbi expende sententias Patrũ & mentẽ Doctorum, cùm ad distinctionem personarum, requirũt relationem, intelligi de habitudine principij, qua ratione in decursu Concilij Florentini veritatem Catholicam contra Græcos, & authoritatibus sanctorum Latini comprobarunt. 13.

Sic intelligẽdi sunt Boethius & Damascenus; sic apertissimè Gregorius Nyssenus in oratione Tres Deos dicere non oportere, circa finẽ docet, personas nõ distingui, nisi quia vna procedat ab alia, & lib. ad Ablauium, quẽ refert Bessarion in Florentino c. 6. suę orationis, de diuinis personis sic ait; *Eã, quæ circa causam & causatũ consideratur, differentiã nõ negamus, per quod solùm discerni alterum ab altero deprehẽdimus: nimirum ex eo quod credimus aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa, & ex eo quod causa est* Ecce manifeste Nyssenus ex oppositione relatiua inter causam, & causatum locutus more Græcorum ait orui solùm, & credi distinctionem inter personas. Quod idem frequens est apud Augustinum 2. de Trin. c. 11. & lib. 5. ferè per totum: Accedunt Richardus Victorinus 2. de Trin. alij apud Valentiam t. 1. disp. 2. q. 10. punct. 2. §. 4. *probatur.* Libuit hæc sic ad longum perpendere vt illud commune Theologorum axioma, quod Scotistæ palam reiiciunt, & clam eneruant nonnulli Iuniores, æqua lance libratum, quanti sit ponderis, dispiciatur. 14. Greg Nyss. Bessarion. August. Richard. Victorinus. Valentia.

Dices pro Scoto; ita quidem esse de facto, scilicet distinctionem non dari in diuinis, nisi vbi datur processio, non tamen quia formaliter sint idem; nec quoniam vna sit ratio alterius, sed solùm quia fides docet, ita esse coniunctas. Sed contrà: nã ex iis, quæ fides docet de hoc mysterio, colligimus rationes formales distinguendi, & cõstituendi diuinas personas; & sicut in creatis, quia videmus animal reperiri sine libertate, nõ tamen rationale, nec libertatem vspiã sine intellectiuo, colligimus hoc esse vnicã radicẽ illius, sic si nouimus ex fide, dari quidẽ in Deo prædicata absoluta, & relationes disparatas sine distinctione reali, & hãc 15.

nunquam

nunquam sine oppositione relatiua, nec oppositionem istam sine distinctione, rectè concludimus oppositionem relatiuam esse vnicam, & adæquatam rationem distinctionis realis in Deo.

Ioan. Theo. Quapropter Ioannes Theologus relatus suprà n. 13. non solùm asserit ita esse de facto, nec necessarium esse, vt personales proprietates incommunicabiles sint per habitudinem principij a quo aliquid, & ad quod aliquid.

16. Valentia. Ideò Valentia suprà punct. 3. arguit in hunc modum: Illud quod actu non est in diuinis, simpliciter non est possibile ad intrà in Deo. Sed actu in diuinis non est modus distinctionis realis nisi ratione originis: ergo præter istum nullus est alius simpliciter possibilis, ac subinde, seclusa processione Spiritus sancti à Filio non distinguerentur. Maior est euidens ex infinitate simpliciter entitatis diuinæ, quæ quidquid habere potest, habet de facto ex omnimoda necessitate & actualitate. Minor est diuinitùs reuelata. Primò, quia Scriptura testatur vbique personas esse vnum quod excepta oppositione relatiua, quam indicant relatiua nomina *Pater, Filius & Spiritus sanctus*; Præsertim cùm dixerit Filius ad Patrem *omnia tua mea sunt*. Vnde vt dicit Augustinus nihil excipi debet quod salua oppositione possit esse commune vtrique. Secundò, quia Concilia & Patres adducti, sic capiunt & exponunt Scripturas, ac veluti dogma, fidei videntur tradere: Consequentia est euidens; ergo conclusio est Theologica (inquit Valentia) conclusioni autem Theologicæ opponitur error.

17. Vasquez. Ideò Vasquez arguit pro nostra sententia c. 6. num. 29. siquæcunque in Deo non repugnant esse, necessariò sunt (intellige entitatiuè, aliàs falleret in actibus liberis.) Si autem Spiritus non procederet à Filio, non repugnaret vtrunque esse eandem personam: ergo reuera esset. Minorem probat, quoniam in diuinis non est assignanda distinctio realis nisi quando, vel inter quos Fides illam constituit, vel ratio ipsa, manifestaque repugnantia demonstrat. Atqui si Spiritus sanctus non procederet à Filio, nec fides docet futuram distinctionem, vt patet, nec vlla ratio manifestam repugnantiam demonstrat, vt patebit solutione argumentorum: ergo temerè diceremus Filium, & Spiritum sanctum tunc distingui realiter.

18. Ratio nostræ conclusionis quam indicant Anselmus suprà, & Ioannes Theologus, sic formari potest. In Deo propter summam illius vnitatem & simplicitatem omnia, quorum rationes formales non habent oppositionem producentis & producti sunt idem, vt patet in intellectione & volitione, vel eum relationibus, vel inter semetipsas comparatis: sed in hypothesi quæstionis huius Verbum & amor non opponerentur: ergo non distinguerentur. Confirmatur: nam in eo casu filiatio, & relatio spirati essent relationes disparatæ sicut modò sunt relationes Patris, & spiratoris: non enim esset maior correlatio vel oppositio inter illas, quàm inter istas. Sed modò relationes Patris, & spiratoris eo quòd sint disparatæ non distinguuntur, nec constituunt nisi vnicam personam, quæ simul est gignens per intellectum, & spirans per voluntatem: ergo similiter in eo casu Filius, & Spiritus sanctus essent eadem persona procedens simul per intellectum & voluntatem: Quæ quidem et ab intellectu esset genita, & vt à voluntate, spirata:

Huc spectat ratio à Latinis facta in Florentino sess. 25. & relata suprà disput. 3. cap. 2 quoniam ideò non sequitur partitio diuinæ substantiæ, licèt non communicetur Spiritui sancto virtus spirandi, quia repugnat eidem ex oppositione relatiua: ergo si Spiritus S. non procederet à Filio, vt dicebant Græci, ideò esset, quia non communicaretur Filio virtus spirādi: vel ergo non cōmunicabatur, quia repugnabat ipsi: non posset autem repugnare, nisi quia in seipso haberet simul cum filiatione relationem spirati oppositam relationi spiratoris, & per consequens esset in casu posito Verbum & Amor idem, contra Scotistas, quod Græci non admittunt; vel si non repugnaret Verbo diuino virtus spirandi per oppositionem relatiuam, & adhuc non communicaretur, sequeretur contra vtrosque partitio diuinæ substantiæ. 19. Conc.Flor.

Quare nonnulli Theologi sententiam Scoti censent erroneam & periculosam in fide. Ceterùm Cumel & Vasquez suprà dicunt, nec dum improbabilem esse, quia Concilium ibi solùm ex errore Græcorum illud absurdum infert; Scotus tamē & eius asseclæ longè absunt ab errore Græcorum, & solùm loquuntur ex hypothesi impossibili; Vnde nulla sequitur partitio diuinæ substantiæ. Reor sanè Scotum à Patribus Florentinis, etsi non in conclusione definita, tamen in ratione, ac fundamento definiendi dissidere, ideoque argumento superdicto Concilij nonnihil vrgeri, quia saltem sub conditione deuorat partitionem diuinæ substantiæ, vt sustineat sub illa conditione distinctionem personarum sine processione. Ego nec sub conditione auderem talem partitionem admittere, ac subinde nec Scoti sententiam tueri, nec dum probabilem affirmare. De seueriori censura iudicent alij ex Conciliis, Patribus, & rationibus adductis. Nos opposita fundamenta diruamus. 20.

Ad primùm satis diximus de mente Anselmi num. 9. & seq. Ad secundum dicimus processionem Spiritus sancti eatenùs non esse generationem, quatenus emanat à Filio: Ceterùm dempta hac emanatione processiones passiuæ Verbi, & amoris essent diuersæ rationis ac modò sunt, & per consequens vtrumque foret generatio simul, & processio: nam esset vnica productio habens vtramque rationem, sicut modò generatio, & spiratio actiuæ sunt eadem productio realiter, etsi virtualiter duæ. Ad tertium distinguo minorem; haberent filiationem, & relationem spirati eiusdem rationis ac modò, nego; diuersæ rationis, concedo. Ideoque non haberent eadem distinctiua, imò nec vlla distinctiua; Nunc enim ideò filiatio distinguit Filium à Spiritu sancto, quia constituit Filium in ratione principij quod capax spirandi virtualiterque continens potentiam spiratiuam, vt *quo* ideoq; mediatè saltem oppositum relatiuo: At in eo casu nec vt *quod*, nec mediatè opponeretur, & consequenter nec distingueretur. 21. Anselm.

Vnde ad primam confirmationem respondeo filiationem & relationem spirati, quæ nunc sunt, seipsis differre propter oppositionem, quam seipsis dicunt, ideoque repugnant esse idem. Illæ verò quæ tunc essent, non differrent seipsis, quia non dicerent oppositionem; & ideò essent idem. Ad secundam negamus relationes geniti & spirati esse disparatas: licèt enim non sint correlationes immediatè, ac formaliter opponuntur, mediatè tamen opponuntur, vt diximus. Et obiter nota pleraque ex his argumentis 22.

procedere de his personis, vt modo sunt, cùm tamen quæstio non procedat de illis iuxtà supra dicta num. 1.

CAPVT IV.

An Pater, & Filius immediatè & æquè principaliter producant Spiritum sanctum.

1. ARgumenta Græcorum adducta cap. 1. singula continent difficultates sigillatim enodandas. Et circa quæstionem sit,

Bonauent. Scotus. Durand. Gabriel. Marsilius. August. Prima sententia docens Spiritum sanctum procedere principalius à Patre quàm à Filio ita Bonauentura, Scotus, Durandus in 1. dist. 12. q. a. Gabriel. q. 3. & Marsilius in 1. quæst. 15. art. 2. Probatur ex Augustino lib. 15. de Trinit. cap. 17. dicente Spiritum sanctum procedere principaliter à Patre, & in epist. 88. quæ nomine Hieronymi habetur tom. 9 ad Cyrillum de expositione symboli dicitur procedere à Patre, propriè. Ratio est quia Pater spirat, virtute propria, quam habet prorsus à se, Filius verò virtute recepta per communicationem à Patre. Quare virtutem spiratiuam [illegible] prius origine in Patre, quàm in Filio sentiunt cum supra dictis. Doctoribus omnes alij. Imò actum ipsum spirandi prius origine esse in Patre videntur docere Scotus Marsilius, & Gabriel; Dissentiunt autem Vasquez hîc art. 3. & Suarius lib. 10. de Trinit. cap. 3, num. 8. quoad spirationem actiuam, quam putant non esse prius origine in vno, quam in alio, sicut nec actio, creandi est prius origine à Patre quam ab aliis personis. Vasquez. Suarez.

2. Secunda sententia dicit nec Patrem, nec Filium, quatenus tales sunt, spirare immediatè, saltem ratione nostra, sed dari principium quoddam spiratiuum subsistens quod non includit formaliter paternitatem, nec filiationem, sed constat ex essentia diuina, seu volitione, relationéque spiratiuis; Et est priùs origine quàm Spiritus sanctus, & immediatum principium illius ratione distinctum à Patre & Filio, commune [illegible] realiter vtrique: Vnde fit vt secundum [illegible] mediatè producant Spiritum sanctum, sicut tres personæ creant, quia sunt sic Deus, qui creat immediatè. Sic Ochamus, & Gabriel in 1. distinct. 12 quæst. 1. & Molina hic artic. 4. disput. 2. Probatur primò quia Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, & vnicus spirator: ergo datur vnum principium indiuiduum subsistens vtrique commune, pro quo supponat [illegible] spirator, & hoc vnum principium spiratiuum, quod de vtroque prædicatur, alioquin falsò dicerentur ambo simul vnicum principium; sicut falsò dicuntur Petrus & Paulus vnicus homo. Ochamus. Gabriel. Molina.

3. Probatur secundò, quia spiratio actiua est vna communis Patri & Filio, vt definitur in Florentino [illegible] etiam [illegible] spirator est vnum constitutum commune Patri, & Filio: ergo secundum rationem illud est immediatum principium Spiritus sancti, non Pater & Filius quatenus [illegible] sunt. Prima consequentia ostenditur [illegible] quia abstractum & concretum in Deo sunt idem. Secundò, quia spiratio illa communis est subsistens, cùm includat essentiam, & relationem, inque substantia diuina, & per consequens perfectissima. Tertiò, quia quælibet aliarum relationum cum essentia constituit aliquid subsistens, videlicet paternitas Patrem, filiatio Filium, & relatio spirati Spiritum sanctum: ergo etiam relatio spiratoris constituit cum essentia, seu cum volitione vnum subsistens commune duobus scilicet spiratorem.

4. Tertia sententia potest esse solùm Filium immediatè spirare Patrem verò nonnisi mediatè, quatenus dedit Filio virtutem spirandi. Probatur primò, nam ob id videntur Patres Græci dixisse Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, quasi mediante Filio. Plures citat Bessario in oratione sua cap. 4. Sed specialiter sanct Damascenus primo de fide, cap. 18. asserens Spiritum sanctum per Filium coniungi Patri, & Nissenus in oratione quod tres Deos dicere non oporteat, *Filium continenter, & sine medio ex prima persona esse. Spiritum sanctum verò per id quod immediatè, & ex continenti est*. Probatur secundò: nam immediata emanatio Spiritus sancti à Patre, nec requiritur ad distinctionem, nec ad verificandas Scripturæ loquutiones, si quidem ad hæc omnia sufficit mediata processio: ergo hæc sola est asserenda. Bessarion. Damasc. Greg. Nyss.

5. In primis certum est Filium producere Spiritum sanctum immediatè immediatione reali suppositi, quia nullum supppositum mediat realiter inter illos, & similiter immediatione virtutis, quia spirat per virtutem, quam in se habet. De Patre dicendum est spirare quoque ipsum vtraque immediatione. Est conclusio de fide, & probatur ex verbis Ioannis 15. *Spiritus qui à Patre procedit*. Nam hæc absoluta locutio significat processionem per se, quæ sit immediata, & non tantum per accidens, qualis sit mediata, sicut est processio nepotis ab auo. Probatur secundò, quia Pater habet à se virtutem spiratricem, & communicando eam Filio, non se illa virtute priuanit: ergo retinet eandem, & consequenter inest vtrique eadem numero spiratiua potentia, vt definit Florentinum in [illegible] vnionis: ergo quidquid Filius per illam potentiam immediatè producit, Pater etiam necessariò & immediatè producit. Sicut quia Spiritus sanctus ita habet potentiam creatiuam à Patre & Filio, vt maneat etiam in ipsis quidquid Spiritus sanctus immediatè creat, immediatè simul creant Pater & Filius. Ioan. 15. Concil. Flor.

6. Vnde ad tertiam sententiam quæ sustineri non potest, Respondeo Patres illos non significasse Spiritum esse à Patre solùm mediante Filio, sed esse à Filio per virtutem acceptam à Patre, ac subinde tantam hanc virtutem & processionem reduci ad Patrem: nam inde fit Patrem quasi duobus modis spirare, & immediatè per seipsum, quatenùs habet eandem virtutem spiratiuam, quam communicat Filio, & quasi mediatè per Filium: nam per hoc quod ei dederit vim spirandi, dicetur spirare per illum, sicut dans causæ virtutem ad operandum, dicitur operari per illam. Ad secundam probationem respondeo immediatam productionem Spiritus S. non conuenire Patri præcise propter distinctionem, sed per se ex modo naturæ, & ex subsistentia talis naturæ, vel ex volitione [illegible] ipsius independenter ab eo quòd ea productio sit, vel non sit necessaria ad distinctionem

Dico

7. Dico secundò, cōtra secundam sententiam, nec etiam ratione nostra mediat aliquid subsistens inter Patrem, & Filium prout tales sunt, ac spirationem ipsam actiuam. Ita sanctus Thomas hîc art. 3. & 4. & quæst. 40. art. 4. vbi Thomistæ communiter, Gregorius etiam in 1. dist. 12. & Suarez lib. 10. cap. 4. item. 3. Qui variè probant, nescio an efficaciter: nam admissa subsistentia communi in essentia diuina, non videtur absonum potentiam spiratiuam communem Patri & Filio subsistentem etiam constituere. Videantur quæ diximus disp. 11. c. 3. nam ex illis conuincitur relationem spiratoris additam volitioni, & constituentem eum illa principium *quo* spiratiuum, non constituere vnum subsistens relatum commune Patri & Filio, quia videlicet non constituit substantiam vltimò completam & terminatam, ac subinde nec suppositum aliquod, vel subsistens, quod possit esse principium spirandi vt *quod*, sed solùm constituit principium vt *quo*.

Gregorius. Suarez.

8. Hinc facilè soluuntur opposita: nam ad primum respondeo principium *quo* spirandi esse commune realiter Patri & Filio; at principium vt *quod* & hunc spiratorem esse communem alio, & alio modo, nimirum ex parte significati formalis quod est potentia spirandi, & spiratio est communis secundùm rem; Ex parte verò materialis significati quod est subsistentia suppositi spirantis abstrahens à paternitate & filiatione est communis secundum rationem, & immediatè supponit pro vtrolibet; & per consequens vterque est immediatum principium *quod* Spiritus sancti, sicut de hoc nomine *Deus* diximus ea disp. 11. cap. 3. Quapropter immediatum principium creationis vt *quod* sunt ipsæ personæ relatiuæ, cùm nullum detur subsistens, aut suppositum absolutum, cujus sint actiones vt principij *quod*.

9. Ad secundum negatur prima consequentia; & ad primam eius probationem negatur antecedens de identitate rationis. Ad secundam negamus spirationem, aut potentiam spiratiuam vt sic esse formaliter subsistentem, sicut nec constitutum ex intellectione diuina & paternitate præcisè, prout complente potentiam generatiuam concipitur, vt subsistens formaliter, nec vt principium *quod* sed *quo*, cùm nondum intelligatur, vt omninò completum per essentiam diuinam, attributa, & personalitatem sub conceptu personalitatis. Vnde ad tertiam probationē dicimus, nec paternitatem, vt præcisè concipitur, constituere potentiam generandi, vel generationem actiuam, nec filiationem, aut relationem spirati, quatenus intelliguntur in via complentes rationem processionum passiuæ, constituere formaliter supposita: Materialiter autem simul esse personalitates, quod non habet relatio spiratoris in omni sententia, cùm adueniat personis iam constitutis per priores relationes.

10. Dico tertiò, contra primam sententiam, Spiritum sanctum æquè per se, ac principaliter produci à Patre, & à Filio. Sic Suarez suprà, Vasquez hîc art. 3. cum S. Thoma, & aliis communiter qui aduerbium comparatiuum in præsenti maximè respiciunt. Probatur, quia procedit ab vtroque vt habente æqualem, imò eandem vim producendi: nam licèt Pater habeat illam à se, & Filius à Patre, vterque tamen æqualiter habet, & per consequens æqualiter spirat. Sic intelligit Augustinum S. Thomas hîc artic. 2. & Hieronymum Canariensis ibi, procedere scilicet à Patre principaliter & propriè, id est, per potentiam spirat᷈uam,

Suarez. Vasquez. Canariens.

quam habet à se, & non ab alio receptam; paulò tamen inferiùs addit Hieronymus in eadem epistola Spiritum sanctum propriè, ac verè de Patre, Filioque procedere. Hieron.

Vnde non solùm potentiam spiratiuam, vt volunt Vasquez & Suarez, sed spirationem ipsam actiuam, vt docent Scotus & alij, existimo necessariò dari prius origine in Patre, quàm in Filio, quoniam id non significat priùs Patrem spirare, quàm Filium, sed solùm spirationem actiuam habere Patrem à se, Filium autem à Patre, quod nemo credo negare poterit, qui processiones actiuas ponat in producentibus. Etenim prioritas originis est à *quo*, non in *quo*; quare licèt sit priùs origine in Patre potentia spirandi, & spiratio actiua, quæ est de essentia talis potentiæ, vt diximus disp. 5. non tamen intelligitur esse in Patre, quin simul intelligi debeat esse in Filio, & operari in vtroque simul, quia potentia spiratiua supponit necessariò paternitatem, & filiationem ad quas consequitur, ideoque non potest intelligi in Patre prinsquam intelligatur genitus Filius, & cùm talis potentia essentialiter includat actualem operationem, quia propter summam suam actualitatem intelligi nequit in potentia ad operandū, semper actu spirans, non potest vtique cōcipi potentia spiratiua in Patre, quin intelligatur communicata Filio, & spirans vtrobique Spiritum S. 11.

CAPVT V.

An Pater, & Filius sint vnicum principium Spiritus sancti, & vnicus spirator.

DVrandus in 1. dist. 29. quæst. 2. & Gregorius dist. 12. q. 1. dicunt in rigore Patrem & Filium non esse vnum principium Spiritus sancti, sed duo; licèt propter periculum aliter loquantur ad declarandam vnitatem potentiæ, & productionis, & termini producti. Quapropter, vt notat Gregorius, non dicunt absolutè Concilia esse vnum principium, sed Spiritum sanctum procedere ab illis tanquam ab vno principio: Gabriel verò, & Ochamus & alij dicunt posse vocari vnum, & duo principia diuersis respectibus. Probat Durandus, quia cùm Pater & Filius dicuntur vnum principium, vel est sermo de principio *quo*; & sic potiùs esset dicendus in Patre & Filio esse vnum principium, quia Pater & Filius cùm sint supposita, non dicuntur propriè esse potentia spiratiua, sed hæc dicitur esse in illis: vel est sermo de principio *quod*, scilicet de supposito virtutis spiratiuæ; & sic cùm Pater & Filius sint duo supposita, dicentur duo principia spirandi. Quare cùm frequentius accipiatur principiū pro supposito virtutis, quàm pro ipsa virtute productiua simpliciter & propriè dicentur duo principia & non vnū. 1. Durand. Gregor.

Dico primò, Pater, & Filius simpliciter & propriè sunt vnum principium Spiritus sancti, non plura, ita S. Thomas hîc attic. 4. Bonauentura, Richardus in 1. dist. 12. & Moderniores communiter. Definitur in Concilio Lugdunensi, & refertur in c. Vnico de summa Trinit. in 6. per hæc verba. *Fideli, & deuota professione fatemur quod Spiritus S. æternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex vno principio; non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit.* Idem habet Florentinum in decreto Eugenij; nec particula *tanquam* diminuit, sed explicat veritatem 2. Bonauent. Richard. Conc. Lugd. Conc. Flor.

Ioan. 1. rei, sicut Ioan. 1. dicitur *quasi vnigeniti à Patre*, id est vnigeniti, vt notant ibi Patres. Nec aliter Latini satisfecissent obiectioni Græcorum, qui vt absurdum inferebant, si Filius cum Patre spiraret, fore duo principia Spiritus sancti, quod esse quidem absurdum concedunt Latini, negant verò sequelam, quia cùm vterque spiret per eandem virtutem, licet sint duæ personæ, non tamen duo principia, sed vnicum dici debent. Sic in eodem decreto refert Eugenius Papa, ita Latinos affirmare processionem Spiritus sancti à Filio, *vt vnum tantum asserant esse principium, vnicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt*. Sic etiam loquuntur Augustinus 5. de Trinit. cap. 13. & 14 Hilarius 4. de Trinit. & Anselmus de processione Spiritus sancti c. 10. & 11. Quare Canariensis hic art. 4. Vasquez disp. 146. cap. 3. Suarez lib. 10. de Trinit. c. 7. n. 1. & alij temeritatis damnant oppositam sententiam, vt alienam à recepto modo loquendi. Molina hic art. 4. disp. 2. vocat parùm tutam in fide, erroneam, & authoritati Ecclesiæ detrahentem.

Augustinus. Hilar. Anselm. Canariens. Vasquez. Suarez. Molina.

3. Et quidem quoad rem ipsam principium *quo*, seu potentiam spirandi esse vnicam Patris & Filij, negat nullus quem sciam, & videtur haberi satis in prædictis Conciliis. Nam si Pater & Filius cum distinctione personali haberent etiam virtutes spirandi realiter distinctas, nihil esset cur vnum principium, vt definiunt Concilia, & non plura dicerentur, sicut non vna, sed plures personæ numerantur propter distinctionem personalitatum. Ratione constat, quia potentia spiratiua includit volitionem & relationem spiratoris, vt diximus disp. 5. sed volitio & talis relatio est eadem in Patre, & in Filio, vt ex ibi dictis constare potest: ergo est eadem vtriusque potentia & principium spirandi *quo*.

4. Vnde facilè probatur principium etiam *quod* esse vnicum, quia quando significatum formale vocis est vnum, & vox profertur substantiuè, non dicitur pluraliter; afferunt exemplum Augustinus & Anselmus suprà diuinarum personarũ, quæ non possunt dici tres Dij, nec tria principia creandi, propter vnitatem formæ substantiue significatam; sed nomen *principium* est in præsenti substantiuum, & potentia spiratiua vnica: ergo simpliciter & propriè dici non possunt duo principia spiratiua, sed vnicum.

5. Dico secundò, similiter Pater & Filius sunt vnicus spirator, non duo. Est contra Durandum suprà q. 3. & contra S. Thomam in 1. dist. 11. qui adiectiuè videtur accepisse hoc nomen, sicut Hilarius etiã cùm 1. de Trinit. dixit, quòd Spiritus S. à Patre & Filio authoribus confitendus est. Sed meliora sapiens retractauit sententiam S. Thomas hic art. 4. ad 7. dicens *quia spirans adiectiuum est, spirator vero substantiuum, possumus dicere quòd Pater & Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter vnam spirationem*.

Hilarius.

6. Fundamento Durandi respondeo ly *vnum principium* supponi pro principio *quod*, non quidem pro supposito virtutis spiratiuæ: sic enim significaret formaliter subsistentiam, & ad eius distinctionem multiplicaretur, sed pro concreto ex potentia spiratiua & habente illam modo suprà explicato cap. 4. n. 8. ita vt supponatur singulariter ex parte formæ, verùm ex parte suppositi vagè, & indeterminatè: Quare nisi multiplicata forma, multiplicari non potest.

Obiicies primò, si ad multiplicationem formarum, & non suppositorum multiplicantur concreta substantiua: ergo Pater erit duplex principiũ scilicet generãs, & spirans, siquidem habet duplicem potentiam, alteram generandi, alteram spirandi. Vasquius disp. 155. n. 19. concedit Patrem dici posse duo principia secundùm rationem, non autem absolute, ne significari videatur distinctio realis inter illas potentias, quæ sola ratione discernuntur; in quo loquitur consequenter ad doctrinam à se traditam ibi c. 4. scilicet nomina substantiua cõcreta ex sola formæ vnitate, vel numero singulariter, vel pluraliter dici. Probat, quia significatio nominis numerari debet secundùm significatum directum illius: hoc enim est quod directè demonstrat, & afficit; sed directum significatum concreti substantiui significatiuis naturam, seu formam, & non personam, non est suppositum, sed forma: ergo ex illa sola debet numerari. 7.

Vasquez.

Hæc tamen ratio mihi persuadet oppositum: nam in libris Perihermenias docui, concretum substantiuum formaliter, determinatè, explicitè, & directè significare formam, habens verò siue subiectum illius materialiter, indeterminatè, implicitè, sed adhuc etiam directè, quia directum significatũ concreti substantiui non est sola forma (sicut est adiectiui) sed etiam habens seu compositum ex habente, & forma habita: ergo ex vtriusque multiplicatione desumenda erit multitudo concreti substantiui, ita vt vnitas formæ, vel suppositi sufficiat ad vnitatem talis concreti; ad multiplicationem verò vtrunque debeat simul multiplicari. Melius ergo S. Thomas hic art. 4. ad 2. negat simpliciter Patrem esse duo principia, *quia implicaretur pluralitas suppositorum*, quæ nec ratione distinguuntur in Patre, & idem absolutè negant tam Latini quàm Græci in Florentino sess. 25. asserentes Patrem esse vnicam causam Filij, & Spiritus sancti, illius secundùm generationem, huius secundùm processionem. 8.

Conc. Flor.

Obiicies secundò: ergo saltem Pater vt est principium Filij, & Filius vt est principium Spiritus sancti erunt duo principia: nam & sunt duo supposita, & habent virtutes diuersas; Consequens autem est contra Anselmum lib. de processione Spiritus sancti cap. 10. Respondeo non esse duo principia realiter, quod solùm docet Anselmus ibi, sed virtualiter, quia prædictæ virtutes generatiua, & spiratiua non distinguuntur realiter, sed virtualiter. Dices etiam generatio & spiratio actiua distinguuntur solùm virtualiter, sicut & paternitas, & relatio spiratoris; & tamen dicuntur simpliciter duæ processiones & duæ relationes: ergo licèt principium gignendi & spirandi solùm virtualiter distinguantur, similiter poterunt dici simpliciter duo principia. 9.

Anselm.

Respondeo negando consequentiam: nam vsus obtinuit, vt illæ productiones & relationes dicantur duæ simpliciter ob rationem redditam disp. 6. & 9. at in præsenti non est vsus, vt dicantur duo principia, sicut colligitur ex Florentino, & Anselmo suprà, potéstque reddi ratio discriminis ex diuerso modo significandi: nam productiones, ac relationes significantur per modum respectus ad terminum, ideoque solùm denotatur habere duos terminos cùm dicuntur esse duæ. At principium significat per modum absoluti, quare si multiplicaretur, denotaret distinctionem realem potentiarum, & non solùm terminorum. 10.

CAPVT

CAPVT VI.

An Pater, & Filius sint duæ personæ per se requisitæ ad spirandum.

1. Certum est non posse de facto vnam personam spirare sine alia, saltem per accidens, eo quòd virtus spirandi nequeat esse, vel operari nisi in vtraque persona: nam operatio necessariò procedit ab omni supposito, in quo inest vis operatiua, quando procedit. Sed est dubium an vtraque persona per se requiratur ad spirandum tam ex parte principij spirantis, quàm termini spirati; ita vt virtus spirandi per se requirat duo supposita vt operetur, & Spiritus sanctus postulet à duobus procedere, non solùm per accidens, sed per se quarto modo dicendi, per se ab Aristotele assignato 1. Posterior. cap. 5.

2. Scotus. Scotus in 1. dist. 12. quæst. 1. docet pluralitatem personarum, licèt ex parte naturæ diuinæ sit per se, tamen ad productionem Spiritus sancti esse quasi per accidens, sicut ad productionem creaturarum est quasi per accidens personarum Trinitas. Idem fere docent Gabriel, & Durandus apud Vasquium disp. 150. cap. 1. (Vasquez.) Probatur primò, à simili creationis, quæ non petit per se plures personas creantes: ergo nec spiratio plures spirantes. Probatur secundò, quoniam in quauis persona est tota virtus spirandi non minùs perfecta, quàm in vtraque simul: ergo ad spirandum accidit illi esse in duabus.

3. Secunda sententia est Thomistarum asserentium Spiritum S. postulare per se quatenùs talis persona est, procedere à duobus in quibus existat virtus spiratiua. Ita Capreolus, Argentina Caietanus, & alij quos sequitur Albertinus to. 2. (Albertinus.) in prædicamento relationis corollar. 14. dubitat. 1. num. 16. Probatur, quia Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio vt amor vnitiuus, vt nexus, & vinculum vtriusque: Sic enim loquuntur Doctores S. Thomas hîc art. 4. ad 1. & quæst. 37. art. 1. ad 3. Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 5. Richardus Victorinus lib. 3. de Trinit. cap. 3. 7. 11. & 16. Hieronymus, & Bernardus apud Vasquium disp. 151. cap. 1. ergo petit connaturaliter procedere à duabus personis inuicem se amantibus. (August. Richard. Victor. Hieron. Bernard. Vasquez.)

4. Dico primò; Ad productionem amoris diuini, vel Spiritus sancti vt sic, non est necessaria per se pluralitas personarum, ita Suarez lib. 10. cap. 6. num. 5. Molina in hac quæst. 36. art. 4. disput. 5. concl. 2. Vasquez disp. 150. num. 10. (Suarez. Molina. Vasquez.) Videnturque supponere S. Thomas, & omnes qui quærunt si Spiritus sanctus non procederet à Filio, an distingueretur ab illo: nam, vt diximus suprà cap. 3. esset quæstio implicatoria, & inutilis, nisi intelligatur de Spiritu sancto spirato per voluntatem Patris, diuerso quidem ab isto, qui nunc est, aut saltem abstrahente ab hoc, vel ab alio, & hoc solùm conuincunt rationes Scoti relatæ num. 2. Non est enim de ratione amoris, vt sic, etiam perfectissimi, quòd à pluribus suppositis procedat: nam amor Patris quatenùs diligit seipsum, non minùs perfectus est quàm mutuus amor Patris & Filij: ergo si posset dari prima persona seipsam diligens absque Filio, non minùs productiua foret amoris, quantum est ex perfectione, ac fœcunditate amoris, vt sic: ergo Spiritus sanctus abstrahens ab illo, qui procederet à solo Patre, vel Filio, dato quòd vnica persona spiraret, & ab isto qui nunc est, non petit duas personas spirantes, sed spiratorem vt sic abstrahentem ab vna, vel duplici persona.

Dico secundò, Spiritus sanctus vt talis persona est de facto per se ratione suæ characteristicæ proprietatis petit procedere à Patre & Filio, vt à duabus personis per se requisitis ad hunc sigillatim amorem spirandum. Hoc intendunt S. Thomas, & Thomistæ, consentiunt Recentiores supra relati, & hoc conuincit ratio secundæ sententiæ, cui respondet Scotus rationem amoris reciproci, vel amicitiæ non addere perfectionem in Deo, sed solam denominationem ac respectum rationis, ac per consequens ratione illius Spiritum sanctum non exigere plures spirantes. 5.

Sed contrà, quia sicut in creatis diuersus est realiter, & essentialiter amor, quo quis amat seipsum, & quo diligit alium, diuersus item amor beneuolentiæ, quo alteri volo bonum, & amor amicitiæ, quo formaliter diligo redamantem, vt fert probabilior opinio in materia de charitate 2. 2. quæst. 23. art. 1. Sic in Deo licèt tota perfectio intensiua diuini amoris reperiatur in ipso prout terminato ad Deitatem, tamen noua perfectio extensiua distincta per rationem intelligitur in eodem amore, quatenus terminatur vicissim ad personas vt redamantes; ideò licèt respectus amicitiæ sit rationis, quia non distinguitur amor realiter ab obiectis, tamen fundamentum illius respectus est perfectio quædam realis; sicut de cognitione Dei prout terminatur ad personalitates, & attributa diuina concedunt communiter Doctores. 6.

Probatur secundò conclusio, quia licèt in creatis terminus aliquando possit secundùm rationem specificam produci ab hac, vel illa causa etiam specie diuersa, vt calor ab igne, & a sole, tamen actio indiuidua, quæ est ordo transcendentalis ad talem causam & relatio prædicamentalis producti ad producens ita respicit essentialiter hoc agens, vt nullum aliud possit etiam diuinitus respicere: ergo proportionaliter hîc Spiritus sanctus, qui in ratione talis personæ constituitur tali relatione transcendentali, vel prædicamentali terminata vt ad principium *quod* ad duo supposita spirantia non poterit vt sic non respicere plures spirantes, à quibus spiretur. 7.

Vnde ad primum primæ sententiæ Respondeo causam per accidens nuncupari ab Aristotele, cùm musicus ædificat, aut cùm fodiens terram inuenit thesaurum, vbi nulla videtur connexio effectus cum musica, vel cum effossione terræ inte uenire, per se verò cùm cementarius ædificat, iugulatus interit, vbi connexio intercedit effectus cum virtute effectiua ipsius. Igitur quando hæc connaturaliter petit esse in aliquo supposito, vel suppositis, vt operetur, tale suppositum vel supposita dicuntur principium vt *quod* per se talis effectus. Secus si potentia operatiua non petat tale subiectum; sic ignis dicitur calefacere per se, aqua verò calida calefacere vt *quod* per accidens. Iuxtà hæc videtur mihi negari posse illud antecedens, etsi communiter admittatur, quia de ratione intrinseca creationis, & creaturæ est, quòd procedat ab omnipotentia, & hæc petit connaturaliter esse in tribus suppositis: ergo omnes tres personæ concurrunt per se ad creandum in ratione principij *quod*. 8.

Dices, etiamsi Deus per impossibile foret vnica 9.

persona, vt putarunt Gentiles, crearet eodem omninò modo, ac nunc creat: ergo virtus creandi non petit tria simul supposita per se, nec magis vnum, quàm aliud; sed vnum vel aliud sub disiunctione. Respondeo in primis creationem per se pendere à tali creatore, qui subsistit in triplici supposito relatiuo; deinde creaturam ipsam postulare à Deo produci eo modo, quo Deus eam potest creare: sed Deus non potest illam producere per se loquendo, quin omnes personæ producant determinatè, & per se: ergo creatura petit ab omnibus creari determinatè, & per se tanquam à principio *quod*, & consequenter actio creatiua, eo modo quo actiones sunt suppositorum, petit esse per se trium suppositorum.

10. Nec inde sequitur cognita comprehensiuè creatura cognosci plures personas, à quibus postulat produci, quia non est necesse, vt cognita relatione producti ad producens cognoscatur ita explicitè producens, quod terminat relationem mediatè, sicut virtus producendi, quæ terminat illam immediatè; ideoque solùm cognoscitur explicitè virtus creandi, suppositum verò creans implicitè sub ratione suppositi abstrahentis ab vno, vel multis; in re tamen non solùm requiritur suppositum, vt sic abstrahens, sed per se requiruntur tria determinatè; sicut certum est requiri suppositum relatiuum, cùm repugnat diuinum absolutum, & tamen comprehensa creatura non cognoscitur relatiuum explicitè, sed implicitè sub ratione suppositi vt sic abstrahentis ab absoluto, & relato.

11. Addo, quòd licèt creatura posset intelligi produci ab vnico supposito; amicitia tamen, ex qua procedit Spiritus sanctus, specialiter requirit, & necessariò pluralitatem diligentium se inuicem, tam ex parte obiecti prædicti amoris, quam ex parte principij producentis: Ex parte quidem obiecti, quia per amorem Patris, & Filij, vt obiecti per se requisiti producitur hic Spiritus sanctus, ita vt si quis eorum deficeret, non procederet idem Spiritus essentialiter: Ex parte verò principij, quia procedit vt amor mutuus duorum se inuicem redamantium, ac subinde producentium per talem dilectionem mutuam Spiritum sanctum, vt nexum amborum ex vi processionis formaliter. Quapropter essentialiter requirit, vt talis est, duas personas producentes: sicut in creatis amicitia & consensus ad matrimonium requisitus ex sua ratione essentiali adæquata duplicis personæ concursum, & volitionem postulat.

12. Ad secundum concesso antecedenti negatur consequentia, quia sicut ad connaturaliter existendum non accidit virtuti spiratiuæ esse in duobus suppositis, imò id exigit per se, quia neutrum est ipsi adæquatum; ita nec ad connaturaliter operandum accidit ei esse in duobus, quia nullum eorum est adæquatum suppositum spirandi, nec potest spirare eo modo quo spirat, nisi in vtroque. Vnde nec poterit esse nisi in vtroque, quia de essentia talis potentiæ est ipsamet operatio, & talis spiratio actualis iuxtà suprà dicta disp. 5. cap. 3. num. 12. ac subinde terminus per se procedens à tali virtute ac spiratione per se petit procedere ab omnibus personis, quas petit per se virtus, vt existat, & operetur.

13. Ex dictis sequitur primò Paternitatem & Filiationem, etsi non constituant virtutem spirandi, quæ solùm completur per relationem spiratoris, vt diximus disput. 5. cap. 4. num. 22. per se tamen pertinere ad principium spirandi vt *quod*, quatenùs constituunt supposita, quorum est per se talis actio spiratiua, ita vt licèt sit in qualibet persona integra spirandi potentia, non tamen insunt in vtralibet persona omnes conditiones per se requisitæ ad spirandum ex parte principij *quod*, sed in vtraque simul, adeò vt qualibet deficiente per locum intrinsecum cessaret hæc spiratio, quia deesset ratio amicitiæ, & concordiæ, quæ formaliter communicatur per illam, sicut deficeret processione Spiritus sancti à Filio deesset per locum intrinsecum distinctio realis eorundem, iuxta suprà dicta cap. 3.

Sequitur secundò solutio argumentorum, quæ pro Græcis adducta sunt cap. 1. num. 5. Nam ad quartum concedimus iuxta dicta cap. 4. num. 11. Virtutem spiratiuam, & spirationem actiuam esse prius origine in Patre, quàm in Filio; negamus tamen consequentiam: nam in priori signo concipiendus est Pater generans Filium per productionem Filiationis, & communicationem formalem intellectionis essentialis, prout constitutiua naturæ præcisè; & in signo sequenti intelligenda est pullulare in Patre relatio spiratoris consecuta ad Paternitatem, sicut volitio fœcunda ad intellectionem fœcundam; & simul in eodem signo constituta potentia spiratrix ex tali volitione, ac relatione spiratoris intelligitur communicari Filio, licèt materialiter, & spirare in vtroque Spiritum sanctum adhuc in eodem signo rationis, quia prioritas originis, & à *quo* non semper arguit prioritatem in *quo*, imò si sit inter relatiua, postulat simultatem in *quo*, producens enim vt producens nec esse nec intelligi potest sine producto; reliqua verò instantia rationis distinguenda sunt, iuxta supra dicta disp. 15. cap. 3. num. 1. & 2. 14.

Ad quintum iam constat ex cap. 5. Patrem & Filium esse vnicum principium per vnicam spirationem spirans. Ad sextum distinguo antecedens, de similitudine in natura, quæ potissimum attenditur in diuinis, & simpliciter significatur hoc nomine, nego sequelam: de similitudine in aliqua ratione notionali, concedo. Nec est cur id reputetur absurdum, cùm non variet simpliciter similitudinem, & multo minùs æqualitatem personarum. 15.



QVÆSTIO XXXVII. S. Thomæ.

De nomine Spiritus sancti, quod est amor.

ARTIC. I.

Vtrùm amor sit proprium nomen Spiritus sancti.



CONCLVSIO affirmat, si amor accipiatur notionaliter, nam essentialiter acceptus communis est, videantur suprà dicta disputat. 2. capit. 4. num. 7.

ARTIC.

ARTIC. II.

Vtrum Pater & Filius diligant se Spiritu sancto.

Conclusio affirmat, si dilectio sumatur notionaliter, quia sic diligere nihil aliud est quàm spirare amorem, sicut dicere est producere verbum, & florere arborem est producere flores: sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio se & creaturam. Et Pater & Filius dicuntur diligentes Spiritu sancto, vel amore procedente & se, & nos.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

DISPVT. XVIII.

An Pater intelligat Filio & vterque diligat Spiritu sancto.

Controversia est de modo loquendi circa diuinas processiones, licèt enim titulus articuli secundi de sola dilectione videatur inquirere, tamen Angelicus Doctor in decursu ipsius egit de vtriusque processionis denominatione, ideò de vtraque disquiremus.

CAPVT I.

Supponuntur quædam.

1. Augustinus. Anselm. Suppono primò propositionem titulo præfixam desumptam esse ex modo loquendi Patrum: August. enim 15. de Trinit. cap. 14. *Nouit* (inquit) *omnia Pater in se, nouit in Filio.* Anselmus in Monologio cap. 28. & sequentibus docet, Patrem dicere omnia Verbo suo, & cap. 32. concludit. *Vno igitur eodemque verbo dicit seipsum, & quæcunque fecit*, & cap. 34. ait. *Quoniam autem idem est summo Spiritui [illegible] quòd intelligere [illegible] dicere, necesse est quod eodem modo [illegible] omnia, quæ scit quo ea dicit, aut intelligit.* Sed dicit se & omnia verbo: ergo intelligit se, & omnia verbo. Videantur, quæ diximus disp. 15. Pariter Augustinus. Spiritum sanctum vocat Augustinus 6. de Trinit. cap. 5. *V[illegible]atem, Charitatem, & Sanctitatem Patris, & Filij & amorem, quo genitus à gi[illegible]tore diligitur, genitorémque suum diligit.* Similiter Bernard. loquitur Bernardus sermone de amore Dei cap. [illegible]. & 8. & sermone 3. Pentecost. & sermone 8. in Cant. vocat Spiritum sanctum *osculum Patris ad* Hieronym. *Filium.* Similiter loquuntur Hieronymus in Psal. Hugo Victorin. 17. Hugo Victorinus in epistola ad Bernardum, Guitmund. Guitmundus in confessione de sancta Trinitate to. 6. Biblioth. Scholastici sequuntur S. Thomam hic qui art. 2. respondet ad Tertium. *Sicut Pater dicit se & omnem creaturam Verbo, quod genuit in quantum Verbum genitum sufficienter repræ[illegible]tat Patrem, & omnem creaturam; ita dilig[illegible] & omnem creaturam Spiritu sancto in quantum Spiritus procedit vt amor bonitatis primæ, sec[illegible] quam Pater amat se & omnem creaturam.*

2. Suppono secun[illegible]ò multiplicem esse posse sensum huius propositionis. Primus est identicus, ita vt Filius, aut Verbum ibi sumatur pro intellectione essentiali, & Spiritus sanctus pro amore essentiali, cum quo identificatur. Sic accipit Durandus in 1. dist. 32. quæst. 1. qui per appropriationem duntaxat attribuit amorem Spiritui sancto, vt vidimus, & refellimus disp. 2. cap. 2. Durand. Non tamen improbare videtur hunc sensum Suarius lib. 9. de Trinit. cap. 10. & lib. 11. cap. 3. Censet enim à Patribus solum dici Patrem intelligere in Verbo, quia reuera est obiectum intellectionis paternæ, ac repræsentatiuum omnium, quæ cognoscuntur à Deo; quod licèt speciali ratione habeat ex vi suæ processionis, commune tamen est aliis etiam personis sicut ipsamet essentia diuina. Quapropter & Deus dicitur intelligere in seipso, & Pater in se, & in Spiritu sancto, & è contra quatenùs eadem intellectio inest omnibus & singulis personis. Similiter dici *Patrem, & Filium diligere se amore, qui est Spiritus sanctus.* Vbi solùm denotatur identitas inter amorem essentialem & Spiritum sanctum, qui est illamet dilectio ex vi suæ processionis formaliter. Suarez.

3. Secundus sensus est formalis, ita vt Pater dicatur intelligere Verbo, & diligere Spiritu sancto tanquam rationibus formalibus intelligendi, & amandi: Sic capiunt quidam, quos refert S. Thomas in hac quæst. 37. art. 2. tenet etiam Altisiodorensis apud Bonauenturam in 1. dist. 32. cuius sententiam impugnant communiter Doctores in præsenti. Altisiodor. Tertius sensus potest esse quasi causalis per originem, ita vt Pater intelligat Filio, quatenùs intelligendo producit Filium, & diligendo se Pater & Filius producant Spiritum sanctum: hunc sensum tribuere videtur Alensi Suarius supra num. 5. Alensis. Quartus sensus similiter est productiuus, ita vt significet Patrem dicendo producere alium cognoscentem, & diligendo producere alium dilectorem: sic Richardus Victorinus apud Richard. Suarium supra num. 6. ait. Victorinus. *Dicitur Pater Spiritu sancto diligere, non quòd per eum habeat amorem, sed quòd exhibeat, diligit se per Spiritum sanctum, quem producit dilectorem, & dilectionem sui.* Sic aliqui moderni explicant Patrem dicere omnia verbo esse reddere ea cognita à verbo. Quintus sensus est per habitudinem effectus, quem amplectitur S. Thomas, & explicat in hoc art. 2. in corpore, & ad 2. quia quoties ad conceptum actionis pertinet terminus ipsius determinatus & particularis, non solùm denominatur agens ab actione, verùm etiam ab ipsius termino in casu effectiuo; qua de causa dicimus arbor floret floribus, qui sunt effectus ipsius arboris.

4. Contra doctrinam istam S. Thomæ pugnant Gotfredus, & Canariensis hic existimantes huiusmodi locutionem in omni sensu proprio esse falsam, & per consequens in aliquo minus proprio sumendam e[illegible]e. Nam ideò Augustinus retractauit illam propositionem, *Pater est sapiens sapientia genita*, quia denotatur ibi habitudo formæ: sed eadem denotatur in verbo intelligendi, ac diligen[illegible] cum denominatio etiam intelligentis, & diligentis sit formalis, & intrinseca in Patre: Atque n[illegible]il intrinsecum per modum formæ possit accipere Pater a Filio, vel vterque à Spiritu sancto, nec formaliter, nec effectiue, quas habitudines ablatiuus ille significare potest: ergo talis propositio nullum capit sensum proprium.

5. Deinde ratio, & exemplum S. Thomæ sic impugnatur, Ædificare quidem est actio, quæ in suo conceptu non minus includit ædificium, tanquam suum terminum determinatum, quàm includit

cludit dilectio Spiritum sanctum; & tamen ædificator non dicitur ædificare ædificio: ergo non sufficit ea ratio. Nec iuuat Verbum *florere*, quia siue significet producere flores, vt quibusdam placet, siue non, vt volunt nonnulli, certum equidem est denominationem florentis, seu florescentis non sumi à termino producto præcisè, sed à forma intrinsecus afficiente, videlicet à floribus existentibus in arbore, ac ipsam floridam

Magister. reddentibus. Quare Magister in 1. dist. 32. vnetì succumbens asseuerat, se non cernere, cur ea propositio sit vera, quamuis ipsam non audeat

Molina. improbare. Molina quoque in hac quæst. 37. art. 2. fatetur se non satis percipere rationem huius denominationis, etsi propter authoritatem tantorum Patrum suscipienda sit.

CAPVT II.

Veritas aperitur.

1. Dico primò, Nec Pater intelligit Filio, nec vterque diligit Spiritu sancto, vt formali ratione intelligendi, & amandi; sic docent com-

Magister. muniter Theologi cum Magistro in 1. dist. 5. & 32. & cum S. Thoma hic art. 2. Probatur primò: nam intellectio, & volitio sunt actus essentiales omnium personarum, Filius autem & Spiritus sanctus sunt aliquid notionale. Probatur secundò, quia nulla persona potest intelligere, ac velle, nisi per actum existentem in ipsa, sed Verbum non est actus Patris, nec Spiritus sanctus est actus Patris, & Filij, quia licèt vna persona sit in alia, non tamen vt actus illius dans ipsi denominationem aliquam intrinsecam, qualis est intelligere, ac velle; sed alio modo inferiùs explicando, qui dicitur circumincessio. Probatur tertiò, quia nec Filius est Patri actus intelligendi, nec Spiritus sanctus vtrique actus volendi ratione relationis propriæ, cùm relatio non sit formaliter intellectio, vel volitio; nec ratione diuinæ essentiæ, quia priùs origine habet essentiam Pater, quàm communicet Filio, & priùs vterque quàm communicet Spiritui sancto: nec enim producunt ex indigentia, sed ex fœcunditate; atque vt arguit

Hugo Vict. Hugo Victorinus epistola ad Bernardum. *Si ex Sapientia quæ est Filius, saperet Pater, non tam Filius à Patre, quàm Pater à Filio esset.* Ideò retractauit Augustinus eam propositionem. *Pater est sapiens sapientia genita*, & huc conuincit ratio facta cap. 1. num. 4.

2. An autem dici possit *Filius est sapiens sapientia*

Vasquez. Suarez. *genita* tractant Vasquez 1. part. disp. 151. cap. 6. & 7. & Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 10. Breuiter Respondeo, si denotetur originis ordo, ita vt sensus sit, Filius est sapiens à sapientia genita, propositio erit falsa, quia Filius non originatur à se, sed à Patre, & in hoc sensu potius diceretur sapiens [illegible]: Si verò denotetur ordo causæ quasi formalis, etiam est falsa, quia Filius est sapiens intellectione essentiali, quæ non est genita, [illegible] ingenita, quatenus ingenitum dicit negationem productionis: nam si dicat etiam negationem communicationis vt in Patre, sic non potest [illegible] formaliter dici Filius sapiens sapientia ingenita; siquidem [illegible] sapientiam habet à Patre, non à se. Demum si denotetur ordo quasi causæ subi[illegible] vt dici[illegible], homo seipso intelligit, sic potest esse vera hæc propositio Filius

est sapiens sapientia genita, sed erit impropria. Materialiter autem, & identicè dici potest, Filius est sapiens sapientia, quæ est genita, & sapientia, quæ est ingenita. Similiter Pater identicè, & materialiter potest dici sapiens sapientia, quæ est ingenita, etiam prout dicit negationem communicationis, & sapiens sapientia ingenita quodammodo, denotando scilicet ordinem quasi causæ formalis aut subiectiuæ, non tamen à sapientia ingenita; quia sapientia à nullo prorsus originatur; & quidem omnibus pensatis consultius esset vitare locutiones illas ob illarum ambiguitatem, & improprietatem, vt monet Suarius suprà.

Dico secundò; Primus sensus identicus relatus cap. 1. num. 2. verus quidem est, & ab antiquis Patribus forsan intentus; quasi dicant Pater intelligit, vel dicit omnia intellectione sua, quæ est Verbum, & Filius: Similiter Pater & Filius diligunt se amore qui est Spiritus sanctus. Imò primam illam propositionem *Pater intelligit, vel sapit Filio*, quam Vasquius suprà num. 21. docet concedi posse, quoniam ea duo verba significant actionem non effectum formalem, & quamuis denotet essentialem operationem, vsurpari tamen posse pro notionali; Suarius lib. 9. cap. 10. cum 3.

Suarez. Scoto & Gabriele censet non posse verain esse, nisi in sensu materiali, & identico; omnirum Pater intelligit intellectione essentiali, quæ est idem cum Verbo & Filio, & hoc affirmari solùm ab Anselmo dum ait intelligere & dicere esse idem: & quidem impropriè fuisse locutum Anselmum in sententia S. Thomæ diximus disp. 2. cap. 1. vbi tradidimus Verbum *intelligere* significare tendentiam in obiectum abstrahendo à productione, vel identitate. Igitur quatenus in diuinis frequenter significat identitatem, & sumitur pro intellectione essentiali vera est sententia Suarij, scilicet in sensu essentiali non nisi materialiter, & identicè verificari propositionem illam. At quatenus ex adiunctis determinatur ad supponendum notionaliter Verbum *intelligere*, potest in hoc sensu defendi sententia Vasquij; Sic enim asseruit Anselmus in Monologio cap. 32. Summam sapientiam dicendo se intelligere, & vidimus disp. 5. cap. 2. num. 15. Sic etiam sæpè repetunt Theologi Patrem intelligendo generare, quod de intellectione essentiali reduplicatiuè nequit intelligi, sed de notionali per illud verbum *intelligendi* significata. Ceterùm in omni opinione hæc est vera propositio *Pater dicit se & omnia Verbo*, quam asseruit Anselmus expres- Anselm.

sè, quia dicere est notionale, & hæc item *Pater intelligit in Verbo* quam asseruit Augustinus: nam ibi significatur sola habitudo obiecti, non formæ.

Dico tertiò, Tertius sensus cap. 1. num. 5. relatus etiam est verus, si debitè accommodetur 4.

illis obiectis, ex quorum cognitione, vel amore procedunt diuinæ personæ iuxta suprà dicta disp. 15. & per eas denominationes vinculi, osculi, vnitatis, & charitatis reciprocæ, quas Spiritui sancto tribuunt Patres, palam significant id habere tertiam personam ex vi processionis formaliter vt diximus disput. 15. cap. 6. Meritò autem censet Molina hic art. 2. propositionem titulo disputationis nostræ præfixam iuxta proprietatem sermonis eum sensum non habere, sicut & sanctus Thomas solam habitudinem obiecti non videtur attendere, vel intendere in significatione propositionis articuli sui titulo præfixa. Quartus verò sensus eo num. 5. relatus, quamuis à Suario nunc

nuncupetur probabilis, & pius, mihi videtur insuetus, nec in humanis vnquam per *intelligere,* vel *diligere* significamus facere intelligentem, aut amantem; nec in diuinis, credo significauit vllus præter Richardum. Restat ergo quintus sensus S. Thomæ.

5. Pro quo dico quartò: Verè, ac propriè dici possunt Pater & Filius diligere se Spiritu sancto, sicut Pater dicitur dicere se Verbo suo. Hæc est sententia S. Thomæ hic art. 2. & eius ratio si satis percipiatur est manifesta: Duplex enim est modus significandi actionem aliquam; primus cum solo respectu ad terminum, quem producunt, secundus cum respectu ad terminum productum, & vlteriùs cum respectu etiam ad rem aliam non productam, sed per modum subiecti, vel obiecti se habentem; Ita docent Molina hîc
Idem. Valentia. Vasquez. art. 2. Valentia tom. 1. disput. 2. quæst. 1. punct. 2. Vasquez disp. 151. cap. 3. In primo modo non fit denominatio à termino producto in casu effectiuo v.g. in creatis dicitur Petrus generare Filium, non tamen vlterius Filio suo generare se, aut alia, quia generatio nihil aliud præter terminum respicit, nec eius denominatio potest ad aliquid vlterius deriuari: Sic in diuinis non dicitur *Pater generat seipsum Filio*, nec *Pater & Filius spirant alia Spiritu sancto*, quoniam hæc verba sistunt in solo termino producto.

6. At secundo modo fit denominatio à termino producto in casu effectiuo, & quasi eo medio progreditur ad subiectum, vel obiectum v.g in creatis sol illuminat lumine terram, calefacit calore producto corpora: Homo videt visione producta parietem, dicit verbo rem cognitam. Sic ergo Pater æternus dicit Verbo se, & obiecta cognita, seu repræsentata eo Verbo; Pater item ac Filius diligunt se, & omnem creaturam Spiritu sancto: significatur enim per hæc verba *dicere*, & *intelligere*, quando notionaliter sumuntur, non solùm actio tendens ad terminum productum, sed hoc quasi medio progrediens ad alium terminum non productum, sed cognitum vel amatum; & hoc significat S. Thomas adductus suprà c. 1. n. 3.

7. Hinc infertur primò cùm Vasquio suprà denominationem istam vltimi termini, vel obiecti posse quidem ad creaturas etiam extendi, quod expressè docet S. Thomas hic, ita vt Pater dicat se, & omnia Verbo suo, diligatque creaturas etiam
Scotus. Suarez. Spiritu sancto. Repugnat tamen Scotus in 1. dist. 31. putans hanc locutionem non esse recipiendam, & Suarius lib. 11. cap. 3. num. 12. censet non esse ita propriam, nec vsurpandam sine sufficiente necessitate, quia cùm Pater & Filius dicuntur diligere se Spiritu sancto, significatur productio termini cum vnione quædam affectiua producentium in ipsum; & cùm Spiritus sanctus non producatur ex amore creaturarum, non videtur esse per se nexus vnionis affectiuæ Dei ad creaturas. Ceterùm his non obstantibus, sicut quia verbum procedit aptum ad repræsentãdas creaturas etiam futuras; istæ propriæ dicuntur dici Verbo diuino, dum repræsentantur futuræ, sic etiam quia Spiritus sanctus includit proportionalem aptitudinem ad diligendum liberè creaturas, cùm communicetur illi formaliter per spirationem illemet amor, quo Pater, & Filius diligunt creaturas, dicuntur ipsi diligere Spiritu sancto etiam creaturas. Attamen verum est, quòd sicut dicitur Pater intelligendo generare, & generando intelligere, possunt dici Pater & Filius diligendo spirare, & spirando diligere: Vtraque verò denominatio talis intellectionis, & amoris debet cadere super obiecta, quæ præsupponuntur processionibus, ideoque super obiecta necessaria non super libera; quippe dici non poterit Pater cognoscendo futura gignit, aut amando creaturas spirat; & hoc forsan intendit Scotus.

8. Infertur secundò in hoc sensu notionali dici non posse Spiritum sanctum diligere seipso alias personas, quia nec se, nec alias personas producit; sumpto tamen verbo *diligendi* essentialiter, dici potest diligere seipso, vt cum S. Thoma in 1. dist. 32. quæst. 1. art. 2. ad vltimum tenent Vasquez suprà cap. 5. & Suarez num. 11. Sicut Pater, vel Filius dici potest intelligere seipso iuxtà suprà dicta num. 2. quia Spiritus sanctus diligit amore suo, qui est ipsemet sicut Pater, vel Filius intelligit intellectione sua, quæ est ipsemet.

9. Infertur tertiò identicè dici posse Patrem intelligere intellectione, quæ est potentia gignendi, & diligere volitione, quæ est potentia spirandi. An autem simpliciter dici possit intelligere potentia generatiua, & diligere spiratiua? Quidam affirmant in sensu formali & specificatiuo, negant tamen in reduplicatiuo, quia potentiæ non distinguuntur ab actibus intelligendi, & amandi virtualiter adæquatè, sed distinctione includentis ab incluso, quæ secludat sensum reduplicatiuum, non verò formalem, & specificatiuum. Ego certè non satis percipio subtilitatem istam: arbitror enim sensum specificatiuum ferè coïncidere cum identico, & formalem cum reduplicatiuo; alioquin posset dici formaliter potentia gignendi est communicabilis, quoniam includit intellectionem, quæ est communicabilis: Quare cùm illa propositio videatur reddere sensum formalem, si verbum *intelligere*, vel *diligere* sumatur essentialiter, negarem propositionem, si notionaliter concederem: nam actus essentiales non sunt à potentiis, sed à natura: notionales verò formaliter sunt à potentiis; Sic dicimus Patrem generare intelligendo scilicet notionaliter, & generando intelligere similiter notionaliter, spirando diligere, & spirare diligendo nimirùm notionaliter.

10. Obiicies contra primam conclusionem. Verbum mentale deseruit ad manifestandum alicui formaliter obiectum: differt enim a vocali, quatenùs hoc repræsentat instrumentaliter, mentale verò formaliter: ergo per verbum mentale cognoscitur formaliter obiectum ab illo, cui manifestatur, quia manifestari formaliter est cognosci: sed per verbum mentale manifestatur obiectum ipsi dicenti: nam in hoc etiam differt à vocali per quod dicens alteri manifestat obiectum, per mentale verò sibimet ipsi: ergo per verbum mentale cognoscit Pater æternus formaliter obiecta repræsentata vel dicta. Confirmatur, quia sicut loquens verbo vocali loquitur alteri, sic verbo mentali loquitur sibi: ergo Pater æternus sibi loquitur Verbo suo, sibique manifestat obiectum: ergo per Verbum cognoscit; non quidem instrumentaliter, alioqui Verbum diuinum esset ad modum verbi vocalis: ergo formaliter tanquam per actum intelligendi.

11. Respondeo concedendo antecedens, & primam consequentiam, & negando minorem vniuersaliter acceptam: licèt enim discrimen ibi assignatum intercedat inter verbum mentale, & vocale humanum, non tamen inter vocale & mentale

mentale diuinum, quia Pater æternus non producit Verbum, vt ipsemet intelligat, sed vt alter intelligat, ideòque per Verbum non sibi, sed alteri manifestat obiectum, videlicet ipsi Verbo: cùm enim verbum est persona, non opus est vt per ipsum manifestetur obiectum alteri personæ, quæ per verbum intelligat, sed ipsi verbo, vt ipsum per seipsum intelligat ea, quæ sibi manifestantur., & ita contingit in Deo cuius Verbum est persona. Ceterùm in creaturis semper datur distinctio realis inter verbum & personam cui manifestatur obiectum, quia nullum verbum creatum est persona intelligens; ac subinde nemo manifestat obiectum ipsimet verbo suo, sed sibi, vel alteri, cui loquitur; secùs est de Creatore. Quare Pater æternus per Verbum suum manifestat obiectum ipsimet Verbo tanquam personæ cognoscenti. Ad confirmationem negatur antecedens vniuersaliter sumptum; quamuis enim in humanis loquens mentaliter secum loquatur, quia loquitur vt ipsemet intelligat, secus in Deo, vbi loquens alloquitur Verbum suum tanquam personam intelligentem.

QVÆSTIO XXXVIII. S. Thomæ.

De nomine Spiritus sancti, quod est donum.

ARTIC. I.

Vtrùm donum sit nomen personale.

CONCLVSIO affirmat, quatenùs donum dicit aliquid quod sit dantis per originem, & in comparatione ad illum cui datur, importat liberum vsum vel fruitionem.

ARTIC. II.

Vtrùm donum sit proprium nomen Spiritus sancti.

COnclusio affirmat & probatur, quia donum importat gratuitam donationem ortam ex amore erga donatarium: nam ideò damus gratis aliquid alicui, quia volumus ipsi bonum. Vnde primum, & quasi fundamentale donum est amor: Cum ergo Spiritus sanctus procedat vt amor, specialiter, dicitur donum.

DISPVT. XIX.

Quomodo Spiritus sanctus sit donum.

TRIA nomina tribuuntur tertiæ personæ, dicitur enim Spiritus sanctus, amor, & donum; De primo nomine diximus cum S. Thoma suprà quæst. 36. De secundo diximus quæst. 37. Restat tertium examinare, quod prælat Angelicus Doctor in ista quæst. 38.

CAPVT I.

An Spiritus sanctus sit propriè donum.

DVrandus in 1. dist. 18. quæst. 1. cùm neget 1.
personas diuinas procedere per intelle- Durand.
ctum & voluntatem, vt vidimus disp. 2. sicut
consequenter denegat Filio, quidquid propriè
tribuitur ipsi vt procedenti per intellectum, sic
etiam consequenter denegat Spiritui sancto,
quod ipsi tribuitur, vt procedenti per volũtatem,
quale est esse donum propriè; quare per solam
appropriationem dicit sic appellari. Aliter philo-
sophantur Ochamus, & Gabriel eadem dist. 18. Ochamus,
quæst. 1. dicunt enim donum, vt est proprium Gabriel.
Spiritus sancti non considerari respectu creatu-
rarum, quia sic dicit respectum rationis commu-
nem omnibus personis, sed considerari respectu
Patris, & Filij ex quorum amore procedit, vt
nexus vtriusque. Consonat Hilarius lib. 8. de Hilar.
Trinit. circa medium dicens essentiam diuinam
esse donum, quod Pater dat Filio.

Vt autem doctrina S. Thomæ in præsenti quæ- 2.
stione declaretur, videamus, quid sit donum?
Aristoteles 4. topic. cap. 4. donum inquit, *est datio
irreddibilis*; id est, liberalis omnino, nec ob com-
pensationem, sed ex gratuito amore profecta.
Dicitur *datio* non actu, sed aptitudine, vt solent
verba in definitione supponi, & explicuit Augu- Augustinus
stinus 5. de Trinit. cap. 15. fine, dum ait *Aliter
enim intelligitur cùm dicitur donum, aliter cùm
dicitur donatum: Nam donum potest esse antequam
detur, donatum verò nisi datum fuerit, nullo modo
dici potest.* Quia verò liberalitas exercetur præci-
puè circa creaturam rationalem, vt docuit Augu- Idem.
stinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. nam irratio-
nalis creatura non est propriè capax gratiæ, vel
liberalitatis, sicut non est capax recompensatio-
nis, aut gratitudinis; ideò Molina hîc addit de-
finitioni, donum esse dationem liberalem ad
vsum, aut fruitionem, & S. Thomas hîc art. 1. di-
xit donum esse id, quod alieni datur, vt sit eius,
& habeatur ab illo: dicimus autem id habere, quo
liberè possumus vti vel frui, prout volumus; quod
in solam cadit creaturam rationalem.

Vnde duplex respectus consideratur in dono, 3.
Primus ad donantem, cuius debet aliquo modo
esse donum: Et hoc iuxta S. Thomam hic art. 1.
ad 1. contingit tripliciter vel ratione identitatis
& sic essentia diuina est cuiuslibet personæ, &
quisque donabilis est à seipso, cùm est sui iuris,
vt enim ait Augustinus super Ioan. *Quid tam
tuum, quam tu?* vel ratione possessionis, vt seruus,
& quæcunque res creata respectu Dei, vel ratio-
tione originis, vt Filius est Patris. Secundus re-
spectus est ad donatarium, vt donum fiat illius
aliquo modo, vel per identitatem sicuti Deus do-
nans nobis nostrummet esse, nostrammet enti-
tatem per creationem, & conseruationem; &
etiam in humanis dicitur dominus donare liber-
tatem mancipio per manumissionem: vel ratio-
ne dominij, sicuti res creatæ donantur nobis à
Deo: & inter homines donantur externa vicis-
sim: vel ratione alicuius vsus, aut fruitionis ex re
donata percipiendæ; Sic Deus dicitur donasse
nobis stellas & Angelos, quatenus eorum influ-
xu, & opera vtimur, & fruimur.

Hinc habemus rationem doni propriè Deo 4.
conuenire:

conuenire: nã ipse maximè donare potest, imò vt dixit S. Thomas, ipse solus est propriè ac perfectè liberalis, quia non propter suum, sed propter aliorum commodum donat: est item aptus donari; sic enim loquitur Scriptura Ioan. 14. *ad eũ veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* & Gen. 15. *Ego merces tua magna nimis.* Ecce per gratiam hic, & in futuro sæculo per gloriam donat se Deus suis. Ratio verò est, quoniã in ratione doni nulla clauditur imperfectio: non enim dicitur Deus alicui donare, quia sub eius dominio constituatur, vel imperfecto modo possideatur, sed vt in eo sit nouo, & speciali titulo, præcipuéque vt spirituali vinculo teneatur. Sic Deus dicitur donari hominibus iustis, quatenùs in illis incipit esse speciali titulo tanquam in templis, & in amicis suis, vt ampliùs explicabitur infra disp. 14. cap. 2. Quapropter talis donatio Dei nullam dicit mutationem in illo, sed denominationem à mutatione creaturæ. Constat etiam respectus ad donatarium, in Deo scilicet ad creaturam rationalem, quæ & est capax donationis gratuitæ, vt vidimus num. 2. & est capax Dei modo dicto.

Gen. 15.

5. Tripliciter autem conuenit donum Deo: Primò quidem essentialiter, aut absolutè prout donum dicitur donantis per identitatem: nam ipsa diuinitas est, quæ primariò communicatur per gratiam creaturis, & per consequens omnes personæ diuinæ possunt seipsas nobis donare, vt de Filio dicit sanctus Thomas in hymno: *Se nascens dedit socium, conuescens in edulium,* &c. & do Spiritu sancto inquit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 19. *Spiritus sanctus ita datur sicut Dei donum, vt etiam seipsum det, sicut Deus.* Non potest autem essentia diuina, vel aliquid aliud habere rationem doni, quatenus à Patre confertur Filio, vel ab vtroque Spiritui sancto: nam omnis communicatio ad intra est necessaria, donum verò debet esse gratuitum. Quapropter Hilarius relatus num. 1. latè quidem & minùs propriè locutus est.

August.

6. Secundò, conuenit notionaliter notione communi secundùm rationem, prout donum dicitur donantis ratione originis, sic Ioan. 3. dicitur Pater dedisse mundo Filium suum; & Rom. 5. *non sicut delictum, ita & donum,* & cap. 8. *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* & daturus Spiritum sanctum Ioann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Hæc notionalis significatio doni diuini cùm denotet originem passiuam in dono, non potest Patri conuenire, sed est communis Filio, & Spiritui sancto, non secundùm rem, quia non denotat in illis aliquam vnam relationem realem, sed secundùm rationem: conueniunt enim in hoc, quòd vterque est alterius per originem.

Ioan. 3.
Rom. 5.
Ioan. 14.

7. Tertiò, dicitur donum personaliter & specialiter de solo Spiritu sancto: quia cùm donum, vt vidimus, essentialiter petat oriri ex amore gratuito, eatenùs competit cuilibet rei, quatenus ex tali amore est apta donari; & quidem in creatis amor ipse non potest esse donum: nam amor creatus nequit in alterius potestatem transferri, tamen est prima radix donorum, à qua cetera omnia, quæ sunt apta donari extrinsecè denominantur dona, sicut post factam donationem extrinseca solùm denominatione dicuntur donata: In diuinis autem essentia diuina, & prima, & secunda persona, eo modo quo sunt dona, denominantur ab amore; sic Ioann. 3. dicitur.

Ioan. 3.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Ecce denominatio doni in Filio ex diuina dilectione: cùm autem amor sit in illis materialiter, & identicè, videlicet in Deitate, ac in Patre sine processione; in Filio verò non ex vi processionis formaliter, sed concomitanter, vt disput. 4. dictum est: at in solo Spiritu sancto reperiatur formaliter ex vi processionis constituens illum vt talem reduplicatiuè in esse amoris producti; ideò solus Spiritus sanctus est donum denominatione propria, intrinseca & formali, habens ex vi suæ processionis formaliter esse amorem & posse gratuitò donari creaturis, non amore extrinsecè ipsi superueniente, vel ideoticè conueniente, sed ipsomet amore, quo substantialiter procedit. Hoc significat Scriptura specialiter tribuens hanc denominationem Spiritui sancto tanquam propriam. Actorum 2. *accipietis donum Spiritus sancti,* & cap. 8. *donum Dei existimasti pecunia possideri.* Videatur Augustinus lib. 4. de Trinitate, cap. 20. & lib. 5. à cap. 11. ad 15. & lib. 15. cap. 19. & Doctores in præsenti.

Act. 2. & 8.
Augustinus.

CAPVT II.

Vnde proueniat Spiritui sancto ratio doni.

1. QVæri potest an hæc ratio doni competat Spiritui sancto ratione suæ proprietatis, vel ratione essentiæ? Respondeoque breuiter competere quidem eidem ratione vtriusque, sicut & ratio Verbi conuenit Filio ratione suæ proprietatis personalis, & ratione simul intellectionis essentialis. Ratio est, quia si consideretur in dono respectus ad donantem manifestè conuenit Spiritui sancto per suam proprietatem personalem, vt docet sanctus Thomas in 1. dist. 18. artic. 4. & Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. dicens *Spiritum sancto donum Dei esse, est à Patre procedere.* Si tamen in dono consideretur ratio donandi, quæ est amor, hæc conuenit Spiritui sancto formaliter vt est terminus talis processionis per voluntatem, ac subinde connotat etiam relationem spirati, sine cuius productione non posset ipsi communicari formaliter amor; ideò dixit Augustinus locis suprà adductis *Filium procedere vt natum, Spiritum sanctum vt datum,* id est, vt dabilem ex vi suæ processionis, & eo esse donum, quo est Spiritus sanctus.

Idem.

2. Itaque ratio ista doni continet relationem realem originis ad dantem, quæquidem ideò non multiplicat proprietates personales, quoniam est eadem omninò cum relatione spirati & amoris producti, sicut eadem est omninò relatio constituens Filium in esse geniti & Verbi, & sapientiæ, & imaginis. Præterea continet ratio doni relationem rationis fundamentalem ad creaturas, quibus dari potest; quam relationem dicit Caietanus significari principaliter nomine doni. Per oppositum Valentia putat magis principaliter significari relationem ad dantem. Res est parui momenti. Videantur Vasquez 1. part. disp. 154. & Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 4.

Vasquez.
Suarez.



QVÆSTIO XXXIX. S.Thomæ.

De personis ad essentiam relatis.

ARTIC. I.

Vtrùm in diuinis essentia sit idem quod persona.

Conclusio affirmat de qua diximus, disp.8.

ARTIC. II.

Vtrùm sit dicendum tres personas esse vnius essentia.

Conclusio. Vna essentia dicitur esse trium personarum, quia significatur per modum formæ, & tres personæ dicuntur esse vnius essentiæ ad designandam vnitatem essentiæ in omnibus illis: qui modus loquendi traditur ab Augustino lib. 3. contra Maximinum cap. 14. & habetur in VI. Synodo act.4. & 11. & in Conciliis Toletanis VI. & XI. confitentibus Trinitatem esse vnius essentiæ, vnius maiestatis, ac naturæ.

Augustinus.

Conc. Tol. VI.& XI.

ARTIC. III.

Vtrùm nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus personis.

Prima conclusio. Nomina substantiua concreta essentialia vt *Deus*, dicuntur singulariter de tribus personis. Secunda conclusio. Nomina adiectiua, vt *Sapiens*, pluraliter dicuntur de tribus personis. Vtramque probat S. Thomas, quia substantiua significant per modum substantiæ, & substantia sicut habet esse per se, sic per se habet vnitatem, vel multitudinem. Adiectiua verò significant per modum accidentis, quod inhæret subiecto, ideoque sumunt ab hoc vnitatem, vel pluralitatem.

ARTIC. IV.

Vtrùm nomina essentialia concreta possint supponere pro persona.

Conclusio. Quandoque nomen *Deus* supponit pro natura, scilicet per se sumptum; Quandoque pro persona, scilicet, si determinetur ex adiuncto. Probatur ex modo significandi, quia *Deus* significat diuinam essentiam, non solam, sed vt in habente ipsam, sicut homo significat humanitatem in supposito: Habet ergo ea modo significandi, vt propriè possit supponere pro persona sicut hoc nomen *homo*.

ARTIC. V.

Vtrùm nomina essentialia in abstracto significata possint supponere pro persona.

Conclusio negat, & probatur, quoniam abstracta duntaxat significant formam habitam, & nullo modo habens; ideoque non possunt supponere pro habente, cùm nomina concreta possint pro habente supponere, quoniam illud important.

ARTIC. VI.

Vtrùm personæ possint prædicari de nominibus essentialibus.

Conclusio affirmat, & probatur, quia licèt nomina notionalia adiectiua non possint prædicari de essentia: non enim dicimus, essentia diuina est generans, quia prædicatum adiectiuum facit sensum formalem, substantiua verò prædicari possunt de essentia, quia ferunt secum suppositum, quod identificatur cum essentia: sic dicimus essentia diuina est Trinitas, est Deus generans, est Pater, Filius, & Spiritus sanctus,

ARTIC. VII.

Vtrùm nomina essentialia sint appropriandi personis.

Conclusio. Licèt essentialia re ipsa sint æquè communia tribus personis, à nobis tamen quædam vni, quædam alteri accommodantur vt meliùs eas dignoscamus, quæ accommodatio dicitur appropriatio.

ARTIC. VIII.

Vtrùm conuenienter à sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa.

Conclusio affirmat, & rationem reddit, cur secundùm diuersas considerationes diuersa prædicata personis approprientur à sanctis Patribus: Hilarius enim attribuit æternitatem Patri, speciem Filio, vsum Spiritui sancto. Augustinus verò tribuit vnitatem Patri, æqualitatem Filio, concordiam Spiritui sancto. Rursus Patri potentiam, Filio sapientiam, Spiritui sancto bonitatem, & sic de aliis.



DISPVT. XX.

De prædicationibus terminorum pertinentium ad Trinitatem.



Qvoniam magni ponderis est modus loquendi circa varias prædicationes, quæ in hoc mysterio concurrunt, ideò S. Thomas totam istam quæstionem insumit in expédendis variis terminis essentialibus, & notionalibus, qui possunt multipliciter ad inuicem comparari. Primò scilicet, essentialia cum essentialibus. Secundò, notionalia cum notionalibus. Tertiò, notionalia cum essentialibus. Quartò, essentialia cum notionalibus: & hæc omnia, vel in abstracto, vel in concreto, vel adiectiuè, vel substantiuè.

CAPVT

CAPVT I.

Ponuntur regulæ generales.

1. TOta doctrina huius quæstionis 39. quæ modum diuinarum prædicationum præscribit, videtur ad duas regulas posse reduci. Prima sit, quoties prædicatio facit sensum identicum duntaxat, possunt quicunque termini diuini prædicari de aliis, dum non opponantur relatiuè. Fit autem sensus solùm identicus, quando sola significatur identitas prædicati cum subiecto sine aliqua reduplicatione. Sic possunt omnia substantiua concreta inuicem prædicari, siue notionalia de essentialibus, siue essentialia de notionalibus, siue essentialia inter se vicissim enuncientur. Imò de notionalibus non oppositis possunt notionalia prædicari: Ratio generalis in omnibus est, quia cùm substantiua concreta importent habens, in quo cunctæ diuinæ perfectiones identificantur, vbi non obuiat relationis oppositio, sufficienter verificantur propositiones istæ ratione identitatis.

2. Notandum etiam est ex Scoto in 1. dist. 15. quæst. 1. duplicem esse duntaxat abstractionem, scilicet, vel per modum accidentis à subiecto, sic abstrahitur ab albo albedo, vel per modum substantiæ ab habente, sic abstrahitur humanitas ab homine, & albedinitas ab albedine; ratio est, quia duplex tantùm est modus, quo forma quælibet est in composito scilicet, vel tanquam forma accidentalis, vel tanquam forma substantialis, aut essentialis. Vnde fit quædam esse abstracta media, qualis est albedo, quæ licèt sit terminus abstractus respectu albi, simul tamen est concretum quodammodo respectu albedinitatis; quædam autem esse abstracta vltima, quæ respectu nullius possunt dici concreta; talis est albedinitas, & similia. Quapropter in diuinis sapientia, potentia, relatio, dici possunt abstracta media, quia licèt sint abstracta respectu sapientis, potentis, & relatiui (idem est de cæteris huiusmodi) sunt tamen quodammodo concreta respectu rationis formalissimæ sapientiæ, potentiæ, habitudinis, & similium.

Scotus.

3. Igitur in his etiam abstractis mediis, cùm per verbum substantiuum prædicantur, vel subiiciuntur, credo reddi sensum identicum, siquidem suo modo important aliquod habens, in quo conueniant identicè. Quare non solùm dicimus Deus est tres personæ cum S. Thoma hic art. 6. & è contrà tres personæ sunt Deus, sunt Dominus: Deus est summum bonum, Pater est spirator, aut spirator est Filius, sed etiam Deus est Trinitas, Trinitas est Deus, quæ est propositio de fide: Deus est sapientia, iustitia, bonitas: Misericordia est potentia, quia reddit hunc sensum habens rationem formalissimam misericordiæ est identicè habens rationem formalissimam omnipotentiæ.

4. Addimus etiam posse pariter abstracta quantumuis vltima per verbum substantiuum in diuinis prædicari de concretis, vel è contra quia solùm redditur sensus identicus, & cùm in Deo nunquam distinguatur realiter (sicut distinguuntur in creaturis) habens, & forma habita, sufficienter verificantur illæ propositiones in sensu identico: sic loquitur Concilium Rhemense sub Eugenio III. hoc quidem innixum fundamento; & sic possumus dicere Deus est Deitas, essentia diuina est Pater, Filius est filiatio, ratio potentiæ, vel relationis est Verbum, id est, realiter est idem cum habente filiationem, vel habens paternitatem est idem realiter cum quacunque formalitate in ipso reperta.

Concil. Rhemens.

Secunda regula generalis sit. Quoties prædicatio facit sensum formalem, ea solùm prædicari possunt de alio, quæ conueniunt subiecto formaliter, quatenùs subiectum reduplicatiuè sumitur prout distinctum ab aliis formalitatibus: fit enim sensus formalis quoties importatur reduplicatio per verba scilicet, aut nomina adiectiua, vel abstracta, ideò S. Thomas hic artic. 5. docet vniuersaliter non posse de abstractis essentialibus prædicari verba, vel nomina adiectiua notionalia: nam ista nomina, verbáue notionalia formaliter applicata dicunt necessariò distinctionem realem ab oppositis relationibus, cùm tamen nec essentia, nec vlla formalitas essentialis distinguatur realiter ab alia diuina perfectione. 5.

Sic istam propositionem *essentia diuina generat*, definit esse falsam Concilium Lateranense in cap. *Damnamus*, & Toletanum I. in confessione fidei sic habet. *Si quis dixerit Deitatem nascibilem esse anathema sit*; Idem autem est nascibilem esse Deitatem, ac generari, & in Toletano XV. retractatur hæc propositio, *voluntas genuit voluntatem*; etsi forsan alia ratio retractationis præter vsum nominum abstractorum. Ratio præcipua sumitur ex distinctione requisita inter generantem & genitum; Quia nihil producit seipsum; sed essentia diuina prout abstractè significata non distinguitur realiter à persona producta, nec ab aliqua proprietate notionali: ergo non potest dici generare, vel producere aliquid ad intra. Minor probatur: nam essentia in abstracto duntaxat dicit formam habitam, & nullo modo habens, ac subinde non potest supponi pro habente; concretum verò Deus potest pro habente supponi, quoniam illud etiam importat. Illas verò locutiones Augustini *essentia de essentia, sapientia de sapientia*, & similes ad denotandam Deitatis vnitatem vsurpatas minùs proprias vocat sanctus Thomas artic. 5. ad 1. Ideoque dicit non extendendas esse, sed exponendas, ita vt abstracta sumantur ibi pro concretis; nimirum Deus de Deo, sapiens de sapiente; vel ita vt abstracta sumantur pro nominibus notionalibus, & reddant hunc sensum, Filius qui est essentia, vel sapientia est de Patre, qui est essentia, & sapientia. 6.

Conc. Lat. Tolet. I. Tolet. XV.

Addit sanctus Thomas eo art. 5. ad 3. actum notionalem verè prædicari de essentia abstractè significata, si substantiuum aliquod interueniat, v. g. licèt hæc propositio sit falsa, *essentia generat*, vel *est generans*, hæc tamen est vera, *essentia est res generans*, vel *est Deus generans*. Probatur ex differentia inter nomina substantiua, & adiectiua: nam illa ferunt secum suum suppositum, in quo possunt conuenire subiectum, & prædicatum, saltem identicè; Ceterùm adiectiua non ferunt secum suppositum, sed rem significatam ponunt circa substantiuum, ita vt album, v. g. substantiuè sumptum significet *ens in quo est albedo*; at sumptum adiectiuè non significat illud *ens*, sed solum *in quo est albedo*, vt latiùs docuimus in libris Perihermenias. 7.

8. Hinc fit primò substantiuum posse reddere suppositum orationi, secus adiectiuum, vt docet S. Thomas suprà, quia scilicet nomen adiectiuum necessariò supponit aliud quod referat, cui adiaceat, & cum quo debeat concipi significatum ipsius. Fit secūdò, verba adiectiua, cùm sequantur modum significādi nominum adiectiuorum, reddere sensum formalem in prædicatione, iuxta dicta disp. 13. cap. 1. n. 7. & 8. Et quidem adiectiua nomina ideò non nisi formaliter prædicantur, nempè de his solùm substantiuis concretis vel abstractis, in quibus formæ significatæ per adiectiua formaliter insunt; quoniam adiectiua non afferunt suppositum, sed solùm applicant significatum suum supposito subiecti, quapropter denotant inesse tale formale significatum tali supposito, prout tale est, quod est facere sensum formalem, eadémque ratio proportionaliter militat in verbis adiectiuis; ideoque nō dicimus *Deitas est spiratiua*, nec itē dicimus *Deitas spirat*, nec *paternitas generas*, vel *filiatio spirat*, ob rationē redditam eo n. 7. & 8. Filiatio verò dicitur produci, non autem generari, quia denominatio geniti ton coniuncto ex natura, & filiatione tribuitur, non soli relationi, cùm hæc non procedat similis in natura.

Canariens. Vasquez. Suarez. Videatur S. Thomas 1. part. q. 32. art. 2. ad 2. Canariensis ibi, Vasquez & Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 7. n. 3. Adde forsan etiam abstracta vltima sic reddere sensum formalem, vt per solam identitatem non possint inuicem enunciari, nec nisi in sensu formali verificentur, v. g. in creatis vera est propositio, Animalitas est ratio sentiendi, albedinitas est ratio disgregandi visum, falsa verò animalitas est rationalitas, coloreitas est albedinitas; sic proportionaliter in diuinis rectè dicitur, *Intellectio diuina est ratio constitutiua Deitatis; ratio potentia diuina est actiuitas infinita*, non tamen dicemus rectè *Deitas est ratio potentia*; vel *ratio iustitia est ratio misericordia*.

CAPVT II.

Quomodo supponat nomen Deus.

1. Vasquez. Suarez. DE hoc agit ex professo S. Thomas hic art. 4. Cumel, & Molina ibi, Vasquez disp. 156. & 157. Suarez lib. 4. de Trinit. c. 13. & 14. atque alij: Nos breuiter supponimus primò nomen cōcretum substantiuum non solùm connotare suppositum, vt vult Vasquez disp. 155. c. 4. sed etiam directè significare suum habens, seu suppositum, Molina. etsi materialiter, quod docet Molina 1. p. q. 36. art. 4. disp. 5. §. *Circa responsionem ad secundum*, Suarez. & Suarez 3. p. to. 1. disp. 13. sect. 3. & lib. 3. de Trin. c. 3. n. 9. & lib. 10. c. 7. n. 7. probatque ex communi modo loquendi, quem satis expressit S. Thomas in hac q. 39. art. 5. ad 5. dum ait nomina substantiua ferre secum suum suppositum, & art. 4. dicit nomen concretum significare formam, vt in habēte ipsam; ita vt ex modo significandi possit supponere propriè pro supposito, vel habente talem formam; suppositio autem est acceptio termini pro re, quam significat.

2. Supponimus secundo, non dari in Deo subsistentiam communem, quam hoc concretum Deus determinatè significet, ac subinde significare formaliter, & determinatè Deitatem, quæ est vnica, & singularissima, subsistentiam verò seu suppositum materialiter, & indeterminatè commune quidem per nostrum intellectum tribus relatis, vt docuimus suprà disp. 11. c. 3. & idem esset in hoc concreto *homo*, si eadem humanitas à pluribus diuinis personis assumatur; quia de facto, cùm etiam humanitas plurificetur in nobis, non importatur in singulari, nec determinatè hæc humanitas in hoc concreto, sed humanitas in communi, licèt formaliter, & hoc solum voluit S. Thomas in hac quæst. 39. art. 4. ad 3.

Ex his colligo primò, nomen *Deus* si aliunde non restringatur immediatè supponere pro natura diuina, vt in habente ipsam, ita vt determinet naturam, & confundat suppositum, ac subinde supponat etiam pro personis indeterminatè; ratione tamen adiuncti posse determinari suppositionem ad vnam, vel aliam personam, vel ad plures simul collectiuè, vel diuisiuè: sic intelligendus est sanctus Thomas in quæst. 39. artic. 4. dum ait Deum quandoque supponere pro essentia, id est, determinando solam essentiam, quando scilicet prædicatum conuenit ipsi ratione Deitatis præcisè, vt cùm dicimus Deus creat, determinatè ac explicite denotatur natura diuina, cuius est potentia creandi materialiter, & in confuso supposita, ita vt suppositio tunc sit ex parte naturæ suppositio singularis, ex parte suppositi sit communis, & distributiua, vel copulata; quare debetur ipsi descensus copulatiuus scilicet: ergo Pater creat, Filius creat, &c. vel copulatus, scilicet: ergo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus creant. 3.

Obiicies, modum suppositionis communis habere locum in ordine ad actus mentis, non verò in ordine ad actiones reales: nam actus mentis terminantur ad rationes abstractè conceptas, actiones verò reales immediatè procedunt à singularibus ipsis, prout sunt à parte rei. Respondetur inde ad summum conuinci, quod in hac propositione *Deus creat*. determinetur in singulari principiū creandi vt *quo*, cōsequenter verò denotentur supposita, in quibus virtus creatrix petit existere connaturaliter ad operandum, vt dicebamus disp. 17. cap. 6. n. 8. non est autem necesse quòd hoc materiale significatum, & quasi mediatum determinetur in ea suppositione, an sit vnum vel multiplex, nec ita copulatè designetur vt non possit actio creatiua singulis personis attribui, cùm in singulis sit verè tota virtus creandi, sicut actio, quæ à pluribus causis totalitate effectus procedit, singulas denominat causantes, & omnes simul & diuisim, v. g. in hac propositione *calefactiuum calefacit*: subiectum supponit in confuso pro Deo, vel pro igne, vel pro calore, vel pro omnibus simul, videlicet suppositione distributiua, vel copulata; & sic valet ibi descensus copulatiuus, vel copulatus. 4.

Addit S. Thomas hoc nomen *Deus* quandoque supponere pro persona, cuius rationē reddit in 1. dist. 4. q. 1. art. 2. dicens, *nomen* Deus *non tātùm importat naturā, sed suppositum indistinctè, & ideò de se habet quòd possit supponere propriè pro persona:* Intellige distinctè & explicitè: siue pro omnibus personis distributiuè, vt cū dicimus *Deus est persona*, vbi valet descēsus copulatiuus: siue pro omnib. copulatè, vt cū dicimus *Deus est Trinitas*, cui suppositioni respōdet descensus solùm copulatus, videlicet: ergo Pater & Filius, & Spiritus S sunt Trinitas, siue pro vna persona determinatè, vt cùm dicimus Deus generat, vbi supponit explicitè pro Patre, Deus generatur, pro Filio, Deus spiratur, 5.

pro

pro Spiritu sancto; & tunc est suppositio singularis etiam ex parte suppositi: siue pro duabus personis, vt cùm dicimus Deus spirat, explicitè supponit pro Patre, & Filio, & indeterminatè pro alterutro.

6. 1.Tim.1. Colligo secundò in hac propositione *Soli Deo honor, & gloria* 1. ad Timot. 1. suppositionem esse distributiuam ex parte suppositi, vel quia dictio exclusiua *soli* non excludit concomitantia, vt docet Suarius suprà n. 9. & sic datur descensus copulatiuus soli Patri honor, & soli Filio honor, &c. sicut dicit Ecclesia de Christo Domino *Tu solus Sanctus, Tu solus Dominus*; & de Patre dixit Christus, *vt cognoscant te solum Deum*, non enim excluduntur aliæ personæ, vel quoniam ista propositio est exponibilis per hanc hypotheticam, *Deo debetur summus honor, & nulli alteri*; atque in sola affirmatiua fieri debet descensus, sicut in hac, *solus homo est rationalis*; si verò dicamus *Deus est communis tribus personis*, erit ex parte subiecti suppositio simplex, sicut cùm dicimus *homo est species*, vbi nullus datur descensus. (Suarez.)

7. Colligo tertiò in hac propositione *hic Deus est hic Deus* signato ex parte subiecti Patre, & ex parte prædicati Filio, quam Marsilios, & alij Nominales negant; Vasquius tamen, & Molina concedunt satius fore distinguere: nam si demonstratiuum illud determinet personam in indiuiduo est planè propositio falsa, sicut hanc *Deus generans est Deus genitus*, meritò dicit falsam S. Thomas hic art. 4 Si verò solum demonstret indiuiduum Deitatis, seu naturam illam indiuiduá, quæ vnica est, & singularissima in omnibus personis, est propositio vera, imò identica; quia sicut ad vnitatem concreti sufficit vnitas formæ, sic ad identitatem, & hæcceitatem, vt ita dicam, concreti, sufficiet identitas, & singularitas formæ.

8. Colligo quartò, has esse contradictorias, *Deus generat, Deus non generat*, & affirmatiuam esse veram, vbi *Deus* supponit suppositione singulari pro Patre, quia prædicatum cùm soli Patri possit conuenire, restringit subiectum ad talem suppositionem singularem, etiam ex parte suppositi, vt docet S. Thomas hic art. 4. ad 3. Negatiuã verò esse falsam, vbi *Deus* non mihi videtur supponere pro solo Patre, licèt id placeat nonnullis, sed pro omnibus personis in confuso, ita vt addita negatione æquiualeat vniuersali ex parte suppositi, id est, nulla diuina persona generat, vel Deus in nullo supposito generat. Ea est enim vis negationis, vt quoad possit faciat sensum distributiuum; sicut hæ propositiones eadem de causa sunt falsæ, *Deus non est genitus, non est vnitus carni, non est Pater*, & similes. Quod enim rei singulari conuenit alicubi, licèt non conueniat vbique, potest de illa simpliciter prædicari; ceterùm absolutè negari non potest, nisi quòd nullibi conueniat eidem. Videatur Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 7. (Suarez.)

9. Colligo quintò, hãc propositionem esse veram *Deus genuit Deum*, nam ex parte subiecti supponit pro Patre, & ex parte prædicati pro Filio. Sic intelligitur quòd dicitur in symbolo *Deus de Deo, lumen de lumine*. Possetque dici *Deus genuit eundem Deum*, quia sola significatur identitas naturæ, quo sensu dixit Augustinus 3. contra Maximinum cap. 7. *Pater genuit quod ipse est*: non enim excludit distinctionem personæ, quam Verbum *genuit* exprimit satis. At verò hæc propositio, *Deus genuit alium Deum*, est falsa, quia denotat distinctionem Deitatis; secùs si dicatur Deus genuit (Augustinus.)

alium, qui est Deus; vbi sola designatur distinctio personalis cum similitudine, vel identitate naturæ; sic dixit Augustinus epistola 66. *Pater genuit alterum se*; id est, alterum sibi simillimum, sicut solet dici amicus alter ego. Et ex his facile erit de aliis similibus locutionibus iudicare. (August.)

Colligo sextò, vnde sumatur vnitas, vel pluralitas concreti substantiui. Vasquez 1. part. disp. 155. contendit ex sola formæ vnitate, vel numero singulariter, vel pluraliter dici concreta substantiua. Probatur primò ex S. Thoma in hac q. 39. art. 3. dicente. *Singularitas, vel pluralitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam per nomen*. Probatur secundò, quia concreta substantiua non significant directè supposita, sed tantùm connotant illa, formam verò significãt directè, sed significatio nominis numerari debet secundum significatum directum illius, hoc enim est quòd directè demonstrat, & afficit: ergo ex sola forma numerantur cõcreta. Probatur tertiò, quia nomen *suppositum*, seu *persona* est concretum substantiuum, & tamen plurificatur ad plurificationem solius subsistentiæ, quæ est directum, & formale significatum illius, licèt non plurificetur natura, vt contingit in Deo: ergo non est necessaria multiplicatio habentiũ Vnde deducit Vasquez quòd si vna persona diuina tres humanitates assumeret, dicerentur tres homines, & non vnus, quia licet suppositum, seu habens sit vnum, formæ habitæ forent tres. 10. (Vasquez.)

Dicendum tamen est ad pluralitatem concreti substantiui vtrũque debere multiplicari tàm habens, quàm formam habitam, ita vt tres homines sint tres habentes tres humanitates. Quare si tres humanitates inessent eidem supposito, vel tria supposita haberent eandem humanitatem; non dicerentur tres homines, sed vnus homo: Nam homo in communi acceptione (idem est de aliis concretis substantiuis) est habens humanitatem, ita vt habens, & forma habita directè significetur tali nomine, vt supra dicebamus n. 1. Confirmatur primò; nam hinc redditur congrua ratio cur Christus Dominus licèt habeat duas naturas, non sit duo, sed vnum propter vnitatem suppositi, iuxta communem sententiam Theologorum, & Patrum, quam admittit ipse Vasquez suprà cap. 6. vbi laborat satis, vt expediat se nodo isto, ne propter singularem suam sententiam communi Theologorum contrauèniat. 11.

Confirmatur secundò, quia Christus est vnus Filius, non duo, vt tradunt sancti Patres, & tamen habet duas naturas, capaces filiationis. Item qui nouit plures artes, non dicitur plures artifices, sed vnus, licèt formæ sint plures. Respondet Vasquez nomen *filius* non accipere pluralitatem à natura, sed a supposito, vel quia est nomen velut adiectiuum, vel quia est nomen suppositi, & concreta suppositi, vt sunt *hypostasis, persona*, & similia fatetur, cùm directè significent subsistentiam ad eius numerum plurificari, secus de concretis naturæ, vel formæ; & in his rursus distinguit; nam quæ significant formas substantiales dicit ex sola formæ multitudine multiplicari, quæ verò significant formas accidentales a subiecto sumere vnitatem, vel pluralitatem. Sed apertè constat distinctiones istas esse quidem euasiones, quia modus significandi concretorum idem prorsus est, siue significetur forma substantialis, siue accidentalis, & Filius planè significat habens filiationem, sicut homo habens hum[illegible] 12.

Ttt 3 ergo

ergo in omnibus significatur habens etiam directè, subindeque debet multiplicari ad pluralitatem concreti, alioquin in sententia Vasquij. Si Deus pluribus hominibus infunderet eandem numero artem, dicerentur plures artifices, quod
Molina. satis refellit Molina 1. part. quæst. 36. artic. 4. disp. 3. & 4.

13. Ad primum in oppositum respondetur. S. Thomam ibi non exclusisse pluralitatem suppositorum, aut habentium, quam ad pluralitatem concreti substantiui requiri satis expresserat q. 36. artic. 4. ad 2. dicens in multitudine principiorum non solam multitudinem formarum, sed etiam suppositorum pluralitatem implicari. Ad secundum negatur maior, cuius oppositum recipit communis Schola, vt visum est. Ad tertium respondetur per ea nomina non significari naturam vt habens, sed ipsummet suppositum, quod per subsistentiam constituitur significari, vt habens, & subsistentiam vt formam habitam, ita vt habens, & forma habita prout directè significantur hoc nomine fortasse solùm differant ex modo significandi: sicut in hoc concreto *ens*. Addo naturam hoc nomine solùm significari minùs principaliter, quàm subsistentiam; plurificationem autem attendi penes principale significatum nominis, ideoque ad multiplicandas personas in diuinis sufficere pluralitatem personalitatum sine pluralitate naturæ: sicut nomen abstractum *processio passiua* realiter plurificatur ob distinctionem realem relationum, quamuis volitio, & intellectio diuina non distinguantur realiter inter se, nec faciant multitudinem realem, quia nomen *processio* significat per modum relationis, ac subinde magis principaliter relationem ex modo significandi.



QVÆSTIO XL. S. Thomæ.

De personis in comparatione ad relationes, seu proprietates.

ARTIC. I.

Vtrùm relatio sit idem quod persona.



CONCLVSIO. Relatio secundùm rem est idem quod persona, ratione verò distinguitur, & secundum modum significandi dicitur esse in persona, quia proprietates significantur in abstracto, & per consequens, vt quædam formæ personarum; de ratione autem formæ est quòd sit in eo cuius est
Bernard. forma. Hanc identitatem docet expressè Bernardus lib. 5. de consideratione, cap. 8. dicens *Personarum proprietates non aliud quam personas esse fides Catholica confitetur*. Sumiturque ex illo Patrum principio, scilicet *in Deo non distin-*
Boëth. *gui quo est, & quod est*, vt tradunt Boethius lib. 1. de Trinitate, & lib. de hebdomadibus.
Gregor. Gregorius lib. 9. moral. cap. 2. & lib. 18. cap. 34.
Augustinus. Augustinus lib. 6. de Trinit. à c. 6. Cumque iuxta sanam doctrinam in diuinis personis non sint aliæ proprietates præter relationes, omnia, quæ de illarum identitate cum natura diuina diximus disp. 8. & 13. de proprietatibus dicta censeantur.

ARTIC. II.

Vtrùm personæ distinguantur per relationes.

CONclusio. Personæ diuinæ distinguuntur, & constituuntur relationibus: Nam omnia absoluta sunt communia, origines verò significantur per modum viæ, relationes verò significantur vt subsistentes proprietates, ac subinde prius, & principaliùs intelliguntur constituere distinguereque personas, quam origines.

ARTIC. III.

Vtrùm ablatis per intellectum relationibus à personis adhuc remaneant hypostases.

PRima conclusio. Si relationes abstrahantur a personis per modum vniuersalis ita vt concipiatur nuda potius essentia, tunc nec ratio hypostasis, nec ratio personæ remanet. Secunda conclusio, si abstractione mathematica remoueatur relatio non personalis, vt spiratio actiua, remanet adhuc persona Patris & Filij, sed remota proprietate personali non manet hypostasis. Ratio est, nam hypostasis in diuinis significat aliquid distinctum, cùm sit substantia indiuidua. Relatio autem est quæ constituit, & distinguit hypostases: ergo remotis relationibus non manent hypostases.

ARTIC. IV.

Vtrùm actus notionales præintelligantur proprietatibus.

COnclusio. Origo passiua intelligitur priùs quam proprietas, seu relatio personæ productæ, quæ consequitur originem: nam origo significatur, vt via ad personam proprietate constitutam. Origo etiam actiua priùs intelligitur quam relatio personæ originantis, quia prout est relatio fundatur super actum, quamuis prout est constitutiua personæ relatio præintelligatur actui notionali.



DISPVT. XXI.

De constitutione diuinarum personarum.



INTER grauissimas huius mysterij controuersias hæc forsan difficillima, & inter difficillimas grauissima reputanda est, vt quæ circa fidei doctrinam subtilissimas impedita nodis opiniones diuersas, acutissimas distinctiones, & decisiones peperit Scholasticis. Laborabimus in congerendis, digerendis, illuminandis aliorum placitis; insistemus in aperienda noua discurrendi via rationéque decidendi faciliori.

* * *

CAPVT I.

Rationes dubitandi.

1. Sit prima, quia constitutio, & proprietas constitutiua dicit ordinem ad rem constitutam: sed ordo, seu respectus supponit distinctionem: ergo constitutio & proprietas constitutiua supponit distinctionem inter constituentem, & constitutum. At in diuinis personis nihil inest distinctum ab ipsis: ergo nullum constituens, nulla constitutio, vel proprietas constitutiua in illis asserenda erit.

2. Secunda, si daretur in Deo proprietas constitutiua personæ, vel esset proprietas absoluta, vel relatiua: nihil enim in Deo concipi potest quod non sit, vel in se, vel ad aliud. Sed neutrum potest esse: ergo nulla datur talis proprietas, aut constitutio. Minor probatur quoad priorem partem, quia personæ, vt personæ distinguuntur realiter inter se: sed omnia absoluta sunt in Deo communia personis: ergo personæ constitui non possunt in ratione personali per aliquid absolutum. Minor probatur: nam in diuinis omnia sunt vnum; vbi non obuiat relationis oppositio, vt constat ex suprà dictis disp. 17. cap. 3. Cùm ergo quidquid est absolutum in diuinis sit vnum, & commune realiter omnibus personis, non potest esse constitutiuum earundem, prout inuicem distinguuntur.

3. Quòd autem nec per relatiuum possint constitui (quæ erat secunda pars illius minoris) probatur, quoniam in relatiuis aliquid præsupponitur absolutum, & constitutum quod referri possit, vt *quod* per relationem, videlicet Pater per paternitatem, & res candida per similitudinem ad aliam rem sibi similem: sed in diuinis id quod refertur, non est essentia, sed suppositum: ergo concedendum est suppositum absolutum, quod per relationem superuenientem referatur; atque ideò persona in ratione personæ non potest constitui per relatiuum. Confirmatur argumento suprà facto disp. 5. cap. 14. num. 19. quia relatio, quæ fundatur in actione, qualis est paternitas, necessariò supponit actionem generandi, in qua fundatur talis relatio: actio verò generandi supponit suppositum constitutum, vnde procedat: ergo non potest relatio constituere personam, seu suppositum.

4. Tertia ratio dubitandi sit, quia licèt habeamus ex fide, personas diuinas distingui realiter inter se, non tamen habemus, easdem constitui sigillatim, nec ad distinctionem requiritur talis constitutio: ergo non est asserenda. Antecedens probatur, quia sicut non omne constitutiuum est distinctiuum, sic è contra non omne distinctiuum est constitutiuum, v. g. actio in suo esse actionis constituitur per ordinem ad talem terminum, & ad tale agens; & tamen per istum ordinem non distinguitur realiter à passione: & in diuinis Filius distinguitur realiter à Spiritu sancto per spirationem actiuam, & tamen non constituitur in esse Filij per illam: ergo potest intelligi distinctio realis personarum, & principium etiam distinctiuum in singulis sine constitutione, vel principio constitutiuo reali.

CAPVT.

CAPVT II.

Dari constitutionem in diuinis personis.

Vt à notioribus incipiamus, sit prima sententia Gregorij in 1. dist. 26. & 27. qui secutus Præpositiuum relatum à S. Thoma in hac quæst. 40. art. 1. & quæst. 32. art. 2. sicut negauit proprietates in abstracto, sic negat personas diuinas illis constitui, ac subinde tollit omnino constitutionem. Probat, quia res omninò simplex non est capax constitutionis, sed solùm se tota est in se, & seipsa etiam ab aliis distinguitur. Personæ verò diuinæ sunt omninò simplices: ergo non sunt capaces constitutionis. Maior probatur, quia res omninò simplex, qualis est diuina persona, si constitueretur aliquo, vel illud esset ipsamet persona; & hoc non, quia nihil seipso constituitur, vel esset aliquid aliud à persona, & ita sequeretur personam non esse simplicem omninò, cùm in ea daretur aliquid quod non esset ipsa. 1. Gregorius.

2. Confirmatur duplici instantia, & à diuinis, & ab humanis petita. Prima est, quia Paternitas non constituitur aliquo alio, aliàs procederetur in infinitum: ergo seipsa est talis, & per seipsam distinguitur à Filio, & à Filiatione quod totum habet propter suam simplicitatem: tam simplex autem est Pater sicut paternitas: ergo idem de Patre dicendum est. Secunda est, nam vltima differentia in creatis dicitur se tota differre ab alia, & tamen includit ens in quo fundatur ratio conuenientiæ: ergo persona diuina licèt includat essentiam in qua conuenit cum aliis, potest se tota differre ab aliis, & se tota esse talis sine constitutione.

3. Suppono primò notiones diuinas rectè significari in abstracto, tùm quia nominibus abstractis vtuntur Patres ad illas significãdas; tum quia conceptio diuinarum proprietatum & notionum in abstracto accommodata est ad significandam Dei simplicitatem, & ad faciliùs percipiendam conuenientiam, & differentiam personarum; sicut concreta concipimus in Deo ad significandam perfectionem, & subsistentiam diuinam, quæ non exprimitur à nobis nisi in concreto, de quo diximus disp. 13. cap. 1. Suppono secundò omnem proprietatem esse notionem, licèt non è contra, proprietas enim personalis de qua modò loquimur, significat formam positiuam propriam vniuscuiusque personæ in singulari: Innascibilitas autem est negatio, & spiratio actiua est communis Patri, & Filio: Vnde quamuis sint quinque notiones, & quatuor relationes, tres sunt duntaxat proprietates personales tribus personis correspondentes.

4. His suppositis, dico primò. Persona diuina constituitur verè ac propriè ex essentia, & proprietate personali, sic communiter Scholastici cum Magistro in 1. dist. 35. & cum S. Thoma hic; imò Molina art. 2. disp. 1. Gregorij sententiam appellat errorem in fide, vel errori proximam: Mitiùs Suarez lib. 7. de Trinit. cap. 3. num. 2. temeritatis insimulat, quia saltem quoad modum loquendi à communi Sanctorum & Theologorum in re tam graui discordat. Probatur primò nostra conclusio ex Conciliis: nam Sophronius in epistola, quæ habetur in 6. Synodo actione 11. longè Magister. Molina. Suarez. Sophron.

à principio, identitatem, & diſtinctionem perſonarum ſic tradit. *Hoc quidem propter naturam, & identitatem, illud verò propter alterificas horum trium proprietates propterque diſſimilitudinem proprietatum, quæ inconfuſè vnamquamque figurãt perſonam.* Vbi per illud verbum *figurant* modo nobis accommodato declarauit determinationem, & conſtitutionem perſonarum. Sic etiam Ioannes Theologus in Florentino ſeſſ. 19. dixit, perſonam conſtare ex diuina ſubſtantia, & proprietate, ſimiliter loquitur Damaſcenus lib. 1. cap. 8. & alij Patres.

5. Probatur ſecundò ratione, quia perſonæ non differunt ſe totis, cùm re vera conueniant in eadem omninò Deitate quam participant: ergo differunt aliquo ſui, eùm realiter diſtinguantur in ratione perſonali: Hoc igitur appellamus proprietatem conſtitutiuam perſonæ in tali eſſe, ac diſtinctiuam illius ab omni alia. Quod ſic declaratur, in Patre eſt eſſentia diuina, vel certè (ne Gregorius hæreat in verbis) Pater eſt eſſentia diuina, quæ eſt ex natura rei quid abſolutum, & non reſpectiuum, éſtque commune tribus perſonis, vt conſtat ex cap. *Damnamus* de ſumma Trinitate. Item in Patre eſt Paternitas, quæ eſt ex natura rei quid incommunicabile, ac reſpectiuum, realiterque diſtinctum a Filio, & Spiritu ſancto: ergo Paternitas, vt Paternitas, & Deitas vt Deitas aliquo modo diſtinguuntur; ſuppoſitáque tali diſtinctione Pater non eſt Pater formaliter Deitate, quoniam hæc non diſtinguitur realiter à Filio, Pater verò diſtinguitur: ergo conſtituitur in eſſe Patris paternitate, quæ determinat eſſentiam communem ad hanc perſonam in particulari: nam vnaquæque res conſtituitur in ſuo eſſe particulari & proprio per formam ſibi propriam; ſed hoc modo comparatur Paternitas ad Patrem, & aliæ ſimiles proprietates ad ſuas perſonas.

Tertullian. Baſilius. Vnde Tertullianus lib. contra Praxeam, & Baſilius epiſtola 43. & lib. 2. contra Eunomium vocant illas formas perſonarum; forma verò quæ concipitur in abſtracto conſtituit concretum in quo eſt: ergo perſonæ diuinæ verè, ac propriè conſtituuntur ex eſſentia tanquam ex aliquo communi; & ex proprietate, tanquam ex aliquo ſibi proprio: & hoc proprium, & particulare cuiuſuis perſonæ meritò dicitur conſtitutiuum ipſius, quia determinat illud eſſe, ac reddit illud tale, condiſtinctumque realiter ab illis, quod non præſtat ratio communis. Ideò communiter dicimus Deum Deitate conſtitui, eſſe ſapientem ſapientia, non obſtante ſimplicitate diuina: ergo ſimiliter dicemus Patrem conſtitui Paternitate, Filium Filiatione, & perſonam ſingularem perſonalitate ſibi propria.

6. An autem hæc ſit conſtitutio realis, vel rationis forſan magis eſt de voce diſſidium, quàm de re;

Secunda ſententia ſit, quæ ſimpliciter affirmat non dari talem conſtitutionem à parte rei, niſi ſolùm fundamentaliter, nec conuenire perſonis diuinis ſecundum ſe, ſed prout à nobis concipiuntur.

Caietan. Ferrara. Canarienſ. Molina. Vaſquez. Ita Caietanus in hac quæſt. 40. art. 2. circa ſolutionem ad 1. Ferrara 4. contra Gentes cap. 56. §. *ad euidentiam.* Canarienſis art. 5. p. 5. commentarij, & art. 4. p. 2. Molina art. 2. diſp. 1. concl. 1. & 2. Vaſquez diſp. 158. num 7. & 8. Inſinuatque S. Thomas in 1. diſt. 26. quæſt. 2. art. 1. ad 5. Probatur, nam ad conſtitutionem alicuius ex aliquibus neceſſaria eſt diſtinctio tam conſtituentium inter ſe quàm à conſtituto: nam idem non dicitur conſtituere ſe ipſum, ſed inter perſonam, & perſonalem proprietatem ac eſſentiam non datur diſtinctio realis, ſed rationis: ergo conſtitutio quoque duntaxat erit rationis. Cùm enim (inquit Vaſquez) nomine conſtitutionis non ſolùm ſignificamus rem conuenientem cum aliis, & diſtinctam ab ipſis, ſed etiam actum quendam & ordinem principij conſtituentis circa rem conſtitutam, ſi talis actus, vel ordo ſolùm eſt per rationem, conſtitutio non realis, ſed rationis dicenda eſt.

Tertia ſententia ſentit hanc conſtitutionem non ſolùm eſſe fundamentalem, ſed etiam formalem à parte rei. Sic Durandus, Gabriel, Scotus, & quotquot relationes diſtinguunt ex natura rei ab eſſentia: nam ex tali diſtinctione planè ſequitur conſtitutio realis perſonarum ex conſtituentibus, ſcilicet à parte rei diſtinctis. Verùm etiam ſecluſa tali diſtinctione tenet hanc opinionem Albertinus tom. 2. in prædicamento relationis corollar. 10. dubitat. 1. num. 5. citatque S. Thomam, & probat, quia verè datur à parte rei in qualibet perſona aliquid ipſi commune cum aliis, & aliquid ipſi proprium, per quod ab illis realiter diſtinguatur, & quaſi determinetur in tali eſſe perſonali ſibi proprio. Sed hæc determinatio eſt conſtitutio talis perſonæ in eſſe proprio & ſpeciali eiuſdem; ergo eſt conſtitutio realis. 7.

Albertin.

Nec obſtat (inquit Albertinus) identitas proprietatis perſonalis cum eſſentia, imò potius fauet, quia reddit naturam magis incommunicabilem. Nec item obſtat quòd in creaturis conſtitutio ex genere, ac differentia non ſit realis, ſed rationis: eſt enim diſpar ratio: nam in creaturis ratio conuenientiæ, quæ fundatur in genere, non eſt realiter communis & indifferens, ſed per intellectum; At verò in perſona diuina ratio communis, quæ eſt indiuidua Deitas, eſt realiter communis. Vnde fit, vt verè realiterque perſona diuina conſtet ex eſſentia vt communi, & ex proprietate perſonali vt differentia. 8.

Quarta ſententia diſtinguit illud, quod à nobis concipitur, & ſignificatur nomine conſtitutionis in diuinis, & hoc dicit dari à parte rei, vt tertia ſententia conuincit, & vlteriùs probatur, quia virtualis diſtinctio proprietatis ab eſſentia, ſicut eſt ſufficiens ad alia multa, quæ realiter conueniunt ipſis perſonis: nam Pater & paternitas diſtinguitur realiter à Filio, & non communicatur ipſi, cùm tamen natura Patris communicetur illi realiter, nec diſtinguatur ab ipſo Filio; ſic etiam ſufficiet, vt Pater realiter paternitate conſtituatur, & diſtinguatur, & non Deitate. Cæterùm quoad modum noſtrum concipiendi dicit non dari conſtitutionem iſtam à parte rei, vt probat ſecunda ſententia facileque perſpicitur, quia cùm concipiamus iſtam conſtitutionem ad modum conſtitutionis creaturarum, cócipimus equidem illam cum reſpectu rationis inter conſtituens, & conſtitutum, & cum diſtinctione ad illum reſpectum prærequiſita, quæ ſolùm dantur in intellectu, & non à parte rei. Sic tenent Cumel hîc art. 1. diſp. 1. concl. 3. & Suarez lib. 7. cap. 3. num. 9. 9.

Cumel. Suarez.

Dico ſecundò ne conuincamus cum Gregorio, fateri debemus ſimpliciter & abſolutè diuinas perſonas conſtitui, quia ſic loquitur Ioannes Theologus ſuprà, & alij Patres, fateturque Vaſquez: nam etſi non dicamus abſolutè perſonas componi, 10.

componi, cùm sit compositio rationis solius, tamen cùm de constitutione loquimur (inquit Vasquez) communiter intelligimus etiam eam, quæ fit per rationem; siquidem de multis aliis, quæ iuxtà communem sententiam sola ratione constituuntur, affirmamus absolutè constitutionem; Dicimus enim homo constituitur rationali, constat ex animali, & rationali. At nomine compositionis simpliciter non eam intelligimus, quæ fit per rationem.

11. Vnde colligo valdè probabilem esse tertiam sententiam, quia si nomine constitutionis simpliciter, & absolutè prolato nihil significatur contrarium diuinæ simplicitati, signum est eo nomine significari solùm entitatem aliquam communem, & aliquam propriam simul, siue distinguantur realiter inter se, siue non distinguantur; sed hoc totum datur realiter in persona diuina, quæ realiter habet suum esse personale, ac incommunicabile ex eo quod est sibi proprium, & non ex eo quod est sibi commune cum aliis: ergo datur constitutio realis. Quare Patres sicut dicunt personas constitui proprietatibus, ita etiam frequenter dicunt, distingui proprietatibus: Non distinguuntur autem ratione, sed realiter, nec distinguuntur per Deitatem, quæ realiter est eadem in omnibus, sed per proprietates, quæ realiter distinguuntur ab inuicem: ergo realiter etiam constituuntur; & sicut nomine distinctionis simpliciter intelligunt realem, nomine constitutionis absolutè intelligunt realem, & actualem. Adhuc ad vitandam æquiuocationem,

12. Dico tertiò cum Suario suprà, securius erit, distinguere vocem illam: nam si per constitutionem intelligamus aliquem modum compositionis, solùm datur per rationem; & hoc probat secunda sententia; si verò intelligamus veram, & propriam existentiam talis rei determinatam per illam proprietatem, quam nos apprehendimus per modum formæ, sic datur in re ipsa: sicut Deus realiter est iustus sua iustitia, & hoc coniungunt tertia, & quarta sententia; nec negari debet quin ex vi huius constitutionis conueniat diuinis personis ratione proprietatum quidquid conuenire solet rei verè, ac realiter constitutæ ratione formæ, seu proprietatis constituentis, seclusa tamen distinctione actuali reali, & quauis simili imperfectione, quod planè significant Patres, dum aiunt personas diuinas figurari constareque proprietatibus, & in hoc sensu de hac constitutione loquimur.

13. Hinc colligo primò constitutionem, & compositionem non solo nomine, vt quidam volunt, sed etiam significatione differre, siquidem constitutio simpliciter prolata verificatur sine distinctione actuali constituentium, non ita compositio sine actuali distinctione componentium. Colligo secundò, constitutionem istam posse, ac debere dici simpliciter ex essentia, & proprietate, vt innuunt Patres, & apertè dixit Ioannes Theologus suprà, docentque Albertinus ea dubitatione 1. & Suarez cap. 3. num. 11. Constat enim, quæuis persona ex essentia, & relatione tanquam ex duobus constitutiuis, altero communi, scilicet essentia, altero proprio, videlicet relatione.

Albertin. Suarez.

CAPVT III.

Constitui diuinas personas per proprietates relatiuas.

1. Dubitari prætereà potest; an sicut homo generans constituitur, & distinguitur à genito per suam differentiam absolutam, quæ præcedat generationem, & paternitatem; atque genitus distinguitur à generante per differentiam absolutam, ad quam per se terminatur generatio; sic etiam in Deo persona producens constituatur, & distinguatur à producta per proprietatem absolutam, quæ præcedat generationem, & paternitatem, aut spirationem, & producta distinguatur à producente per proprietatem absolutam, ad quam per se terminetur productio; ita vt aliquæ proprietates absolutæ primariò, ac per se constituant, ac distinguant personas, origines verò, & relationes secundariò, ac consequenter.

2. Et sit quinta sententia Ioannis de Ripa in 1. dist. 26. & 27. asserentis personas diuinas esse absolutas, & quia multiplicantur per origines, habere quoque relationes, non vt illis constituantur, sed tantùm vt referantur. Hanc opinionem dicit Cumel hic art. 2. disp. 1. tribui à nonnullis Lynconiensi, Alensi, & Guillermo Parisiensi; eandem refert Scotus in 1. dist. 26. quæst. 1. §. *Tertia opinio*, & censet esse probabilem, licèt ob auctoritatem Ecclesiæ non audeat illam præferre contrariæ. Atque præter rationem dubitandi adductam cap. 1. num. 3.

Ioan. de Ripa. Cumel. Scotus.

3. Probatur ex Scriptura Prouerb. 30. interrogante. *Quod nomen Filij eius, si nosti.* Vbi significatur secundam personam præter nomen relatiuum Filij denotans proprietatem relatiuam omnibus notam, habere aliud proprium nomen, nobis occultum, videlicet significans proprietatem absolutam nobis occultam. Probatur secundò, quia Paternitas non est communicabilis: nam si Filius esset à Spiritu sancto, Paternitas esset communis Patri, & Spiritui sancto, sicut quia Spiritus sanctus est à Filio, relatio spiratoris est communis Patri, & Filio: sed constitutiuum debet esse incommunicabile: ergo prima persona non constituitur per Paternitatem, quæ potest esse communis. Confirmatur: nam à tribus relationibus abstrahitur relatio, vt sic, quod est contra rationem proprietatum, quæ cùm sint incommunicabiles, nihil possunt habere commune.

Prouerb. 30.

4. Dico quartò, contra sententiam istam personas diuinas distingui, ac constitui per proprietates non absolutas, sed relatiuas; Ità S. Thomas in hac quæst. 40. art. 2. & omnes ferè Thomistæ, ac Theologi cum illo. Probatur primò ex Scriptura, & Conciliis, vbi nunquam personæ discernuntur, aut nominantur, nisi vocibus relationem, aut originem indicantibus. Quod argumentum etsi videatur ab authoritate negatiua desumi, nihilominus pro dignitate materiæ validum est; quia de hoc mysterio nihil cognoscere possunt, nisi per reuelationem, cumque vellet Scriptura proprias diuinarum personarum rationes exprimere, & tamen semper adhibuerit nomina relatiua, fit consequens rationes illis nominibus significatas esse personarum proprietates: alioquin Spiritus sanctus, qui proprietates istas perfectissimè nouerat, eas declarasset nominibus absolutis

CAPVT Respon

5. Respondet Scotus Scripturam nominasse personas vocibus relatiuis, quia voluit docere nos origines personarum, quod nón fieret nominibus absolutis, & etiam quia proprietates relatæ sunt notiones, & faciliùs percipiuntur; sicut solent exprimi notiora, tacerique minùs nota: dicimus enim, Rex fecit, aut iussit, quia nomen officij notius est, quàm proprium, ac per consequens ex eo quod exprimantur proprietates relatiuæ vt notiores, non negantur absolutæ, sed tacentur vt minùs notæ.

6. Sed contrà: nam Scriptura debet intelligi iuxta Patres & Concilia: sed nonnulla Concilia, plurimique Patres personas diuinas dicunt solis relationibus distingui: ergo ita sentiendum est. Videantur supra relata disp. 17. cap. 3. num. 6. &

Tolet. XI. VVormac. sequentibus. Adde Toletanum XI. & VVormaciense in confessione fidei dicentia, *quòd Pater est non ad se, sed ad Filium est, & quòd Filius est non ad se, sed ad Patrem est; similiter Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem, & Filium relatiuè refertur.* Vbi Suarius expendit non loqui tantùm Concilia de Patre vt Patre: nam hoc per se notum erat, sed dixisse *quod Pater est*, vt de toto illo quod persona est, se loqui declararent. Quod videtur inferiùs indicasse Toletanum, cùm subdit. *Cum ergo hæc tria sint vnum, & vnum tria, est tamen vnicuique personæ manens sua proprietas: Pater enim æternitatem habet sine natiuitate Filius æternitatem cum natiuitate, Spiritus verò sanctus processionem sine natiuitate.* Vbi planè proprietates ipsas explicat Concilium per processiones, ita vt Pater non sit ab alio, sed à quo alij; Filius per natiuitatem; Spiritus sanctus per processionem.

7. Conc. Flor. Similiter Florentinum in litteris vnionis definit *Patrem dedisse Filio omnia quæ habet, præter esse Patrem:* ergo sola paternitas est proprietas Patris, alioqui non sola paternitas esset incommunicabilis, sed illa alia proprietas absoluta; nec sola relatione multiplicarentur personæ, sed etiam entitatibus aut proprietatibus illis absolutis, quod est contra Toletanum XI. suprà, referens sæpè numerum personarum ad solam relationem. Similiter docent Patres Augustinus, Bernardus, Hieronymus, Damascenus, Ambrosius, & alij apud Molinam hic art. 2. disp. 2. & apud Vasquium disput. 158. cap. 3. dum sæpe clamant quidquid in Trinitate ad se dicitur, pertinere ad essentiam communem, seu naturam diuinam; & quod dicitur ad aliud, ad personas spectare.

8. Propterea sententiam illam quintam temerariam, & erroneam appellat Cumel, communiterque censeri non solùm temerariam, sed etiam

Molina. Valentia. Suarez. Vasquez. parum tutam in fide docet Molina hic art. 2. disp. 2. memb. 1 Valentia vocat plusquam falsam, Suarez dicit improbabilem esse, contrariamque consensui Theologorum, Vasquez tamen disp. 158. num. 13. & 14. distinguit inter distinctionem, & constitutionem personarum, nec circa constitutionem vult ita posse damnari prædictam sententiam, ac circa distinctionem; quia non est tam manifestum in doctrina Patrum personas diuinas constitui relationibus, quam est certum relationibus distingui realiter, eo præsertim quod non sit idem principium constituens, & distinguens vniuersaliter in diuinis, & cum Caietano quæst.

Caietan. Ferrara. Vasquez. 36. art. 2. & Ferrara 4. contra Gentes cap. 24. docet idem Vasquez disp. 147. cap. 7. aliique Iuniores ob rationem adductam suprà cap. 1. num. 4. & quia Filius constituitur in diuinis Filiatione, nec tamen distinguitur per illam præcise à Spiritu sancto, sed per spirationem actiuam.

Cæterùm ad maiorem confirmationem præcedentis conclusionis. Dico quintò; Idem est adæquatum cōstitutiuum, & distinctiuum cuiusque personæ diuinæ, sicut & cuiuscunque rei, ita Scotus in 1. dist. 7. quæst. 2. Henricus quodlibeto 9. Scotus.
5. quæst. 9. & Suarez lib. 7. de Trin. cap. 4. num. 2. Henricus.
Probatur ratione Scoti: nam in omni re id quod Suarez.
illam constituit in suo esse, distinguit etiam illam ab omni alia: ergo idem est in diuinis personis: Nec enim assignari potest sufficiens discrimen, nec aliter potest intelligi plena constitutio. Antecedens constat in primis inductione in omnibus creaturis: nam eo distinguuntur realiter ab inuicem, quòd hæc habet hoc esse sibi proprium, & illa aliud diuersum ab isto. Deinde constat ratione, quia proprium constitutiuum, sicut dat propriam entitatem dat etiam vnitatem; Vnitas autem est indistinctio in se, & distinctio à quolibet alio: ergo sicut dat entitatem, dat distinctionem, ac subinde quod constituit rem in esse proprio distinguit illam ab omni alia.

Dices primò cum Caietano, & Ferrara, antecedens esse verum in constitutiuis absolutis, 10.
non autem in relatis, quæ solùm distinguunt à correlatis. Sed contra: nam etiam relatio distinguit ab aliis, quàm ab oppositis, vt in creatoris Pater per paternitatem non solùm differt à Filio, sed ab aliis rebus siue absolutis, siue relatis, quæ non sunt patres, & filiatio in Deo non minùs distinguitur à creaturis quam essentia: nam creaturæ non magis habent vnam, quam aliam.

Dices secundò cum Vasquio supra; quando 11.
constitutio est realis, constitutum distinguitur realiter à quouis alio per proprium constitutiuum, quando autem est rationis, vt contingit in Deo, sat est distingui ratione. Sed contrà: nam vt vidimus cap. 2. num. 11. valdè probabile est eam constitutionem, quam assignamus in diuinis esse realem; imò quamuis dicatur esse rationis, omne constituens in creaturis etiamsi sola ratione constituat, tamen distinguit realiter suum constitutum eo modo, quo illud constituit ab omni alio non sic constituto: Sic dicitur in prædicabilibus differentia constituere speciem, ipsamque distinguere ab omnibus aliis, v.g. sensibile constituit cum viuente rationem genericam animalis, & discernit illud ab omni insensibili; Rationale constituit cum animali speciem hominis, & discernit illum ab omni irrationali; Neutra tamen est differentia, vel constitutiuum adæquatum; At differentia numerica est constitutiuum vltimum adæquatum indiuidui, subindeque distinguit illud ab omni alio, etiam realiter: nam vt distinguat realiter sufficit, quòd existat realiter in constituto dans ipsi entitatem, & vnitatem realiter distinctam ab omni alia, siue distinguatur realiter ab alia comparte, siue non.

Maneat ergo iam certum nobis esse personas 12.
diuinas non constitui proprietatibus absolutis sed relatiuis, quam est certum distingui relatiuis, & non absolutis. Licèt enim non tam explicitè, implicite tamen habetur in eisdem Conciliis, & Patribus. Etenim cùm in VVormaciensi & Toletano XI. dicitur *quod Pater est non ad se, sed ad Filium est*; constitutio ipsa & modus essendi Patris in se per relationem significatur, & cùm

definitur

definitur in Florentino *Patrem omnia dedisse Filio præter esse Patrem*, definitur planè nullam proprietatem absolutam constitutiuam sui retinuisse Patrem, quod idem docent Athanasius, Nazianzenus, Dydimus, Cyrillus, & Augustinus cùm dicunt omnia tradita fuisse Filio à Patre præter relationem Paternitatis; sed neutiquam tradidit Pater id per quod constituitur in suo esse proprio & personali: ergo nullum aliud constitutiuum habet præter relationem.

13. Similiter Ioannes Theologus in Florentino
Ioan. Theol. sess. 19. non solùm dixit personas distingui proprietatibus, quæ sunt ad aliquid, sed etiam ex eisdem, & essentia constare, quod est constitui:
Iustin. Mart. Iustinus Martyr in expositione fidei circa principium docet personas diuinas constitui relationibus aut originibus in esse hypostaseon, ab inuicemque distingui.
Epiphanius. Epiphanius lib. 3. hæres. 73. asserit notionem paternitatis, & filiationis in diuinis manifestare naturam Patris & Filij, hoc est, rationes eorum formales, quibus verbis satis innuit personas diuinas non solùm distingui, sed
Sophron. etiam constitui per relationes, sicut etiam Sophronius suprà relatus cap. 2, n. 4. de proprietatibus relatiuis loquitur, cùm dicit per illas *vnamquamque personam figurari*, quod non est nisi
Damasc. constitui. Idem expressit Damascenus lib. 1. cap. 9. vbi postquam proprietates relatiuas numerauit, subdit *personas esse discretas characterismo propriæ hypostaseos*: characterismus enim determinationem, & constitutionem sonat. In idem recidunt Tertullianus, & Basilius suprà relati cap. 2. num. 5. cùm proprietates personarum vocant formas, & characteres, & de solis relationibus loquuntur; subditque Basilius, *Genitum autem, & ingenitum specifica, ac declaratiua quædam sunt proprietates.* Quis autem neget rationem specificam constituere suam speciem? Idem potest in Damasceno, & in aliis aduerti, quos referunt Molina, & Suarius suprà.

14. Suarius improbat eam quintam sententiam ratione sumpta ex perfectione simpliciter simplici, quæ melior est ipsa in vnaquaque persona, quàm non ipsa: sed omnis proprietas absoluta in Deo debet esse perfectio simpliciter simplex: ergo debet esse communis omnibus personis: nec enim excludi potest ab aliqua propter limitationem quæ in Deo nulla est, nec propter oppositionem, quæ in absolutis non reperitur: ergo perfectio, vel proprietas absoluta non potest esse proprium constitutiuum, & distinctiuum perso-
Vasquez. narum. Vasquius verò disp. 158. num. 22. sic arguit. Principium proprium quod constituit aliquid non potest esse id quod est ipsi commune cum aliis, sed id quod sibi est proprium: hoc enim determinat id quod est commune ad esse talis, ac subinde constituit in tali esse; sed quidquid est absolutum est commune omnibus personis, vt habetur ex Patribus, & si quid est peculiare alicui personæ est relatio: ergo relatio, & non absolutum debet esse principium constituens: Et sanè de constitutiuo vltimo, & adæquato benè probat hæc ratio; quare sufficienter conuincit non posse personas constitui per absoluta.

15. Non tamen deberet inde Vasquez inferre, nec per rationem spiratoris constitui posse Filium, quoniam illa communis etiam sit Patri: nam constitutiuum inadæquatum, quod constituit rem in aliqua ratione non vltima, v.g. rationale quod constituit Petrum in esse hominis, non debet ab omni alio, scilicet à ceteris hominibus, illum distinguere. Nec obest quòd omnibus hominibus commune sit, sufficit quòd sicut in sola ratione hominis constituit Petrum, sic ab omnibus, qui homines non sunt, distinguat eundem. Sic ratio, seu relatio spiratoris ita constituit Filium in esse spiratoris, vt per hoc eum ab spirato distinguat non ab spiratore Patre, à quo per Filiationem secernitur, per quam constituitur in esse Filij, quod Patri commune non est.

Sic igitur potest nostræ doctrinæ ratio formari. 16.
In Lateranensi definitur Trinitatem personarum discerni proprietatibus: sed idem est distinctiuum, & constitutiuum, vt ostendimus, num. 9. & sequentibus: ergo constituuntur proprietatibus. Has autem esse relatiuas, & non absolutas significant satis Concilia & Patres suprà relati, maximè
VVormaciense, & Toletanum XI. quod ante Cõc. VVor. & Tolet. XI.
verba suprà relata præmiserat. *Cum relatiuè tres personæ dicantur, vna tamen natura per substantiam creditur.* Et huc crediderim respexisse Late- Conc. Lat.
ranense dum ait. *Hæc sancta Trinitas secundum substantiam vna, & secundum proprietates personales discreta*, personas siquidem nominibus relatiuis appellauerat: ergo per proprietates personales intelligit relatiuas. Huc etiam spectat ratio quam adduxit Suarius suprà.

CAPVT IV.

An personæ diuinæ constituantur originibus, an relationibus.

CVm nihil absolutum, vt vidimus, possit 1.
esse constitutiuum, aut distinctiuum personarum in Deo, sed proprietas personalis, vt constituat, & distinguat diuinas personas, debeat dicere oppositionem, quam dicunt duntaxat relationes, & origines; de vtrisque sunt variæ Theologorum sententiæ discutiendæ. Sexta sententia fuit antiquorum, vt refert S. Thomas in hac quæst. 40. art. 3. asserentium hypostases diuinas constitui originibus, personas verò relationibus. Vnde abstractis per intellectum relationibus non manerent personæ, sed hypostases; quasi relatio super hypostasim addat dignitatem personæ. Hanc sententiam meritò refellit ibi S. Thomas, quia persona supra hypostasim, aut suppositum solùm addit dignitatem ex parte naturæ, scilicet quòd intellectualis sit: Cùm ergo quæuis hypostasis, aut suppositum diuinum ponatur terminare naturam diuinam, quæ essentialiter est intellectualis, implicat intelligere hypostasim constitutam in Deo, & non personam.

Septima sententia fit Bonauenturæ in 1. dist. 2.
Bonauent. 26. quæst. 2. & dist. 27. docentia personas diuinas constitui distinguique personaliter originibus, non verò relationibus. Probatur, quia nihil est in persona, quod possit constituere nisi vel origo, vel relatio: sed si comparentur istæ inter se, prior est origo, quàm relatio: ergo constituit origo formalissimè, non relatio. Quod sic explicatur in persona Patris. Antequam pater intelligatur referri ad Filium, debet intelligi producere Filium: nam ideò refertur, quia producit: ergo prior est origo quàm relatio: ergo antequàm intelligamus relationem, debemus intelligere originem, per quam Pater constituatur.

Si retorqueas argumentum cum Thomistis: 3.
nam

nam ex hoc ipso sit personam constitui relatione, & non origine: nam hæc supponit ex suo conceptu personam à qua fluat,& consequenter præsupponit formam cõstitutiuam personæ;quæ quidem forma cùm non possit esse nisi relatio, prior erit relatio constituens personam, quàm origo, quæ consideratur vt fluxus, & via ad terminum. Vnde ad argumentum Bonauenturæ respondetur relationem, vt relatio est, supponere originem, non verò, vt est proprietas personalis constituens personam.

4. Sed contra solutionem, & obiectionem vrget Bonauentura,quoniam in diuinis non est necesse distinguere principium ab ipsa productione actiua. Imò hæc pertinere debet ad constitutionem talis principij: nam origo talis est subsistens, & opposita, subindeque non potest non constituere aliquid distinctum quod subsistens sit; licèt enim origo consideretur vt via, verè est substantia incommunicabilis respiciens terminum, & ab illo realiter distincta: ergo sufficiens est ad constituendam personam distinctam: Et sicut Thomistæ distinguunt inter relationem creatam, & increatam, quod illa inhæreat, & adueniat, hæc verò per se subsistat, & intrinseca sit, coæuaque personæ; & in hac etiam relatione diuina distinguunt vt relatio est, & vt proprietas est; Ita potest hæc sententia distinguere inter originem creatam, & increatam, quòd illa distinguitur à termino,& ab agente, vtque est ab vtroque separabilis,& per consequens accidit illis: Hæc verò si sit actiua, est ipsum agens, si passiua, est ipse terminus formalissime, vtrique coæua, & intrinseca substantialiter, & in hac etiam origine diuina licebit distinguere, vt est proprietas personam constituens, & vt est origo fluens ab vna persona in aliam. Nam quæ maior ratio reperitur ad distinguendum in relatione, quam in origine? Et cum deinde certum sit conceptum originis supponi ad conceptum relationis, sit personam constitui origine, antequam intelligatur relatio, quæ fundatur in origine. Quæ ratio non solùm vim habet in persona Patris,sed etiam in originibus passiuis: vt enim Bonauenturæ concedit Suarius lib.7.cap.6.num.7.& 8. aliique Thomistæ, origo passiua in Filio prior est, quàm relatio: ergo poterit etiam constituere Filium antequam intelligatur relatio Filiationis. Suarez.

5. Octaua sententia est S. Thomæ hic art. 2. dicentis diuinas personas constitui relationibus, & non originibus. Sequuntur Caietanus, Ferrara, Capreolus, Durandus, Scotus, Canariensis, Vasquez disp. 138.cap. 5.Suarius suprà ,& alij communiter. Probatur, quia forma constituens personam concipi debet vt forma permanens habens iam suum esse fixum, &,vt vocant,in facto esse. At origo si sit passiua nondum concipitur in facto esse, sed in via, subindeque præsupponitur ante eci constitutionem, sicut generari est prius ratione,quàm genitum esse: ergo non est forma constituens formaliter personam productam, quæ dicit rem iam productam, & constitutam in facto esse. Si autem origo sit actiua, licèt identificetur adæquatè cum relatione, necesse tamen est eam, met proprietatem constitutiuam personæ prius concipi quatenùs habet suum esse quasi permanens in seipsa, quàm vt influit in aliam, sicut prius est esse rem, quàm operari. Vnde solutus replica suprà facta pro septima sententia: nam eo ipso quòd origo non concipitur, vt ens fixum, sed vt via ab ente fixo ad ens fixum, quamuis sit substantialis incommunicabilis, & intrinseca, repugnat ipsi consideratio proprietatis constituentis personam: Quod non est ita de relatione,subindeque quoad modum concipiendi, non est eadem ratio de vtraque, sed valde diuersa. Caietan. Ferrara. Capreolus. Durand. Scotus. Canariens. Vasquez. Suarez.

Totum hoc fundamentum Thomistarum si consideretur attentè, pugnat vt expugnet Bonauenturæ sententiam, propriam tamen non omninò propugnat: admittunt enim hi Doctores conceptum originis priorem esse conceptu relationis: ergo si relatio prout referens posterior est origine, & hæc ex suo conceptu non potest constituere, sed supponit in Patre personam constitutam; explicandum illis superest; quid sit illud per quod persona Patris constituitur? Dicunt cum S. Thoma hic art.4. constitui relatione, vt est proprietas personalis. Sed rogo, quid significet relatio, vt est proprietas personalis? vel enim significat relationem,vel non; si non: ergo significat aliquid absolutum, aut aliquid abstrahens ab absoluto, & relatiuo: neutrum autem posse constituere personam diuinam satis constat ex dictis, cùm omnis distinctio realis in diuinis sit ob oppositionem, & omnis oppositio à relatione: si verò significat relationem, hæc ex conceptu suo supponit originem: nam ideò refertur, quia producit, & origo non constituit, sed supponit personam constitutam à qua oriatur. Quo igitur potest diuina persona constitui? 6.

Ideò Durandus primò dist.26.quæst.1. Scotus dist.28.quæst.vlt.in fine, atque alij reijciunt eam sententiam, & distinctionem S. Thomæ, ac asserunt personas diuinas constitui formaliter per relationes, vt relationes sunt, quia quocunque alio modo constituantur præterquam relatione sub propria, & formali ratione relationis, sequitur personas constitui aliquo absoluto,cùm inter relatiuum, & absolutum non detur medium. Vnde colligunt non posse diuinas personas intelligi constitutas, quin intelligantur relatæ,nec præintelligi origines relationibus,nec personas constitutas ante origines, nec inter hæc posse proprietatem aliquam, etiam per intellectum, reperiri, quia relationes diuinæ sunt subsistentes, imò ipsæ subsistentiæ. Thomistæ verò vt se se tueantur & distinctionem explicent S. Thomæ varias comminiscuntur distinctiones, & discurrendi modos. 7. Durand. Scotus.

Primus est Caietani hic artic. 4. ad 2. dubium dicentis, bifariam sumi paternitatem, (de qua præcipuè disputatur) scilicet vt conceptam, & vt exercitam, ac vtroque membro continere relationem vt relatio est; tamen priori modo ait, concipi solùm, vt in semet existentem, & vt formam hypostaticam constitutiuam Patris in esse relatiuo Patris; non vt exercito comparatione Filij, sed vt concepto in se & vt sic esse priorem origine, vocarique à S.Thoma proprietatem personalem; posteriori autem modo ait intelligi vt tendentem ad terminum id est,vt iam exercentem munus referendi Patrem ad Filium, & sic vocari à S.Thoma relationem actu scilicet referentem, ac sub ista consideratione subsequi nostro modo intelligendi ad generationem actiuam, nec constituere suppositum Patris, quin potius supponere iam illud constitutum per aliquid prius, nimirùm per seipsam sub priori consideratione spectatam. 8. Caietan.

9. Canariens. Patùm abest à Caietano Canariensis hic art. 2. licèt se Durandi sententiam sequi profiteatur: ait enim duo spectare ad essentiam relationis: vnum est esse formam & proprietatem relatiui, sicut albedo est forma albi; Ecce tibi relationem conceptam Caietani; Alterum est referre vnum ad alterum; Ecce relationem exercitam. Asserit itaque personam diuinam constitui relatione, quatenus est forma relatiui, non tamen quatenus refert ad aliud, & sic solui difficultatem propositam, & explicari congruè sanctum Thomam.

10. Ferrara. Molina. Vasquez. Suarez. Hunc dicendi modum acriter impugnant Ferrara 4. contra Gentes cap. 26. vers. *Sed hac interpretatio*; Molina hic artic. 2. disputatione 2. membr. 2. Vasquez disput. 159. cap. 2. Suarez lib. 7. cap. 7. num. 5. Præcipua impugnatio sumitur ex definitione relatiuorum, scilicet *quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid aliquo modo se habere.* Quippe cum nihil possit denudari ab eó quod est de eius essentia, & de essentia relationis sit actu respicere terminum, non potest intelligi paternitas in Patre, vt forma constitutiua ipsius, quin actu intelligatur referre Patrem ad Filium, ac proinde quin supponat generationem & Filium. Vnde non effugiunt Caietanus, & Canariensis difficultatem argumenti suprà facti cap. 1. num. 3. nam in creaturis, quacunque ratione sumatur, relatio etiam vt habet esse in seipsa, v. g. paternitas, siue vt concepta, siue vt exercita, siue vt forma, siue vt referens Patrem ad Filium, siue vt constituens formaliter Patrem in esse Patris, semper consequitur generationem actiuam tanquam rationem fundandi, & non antecedit vllo modo; quia non solùm exercitium relationis, sed simpliciter tota relatio, & totum ipsius esse resultat ex fundamento & termino: ergo si consequenter philosophamur, in diuinis etiam relatio vt concepta est posterior generatione. Si verò contendas assignare discrimen inter relationes diuinas & humanas, quoad rationem conceptam, cur non etiam quoad exercitam? Frustra ergo distinguunt Caietanus, & Canariensis.

11. Ferrara. Capreolus. Secundus modus est Ferraræ suprà & Capreoli in 1. distinct. 26. quæst. 1. artic. 2. ad 1. Scoti ex iis, quæ tertio loco fuerant adducta, qui mentem sancti Thomæ ferè, vt verba sonant, interpretantur: aiunt enim relationem dupliciter considerari. Primò, vt formam hypostaticam, seu proprietatem personalem, quo pacto constituit, & non distinguit personam, & tunc intelligitur Pater constiturus antequam generet. Secundò, vt est relatio; & sic non constituit personam, sed illam distinguit, priori modo non est ad aliud, & ideò concipitur ante originem: posteriori autem modo iam est relatio, & sic tantùm potest distinguere, cùm omnis distinctio fiat in diuinis per oppositionem relatiuam.

12. In idem videntur recidere, qui distinguunt relationem secundum esse *in*, & secundùm esse *ad*, vel absolutè sumptam, & relatè; priori modo prout subsistens est, dicunt constituere personam, & antecedere generationem, posteriori verò subsequi generationem, nec constituere personam, sed referre illam atque distinguere; Qui quidem omnes authoritate nituntur sancti Thomæ, & quia sibi videntur sic expedire difficultatem; verè tamen non expediunt, quia præciso *ad* vel ratione relationis, illa forma quæ subsistens concipitur, vel est absoluta, & hoc non concedent, ne coincidant cum quinta sententia, vel est relatiua, & hoc non, quia præcisa differentia specifica non manet species, sed ipsum *ad* & respectus relatiuus est differentia relationis: ergo sine illo non concipitur relatio, vel si concedant concipi relationem, redit argumentum suprà factum cap. 1. num. 5. vel demùm abstrahit ab absoluta & relatiua; & hoc etiam nō, quia persona particularis per formam principalem debet constitui: forma verò particularis & determinata non potest sic abstrahere: non enim potest dari indiuiduum generis adæquatè constitutum, quod abstrahat ab omnibus differentiis specificis.

Tertius modus est Vasquij suprà cap. 5. dicentis constitutionem istam, quam ipse putat esse solùm per intellectum nostrum, solis nostris conceptibus metiendam esse, posseque concipi personam Patris antequam actu intelligatur generare, non quidem sub conceptu Patris, vt probant argumenta Bonauenturæ, sed sub conceptu innascibilis, & fœcundi ad producendum: possumus enim (inquit) apprehendere Deitatem à se fœcundam, & fœcunditatem quasi contractam ad esse personæ, vt possit producere nondum expressè cognita ratione Patris. Sed obstat quod suprà cap. 2. docuimus, constitutionem istam verè dari à parte rei, quidquid sit de voce constitutionis, & saltem constitutiuum debet esse reale, ne sit persona chimærica, vel fictitia: Illa ergo innascibilitas, quæ dicitur antecedere originem, non potest esse quid negatiuum: sed debet esse aliquid positiuum, & per consequens vel absolutum, vel relatiuum, vel abstrahens ab vtroque. Ecce redit argumentum suprà factum num. 12. Cùm enim non possit abstrahere in indiuiduo, recidet vtique Vasquez in sententiam Ripæ, vel Durandi. 13. Vasquez.

Suarius suprà docet in relationibus subsistentibus dari posse vnam origine priorem, quàm sit terminus, & quàm sit correlatio ipsius, non tamen priorem ratione, quia simul cognoscitur relatio, & eius terminus, si concipiatur explicitè. Si tamen prima persona concipiatur confusè sub ratione personæ diuinæ, atque sub ratione primæ personæ, quatenùs negat processionem ab alia, posse concipi sine relatione explicitè, sicque intelligit S. Thomam art. 4. non verò concipiendam esse tunc sub expressa, & formali constitutione sua. 14.

Sed adhuc videtur vrgere difficultas, quoniam ex vna parte, cùm dicitur persona Patris referri ad Filium quem genuit, præsupponitur relationi persona, quæ refertur, & Filius ad quem refertur. Ex alia parte, nec conceptu confusa videtur concipi posse prima persona, nisi prout distinguitur à ceteris; & consequenter prout relata saltem in confuso.

CAPVT V.

Nostra Decisio.

VT rem obscuram illuminem, Suppono primò, posse quæstionem procedere dupliciter, primò de ipsa constitutione obiectiuè, 1.

videlicet quid sit illud in persona diuina, quo realiter illa entitas infinita, quæ est persona, habet vt sit incommunicabilis, & distincta à qualibet alia persona, & quod nos subinde supposita reuelatione, de hoc mysterio debemus absolutè fateri (tametsi conceptu nostro inadæquato & imperfecto) esse constitutiuum, & distinctiuum personæ diuinæ? Atque in hoc sensu procedunt ferè conclusiones hucusque traditæ. Secundò, procedere potest de nostro modo concipiendi & explicandi talem constitutionem; & hic sensus erit etiam simul cum priori deinceps examinandus.

2. Suppono secundò, cùm persona sit intellectualis naturæ indiuidua substantia, id est, incommunicabilis, & distincta à quolibet alio, necessarium esse vt illud sit vltimum personæ constitutiuum in diuinis: (nam de vltimo quærimus in præsenti) quod est hypostasis, & quid personæ, vt personæ proprium & peculiare. Quapropter in omni sententia secluditur spiratio actiua, & relatio spiratoris à ratione vltimi constitutiui, quia nullius personæ est propria, sed communis duarum, sicut essentia trium. Vnde sicut essentia non dicitur constitutiuum, scilicet vltimum, licèt sine Deitate non possint personæ constitui, sic nec spiratio actiua, quamuis ad adæquatam rationem spirantium spectet. Igitur nomine constitutiui intelligimus vltimum, ac subinde propriam, & personalem vniuscuiusque personæ proprietatem nulli alij communem.

3. Suppono tertiò, diuinam personalitatem, & relationem personalem, & rationem notionalem, quam potentia productiua & origo superaddunt Deitati esse prorsus idem, non solùm realiter, sed etiam virtualiter, nec præcisiuè, nec obiectiuè distingui, sed solùm penes implicitum & explicitum, & ex modo significandi iuxtà supra dicta disput. 5. cap. 4. num. 19. licèt enim paternitas realiter & virtualiter sit idem cum personalitate Patris, & cum ratione notionali generationis actiuæ, tamen iuxta diuersa munera quæ præstat, potest sufficienter induere diuersas formalitates, quæ diuersis conceptibus correspondeant explicitè.

4. Suppono quartò, duobus modis posse dici personas constitui & distingui per aliquid. Primò, tanquam per conditionem necessariam, & viam ad multiplicationem personarum; & sic certum est personas diuinas multiplicari per origines, nec sine his dari posse numerum personarum in Deo, vt in superioribus visum est, & in hoc sensu sæpe loquuntur Patres cùm dicunt personam originibus distingui, vel multiplicari. Dicuntur secundò constitui, ac distingui per aliquid tanquam per formam propriam intrinsecè constituentem singulas personas in suo esse personali in quo sensu procedit hoc dubium.

5. Et dico sextò, quoad constitutionem realem, & obiectiuam, quæuis persona constituitur, ac distinguitur propria origine ac relatione simul, nec magis vna, quàm alia, sed vtraque pariter & æquè primò. Sic Molina hic artic. 2. disputat. 2. membr. 3. Valentia tom. 1. disp. 2. quæstione 14. punct. 2. Suarez lib. 7. de Trinitate, cap. 6. numer. 1. Sanctus Thomas hic artic. 2. Bonauentura, Durandus, & alij. Nam

Molina. Valentia. Suarez. Bonauent. Durand.

in hoc videntur sexta, septima, & octaua sententia conuenire, & in hoc plane sensu dicunt sæpe Patres sine discrimine iam per origines, iam per relationes constitui, distinguique personas diuinas. Augustinus 5. de Trinitate, cap. Augustinus.
6. & 7. pro eodem reputat genitum & Filium, genitorem & Patrem, ac subinde filiationem, & natiuitatem, paternitatem, & generationem actiuam. Fulgentius de fide ad Petrum inquit. Fulgent.
Quia aliud est genuisse, quam natum esse; aliudque est procedere, quàm genuisse, vel natum esse: manifestum est, quoniam alius est Pater, alius est Filius, alius Spiritus sanctus. Vbi per actus notionales distinguit personas, pro eodémque reputat relationes originis & origines ipsas. Iustinus Martyr in expositione fi- Iust. Martyr.
dei docet actibus notionalibus constitui distinguique personas. Ita etiam Damascenus 1. de Damasc.
fide, cap. 10. Ambrosius lib. 1. de fide, cap. Ambros.
2. Hilarius, 4. de Trinitate, Anselmus lib. 1. Hilarius. Anselm.
de processione Spiritus sancti cap. 1. Athana- Athanasius.
sius dialogo 1. de Trinitate, contra Anomeos. Magister in 1. distinct. 16. asserit proprietates Magister.
personales esse generationem, natiuitatem, & processionem, *quæ alias* (inquit) *vocabulis Paternitas, & filiatio nuncupantur.* Et hoc ipsum passim fatetur sanctus Thomas in hac materia. Similiter loquuntur Concilia VVormaciense Cone. VVor.
& Toletanum XI. in confessionibus fidei, qua- & Tolet XI.
tenus dicunt in relatiuis numerum cerni personarum, & subdunt singularum proprietates distinguentia; *Habet Pater æternitatem sine natiuitate, Filius cum natiuitate, Spiritus sanctus æternitatem processionis à Patre & Filio.* In Florentino post litteras vnionis Bessarion oratione Bessarion.
sua cap. 6. circa finem personas distinguit per relationes causæ & causati, & per processionem vnius ab alia; Ac idem si aduertas in alijs Concilijs Patribusque reperies.

Ratio conclusionis est manifesta ex dictis 6.
num. 3. Nam origo & relatio conuertibiliter sunt idem, & quod origo superaddit ratione nostra Deitati, est idem etiam virtualiter cum relatione: ergo quidquid conuenit personæ ratione vnius à parte rei, conuenit etiam ratione alterius: ergo sicut persona constituitur à parte rei, distinguiturque realiter propria personalitate, sic etiam origine & sicut origine, sic etiam relatione, & è contra. Declaratur amplius, quia res diuina, quæ est Pater v. g. tam vt est generatio actiua, quàm vt est Paternitas est substantia incommunicabilis distinctaque ab omnibus alijs personis: ergo re ipsa tam per originem quàm per relationem est, & constituitur persona distincta. Consequentia patet ex dictis num. 1. procedimus enim in primo sensu ibi posito. Antecedens videtur manifestum ex fide: Constat enim generationem actiuam, & Paternitatem esse quid proprium personæ Patris, & quid substantiale, siue subsistens; cùm in diuinis nullum sit accidens, nec alia ratio subsistentiæ ab his distincta possit in personis effingi. Præterea origo, quatenùs origo, includit intrinsecè relationem, vt vidimus disp. 5. cap. 2. ergo cùm ex Ecclesiæ definitione habeamus personas constitui proprietatibus relatiuis, fatendum est constitui simul à parte rei originibus aut actibus notionalibus, vbi tota ratio notionalis est ipsissima relatio personalis. Ex quibus

patet

patet (quod docet Valentia suprà) à nemine posse negari conclusionem istam, siquidem manifeste colligitur ex principiis partim à fide traditis, partim à communi Theologorum concessis.

7. Hinc fit si attendamus conceptum proprium, quem debemus formare de persona, relatione, ac origine diuina, sic sanè secundùm nostrum etiam modum concipiendi personas diuinas constitui, ac distingui per relationes scilicet, & origines quatenus relationes & origines sunt formaliter.

Valentia. Ita Valentia suprà conclus. 2. qui hoc etiam censet à nemine posse negari; & sic probat. Vltimus conceptus, quem debemus formare de persona diuina est, quod ea sit quædam res subsistens & incommunicabilis, distinctaque ab omnibus aliis infinite perfectiori modo, quàm hæc ipsa competant personæ creatæ: Et conceptus relationis diuinæ proprius est, quod per illam res, quæ est persona; respiciat alteram correlatiuam infinite perfectiori modo, quàm vnum relatiuum creatum respicit alterum, & similiter conceptus originis diuinæ debitus est, quod per illam infinitè vna persona producat aliam, aut ab alia procedat. Arqui personam diuinam non aliter concipimus esse subsistentem incommunicabiliter, & ab aliis distinctam, quàm dum concipimus eam per relationem personalem eo perfectissimo modo respicere alteram personam, & habere ordinem originis ad illam: ergo secundùm nostrum modum concipiendi sic acceptum persona diuina per relationem, & originem formaliter constituitur.

8. Nec obstat in persona creata prius formari conceptum personæ, quàm originis & relationis, & intellectum nostrum eundem ferè ordinem tenere in concipiendis diuinis. Nam hoc ordine non obstante intellectus noster Theologicè deducit priorem conceptum personæ non competere rei diuinæ, nisi quatenus de diuina persona simul alter conceptus relationis, & originis verificatur, & implicitè saltem apprehenditur in personalitate diuina.

9. Quoad conceptum verò explicitum, & rationem formalissimam sub qua noster intellectus apprehendit constitutiua diuinarum personarum, Dico secundò diuinas personas, nec relationibus, nec originibus explicitè conceptis, sed personalitatibus constitui. Sic videtur sentire Valentia suprà conclus. 4. quem docti Recentiores sequuntur, & hoc fortian intendit sanctus Thomas hic art. 4. cùm dicit relationem, vt constituuam personæ præintelligi actibus notionalibus, at quatenus relatio est, subsequi illos, & fundari in origine; hoc est secundum conceptum explicitum personalitatis præintelligi origini actiuæ, licèt secundum conceptum explicitum relationis præsupponat conceptum explicitum originis.

Idem.

10. Sic etiam capi possunt Caietanus, Canariensis, Ferrariensis, & alij Thomistæ capite præcedenti relati, dum conceptum aliquem relationis inuestigant, secundùm quem constituat personam, & non referat, scilicet explicitè. Ideò etiam Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. dixit personam diuinam dici ad se, quia videlicet ex modo significandi, & secundùm conceptum explicitum non videtur significare relationem aut originem, sed quid absolutum, aut per modum absoluti; quamuis res ipsa significata verè sit relatiua quidditatiuè.

Augustinus.

Probatur conclusio fundamentis septimæ, ac octauæ sententiæ: nam alterum excludit relationem explicitè nimirum conceptam, alterum originem ab explicito, scilicet constitutiuo personæ: sicut enim relatio sub explicito conceptu relationis supponit originem, sic ista supponit personam à qua concipiatur oriri; & sicut illa formalitas, quæ simul est personalitas, origo, & relatio, quando concipitur vt constituens, non concipitur explicitè vt origo, sic nec vt relatio, quia non concipitur per speciem originis aut relationis creatæ, sed per speciem personalitatis creatæ. Quamobrem in eo conceptu sola ratio personalitatis exprimitur, non ratio relationis, aut originis: & sicut sanctus Thomas eo artic. 4. aliique Thomistæ docent relationem conceptam vt relationem non constituere, sed conceptam vt proprietatem hypostaticam, similiter dicere possumus originem conceptam vt originem non constituere, sed conceptam vt formam hypostaticam; non enim magis exprimitur ratio relationis, quàm originis eo conceptu personæ, vel personalitatis. 11.

12. Hoc autem apparet discrimen, quòd si conceptum illum personalitatis explicare velimus, & in rationes quas includit eumdem resoluere, licèt possimus per originem, aut relationem exprimere, quod erat ibidem implicitum, vt sæpè faciunt Patres relati nom. 5. tamen aptiùs explicatur ratio constitutiui per relationem, quàm per originem, quia relatio significatur per modum rei fixæ permanentis, & quasi quid intimum personæ, origo verò per modum transeuntis; & viæ, & quasi quid egrediens à persona, & ad personam tendens. Quare minùs inepta est species relationis creatæ, quàm originis creatæ ad repræsentandam personalitatem diuinam, licèt vtraque repræsentet illam implicitè; quoniam species relationis illam perseitatem, & consistentiam seu subsistentiam personæ propriam non ita respuit in sua repræsentatione, quam species originis, quæ fluxum, & motum videtur sonare. 12.

Hoc planè docuit S. Thomas art. 2. dicens vtroque modo, per origines scilicèt, & relationes distingui personas, tamen prius, & principaliùs per relationes secundùm modum intelligendi. Ideò etiam Scriptura, Concilia, & Patres consueuerunt frequentius significare diuinas personas nominibus Patris & Filij, & Spiritus sancti, quàm nominibus genitoris & geniti, seu nati & spirati: frequentiùs quoque asseruot Scholastici constitui personas relationibus, quàm originibus; quoniam accommodatius constitutiua diuinorum suppositorum significantur nominibus relationum, quàm originum, vt docent Molina, & Valentia suprà; atque sic erit intelligenda octaua sententia, quæ in hoc solùm septimæ præstat, & vt communior sic probabilior debet existimari. 13.

Hinc colligo quod suprà docui disp. 5. inter diuinam personalitatem, originem, & relationem non dari prioritatem etiam rationis præcisiuæ *in quo*, vel *à quo*, nec distinctionem rationis præcisam adæquate, subindèque non posse vnam concipi sine aliis, saltem implicitè conceptis. Quare si concipiamus personam vt sic abstra 14.

abſtractam à diuina & humana, in eo conceptu non includitur ratio relationis, aut originis vllo modo, quoniam ad talem perſonam ſic abſtractam non requiritur. At ſi concipiamus perſonam diuinam etiam in communi, debemus etiam in communi implicitè, ſeu in confuſo relationem & originem apprehendere, quam ratio perſonalitatis diuinæ, etiam vt ſic, intrinſecè claudit, & eſſentialiter. Si vlteriùs concipiatur prima perſona vt innaſcibilis, explicatur quidem negatio proceſſionis non explicata relatione paternitatis, aut generatione actiua, in qua fundatur illa negatio; & ſic eſſet
Vaſquez. vera ſententia Vaſquij relata cap. 4. num. 13. tamen quatenùs addit fœcunditatem iam exprimit originem, ad quam fœcunditas ordinatur.

15. Ideò Suarius ibi relatus non addit fœcunditatem, ſed ſolùm conceptum primæ perſonæ, vbi ſola negatio proceſſionis exprimatur, non relatio: ſupponit autem implicitè ibi contineri. Si verò particularem differentiam, & poſitiuam rationem alicuius perſonæ in ſpeciali velimus exprimere, non poterimus, niſi vel origine, vel relatione concepta, & ſignificata, quia cùm omnes diuinæ perſonalitates in ratione perſonalitatis, & conſtitutiui perſonalis conueniant, ſolùmque differant in ratione talia, vel talis, nec ea talitas poſſit explicari, niſi penes diuerſas relationes, & origines, non poſſumus talem perſonam ſub ratione talis explicitè concipere, niſi conceptu explicito relationis, aut originis propriæ. Ideò Patres & Concilia non per rationem perſonalitatis, ſed relationum, vel originum explicant conſtitutionem diuinarum perſonarum, quia potiſſimum attendebant earundem diſtinctionem, ad cuius explicationem explicita relationum, aut originum differentia, & diſcretio neceſſaria fuit.

16. Vnde quærenti de diſtinctione, ac conſtitutione diuinarum perſonarum; ſic videtur reſpondendum. Conſtitui quidem ſuis proprietatibus, quatenùs perſonalitates ſunt, diſtingui verò quatenus vnicuique talis ineſt proprietas & perſonalitas. Si quæras vlteriùs, quæ ſit in particulari talis proprietas, qua prima perſona diſtinguitur à ſecunda. Debemus ad originem, vel relationem explicitè recurrere, & potiùs ad hanc, quam ad illam, ob rationem ſuprà dictam num. 12.

CAPVT VI.

Facilior decidendi ratio.

1. HVc vſque pro viribus communem ſententiam tutati ſumus, iuxta ſaniorem modum diſcurrendi, quem noſtri Theologi videntur præ ſe ferre: Occurrit tamen alius non minùs forſan probabilis, magis profectò planus, & apertus, cuius prima iecimus fundamenta diſp. 7. vbi docuimus relationes tranſcendentales diſtingui virtualiter, & ratione quoque adæquate præciſiua à prædicamentalibus, & diſp. 5. vbi docuimus potentiam productiuam ad intra in Deo ſic coincidere cum ipſa productione ac origine actiua, vt ſine ipſa concipi non poſſit, nec ab ipſa obiectiue præſcindendi, quin ſaltem implicitè dicat proceſſionem: Quibus ſuppoſitis.

2. Dico octauò, probabile mihi ſit diuinas perſonas conſtitui relationibus vt tranſcendentales ſunt, & nullo modo vt ſunt prædicamentales, ita vt in conceptu conſtitutiui perſonalis, nec implicitè, nec explicitè importetur relatio prædicamentalis, ſed ſola tranſcendentalis, quæ quidem in omnibus perſonis eſt origo, & in Patre ſpecialiter eſt ſimul potentia generatiua non diſtincta, nec per rationem præciſiuam ab actiua generatione. Hanc concluſionem expreſsè tenet
Albertinus tom. 2. in prædicamento relationis, Albertinus.
quæſt. 4. n. 10. & corollar. 10. dubitat. 2. n. 11. & 12. & corollar. 12. dubitat. 3. num. 8. vbi docet relationes diuinas propter ſuam perfectionem & ſimplicitatem æquiualere tranſcendentalibus, & prædicamentalibus. Quapropter in paternitate diuina, v. g. poſſumus concipere primò rationem ſubſtantiæ, per quam eſſentia incommunicabiliter ſubſiſtit. Secundò, rationem completiuam potentiæ, per quam eſſentia conſtituitur intrinſecè fœcunda, & potens gignere. Tertiò, rationem completiuam originis, & generationis actualis, per quam natura diuina communicatur actiue Filio, & omnia hæc pertinent ad munus relationis tranſcendentalis, & conſtitutiui perſonalis, nec inuicem diſtinguuntur præciſiuè, ſed ſolùm penes implicitum, & explicitum. Quartò, concipimus eandem realitatem paternitatis, vt habet rationem referendi in actu exercito perſonam producentem ad productum, & ſic æquiualet relationi prædicamentali, virtualitérque ac præciſiuè diſtinguitur à conſtitutiuo perſonali, ſupponitque perſonam conſtitutam, & terminum productum, vt intelligatur quaſi reſultare poſito termino & fundamento.

Non ita expreſsè tamen aliquo modo eandem concluſionem videntur alij Doctores tradidiſſe, licèt non his terminis explicarint ſanctus 3.
Thomas 1. part. quæſt. 32. art. 3. & ſæpiùs in hac materia dicit relationes diuinas eſſe eius à quo alius, & eius qui ab alio. Sic etiam loquitur
Molina quæſt. 41. & plerique Scholaſtici. Hæc Molina.
autem verba magis indicant relationem tranſcendentalem, quam prædicamentalem, quæ reſpicit terminum purè vt terminum, nec rationem producentis attendit aut producti: & infrà quæſt. 41. art. 1. ad 2. docet S. Thomas in diuinis proceſſionibus, cùm non detur motus, ſolam manere habitudinem principij & principiati, quæ habitudines ſunt ipſæ relationes, vel notiones; & in hac quæſt. 40. art. 4. cùm à ratione conſtitutiui ſecludit relationem vt relatio eſt, quoniam vt ſic præſupponit actum notionalem, & fundatur in illo, planè loquitur de relatione prædicamentali, quæ ſolùm habet munus referendi, prærequiritque fundamentum & terminum, non de tranſcendentali, quæ ſimul exercet munus producendi, nec ſupponit actum notionalem, cùm ſit ipſemet actus aut principium illius. Cenſet ergo S. Thomas conſtitui perſonam Patris relatione tranſcendentali, quatenùs eſt forma hypoſtatica, non relatione prædicamentali, vt prædicamentalis eſt.

In hoc ſenſu diſtinctiones Caietani, Canariensis, Ferrarienſis, & aliorum facilè conciliantur, & defenduntur, ſi per relationem vt conceptam, aut vt formam relatiui, ſiue vt formam hypoſtaticam, aut ſecundùm eſſe *in* intelligamus relationem tranſcendentalem, quæ ſit fundamentum, aut ratio fundandi prædicamentalem, 4.

&

& per relationem exercitam, aut vt referentem, vel secundùm esse *ad*, vel quatenùs relatio est, intelligamus relationem prædicamentalem. Et quidem sub vtraque consideratione est relatio respiciens aliud actu in priori signo transcendentaliter, in posteriori prædicamentaliter quo dissoluuntur omnia, quæ distinctionibus illis opposuimus cap. 4. & forsan non omnes illi Doctores abfuerunt ab hac mente.

5. Durand. Item Durandus in 1. dist. 27. quæst. 1. o. 18. dicit personas constitui relationibus vt relationes sunt, origines tamen esse ipsasmet relationes, à quo aliud, & quod ab alio: ergo censet relationes transcendentales esse constitutiuas personarum: tales enim relationes coincidunt cum originibus, etiam formaliter. Henricus. Henricus in summa. art. 16. quæst. 3. & art. 18. quæst. 4. docet Patrem distingui per potentiam generandi, quæ relatio quidem transcendentalis est. Bonauent. Bonauentura suprà recurrit ad origines, quæ planè sunt relationes transcendentales formaliter, & non prædicamentales. Vasquez. Vasquez suprà disp. 159. num. 18. asserit omnes ferè Theologos contra Marsilium fateri non posse constitui personam Patris relatione Paternitatis quatenùs actu refertur ad Filium, sed non possunt excludere Theologi iuxtà supradicta cap. 3. omnem conceptum relatiuum ab ista constitutione: ergo solùm excludunt conceptum relationis prædicamentalis, cuius totum esse est actu referri ad terminum purè vt terminum.

6. Et quidem ipse Vasquius dum num. 19. docet constitui Patrem conceptu innascibilis & fœcundi ad producendum, relationem transcendentalem includit in illa fœcunditate, quæ non potest intelligi sine ordine ad prolem eius fœcunditatis. Valentia. Valentia tom. 1. disp. 2. quæst. 1. punct. 3. dicit ipsas etiam origines esse relationes, & quæst. 10. art. 2. distinguit alias relationes inclusas in originibus, & alias in ipsis fundatas, & vtraslibet sentit sufficere ad distinctionem, & consequenter ad constitutionem personarum: Si ergo per relationes in originibus inclusas, quæ sine dubio transcendentales sunt, sufficienter constituuntur, & distinguuntur personæ, cùm relationes illæ, scilicet prædicamentales, in prioribus fundatæ supponant alias priores, scilicet transcendentales, supponunt vtique iam personas sufficienter constitutas relationibus transcendentalibus.

7. Similiter Patres insinuant nostram conclusionem non parùm, in primis dum constitutionem, & distinctionem personarum per origines explicant, quæ sunt ipsissimæ relationes transcendentales; deinde dùm significant relationes, & origines in personis esse idem, & eisdem vocibus, seu conceptibus explicari. Magister. Videantur Magister & alij adducti conclus. 6. quæ conclusio, & omnis doctrina capitis præcedentis quoad constitutionem obiectiuam de relationibus transcendentalibus debet intelligi, non de prædicamentalibus in hac opinione: nam istæ solùm identicè coïncidunt cum originibus: Transcendentales verò coïncidunt cum originibus etiam virtualiter formaliter, & ratione nostra, quamuis implicitè. Denique dum constitutionem, & distinctionem personarum explicant per relationes, & adiungunt processiones, habitudinésve eius à quo alius, vel eius qui ab alio: Quod in Augustino, & Fulgentio relatis conclus. 6. debet animaduerti, & in Toletano XI. dum distinguit generantem Patrem, & generatum Filium, & procedentem Spiritum sanctum. Vnde fit verosimile nomina Patris & Filij licèt in rigore logico, & metaphysico significent relationes prædicamentales, apud Patres verò, & Concilia non vsurpari sub ea formalitate, sed quasi specificatiuè pro illis, qui gignunt; vel gignuntur, seu pro ipso principio, & termino generationis, sicut & vulgari sermone dicimus Petrum esse patrem Pauli, licèt filius obierit, & Paulum esse Filium Petri iam vita functi, vbi sola relatio transcendentalis significatur.

8. Ioan. Theol. Sic videtur intellexisse hæc constitutiua personalia Ioannes Theologus, qui in Florentino sess. 18. post medium inquit *proprietates nequaquam communicabiles sunt. Quod quidem ex relationis vi creditur euenire, & hæc nil nisi principij habitudo est, in qua quidem hæc duo considerantur, à quo aliquid, & ad quod aliquid, ob idque Pater & Filius sunt; quod Pater principium est, Filius autem ex principio.* Ecce relationes explicat per habitudinem transcendentalem, & nomen Patris per nomen principij, quod importat relationem transcendentalem: nam relatio prædicamentalis non dicit formaliter Patrem, quatenùs principium, sed quatenus respicientem per paternitatem Filium, vt purè terminum. Similiter Filium explicat per habitudinem transcendentalem ad principium vt principium, & subdit: *Pater ergo generatiuum principium est, & suppositum quoddam significat*; & paulò inferiùs ait, *sola relatio quam principalem habitudinem superiùs nominauimus apud omnes Græcos, quam Latinos Doctores diuina processione personas multiplicat, cui etiam duo illa à quo & ad quod de quibus est suprà dictum conueniunt.* Ecce designat relationem transcendentalem inclusam in processione, ac de illa concludit. *Igitur relationes huiusmodi personas multiplicant, ita vt nulla alia ratione, quam vi relationis Pater à Filio, ac vna persona ab alia differant.*

9. August. Sic videtur sentire Augustinus lib de fide ad Petrum cap. 2. in principio dicens. *Proprium quidem Patris est, quòd Filium genuit*, & sermone 38. de tempore ait. *Patrem dum dicimus, significamus eum Filium genuisse quia Filius propriè de eo genitus dicitur, quia Patrem habet qui eum genuit.* Ecce generationem actiuam, & passiuam, quæ relationes transcendentales sunt, nominibus Patris, & Filij vult significati. Basilius. Magis expressè Basilius lib. 2. contra Eunomium, cuius verba retulimus suprà cap. 3. num. 13. & subdit, *Impossibile est propriam notionem Patris, & Filij capere, nisi proprietatum accessione cogitatio nostra firmata sit.* præmiserat autem, *Ingenitam lucem audientes Patrem intelligimus, genitam verò lucem cùm audimus, Filij sententiam capimus*, quasi propriam notionem personarum magis explicent relationes transcendentales.

10. Hormisd. Accedit Hormisda Papa tom. 2. Conciliorum Epistola Decretali 1. iuxta editionem Surij, & iuxta editionem Binij 79. vbi proprietates personales explicat, *Proprium est Patris, vt generet Filium, proprium Filij Dei, vt ex Patre Patri nasceretur æqualis; proprium Spiritus sancti, vt de Patre & Filio procederet sub vna substantia Deitatis.* Vbi manifestè colligitur ex contextu de singularitatibus, & distinctiuis personarum loqui

loqui Pontificem, & tamen non ad relationes prædicamentales,ſed ad tranſcendentales in originibus incluſas refert perſonarum numerum, & conſtitutiua, ſeu diſtinctiua *propria vnicuique perſona*, ſignificataque nominum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quæ præmiſerat. Idem colligitur ex Toletano XI. quod poſtquam ſolis relationibus tribuiſſet omnem diſtinctionem, & numerum perſonarum, quia cum vnitate eſſentiæ *eſt tamen vnicuique perſona manens ſua proprietas*, hanc explicat, quia *Pater à nullo ducit originem, ſed eſt fons & origo totius diuinitatis; Filius æternitatem habet cum natiuitate, Spiritus verò ſanctus proceſſionem ſine natiuitate*, multaque ſimilia in Conciliis,& Patribus reperientur.

11. Iam declaremus ampliùs, & ratione fulciamus noſtram concluſionem: Cùm enim relatio tranſcendentalis reperiatur in principio *quod*, & in principio *quo*, & in actione ſiue origine, quæ tria in creaturis reperiuntur diſtincta realiter; dicimus hæc tria in Deo non ſolùm eſſe idem realiter actualiter, ſed etiam virtualiter & ratione noſtra; ita vt obiectiuè ſeu præciſiuè nullo modo diſtinguantur, ſed ſolùm penes implicitum, & explicitum; atque ideò Patrem v. g. non conſtitui relatione tranſcendentali potentis generare præciſa, ſed ſimul etiam gignentis actu, Filium verò relatione tranſcendentali geniti,& Spiritum ſanctum ſpirati; ita vt de conceptu quidditatiuo perſonæ generantis, quæ eſt principium *quod* ſit potentia generatiua, quæ eſt principium *quo*, & qua parte claudit relationem tranſcendentalem ſuperadditam intellectui claudit ipſam formaliſſimè perſonalitatem Patris, & de ratione vtriuſque principij *vt quod*, & vt *quo* ſit intrinſecè ac quidditatiuè generatio actualis actiua; ſicut & de quidditatiuo conceptu potentiæ ſpiratricis eſt ipſamet actualis ſpiratio actiua.

12. Vaſquez. Hoc videtur ſenſiſſe Vaſquez diſputat. 160. num. 10. & præter ſuprà dicta diſput. 5. cap. 3. num. 12. ſic probatur. Illud eſt de eſſentia alicuius rei, ſine quo res intelligi non poteſt: ſed potentia productiua ad intrà in Deo non poteſt intelligi ſine actuali productione: ergo actualis productio eſt de eſſentia illius. Minor probatur, quia talis potentia non poteſt intelligi ſine ſuo termino tanquam connotato: *Pater enim* Auguſtinus. (vt ait Auguſtinus ſermone 38. de tempore) *non dicitur Pater niſi ex eo quod eſt ei Filius; & Filius non dicitur Filius, niſi ex eo quod habet Patrem*, & infrà, *In hoc oſtenditur perſonas non poſſe diuidi in ſancta Trinitate, quia cuiuſlibet perſona nomen ſemper ad alteram reſpicit perſonam: ſi Patrem dicis, Filium oſtendis; ſi Filium nominas, Patrem prædicas, ſi Spiritum ſanctum appellas, alicuius eſſe Spiritum neceſſe eſt intelligas, id eſt, Patris & Filij.*

13. Ratione conſtat eadem Minor, quia relatio etiam tranſcendentalis eſt eſſentialiter habitudo ad terminum, etſi non purè vt terminum: ergo non poteſt intelligi ſine illo v. g. potentia generatiua Patris non poteſt concipi ſine Filio: ſed Filius diuinus non poteſt concipi ſine exiſtentia in quo differt à creatis: nam etiam ſecundum rationem filiationis productæ diuinæ claudit eſſentialiter exiſtentiam actualem: quidquid enim eſt in Deo, eſt eſſentialiter exiſtens actu: ergo non poteſt intelligi niſi actu productus; ſed actualis productio paſſiua termini non procedit à potentia productiua, vt ſola potentia eſt præcisè, ſed à potentia prout operante actualiter: ergo non poteſt intelligi talis potentia, niſi prout operans actualiter. Ideò dixit Auguſtinus ſuprà. *Pater diuinus nunquam non Pater, Filius nunquam non Filius:* Et Concilium Toletanum VI. in confeſſione Filij. Côc. Tolet. VI. *nec Pater vnquam ſine Filio, nec Filius exiſtit ſine Patre.* Idem ſæpè repetunt VVormacienſe, & Toletanum XI. vbi additur. *Filius nec* Tolet. XI. *naſci cœpit aliquando, nec deſiit: Sempiternus ergo Pater, ſempiternus & Filius, quoniam ſi Pater ſemper fuit, ſemper habuit Filium, cui Pater eſſet, & ob hoc Filium de Patre natum ſine initio confitemur.*

Hinc redditur congrua ratio cur licèt in creatis actio non in agente, ſed in paſſo, vel cum termino collocetur; in diuinis verò ponatur in producente, quia videlicet in creatis fit cum mutatione, quæ terminum, & paſſum contingit, nec ad perfectionem intrinſecam agentis ſpectat, ſi ſit actio tranſiens: at in diuinis datur ſine mutatione, ac pertinet ad intrinſecam conſtitutionem producentis. Præterea reddunt congrua ratio noſtræ concluſionis: nam huiuſmodi relatio tranſcendentalis eſt diſtincta virtualiter, & ratione ſimul adæquatè præciſiua à relatione prædicamentali; priorque ratione prioritate in *quo*, quàm illa: ergo ſufficiens ad conſtituendam, & diſtinguendam perſonam ſine prædicamentali: ergo per tranſcendentalem conſtituuntur diuinæ perſonæ, & non per prædicamentales relationes formaliter. Antecedens oſtendimus diſput. 7. cap. 2. Prima conſequentia probatur, quia tota neceſſitas recurrendi ad relationes in conſtitutione, ac diſtinctione perſonarum diuinarum, vt ſæpè clamant Concilia, & Patres eſt propter oppoſitionem relatiuam, ſine qua nihil datur diſtinctum in diuinis, vt contra quintam ſententiam oſtendimus cap. 3. Sed hæc oppoſitio, & diſtinctio ſufficienter reperitur inter relatiua tranſcendentalia: nihil enim poteſt habere connaturalem potentiam ad ſuimet productionem, nec ipſa productio poteſt eſſe tranſcendentalis ordo ad ſeipſam, cùm ſit de eſſentia relationis etiam tranſcendentalis, quod ſit ad aliud, vt ea diſput. 7. viſum eſt: ergo per huiuſmodi relationes generantis, geniti, & ſpirati ſufficienter conſtituuntur perſonæ antequam intelligantur pullulare relationes prædicamentales, quæ poſitionem termini, eſſentialiter præſupponunt: & inſuperabilis illa difficultas, mutuaque ſuppoſitio lenitur, aut magna ex parte minuitur. 14.

Obiicies ex Iacobo Granado tom. 3. tract. 12. diſput. 3. num. 20. quòd relationes tranſcendentales non ſolent abſolutè vocari relationes, ſed potiùs aliquid abſolutum; nulla quippe datur creatura, quæ non referatur ad Deum relatione tranſcendentali, imò omnipotentia Dei eſt relatio tranſcendentalis ad creaturas, & tamen plures creaturæ ac omnipotentia Dei ſunt quidpiam abſolutum: ergo ſi diuinæ perſonæ conſtituerentur relationibus tranſcendentalibus, dicendum eſſet ipſas conſtitui proprietatibus abſolutis, quod vt minimum eſt improbabile. 15. Iacobus. Granadus.

Reſpondetur in creaturis aſſignatum fuiſſe ſpeciale prædicamentum relationis, vbi ſolùm 16.

prædica

prædicamentales collocantur, ideoque cetera prædicamenta quamuis includant aliquos respectus transcendentales, dicuntur absoluta, id est, extra prædicamentum relationis constituta. Ceterùm reipsa quoad essentialem ordinem, quem dicunt ad terminum distinctum, quoad oppositionem cum illo, quoad distinctionem necessariam ab ipso, non minùs propriè ac verè dicuntur relatiua transcendentalia, quàm prædicamentalia, præsertim quando relatio transcendentalis est producentis actualiter, vel ipsius productionis, quæ petit essentialiter terminum actu productum, vt contingit in diuinis relationibus transcendentalibus.

CAPVT VII.

Rationes dubitandi, & fundamenta opposita diruuntur.

1. AD primam rationem dubitandi cap. 1. obiectam, Respondetur proprietates constitutiuas in diuinis personis dicere ad rem constitutam solum rationis ordinem, qui distinctionem solius rationis præsupponit, quamuis adhuc constitutio possit dici realis iuxta suprà dicta cap. 2.

2. Ad secundam dicimus proprietates constitutiuas in Deo esse relatiuas. Ad obiectum in contrarium respondent Suarez lib. 7. cap. 5. num. 11. Vasquez disp. 158. num. 25. & alij auctores octauæ sententiæ prodire talem impugnationem ex falsa suppositione nostræ mentis metientis diuinas relationes instar creatarum cùm longè aliter se habeant in multis: Primò, quia diuinæ sunt subsistentes, creatæ verò sunt accidentales; Propterea secundò, in Deo sunt per se ita vt Paternitas sit quasi immediatè coniuncta Deitati, Filiatio verò per se intenta in generatione, creatæ autem non sunt per se intentæ, sed quasi secundariò resultant. Ideò tertiò relationes creatæ indigent fundamento distincto in quo nitantur; diuinæ relationes non ita, quia subsistunt per se. Vnde quartò diuinæ relationes non supponunt extrema quæ referant, neque distinctionem eorum, vt resultent, sed ipsæ sunt, quæ referuntur secundùm rem, ac subinde constituunt personas relatas, & distinguunt per se se.

Suarez. Vasquez.

3. Quare in forma, Distinguitur illud antecedens; in relatiuis creatis, vbi relatio est accidentalis, concedo supponi aliquid absolutum constitutum quod referatur: nam relatio accidentalis non potest quidditatiuè, vel personaliter constituere relatum vt *quod*: at in diuinis vbi relatio est substantialis, & quidditatiua, nego: nam hæc relatio potest intrinsecè ac substantialiter constituere personam, quæ refertur. Ad confirmationem responsum est disp. 5. cap. 4. num. 19. & applicari potest eadem distinctio: nam in Deo relatio, quæ substantialis est, & actio, vel origo, quæ est etiam subsistens, & ipsa subsistentia personalis sunt idem prorsus, etiam obiectiuè, ita vt non possit in illis dari prioritas etiam rationis præcisiua, sed solùm mutua suppositio secundùm conceptus explicitos & implicitos iuxta diuersa munera quæ præstat talis relatio: & est certè probabilis ista solutio.

4. Ceterùm iuxta conclusionem octauam capitis præcedentis faciliùs respondetur distinguendo de relatione transcendentali, & prædicamentali, quia transcendentalis etiam in creaturis nec est accidentalis semper, cùm omnia prædicamenta, & subinde prædicamentum substantiæ transcendat; nec præsupponit fundamentum distinctum, imò ipsa est fundamentum relationum transcendentalium, quare rectè potest esse constitutiuum suppositi, quin omnis substantia creata dicit ordinem ad subsistentiam cuius est radix, & omnis subsistentia creata est relatio transcendentalis ad naturam, quam essentialiter respicit modificandam, & suppositandam actualiter; & consequenter respicit etiam transcendentaliter (vt constitutiuum principij *quod*) omnes effectus à tali supposito possibiles emanare. Quid ergo mirum quòd in diuinis relatio transcendentalis sit substantialis, & constitutiua suppositi? Hoc solum addito propter actualitatem operantis ad intrà, terminique producti quòd ipsa etiam actualis generatio pertineat ad constitutionem generantis, etsi secùs accidat in creaturis. At relatio prædicamentalis tam in diuinis, quàm in humanis intelligatur resultare, & supponere constitutionem relatiui personalem in diuinis cum sola distinctione rationis, aut virtuali à suo fundamento, in creaturis etiam cum distinctione reali.

Ita tamen vt relatio prædicamentalis Patris æterni sit in illo prorsùs à se, id est, non producta, relatio prædicamentalis spiratoris sit etiam improducta, priusque origine reperiatur in Patre, à quo communicetur Filio in eodem signo, in quo intelligitur resultare in Patre; non tamen in primo signo generationis, iuxta suprà dicta disp. 15. cap. 3. At relatio prædicamentalis Filiationis intelligatur produci à Patre in signo sequenti post productionem relationis transcendentalis; & similiter relatio prædicamentalis spirati producatur à Patre, & Filio in signo sequenti post productionem spirationis passiuæ, & post constitutionem tertiæ personæ, quia cùm hæ relationes sint realiter productæ, & non à personis, quibus insunt, quia non distinguuntur realiter ab illis, necessariò producendæ sunt ab ipsis principiis productiuis relationum transcendentalium personarúmque procedentium; & ad perfectionem vtique talium relationum prædicamentalium, cùm sint diuinæ, pertinet, vt non intelligantur resultare sicut humanæ, sed per se produci, licèt secundariò: At sicut passiones identificatæ cum essentia creata producuntur ab agente, nihilominùs tamen intelliguntur ratione nostra dimanare ab essentia: sic etiam hæ relationes intelligi possunt in Deo dimanare ratione nostra à termino producto: nam hæc dimanatio rationis non impedit productionem realem ab agente. Ad tertiam rationem dubitandi constat ex dictis cap. 3. idem esse adæquatum constitutiuum, & distinctiuum; exempla verò quæ adducuntur non sunt de constitutiuo adæquato; tamen eo modo, quo constituuntur, distinguunt etiam ab omni eo quod non est actio, v. g. vel spirator. Similiter fundamentum primæ sententiæ corruit ex dictis cap. 2. nec in illis instantiis datur distinctio virtualis formalitatum, quæ inter Deitatem & relationem reperitur. Videatur Albertinus tom. 2. in prædicamento relationis coroll. 10. dubit. 1. Albertin. 5.

Ad primum fundamentum quintæ sententiæ variè respondent Doctores; equidem dici potest nomen in Scriptura sumi pro ipsa persona nominata. Videantur Iansenius in id Luc. 1. *Sanctum* Iansenius. 6.

Roa. *nomen eius*; & Roa de die Natali cap. 2. Sapiens ergo postquam præmiserat opus esse cælesti sapientia ad dignoscendam Trinitatem personarum, quam tribus elementis adumbrarat; Terra scilicet, quæ vi sua consistit, & aliorum operum est fundamentum. Primam personam denotans, quæ non est ex alia, sed ex qua sunt aliæ. Rursus, Aqua, quæ media est inter terram, & aërem. &

Ecclef.24. cui se comparat ipsa Patris sapientia Ecclesiast. 24. *Ego sicut trames aqua immensa*, secundam personam designans; Spiritu verò tertiam, quæ ex origine sua spiritus nomen accepit; non contentus obscura ista diuinarum personarum adumbratione, voluit illa quoque interrogatione, *Quod est nomen*, &c. distinctioem aperire personarum, & non minus esse ineffabile nomen Filij, seu Filium ipsum, quàm Patrem, indicans etiam ineffabilem eius generationem, nec solùm interrogat de nomine Filij, sed etiam de nomine ipsius Dei, cùm ait. *Quod est nomen eius?* Cum sane sint pleraque Dei propria, quia nullum omninò manifestat eius dignitatem. Sic similiter licèt nomen Filij sit proprium secundæ personæ, quia non manifestat omninò Filiationem ipsius ineffabilem, meritò quærit de eius nomine, quasi de ignoto.

7. Ad secundum fundamentum respondetur in eo casu paternitatem fore communicabilem: nam esset alterius rationis, ac modò est, ac subinde non constitueret personam, vt principium vltimò constitutiuum, sed aliud foret dandum, scilicet relatio spiratoris, quæ tunc non communicaretur. Tamen de facto cùm paternitas sit intrinsecè incommunicabilis, meritò constituit personam Patris, & distinguit ipsam ab omni alio. Ad confirmationem iam diximus disput. 9. cap. 4. num. 6. non repugnare incommunicabilitati reali communitatem rationis, & cum hoc similiter compati realem incommunicabilitatem.

8. Ad fundamenta septimæ, ac octauæ sententiæ mutuò respondent eorum auctores, vt vidimus, & ex supradictis num. 2. & sequentibus, & cap. 5. num. 12. constat, quid respondendum sit: nam ex parte rei conceptæ nec origo supponit principium ratione præcisiua distinctum, nec relatio originem, sed vtraque coïncidit cum personalitate; at ex parte conceptus expliciti, & modi significandi aptiùs explicatur constitutio per relationem, quàm per originem, etsi magis formaliter explicetur per personalitatem; At iuxtà conclusionem octauam facilè conciliantur omnia illa fundamenta: nam origines diuinæ, licèt ad modum creatarum videantur significari per modum viæ, tamen in seipsis subsistentes sunt; atque si concipiantur notitia proportionata suomet esse, vt subsistentes, & fixæ, ac immutabiles concipiendæ sunt, & ita coïncidunt cum relationibus transcendentalibus, quæ debito etiam modo conceptæ, sunt aptæ, ac sufficientes ad constitutionem personarum; na vt Pater constituatur personalitate sua, & hæc explicetur per conceptus potentiæ generatricis, & generationis, quas dicit implicite, sicut etiam potentia genitrix dicit essentialiter & implicitè generationem, & hæc personalitatem; Filius verò constituatur generatione passiua, quę est quoque transcendentalis relatio illius ad personam generantem, & proptereà simul personalitas Filij. Demum Spiritus sanctus constituatur similiter spiratione passiua: est enim origo passiua prior ratione, quàm relatio prædicamentalis, non verò quàm transcendentalis, cùm ratio notionalis originis sit ipsamet relatio transcendentalis. Quo quidem fundamentum Bonauenturæ reducitur ad sententiam nostram; atque ideò relationes prædicamentales vbique concipiuntur aduenire personis iam constitutis, & supponere fundamenta rationésque fundandi (sicut de relatione spiratoris philosophatur Suarius lib. 5. cap. 8.) nec includi in conceptu obiectiuo proprietatum constituentium, in quo quidem modum referunt relationum creatarum prædicamentalium, sine imperfectione tamen distinctionis, aut resultantiæ physicæ, vel inhærentiæ, &c. Suarez.



QVÆSTIO XLI. S. Thomæ.

De personis in comparatione ad actus notionales.

ARTIC. I.

Vtrùm actus notionales sint attribuendi personis.



CONCLVSIO affirmat, & videtur esse de fide, ex modo loquendi Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, vbi frequenter dicitur Pater generare, Filius generari. Ratio conclusionis est, quia non potest origo designari nisi per aliquos actus cum de diuinis rebus loqui non possimus, nisi secundùm modum rerum sensibilium, à quibus cognitionem aucupamur.

ARTIC. II.

Vtrùm actus notionales sint voluntarij.

PRima conclusio. Actus notionales sunt voluntarij voluntate concomitanti; sicut enim Deus vult se esse Deum, sic vult etiam se generare, & spirare, seù potius complacet in vtroque. Secunda conclusio. Actus notionales non sunt voluntarij voluntate vt principio: Nam ea, quæ sunt voluntaria voluntate vt principio possunt sic, vel aliter esse: sed generatio & spiratio non possunt sic aut aliter esse: ergo non sunt voluntaria voluntate vt principio.

ARTIC. III.

Vtrùm actus notionales sint de aliquo.

COnclusio. Filius non est genitus de nihilo, sed de substantia Patris. Probatur, quia propria generatio viuentium requirit, vt generans de seipso gignat, non de externa materia faciat.

ARTIC. IV.

Vtrùm in diuinis sit potentia respectu actuum notionalium.

COnclusio affirmat quòd potentia dicit principium actus: ergo sicut ponuntur in diuinis actus notionales, sic oportet ponere potentiam respectu ipsorum.

ARTIC.

ARTIC. V.

Vtrùm potentia generandi significet relationem, & non essentiam.

CONclusio. Significat in recto naturam diuinam, & in obliquo relationem; de quo diximus suprà disp. 5.

ARTIC. VI.

Vtrùm actus notionales ad plures personas terminari possint.

CONclusio negat, & est de fide. Nam in symbolo Athanasij dicitur, *Vnus Filius, non tres Filij, vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti:* Quæuis enim persona producta est adæquatus terminus suæ processionis. S. Thomas probat suam conclusionem quatuor rationibus desumptis ex diuinarum processionum spiritualitate, simplicitate, necessitate, ac perfectione, quæ quidem rationes congruentes sunt non demonstratiuæ. Videantur suprà dicta disp. 1. & 6.



DISPVT. XXII.

Quales sint actus notionales.

DVo supersunt circa notionales actus, quæ nonnullam requirunt discussionem. Primum est, an sint voluntarij? Secundò an sint aliquo; & hæc breuiter expediemus in præsenti.

CAPVT I.

An diuinæ processiones sint voluntariæ.

1. DE qua voluntate loquatur S. Thomas hic art. 2. variè sentiunt Doctores apud Vasquium; nec huius responsio quadrat omninò, quia non datur in Deo voluntas per modum potentiæ, sed solùm per modum actus. Reor igitur intelligendum esse S. Thomam de volitione terminata ad ipsas processiones, quam volitionem negat præcedere per modum principij, licèt comitetur, vel subsequatur easdem necessariò, quippe si requireretur talis volitio ex parte principij forent processiones liberæ; nihil enim necessarium prærequirit volitionem per modum principij terminatam ad seipsum. Ab hac doctrina dissentiunt Ariani dicentes Filium esse creaturam productam à Deo liberè, ita vt potuerit non produci.

2. Dicendum tamen est primò, vtrumque notionalem actum esse necessarium, ac naturalem, quatenus neuter potuit non esse, nec aliter esse. Sic esse de fide docet Molina hic art. 2. disp. 1. quod probat Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 3. quia de fide est personas productas esse Deum, nec posse aliter se habere: Non sunt autem, nec possunt esse nisi per productiones: ergo productiones etiam non possunt non esse, nec aliter se habere. Ideò Concilia definiunt contra Arium generationem Filij esse opus naturæ, non voluntatis, sufficiat nobis Toletanum XI. in confessione fidei, quæ ex Augustini verbis ferè tota conflata est, & sic habet. *Filius Dei natura est filius, non adoptione, quem Deus Pater, nec voluntate, nec necessitate genuisse credendus est, quia nec vlla in Deum necessitas cadit, nec voluntas sapientiam præuenit*, vbi necessitas coactionis excluditur, non naturæ, sicut & voluntas libera, vel per modum principij, non volitio necessaria concomitans, & complacens in generatione, vt explicant Doctores suprà relati.

Molina. Suarez. Tolet. XI.

3. Henricus, & Scotus apud Vasquium disp. 161. vocant spirationem liberam, quoniam est à voluntate cum perfecta cognitione. Verùm in solo modo loquendi dissentiunt à nostra conclusione, quæ communis esse debet Catholicorum. Vocant ergo liberam, id est, non coactam; liberum enim in vno sensu opponitur coactio, quamuis autem spiratio diuina sit necessaria, non tamen est coacta, sed spontanea. Ceterùm quatenùs in sensu proprio, seu magis proprio dicitur aliquid liberum, prout opponitur necessario, seu determinato ad vnum, & est idem quod indifferens ad esse, & non esse, sic nec asserunt isti Doctores spirationem esse liberam, nec asserere possent sine errore. Vasquez.

4. Dicendum est secundò, quamuis vterque actus notionalis sit obiectiuè voluntarius, id est, volitus, non solùm à producente, sed etiam ab aliis personis: quæuis enim complacet sicut in esse diuino, sic in processionibus ad intra complacentia videlicet necessaria: non tamen vtrumque actum esse causaliter voluntarium: nam generatio non est à voluntate vt à principio, sed ab intellectione, *quam nulla voluntas præuenit*, vt definit Toletanum X I. & explicat Suarez eo cap. 3. num. 5. Spiratio verò est à voluntate, id est, ab amore mutuo, & necessario Patris ac Filij iuxta supradicta disp. 17. cap. 4. & 6. Quare dici non possunt pater, & Filius spirare, quia volunt: videtur enim significari volitio libera spirandi, sed spirare volendo, id est, amando se se vicissim necessariò. Equidem Caietanus hic art. 2. Scotus Scotum in 1. dist. 6. quæst. 1. diait Patrem prius ratione velle generare, quàm generet, quamuis illud velle non sit principium generandi, sed quasi desiderium, quia velle generare (& idem erit de volitione spirationis) est ex se quid essentiale, ac essentialia sunt ratione priora quam notionalia. Suarez. Caietan. Scotus.

5. Dicendum tamen est tertiò, volitionem generationis esse ratione posteriorem, quàm ipsam generationem, vt cum aliis tenent Suarius suprà cap. 4. num. 3. & Vasquez disp. 160. cap. 3. Probatur, nam quilibet actus voluntatis supponit suum obiectum, imò & cognitionem illius; sed Deus non potest cognoscere generationem æternam nisi existentem, cùm talis generatio sit essentialiter existens: ergo non potest velle illam, seu complacere in illa, nisi vt existente. Vnde soluitur fundamentum contrarium: nam essentialia, quæ habent pro obiecto notionalia non sunt ratione priora, sed posteriora notionalibus. Suarez. Vasquez.

Spiratio verò potest dici voluntaria per seipsam, quatenùs est à voluntate spontaneè producente per amorem, vt docet Suarius suprà num. 7. & sequentibus. At si velimus in ea volitione distinguere amorem directum primæ & secundæ personæ mutuum, per quem primariò producitur persona Spiritus sancti, & volitionem reflexam illius

illius amoris & ſpirationis hanc volitionem reflexam dicemus eſſe posteriorem ſpiratione, ſicut de amore generationis diximus, & de ſimilibus reflexionibus latè lib. 1. diſp. 16. c. 7. Et in hoc ſenſu debet accipi prima concluſio S. Thomæ, quia per voluntatem concomitantem intelligit, quæ non antecedit ſuum obiectum; ſed ſupponit illud, vt Vaſquez. rectè colligit Vaſquez diſp. 160. num. 2. ex ipſomet exemplo quod adducit S. Thomas voluntatis concomitantis; cùm enim Deus vult ſe eſſe Deum, aut ego gaudeo me eſſe hominem, priùs eſt eſſe Deum, vel hominem, quàm volitio talia obiecti. Atque huiuſmodi volitionem ſufficere, vt ſimpliciter dicatur, Deus voluntate genuit Filium, probat Vaſquez cap. 4. ex S. Thoma hic Idem. artic. 2. & ex quodam Concilio Sardicenſi; frequentiùs tamen dicitur Pater, & Filius ſpirant voluntate; quod intelligendum eſt de voluntate neceſſaria per modum principij, vel etiam de concomitanti poſſet vſurpari modo dicto. Videantur Suárius, & Molina ſuprà; qui varias circa Molina. hoc locutiones referunt, & expediunt.

CAPVT II.

An actus notionales ſint de aliquo.

1\. DIfficultas verſatur in explicando ſenſu, quo ſumitur in præſenti præpoſitio illa *de*: nam Henricus. Durand. Henricus, & Durandus apud Vaſquium diſput. 160. cap. 1. dicunt ſignificare principium quaſi materiale, ſecluſa omni imperfectione materiæ, ſicut dicimus cultellum eſſe de ferro. Sanctus Thomas hic art. 3. ad 2. dicit ſignificare principium ſubſtantiale quaſi formale per formam ſubſiſtentem, in quantum eſſentia Patris communicata Filio per generationem in eo ſubſiſtit. Vaſquez. Vaſquius diſp. 162. cap. 2. docet, ſi particula *de* referatur ad eſſentiam, denotare principium formale, vel conſubſtantiale, quod idem eſt; ſi verò referatur ad nomen Patris, denotare ſimul principium originis, ita vt vtraque voce ſignificetur Valentia. principium eiuſdem naturæ. Valentia tom. 1. diſp. 2. quæſt. 15. punct. 3. in fine dicit magis propriè tali dicendi formula ſignificari rationem principij *quo* Filius gignitur, ſcilicet inadæquati, quia ſubſtantia vel eſſentia diuina eſt principium *quo*, vel potentia generatiua inadæquatè iuxta ſuprà dicta diſp. 5.

2\. In hac re certum eſt primò non produci perſonas diuinas ex nihilo, ſed de ſubſtantia producentis. Ita definitur in Concilio Nyſſeno, vbi dicitur contra Arium, Filium eſſe vnigenitum de Patre, & ibidem in epiſtola ad Eccleſias damnatur error Arrianorum dicentium produci Filium ex non exiſtentibus, id eſt, de nihilo, aut de aliena ſubſtantia. Habetur etiam in Toletano I. III. IV. & XI. vbi ſæpè dicitur Filium eſſe Auguſtinus. Fulgent. de ſubſtantia Patris: Docet Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 19. & lib. 3. contra Maxim. cap. 14. ſæpeque alibi; Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2. aliique Patres. Et quamuis S. Thomas de ſolo Filio reſpondeat, & Concilia de illo præcipuè loquantur; eodem tamen modo dicendum eſt proceſſionem Spiritus ſancti eſſe de ſubſtan- Ioan. Theol. tia Patris, & Filij, & Ioannes Theologus in Florentino ſeſſ. 18. & 19. explicat ad hoc propoſitum id Ioan. 16. Vbi Chriſtus Dominus de Spiritu ſancto inquit, *De meo accipiet*, & infrà. *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, quia de meo accipiet*. Probatur ratione, quoniam omnes diuinæ perſonæ habent eandem numero naturam: ergo perſona producta habet eandem naturam perſonæ producentis. Sed hæc natura priùs intelligitur eſſe in perſona producente: ergo perſona producta non eſt ex nihilo, ſed de ſubſtantia, quæ præconcipitur eſſe in perſona producente.

Certum eſt ſecundò apud Scholaſticos particulam *de* in præſenti ſignificare duo. Primò ſignificat explicitè originem, & diſtinctionem perſonæ productæ à producente, tanquam à principio actiuo. Secundò, ſignificat ſaltem implicitè conſubſtantialitatẽ in natura diuina. Primum probatur: nam ideò falſa eſſet hæc locutio, Perſonæ productæ ſunt de ſubſtantia diuina, vel Pater eſt de ſubſtantia Dei, vel de ſubſtantia Filij, ex Auguſtino lib. 7. de Trinit. cap. 6. & ex S. Thoma hic, quia licèt omnes perſonæ habeant conſubſtantialitatem in natura diuina, non tamẽ diſtinguuntur ab illa, nec Pater procedit à Filio: ergo ſignificatur diſtinctio, & proceſſio. Quod autem opponunt Canarienſis, & Vaſquez dixiſſe S. Thomam hic art. 3. Michaël eſt de natura Angelica: ergo poſſumus ſimiliter dicere Perſonæ ſunt de natura diuina; non obſtat, quoniam inter Angelum, & naturam Angelicam datur diſtinctio realis, & cauſalitas formalis, qualis inter naturam diuinam, & perſonam non reperitur. 3.

Secundum probatur ex Auguſtino lib. de natura boni cap. 26. & 27. & ex S. Thoma hic art. 3. 4. Auguſt. qui notant hoc intereſſe inter præpoſitionem *de* & *ex* quòd illa ſignificat conſubſtantialitatem, hæc non, ſed ſolam cauſalitatem, quem loquendi modum admittunt Scholaſtici in 1 diſt. 5. Repugnat tamen Driedo lib. 3. de Dogmatibus Driedo. Scripturæ propè finem, vbi ſupra verbo *hac doctrina*, & probat ex Matth. 1. vbi dicitur. *Quod* Matth. 1. *in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, & ex Symbolo, vbi Chriſtus Dominus dicitur, *natus de Spiritu ſancto*; & cùm ſermo ſit de Chriſto, vt homine, non ſignificatur conſubſtantialitas. Reſponderi poſſet quòd ibi ſignificatur conſubſtantialitas naturæ diuinæ, atque origo quoad naturam humanam. Sed quidquid ſit, an hæc regula cenſeatur vniuerſalis, certè iuxta ſubiectam materiam particula *de* relata ad ſubſtantiam ſignificat conſubſtantialitatem, relata ad Patrem ſignificat originem; quia ſignificatur aliqua proceſſio, & non de nihilo, vt viſum eſt num. 2. ergo de aliquo præſuppoſito, quod per nomen *ſubſtantia* ſignificatur.

5\. Tertiò, videtur eſſe certum, reipſa Filium non eſſe de ſubſtantia Patris tanquam de materia, nec tanquam de forma, quales ſunt materiæ, & formæ rerum creatarum: At quoad modum noſtrum concipiendi, licèt ſubſtantia diuina non ſit concipienda vt materia; quod notauit Auguſtinus 6. de Trinit. cap. 6. quia diuina natura nullum habet in hac origine concurſum, vel quaſi concurſum materialem (Quòd enim Deitas præſupponatur perſonæ productæ, ac maneat intrinſecè in eadem (quod opponit Durandus) non eſt proprium ſolius materiæ, ſed etiam commune formæ, cùm anima rationalis præexiſtat homini, & maneat in illo; nec item ſit concipienda, vt forma partialis, quia non eſt pars phyſica; concipi tamen poteſt, vt forma totalis, quia ſe gerit, quaſi foret forma totalis conſtituens perſonam ſimul cum perſonalitate; ſicut humanitas eſt forma

totalis

totalis metaphyſica, quæ ſimul cum ſubſiſtentia conſtituit hominem, ſemota verò diſtinctione modali quæ reperitur in perſona creata, non in diuina. Ideò Diuinitas dicitur forma perſonarum, ſpecialiter Filij, de quo Paulus ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet*, id eſt, in natura, vt exponit S.Thomas ibi, eo quod aſſimiletur formæ totali creatæ. Quapropter etiam dicitur Deitas terminus formalis proceſſionis, quatenùs intellectio primæ, quatenùs volitio ſecundæ; Atque iſtam habitudinem formæ admittunt hic Vaſquez, Valentia, Molina, Suarius & alij cum S.Thoma. Philipp.2.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

QVÆSTIO XLII. S.Thomæ.

De æqualitate, & ſimilitudine diuinarum perſonarum ad inuicem.

ARTIC. I.

Vtrùm æqualitas locum habeat in diuinis.

CONCLVSIO affirmat, habetur in Symbolo Athanaſij, & probatur: nam in diuinis perſonis datur eadem omninò quantitas non molis, ſed virtutis, id eſt, eadem eſſentia diuina, ſubindeque negatio maioris, & minoris. Videantur quæ diximus diſp. 9. cap. 3. de relationibus æqualitatis, & ſimilitudinis in diuinis.

ARTIC. II.

Vtrùm perſonæ procedentes ſint coæternæ ſuo principio, vt Filius Patri.

CONcluſio affirmat, & eſt de fide, habetur in Symbolo Athanaſij, & probatur, quia Pater habuit ab æterno vim gignendi perfectam, & generatio diuina eſt neceſſaria, non libera, nec ſucceſſiua: ergo quandocunque fuit Pater, fuit generatio, & Filius genitus; & idem eſt de proceſſione Spiritus ſancti.

ARTIC. III.

Vtrùm in diuinis perſonis ſit ordo naturæ.

COncluſio. In diuinis eſt ordo originis, qui vocari poteſt ordo naturæ, non quo vna perſona ſit prior alia, ſed quo ſit ex alia. Probatur, nam ordo eo modo eſt in aliquibus, quo in illis inuenitur ratio principij: ſed in diuinis ratio principij eſt ſecundùm originem ſine prioritate aliqua durationis, aut cauſæ: ergo ibi eſt etiam ordo ſecundùm originem abſque prioritate; & hic vocatur ab Auguſtino ordo naturæ, non quo alter ſit priùs altero, ſed quo alter eſt ex altero.

ARTIC. IV.

Vtrùm Filius ſit æqualis Patri ſecundùm magnitudinem.

COncluſio affirmat, eſtque de fide: nam ad Epheſ. 2. dicitur, *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Probatur ratione, quia magnitudo Dei non eſt aliud quàm perfectio naturæ diuinæ: ſed Filius habet eandem naturam diuinam cum Patre: ergo ſicut ex vi generationis procedit formaliter ſimilis in natura, ſic etiam æqualis. Epheſ.2.

ARTIC. V.

Vtrùm Filius ſit in Patre, & è conuerſo.

COncluſio affirmatiua eſt de fide, Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, quod triplici ratione dicit S.Thomas contingere. Primò, ratione eſſentiæ, quæ eſt eadem in omnibus perſonis. Secundò, ratione relationis, quæ ad ſui notitiam coëxigit notitiam correlationis. Tertiò, ratione originis, quæ eſt actus immanens. Ioan.14.

ARTIC. VI.

Vtrùm Filius ſit æqualis Patri ſecundùm potentiam.

COncluſio affirmat, & probatur, quia potentia agendi conſequitur perfectionem naturæ: ergo vbi eſt æqualis perfectio naturæ, qualem habent diuinæ perſonæ, datur etiam eadem potentia.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

DISPVT. XXIII.

De quibuſdam comparationibus diuinarum perſonarum.



COMPARAT ſanctus Thomas hic viciſſim diuinas perſonas in eſſentia, in duratione, in prioritate, in magnitudine, in potentia, in mutua inexiſtentia. Sed quoniam de identitate naturæ, durationis, & perfectionis eſſentialibus ſatis in ſuperioribus dictum eſt, & de comparationibus, aliis pauca quædam ſubiiciemus.

CAPVT I.

An aliqua detur inæqualitas perſonarum.

1\. DOctrinam fidei tradit Athanaſius in Symbolo dicens. *Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil maius, aut minus, ſed totæ perſonæ ſibi ſunt coæternæ, & coæquales*; & ſatis eandem doctrinam probat vnitas naturæ diuinæ tribus perſonis communis, quàm ceteræ perfectiones eſſentiales conſequuntur. Quomodo autem perfectiones relatiuæ ſingularum perſonarum propriæ non inducant inæqualitatem in illis, diximus diſput. 50. cap. 2. Sed adhuc reſtat duplex difficultas. Athanaſ.

2\. Prima eſt circa prioritatem, quia Patres non ſolùm Græci, ſed nonnulli Latini Patrem vocant maiorem, & ſuperiorem Filio, quibus verbis aliquam excellentiam, ſaltem prioritatis, videntur Patri tribuere ſuper alias perſonas. Videantur Damaſcenus 1. de fide cap. 9. Baſilius lib. 3. contra Eunomium in principio, ac alij, quos referunt Cumel in hac quæſt. 42. art. 3. diſput. 1. & Vaſquez diſp. 567. cap. 2. Damaſc. Baſilius. Cumel. Vaſquez.

Ceterùm

3. Ceterùm de re non poteſt eſſe inter Catholicos controuerſia : nam omnes conueniunt , in diuinis non dari prioritatem durationis,aut naturæ, ita vt vna perſona potuerit eſſe ſine alia , vel ante aliam prioritate reali in *quo*. Quare non eſt diuinis perſonis abſolutè tribuenda prioritas,ſed ſimpliciter neganda cum Athanaſio ſuprà. Sic etiam eandem prioritatem ſimpliciter & abſolutè negant Auguſtinus lib. 3. contra Maxim. cap.8. Ambroſius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. S.Thomas hîc art.3.ac alij:Nec Patres illi Græci, vel etiam Latini volunt Patrem eſſe maiorem Filio in natura , vel in prioritate naturæ, ſed ſolius originis , quam Græci vocant cauſalitatem.

August. Ambros.

4. Bonauent. Durand. Gregorius. Gabriel. In modo loquendi diſſident Doctores. S.Thomas hîc art. 3. Bonauentura in 1. diſt.2. quæſt.1. & 2.Durandus diſt. 20.quæſt. 2.concedunt realem ordinem in diuinis , ſed non realem prioritatem vllam ; Scotus verò admittit realem prioritatem originis, quam Gregorius in 1.diſt.29.vocat prioritatem cauſalitatis,& Gabriel ibi prioritatem naturæ. Nos ſuppoſitis ſupra dictis diſput.2.cap.5. Dicimus primò cum addito poſſe admitti inter diuinas perſonas prioritatem realem ſcilicet originis. Hoc ſignificant Patres relati ſuprà num.2. dum enim vocant Patrem maiorem Filio , non quidem natura, ſed cauſalitate, vel origine,planè denotant dari realiter prius,& poſterius in diuinis ſecundùm originem & proceſſionem. Quare ſimilis prioritas inter proceſſiones oppoſitas admittenda erit , vt docent Cumel ibi concluſ.3.& Vaſquez diſput.168. De prioritate verò rationis, Dicimus ſecundò, ſi perſonæ diſtinctè concipiantur, vbi conceptus relatiuos interuenire neceſſe eſt, iuxta ſuprà dicta diſp.2 c.nulla prioritas rationis *in quo*, ſed ſolùm à *quo* reperietur , quia relatiua etiam tranſcendentalia ſunt ſimul cognitione, quamuis cognoſcatur eſſe vnum ab altero.

Cumel. Vasquez.

5. Secunda difficultas eſt circa potentiam , licèt enim de fide ſit potentiam actiuam ad extra communem eſſe tribus perſonis,ac ſubinde non poſſe inæquales eſſe quoad illam ex Ioan.5.& Symbolo Athanaſij Ceterùm quoad potentiam notionalem non videntur omnes perſonæ prorſus æquales. Siquidem potentia generatiua , quam Fulgentius , & Auguſtinus ſub omnipotentia comprehendunt, non inuenitur in Filio ; & ſpiratiua potentia non inuenitur in Spiritu ſancto. Suarez lib.4.de Trinit. cap.10. varios refert modos dicendi, & quem ipſe ſequitur ego non probo ; Aliique pro libito , prout opinatur quiſque de potentia notionali , varie conantur nodum ſoluere.

6. Mihi videtur iuxta ſuprà dicta diſp. 5. fatendum eſſe in Patre potentiam notionalem , quæ non ſit in Filio, & in vtroque eſſe aliquam , quæ non ſit in Spiritu ſancto , & per conſequens in huiuſmodi potentia non eſſe perſonas omnes æquales ; ſed nec inæquales dici poſſunt , cùm Filius nullo modo potentiam generatiuam , nec Spiritus S.ſpiratiuam participet ; tamen inde non infertur perfectio maior in Patre , quàm in Filio, nec maior in vtroque quàm in Spiritu ſancto, quia tanta eſt perfectio in Filio poſſe generari, ſeu generari actu, quam eſt in Patre poſſe generare;ſimiliter tanta perfectio eſt in Spiritu ſancto ſpirari , quanta eſt in Patre,ac Filio poſſe ſpirare, ac actualiter ſpirare ; Quod voluit S. Thomas, dum in hac quæſt.42. art.6. ad 3. dixit eandem potentiam eſſe in Patre, vt generet, & in Filio,vt generetur , id eſt, eandem , aut æqualem perfectionem. Addi poteſt omnipotentiam ſumi reſpectu creaturarum poſſibilium , & in hac omnes perſonas eſſe æquales , quod Patres & Concilia ſæpè docent , atque ſic contineri in hac omnipotentia abſoluta omnem perfectionem poſſibilem potentiæ productricis,vt quidquid potentiæ productiuæ relatiuæ accedat vni perſonæ præ aliis, ad ſummum augeat extenſionem perfectionis , non intenſionem. Videantur Vaſquez ſuprà, & Valentia tom. 1. diſput. 2. quæſt. 5. punct.2. ad primum. Valentia.

CAPVT II.

De Circuminſeßione.

MVtuam inexiſtentiam Patris in Filio , & huius in Patre vocant Theologi circuminceſſionem; quam conſtat etiam eſſe communem Spiritui ſancto; licèt enim Ioan. 14. ſolùm fiat mentio Patris & Filij ; tamen Fulgentius de fide ad Petrum , cap.1.inquit. *Per hanc vnitatem naturalem totus Pater in Filio & in Spiritu ſancto, totus Filius in Patre , & Spiritu ſancto eſt ; & totus Spiritus ſanctus in Patre & Filio eſt.* Igitur pro maiori declaratione circuminſeſſionis. 1. Fulgentius.

Quæres primò,quid ſit circuminſeſſio?Scotus in 1.diſt.19. quæſt.2. ad 2. primæ opinionis, & Suarez lib.4.de Trin.cap.16.num.11.dicunt eſſe mutuam præſentiam , ratione cuius vbi eſt vna perſona, neceſſariò eſt alia ; ſed ſi attentè inſpiciamus verba Christi Domini , amplius ſignificant, quàm mutuam præſentiam : nam Philippo dicenti , *Oſtende nobis Patrem* , reſpondet , *qui videt me,videt & Patrem*,& rationē reddens ſubdit.*Ego in Patre,& Pater in me eſt*.At mutua præſentia ſola non eſt ratio cognoſcendi Patrem ex Filio , quia connexio in loco non infert connexionem in cognoſci ; connexa enim loco poſſunt non eſſe connexa in cognoſci : ergo licèt mutua præſentia ſequatur ex circuminſeſſione ; hæc tamen potiùs conſiſtit in aliquo alio quod ſignificauit ibi Christus Dominus , vt rationem ſufficientem cognoſcendi Patrem ex Filio;& eſt vnitas eſſentiæ , diſtinctioque ſimul , & oppoſitio perſonalis , quam docuerat Ioan.10. dicens. *Ego & Pater vnum ſumus. Vbi vnum* ſignificat vnitatem eſſentiæ , *ſumus* pluralitatem perſonarum; nam eundem eſſe ſenſum vtriuſque teſtimonij expendit Auguſtinus 1.de Trinit.cap.8. 2. Scotus. Suarez. Ioan.10. August.

Quæres ſecundò. An vnitas eſſentiæ ſit adæquata ratio huius circuminſeſſionis ? S. Thomas duas alias adiungit , vt vidimus art. 5. quas Aureolus , & Durandus in 1. diſt. 19. refellunt, quia mutua relatio non infert mutuam inexiſtentiam , ſed habitudinem , ratione cuius vnum relatum eſt de intellectu alterius ; origo etiam minus declarat quomodo perſona producta ſit in producente , non quomodo producens ſit in perſona producta. Equidem conueniunt Suarius ſuprà;Molina hîc,& alij communiter præcipuam, immò adæquatam rationem , ob quam diuinæ perſonæ ſunt in ſe ſe viciſſim,eſſe vnitatem eſſentiæ,cum diſtinctione ſcilicet perſonali, quoniam vnaquæque perſona eſt ipſamet eſſentia diuina, & hæc eſſentia eſt in omnibus & ſingulis perſonis : ergo quælibet perſona eſt in quauis alia:Non eſt autem in ſeipſa,quia non diſtinguitur à ſeipſa 3. Aureolus. Durand. Suarez. Molina.

vllo

vllo modo. Hac ratione supposita possunt etiam aliæ rationes Sancti Thomæ defendi: Nam ad connexionem in cognosci quam ibi Christus Dominus potissimè deuotat, magni refert mutua correlatio. Immanentia item originis non solùm arguit immanentiam personæ productæ in producente, sed etiam producentis in persona producta, vt semper immanenter producat; quod latiùs adductis sanctorum testimoniis persequitur Suarius suprà.

4\. Quæres tertiò. An vna persona dicatur esse in alia secundum se totam, an solùm ratione essentiæ. Hoc posterius affirmant Henricus in Summa. artic. 53. quæst. 3. & Durandus in 1. dist. 19. & probant, tum quia si Filius & filiatio esset in Patre, Pater esset Filius; tùm quia relatio vnius personæ est id in quo est alia persona: ergo nequit esse vicissim in alia persona; alioquin eadem relatio esset continens, & contenta. Probabilius tamen est, vnam personam esse in alia secundùm se totam, vt asserût cum Bonauentura, Scoto, & aliis Vazquius & Suarius, docuitq; Fulgentius suprà citatus. Sic canit Ecclesia in hymno Laudum secundæ feriæ; *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Et præter rationes adductas à Suario sic probo. Circumincessio est realis, & dicit distinctionem: ergo distinctionem circuminsedentium: Sed natura non distinguitur realiter à personis quibus insidet; ipsæ tamen personæ distinguuntur inter se realiter: ergo his propriè secundum se totas conuenit circumincessio; ideò Damascenus lib. 1. de Fide cap. 10. & Hilarius lib. 7. de Trinit. ad finem dicunt, vnam personam esse in alia, vt quidpiam subsistens in subsistente: Subsistere autem est totius vt totius: ergo. Licèt ratio essendi vnam personam in alia sit sola essentia, non tamen quoad solam essentiam, sed etiam quoad relationem, & subsistentiam.

Henricus. Durand. Damasc. Hilarius.

5\. Quare ad primum in contrarium negatur sequela, quia Filius, & filiatio non est in Patre, vt forma inhærens, sed vt subsisteos. Vnde non fit denominatio formalis. Ad secundum respondetur implicare mutuam continentiam formalem aut essentialem, non verò hanc inexistentiam subsistentium, quia per hanc solùm significatur esse tres personas vnius essentiæ cum appositione inter se; ac per consequens ex cognitione vnius personæ deueniendum esse in cognitionem alterius; & in quacumque persona fuerit essentia, futuras etiam alias personas per identitatem eum tali natura. Quod autem addit Suarius hanc præsentiam competere relationibus ratione immensitatis communis, non probo? quia relationes personales prout superadditæ rationes nostra Deitati dicunt tres præsentias, vt disp. 10. cap. 1. num. 15. dictum est; per quas sibi sint inuicem præsentes.

6\. Quæres quartò, Vtrùm circumincessio dicat relationem realem, vel rationis. Communiter dicitur esse rationis, quoniam vnitas essentiæ, quæ est proxima ratio fundandi non distinguitur realiter à terminis, qui respiciuntur per huiusmodi relationem. Alij probabiliter dicunt esse realem, sicut de relationibus similitudinis, & æqualitatis diximus disp. 9. cap. 5. ita tamen vt non differat realiter à relationibus personalibus sed ad summum ratione præcisiua: militat enim hic eadem ratio, ac in relationibus similitudinis cum circumincessio sit realis, & conueniat perso-

nis, non modò quoad essentiam in qua sunt idem, sed etiam quoad relationes, in quibus differunt, ac subinde habet extrema realiter distincta & existentias, seu præsentias relatiuas, quæ sicut realiter distinguuntur, & inuicem inexistunt, sic realiter vicissim referantur.



QVÆSTIO XLIII. S.Thomæ.

De missione diuinarum personarum.

ARTIC. I.

Vtrùm alicui diuinæ personæ conueniat mitti.

CONCLVSIO affirmat, & est de fide, Ioan. 8. Probatur, seu potiùs explicatur conclusio, quia missio in diuinis importat processionem originis à mittente, & nouum modum existendi alicubi personæ missæ: sed hæc conueniunt alicui diuinæ personæ: ergo missio.

ARTIC. II.

Vtrùm missio sit æterna, vel temporalis tantùm.

Conclusio. Missio est temporalis tantùm, quia denotat terminum temporalem, licèt principium sit æternum.

ARTIC. III.

Vtrùm missio inuisibilis diuinæ personæ sit solùm secundùm donum gratiæ gratum facientis.

Conclusio affirmat, quia præter communes modos existendi Dei in rebus per essentiam, potentiam, & præsentiam, nullus alius potest dari specialis, nisi existere in creatura rationali per gratiam gratum facientem.

ARTIC. IV.

Vtrùm Patri conueniat mitti.

Conclusio negat, quia missio importat processionem ab alio, & Pater à nullo procedit.

ARTIC. V.

Vtrùm Filio conueniat inuisibiliter mitti.

Conclusio. Filio & Spiritui sancto conuenit inuisibiliter mitti, sicut & ab alio procedere, & inhabitare in iustis per gratiam.

ARTIC. VI.

Vtrùm missio inuisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ.

Conclusio. Missio inuisibilis fit ad omnes illos, qui denuò, vel nouo modo fiunt participes gratiæ: Requiritur enim aliquis terminus de nouo.

ARTIC. VII.

Vtrùm Spiritui sancto conueniat visibiliter mitti.

CONclusio. Filius, & Spiritus sanctus visibiliter missi sunt, vt de fide constat Ratio congruentiæ est, quia connaturale est homini, vt per visibilia ad inuisibilia manuducatur.

ARTIC. VIII.

Vtrùm aliqua diuina persona mittatur nisi ab ea, à qua procedit æternaliter.

CONclusio. Si mittens designetur vt principium missæ personæ, sic non alia persona mittit, nisi cui conuenit esse principium personæ, quæ mittitur: Si verò persona mittens intelligatur esse principium effectus secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam; & sic conciliat Angelicus Doctor aduersantia verba Doctorum.

DISPVT. XXIV.

De missione diuinarum personarum.



QVEMADMODVM intrinsecè conueniunt Deo quædam communia tribus personis, & quædam propria, quæ dicuntur notionalia; sic inter prædicata, quæ per connotationem vel denominationem alicuius extrinseci conueniunt Deo, quædam sunt communia, vt creare, adorari cultu latriæ, quædam notionalia, vt mitti. Quod nec omnibus conuenit, nec eodem semper modo iis personis, quæ mittūtur; ideò ad personatum Trinitatem, vbi notionales proprietates expediuntur, missiones etiam pertinere visæ sunt.

CAPVT I.

Quid sit missio in diuinis.

1. Magister. QVidam apud Magistrum in 1. distinct. 15. dicunt missionem diuinam esse processionem æternam vnius personæ ab alia, ita vt sicut arbor dicitur emittere flores, sic Pater dicatur mittere Filium generando ipsum: sic docere videtur Hilarius 8. de Trinit. dum ait *Spiritum sanctum, mitti à Filio nihil aliud esse, quàm ab illo accipere.* Cyrillus 12. Thesauri cap. 5. inquit. *Missum se Filius à Patre dicit non mutatione locorum, sed sicut calorem ab igne, vel splendorem à lumine.* Gregorius homil. 26. in Euang. ait. *Eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur,* & infrà de Spirito S. subdit. *Sed eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit & Filio.* Idem habet Beda lib. 2. homiliarum homil. 2. & fauere videtur Augustinus 3. contra Maxim. c. 14. & lib. 4. de Trin. cap. 20. Probatur ratione, quia missio includit egressum missi a mittente; sed inter diuinas personas non est egressus nisi secundum processionem: ergo necesse est missionem personæ esse ipsius processionem.

Magister ipse propendet in contrarium ibi dicens missionem diuinam esse operationem externam alicuius temporalis effectus, quem persona diuina operetur fauet Augustinus 2. de Trinit. dicens, *Hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus missio Spiritus sancti dicta est.* & lib. 4. cap. 20. inquit. *Non eo ipso quod de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum, vel quod ex tempore cuiusque mente percipitur sicut scriptum est. Mitte illam vt mecum sit, & mecum laboret* Sap 7. Probatur ratione, quia processio est æterna, missio verò temporalis iuxtà illud ad Galat. 4. *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum,* & Act. 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies,* ergo missio aliquid importat temporale denominans personam ex tempore.

3. Propter hæc ceteri Theologi vtrumque requirunt, ad missionem videlicet, & processionem æternam, & operationem temporalem: sed adhuc dissident inter se. Quidam enim dicunt missionem esse temporalem actionem cum connotatione processionis æternæ, vel quatenùs talis actio est à persona procedente, vel quatenus eam vt sic manifestat. Ita S. Thomas in 1. dist. 15. quæst. 3. art. 1. Bonauentura in 1. dist. 15. 1. part. dist. quæst. 3. & 4. Scotus, & Gabriel in 1. dist. 14. Alij per oppositum dicunt missionem esse processionem ipsam æternam cum connotatione temporalis effectus. Ita Vasquez 1. parte disp. 170. cap. 2. referens alios.

4. Pro declaratione suppono 1. missionē in communi esse egressum, emanationem, aut motionem alicuius ab aliquo principio in ordine ad aliquem terminum, locum, vel effectum. Hæc motio in humanis fit per imperium vel consilium, vt docet sanctus Thomas hic art. 1. vel per impetum, sicut dicitur mitti lapis, & plures quidem habet adiunctas imperfectiones, quæ non caduut in Deum, vt notant Athanasius oratione in illud *Deus de Deo*, circa finem. Augustinus 2. de Trinitate a cap. 5. & sanctus Thomas hic art. 1. qui colligit inde missionem posse conuenire personæ diuinæ, secundùm quod importat ex vna parte processionem originis à mittente, & ex alia parte nouum modum existendi in alio.

5. Suppono secundò personam diuinam Filij dupliciter denominari missam; primò, ratione humanitatis assumptæ per communicationem idiomatum, secundò, vt etiam diuina persona mittatur secundùm seipsam: sic indicat Augustinus 4. de Trinitate, cap. 20. dicens. *Non tantùm dicitur missus Filius, quia Verbum caro factum est, sed etiam Verbum est missum, vt caro fieret.* Et Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 42. inquit. *Non seruilis hæc missio est, quamuis ita dici possit, quia formam serui accepit, sed mittitur etiam Verbum ex mente, vt splendor ex sole.* Vbi significatur missionem attributam Christo, vt homini, & per communicationem Idiomatum Verbo posse esse propriam, & cum imperfectionibus, quæ humanitati non repugnant, & circa illam tantùm versantur, etsi per communicationem attribuantur Verbo: at verò missionem immediatè tributam personæ diuinæ non posse sumi cum hac proprietate, sed significare egressum vnius personæ ab alia secundùm aliquam operationem, vel ad aliquem effectum seclusis imperfectionibus: sic

tribuitur

tribuitur missio Spiritui S. & non aliter, cùm naturam humanam non assumpserit, nec vllā aliam creatam; & sic sumitur in præsenti disputatione.

6. In qua sic censeo. Missio diuina vtrunque importat formaliter, & in recto, videlicet processionem æternam, & operationem temporalem; & neutram per solam connotationem. Ita videtur sentire sanctus Thomas hic artic. 1. & 2. præsertim ad tertium vbi ait, *Missio includit processionem æternam, & aliquid addit, scilicet temporalem effectum.*

Suarez. Sic etiam sentit Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 1. num. 8. dicens. Hæc missio non dicit tantùm exitum à mittente, sed includit etiam (vt ita dicam) peruentionem ad terminum, seu effectum.

Molina. Ioan. 16. Ita quoque loquitur Molina hic art. 1. & alij. Probatur primò ex Ioann. 16. *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Vbi missionem suam explicat Christus Dominus per æternum exitum

Augustinus. Hilarius. generationis, vt capiunt Augustinus tractat. 101. Hilarius 9. de Trinit. simulque per aduentum temporalem: ergo missio claudit vtrunque.

7. Probatur secundò ratione: Nam omnis egressus vtrunque terminum *à quo*, & *ad quem* respicit essentialiter, sed terminus *a quo* in missione est persona producens, & terminus *ad quem* est temporalis actus: ergo missio debet essentialiter vtrunque respicere. Vnde fit missionem in diuinis duas relationes importare, vnam realem, missi ad mittentem, quæ non est diuersa à proprietate personæ missæ:

Bonauent. Durand. Ideò Bonauentura in 1. distinct. 14. art. 2. q. 1. & Durandus quæst. 2. dicunt in missione non esse processionem aliam præter æternam. Alia relatio est ad creaturam, & est relatio rationis; proptereà nō auget numerum proprietatum, & quoniam ista relatio temporalis est, missio quoque dicitur tēporalis. Cùm enim ex aliquo æterno, & aliquo temporali aliquid coalescit, compositum illud est temporale. Igitur ad hunc modum se habet diuina missio, quo fundamenta opinionum, quas retulimus facilè conciliantur.

8. Restat nihilominus ex parte termini *a quo* difficile argumentum: Quia persona, quæ mittitur non incipit esse nouo modo in creatura ex vi suæ processionis, sed ratione effectus quem tota Trinitas operatur: ergo processio secundum originem æternam non potest esse de ratione missionis. Respondetur cum Vasquio, Valentia, & aliis per processionem accipere personam, quæ producitur, potestatem operandi, & constituendi se nouo modo alicubi; mitti verò nihil aliud est, quàm ire quoquàm per virtutem alterius impressam aliquo modo ei, qui mittitur: In diuinis autem per productionem communicatur, & quasi imprimitur personæ productæ virtus illa: ideóque talis processio per verbum mittendi congruenter importatur.

9. Sed contrà: nam etiam homo recepit à Deo, & à parentibus suis potestatem eundi quocunque vadit, & tamen non mittitur a Deo, vel à parentibus suis quocunque vadit, nisi mittens moueat & determinet voluntatem missi consulendo, vel iubendo, vel alio quouis modo: ergo in Deo vbi non datur consilium, aut imperium vnius personæ in aliam debet mittens imprimere misso non solùm virtutem quasi in actu primo, sed etiam ipsam liberam determinationem eundi. Quare si hæc non imprimitur per processionem æternam, impertinens erit ad missionem processio.

Valentia. Sic vrgent Recentiores, qui censent cum Valentia, vt vidimus disp. 15 cap. 1. num. 19. Verbum, & Spiritum sanctum procedere ex cognitione, & amore libero, atque hos actua liberos communicari productis à producentibus.

10. Suarez. Vidit Suarius difficultatem, & in illa expedienda laborat lib. 12. de Trin. cap. 1. n. 7. ac primò dicit personam productam accipere per processionem totam realitatem illius volitionis, qua liberè vult cum tali concordia ad producentem, vt necessariò volitura sit, quidquid producens voluerit. Sed contrà: nam illa concordia sine determinatione nihil refert ad missionem; quippe si neutra persona habet ab illa determinationem ipsam liberam eundi, cur magis vna persona, quam alia dicitur mittere, aut mitti? Ideò dicit secundò Suarius, quoties Filius, & Spiritus sanctus ad nos veniunt, venire quidem ex naturali propensione bonitatis suæ, ac ex prudentissimo consilio sapientiæ suæ, quod totum habent à producente; atque hoc satis esse, vt dicatur persona procedens habere à producente volitionem liberam veniendi, licèt non habeat ab illa decretum liberum quoad ipsam formalem determinationem, quia satis est quòd habeat propensionem ad illud decretum per acceptam bonitatem, & sapientiam: nam nec mittens homines mittens imprimit misso immediatè volitionem eundi, vel physicam determinationem voluntatis ad illum actum, sed solùm moralem impulsum per imperium vel consilium.

11. Nihilominus instant moderni; quoniam ex vi bonitatis & sapientiæ diuinæ, ac totius illius entitatis necessariæ per processionem communicatæ non videntur personæ productæ magis esse propensæ ad veniendum, quàm ad non veniendum, si adhuc maneant ad vtrumlibet indifferentes, & liberæ: possent enim adhuc ex vi talis bonitatis, & sapientiæ contrarium decernere, subindéque foret etiam conforme diuinæ sapientiæ, ac bonitati non venire. Vt autem dicatur quis mitti; debet accipere à mittente determinatam inclinationem ad veniendum; alioqui non magis diceretur venire, quàm non venire à tali persona, vt patet in missione personæ creatæ. Siquis cōsultus ab alio, an expediat talis peregrinatio vtramque contradictionis partem æquè conuenientem esse respondeat, non dicetur mittere consulentem, quamuis iste proficiscatur, nimirum quia pro suo libito, vel dictamine profectionem elegit, non ab alterius consilio determinatus.

12. Gaudeo profectò prodidisse tandem hos iuniores suam mentem, quam tantopere disp. 15. cap. 3. à num. 15. refellere conatus sum. Volunt sanè viri alioquin docti determinari Filium à Patre, & Spiritum sanctum ab vtroque ex vi processionis ad omnia libera decreta, nec indifferenter remanere ad vtrumlibet, nec aliter existimant veram rationem missionis in illis posse consistere. Violenta sanè missio, quæ missum determinet, ac ita constringat vt nullam ipsi permittat indifferentiam voluntatis circa creaturam etiam terminum missionis. Etenim si iussio in humanis ita determinaret iussi voluntatem, vt iam non esset indifferens ad dissentiendum, sed deberet ex suppositione iussionis iro necessariò quò dirigitur quis negaret tolli prorsùs iussi libertatem nisi physicam prædeterminationem possit cum nostra libertate componere? Ego certè nec in humanis id audeo, nec in diuinis admitto missionem personæ productæ cum determinatione veniendi sic à pro-

ducente recepta, vt non possit persona produ-
cta resilire? quamuis inde cogat in explicanda
missione sine tali determinatione cum Suario,
ceterisque Theologis desudare.

13. Sed nec multo labore opus erit; In primis
enim statuo, exitum missi à mittente in diui-
nis omninò necessarium esse, non liberum,
qualem illi Doctores constituunt. Missionem
enim secundùm originem, qualis est diuina,
dicit sanctus Thomas hic artic. 1. esse *sicut flos*
Cyrillus. *ab arbore* emittitur. Cyrillus lib. 4. in Ioann.
cap. 42. *Sicut verbum ex mente & splendor è sole*,
& lib. 12. Thesauri cap. 5. *sicut calor ab igne*.
Quæ omnes emanationes necessariæ sunt. Ideò
August. Augustinus 3. contra Maxim. cap. 14. Missio-
nem diuinam vocat *ordinem naturæ*, & sic ferè
loquuntur Patres, & Theologi. Deinde ad ar-
gumentum. Respondeo si ad propriam, & ri-
gorosam rationem missionis, aut ad nuncupa-
tionem illius requiratur impulsus physicus, vel
moralis determinatè tendens in terminum mis-
sionis, & immediatè receptus in misso à mit-
tente, siue per motum in proiectis, siue per
consilium aut imperium, aut aliam determina-
tionem voluntatis in intellectiuis; missiones
diuinas non fore rigorosas missiones, sed meta-
Cumel. photicas. Sic sentiunt Cumel hic artic. 1. &
Suarez. Suarius lib. 12. de Trinitate, cap. 1. num. 2.
qui docent nomen missionis fuisse translatum
à creatis, & per metaphoram tribui personis
diuinis. Ratio est, nam in ea significatione mis-
sio dicit imperfectionem repugnantem Deo,
scilicet subordinationem missi ad mittentem,
& quasi subiectionem in ordine ad talem ef-
fectum.

14. Cæterùm si ad propriam rationem missio-
nis in communi (quod existimo probabilius)
solum requiritur exitus à mittente, & aduen-
tus ad terminum, missio propriè reperitur in
diuinis sine illa determinatione, vel prædeter-
minatione voluntatis. Nam ita persona produ-
cens emisit ab æterno productam, vt semper
emittat, vt semper generet Pater, semper spi-
rent Pater, & Filius. Igitur cùm persona pro-
ducta actualiter exiens à producente, non so-
lùm remanet in sinu producentis, sed simul in-
cipit nouo modo esse præsens in aliqua creatu-
ra ratione alicuius effectus denuo producti, vel
quem denuò suppleat, ibi datur vera, propria-
que ratio missionis, v. g. in Incarnatione Ver-
bi hoc exibat a Patre tanquam Verbum à men-
te, flos ab arbore, splendor à luce, accipiens
ab illo suum esse (Ecce terminum *à quo*) & in-
cipiebat adesse humanitati assumptæ per vnio-
nem hypostaticam, & sustentationem naturæ
gerens officium personalitatis, ita vt si per im-
possibile ratione immensitatis ibi non adesset,
assisteret sanè ratione assumptionis: Ecce ter-
minum *ad quem*. Illamet persona ab æterno, &
in æternum exiens à Patre quoad totam substan-
tiam, & realitatem suam quoad eandem venit
in tempore facta præsens denuò nouæ creatu-
ræ. Sic *vbi venit plenitudo temporis*, quem in
indiuisibili quasi hodie æternitatis generabat,
misit Deus Filium suum factum ex muliere ad
Galat. 4. Galat. 4. Ad hoc ergo requiritur diuina pro-
cessio in missione diuinæ personæ, sicut in mis-
sione florum ab arbore, radiorum à sole, spe-
cierum intentionalium ab obiectis, non vt de-
terminet voluntatem missi, sed vt producat
illam entitatem & personam, quæ ad nouum
terminum temporalem ratione nouæ præsentiæ,
seu noui tituli dicitur aduenisse.

CAPVT II.

Quotuplex sit missio.

Missio diuiditur primò ex parte personæ 1.
mittentis, & missæ in actiuam, & passi-
uam: Actiua dicit processionem actiuam, &
operationem temporalem, ad quam mittitur
persona producta. Passiua verò dicit eandem
operationem temporalem, & passiuam origi-
nem, qua exit persona ab æterno principio in
temporalem terminum. Secundò, & principa-
liter diuiditur missio in inuisibilem, & visibi-
lem, hæc est quæ fit ad terminum sensibilem,
vel per aliquod sensibile signum manifestatur.
Inuisibilis autem est, quæ fit interno, & spiri-
tuali modo; de cuius diuisionis sufficientia la-
tè Suarius lib. 12. cap. 4. à num. 5. nos singu- Suarez.
la membra perstringemus; & quidem circa
missionem inuisibilem variæ sunt opiniones
Doctorum.

Prima est quorundam asserentium in sancti- 2.
ficatione hominis non dari reuera personam di-
uinam, sed solùm dona creata gratiæ, & virtu-
tum. Probatur, quia diuinæ personæ iam ad-
erant intimè secundùm suam substantiam in ani-
ma hominis ante sanctificationem ipsius omni-
bus modis, scilicet per essentiam, potentiam, &
præsentiam: ergo per sanctificationem non in-
cipiunt adesse denuò secundùm suam substan-
tiam ibi, nec nouo aliquo modo, sed solùm se-
cundùm nouam operationem, & communica-
tionem donorum supernaturalium; sic vide-
tur exponi hæc missio Luc. 24. *Sedete in Ciuita-* Luc. 24.
te donec induamini virtute ex alto. Actorum. 1. Act. 1. & 2.
Accipietis virtutem superuenientis Spiritus san-
cti in vos; & cap. 2. *Quem effudit in nos abun-*
dè. At Spiritus sanctus non effunditur, sed
potiùs dona ipsius: ergo hæc missio fit solùm
per dona gratiæ; imò nihil est omninò aliud
quàm productio talium effectuum. Fauet Chry- Chrysost.
sostomus tom. 3. homilia 3. de Spiritu sancto.

Secunda sententia extremè contraria do- 3.
cet per hanc missionem inuisibilem dari per-
sonam ipsam Spiritus sancti solam sine donis
creatis, imò sine personis aliis, quia Rom. 5. Rom. 5.
dicitur. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*
per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et sæpè
alibi hæc missio passiua, & sanctificatio nostra
peculiariter tribuuntur Spiritui sancto: ergo per
illum solum fieri censendæ sunt; Ita videtur sen- Magister.
tire Magister in distinct. 17. Videatur Bona- Bonauent.
uentura ibi.

Tertia sententia est Durandi in 1. dist. 14. 4.
quæst. 3. docentis mitti personam ipsam diuinam Durand.
ad creaturam rationalem, vel imperfectè cum
donis naturæ, vel perfectè cum donis gratiæ, vel
perfectissimè cum donis gloriæ. Quod soli crea-
turæ rationali detur persona diuina, probat: nam
illi soli creaturæ datur diuina persona, siue Deus,
quæ potest in ipsum tendere tanquam in obie-
ctum cognitum, & amatum, & cuius ipse est
specialis tutor, & director: sed sola creatura ra-
tionalis tendere potest in Deum, tanquam in
obiectum cognitum & amatum, imperfectè qui-
dem

dem secundùm dona naturæ, perfectiùs secundum dona gratiæ, perfectissimè secundùm dona gloriæ: Solius etiam creaturæ rationalis est specialis tutor, & prouisor, cùm hæc sola sit ordinabilis ad finem supernaturalem: ergo ad solam creaturam rationalem mittitur modis dictis.

5. Quod autem per dona quoque naturalia mittatur verè persona diuina, probatur, quia per cognitionem & amorem naturalem est Deus alio modo in creatura rationali, quàm per solum esse creatum in irrationalibus: ergo datur ibi vera missio. De donis supernaturalibus citra gratiam affirmant etiam alij Theologi: nam Caietanus hic art. 3. dicit mitti personam Filij per donum fidei in formis. Alij dicunt Spiritum sanctum mitti per inspirationes diuinas, quæ tempore præcedunt gratiam sanctificantem; Alij volunt etiam per gratiam gratis datam mitti Spiritum sanctum. Probatur, quia per huiusmodi effectus & dona supernaturalia incipit diuina persona esse nouo modo in creatura rationali: ergo mittitur.

Caietan.

6. Quarta sententia est Gregorij in 1. distinct. 14. quæst. 1. concl. 3. dicentis hanc inuisibilem missionem fieri de facto secundùm dona gratiæ, tamen de potentia absoluta non esse necessaria talia dona ad hanc missionem, quia non sunt necessaria simpliciter ad iustificationem hominis; posset enim per extrinsecam Dei beneuolentiam iustificari, & acceptari ad gloriam sine reali mutatione sui: ergo similiter persona diuina mitti posset ad hominem sine aliquo dono extrinseco: sed Spiritus sanctus v.g. est donabilis, & missibilis per se se: ergo potest donari, seu mitti sine gratia creata, quæ est illi extrinseca.

Gregor.

7. Dico tamen quando personæ diuinæ mittuntur ad creaturam rationalem non solùm dona creata, sed ipsæmet increatæ personæ dantur creaturis, ibique incipiunt inuisibiliter habitare nouo modo. Ita contra primam sententiam, quam S. Thomas hic art. 3. vocat errorem, tenent communiter Patres, & Theologi Ambrosius, Augustinus, Alensis, Durandus Cumel hic art. 3. disp. 1. Suarius lib. 12. cap. 5. num. 8. & alij. Probatur primò ex Scriptura Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum*; & infrà *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Item Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Vbi manifestè distinguitur donatio Spiritus sancti ab infusione charitatis. Idem habetur 1. Cor. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis*. Ad Gal. 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra*. 1. Ioan. 5. *Qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo*. Vnde Leo magnus Serm. 2. Pentecost. dicit Spiritum sanctum fuisse datum non solùm secundum virtutem & operationem, sed etiam secundum præsentiam maiestatis: Quæ locutiones, & aliæ similes, quas expendunt Molina hic art. 3. concl. 3. & Suarius supra, verificari non possunt per solam infusionem gratiæ creatæ: ergo fatendum est personas diuinas etiam mitti.

Ambros. Augustinus. & alij. Suarez. Ioan. 14. Rom. 5. 1. Cor. 3. Galat. 4. 1. Ioan. 5. Leo. Molina. Suarez.

8. Probatur secundò; nam alioqui non subsisteret vera ratio missionis, quia dona creata non possunt dici mitti, cùm non habeant terminum *à quo* positiuum, vnde progrediantur ad nouum locum, vel modum præsentiæ: Sed persona diuina est, quæ mittitur: illa ergo debet dari secundùm substantiam, & sic exire, vel emitti à producente ad nouum terminum, seu modum præsentiæ, vt incipiat inhabitare nouo modo in creatura rationali.

Quis autem sit iste modus quo persona diuina dari dicatur vltra dona sua, & habitare denuò in creaturis ad quas mittitur, vix explicari posse fatetur Cumel suprà. Plerique desudant, non tamen omninò satisfaciunt fundamento contrario adducto suprà num. 2. Quidam enim dicunt in sanctificatione hominis vniri specialiter animam Spiritui sancto, qui ratione talis vnionis incipit ibi adesse nouo modo; sicut persona Verbi in humanitate assumpta ratione vnionis hypostaticæ: sed non explicant, quæ sit illa vnio animæ ad Deum, aut vnde habeat talem vim; ad summum enim erit vnio affectiua, quæ non exigit præsentiam realem, sed solùm intentionalem vnitorum. 9. Cumel.

Alij dicunt dari diuinam personam quatenus ibi operatur aliquos effectus gratiæ. At hoc non transcendit modum existendi Dei in creaturis per potentiam, qui vel non dicit realem præsentiam secundum substantiam cùm possit Deus etiam in distans operari, vt probabiliter opinantur quamplures, vel saltem dicit modum aliquem ex illis tribus communibus, nec addit nouum modum præsentiæ diuinæ diuersum ab illis; & quidem si sola operatio sufficeret ad missionem, posset mitti Deus ad creaturas irrationales, etiam sine vnione hypostatica, & ad peccatores, & ad Dæmones aliquid miraculosum in illis operando. 10.

Sanctus Thomas hic art. 3. docet specialem modum distinctum ab illis tribus, quo Deus est in creatura rationali, ad quam mittitur, esse tanquam cognitum in cognoscente & amatum in amante: quam doctrinam sic amplectuntur Caietanus ibi, Cumel, Molina & alij, vt sola præsentia obiectiua, seu intentionali videantur contenti: nam aliam non explicant. Ad hoc autem vt Deus cognoscat, & amet iustum, vel cognoscatur, & ametur ab illo, non requiritur præsentia realis, & intima. Christus enim quatenus homo cognoscit & diligit nos, cognoscitur etiam, & diligitur à iustis adhuc distans: ergo solùm arguitur inde, quòd iustus habeat conceptum mentis repræsentantem Deum, & impulsum voluntatis in summum illud bonum. Quod autem habeat ipsas personas diuinas nouo titulo inhabitantes in anima secundū propriam ipsarum substantiam non conuincitur, vt latiùs persequitur Suarius suprà: Qui mihi videtur congruenter explicuisse hunc nouum titulum, & modum præsentiæ realis diuinarum personarum in creatura rationali ad quam mittuntur, videlicet ex vi propria, & natura amoris siue amicitiæ perfectissimæ, quæ inter Deum, & iustos intercedit. 11.

Etenim amicitia ex se petit vnionem inter amicos non solùm per conformitatem affectuum, sed etiam per inseparabilem præsentiam, & coniunctionem quoad fieri possit. Ita ex Aristophane docuit Aristoteles 2. Politicorum cap. 2. post medium, & refert S. Thomas 1. 2. quæst. 28. art. 1. in corpore, & ad 2. Amicissimi fuerunt illi qui à Vulcano petiisse finguntur, igne fornacis ita liquefieri, & elaborari, vt in vnum, & eundem hominem coalescerent. Amicitia (inquit Nazianzenus) est vna anima duo corpora ferens. & inter amici characteres hic est præcipuus flere 12.

ſæpè cum amico, vel ſi ſit abſens ex dolore, vel ſi ſit præſens ex lætitia. Quapropter amicitia perfectiſſima, qualis eſt diuina, ſuo iure poſtulat intimam Dei præſentiam in homine, quem ſibi conſtituit amicum per realem exiſtentiam intra ipſum ex vi talis amicitiæ; ita vt quamuis per impoſſibile non adeſſet ibi Deus, alio titulo iſte ſufficeret. Et quia hæc diuinæ amicitiæ coniunctio non eſt inter omninò æquales, ſed hominis inferioris ad Deum infinite ſuperiorem, hic manet in inferiori amico, vt rector, tutor protector: Et quia ratione ſupremæ excellentiæ Deus etiam ab amicis colendus eſt, manet ibi, vt in templo viuo, vt in ſede regali, vt in ſolio cæleſti. Sic enim explicant ſacræ Litteræ præſentiam iſtam.

13. Sic intelligendus eſt S. Thomas, cùm dicit manere Deum in ſanctis cognitum, & amatum tiimirùm, non vtcunque, ſed vt amicabiliter, ac per conſequens vt redamans amore amicitiæ, cuius vim explicuit S. Thomas 1.2. quæſt. 28. art. 1. dicens amorem efficere duplicem vnionem, realem, & effectiuam, priorem que dicit eſſe cùm amatum præſentialiter adeſt amanti, & *hanc* (inquit) *facit amor effectiuè quia mouet ad deſiderandum, & quærendum præſentiam amati quaſi ſibi conuenientis*, & affert (Auguſt.) Auguſtinum 8. de Trinit. cap. 10. dicentem quòd *amor eſt velut coniunctura duo aliqua copulans, vel copulare appetens*, exponitque S. Thomas verbum *copulans* referri ad vnitatem affectus, ſed *copulare appetens* pertinere ad vnionem realem.

14. Dionyſ. Vterque ſumpſiſſe videtur ex Dionyſio cap. 4. de diu. nom. p. 2. vbi ex diuino Hierotheo ſecundùm verſionem Ambroſij Florentini ſic ait; *Amorem ſiue diuinum, ſiue Angelicum, ſiue ſpiritualem, ſiue animalem, ſiue naturalem dixerimus, inſitiuam quandam intelligamus, commiſcentémque virtutem ſuperiora quidem mouentem ad inferiorum prouidentiam, æqualia rurſum ad ſocialem ſui inuicem communionem, ac poſtremo loco inferiora, vt ad potiora, & ſublimiora conuertantur adigentem.* Quòd ſi amor vbique adigit amantes ad præſentiam, in Deo quidem vbi efficax eſt ad veram, & ſubſtantialem Dei præſentiam in amico pelliciet, vt iuſtus Deo præſente fruatur, cum illoque præſente communicet, & è contrà. Eleganti metaphora id ſignificauit (Auguſtinus) Auguſtinus 13. de Ciuit. cap. 27. ſumpta ex naturali grauium inclinatione ad exiſtendum realiter in centro. *Amor meus* (inquit) *pondus meum, illo feror quocunque feror:* Sicut enim pondera nituntur in centrum, vt in illo conquieſcant, tanquam in connaturali ſibi loco, ſic amicus in amico vellet ſi poſſet conquieſcere, illique quam arctiſſimè non ſolùm obiectiuè, ſed etiam ſubſtantialiter copulari, nam, vt ait (Bernard.) Bernardus de præcepto, & diſpenſatione, *Non eſt præſentior Spiritus noſter, vbi animat, quàm vbi amat; niſi fortè magis putetur eſſe vbi vinctus ex neceſſitate tenetur, quàm quo ſponte, & alacri fertur voluntate.* Igitur quia Deus perfectè amat quos ſanctificat, & quod intendit efficaciter aſſequitur, ideò ex vi talis amoris vnitur iuſtis ſecundùm præſentiam realem.

15. Hinc ſoluitur fundamentum primæ ſententiæ, & contra ſecundam, & tertiam liquet admiſſionem diuinarum perſonarum requiri de potentia ordinaria, & iuxta communem huius eleuationis prouidentiam, mutationem realem creaturæ rationalis, ad quam fit miſſio, non quamcunque, ſed per hæc dona, quæ gratiam ſanctificantem, & charitatem includunt, quia ſine his donis non contrahitur amicitia vera inter Deum, & hominem, & ſine tali amicitia non datur terminus *ad quem* diuinæ miſſionis, cùm non detur nouus modus, aut titulus exiſtentiæ diuinæ in creatura rationali.

16. An autem non ſolùm per primam infuſionem gratiæ, ſed etiam per quodlibet eius augmentum fiat miſſio? Variè opinantur Doctores, quos refert (Suarez.) Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 5. num. 16. & ipſe cenſet quando gratia non ſolùm augetur intenſiuè, ſed extenſiuè ad peculiares effectus, & actus vel eiuſdem gratiæ ſanctificantis, vel gratis datæ, vel ſpecialis poteſtatis ſupernaturalis, vt ſpecialiter ſanctificetur perſona in ordine ad tales actus, tunc ad illam fieri propriiſſime miſſionem, etiamſi talis perſona priùs ſancta fuerit. Sic facta eſt miſſio ad Apoſtolos octauo die poſt reſurrectionem Ioan. 20. & die Pentecoſtes, vt exponit Leo Papa ſerm. 2. de Spirito S. Sic etiam fit per Sacramenta, quæ ſanctificant hominem in ordine ad peculiares actus, dando ſimul ſpecialia auxilia, & gratias Sacramentales.

17. Imò per omne augmentum ſolius gratiæ ſanctificantis fieri miſſionem docet S. Thomas hic art. 6. ad 2. & (Durand.) Durandus in 1. diſt. 15. quæſt. 4. Ratio patet ex dictis, quia ſicut ille homo nouum accipit gradum gratiæ, ſic perſona diuina incipit ſibi adeſſe nouo titulo: quilibet enim gradus gratiæ eſt de ſe ſufficiens, vt ſecum afferat diuinam præſentiam ſubſtantialiter. Vnde quod antea ſit ibi eſt quaſi per accidens. Præter hæc autem, ſolam collationem noui doni non ſanctificantis, vel nouæ gratiæ gratis datæ, vel nouæ reuelationis factæ viatori, vel beato, vbi gratia non augetur, non ſufficere ad propriam miſſionem inuiſibilem diuinæ perſonæ docet Suarius, & conſtat ex dictis.

18. An verò poſſit fieri de potentia abſoluta miſſio inuiſibilis ſine vlla mutatione intrinſeca creaturæ, ad quam tendit, & ſine vlla collatione doni creati? Negandum eſt cum (Molina.) Molina hic art. 3. in fine, & cum (Suarez.) Suario ſuprà num. 3. quoniam amicitia vera, & perfecta hominis cum Deo non datur per ſolam acceptationem extrinſecam Dei, & per conſequens ſine noua infuſione gratiæ iuſtificantis non intelligitur Spiritus ſanctus ſpecialiter exiſtere nouo titulo in homine: Amicitia enim aut pares facit, aut inuenit, vt dixit Hieronymus. Quare Deus non dicetur propriam amicitiam contrahere niſi communicata ſanctificatione per gratiam ſupernaturalem, per quam fit creatura rationalis conſors diuinæ naturæ: At ſine tali amicitia non reperitur nouus titulus diuinæ præſentiæ in creatura rationali. Accedit quòd miſſio includit effectum temporalem ad extrà: nam aduentus ſine tali effectu nequit intelligi: ſed ſine vlla mutatione non fit effectus temporalis ad extra: ergo nec datur miſſio diuina.

19. Miſſio viſibilis dicit æternam diuinæ perſonæ proceſſionem, & temporalem ſimul apparitionem ſub aliqua forma ſenſibili, quæ ſignificet interiorem animæ ſanctificationem vel antea factam, & adhuc præſeuerantem, vt quando Spiritus ſub forma Columbæ deſcendit ſuper Chriſtum Dominum, vel ſimul etiam tempore cauſatam interiùs, vt quando miſſus eſt ad Apoſtolos ſub forma linguarum ardentium. Cùm autem ſignum illud repræſentet diuinam perſonam vt præſentem,

præsentem, sequitur ita fieri nouo modo præsentem illam sub tali forma, vt si per impossibile non adesset realiter, & substãtialiter ibi per essentiam potentiam, & præsentiam ad verificationem illius significationis, poneretur ibi realiter secundùm suam substantiam.

20. Hæc visibilis missio diuiditur tertiò in missionem, non solùm ad apparendum, sed etiam ad subsistendum in forma sensibili, qualis est missio Filij terminantis naturam humanam, & apparentis in forma hominis; & in missionem solùm ad apparendum in signo sensibili, qualis est missio
Tertullian. Spiritus sancti: Nam etiamsi Tertullianus lib. de carne Christi cap. 5. putauerit Spiritum sanctum hypostaticè assumpsisse columbam, in qua apparuit: Contrarium tamen est certum: Verbum enim fuit missum, vt author gratiæ per meritum, ad quod requirebatur vnio hypostatica personæ diuinæ cum humanitate, in qua apparuit homo visibilis: At Spiritus sanctus solùm est missus ad præbendum testimonium sanctificationis inuisibilis, ad quod sufficiebat vnio extrinseca in ratione signi, & signati.

21. Quartò demùm, missio visibilis Spiritus sancti diuiditur in missionem sub signo Columbæ qualis apparuit in baptismo Christi; & sub signo
Ioan. 20. nubis lucidæ, qualis apparuit in Transfiguratione; & sub signo flatus Ioan. 20, quando Christus Dominus insufflauit, & dixit, *Accipite Spiritum sanctum*, & sub signo sonitus, & spiritus vehementis, & linguarum ignis, vt in die Pentecostes, de quibus videantur interpretes sacri, quorum magis propria res est.

CAPVT III.

Quibus personis diuinis competat missio.

1. Bonauent. BOnauentura in 1. dist. 15. p. 1. quæst. 3. & 4. censuit ad missionem non esse necessariam auctoritatem in mittente respectu missi, sed solam processionem personæ missæ, non quidem à mittente, sed à quacũque alia, & manifestationem eius in tempore. Quare (inquit) persona procedens potest a seipsa, vel ab alia quacunque mitti, si à seipsa, vel a quacunque alia manifestetur.
Concil. Tolet. XI. Probatur ex Concilio Toletano XI. in confess.
August. fidei, ex Augustino 2. de Trinit. cap. 5. ex Higinio
Higinius. Papa in epistola decretali asserentibus Verbum diuinum misisse seipsum, imò non solùm à Patre, sed ab Spiritu sancto fuisse missum, quod
Isaiæ 48. probat Concilium Toletanum ex eo quod dicitur
Matth. 1. Isaiæ 48. *Et nunc Deus misit me, & Spiritus eius.* Augustinus probat cap. 15. ex Matth. 1. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Propter hæc testimonia secutus est hanc sententiam S. Thomas
Scotus. in 1. dist. 15. quæst. 3. art. 1. Scotus dist. 14. quæst.
Gabriel. Marsilius. 1. 5. *Licet autem;* Gabriel quæst. 1. Marsilius in 1. quæst. 18. per quatuor articulos. Probatur ratione, quia missio includit præter æternam processionem manifestationem temporalem: sed huius manifestationis tota Trinitas est causa: ergo & missionis cuiuscunque personæ.

2. Re meliùs perpensa S. Thomas hîc art. 8. vsus est distinctione quadam; atque ita concedit, vnam personam à qualibet alia mitti posse, si missio solùm accipiatur pro effectu temporali, quia tunc Verbum *mittendi* sumitur impropriè ad extra, secundùm quam fit missio; & sic tota Trinitas mittit personam missam: Si verò sumatur missio strictè, ac propriè, significat etiam directè processionem æternam; & sic verbum *mittere* denotat principium personæ missæ: sic etiam Caietan.
docens Caietanus hic art. 1. Canariensis art. 8. & Canariens.
Ferrara 4. contra Gentes cap. 23. Ferrara.

Dico primò, personam improductam, scilicet 3.
Patrem, mitti non posse. Sic docet Augustinus 4. August.
de Trinic. cap. 20. & lib. 2. cap. 5 aduertit, de Patre Athanas.
nunquam in Scriptura legi quòd mittatur. Athanasius in epistola ad Serapionem, significat nunquam vnam personam venire sine aliis, quia veniunt per operationem, & opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa: Mitti verò vnam personam etiamsi non mittantur omnes, quia non omnes procedunt. Probatur, quia missio inuoluit originem: ergo missio passiua inuoluit originem passiuam, ita vt mitti sit procedere cum relatione ad terminum *ad quem* mitti dicitur: ergo persona quæ non procedit, non potest mitti. 4.

Dico secundò, Filius & Spiritus sanctus mitti possunt, non tamen à seipsis, nec ab alio, quàm a producente. Prima pars constat ex Scriptura, & ex dictis capit. 1. & 2. Vnde sufficienter etiam ostenditur secunda pars conclusionis, quia missio dicit processionem æternam tanquam exitum à termino *à quo*: ergo ab illa sola persona potest Filius, non autem Spiritus sanctus mitti, à qua per originem exit, non ab alia: Et cùm non producatur à seipsa, non poterit propriè mitti à seipsa; multoque minùs ab aliqua creatura, quamuis ista precibus, vel actione aliqua instrumentali, & Sacramentali impellat, & quasi addocat Deum ad sanctificationem animarum, quia missio, sicut & donatio importat quandam authoritatem in mittente, vel donante circa rem missam vel datam. Vnde etiam in humanis, qui rogat alterum vt eat, & applicat instrumenta profectionis, qui exorat, vt donet alter, non dicitur mittere, vel dare.

Illa vera distinctio S. Thomæ multùm enerbaret Scripturæ testimonia, quibus dicitur Filius 5.
mittere Spiritum sanctum quaterùs ex illis probant Patres processionem Spiritus sancti à Filio: nam per illam distinctionem eludi possent. Quare videtur in vsu Scripturæ talis distinctio non esse admittenda, quia semper in sensu proprio Verbum dicit realem processionem missi à mittente; atque sacra Scriptura cum proprietate debet intelligi quando non constat oppositum. Et
quidem Isaiæ 61. dicitur *Spiritus Domini super* Isaiæ 61.
me, eo quòd vnxerit me, ad euangelizandum pauperibus misit me, quod Christus Dominus Luc. 4. explicuit de seipso, scilicet vt homine, vt ibi accipiunt Patres, & vnctio manifestat. Sic Isaiæ 48. explicuit Hieronymus *iuxta fragilitatem carnis assumpta* missum dici Christum à Spiritu sancto, sic Concilium Toletanum, & Higinius ca-
piendi sunt, vt fatetur Molina hic art. 8. & osten- Molina.
dit Suarez suprà cap. 5. Quippe Verbum ipsum Suarez.
diuinum secundùm diuinam naturam simul cum aliis personis misit semetipsum secundùm naturam humanam, Deus hominem. Sic etiam forsan loquitur Augustinus, qui licèt dicat missionem esse operationem diuinam ad extra, non tamen excludit processionem, quam sæpe alibi docet in missione significari. Sic quoque soluenda sunt, quæ cap. 1. pro prima, secunda, & tertia sententia fuerunt adducta.

Ex dictis fit primò, missione inuisibili nun- 6.
quam mitti Filium sine Spiritu sancto, nec è contra

contrà Spiritum ſanctum ſine Filio, vt docet S. Thomas hic art. 5. & 7. quia non mittuntur inuiſibiliter, niſi ratione amicitiæ initæ cum iuſtis, quæ præter vnionem affectiuam exigit realem præſentiam. Sed hæc omnia communia ſunt omnibus perſonis, & ita omnes dicuntur venire Ioan. 14. licèt enim Pater non mittatur, quia non procedit, Filius autem, & Spiritus ſanctus, qui procedunt, verè dicuntur mitti. August. Auguſtinus 4. de Trinit. cap. 20. & 21. dicit Filium ſpecialiter mitti ſecundùm dona intellectus, Spiritum ſanctum ſecundùm dona voluntatis, ſed hoc per antonomaſiam intelligendum erit, ſeu per appropriationem: nam in re quoties ea dona connectuntur cum amicitia inita inter Deum, & hominem, vtramque perſonam denominant miſſam ratione dicta, ſine tali verò amicitia nulla dona ſufficiunt ad inuiſibilem miſſionem.

7. Fit ſecundò quare miſſio non ſit eſſentialis, ſed notionalis, quia licèt omnes diuinæ perſonæ operatæ ſint, humanitatem Chriſti Domini, & vnionem hypoſtaticam, ſola perſona Filij terminauit eandem; atque ideò Filius factus eſt ſpeciali titulo præſens illi. Tota Trinitas operata fuit operationes Spiritus ſancti, ſolus tamen Spiritus ſanctus ſpeciali titulo præſens adfuit, quia ſolus per tale ſignum repræſentabatur, vt præſens. Vnde fallitur Corduba lib. 1. Quæſtionarij quæſt. 41. dum exiſtimat, nunquam vnam perſonam productam mitti ſine alia, niſi ſola appropriatione, quaſi ratione actionis ad extra, quæ communis eſt, attribueretur perſonis huiuſmodi viſibilis miſſio, & non potiùs ratione repræſentationis, & ſignificationis, vt de his viſibilibus miſſionibus dictum eſt, & docent Auguſtinus, S. Thomas, & alij. Ceterùm in viſibilibus miſſionibus licèt non mittatur Filius ſine Spiritu ſancto, nec è contra, adhuc miſſio eſt notionalis cùm includat origines, & nequeat Patri conuenire paſſiuè, ſed actiuè, ac Spiritui ſancto per oppoſitum non actiuè, ſed ſolùm paſſiuè. Vtinam omnibus & ſingulis perſonis diuinis cedat in honorem, & gloriam quod de omnibus, & ſingulis pro modulo noſtræ paruitatis digeſſimus. Corduba.



LIBER



LIBER TERTIVS,

DE ANGELIS.

PROOEMIVM.

NATVRÆ purè intellectuales, ſpirituales, intelligentiæ, ſcilicet completæ, ſeu ſeparatæ, concretionis omnis, & materiei expertes, nobiliſſimæ creaturarum, non pauca ſortiuntur prædicata cum noſtris animis communia, quæ ſubinde naturali diſcurſu poſſint dignoſci: Nec inter cæcas Ethniciſmi tenebras ſolertiores Philoſophos omninò latuerunt. Quapropter vtraque Theologia, naturalis videlicet, & diuina in Angelorum ſubſtantiam facultates, actiones exponendas conſpirant. Nos ea præſertim, quæ ex reuelatione diuina, & ſanctorum Patrum oraculis, & Theologorum doctrina dimanarunt, proſequemur: Cetera Philoſophorum placita de ſubſtantiis ſeparatis, de motoribus orbium cæleſtium, de dæmonibus malis, & bonis parciùs attingemus.



QVÆSTIO L. S.Thomæ.

De ſubſtantia Angelorum.

POSTQVAM S.Thomas vſque ad quæſtionem 43. huius primæ partis egit de Deo, vt eſt in ſe vnus, & Trinus, diſputauit à quæſtione 44. de Deo, vt eſt efficiens principium rerum omnium, ac ſubinde tractauit de creaturarum emanatione à Deo, ac de ipſarum generali diſtinctione. Iam ab iſta quæſtione 50. diſſerit de particulari creaturarum productione, ac diſtinctione. Cúmque in hac rerum vniuerſitate præcipuæ creaturæ ſint Angeli, ab iſtorum exorditur productione; Atque in Angelica natura explananda cum proprietatibus, perfectionibus, meritis, ac demeritis adiunctis vſque ad quæſtionem 64. immoratur, Primùm Angelorum ſubſtantiam, deinde intellectum, & voluntatem, eorundem creationem, bonorum gratiam, & gloriam, aliorumque peccatum, & pœnam proſecutus.

* * *

ARTIC. I.

Vtrùm Angelus ſit omninò incorporeus.

COnclusio affirmat tum dari Angelos, contra Saducæos, tum Angelos eſſe ſpirituales omnino. Primum probat S. Thomas, quoniam ad perfectionem vniuerſi pertinet, vt in illo ſit talis participatio Dei, qualis in creatura purè ſpirituali, ac intellectuali reperitur. Vnde colligitur ſecundum: nam intelligere non poteſt eſſe actus corporis.

ARTIC. II.

Vtrùm Angelus ſit compoſitus ex materia & forma.

COnclusio negat. Ratio ferè eſt eadem articuli præcedentis, quam ſic format S.Thomas. Impoſſibile eſt quòd ſubſtantia intellectualis habeat qualemcunque materiam: nam operatio cuiuſlibet rei eſt ſecundùm modum ſubſtantiæ illius; intelligere autem eſt operatio prorſus immaterialis, quod appatet ex ipſius obiecto, à quo quilibet actus recipit ſuam ſpeciem & rationem: ergo Angelus ex nulla materia conſtat.

ARTIC. III.

Vtrùm Angeli sint in aliquo magno numero.

Conclusio asserit Angelos excedere multitudinem omnem materialem. Ratio est, quia cùm Deos potissimum intendat in rerum molitione perfectionem vniuersi; quantò aliqua sunt magis perfecta, tantò creata sunt in maiori numero.

ARTIC. IV.

Vtrùm Angeli differant specie.

Conclusio. Sic differunt specie omnes, vt impossibile sit dari duos Angelos eiusdem speciei. Rationem reddit S. Thomas, quia non habent materiam penes quam deberet sumi distinctio numerica.

ARTIC. V.

Vtrùm Angeli sint incorruptibiles.

Conclusio affirmat Angelos secundùm suam naturam incorruptibiles esse, quia sunt immateriales: Nihil enim corrumpitur, nisi per hoc quod forma eius à materia separatur.



DISPVT. I.

De Angelorum natura.

Ambros. & alij.



ANgelvs Græcè ἄγγελος nomen est officij, non naturæ, teste Ambrosio in cap. 1. Epistolæ ad Hebræos, Hilario, Isidoro, & alijs, nam Græcè ἄγγελος Latinè *Nuncius* dicitur: Sicut *homo* nomen est naturæ, *miles* verò nomen est officij: sic eos, qui iam erant spiritus ex sua natura, & conditione facit Deus
Psal. 103. Angelos Psal. 103. mittendo illos ad nuncianda quæque voluerit. Sic ratione muneris Ioannes
Malach 3. Baptista dicitur Angelus Malac. 3. & Matth. 11.
Matth 11. Sacerdotes vocantur Angeli Malach. 2. Apoc. 1.
Apoc. 1. 2. 3. 2. 3. Imò Christus Dominus Isaiæ. 9. dicitur ma-
Isaiæ. 9. gni consilij Angelus, & Malac. 3. Angelus Te-
Augustinus. stamenti; additque Augustinus 2. de Trinit. c. 13. Spiritum sanctum dici posse Angelum, quia de
Ioan. 16. illo scriptum est Ioan. 16. *Quæ ventura sunt an-*
Dionys. *nunciabit vobis.* Ceterùm Dionysius de cælesti Hierarch. cap. 4. rectè docet cælestes spiritus ideò præ omnibus Angelicum cognomen meruisse, quòd cùm in eos primò diuinæ claritatis fulgor emanet, ipsi postmodum in nos enuntiationes illas sublimiores supernè traiiciunt; quo sensu frequentiùs reperitur hoc nomen in Scriptura Psal. 103. Heb. 1. Actor. 23. & alibi sæpè. Itaque licèt nomen Angelus ex vi suæ significationis non significet substantias incorporeas, eáque de causa nunquam ab antiquis Philosophis tali nomine nuncupentur, sed vel substantiæ separatæ, vel intelligentiæ dicuntur à Peripateticis, à Platone verò vocantur interdum Dij secundarij, nonnunquam animæ cælorum, & astrorum. Platonicique bonos Angelos Dæmones, id est, sapientes, malos autem cacodæmones, id est, malos Dæmones appellant; Verumtamen ex consuetudine Scripturæ, Patrum, ac Doctorum iam nomen *Angelus* accommodatum est ad significandas eas substantias creatas, & completas, quæ sint omninò spirituales, & intellectuales, in quo sensu deinceps hanc vocem vsurpabimus, dum Angelorum naturam, & proprietates inquirimus.

CAPVT I.

An Angeli sint corporei.

1. Athei, qui Deum negant, consequenter negabunt dari Angelos, quia nihil præter hæc corporalia, & hominem esse in mundo arbitrantur. Fuerunt etiam antiqui Philosophi, qui nihil esse putabant præter corpora, vt refert
Aristot. Aristoteles 1. Physic per varia capita, & lib. 4. text. 52. & 67. & lib. 1. Metaph. Quorum er-
S. Thom. rorem (vt notat Sanctus Thomas opusc. 13. cap. 1.) secuti sunt Saducæi; dicebant enim (vt refertur Act. 23.) nec Angelum, nec Spiritum esse Vbi Chrysost. Oecumenius, Theophylactus, Carthusianus, & alij dicunt, Saducæos vniuersaliter negasse dari rem spiritualem, etiam Deum ipsum, sed quidquid senserint de Deo, de Angelis certè non constat, an negauerint omninò illos esse, an ideò dicantur negasse, quia non spirituales, sed corporeos esse putarunt, quos Scriptura
Theophy. vocat Angelos: nam qui negat Angelos incorporeos, re ipsa veros Angelos negat; Vnde Theophylactus ibi idem fuisse putat, negare Angelos, quod negare spiritus esse.

2. In eodem errore fuit Tertullianus teste Isidoro
Tertullian. l. 8. Etymol c. 5. sumiturque ex l. de carne Christi
Isidorus. c. 6. licèt enim Pamelius ibi paradoxo. 2. reuocet
Pamelius. hoc in dubium, tamen cùm alibi sæpe Tertullianus Deum ipsum faciat corporeum, indéque deducat, animam rationalem esse corporeã, vt idem Pamelius latè refert paradoxo 4. 7. & 15. nõ videtur dubitandum, quin de Angelorum natura idẽ existi-
August. matir; quod illi tribuit Augustinus epistola 156. ad Optatũ, & l. 1. de Genesi ad litt. c. penultimo, & vltimo vbi de Tertulliano sic ait. *Timens ne nihil esset, si corpus nõ esset, nec de Deo valuit aliter sapere.*

3. Secunda sententia fatetur Deũ esse incorporeũ; at nihil creatũ putat incorporeum esse: Vnde Angeli, nec incorporei esse, nec partem aliquam, siue formam incorpoream habere possunt; quia quidquid habent creatum est. Sic tradidisse videntur
Hilarius. Hilarius canon. 5. in Mat. Elias in orationẽ primã
Nazianz. Nazianzeni. 5. *Nihil enim mihi* Cassianus colla-
Cassianus. tione 7. c. 13. dicens, *Licèt pronuntiemus nonnullas esse spirituales naturas, vt sunt Angeli, anima nostra & aer subtilis; tamen incorporea nullatenus existimãda sunt; habent enim secũdum se corpus quo subsistunt*, & adducit verba Pauli 1. Cor. 15. dicentis
1. Cor. 15. esse corpora cælestia, & terrestria corpus animale & corpus spirituale: *Quibus (ait) manifestè cõcluditur nihil esse incorporeũ nisi solum Deũ.* Simile quid habetur in l. de Ecclesiasticis dogmatibus c. 11 &
Mac sen. 12. cui videtur adhæsisse Macharius senior. tom. 4.
Ioan. Thess. Biblioth. homilia 4. Imò Ioãnes Thessalonicensis relatus in VII. Synodo act. 5. inde probat, Angelos posse depingi, quia corporei sunt, quod etiã sẽsit de anima rationali: quare planè intellexit illos esse omninò corporeos; cui sententiæ videtur annuisse tota Synodus, siquidẽ respõdit. *Etiã Domine.*

Biblioth.PP. *mine.* Denique tom. 4. Biblioth. habetur libellus Fausti cuiusdam intendentis probare nihil incorporeum inesse creaturis, ac subinde Angelos esse corporeos, non tamen affert magni ponderis argumenta; præcipuum est, Quòd Angeli, & animæ sunt locales, id est, intra certos loci terminos inclusi, & consequenter circumscripti.

4. Tertia sententia docet Angelos esse corporeos, non quia nihil spirituale habeant, sed quia sine corporibus non subsistunt, etiamsi constent etiam spiritu. Origen. Sic tenuit Origenes in Periarchon: nam in proœmio dicit Dæmones habere corpora subtilia, & tenuia velut auram; & lib. 1. cap. 7. ait astra esse animata, illisque insetium spiritum. Et lib. 2. cap. 2. generaliter reputat impossibile, *penitus incorporeas remanere rationabiles naturas, sed necesse est* (ait) *eas semper coniunctas esse corporibus.* Cæsarius. Basilius. Sequitur Cæsarius Dialogo 1. post medium in fine operum Nazianzeni. Fauet Basilius lib. de Spiritu sanctò cap. 16. & super cap. 13. Isaiæ circa illa verba. *Omnis anima hominis expauescet.* Vbi significat Angelum esse compositum ex anima, & corpore. Accedit Athanasius lib. de communi essentia Patris in fine, definiens Angelum esse animal rationale expers materiæ, hymnis dicendis aptum, immortale.

5. August. Ex Patribus Latinis Augustinus in lib. 83. quæstionum quæstione 47. tribuit sanctis Angelis lucidissima, & ætherea corpora. Quem locum recognoscens lib. 1. Retractat. capite 26. non retractat quod de Angelis dixerat. Consonat libro 3. de Trinitate capite 10. & libro 3. de lib. arb. & epistola 111. & 115. & super Psal. 85. versu 13. ait corpus nostrum in gloria futurum esse, qualia sunt corpora Angelorum. Item lib. 7. de Genesi ad litt. capite 17. tribuit Dæmonibus corpora subtilissima, & libro 3. capite 10. vocat eos aërea animalia, quia corporum aëreorum natura vigent. Videatur etiam libro 9. de Ciuit. Rupertus. Dei capite 12. & 13. & libro 11. capite 23. sequitur Rupertus libro 1. de Trinitate, & operibus eius in Genes. cap. 1. & libro 1. de Victoria Claudianus. Verbi capite 28. Latè Claudianus libro 3. de statu animæ circa medium tom. 4. Biblioth. impugnando Faustum suprà relatum, docet Angelos non esse prorsus incorporeos, sed mistos, seu Bernard. compositos ex corpore. Fauet Bernardus libro 5. de considerat. capite 4. licèt sermone 5. in Cantica proponens quæstionem istam dicit Patres in ea sentire diuersa, & se, quid verius sit, ignorare. Nec desunt aliqui moderni: tenent enim istam Eugubinus. sententiam Eugubinus libro 8. de perenni Philosophia capite 27. 30. & 41. Vbi citat plures Nyphus. Philosophos, Nyphus libro 3. de Dæmonibus Franc. Geor. Caietan. capite 3. Franciscus Georgius libro 1. problem. capite 57. & 74. & libro 6. capite 330. Caietanus in capite 2. epistolæ ad Ephes.

6. Genes. 6 Probatur primò ex illo Genesis 6. *Cùm ingressi essent filii Dei ad filias hominum:* nam antiqua lectio LXX. Interpretum vertebat *Angeli Dei*, quare multi Patres, sic legentes de propriis Angelis locum intelligunt, indeque colligunt Angelos habere corpora, quibus cognoscere fœminas, & Gigantes gignere potuerunt. Ita sensit Tertullianus multis in locis, quæ congerit Pamelius in paradoxa 1. citans pro eadem interpretatione Iustinum, Clementem Alexandrinum, Athenagoram, Methodium, Eusebium, Cyprianum, Iosephum, & Lactantium, qui lib. 2. diuin. Instit. Lactantius. cap. 4. tradit, Angelos illos fuisse cælestes missos ad hominum custodiam, à Dæmonibusque deceptos in concupiscentiam fœminarum exarsisse, atque ob istud peccatum detrusos fuisse in infernum. Irenæus verò l. 4. cap. 70. fabulis istis omissis, solùm dicit Angelos transgressores commistos fuisse fœminis, eodemque modo loquuntur alii. Irenæus. Astipulatur Ambrosius lib. de Noe, & Arca. Ambros. cap. 4. & lib. 1. de Virginibus. Consentiunt ex Philo. Hebræis Philo lib. 4. de Gigantibus & Ioseph. l. 1. Iosephus. Antiquit. cap. 4. alias 5. Videatur Molina hic a. 1. Molinas.

Probatur secundò ex Apostolo Hebr. 1. ibi. 7. *Omnes sunt administratorii Spiritus.* Quippe non Hebr. 1. essent apti ad hoc ministerium, si non essent corporei, qui non possunt huc, illucque discurrere, ingredi, & egredi, loqui, & tangi, videri, depingi, & similia, quæ tribuuntur Angelis in Scriptura, vt arguit Bernardus dicto sermone 5. Confirmatur: Bernard. nam Dæmones dicuntur rebus sensibilibus delectari, vt odoribus, & similibus; sicut ex antiquis Philosophis referunt Augustinus 8 de Ciu. August. cap. 16. & lib. 9. cap. 16. & lib. 10. cap. 11. Cyrillus Cyrillus. lib. 4. contra Iulianum, Theodoretus lib. 3. & Theodor. 7. Græcarum affectionum. Hæc autem sine corporibus sentire Dæmones non possent. Probatur tertiò argumento Caietani; quoniam ad complementum vniuersi pertinet, vt sicut in eo dantur gradus viuentium sine sensu, & sentientium sine motu locali proprio; & sentientium, ac se mouentium sine ratione, ac cum ratione; sic etiam detur gradus animantium, & intelligentium, ac se localiter mouentium sine sensu. In hoc ergo ordine constituendi sunt Angeli.

Certū tamen est dari substantias creatas intellectuales, & incorporeas homine superiores, quas 8. Angelos appellamus. Ita iam sentiunt omnes Catholici, & probant Scripturæ, quæ sæpiùs Angelorum meminerunt. Sed conclusionem nostram sigillatim per partes confirmemus. Primò substātias illas, quas Scriptura vocat Angelos bonos, vel malos de facto reperiri constat quoad sanctos Angelos ex Iob. 12. Math. 18. 1. ad Tim. 5. & alibi sæpè: Quoad malos verò Leuit. 18 & Deut. 32. Iob. 12. Math. 18. 1. Tim. 5. vbi vocantur Dæmonia, Iob. 3. & sequentibus, Leuit. 18. mentio fit Asmodæi. Denique Christus Dominus Deut. 32. eiusque Discipuli multos spiritus immundos de Iob. 3. corporibus hominum eiecerunt, & aliquando integram legionem Dæmoniorum. Non solùm Scripturę, sed etiam Patres, imò & Ethnici Philosophi vnanimi ferè consensione Angelorum existentiam tradiderunt. Mercurius Trismegistus, Or- Merc. Tris. & alij. Eth. phæus, Homerus, Hesiodus, Thales Milesius, Pythagoras; Xenocrates, Chrysippus, Socrates, Plato, Aristoteles, vt erudite prolatis sacris & prophanis testimoniis demonstrat noster Bubalus in hac Bubalus. quæstione 50. art. 1. quæsito 1. Quando verò sanctus Thomas quæst. 16. de malo art. 1. dicit negari Dæmones à Peripateticis, vel nondum plenissimam veterum Peripateticorum notitiam adeptus fuerat; vel loquitur de recentioribus, apud quos forsan tunc vigebat talis existimatio; vel negasse dicit Dæmones, quales nos asserimus, scilicet propter culpam à cælo deiectos, & factos hostes generis humani.

Secundò Creaturas istas esse intellectualis 9. naturæ, docet etiam fides: nam sacræ litteræ proprietates illas tribuunt, & actiones, quæ non nisi creaturis intellectualibus possunt conuenire. Prima est videre Deum, Math. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Math. 18. Vnde colligit Bernardus lib. 5. de considerat. cap. 4. Bernard.

Angelos intellectu præditos esse. Secunda est, laudare Deum, quod passim Scriptura tribuit Angelis; Tertia est, custodire homines Psal. 90. Matth. 4. ad quam etiam pertinet dirigere, defendere, illuminare, docere, loqui, vt Zachar. 1. Zach. 1. *Et dixit Angelus qui loquebatur in me.* Hæc autem, & similia, quæ in sacris litteris sæpè leguntur sine intellectu reperiri non possunt. Quarta est peccare, fierique pœna dignum 2. Pet. 2. 2. Pet. 2. *Angelis peccantibus non pepercit.* Vnde pariter deducitur Angelis inesse liberum arbitrium, sine quo nec malè agitur, nec rectè viuitur, indeque manifestè concluditur eorum intellectualis natura: nam arbitrij libertas in ratione fundatur.

10. Tertiò, Angelos esse substantias spirituales ita vt nec sint totaliter corporei, nec in sua connaturali, & intrinseca constitutione substantiali componantur ex corpore, & spiritu, ferè certum est isto tempore, propter communem Ecclesiæ consensum cum definitione ferè manifesta, & in Scriptura & in Patribus fundata. Probatur primò ex Scriptura, in qua Angeli frequenter vocantur spiritus; nomen autem *spiritus* propriè sumptum rem incorpoream significat, iuxta illud Ioan. 4 *Spiritus est Deus.* Ex Lucas Actor. 23. Ioan. 4. Act. 23. pro eodem reputat negare spiritum, atque negare Angelum: ergo nomen istud non est à sua proprietate extrahendum, nisi circumstantia loci cogat, quæ necessitas in talibus testimoniis non inuenitur. Maior constat Actor. 8. Hebr. 1. Act. 8. Hebr. 1. Apoc. 1. & 5. Matth. 8. & 10. Luc. 10. & 11. Apoc. 1. & 5. Matth. 8. & 10. Luc. 10. & 11.

11. Conc. Lat. III. Probatur secundò ex Concilio Lateran. III. & refertur in cap. firmiter de summa Trinit. Vbi dicitur, *Deus simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.* Vnde colligitur primò Angelos esse creaturas spirituales, id est, incorporeas: distinguuntur enim à corporalibus. Colligitur secundò, Sicut corporales creaturæ condistinctæ ab hominibus omninò corporales sunt, & non mixtæ ex spiritu, & corpore; Ita è contrario Angelos vt distinctos tam ab hominibus, quam à tota mundana creatura esse puros spiritus, & non compositos ex corpore, & spiritu. Tertiò, reprobatur inde sententia Ruperti, & aliorum dicentis Angelos fuisse factos ex aëre: nam Concilium apertè definit esse creatos ex nihilo. Adde Concilium sub creatione creaturæ corporalis comprehendere aërem, quantumuis subtile corpus, & inuisibile sit, & per consequens Angelos vocari spiritus, prout spiritus distinguitur à vento, & ab omni corpore quantumuis tenui, ac inuisibili, proindeque esse propriè spiritus incorporeos.

12. Carranza. Nihilominus Carranza in annotatione ad septimam Synodum actione 5. sentit prædicta verba Lateranensis vim definitionis non habere. Canus. Idem docent Canus lib. 5. de locis cap. 5. q. 4. Sixt. Senens. in fine, Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. annotatione 8. & alij Moderniores: Quasi mens Concilij directè fuerit definire, Deum esse rerum omnium auctorem, & reliqua dixerit obiter amplectendo communiorem sententiam. Quo pacto excusant illos, qui post Concilium Lateranense senserunt contrarium. Potest tamen expendi Concilium sic incœpisse. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur,* Et quidquid sub his verbis de Dei substantia, & attributis, ac Trinitate docet, esse quidem dogma fidei: postcà verò de Dei operatione subiungit. *Vnum vniuersorum principium creator omnium spiritualium, & corporalium, quæ similiter habentur de fide, eodémque tenore prosequitur dicens. Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam,* &c. In quibus etiam verbis, quòd Deus ex nihilo spiritualem substantiam condiderit, & quòd homo constet spiritu, & corpore, ad fidei definitionem spectant; sicut etiam quòd immediate subnectit. Dæmones nõ natura, sed à se malos esse Fidei dogma est. Mirum ergo videri potest, quòd solùm pauca illa verba interposita de distinctione Angelicæ naturæ à corporea, & à composita ex corpore & spiritu obiter tantùm, & non sub eadem certitudine dicta credantur. Vnde liceat saltem inferre quanta foret temeritas tantæ auctoritati se opponere, aut per voluntariam interpretationem illam eneruare.

Probatur tertiò ex Patribus. Dionysius de 13.
cælesti Hierarchia cap. 1. & . atque de diu. nom. Dionys.
cap. 4. variis loquendi modis hanc veritatem insinuat. Quòd si quarta parte illius capitis, *Dæmonibus (ait) est furor irrationabilis, demens concupiscentia, imaginatio praceps, atque proterua,* metaphoricè locutus est ad significandam inordinationem, quam habent in operationibus & affectionibus, qui passionibus illis appetitus in voluntate respondent: similiter eorum inordinatas cogitationes intellectuales nomine phantasiæ, vel imaginationis significauit, vt tandem docuit S. Thomas quæst. 16. de malo art. 1. ad 3. consentiunt Nazianzenus oratione 34. quæ est 2. de Theologia, Nyssenus lib. de oratione Dominica, & lib. de vita Moysis, Chrysostomus homil. 22. in cap. 6. Geneseos, & homil. 44. in Matt. Cyrillus lib. 3. in Genes. & lib. 4. in Ioan. cap. 10. Theodoret. quæst. 20. & 47. in Genes. Dydimus lib. 1. de Spiritu sancto, Damascenus lib. 1. de fide cap. 17. & lib. 2. cap. 3. Leo Papa epistola 93. ad Turibium cap. 6. Hilarius lib. 8. de Trinit. circa finem. Ambrosius ad Hebr. 1. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 29. & lib. 2. Moral. cap. 5. & lib. 4. cap. 8. Richardus Victorinus lib. de Trinit. cap. vltimo. Quorum testimonia & sensus expendit noster Bubalus hic quæsito 3. difficultate 1. S. Thom. Nazianz. Nyssenus. Chrysost. Cyrillus. Theodoret. Dydimus. Damasc. Leo Papa. Hilar. Ambros. Gregor. Rich Vict. Bubalus.

Probatur quartò communi Scholasticorum 14.
consensu, qui magni ponderis est, quando vel nullo, vel ferè nemine dissentiente in aliqua Theologica veritate concordant; ita verò contingere in præsenti constat ex S. Thoma hîc art. 1. & 2. & quæst. 51. art. quibus in locis idem tradunt Caietanus, & omnes alij expositores. Caietan. Idem docent Magister, & cæteri Scholastici in Magister. 2. dist. 8. Albertinus 2. part. summæ tract. 2. quæst. 6. Alensis Antissiodorensis, & vniuersi Recentiores. Albertinus. Alensis Antissiodor.

Quartò Angelos in gradu intellectuali esse 15.
homine perfectiores quoad naturam, receptissimum est, & probatur ex Psalm. 8. vbi Psalmista de homine loquitur, quem dicit fuisse minoratum ab Angelis vtique in natura, & ideò paulò minùs: nam in gratia, & gloria præ Angelis honoratur. Paulus verò Hebr. 2. docuit Hebr. 2. hæc verba, licèt dicta sint de tota specie humana, per antonomasiam de Christo esse capienda, qui ratione humanæ naturæ dicitur ab

Angelis

Suarez. 1.Petr.2. Angelis minoratus; euasiones præcludit Suarez
lib. 1. de Angelis cap. 2. oum. 4. & 5. Prætereà
Petrus epistola 2. cap. 2. dicit Angelos fortito-
dine, & virtute esse maiores homine: Loquitur
autem de malis Aogelis. Vnde non nisi de perfe-
Iob.41. ctione naturæ loquitur. Iob 41. de Sathana di-
citur. *Non est super terram potestas, quæ compa-
retur ei.* Sicut ergo potestate, sic naturæ per-
fectione homines excellit. Similiter loquitur
Sctiptura frequenter de Angelis tanqoam de
rebus altioris ordinis supra totum mundum
sensibilem, & super omnes homines: Atque
ita veritas hæc omnium Patrum coosenso reci-
pitur.

16. Repugnat tamen Gregorius Venetos in har-
Gregor. moooia mundi tom. 3. cant. 3. cap. 2. refert-
Ioan.Arbor. que Ioaonem Arboreum lib. 1. Theosophiæ
vbi ait homines noo solùm gratia, sed etiam
potentia, & natura esse Angelis superiores,
putans semper gratiam ptoportionari naturæ,
August. quod falsissimum est. Pates verò Angelis ho-
mines facere videtur Augustinos lib. de quan-
tit. animæ cap. 34. dicens. *Quemadmodum
fatendum est, animam humanam non esse Deum,
ita præsumendum nihil inter omnia, quæ creauit,
Deo esse propinquius:* Et iofrà dicit, *aliquid esse
deterius anima hominis, scilicet animam bruti,
aliquid par, vt Angelus, melius autem nihil.* Et
lib. 3. de lib. arb. cap. 11. ait animas ratio-
nales superioribus potestaribos esse officio im-
pates, natura verò pares; & lib. 83. quæstio-
nom qoæstione 54. inquit. *Nihil est melius ratio-
nali anima nisi Deus,* Idem repetit lib. 3. con-
tra Maxim. cap. 25. & videtur ipsum tepre-
hendere, quia dixerit maiores esse Angelos
Christo secuodùm formain hominis. Sic etiam
Bernard. Bernardus lib. 5. de considerar. cap. 3. inquie
Spiritus est Deus, sunt & Angeli, & hi supra
te, sed Deus naturas Angeli gratia superiores
sunt.

17. Ceterùm huiusmodi locutiones, & similes
piè sunt expnnendæ, vel quoad gradum intelle-
ctualem, vel quoad immediatain habitudinem
ad Deum, vt ad vltimum finem, & vt ad le-
gislatorem, & supremom Dominum, vel quo-
ad gratiæ & gloriæ capacitatem. Primo sensu
videtur loqui Bernardus, & sumi potest ex Au-
gustino lib. 1. Retract. cap. 16. in secundo
vel tertio sensu loquitur Augostinus in primo,
ac secundo testimonio: At in tertio, & quarto
noo loquitur de naturali perfectione præcisè
spectata, sed de perfectione absolota, quæ
pensatis omnibus tam gratiæ quàm naturæ do-
nis conuenit alicui, quo pacto secundùm abso-
lutam compatationem nihil præter Deum est
melios anima rationali, quia datur anima supe-
rans absolutè omnes Angelos; Alioquin idem
Augustinus 11. de Ciuit. cap. 5. dixit *An-
gelica natura omnia cætera quæ Deus condidit,
naturæ dignitate præcedit.* Et lib. 1. Retract.
cap. 26. recognoscens locum illum quæstionis
54. corrigit locutionem diceos. *Vbi dixi quod
omni anima melius id Deum dicimus, magis dici
debuit omni creato spiritu melius.*

18. Ratione probari potest tota oostra conclu-
sio, quoniam io primis huiusmodi substan-
tiæ creatæ immateriales, intellectualea non
repugnant fieri: nec enim ex parte rei, cùm nul-
la sit apparentia contradictionis in hoc quod
creatur aliqua sobstaotia immaterialis, & spiri-
tualis omnino: Hæc ex parte causæ efficientis;
siquidem omnipotentia Dei vim habet efficien-
di quidquid io se non inuoluit contradictio-
nem, videatur Suarez disput. 35. Metaph. Suarez.
sect. 1. numero 3. & 4. Supposita verò possi-
bilitate Angelorum. Quod detur de facto
præter authoritatem superiùs adductam, quæ
est potissimum huius veritatis fundamentum
probari potest ex coogruentia; Vnde sumitur S.Thom.
ratio S. Thomæ in hac quæstione 50. artic. 1.
& plures ab eodem adductæ libro 2. cootra
Gentes cap. 46. Nam ad perfectionem vniuersi
pertinoit, vt in illo esset hic gradus sub-
stantiarum immaterialiom: Sed Deus condi-
dit vniuersum perfectum, ergo sunt in illo tales
substantiæ.

Caietanos 1. part. quæstione. 54. artic. 1. & 19.
Suarius disput. 35. Metaph. sect. 1. putauit Caietan.
rationem istam sancti Thomæ solidam, & ef- Suarez.
ficacem esse, quoniam ad vniuersi perfectio-
nem pertinet vt contineat omnes rerum, ac
diuersorum ordinum gradus, qui nouam ra-
tionem entis præ se ferunt, vt vel sic Creatoris
perfectionem imitentur creatorarum ordines
secuodùm omnes modos, seu gradus, quibus
participabilis est, sed Angeli non solam perfe-
ctionem specificam sub aliquo genere, sed gra-
dum constituunt totis diuersum ab omnibus
aliis creatis, ordinem scilicet substantiæ spi-
ritualis completæ: ergo debuerunt Angeli in
vniuerso produci. Vnde consequenter fatetur
Suarez inferri, dari nunc re ipsa ordinem gra-
tiæ supernaturalis, & gradum supernatura-
lium entium, & vnionem hypostaticam, atque
quodcunque aliud ens, modò habeat genus
perfectionis alterius ordinis a cæteris entibus
iam productis, quia diuinæ sapientiæ ac bonita-
tis est, ne relinquat vniuersum imperfectum,
hoc est sine omni gradu diuersarum perfe-
ctionum, vt scilicet sicut existit gradus corpo-
reus, ita etiam existat gradus spiritualis; & sicut
datur gradus rerum naturalium, sic etiam detur
gradus rerum supernaturalium.

Valentia tom. 1. disputatione 4. quæstione 1. 20.
puncto 1. Vasquez 1. part. disputatione 178. Valentia.
cap. 1. ac alij dicunt non esse conuincen- Vasquez.
tem rationem, sed solùm congruentiam, quia
cùm liberè Deus crearerit Angelos, potuit
simpliciter illos noo creare; nec ideò desine-
ret vniuersum esse suo modo perfectum, in ta-
li scilicet ordine, vel gradu rerum: cùm enim
omnes illi rerum gradus, qui perfectam dicun-
tur assimilationem effectus ad causam in hoc
vniuerso præ se ferre, non habeant inter se ne-
cessariam connexionem, potuit Deus velle gra-
dum corporeum creare sine spirituali, natura-
lem sine supernaturali bruta, cælum, vel etiam
hominem sine Angelis; naturam rationalem
sine gratia: Quippe cuncta & singula voluit
producere, vt loquitur Ambrosius lib. 3. de Ambros.
fide ad Gratianum cap. 3. *pro libero voluntatis
arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* Et qua-
cunque ratione creasset mundum cum his vel
illis gradibus entium dumtaxat, semper illum ex
summa sapientia & bonitate condidisset, vt patet
ex suprà dictis lib. 1. disputatione 36. cap. 2. Nec
ex principiis naturalibus potest efficaciter colli-
gi, quòd Deus voluerit vniuersum condere cum
tali perfectione, cui necessarius esset gradus An-
gelicus.

21. Bubalus. In hac te censeo cum Bubalo hîc art. 1. quæsito 3. difficultate 3. scopum S. Thomæ non fuisse prædicta ratione naturali demonstrare tanquam ex principijs naturalibus Angelorum existentiam, quia re vera prædicta ratione non ostenditur efficaciter, vt sentiunt Valentia, Vasquez & Bubalus, sed supposita Angelorum existentia, quam in argumento *Sed contra* probauerat ea Psal. 103. (Psal. 103.) *Qui facit Angelos suos spiritus* tanquam ex principio fidei, contendit in corpore articuli ostendere gradum istum substantiæ spiritualis complerè congruere quidem vniuersitati creaturarum, & vniuersi perfectioni; quod quidem efficaciter ostendit, & sic possunt defendi Caietanus, & Suarius: nam Angelorum perfectio mirum in modum vniuersi dignitatem exornat ob Angelicæ naturæ similitudinem, quæ multo propinquior est Deo, quàm similitudo & imago in animo hominis impressa.

22. Consonat hic Angelici Doctoris scopus in primo quæstionis huius articulo, cùm eiusdem more solemni: dum enim tractat res Fidei, solet vel simpliciter supponere illas existere, vel ad hoc confirmandum in argumento *Sed contra*, Fidei testimonium referre, quo veluti argumento Theologico comprobetur. In ratione verò corporis conuenientiam quandam adducere rei reuelatæ cum ratione naturali. Sic 1. part. quæst. 32. art. 1. supponit dari Trinitatem, & solùm quærit vtrum possit per rationem naturalem cognosci 2. 2. quæst. 1. art. 5. supponit dari fidem, & quærit de obiecto ipsius 3. part. quæst. 1. art. 1. supponit factam esse incarnationem, & quærit de conuenientia illius; in hac quæst. 50. art. 3. quærit de numero Angelorum, & in argumento *Sed contrà* probat esse magnam illorum multitudinem ex Dan. 10. quod in corpore tradit esse consonum rationi naturali, quia perfectiora debent esse plura; quæst. 63. art. 9. probat in argumento *Sed contra* ex 4. Reg. 6. plures esse bonos Angelos quàm malos, & in corpore, ponit congruentiam cum ratione naturali, quia quæ contra naturam sunt, vt in paucioribus accidunt, quæst. 64. art. 2. probat in argumento *Sed contrà*, ex Psal. 73. voluntatem Dæmonis esse obstinatam in malo, & in corpore, ponit congruentiam quoniam Angelus apprehendit immobiliter, id est, cùm sine discursu deliberet, pertinaciùs solet inhærere decreto. Similiter ergo procedit in præsenti.

23. Vt autem probent existentiam Angelorum ratione naturali, videlicet à posteriori, recurrunt plures ad motum cælorum: certum est enim cælum moueri, vel astra, non terram immotis syderibus, vt putarunt quidam, quos refert & refellit Clauius in primum caput sphæræ. (Clauius. Aristot. Conimbr.) Videantur Aristoteles lib. 1. de cælo text. 20. & lib. 2. text. 43. & 75. Conimbricenses ibi cap. 5. q. 4. & Astrologi, qui hoc demonstrant. Quod autem cælestia luminaria, siue simul cum cælis, siue per se sola quiescente cælo moueantur ab Angelis, docuit Plato in Timæo (Plato.), clariùs Aristoteles 8. physic. text. 52. & 78. & 12. Metaphys. à text. 30. Vbi semper contendit cælum non à seipso, sed à superiori substantia moueri. Consonant Augustinus (August.) 3. de Trinit. cap. 4. Dionysius (Dionys.) de cælesti Hierarchia cap. 5. & de diu. nominibus cap. 8. Gregorius (Gregorius) lib. 4. Dial. cap. 4. & 5. Iustinus Martyr (Iustin. Mart.) in solutione trigesimæ quæstionis à Gentibus propositæ, dum asserunt omnia inferiora per superiora, & corpora per spiritus administrari. Consentiunt Magister (Magister.) & Scholastici in 2. dist. 9. vel 14 vel 15. sanctus Thomas (S. Thomas.) 1. part. quæst. 70. art. 3. colligunt ex Scriptura Iob. 9. (Iob. 9.) *sub quo curuantur qui portant orbem*, Matth. 24. (Matth 24.) & Luc. 21. (Lucas) *Virtutes cælorum mouebuntur*: vbi de sanctis Angelis omnes Doctores exponere dicit S. Thomas (S. Thomas) opusculo 15. cap. 18. Quare quæst. 6. de potentia art. 3. docet hanc esse doctrinam fidei, ferè consentit Bonauentura in 2. dist. 14. part. 1. (Bonauent.) dist. art. 3. quæst. 2. dicens hanc positionem esse Magistrorum tam in Theologia, quam in Philosophia, quia concors pietati, fidei, & rationi plurimum esse videtur.

Et quidem si ratione naturali constiterit cælestia corpora moueri ab aliquo spiritu creato, siue iste sit forma informans, siue assistens, de quo non disputamus modò, rectè colligetur inde dari substantias creatas immateriales, quas Angelos nuncupamus. Quòd autem ratione naturali constet moueri cælos ab Angelis, censent S. Thomas (S. Thomas.) 3. contra Gent. cap. 23. Alensis (Alensis.) 2. part. quæst. 87. memb. 3. art. 4. ad argumenta, Scotus (Scotus.) in 2. dist. 14. quæst. 1. Durandus ibi quæst. 2. Ægidius Romanus (Ægid Rom.) quæst. 3. art. 4. latè Bubalus (Bubalus.) in hac quæst. 50. art. 1. quæsit. 2. Rationem formans, quia cæli non mouentur à principio necessario: ergo à principio libero; ergo ab Angelis. Antecedens probatur, quia principium necessarium non mouet nisi ad proprium sibi locum, in quo adepto conquiescat, vt videmus in elementis ad propria loca tendentibus; nec dari potest inclinatio naturalis ad solam perfectionem alterius, quin potissimum intendat propriam; nam amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium: Sed corpora cælestia non tendunt per motum ad locum, in quo adepto conquiescant: ergo non mouentur à principio necessario: Vnde rectè deducitur fore principium liberum. Nec sufficit homo ad tantam molem circumducendam, nec decet Deum per se solum esse causam motus illius: ergo datur substantia libera, & per consequens immaterialis superior homine, inferior Deo, quam Angelum nominamus. 24.

Nonnulli tamen discursum istum non recipiunt apud Bonauenturam, quorum sententiam probabilem reputant Gabriel (Gabriel.) in 2. dist. 14. quæst. 5. art. 3. dubitat. 2. Valentia (Valentia.) tom. 1. disp. 4. quæst. 1. puncto 1. Vasquez (Vasquez.) 1. part. disp. 178. cap. 1. Existimant enim motum cælorum à propria forma posse prouenire: sicut enim inclinatio ad proprium bonum est naturalis, ita etiam ad bonum commune, qualis est motus siderum, vt diuersis partibus orbis applicent suas influentias. Quare sicut elementa ipsa propter bonum vniuersi, quandoque tendunt contra propriæ perfectionis appetitum, sic potuit creari corpus cæleste cum naturali propensione ad bonum vniuersi motu irrequieto procurandum. 25.

Si opponas inde sequi quietem cælorum post diem Iudicij fore violentam, si naturaliter appetunt motum gyratiuum. Respondetur tunc cessante, fine scilicet bono Vniuersi, quod iam in illo statu sine generationibus rerum non egebit varia siderum applicatione secundùm varias partes, cessare pariter appetitum illius motus; vel motum cælorum fieri à solo Deo, qui sicut solus creauit, & conseruat illos, solus etiam moueat 26.

neat propter bonum vniuersi. Vnde secunda consequentia discursus eneruatur; sed contrà instat Deum non solere per se solum naturales effectus operari, quos potest efficere per causas secundas, sed potest creare substantias immateriales, quas dicimus, cùm nulla ostendatur repugnantia; Imò ex anima rationali, quam ostendit Philosophia esse spiritualem, colligitur posse Deum condere substantias alias spirituales completas, quæ sint species perfectæ sub genere substantiæ immaterialis: ergo magis connenienter sua vi eorum naturalium administrationi mouebit Deus sydera per huiusmodi causas secundas, quàm per se solùm.

27. Bubalus. Suarez. Ex his, quæ latiùs persequuntur Bubalus suprà & Suarez disp. 35. Metaphysicæ sect. 1. colligo cum eodem Suario non esse conuincentem demonstrationem, sed congruentem quidem ratiocinationem illam, qua ex motu syderum deducitur dari Angelos. Etenim non est euidens moueri stellas ab aliquo motore, vt distinguatur realiter ab ipsis astris, & etiam à Deo primo, & vniuersali motore; valde tamen verosimile sit, nec cælum animatum esse, vt à seipso moueri possit, nec corpora inanimata connaturaliter seipsa vertere ingyrum, nec item videtur congruere diuinæ prouidentiæ, vt Deus ipse sit immediatus motor cælestium corporum, quippe qui ſuauiter, quæ per seipsum condidit per creaturas sibi subiectas administrat. Magis vrgent Magiæ Dæmonicæ, quæ certè vim omnem causarum visibilium excedunt, quò pertinent operationes lamiarum, veneficorum, apparitiones Dæmonum, pacta cum illis. Item oracula, responsa, quæ fuerunt olim inter Gentiles, & nunc etiam inter nonnullos perseuerant. Nec Deo possunt adscribi, cùm plerunque contineant peccatum, vel ad peccatum ordinentur: ergo datur substantia inuisibilis, ac subinde immaterialis infra Deum, & supra hominem, quam vocamus Dæmonem. De antecendenti videantur Lactantius lib. 1. diuin. Instit. cap. 15. Victoria relectione de arte magica num. 10. & 11. Martinus del Rio lib. 2. & 4. Magiearum, Bubalus suprà difficul. 2. Vnde Plato in Polyt. & in Symposio, Xenocrates in lib. de Morte, Mercurius Trismegistus in Pimandro malos Angelos cognouerunt, præsertim ex arreptitiis, qui mira dicunt suprà propriam vim naturalem.

Lactant. Victor. Mart. del Rio. Bubalus. Plato. Xenocrates. Merc. Trisf.

28. Quòd autem Angeli sint intellectuales, & incorporei, sic potest ostendi ratione, quia Deus cùm & intellectualis, & omnipotens sit, potuit creaturas omninò intellectuales facere, cùmque nullam efficere possit summè perfectam, aliam faceret sibi æqualem, potest illas multiplicare. Pertinuit autem ad perfectionem operum Dei plures creaturas in illo gradu condere, quas Angelos appellamus. Ex effectibus verò sic licet argumentari. Angeli descendunt, & ascendunt è terra ad cælum, vt sæpiùs Scriptura testatur, scilicet cælos penetrando non diuidendo. Dæmones etiam penetrant hæc inferiora corpora, vt apparet in magicis & arreptitiis: ergo nullam habent molem corporcam. Sic arguunt Richardus Victorinus, Clictoueus, & Molina hic ex Marc. 5. & Luc. 8. Vbi Dæmonum legio, quæ sex millia sexcentos sexaginta sex complectitur in vnius hominis corpus dicitur introiisse. Qualia ergo possent esse Dæmonum corpora, quæ tam multa sine penetratione inter se ipsa, vel cum

Rich Vict. Clictoueus. Molina. Marc. 5. Luc 8.

partibus corporis obsessi intra vnum hominem simul poterant coexistere.

Demùm Gentiles omnes, & infideles pro comperto habent dari substantias inuisibiles homine superiores, quæ possunt ipsi nocere, ac benefacere, à quibus & oracula expectabant, & beneficia petebant, & nocumenta verebantur, vt recensent Lactantius suprà, Theodoretus lib. 3. Græcarum affectionum, & Cyprianus lib. de Idolorum vanitate, imò fideles etiam nunc tales effectus Dæmonum in energumenis experiuntur, qui planè ostendunt & maiorem perspicaciam in intelligendo, & maiorem potentiam in operando, quàm in homine sit. Constat etiam ex Magorum incantationibus & falsis miraculis, quæ leguntur Exodi 7. & de Antichristo maiora prædicuntur, dari quidem in mundo Angelos virtute ac perfectione naturali hominibus superiores. 29. Lactant. Theodor. Cyprian. Exod. 7.

Quoad auctoritates primæ sententiæ Philosophi quidem errarunt. Tertullianum ab hæresi excusat Augustinus lib. de hæresib. cap. 86. quasi Deum corporeum esse dixerit, non de corpore extenso locutus, sed per quandam translationem, vt explicaret non esse quid inane, nec alterius qualitatem, aut partem, sed ens verum in se existens, & vbique totum; *quamuis de anima* (inquit) *priori etiam modo corpus esse senserit*. Alijs verò locis nec à priori errore illum excusat, nec magni refert illum excusare, quia Catholicus non fuit, & in hoc satis apertè locutus est, vt notat Pamelius parad. 15. 30. Tertullian. August. Pamelius.

Auctores secundæ sententiæ, cùm circa Deum non errauerint, potuerunt sanè sine pertinaci errore circa Angelos, vel animam rationalem decipi, quia tunc non erat veritas, quoad has creaturas tam manifesta. Quare fatemur Ioannem illum Thessalonicensem illius fuisse sententiæ; sed quoniam in eo Concilio non de Angelicis corporibus, sed de imaginibus agebatur, Concilium assertionem probauit, rationem autem non discussit, ideoque Tarasius ibidem recapitulando Ioannis sententiam solùm accepiat conclusionem, & aliam rationem ab illo iactam, scilicet quòd Angeli depinguntur in figura humana, quoniam in illa apparuerunt. In eodemque Concilio act. 4. circa finem, dictum fuerat ex sententia Athanasij Angelos esse incorporeos, depingi verò symbolicè; & hoc etiam quoad imagines attinet nihil de ratione differendo Concilium acceptauit. 31.

Nec ex eo quòd Paulus cælestia, & terrestria corpora distinguit, infert rectè Cassianus nihil esse incorporeum nisi Deum, quia vel Paulus, per cælestia, & terrestria corpora cælos incorruptibiles, & corpora corruptibilia intelligit, nec dicit nihil esse in operibus Dei præter vtraque præfata corpora. Igitur præter illa dari possunt incorporeæ substantiæ, vel loquitur Apostolus de corporibus hominum, & terrestria vocat hæc corpora mortalia, cælestia verò, quæ existent in gloria iuxtà id, quod statim subiungit. *Seminatur corpus animale, resurget autem spirituale.* Vtique qualitate, non substantia; per hoc autem non negat quòd detur substantia spiritualis nentro corpore indigens. Ad argumentum Fausti respondetur, quamuis Angeli sint spirituales, loco tamen, & spatio corporeo moueri posse. Quomodo autè in loco sint, & moueantur, infrà quæst. 52. & 53. discutiendum erit. Addo Hilarium, 32.

rium, & Cæſarium exponi poſſe piè, quatenùs corporeum vocant omne ens, quod non eſt actus purus, infinitus, & immenſus quo ſenſu ſolent Angeli materiales vocari reſpectu Dei, quoniam habent aliquid potentialitatis.

33. Ex Patribua tertiæ ſententiæ fateor aliquos ita ſenſiſſe præſertim Origenem, Cæſareum, & Heliam Cretenſem: Baſilius autem cùm homilia 9. *Quod Deus non ſit author malorum* circa finem, Basilius. oppoſitum docuerit, rectè exponitur vocaſſe Angelum ſpiritum aëreum metaphoricè propter inuiſibilem ſubtilitatem, & velocitatem, ſicut etiam vocat *ignem*, & addit immaterialem, quæ voa ſatis metaphoram declarat. Similiter per animam, Angeli vitam, & mentem Angelorum ſignificauit. Idem eſt de Athanaſio: nam ex definitione Angeli relata ibi potiùs colligitur oppoſitum. Quod autem in epiſtola ad Serapionem ait Angelum circumſcribi loco, non intelligit de modo corporeo, ſed per limitationem naturæ, quia non ſunt immenſi: Auguſtinum fatetur S. Thomas ſæpius in eam partem cum Platonicis inclinaſſe; nonnunquam ſub dubitatione loquitur. Cùm verò in lib. Retract. negauerit Angelum eſſe animam, vel habere animam, ſatis indicat eſſe ſubſtantiam ſimplicem, & immaterialem. Bernard. Bernardus in hac quæſtione dubius fuit, imò in eam partem magis propendit, ſed formidando, & opinando; Alij verò ſic videntur ſentire.

34. Molina. Vaſquez. Ad primum fundamentum tertiæ ſententiæ multa dicunt Molina hîc art. 1 & Vaſquez diſp. 178. cap. 5. Certè verba Scripturæ non cogunt, vt intelligamus ibi ſermonem eſſe de ſpiritibus Angelicis, cùm nomen Filiorum Dei commune ſit etiam hominibus; imò ex ipſa re colligitur eos, qui peccarunt cum mulieribua non potuiſſe eſſe ſanctos Angeloa, qui iam eo tempore beati erant, ac per conſequens impeccabilea; nec item malos Angelos; quia vel iſti priùs erant boni, & illo peccato facti ſunt mali; & hoc non: cùm enim peccauit Adam, iam ceciderant Angeli, qui facti ſunt mali; vel iam anteà erant mali; & ſic non vocaſſet illos Scriptura Filios Dei. Itaque locus ille poteſt exponi primò cum Auguſtino 15. de Ciuit. cap. 23. & quæſt. 3. in Geneſ. August. Chryſoſt. Cyrillus. Theodor. Rupert. Chryſoſtomo homilia 22. in Geneſim, Cyrillo lib. 9. contra Iulianum, Theodoreto, Ruperto ibi, ac alijs, vt nomine Filiorum Dei intelligantur deſcendentes ex Seth per Henoc, qui erant iuſti; atque ideò Filij Dei per adoptionem, ac per Filias hominum intelligantur fœminæ de ſtirpe Cain, quæ erant peſſimæ: Qua de cauſa cauerat Seth, ne poſteri ſui contraherent matrimonia cum poſteris Cain. Vel ſecundò, nomine Filiorum Dei intelliguntur Filij Iudicum, Principum, ac potentum: Sic enim vertunt Chaldæus in paraphraſi, Symmachus, & Pagninua; per filias verò hominum intelliguntur communes, plebeæque mulieres, quaſi per potentiam, & tyrannidem viri potentes acceperint pro libito quaſcunque mulierculas voluiſſent, eiſque fuerint abuſi. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.*

35. Ad ſecundum Reſpondetur quamuis Angeli ſint incorporei, poſſe velociter diſcurrere: loquuntur autem ſenſibiliter, & videntur in corporibus aſſumptis, vt dicemus quæſt 51. Ideòque pinguntur ſub humana forma, quoniam in illa ſolent apparere. Ad confirmationem dicimus erraſſe Philoſophua illos, qui putabant nidoribus ſacrificiorum delectari Dæmones. Ad tertium Reſpondetur gradum illum medium ſubſtantiæ corporeæ viuentis vitâ intellectiuâ cum potentia ſolùm loco motiua falsò confingi à Caietano, nec ad perfectionem vniuerſi pertinere: nec enim corpus ſenſibus carens propter ſolum motum localem erat vniendum ſpiritui, cùm hîc faciliùs, & expeditiùa moueri poſſit ſine tali corpore. Videantur quæ dicemus capite ſequenti num. 6.

CAPVT II.

An Angeli ſint ſubſtantiæ ſimplices.

Habemus ex dictis Angelos non eſſe compoſitos ex partibus integrantibus, quia 1. talis compoſitio non datur, imò nec concipi poteſt ſine quantitate, ſeu mole connaturaliter extenſa; ſed oſtendimus Angelos non habere molem corpoream à quantitate prouenientem, nec naturalem capacitatem ad illam: ergo non componuntur ex partibus integrantibus. An autem componantur aliqualiter ex materia, & forma, vel ex potentia, & actu: non caret controuerſia. 2.

Auicebron in libro fontis vitæ, vt refert S. Auicebron. Thomas hic art. 2. & opuſc. 15. cap. 15. poſuit in Angelis compoſitionem ea materia; qualem verò materiam eſſe cenſuerit, non ſatis declarat S. Thomas: nam in priori loco tribuit ipſi quòd dixerit eandem eſſe materiam vniuerſalem corporalium, & ſpiritualium rerum; in poſteriori tamen ait Auicebronem tribuiſſe Angelis materiam non ſuſceptiuam quantitatia, ac per conſequens alterius ordinia. Priorem ſenſum amplecti videtur Bonauentura in 2. diſt. 3. art. 1. quæſt. 1. & 2. Bonaueat. Ariſtot. Citatur Ariſtoteles 2. Metaphyſ. text. 12. vbi ait omne quod mouetur, habere materiam, Auerrhoes. & Auerrhoes 12. Metaphyſ. text. 20. dicens materiam eſſe cauſam potentiæ in rebus; in quibus eſt potentia, ſcilicet paſſiua, ſignificans omnia, quæ ſunt aliquo modo in potentia, habere materiam. Auicenna. Conſonat Auicenna 2. Metaphyſ. cap 2. Vnde lib. 4. cap. 2. dicit omne quod habet eſſe Auguſt. poſt non eſſe, habere materiam. Imò Auguſtinus lib. 1. de mirabilibus Scripturæ cap. 1. ait Deum ea informi materia, quam prius ex nihilo condidit, cunctarum viſibilium, & inuiſibilium rerum, hoc eſt ſenſibilium, & inſenſibilium, intellectualium, & intellectu carentium ſpecies multiformes diuiſiſſe, & 12. Confeſſ. cap. 20. & 25. inter alias expoſitiones eorum Verborum. *In principio creauit Deus cælum, & terram* ponit iſtam, id eſt, *fecit Deus informem materiam creaturæ ſpiritualis, & corporalis.* Damaſc. Damaſcenus etiam lib. 2. de fide cap. 3. ait, *Licèt quædam creaturæ reſpectu noſtri materia vacare dicantur, tamen quidquid eſt aliud à Deo, craſſum eſſe, & materia conſtare.* Boëtius. Boetius lib. de vnitate, & vno ait Angelum eſſe vnom coniunctione materiæ, & formæ, & lib. 1. de Trinit. cap. 3. ait, formam, quæ eſt ſine materia, non poſſe eſſe ſubiectum accidentium.

3. Alenſis. Poſteriorem ſenſum probabilem reputat Alenſis 2. part. quæſt. 20. membr. 2 fine, & quæſt. 44. membr. 2. Vbi diſtinguit triplicem materiam, ſcilicet elementalem, cæleſtem, & ſpiritualem. Conſentit Richardus in 2. diſt. 3. art. 1. quæſt 2. Richard. Aureolus. Proclus. Plotinus. refertur Aureolua ibi, tenet Proclus in Elementario propoſit. 210. & Plotinus lib. 4. Enneadis 2. cap. 5

cap. 5. dicens, *Profundum vniuscuiusque rei esse materiam, etiam in mundo intelligibili.* Probatur primò, quia necesse est substantiam Angelicam non esse omnino simplicem, etiam substantialiter, vt in hoc à creatore distinguatur: ergo est substantialiter composita: ergo ex actu, & potentia substantiali: Omnis autem potentia substantialis est materia: ergo datur in Angelis materia saltem spiritualis, & indiuisibilis.

4. Probatur secundò, quoniam Angeli sunt compositi ex genere ac differentia: cùm enim sint finiti, & conueniant cum aliis substantiis in communi ratione substantiæ, sunt quidem sub aliquo genere, ac per differentiam terminari debent: sed compositio ex genere, ac differentia fundatur in compositione ex materia & forma, quia genus sumitur à materia; differentia verò à forma, vt docuit Aristoteles 8. Metaphysicæ: ergo componitur Angelus ex aliqua materia. Probatur tertiò fundamento Richardi: nam Angelus mouet seipsum quoad cognitionem, & alias operationes: ergo danda est in illo pars mota, quæ sit potentia passiua, subindeque materia, simul etiam pars mouens realiter distincta, quæ sit actus, ac forma; siquidem ex Aristotele 7. & 8. Physicorum idem non potest mouere seipsum. (Aristot.)

5. Huc etiam videntur accedere quotquot asserunt astra esse animata. Sic sensit Plato in Epimenide, Philo lib. de opificio mundi, Origenes lib. 1. Periarchon cap. 7. Caietanus in id Psal. 135. *Qui fecit cælos in intellectu*, id est (vt ipse putat) intelligentes. Ex horum enim sententia sequitur Angelos, aut intelligentias esse cælorum animas. Sic S. Thomas quæst. 6. de spiritualibus creaturis, in opinione asserentium cælos esse animatos, quam ipse 2. contra Gentes cap. 70. dicit non esse contra fidem, asserendum putat, cælorum animas esse intelligentias, & sic interpretatur mentem Aristotelis, tametsi de anima solùm assistente capiat eundem. (Plato. Philo. Origenes. Caietan.)

6. Dicendum tamen est, naturam Angelicam non esse compositam ex materia, & forma. Ita S. Thomas hic art. 2. & communiter Doctores. Probatur, quia nec constat ex materia eiusdem rationis cum nostra, nec ex materia spirituali: ergo ex nulla. Antecedens quoad primam partem patet, quia si Angeli haberent hanc materiam, ex qua substantiæ corporeæ componuntur, etiam quantitatem naturaliter postularent: quantitas enim proprietas est tali materiæ connaturalis, vt ostendit Suarez disp. 13. Metaphys. sect. 14. num. 5. & 4. Sed ostensum est Angelum non esse corpus capax quantitatis: ergo nec habet huiusmodi materiam. Confirmatur, quia si Angelus vniretur corpori materiali, cùm tribueret ipsi vitam, vel daret quoque sensum, vel non; si tribueret sensum, vix assignaremus discrimen inter ipsum, & hominem, ac subinde Angelus esset eiusdem rationis cum homine; si verò non tribueret sensum, sed sola forma secundùm se intelligeret, ac si prorsus à materia foret abstracta, frustra vniretur corpori sine sensu, solùm vt daret vitam: ergo non potest Angelus ex materia corporea substantialiter componi. Declaratur amplius, quia nulla natura intelligens, cuius operationi non deseruit corpus naturaliter indiget corpore: nam ex operationibus dignoscitur natura, & quidditas operantis: sed operationibus, quas in Angelis experimur per Magos, vel Energumenos, non deseruit; imò plurimùm obstaret corpus: ergo Angeli non vniuntur corporibus, quibus non indigent, vt latè persequitur Bubalus hic quæsito 3. difficultate 2. §. 4. (S. Thomas. Suarez. Bubalus.)

7. Quoad secundam partem, scilicet nec ex materia spirituali constare Angelos, ostenditur primò; quia Patres docentes Angelos esse incorporeos, vocant eosdem immateriales, siue materiæ expertes. Quòd si dixeris illos loqui de hac materia rerum corporalium, inde potius deducimus ipsos intellexisse nullam aliarum rerum materiam creasse Deum. Ostenditur secundò, ex comparatione cum animo rationali, qui siue coniunctus, siue separatus, substantia simplex est, carēs compositione partium essentialium, seu physicarum, materiæ scilicet, & formæ, etiam spiritualium, vt probat Suarius suprà num. 10. & pertinet ad libros de anima: ergo multò magis Angelica natura est substantialiter simplex in sua essentia adæquata, nimirùm illa simplicitate, quæ compositionem ex forma, & ex qualibet materia secludat. (Suarez.)

8. Quòd si possibilis sit substantia purè spiritualis ex materia, siue subiecto spirituali, & forma spirituali coalescens, vt concedit Bubalus hic art. 2. quæsit. 3. difficult. 2. Certè Angelos nec ita componi constat ex Dionysio, qui cap. 2. de cælesti Hierarch. ait, Theologiam variis vtam esse figuris ad humanum captum accommodatis, *vt eos describeret spiritus qui formis carent.* Sed formæ propria quidem significatione, quæ debet vsurpari, cùm commode potest, significant actum substantialem informantem: ergo isto carent Angeli, & consequenter materia etiam spirituali, quæ formam recipiat, & respiciat vicissim; & cap. 4. de Diuin. Nomin. sic de Angelis loquitur: *Et sicut incorporales, & immateriales intelliguntur, & sicut mentes supermundanæ intelligunt.* Sunt ergo non solùm incorporales, sed etiam immateriales, scilicet, materiæ cuiuslibet expertes: nam alioquin satis fuisset dicere incorporales: & cap. 7. dicit *ab omni materia multitudine soluta, sine materia æqualiter*, &c. Quæ verba compositionem omnem excludere videntur. Idem insinuat sanctus Thomas 1. part. quæst. 75. art. 5. ad vltimum, vniuersaliter excludens à substantiis spiritualibus omnem compositionem ex materia, & forma. Consentit Bubalus expressè suprà difficultate vltima, rationemque reddit; quoniam eorum, quæ nobis occulta sunt, nihil debemus asserere, cuius nullum sit signum, aut firma coniectura sumatur ex iis, quæ in pluribus aliis, aut in omnibus cernimus, sed nullum est signum, aut firma coniectura, quòd Angeli constent ex materia spirituali, & forma: ergo non debemus talem in illis compositionem asserere. Minor patet, quia nulla operatio talem compositionem indicat: Intellectus enim est forma simplex in homine; rationalis animus nullam compartem spiritualem requirit: ergo multo minus Angelicum intellectiuum requiret compartem illam, quæ nihil conferet ad functionem intelligendi. (Dionys. S. Thom.)

9. Ad primum fundamentum oppositum Respondetur Angelum non esse simplicem omninò, sicut Deus, licèt ex materia, & forma non componatur: habet enim alias compositiones, quarum expers est Deus. Et in primis Angelica natura præcisè considerata quoad sola prædicata essentialia nullam realem compositionem includit: nam vt sic nondum concipitur vt composita ex

ex esse, & essentia, cùm nondum concipiatur actu existens; nec ex natura, & personalitate, cùm nondum concipiatur suppositum: Compositio autem ea partibus iam exclusa fuit: ergo nullum restat genus compositionis, quod competat tali naturæ. Nec tamen ideò erit omninò simplex, seu purus actus, quoniam vt sic spectata est adhuc potentiale quid, & aptum ingredi compositionem aliquam per modum formæ, vel integræ naturæ; quod satis est, vt diuinam simplicitatem longo interuallo non adæquet.

10. Quòd si natura Angelica consideretur, vt actu existens, iam includit compositionem aliquam, scilicet ex essentia, & existentia, quæ nulli creaturæ est essentialis: Quare omnis creatura dum actu existit, habet huiusmodi compositionem, quæ non est realis, sed rationis, quia partes componentes scilicet essentia, & existentia sola ratione distinguuntur cum aliquo fundamento in re. De quo latè Suarez disp. 31. Metaphys. præsertim sect. 6. & 13. Si verò consideretur Angelus, vt suppositum, vel persona completa, componitur realiter, & substantialiter ex natura, & personalitate, quæ est modus positiuus, & substantialis naturæ distinctus ab illa modaliter siue ex natura rei; ac subinde realem, & substantialem compositionem faciens in supposito, de quo Suarius disput. 34 Metaphysicæ sect. 2. & sequentibus. (Suarez.)

11. Denique certum est in Angelis dari compositionem ex substantia, & accidenti, vt docent communiter Theologi cum S. Thoma hic art. 1. & 2. & quæst. 50. art. 6. Vbi quosdam Philosophos refutat, qui remouerunt ab Angelis accidentia omnia. Probatur: nam Angeli non sunt actus puri, sed quoad multas perfectiones sunt tantùm in potentia. Quare per actus accidentales erunt perficiendi. Confirmatur, quia substantia ipsorum est finitæ, ac limitatæ perfectionis; vnde prouenit illis, quòd non habeant omnem perfectionem simul, sed mutabiles sint; mutatio verò sine aliqua compositione non contingit.

12. Durand. Ad secundum Durandus in 2. dist. 3. quæst. 1. num. 12. docet Angelos esse in genere, non componi tamen ex genere, ac differentia, quòd videtur sanè repugnantiam inuoluere: nam si Angelus est sub genere, maximè sub genere substantiæ, quæ sit vniuocè communis Angelo cum aliis substantiis; ergo per aliquid differt ab aliis, & consequenter ex illo genere, in quo conuenit, & ex illo prædicato, in quo differt, componetur secundum rationem. Hæc autem est compositio ex genere, & differentia. Igitur fatemur Angelos ex genere, & differentia componi, quæ compositio cùm sit rationis tantùm, non repugnat ipsorum simplicitati, nec fundatur in compositione reali ex materia, & forma; sed in conuenientia secundùm aliquod prædicatum, & disconuenientia secundùm aliud.

Aristot. Porphyrius. Vasquez. Aristoteles verò 8. Metaphysicæ capite 2. & 3. & Porphyrius cap. de propriis generis & differentiæ, solùm docent genus habere se vt materiam, quatenus est commune multis; differentiam verò similem esse formæ, quia determinat genus ad hanc speciem, vt forma materiam. Videatur Vasquez 1. part disp. 179. vbi aliorum sententiam refert, & refellit.

13. Ad tertium negatur consequentia: nam vt docuimus 7. physic. Aristoteles ibi locutus est de mouente corporeo, & per actionem transeuntem; In actionibus verò immanentibus, præsertim spiritualibus, benè potest idem esse mouens, & motum, quamuis interdùm efficiens, & recipiens aliquo modo distinguantur; si concurrant ad efficiendum species intentionales, vel habitus, qui tamen non concurrunt ad recipiendum; vnde totale mouens a moto distinguetur 14.
tanquam includens, ab incluso.

Demùm cælos non esse animatos, & per consequens Angelos non esse cælestium corporum Idem.
animas docui in libris de cælo cum multis Patribus, & Doctoribus, quos refert Vasquez 1. part. disput. 183. cap. 2. Vbi rationem affert moralem: Nam si sydera essent animata, non solùm sensitiua, sed intellectiua anima pollerent, cùm sint tam perfecta corpora, & per consequens forent beata: nec enim essent de numero Dæmonum, qui peccarunt. Quapropter illa possemus venerari, quod videtur contra illud Deut. 4. *Ne fortè eleuatis oculis ad cælum videas solem, & lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores, & co-* Nicephor.
las, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium omnibus gentibus. Nicephorus lib. 7. historiæ cap. 27. inter canones quintæ Synodi, quibus errores Origenis damnantur, refert sextum in quo sic dicitur. *Si quis dicit cælum, solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ super cælum sunt animatas quasdam esse, & materiales virtutes, anathema sit.* Binius.
Ceterùm hic Canon non habetur in tomis Conciliorum antiquis, ponit illum Binius tom. 2. Conciliorum part. 2. pag. 149.

CAPVT III.

An Angeli sint corruptibiles, vel incorruptibiles. 1.

SVppono primò dupliciter dici aliquid corruptibile. Primò quatenùs excludit physicam corruptionem, vel mortem; quæ fit per separationem formæ a materia, manente scilicet primo subiecto. Secundò dicitur, quatenus omnem vtcunque desitionem, & capacitatem amittendi suum esse quoquo modo secludit, quod maioris claritatis gratia dici potest inannihilabile. Rursus hoc cùm dicatur relatè, vel vocatur incorruptibile, seu inannihilabile respectu potentiæ creatæ, vel respectu diuinæ potentiæ: sic cælum quamuis à nulla potentia creata possit corrumpi, potest tamen à diuina corrumpi, vel 2.
etiam annihilari.

Hoc supposito. Prima sententia docet Angelos ex natura sua incorruptibiles esse respectu potentiæ creatæ; Tamen respectu diuinæ poten- Vasquez.
tiæ non esse incorruptibiles ex natura sua, sed per gratiam. Ita Vasquez 1. part. disp. 182. cap. 2. Prior pars probatur, quia nulla causa creata potest aliquid corrumpere annihilando illud: Nam annihilatio est corruptio totius, ac subinde creationi prorsus opponitur. Quare sicut solus Deus creare potest, & continuare creationem, sic solus Deus potest annihilare. Sed Angelus per solam annihilationem potest desinere, non verò per introductionem formæ contrariæ, cùm nec ipse sit forma subiecti, nec consistet aliqua materia, in quam possint agentia creata inducere formam expultricem Angeli: ergo Angelus est incorruptibilis respectu causæ creatæ.

Posteriorem partem probat Vasquez primò authori 3.

Alexander. Bonauent. Scotus. Richard. Ochamus. Gabriel. Iustin. authoritate: nam Scholastici Doctores Alexander, Bonauentura, Richardus, Scotus, Ochamus, & Gabriel asserunt omnem creaturam ex se, vel suaptè natura mutabilem esse, non tantùm secundum accidentia, sed etiam secundùm substantiam desinendo. Consonant Patres Iustinus in lib. quæstionum ad Gent. quæst. 13. Sic ait. *Quorum immortalitas ex alterius voluntate pendet ea immortalia esse non possunt: Itaque solum Deum* Cyrillus. *immortalitatem habere dicimus.* Cyrillus lib. 2. contra Iulianum, & lib. 8. Thesauri cap. 2. circa medium ait, Angelum, & cetera esse immortalia, sed per Dei gratiam, non per naturam, idem tra- Damasc. Sophron. dit Damascenus 2. de Fide cap. 3. Sophronius in sua epistola, quæ habetur in VI. Synodo act. 11. & approbatur act. 13. de spiritualibus creaturis post medium inquit: *Nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur, iuxta quod sensibilia desinunt, atque transeunt, non tamen sunt immortalia per naturam, nec in essentiam incorruptibilem transeunt, sed gratiam eis largitus est à corruptione ea, & à morte coercentem.* Quare si immortale referatur ad potentiam Dei conseruantis, & Vasquez. potentis destruere, putat Vasquius esse de fide, quòd Angelus non sit suapte natura immortalis, sed sola gratia Dei; sicut est de fide res omnes, etiam spirituales, ita Dei nutu conseruari, vt si Deus veller cessare à conseruatione cunctæ deci- Sapient. 11. Act. 13. August. Gregor. derent in nihilum, Sapient. 11. Actor. 13. Augustinus 5. super Genes. cap. 20. Gregor. 16. Moral. cap. 19.

4. Præterea non solùm Angelos esse annihilabiles per extrinsecam Dei potentiam, sed etiam ex intrinseca natura sua, subindeque per realem, & Vasquez. natiuam potentiam, probat Vasquez. Secundò, quia præfati Patres dicunt Angelos non esse natura, sed gratia immortales: Sic præter alios Ber- Bernard. nardus 5. de consideratione cap. 4. dixit *Angelos beatos esse immortalitate perpetuos, impassibiles, non creatos, sed factos, id est, gratia non natura:* ergo sunt natura sua mortales, & annihilabiles, quoniam ex duobus oppositis necesse est alterum esse connaturale secundùm internam aliquam potestatem. Probat 3. quia sicut res non ideò est possibilis, seu non repugnans fieri, quia potest à Deo produci, sed potiùs è contra: Nam omnipotentia Dei supponit obiectum suum, saltem vt non repugnans, ne detur circulus vitiosus: Sic similiter Angelus non ideò est annihilabilis, quia Deus potest illum annihilare, sed potiùs è contrà; ideò Deus potest illum anoihilare, quia ipse de se habet intrinsecam non repugnantiam, seu capacitatem annihilationis: ergo non est annihilabilis Angelus per solam extrinsecam potentiam Dei, sed per realem intrinsecam, & natiuam non repugnantiam.

5. S. Thom. Caietan. Ferrara. Bergom. Durand. Valentia. Secunda sententia dicit Angelos suapte natura incorruptibiles esse. Sic S. Thomas hic art. 5. & suprà quæst. 9. art. 2. vbi Caietanus, & lib. 2. contra Gentes cap. 30. & 55. vbi Ferrara. Petrus Bergomus in concordantiis dub. 122. Durandus in 1. dist. 8 part. 1. quæst. 3. Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 1. punct. 4. Vbi ait id esse ferè certum de Fide, ita vt oppositum sit temerarium, & erro- Molina. neum. Molina hic art. 5. ita certam reputat sententiam istam, vt contrarium appellet periculosum in Fide. Probatur primò ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. Nam in quadam declaratione Leonis Papæ per totum Concilium approbata contra eos, qui de natura animæ rationalis loquentes dicunt esse mortalem, dicitur *hunc esse vnum ex perniciosis erroribus à fidelibus semper explosis,* & subditur: *hoc sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes asserentes animam esse mortalem.* Vtique natura sua: hunc enim sensum verba præcedentia declarant, & subsequentia: Nam additur. *Cum illa non solum verè & per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verùm & immortalis:* ergo à fortiori idem dicendum est de Angelis qui perfectiores, & magis immateriales sunt.

Probatur secundò ex Patribus. Dionysius 4. de diuin. nom. priùs dixit Angelos habere vitam indeficientem, & inuiolabilem ab omni interitu, & morte liberam, & posteà subdit animam humanam post Angelos habere vitam immortalem, vt sit, & possit ad Angelorum vitas aspicere. Basilius in Psal. 44. circa principium docet Angelos non senescere, & naturæ ipsorum substantiam immutabilem esse. Iulianus Archiepiscopus Toletanus lib. 1. de futuro sæculo cap. 2. qui habetur tom. 3. biblioth. asserit Angelos ita conditos esse, vt etiamsi peccarent, mori non possent. Athanasius in lib. Definitionum parùm à principio, docet Angelum, & animam immortalem esse. Damascenus lib. Institutionum cap. 7. dicit immortale esse differentiam Angelicæ naturæ, & cuiuscunque alterius incorporeæ substantiæ, & lib. 2. de Fide cap. 3. dicit Angelum consecutum fuisse diuinitùs essentiam intelligentem, & naturam immortalem. Accedunt Theodoretus lib. diuin. decret. cap. de Angelis, Gennadius (seu quisquis author est eius operis) lib. de Ecclesiast. dogmat. apud Augustinum tom. 3. cap. 12. Consensu Aristoteles lib. 2. de Cælo text. 36. & lib. 12 Metaphys. text. 44. atque alij Philosophi, vt colligitur ex Eugubino lib. 8. de perenni Philosophia. 6. Dionys. Basilius. Iulianus. Athanas. Damasc. Theodor. Gennad. Aristot. Eugubin.

Probatur tertiò ratione, quia quod nec ex materia constat, nec cum materia coniunctum est, non est natura sua corruptibile, sed Angelus nec materia constat, nec naturaliter coniungitur materiæ: ergo Angelus non est natura sua corruptibilis, sed incorruptibilis. Maior probatur: nam corruptio nunquam accidit ex ipsa rei natura, nisi cùm in re datur aliqua potentia, & inclinatio ad aliud quoddam esse incompatibile cum esse priori; sicut videmus in omnibus rebus, quæ corrumpuntur, vel per se, quales sunt res compositæ ex materia, & forma, vel per accidens, quales sunt ipsæ formæ, quando sunt naturaliter coniunctæ cum aliqua tali potentia, seu materia, à qua pendeant in suo esse. Cuius ratio est, quia nulla res per se, vel primariò propendet ad suum non esse, sed tantùm ex consequenti, & veluti secundariò. Hanc rationem insinuat Gennadius supra cap. 13. dum ait. Immortales credimus intellectuales naturas, quia carne carent, nec habent quo cadant, vt resurrectione egeant post ruinam necessaria. 7.

Dico primò, Angeli sunt aliquo modo incorruptibiles. Est conclusio certa de fide, vt docet Valentia suprà, nec ab illa dissentit aliquis Catholicus. Probatur primò ab effectu, quia certum est de Fide Angelos esse perpetuò duraturos, bonos in gloria, & malos in pœna. Matth. 25. ergo creati sunt à Deo, vt in æternum permaneant iuxtà id Psal. 148. vbi postquam Dauid cælos & Angelos commemorauit, de illis subiungit, *statuit ea in æternum in sæculum sæculi.* Igitur rece- 8. Matth. 25. Psal. 148.

perunt

1.2.quæst.6.art. 4. ad 2. & art. 5. ad 2. Quare si Deus potest violentiam inferre creaturis, vt fatentur ipse Vasquius, Medina, Valentia, Salas suprà sect. 5. sicut violentiam infert igni priuando illum actione combustiua, ad quam habet potentiam actiuam, sic infert violentiam Angelo priuando illum actione creatiua, vel conseruatiua, est cuius connaturaliter receptiuus, quatenùs semel productus habet appetitum naturalem, & simul elicitum ad iugiter existendum, ac subinde ad hoc vt afficiatur actione conseruatiua, qua perpetuò conseruetur in suo esse; ideò æquiparationem istam proportionalitatis adduxit ad hoc
Cyrillus. idem intentum Cyrillus lib. 8. Thesauri cap. 2. dicens. *Quæ naturis præcipuè insunt, ea respectu Creatoris nihil sunt. Quare sicut ignis combustiuus quidem est, sed non Deo, sic etiam Angelus immortalis quidem est, sed nō Deo*, quasi dicat, sicut naturale est igni comburere, & nihilominus Deus facere potest vt non comburat, ita naturale est Angelo esse immortalem, & nihilominus per Dei potentiam & voluntatem potest suo esse priuari:

15. Vnde colligo Angelum non esse dicendum ens necessarium sine addito, quia necessitas essendi absolutè dicta videtur excludere possibilitatem omnem non essendi, siue per potentiam extrinsecam, siue per intrinsecam; ac subinde non Angelo, sed soli Deo conuenit: Quod forsan in-
Scotus. tendunt Scotus in 1.dist.8.quæst.5.art.2.ad quæstionem, & in 4. dist. 49. quæst. 6. in principio,
Gabriel. Gabriel in 2.dist.2.quæst.1.a.2.conclus.6. Ocha-
Ochamus. mus in 2.quæst.13.ad 1.rationem, quatenùs asserunt Angelos non posse dici entia de se necessaria. Cæterùm potest Angelus dici ens necessarium ex se, & ex suis intrinsecis principiis, licèt ab alio destrui possit: nam ista duo non pugnant inter se, quippe necessitas illa, quæ est ex principiis intrinsecis habet causam extrinsecam à qua pendet, & per cuius cessationem cessare potest. In quo sensu
S. Thomas. loquitur S. Thomas hìc art. 5. & lib. 2. contra
Caietan. Gent.cap.30.& 55.& cum illo Caietanus, Ferra-
Ferrara. ra, & alij moderni, dum Angelos & res materia carentes vocant absolutè necessarias; eo autem ipso quod Angelus est ens creatum pendens ab alio in existendo, debet esse finitæ, ac limitatæ perfe-
Suarez. ctionis, de quo Suarius lib.1. de Angelis cap.8.

16. Prior pars sententiæ Vasquij conformis est nostræ conclusioni primæ, & tertiæ. Ad primum fundamentum posterioris respondetur propositionem istam, *Angelus natura sua est perpetuus, aut incorruptibilis*, dupliciter accipi posse quoad particulam illam *natura sua*: nam vno modo idem significat, ac ex vi suæ essentiæ siue à se, sine influxu alterius, in quo sensu propositio est hæretica: nam affirmat Angelum habere esse increatum, & independens. Igitur in isto sensu negant Patres Angelum vel creaturam aliquam esse natura sua immortalem, cui opponunt esse immortalem per gratiam, id est, per beneficium conseruationis, quæ liberaliter impenditur; ideóque vocatur gratia, pertinens tamen ad donum creationis. Eodemq; modo loquuntur Scholastici adducti ibi: probant enim Angelum non esse natura sua incorruptibilem, quia non habet ex seipso, vt possit permanere sicut Deus.

17. Alio modo potest accipi particula illa *natura sua*, vt solùm significet naturalem inclinationem, & appetitum in reali potentia actiua, vel receptiua, seu quasi receptiua Angeli, vel alterius rei similis fundatum; & sic dici potest, & debet Angelus natura sua incorruptibilis propter suprà dicta etiam respectu Dei: non enim est sensus, quòd Deus non possit annihilare illum, sed quòd talis annihilatio non potest esse secundùm naturam Angeli, nec ex interna potentia reali, vel inclinatione illius: Sicut lapis non potest dici natura sua mobilis sursum, etiam respectu Dei, quia licèt Deus possit mouere lapidem sursum, non tamen facere potest vt talis motus insit ei connaturaliter, aut ab intrinseco, sed inerit violenter, aut ad summum obedientialiter. Per quod patet etiam ad secundum: dicuntur enim immortales Angeli non natura, sed gratia in primo sensu, non in secundo, qui est etiam sensus proprius, & communiter vsurpatur, vt constat ex fundamentis secundæ sententiæ. Sed ad Bernardum respondet Molina verba illa, *non creatos, sed factos, id est, gratia non natura*, limitationem, ac explicationem esse verbi *impassibiles*, quod proximè præcesserat, non autem etiam illorum verborum *immortalitate perpetuos*. Quare solùm voluit Angelos beatos habere impassibilitatem per gratiam, & per dona supernaturalia ipsis collata, non verò immortalitatem.

Ad tertium respondetur concedendo Angelum ita esse annihilabilem sicut est creabilis. Quare 18.
sicut est creabilis per solam potentiam obiectiuam, siue per non repugnantiam ex parte sua, vt creetur, quod solùm est reale latè dictum prout opponitur enti ficto, vel nihilo, sic est annihilabilis per solam non repugnantiam, scilicèt quia non existere actu non repugnat essentiæ Angelorum, quibus non est essentiale actu existere: non tamen est annihilabilis per intrinsecam potentiam realem prout reale opponitur non existenti, quia talem potentiam non habet ad annihilationem, cùm tamen Angelus postquam existens est habeat intrinsecam inclinationem realem in sensu stricto ad perseuerandum in esse.

DISPVT. II.

De numero, & diuersitate Angelorum.

DARI plures Angelos non solùm Scriptura testatur, sed etiam Philosophi ex motibus cælorum vtcunq; collegerunt. Quòd verò multiplicatis suppositis multiplicentur naturæ per sese, est euidens, & certum de Fide: Nam quod in Deo sit vnitas naturæ cum pluralitate suppositorum, singulare mysterium est, ac proprium Dei, propter infinitatem diuinæ naturæ: sed de Fide constat naturam Angelicam esse creatam, ac finitam essentialiter; ideóque certissimum esse debet, tot in Angelis multiplicari naturas, quot supposita, siue multiplicatio naturarum sit tantùm numerica, siue sit alia maior, quod est præcipuè disquirendum in præsenti.

CAPVT I.

De numero Angelorum.

ARistoteles 12. Metaphysicæ text. 48. existi- 1.
mauit tot esse substātias separatas, quot sunt

Rabbi Mos. motus cælorum, quod secotus est Rabbi Moses, vt
S. Thomas. testatur S. Thomas hic art. 3. Asserit autem Ari-
stoteles ibi motus cælestium corporum esse qua-
draginta septem; ac proinde totidem duntaxat in-
telligentias dari. Alij volunt esse quinquaginta
Apoc. 5. quinque motus, alij pauciores. Cæterùm multò
Iob. 25. plures esse Angelos testatur Scriptura Apoc. 5.
Hebr. 12. Iob. 25. Hebr. 12. & Dan. 7. Vbi dicitur. *Millia*
Dan. 7. *millium ministrabant ei*, qui numerus pro indefi-
nito ponitur ad significandum esse innumerabi-
les, & ad augendam numeri magnitudinem addi-
tur, *decies millia centena millia assistebant ei*. Vnde
Dionys. deducit Dionysius de cælesti Hierarchia cap. 14.
Gregor. magnam esse multitudinem Angelorum, & Gre-
gorius lib. 17. moral. cap. 9. super id Iobi. *Quis nu-*
merus militum eius? ait, Supernorum ciuium nume-
rus infinitus est, & definitus exprimitur, vt qui
Deo numerabilis est, esse hominibus innumerabilis
demonstretur. Et multi sunt in numero Angelo-
rum amplificando sancti Patres. Clemens Ro-
manus lib. 8. Constitutionum cap. 15. Athanasius
serm. 3. contra Arianos, Irenæus lib. 2. cap. 6.
Hieronymus, Dan. 7. Chrysostomus homilia 2.
de incomprehensibili Dei natura, & alij.

2. Nec id omninò latuit Philosophos: nam ipse
Aristoteles 1. de cælo cap. 9. dicit suprà cælum
esse quædam entia sempiterna nullis alterationi-
bus, vel passionibus subiecta, quæ optimam in
Plato. vniuersa sempiternitate vitam habent; Idemque
insinuat aliis locis, & istam fuisse sententiam Pla-
tonis constat ex Dialogo 10. de legibus. Videatur
Eugubinus. Eugubinus lib. 3. de perenni philosophia à cap.
12. ferè vsque ad librum 5. & lib. 8. cap. 1. & se-
quentibus. Vbi notat nomen Deorum ab Ethni-
cis sæpè fuisse tributum hominibus mortuis, in-
terdum corporibus cælestibus, aut syderibus, aut
eorum motoribus; interdum verò substantiis se-
paratis, quæ nulli corpori alligatæ sunt: hanc
autem cognitionem potuerunt Philosophi, vel ex
aliquibus effectibus extraordinariis, responsis,
aut vaticiniis haurire, vel quadam humana fide, ac
Aristot. traditione recepisse, vt indicat Aristoteles 12.
Bubalus. Metaphys. c. 8. Videatur Bubalus hic art. 3. quæsi-
to. 1. difficult. 1. Vbi plurimorum Philosophorum
verba pro Angelorum multitudine perpendit.
Ratio potissima huius numeri est omnipotentia, &
voluntas Dei nobis per essentiam manifestata:
Congruentiæ verò ob quas Deus tantam multitu-
dinem Angelorum creare voluerit, sumi possunt,
vel ea perfectione naturæ Angelicæ, vt arguit S.
Thomas hic, vel ea maiestate Dei, cuius dignitas
in multitudine ministrantium eluceat.

3. Sed dubitatur 1. An plures sint Angeli quàm
S. Thom. corpora? Affirmat S. Thomas hic art. 3. & pro-
Dionys. bat ex Dionysio de cælesti Hierarchia cap. 14. cu-
Vasquez. ius sensum Vasquez 1. part. disp. 189. cap. 2. di-
cit esse, quòd Angeli superent nostrum modum
numerandi: nam vbi peruenimus ad centies mil-
lies millionum, siue potiùs ad millionem mil-
lionum, ceteros iam quosque numeros noster in-
Bubalus. tellectus non capit; Cæterum Bubalus suprà dif-
ficultate 2. §. 2. probat loqui Dionysium non so-
lùm de numero numerante, sed etiam de numero
numerato; ita vt res ipsas corporeas superet Ange-
lorum multitudo, quod certè magis indicat ipse
Lyconiens. contextus. Quare Lyconiensis super illud caput,
sentit numerum Angelorum excedere numerum
omnium indiuiduorum corporalium simul in
Carthusian. quocunque tempore existentium. Consentiunt
Antoninus. Carthusianus de quatuor nouissimis. Antoninus 3

part. tit. 31. cap. 6. §. 1. Ægidius Romanus in 2. Ægid. Rom.
dist. 3. part. 1. q. 2. art. 2. in resolutione secundi du-
bij, & Bubalus suprà difficultate 4.

Alij sine limitatione de cunctis indiuiduis 4.
quocunque tempore futuris loquuntur, vt refert Pesantius.
Pesantius, Bannes verò 1. part. quæst. 50. art. 3. Bannes.
censet numerum Angelorum excedere multitu-
dinem corporum quoad naturas illorum specifi-
cas, quæ sunt partes vniuersi primariæ. Sed hoc Suarez.
nimis arctum reputat Suarez lib. 1. de Angelis
cap. 11. vbi credit numerum Angelorum exce-
dere numerum etiam indiuiduorum materialium,
quæ non solùm per accidens, vt partes homoge-
neæ, sed per se distinguuntur certam magnitudi-
nem, & partium organizationem sibimet sigilla-
tim vendicantia. Fauet sanctus Bernardinus Se- Bernard Sen.
nensis tom. 4. serm. 48. de amore misericordiæ Dionys.
fol. 272. dicens. *Dionysius in suo libro Hierarchiæ*
dicit, quod solùm Angeli in Paradiso existentes
sunt plures, quàm sint stellæ, quàm sint arena ma-
ris, ac terræ, quàm sint folia, & herbæ, & quàm
sint omnia quæcunque creata.

Ego dicerem saltem Angelos excedere nume- 5.
rum omnium specierum materialium, vt docent Ferrara.
Ferrara 3. contra Gent. cap. 92. Caietanus, & Mo- Caietan.
lina hic, sumuntque ex S. Thoma 1. parte Molina.
quæst. 112. artic. 4. ad 2. quia dicit naturas
corporeas superari ab incorporeis, natura ve-
rò propriè dicitur de speciebus, & 2. contra
Gentes cap. 92. licèt in ratione tertia loquatur
absolutè de omnibus corporibus, tamen in ra-
tione quarta limitat sermonem, & probationes
ad species rerum materialium, & iuxta limita-
tionem istam videtur exponere cætera loca. Lo-
quitur autem S. Thomas de multitudine specie-
rum Angelorum, quia singulos existimat specie
differre. Quare si ponantur de facto Angeli so-
lo numero diuersi, forsan etiam numerum indi-
uiduorum excedent, vt dicebat Suarez.

Dubitatur secundò An numerus Angelorum 6.
sit maior quàm numerus omnium hominum.
Quidam putant maiorem esse numerum homi- Athanas.
num. Alij, teste Athanasio in quæstionibus ad An-
tioch. quæst. 2. dixerunt homines, & Angelos fu-
turos esse multitudine æquales. Alij apud eun-
dem Athanasium ibi rati sunt Angelorum nume-
rum nonaginta nouem partibus excedere nume-
rum hominũ, ducti solùm parabola illa Luc. 15.
Pastoris, qui vt quæreret ouem vnam perditam
reliquit nonaginta nouem in deserto. Sed omnes
isti leuibus nituntur fundamẽtis, & parabola illa
diuersum habet scopũ. Verosimiliùs videtur longè
maiorem esse numerũ Angelorũ, quàm hominũ,
quoniam Angeli custodes hominum ex vltimo
tantùm ordine Angelorum sumuntur, vt posteà
videbimus: at vnicuique hominum designatur
proprius Angelus Custos: ergo saltem numerus
Angelorum excedit numerum hominum simul
existentium. Quòd si vnus & idem Angelus, nec
successiue suscipiat plurium hominum custo-
diam, vt existimat Molina hic, Vasquez disp. 180. Molina.
c. 3. & alij, significatque Iustinus Martyr q. 30. ad Vasquez. Iustin.
Gent. in solo Angelorum infimorum ordine tot,
vel plures sunt Angeli, quàm sunt homines futu-
ri à principio mundi vsque ad finem. At præter il-
lum ordinem sunt alij octo perfectiores ordines,
ac subinde numerosiores iuxta regulam S. Tho-
mæ, quod in rebus per se intentis à Deo, quæ
perfectiores sunt, vel magnitudine, vel multi-
tudine excedunt.

Quantus

7. Quantus sit autem excessus iste, vix potest definiri, quia pendet ex sola voluntate Dei, quæ nondum satis innotuit: Dionysius Carthusianus super cap. 14. de cælesti Hierarch. refert B. Birgittæ fuisse reuelatum, ita plures esse Angelos, quam homines, vt vnicuique hominum decem possint in custodiam designari, præter innumeros Angelos malos, qui sunt eiusdem naturæ cum bonis. Huic autem reuelationi multùm deferendum esse docuit Vasquez vbi suprà circa finem capitis.

Dionys. Car.

8. Dubitatur tertiò, An totus Angelorum numerus in tres Hierarchias & nouē choros distribuatur? de quo disseruit S. Thomas infra quæst. 108. & Scholastici cum Magistro in 2. dist. 9. Ex quibus suppono, nomen Hierarchiæ commune quidem esse Angelis, & hominibus: significat enim, iuxta Græci nominis etymologiam, idem quod sacer principatus, id est, collectionem personarum aliquo modo sacrarum sub aliquo Principe. Constat autem Hierarchia choris, siue ordinibus, quibus significatur collectio, seu multitudo magis specialis & contenta intra Hierarchiam, dicens cœtum personarum sacrarum habentium, inter se peculiarem similitudinem in aliquo munere gratiæ.

S. Thom. Magister.

9. Hoc posito certum est dari inter Angelos ordines inferiorum, & superiorum, secundùm varios dignitatum gradus, qui & in tribus Hierarchiis prima, secunda, & tertia constituuntur, & in singulis earum per tres ordines distinguuntur, & ita sunt nouem ordines, seu chori: qui Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubini, ac Seraphini nominantur. Colliguntur ex Scriptura Rom. 8. ad Coloss. 1. ad Ephes. 1. ad Hebr. 9. 1. Cor. 15. ad Thessal. 4. 1. Petri, 3. Genes. 3. Isai. 6 Vnde Dionysius nouem Angelorum choros distinxit lib. de cælesti Hierarch. cap. 6. & sequentibus, numerans illos eodem ordine, quo sunt à nobis numerati. Sequuntur Damascenus, & S. Thomas, multique Patres apud Soarium lib. 1. de Angelis cap. 13. licet aliqui nonnullos choros prætermittant: alij verò nonnunquam immutent ordinem numerandi.

Rom. 8. Coloss. 1. Ephes. 1. Hebr. 9. 1. Cor. 15. Thessal. 4. 1. Pet. 3. Gen. 3. Isai. 6. Damasc. S. Thom. Suarez.

10. Et quidem probabile sit non solùm nomen Angelorum, sed etiam alia diuersorum ordinum, præsertim illa tria, Virtutes, Throni, & Cherubim interdum accipi, vt communia omnibus, vel pluribus ordinibus Angelorum: Nihilominus omnia illa nomina sub alia significatione esse propria singulorum ordinum aliquo modo inter se distinctorum colligitur manifestè ex doctrina Dionysij, quam cæteri Patres secuti sunt; & modus ipse loquendi Pauli ad Ephes. 1. & ad Coloss. 1. *Siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates*, cogit fateri per illas voces significari personarum classes inter se quoquo modo distinctas. Vnde Augustinus contra Priscillianistas cap. 11. propter illa verba Pauli dixit *Esse itaque sedes, Dominationes. Principatus, & Potestates in cælestibus apparatibus firmissimè credo, & differre inter se aliquid, indubitata Fide teneo, sed quænam illa sint, & quid inter se differant nescio.*

Dionys. Ephes. 1. Coloss. 1. Augustinus.

11. Quod Augustinus fatetur se nescire, dum inquirunt Scholastici diuersi sentiunt diuersa. Molina 1. part. quæst. 63. artic. 7. §. *Quod si aduersus*, & quæst. 108. artic. 1. §. *Porrò inter.* Vasquez 1. 2. disput. 11. cap. 8. num. 46. Conimbricenses 3. de anima cap. 11. quæst. 2. artic. 2. dicunt Hierarchias, & choros Angelorum distinctionem & denominationem sumere à perfectionibus viæ. Ferrara 3. contra Gent. cap. 26. & Cumel. 1. p. quæst. 108. art. 6. putant sumi distinctionem, & denominationem illam ab actibus beatificis. Medina 1. 2. quæst. 3. art. 4 Bannes 1. part. quæst. 108. censent non ab actibus beatificis, sed ab aliis perfectionibus patriæ desumi, scilicet vel à perfectionibus supernaturalibus, & gratuitis, secundùm quas vnusquisque recipit nobiliori modo lumen illustrationis diuinæ, & rationes intelligibiles diuinæ dispositionis, quas etiam nobiliori modo communicat aliis: Vel etiam à propriis ministeriis, & effectibus, quos erga alios singuli exercent.

Molina. Vasquez. Conimb. Ferrara. Cumel. Bannes. Medina.

Franc. de Lugo in 1. part. D. Thomæ.

12. Ego existimo, nos distinctionem inter Angelorum Hierarchias, & choros non tam scientia, quàm fide cognouisse. Hac verò distinctione supposita, quæ scilicet oritur ex singulorum naturis, & proprietatibus intrinsecis nobis ignotis accommodamus aliqua nomina singulis ordinibus, quæ sint propria singulorum, eosque prout diuersos significent: Quia tamē iuxtà naturalis perfectionis inæqualitatem distributa sunt Angelis in via inæqualia auxilia gratiæ, quibus cooperati, consecuti sunt inæquales gradus gloriæ, & iuxta hanc inæqualitatem beatitudinis sortiti sunt munera superiora, vel inferiora in ordine ad hominum salutem: Hinc fit vt distinctio significata per hæc nomina inchoatiuè sumatur à perfectionibus viæ, remotè ab actibus beatificis; proximè tamen à muneribus, vel modis diuersis gubernandi vel dirigendi Remp. humanam ad æternam felicitatem.

13. Itaque secundum doctrinam Dionysij lib. de Cælesti Hierarchia præsertim cap. 7. & S. Thomæ 1. part. quæst. 108. art. 1. 2. 4. Hierarchia dicit ordinem gubernationis, & executionis diuinæ prouidentiæ in aliquem finem supernaturalem, ac subinde postulat subordinationem superioris, & inferioris in recipiendo, & communicando diuinas illustrationes, ita vt superior Hierarchia distinguatur ab inferioribus, quatenùs immediatè illuminatur à Deo, inferiores verò non nisi mediante superiori: Et quamuis hæc subordinatio non semper reperiatur in choris eiusdem Hierarchiæ, quoad aliqua tamen reperitur: nam licèt omnes tres ordines supremæ Hierarchiæ aliquas illustrationes immediatè recipiant à Deo; non tamen omnes illas, sed aliquas recipiunt à superiori choro, vt colligitur ex sancto Thoma suprà, & quæstione 112. articulo 3. ad 4. & quæstione 113. art. 2. ad 2.

14. In particulari verò iuxta doctrinam S. Thomæ 3. contra Gent. cap. 80. Seraphini dicuntur, qui in altiori, & nobiliori principio ordinis diuinæ prouidentiæ (secundùm quam & illuminant, & illuminantur) recipiunt cognitionem eiusdem prouidentiæ, scilicet in ipsa diuina bonitate, quatenùs mouet Deum ad intendendam gloriam suam per hæc media, & hanc cognitionem communicant aliis inflammando ad amorem simul ardentes, & incendentes. Cherubini recipiunt cognitionem diuinæ prouidentiæ in practica cognitione diuinæ mentis, & illam communicant illuminando. Throni percipiunt diuinam volitionem executricem dispositionis decretæ, atque istam illustrationem communicant excitando alios ad

obedientiam, & reuerentiam exhibendam Deo, qui sedet in thronis, *vt per eos sua iudicia decernat*, sicut dixit Gregorius homilia 34. in Euāgelia. Gregor.

15. Dominationes sunt super omnes ordines exequentium vel ordinando, vel intimando singulis quid per vnumquemque fieri oporteat, siue in generali, distribuendo munera siue nonnunquam in particulari, Dei voluntatem illis reuelando. Virtutibus tribuit Gregorius quod per eos *signa & miracula frequentius fiant*, id est, quidquid extra communem cursum causarum, in hoc sensibili mundo contingit, quamuis sæpè hominibus non innotescat, quod in tali opere diuinum aliquid & præternaturale intercesserit. Potestates secundùm Dionysium ordinant, quæ per totam Hierarchiam tertiam agenda sunt. Addit Gregorius habere specialem efficacitatem supra Dæmones, qui *eorum potestate maximè frænantur*.

16. Principatus dicuntur quasi Principes, quoniam omnibus Angelis, & Archangelis præsunt in bis, quæ ad salutem omnium hominum tam priuatorum, quàm Principum, aut communitatum spectant. Archangeli quandam excellentiam habent in animarum cura: nam ad grauiora negotia, & publica hominum commoda destinantur. Regum, Principum & Pontificum curam suscipiunt. Angeli nomen à munere omnibus communi sumptum est: nam *omnes sunt administratorij Spiritus*, Hebr. 1. Tamen quia ministerium istud generatim sumptum minimam in Angelis perfectionem indicat: quilibet enim gradus illius generis ad illam pertingit, ideò nomen istud appropriatum fuit infimo choro, vel ordini. Sicut nomen generis solet speciei minùs perfectæ accommodari. Itaque Angeli dicuntur, quibus singulorum hominum custodia peculiariter commissa est, & qui ad priuatas personas immediatè mittuntur. Hebr. 1.

CAPVT II.

An possint Angeli numero, vel specie differre.

1. Villermus. Albert. PRima sententia sit, Angelos non posse inter se specifice differre. Ita Villermus Parisiensis lib. de vnitate p. 2. per multa capita, & Albertus magnus in summ. p. 1. tract. 2. quæst. 8. Probatur, quia maxima simplicitas Angelicæ naturæ videtur non admittere specificam diuersitatem, cùm omnes Angeli debeant in omnibus attributis, & potentiis, intellectu scilicet, & voluntate conuenire. Confirmatur, quia substantia spiritualis diuiditur in rationalem & intellectualem: sed anima rationalis non potest secundùm speciem multiplicari: ergo nec spiritus intellectualis, siue Angelica natura capax erit specificæ distinctionis. Molina hic art. 4. & Becanus cap. 1. de natura Angelica quæst. 4. conclus. 4. dicunt multos Patres stare pro hac sententia. Sed certè de vnitate similitudinis, vel speciei subalternæ possunt Patres intelligi, de quo late Bubalus hic art. 4. quæsito 1. difficultate 1. 5. Cæterùm Basilius lib. 3. contra Eunomium videtur loqui de vnitate specifica infima: nam per vnitatem inter Angelos in natura declarat vnitatem naturæ diuinæ inter Spiritum sanctum, & alias diuinas personas. Similiter loquitur Athanasius quæst. 4. & 8. ad Antiochum dicens. *Vna, & eadem est essentia Angelorum, sicut etiam vna est essentia hominum.* Quin Origenes 1. Periarch. cap. 5 & 8. quem refert S. Thomas 1. part. quæst. 75 art. 7. & Tertullianus quem refert Augustinus lib. de hæresibus hæresi 68. putarunt omnes animas humanas & Angelos esse vnius speciei atomæ, nimis in hoc addicti Platonicis, qui consequenter existimarunt animas hominum pessimas post mortem in Dæmones verti, vel sicut dicebat Plotinus apud Augustinum 9. de Ciuit. cap. 11. ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sint. Lemures, siue laruas, si mali. Manes autem Deos dici, cùm incertum est bonorum, seu malorum esse meritorum. Ratio sumitur ex conuenientia in operatione intelligendi, ac in fine felicitatis siue naturalis, siue supernaturalis. Quorum autem eadem est operatio propria, idemque finis eorundem eadem est natura specifica.

Molina. Becanus. Bubalus. Basilius. Athanasius. Origenes. Tertullian. August. Plotinus.

2. Secunda sententia per oppositum affirmat omnes Angelos debere specie differre, ac subinde negat illos posse sub eadem specie vltima solo numero multiplicari, etiam de potentia absoluta. Ita quidem Thomistæ tribuentes illam sancto Thomæ, quoniam in hac quæst. 50, art. 4. & sæpè alibi vtitur illis verbis, *Impossibile est*. Insinuat Caietanus ibi & latius tom. 3. opusculorum tractat. 7. de ente, & essentia cap. 4 quæst. 9. Vbi licet non vtatur verbis implicandi contradictionem, vel de potentia absoluta, dicit tamen esse simpliciter impossibile, additque annihilato Angelo vnius speciei, si Deus velit speciem illam reparare, necessariò reproducturum eundem Angelum, & naturam Angelicam non magis esse vniuersalem, quàm naturam diuinam, & per consequens essentialiter esse incommunicabilem multis indiuiduis naturis, sicut est natura diuina. Citantur alij, sed immeritò. Caietan.

3 Probatur, quia deficiente principio intrinseco distinctionis repugnat fieri distinctionem, sed in Angelis deficit principium distinctionis numericæ: ergo non possunt solo numero distingui. Minor probatur, quia sola materia est principium intrinsecum distinctionis numericæ: ergo non possunt solo numero distingui Angeli, qui cùm careant materia, carent vtique intrinseco principio distinctionis numericæ. Probatur 2. nam Angelus est forma simplex: ergo non possunt duo Angeli distingui nisi per formam, ac subinde formaliter & essentialiter. Probatur 3. quoniam essentia abstracta, & per se subsistens, cum habeat totam perfectionem suæ speciei non potest multiplicari solo numero, sed Angelus est forma abstracta, & per se subsistens. ergo non potest solo numero multiplicari.

4. Tertia sententia dicit licèt hoc sit possibile de potentia absoluta, quia non implicat contradictionem, fieri plures Angelos eiusdem omninò speciei infimæ, non tamen multiplicari posse solo numero secundum communem ordinem vniuersi substantiis separatis connaturalem. Ita planè S. Thomas opusculo 16. contra Auerroistas, vbi dum dissoluit argumenta contrariæ partis, affirmat intellectum humanum potuisse multiplicari à Deo, licèt natura sua principium multiplicationis non haberet. Id enim quod aliqua res non habet natura sua, & ex suis principiis naturæ, habere potest ab alia causa, præsertim verò à Deo:

Vnde

Vnde aſſerit, quòd licèt *ſubſtantiæ ſeparatæ non habeant in natura ſua cauſam diſtinctionis, nec naturalem curſum multiplicationis, poſſunt tamen ſortiri multiplicationem ex ſupernaturali cauſa, nec eſſet implicatio contradictionis.* Quibus verbis ſatis explicat Angelicus Doctor mentem ſuam, vt quoties in aliis locis dicit hoc eſſe impoſſibile; de hac potentia ordinaria loquatur: nec enim hic artic. 4. nec alibi vnquam de potentia abſoluta quidquid dixit. Æ gid. Rom. Conſentit Ægidius Romanus quodlib. 2. quæſt. 7. dicens, *quòd Deus hoc potuit, ſed ſecundum iſtum ordinem, quem videmus, non decuit*; Ferrara. tenet Ferrara 2. contra Gent. cap. 93. §. *Ad hoc dicendum*, Capreolus. propendet Capreolus in 2. diſtinct. 3. artic. 3. ad 2. Durandi contra 5. concluſionem in ſolutione 4. Fundamentum poteſt eſſe quia rationes ſecundæ ſententiæ probant differentiam ſpecificam eſſe conformem naturis Angelorum, & aliunde non conuincunt manifeſtam implicationem in multiplicatione indiuiduorum: ergo multiplicari poſſunt de potentia abſoluta, non de potentia ordinaria.

5\. Quarta ſententia docet poſſe Angelos differre inter ſe ſpecie; poſſe item ſolo numero multiplicari. Ita Scotus, Durandus, Gabriel, Marſilius, Alenſis, Richardus, Argentinas Albertus, Henricus, Ægidius, Bannes, Cumel, Ripa, quos referunt, & ſequuntur Molina hic artic. 4. Vaſquez diſput. 181. Valentia tom. 1. diſput. 4. quæſt. 1. punct. 3. Suarez diſput. 5. Metaphyſ. ſect. 2. & lib. 1. de Angelis cap. 15. Vbi loquitur etiam expreſsè de potentia ordinaria, & probat quia de potentia abſoluta non repugnat produci plures Angelos eiuſdem ſpeciei. Siquidem nulla oſtenditur in tali productione contradictio, vt patebit ex ſolutione argumentorum primæ ſententiæ: ergo nec id repugnat de potentia ordinaria. Conſequentia probatur: nam ſi multiplicatio numerica eſt poſſibilis de potentia abſoluta, ſupponitur ex parte naturæ Angelicæ conſideratæ in eſſe poſſibili non repugnare, nec deeſſe principium intrinſecum diſtinctionis numericæ ſub eadem ſpecie: ergo eadem poteſtate ordinaria qua Deus poteſt creare ſpeciem illam, poteſt eandem producere in vno, vel in multis indiuiduis prout voluerit.

(Margin: Scotus. Durand. Gabriel. Marſilius. Alenſis. Richard. Argentina. Albert. Henricus. Ægidius. Bannes. Cumel. Ripa. Molina. Vaſquez. Valentia. Suarez.)

6\. Dico primò potuiſſe à Deo creari Angelos ſpecie diuerſos. In hoc conueniunt contra primam ſententiam omnes reliquæ idemque ſupponere videntur Patres non ſolùm qui de facto diſtinctionem illam admittunt, ſed etiam Auguſtinus, Damaſcenus, Bernardus, dum enim dubitant, vel ignorare ſe dicunt, an ita ſit, ſupponunt profectò talem diſtinctionem eſſe poſſibilem. Philoſophi quoque magis inclinant in hanc ſententiam, Ariſtoteles enim 1 . Metaph. vt minimum ponit eam coordinationem in intelligentiis, quæ eſt inter cælos; hanc autem probabilius fit eſſe eſſentialem, & ſpecificam. Ratio naturalis poteſt eſſe, quia non repugnat dari in intelligentiis hanc eſſentialem diuerſitatem: nam licet omnes conueniant in gradu intellectuali, cùm tamen illum non habeant in ſumma perfectione, poſſunt illum participare ſecundùm varios modos eſſentiales, ſicut omnia bruta participant gradum ſentiendi, & intrà illum habent diuerſitatem eſſentialem.

(Margin: Auguſt. Damaſc. Bernard.)

7\. Theologica ratio ſumitur ex omnipotentia diuina, quam nihil non repugnans ſubterfugit. Sed nulla repugnantia ex parte gradus intellectualis completi (vt omittamus animam rationalem, quæ licèt ſpecie differat ab Angelis, non eſt tamen in illo gradu ſubſtantia completa) apparet nobis ob quam non poſſint intra gradum iſtum, ſicut in cæteris inferioribus, ſpecies eſſentialiter diſtinctæ multiplicari: ergo non eſt id denegandum omnipotentiæ Dei. Minor probatur, quia ſi ex parte ſubſtantiæ creatæ ſpiritualis aliquid obſtaret, aut eſſet ſimplicitas eius, aut perfectio; nihil enim aliud excogitari poteſt. At ſimplicitas non obſtat, quia non eſt tanta, vt non admittat compoſitionem aliquam, vel ex eſſentia, & exiſtentia, vel ex natura, & ſubſiſtentia, & à fortiori ex genere, ac differentia, vt diximus diſputatione 1. capite 2. Nec ſimplicitas excludens compoſitionem ex materia & forma excludit multiplicationem eſſentialem, quia ratio propria huius diſtinctionis etiam in rebus ſic compoſitis non eſt materia, ſed forma: ergo multò meliùs reperietur in formis ſubſiſtentibus ſine materia, vel ordine ad illam. Nec etiam obſtat perfectio gradus illius: nam omnis natura Angelica eſt finita; quare facilè poteſt intelligi alia eſſentialiter perfectior. Quòd autem ſpecificè diſtant Angeli ab anima rationali contra Platonicos conſtat: nam anima rationalis eſſentialiter eſt pars incompleta, formaque corporis, vt oſtenditur in libris de Anima. Angelus verò non eſt forma, ſed ſubſtantia completa, vt ſuprà viſum eſt diſputatione 1. ergo differunt eſſentialiter, & per conſequens ſaltem ſpecificè, quod latè perſequitur Bubalus hic art. 4. quæſito 2. difficult. 1. Bubalus.

Dico ſecundò, poſſe Deum de potentia abſoluta plures Angelos eiuſdem ſpeciei, ſoloque numero diſtinctos producere. 8. Ita contra ſecundam ſententiam omnes aliæ: Imò S. Thomas eo opuſculo 16. §. Vltimò ad primam obiectionem Auerrois in fine, dicit. S. Thom. *Valde rudiiter* Auerrois. *argumentantur ad oſtendendum quòd Deus non poſſet facere quod ſint multi intellectus eiuſdem ſpeciei credentes hoc implicare contradictionem.* Vbi planè ſentit contrariam ſententiam non ſolùm eſſe falſam, ſed etiam valdè rudem, ac ſubinde improbabilem, quia denegat diuinæ potentiæ aliquem effectum finitum ſine ſufficienti fundamento, quo poſſit implicatio contradictionis in tali effectu demonſtrari. Et in 1. diſt. 34. quæſtione 1. artic. 1. apertè docet *in illis in quibus aliud eſt eſſentia, quàm hypoſtaſis oportere, quod ſit aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur, Vnde illam determinationem, materia, vel alicuius, quod loco materiæ ſe habeat, addit in creaturis hypoſtaſis ſupra eſſentiam*: ergo ex ſententia ſancti Thomæ omnis natura, quæ habet diſtinctam hypoſtaſim eſt multiplicabilis in plura indiuidua: ergo omnis natura creata etiam ſpecifica (quæ non minus diſtinguitur ab hypoſtaſi, quam generica) eſt multiplicabilis in plura indiuidua ſolo numero diſtincta.

9\. Probatur, quia principium indiuiduitatis ſub eadem ſpecie non debet eſſe aliquid [illegible] alter diſtinctum ab ipſa natura ſpecifica ta[illegible] bus ſimplicibus, quàm in compoſi[illegible] ſola ratione [illegible] ergo æquè po[illegible] reperiri, nec eſt cur ne[illegible] eſt

numerica Angelorum possibilis, saltem de potentia absoluta. Antecedens probatur, quia principium individuationis non esse materiam signatam quantitate, multis probant Scotus in 2. distin. 3. quæstione 7. & Suarez disputatione 5. metaph. sect. 2. & 3. pro nunc sic possumus rationem formare. Quemadmodum in eodem homine idem realiter est genus, species, & individuum, solaque ratione distinguuntur, sic etiam idem erit realiter principium generis, speciei, & individuationis, cum fundamento tamen, vt in quauis re prorsus eadem, & simplicissima possimus secundùm rationem tria principia discernere, genericum, specificum, & individuum secundum diuersam rationem conuenientiæ ac differentiæ. Dari autem in compositis præter formam etiam materiam non satis est, vt dicamus distingui realiter in illis principium specificæ distinctionis à principio distinctionis numericæ: nam vtraque tam scilicet materia quàm forma physicè constituit rationem generis, speciei, & individui, quoniam à composito ex vtraque triplex hæc ratio desumitur.

Scotus. Suarez.

10\. Confirmatur: nam sicut ad hoc vt genus multiplicetur secundùm speciem non est necesse distingui principium specificum à generico, ita nec requiritur materia signata. Quapropter in Angelis etiam admittitur multiplicatio specierum sub eodem genere. Sic etiam vt multiplicentur species secundum numerum, non videtur necessarium, quod principium numericum distinguatur realiter ab specifico, nec requiretur compositio ex materia, & forma: nam eadem esse videtur vtriusque ratio, cùm in eadem serie prædicamenti metaphysicè collocentur, & ex his sola resultet metaphysica compositio, longè diuersa à physica compositione, quæ ex materia & forma coalescit. Igitur sicut in Angelis concipit mens nostra rationem genericam, & specificam ratione distinctas, sic etiam potest concipere rationem individuam quatenus concipit in Gabriele v. g. hanc numero entitatem propriam Gabrielis solius, & præterea rationem essentialem specificam illius, quæ per aliquod prædicatum superiùs constituatur, ac subinde non includat essentialiter hanc numero entitatem, nec per consequens positiuam repugnantiam, vt communicari possit aliis individuis. Nulla ergo datur implicatio contradictionis in hoc quod de potentia Dei absoluta multiplicentur individua naturæ Angelicæ solo numero diuersa. Consonat Bubalus hic art. 4. quæsit. 1. difficultate 2. vbi alias expendit rationes pro hac sententia. Iuuant articuli Parisienses: Nam octauus sic ait: *Dicere quod quia intelligentia non habent materiam, Deus non potest plures eiusdem speciei facere, error.* Item nonagesimus sextus sic habet, *Dicere quod Deus non possit multiplicare individua sub vna specie sine materia, error.* Denique centesimus nonagesimus primus ait, *Quod forma non recipiant diuisionem nisi secundum materiam, error.*

Bubalus.

11\. Dico tertiò licèt valdè probabilis sit quarta sententia propter fundamentum ipsius, tamen in obsequium S. Thomæ potest probabiliter tertia defendi, si rectè intelligatur. Admittimus enim in Angelis consideratis quoad esse possibile prius ratione, quam Deus velit vnum, vel plures in singulis speciebus producere principium intrinsecum distinctionis numericæ, ex parte [illegible] entitatum possibilium illorum Angelorum. Quare respectu singulorum Angelorum dici potest possibilis individuorum multiplicatio, non tantum de potentia absoluta, sed etiam de ordinaria; quatenus ante diuinæ voluntatis determinationem nulla lex ordinaria præsupponitur ex parte ipsius Dei, nec ex parte alterius speciei Angelicæ datur positiua repugnantia, sed potiùs obiect[illegible] capacitas vt possint multiplicari cuiuslibet speciei individua.

12\. Declaratur, quia si Deus velit creare duos Angelos in vna specie, tam naturalis esset creatio vniuscuiusque ipsorum, ac si solus crearetur, & tam conformiter ad cuiuslibet naturam operaretur Deus creando duos, sicut creando vnum tantùm: ergo tam est secundum legem ordinariam in hoc sensu creano plurium, quàm vnius. Antecedens patet: nam ex parte Dei non est difficilius creare plures quam vnum, supposita non repugnantia ex parte obiecti, neque creando duos efficit aliquid supernaturale in aliquo illorum, vel in vtroque ad hoc vt possint distingui numericè, quia suis solis entitatibus distinguentur, siquidem talis distinctio supponitur [illegible] in illis entitatibus simplicibus spectatis in esse possibili. Vnde nec in modo productionis esset necessarium aliquid supernaturale singulis superadditum; Sed sola multiplicatio creationum, quarum singulæ connaturales esset, & secundùm communem legem Angelicæ naturæ; nec amplius videtur intendisse Suarius, nec alij forsan Doctores quartæ sententiæ.

13\. Cæterùm si creatio Angelorum comparatur non ad singulorum, eatgeniam connaturalem, sed ad totum ordinem vniuersi, vt loquitur Ægidius Romanus quodlibet. 2. quæstione 7. supra exigentiam naturæ videtur esse creatio plurium Angelorum solo numero differentium, ac subinde non de potentia ordinaria, sed de potentia Dei absoluta contingere. Quoniam vniuersale bonum totius vniuersi postulat multiplicationem individuorum potissimum propter conseruationem speciei, quæ quibusdam corruptis perseueret in aliis. Sic Aristot. es 2. de anima text. 34 & 35. docuit multitudinem individuorum in eadem specie dari propter conseruationem speciei. Sic Caietan. S. Thomas 2. contra Gent. capite 93. Ferrara ibi Caietanus 1. parte quæstione 66. articulo. 2. Capreolus, Iandunus, Pereyrus libro 2. philosoph capite 9. atque alij censent omnia corpora cælestia distingui specie inter se, quoniam sunt incorruptibilia; sed Angeli sunt incorruptibiles, vt vidimus di p. 1. cap. 3. Ergo iuxta connaturalem exigentiam vniuersi non sunt multiplicandi solo numero.

Ægid. Rom.

Aristot. S. Thomas. Ferrara. Caietan. Capreolus. Iandunus. Pereyrus.

14\. Addit S. Thomas suprà. Id quod est speciei in vnoquoque dignius est eo, quod est individuationis principium præter rationem speciei ex[illegible] q[illegible] scilicet differentiæ numericæ non sunt [illegible] ites, sed limitantes, vt dicitur lo libris de Anima. Igitur multiplicatio specierum plus addit [illegible] & perfectionis vniuerso, quàm multiplicatio individuorum in vna specie. At perfectio vniuersi maximè consistit in substantiis separatis, Magis ergo conuenit ad perfectionem vniuersi quòd sint plures secundum speciem diuersæ, quam quòd multiplicentur solo numero. Confirmat Angelicus Doctor: nam in corporibus cælestibus, propter eorum perfectionem non dantur nisi vnicum individuum cuiuslibet speciei, quoniam in vno individuo inest perfectè virtus speciei

species ad complendum illud in vniuerso, ad quod sua species ordinatur, vt patet in sole, & in luna. Igitur multò magis in substantiis separatis, quæ perfectiores sunt, quam corpora cælestia, non requiritur secundum communes naturæ leges, & iuxta perfectionem, ac ordinem totius vniuersi, nisi vnicum indiuiduum in vna specie.

15. Declaratur exemplo: nam admissa opinione, quam reputo probabiliorem, asserente posse Deum producere infinitum in multitudine, adhuc negabit nemo creationem, v.g. infinitorum Angelorum ad solam potentiam Dei absolutam pertinere, nec secundum ordinariam naturæ legem contingere: Cùm tamen si singulos Angelos attendamus in illa infinita multitudine productos, connaturalis sit vnicuique sua creatio, nec in singulis, nec in omnibus, nec in aliquibus superaddat Deus aliquid intrinsecum supernaturale, vt infiniti producantur simul, sed solùm extrinsecè dicatur supernaturalis illa collectio actionum simul sumpta à diuina potentia simul exercente virtutem infinitam: & operante super exigentiam communis legis, & ordinis vniuersi, quod finitam solùm actionum, & effectuum multitudinem prærequirit: similiter igitur si Deus produceret plures Angelos eiusdem speciei, licèt connaturalis sit singulis sua creatio, connaturaleque principium habeant distinctionis numericæ, nec egeant subinde aliquo intrinsecè superaddito miraculoso, tamen respectu communis legis & ordinis vniuersi non exigentis in incorruptibilibus nisi singularum specierum vnicum indiuiduum, quod sufficit speciem conseruare, ac magis confert ad pulchritudinem vniuersi quàm plura; certè non de potentia ordinaria, sed de absoluta potentia dicetur operari Deus in illa numerica multiplicatione.

16. Ad fundamentum primæ sententiæ dictum est conclusione prima: sicut enim Angelicæ naturæ simplicitas non respuit compositionem ex essentia, & existentia, atque ex natura, & subsistentia, sic à fortiori non respuet compositionem ex genere, & differentia. Ad confirmationem negatur consequentia. Ratio disparitatis est: nam in natura intellectuali possumus tres gradus distinguere; Summus est natura diuina, medius Angelica, infimus humana: In summo propter summam eius perfectionem nulla multiplicatio naturæ fuit necessaria, vel possibilis; in infimo non fuit necessaria specierum multitudo, sed indiuiduorum sufficit, quæquidem imperfectioni talis gradus accommodata est: At Angelicus ordo medius est inter hæc duo extrema. Quamobrem ad perfectionem, & latitudinem illius pertinet varietas specierum, saltem possibilium propter suprà dicta num. 6. quamuis in infimo gradu forsan non sit possibilis diuersitas specifica: nam animus rationalis nimis determinatus est ad capiendum cognitionem per organa corporis sentiendo, vnde possit abstrahere intellectionem. Hinc fit differre rationalem animum essentialiter ab Angelis, magis quàm differant Angeli inter se: nam anima connaturaliter intelligit dependenter à sensibus, & cum conuersione ad phantasmata; secus Angelus, qui nullos vnquam sensus habet corporeos.

17. Ad secundam sententiam negamus S. Thomam ita sensisse: nam satis ipse se explicat opusculo 56. de sola potentia ordinaria loqui: sicut Aristoteles 9. metaphys. text. 59 dixit impossibilem esse cælo quietem, scilicet iuxta connaturalem exigentiam vniuersi; & ipse S. Thomas quæst. 6. de potentia art. 1. ad 11. distinguit aliud impossibile logicum seu mathematicum quod simpliciter repugnat, aliud physicum, quod repugnat solùm secundum ordinem causarum naturalium, & hanc esse mentem S. Thomæ in præsenti late collatis, & expensis pluribus eiusdem testimoniis ostendit Bubalus hic art. 4. quæsito 1. difficultate 3. Præ- Bubalus.
tereà quando dicit Angelicus Doctor materiam esse principium indiuiduitatis, loquitur plane de materia signata quantitate, quatenus est principium & radix multiplicationis indiuiduorum, cùm sit capax alterationis & mutationis physicæ per contrarias qualitates, & varias dispositiones, vnde nascitur indiuiduorum generatio, & corruptio, quæ cessant in substantiis incorruptibilibus, ac subinde cessat in illis connaturalis exigentia multiplicationis numericæ. Rursus vult S. Thomas materiam signatam quantitate sensibili esse radicem, vel saltem occasionem productionis huius indiuidui, quatenus indiuiduatio sumitur per ordinem ad istam materiam, quantitatem, & accidentia reliqua, vel circumstantias, quæ ad productionem indiuidui concurrunt. Vult etiam materiam signatam quantitate, ac aliis accidentibus dici principium indiuiduationis, quoad nos, qui per istas sensibiles differentias discernimus numericam varietatem.

Sic S. Thomas opuscul. 32. de natura materiæ, 18.
& dimensionibus indeterminatis cap. 3. ait; Ex S. Thomas.
hac materia prima, & hac forma fieri indiuiduum substantiæ, non tamen esse hic & nunc demonstrabile sine dimensionibus determinatis; & *ideò* (inquit) *dicitur materia sub certis dimensionibus causa indiuiduationis, non quòd dimensiones causent indiuiduum, cùm accidens non causet suum subiectum, sed quia per dimensiones certas demonstratur indiuiduum hic, & nunc, sicut per signum proprium indiuidui & inseparabile.* Idem innuit opuscul. 29. de principio indiuiduationis. Quare cùm sanctus Doctor. 1. part. quæst. 3. art. 3. aliisque locis significat indiuiduum addere accidentia super naturam specificam, loquitur in ordine ad nostram cognitionem; alioquin 1. part. quæst. 29. art. 1. & de potentia quæst. 9. art. 1. ad 8. manifestè docet substantiam indiuiduari per seipsam, & per principia propria. Censet ergo etiam Angelos posse per propriam substantiam, & entitatem indiuiduari. Equidem ex iis, quæ docet in 1 dist. 34. quæst. 1. art. 1. & nos retulimus suprà num. 8. colligitur primò iuxta mentem S. Thomæ, nec materiam propriam, nec ordinem ad illam requiri, vt detur indiuiduum substantiæ: nam expressè asserit sufficere aliquid loco materiæ. Colligitur 2. omne id quod naturam determinat ad esse singulare, vel designat nobis rei singularitatem à S. Thoma vocari aliqua ratione materiam, siue sit propria materia, siue aliquid loco materiæ, quod in substantiis separatis dicit esse hypostasim, quatenus scilicet hæc numero hypostasis exigitur à tali natura numero: Quare sicut in corporibus per materiam signatam quantitate discernimus indiuidua, sic in spiritibus per diuersas hypostases possumus distinctionem numericam dignoscere. Imò nec Aristoteles vnquam metaphysico more, sed physico videtur ex sensibilibus inuestigasse principium indiuiduationis. Vnde non licet inferre in immaterialibus non dari principium indiuiduationis, sed ad

summum non dari manifestum quoad nos, qui non habemus eas rationes ad distinguendum numero substantias spirituales, vel incorruptibiles, quas habemus ad discernendas corruptibiles & materiales.

19. Iam ad primum argumentum negatur minor, & ad illius probationem negatur maior: licèt enim in rebus materialibus materia sit patrale principium indiuiduationis, & radix multiplicationis numericæ modo dicto suprà num. 17. tamen res spirituales possunt per suas simplices entitates prout tales sunt entitatiuè, distingui solo numero sub eadem natura specifica; quia sicut recipiunt suum esse à Deo, possunt etiam duo esse, seu duas entitates numero distinctas recipere: nec in hoc apparet respectu absolutæ potentiæ Dei aliqua contradictionis implicatio.

20. Ad secundum, distinguitur antecedens. Angelus est forma simplex, id est, natura quædam, & essentia integra sine materia subsistens; concedo antecedens; est forma informans, nego antecedens. Vnde cùm infertur: ergo distinguuntur formaliter & essentialiter, si intelligatur vt propriè significant illi termini distingui Angelos in effectu formali, vel in ratione formali, seu specifica, negatur consequentia, si tamen intelligatur distingui duas formas subsistentes solum in ente tate singulari, sicut etiam distinguuntur duæ animæ rationales inter se, conceditur consequentia. Sed inde non sit Angelos debere semper distingui essentialiter, id est, specificè, sed solùm in entitate formali differre, duntaxat verò numericè. Fatemur igitur Angelos si creentur solo numero distincti, per suas entitates distingui, & quia tales entitates sunt formæ quædam in sensu dicto, distinguentur etiam suis formis, vel potiùs seipsis, indiuidualiter tamen, quippe duæ formæ possunt in entitate distingui numericè, & non specificè, vt patet in anima rationali. Nec obstat istam distingui per habitudinem ad corpus, quia non agimus de principio distinctionis quasi extrinseco, sed de ipsamet entitate distincta in se se, dicimúsque posse saluari distinctionem formarum sine distinctione specifica per solam distinctionem entitatum, quam non repugnat in formis, quæ prorsus etiam carent habitudine ad materiam per suas entitates inueniri.

21. Vnde ad tertium negatur maior, quia non repugnat formam abstractam à materia, & ab habitudine ad illam multiplicari secundùm numerum duntaxat cum integra similitudine specifica: licèt enim forma sic abstracta habeat totam perfectionem essentialem seu specificam suæ speciei, non tamen totam perfectionem entitatiuam, siue indiuidualem possibilem intra illam speciem: nam talis abstractio non obstat quin illa forma posita sit extra causas sit indiuidua, vt rectè probat S. Thomas illo opusculo 16. contra Auerroistas. Talis autem indiuidua natura creata addit aliquid speciei secundùm rationem, quod non est de essentia speciei, sed indiuidui. Quare licèt in tali forma sit tota species quoad essentiam specificam, quam vocare possumus perfectionem intensiuam, non est tamen tota perfectio entitatiua quæ potest in tali specie multiplicari, quam appellare possumus perfectionem extensiuam.

22. Tertiam sententiam iam diximus probabiliter posse defendi. Quartam etiam veram esse respectu vniuscuiusque Angeli in particulari, non tamen secundùm communem ordinem & exigentiam naturalem vniuersi. Quare ad eius fundamentum respondetur negando [illegible] licet enim in singu[illegible] Angelis su[illegible] ciens principium sufficiens numericæ distinctionis, vt vel sic possint à Deo creari alius, & alius solo numero diuersi, tamen ordo, & perfectio [illegible] vniuersi videntur exigere, ne in rebus incorruptibilibus multiplicentur indiuidua solo numero, quia multo magis consona est pulchritudini vniuersi specierum distinctio, quæ per se pertinet ad illius perfectionem, quam indiuiduorum multiplicatio.

CAPVT III.

Vtrùm sit possibilis species creata, quæ non possit esse nisi in vnico, in duo.

Affirmant quotquot de facto censent species infimas Angelorum non posse continere plura sub se indiuidua, sed singulas species singula indiuidua adæquatè continere. 1. Probatur, quia nulla apparet repugnantia, cur hoc sit denegandum omnipotentiæ Dei: ergo fieri potest. Antecedens probatur: nam vt ait S. Thomas 1. part. quæst. 3. art. 3. si Sortes per id esset homo, per quod est hic homo, non possent esse plures homines, sicut non possunt esse plures Sortes; sed non est cur eadem substantialis differentia, quæ constituit genus, speciemque constituit, nequeat esse simul ratio constituens indiuiduum: ergo potest dari species creata pluribus indiuiduis incommunicabilis. S. Thom.

Negat tamen Bubalus 1. part. quæst. 50 art. 4. quæsito 1. difficult. vltima, ibique personas adducit Molinam ibi art. 4. Vasquum disp. 181. cap. 3. Valentiam tom. 1. disp. 4. quæst. 1. punct. 5. Suarium disp. 5. metaph. sect. 2. quatenus dicunt omnem naturam creatam indiuiduari per singularitatem à sua essentia specifica distinctam. Vnde colligit essentiam specificam non connecti essentialiter cum illa indiuiduatione, subindeque posse alius communicari. Probatur primò authoritate Aristotelis dicentis indiuiduum scilicet creatum definiri non posse, quia definitio, quæ explicat essentiam rei, scilicet specificam, nullius indiuidui propria potest esse. Accedit S. Thomas in 1. dist. 34. quæst. 1 art. 1. docens in omnibus substantiis creatis, cùm differat in illis hypostasis ab essentia, debere naturam communem contrahi ad singularia per eam determinationem, quæ prouenit ab hypostasi. Quare cùm talis indiuiduatio sit extra rationem essentialem speciei, hæc manet equidem secundùm se communicabilis multis indiuiduis. 2. Bubalus. Molina. Vasquez. Valentia. Suarez.

Probatur secundò, a priori: nam omnis illa natura specifica, quæ non inuoluit essentialiter singularitatem potest esse in pluribus indiuiduis: Sed [illegible] natura specifica [illegible] inuoluit essentialiter singularitatem: ergo nulla species creata potest creari, quæ non sit communicabilis pluribus. Maior [illegible], quia si tota essentia speciei potest concipi [illegible] singularitate: ergo essentialiter non [illegible] singularitatem: ergo poterit separari [illegible] & subinde communicari seu contingi [illegible] singularitatibus, [illegible] secundùm sua prædicata essent alia non [illegible] magis vnius indiuidui, quàm alterius. Minor principalis probatur, quia omnius naturæ specificæ creatæ [illegible] 3.

singula

singularitas est prædicatum essentiale: ergo nulla inoleuit essentialiter singularitatem.

4. Antecedens constat, quia prædicatum essentiale, vel est genus, vel differentia, sed singularitas non est genus, quia non est commune multis, nec est differentia vltima (nam de mediis idem est iudicium, ac de genere:) ergo non est prædicatum essentiale. Quòd non sit vltima differentia probatur, quia differentia essentialis vltima debet prædicari de pluribus differentibus numero, debet esse superior ad rationem indiuidualem, cùm sit illa quæ genus infimum immediatè limitat ad speciem infimam, qua mediante genus prædicetur de indiuiduis; alioquin si differentia specifica non esset latior quàm numerica, nec superior respectu huius, non contraheret genus, quod immediatè prædicetur de specie, & ista mediante de indiuiduo, sed æquè proximè de vtroque diceretur. Vnde confunditur differentia specifica cum numerica, & fit mania sensus quæstionis: non enim quærimus vtrum singularitas possit pluribus esse communis, quia certissimum est non posse, sed vtrùm ratio superior singularitate possit pluribus communicari.

5. Addit vltimò Babulus Molinam & Valentiam putare contrariam sententiam tanquam erroneam habitam esse Parisiis, quod Valentia refert ex Henrico, Durando, Richardo, & quidem inter articulos Parisienses, quorum autoritatem esse magnam censet Estius in 2. dist. 3. §. 2. habentur etea articuli suprà relati cap. 2. num. 10. qui videntur hanc partem fulcire. Videantur etiam Capreolus in 2. dist. 2. quæst. 1. ad 1. Gregor. & Vasquez disp. 188. cap. 2.

Estius. Capreolus. Gregor. Vasquez.

6. Pro decisione suppono, in hac controuersia vtrinque pugnare diuinam omnipotentiam: nam pro parte affirmatiua videtur ad omnipotentiam pertinere quòd possit creare speciem vnici tantùm indiuidui capacem; pro parte negatiua videtur pariter ad omnipotentiam spectare quòd cuiuslibet speciei creabilia possit multiplicare inferiora. Quare vtrinque debet ostendi repugnantia, vt probabilitas opinioni concilietur. Circa sensum quæstionis oportet explicare quid intelligat Bubalus per naturam superiorem de qua sit inquirendum, an possit communicari multis. Nam si superiorem singularitate vocet illam, quæ latius pateat in prædicatione, vel vniuersalitate, vel fundamento illius, est tane quærere an natura vniuersalis, vel prædicabilis de multis indiuiduis possit multis communicari; vbi de parte affirmatiua nullus ambiget: Si tamen superiorem vocet, id est, priorem ratione nostra, sicut essentia prior est passione, licèt non magis pateat vno, quàm alia, fic facilius datur locus quæstioni, quæ vt sit prorsus de re, videtur mihi sub his terminis posse proponi, scilicet, An possit creare duo indiuidua, quorum singularitates à parte rei tantum differant inter se, quantum differunt canis & lupus, aut aliæ duæ species diuersæ, posteà restabit quæstio de nomine, an illorum indiuiduorum differentiæ dicendæ sint numericæ tantùm, vel etiam specificæ.

7. Ego sentio posse Deum talia indiuidua condere; quod præter fundamentum numero primo positum mihi persuadet communis consensus Logicorum distinguentium speciem prædicabilem, & subiicibilem, quibus diuersas definitiones adscribunt, supponentes posse vnam rationem ab alia separari; Deinde inter munera differentiæ specificæ vnum est constituere speciem, aliud omnino diuersum prædicari de pluribus: ergo videntur supponere possibilem esse speciem subiicibilem, quæ non sit prædicabilia, & differentiam specificam, quæ constituat speciem quin prædicetur de pluribus inferioribus, sed de vno tantùm prædicabilis sit; nec in hoc apparet implicatio contradictionis. Dato autem indiuiduo, quod ex ratione sibi soli propria differat ab omni alio plusquam canis à lupo, vel quàm vrsus à leone manifesta mox ostenditur repugnantia quòd talis ratio essentialis vnicæ rei, vel naturæ communicetur aliis.

Confirmatur ex doctrina, quam vt veriorem tradidi in libris de anima, scilicet differentias indiuiduas esse positiuas, & inæqualia perfectionis inter se, atque ad naturâ, & quidditatem singularem indiuidui non minùs pertinere rationea, & differentias singulares, quàm specificas, quia non minùs est de essentiali substantia, seu quidditate Petri Petreitas, quàm rationalitas. Cur ergo non possit Deus creare differentiam aliquam indiuiduam intrà genus, v. g. Angelorum, vel alterius similis ita ceteris omnibus inæqualem, vt non minùs differat à reliquis singularibus sui generis, quàm duæ species inter se. 8.

Dices, Si Deus potest huiusinodi species, vel indiuidua creare, vnde constat non sic fecisse de facto Angelorum species. Respondeo non omninò constare quid re ipsa factum sit in Angelorum productione. Quare non difficile foret defendere, sic de facto conditas fuisse species Angelorum & singulorum indiuiduationes, vt quisque secundùm essentiam sibi soli propriam differat ab aliis non minùs quàm distinctæ species herbarum, lapidum, metallorum & animalium, & hoc certè ad maximam Aulæ cælestis pulchritudinem, & maiestatem conduceret. Ceterùm quoniam, vt sæpè tradunt Aristoteles, & S. Thomas, ex notis ad ignota progredimur indagando, cùm in speciebus, quas experimur productas, plerumque videamus indiuidua multiplicari, & in speciebus incorruptibilibus, licèt vnum sit indiuiduum singulare, tamen noster intellectus concipiat rationem specificam aliis communicabilem, vt de sole, stellis, cælis, docent Aristoteles, & S. Thomas credibilius nobis sit, huius vniuersi constitutionem exigere tales naturas specificas pluribus communicabiles, & subinde Angelos ad vniuersi constitutionem pertinentes sortiri differentias specificas multis indiuiduis communes saltem potentia, licèt actu singulæ reperiantur in singulis, de quo latiùs capite sequenti. 9.

Ad primum Bubali dicimus Aristotelem loqui de indiuiduis productis quorum exactam definitionem tradere non possumus, quia differentias singulares singulis essentiales non callemus, ideoque nomen essentiæ, naturæ, substantiæ, seu quidditatis tribuitur communiter solis specificis de quibus agunt scientiæ, quia longa experientia in variis indiuiduis potuerunt dignosci, vel saltem per effectus & proprietates iam notas explicari. De singularibus verò licèt non possit dari scientia moraliter in nobis, quia nequimus singulorum indiuiduam differentiam, vel proprietatem discernere in tanta varietate continuaque successione ipsorum; hoc verò non tollit quin singula indiuidua habeant differentiam sibi propriam essentialem, & proprietates indiuiduas per quas possit ab Angelo, vel à Deo definiri. 10.

Quare

Quare simpliciter dari potest scientia de singularibus.

11. Ad S. Thomam posset similiter responderi quòd loquatur ibi de naturis productis, sed licet admittamus nullam esse producibilem substantiam, quæ non egeat subsistentia distincta, & per consequens ad omnes creaturas possibiles doctrinam Angelici Doctoris extendamus, solùm inde fit per ordinem ad talem hypostasim singularem indiuiduari naturam, non tamen docuit S. Thomas implicare naturam aliquam produci, cuius specifica differentia petat, vel habeat essentialem connexionem cum ordine ad talem hypostasim; vnde secundùm rationem etiam specificam postulet hanc indiuiduationem & non aliam.

12. Ad secundum, negatur minor, seu maius, distinguitur, nulla natura creabilis inuoluit essentialiter singularitatem ita vt singularitas ipsa concipiatur essentialis esse rationi specificæ, transeat; ita vt ratio specifica non dicat saltem essentialem connexionem cum illa singularitate, negatur: licèt enim talis species non possit nisi in vnico singulari reperiri, poterit tamen ratione præscindi a singularitate, sicut rationale præscinditur à visibili, quamuis nunquam possit reperiri sine illo, & in Deo concipimus rationem quasi specificam Deitatis, quæ est visio clara diuinæ essentiæ præscindendo a singularitate, quæ dicit esse ens à se, vel esse communicabile per identitatem tribus suppositis, cùm tamen illa ratio quasi specifica non possit nisi cum ista singularitate connecti: Ratio est vtrobique, quia prior conceptus obiectiuus essentia petit habere annexum secundùm. Similiter ergo in illa specie possibili præscindi possit conceptus quasi specificus constituens speciem subiicibilem prior ratione, quàm vltima differentia singularis complens rationem indiuiduam, & tunc prior conceptus non includit essentialiter posteriorem; habet tamen essentialem connexionem cum illo, sicut in exemplis suprà positis, ac subinde singularitas non est prædicatum essentiale speciei, quatenus species dicit conceptum specificum præcisum; at differentia specifica, quæ est prædicatum essentiale speciei, non latius patet quàm numerica essentialiterque petit eum ista sola singularitate coïre.

13. Articuli Parisienses non pugnant nobiscum, sed eum Thomistis asserentibus in spiritibus puris non posse multiplicari singularia sub specie infima. Nos enim fatemur posse dari plurimas species sine materia communes pluribus indiuiduis, imò tales esse de facto species creatas Angelorum, quæ licèt habeant singulæ vnicum indiuiduum, possent tamen plura sortiri ob rationem adductam num. 9. Addimus verò posse quoque creari speciem aliquam, cuius vnicum sit indiuiduum possibile quod articuli Parisienses non inficiantur.

14. Vrget Bubalus eam differentiam, quæ sic constituit speciem, vt simul inferat essentialiter vnicam singularitatem cui communicetur, & non alteri non esse dicendam specificam, sed numericam, & rationem superiorem, quæ per istam contrahitur non fore genus, sed speciem infimam v.g. si ponamus Angelum esse genus & differentiam ipsius immediatè contractiuam esse intellectiuum, vt quatuor quæ possit in solo Gabriele reperiri, eo ipso intellectiuum vt quatuor dicetur differentia indiuidualis, & per consequens Angelus, qui contrahitur immediate per differentiam singularem erit species infima, non genus iuxta regulas Porphyrij, & Logicorum sed hæc iam est quæstio de nomine. Porphyrius, & Logici communiter loquuntur de speciebus, quæ dantur de facto, non de specie possibili, quam nunc rimamur; & adhuc in quæstione de nomine iuxta distinctionem ab ipsis Logicis assignatam speciei subiicibilis, ac prædicabilis, item differentiæ constitutiuæ, ac prædicabilis, videtur iure in exemplo allato Angelus dici genus, & intellectiuum vt quatuor species scilicet subiicibilis non prædicabilis; tum quia simul Angelus contrahi posset per alias differentias, quæ communicentur pluribus indiuiduis; tum etiam quia licèt intellectiuum vt quatuor habeat essentialem connexionem cum vnica Gabrielis singularitate, tamen verè constituit naturam ita diuersam ab omnibus aliis, sicut aliæ differentiæ specificæ: quare sicut æquatur illis in distinguendo, sic etiam in constituendo debet æquari; siquidem constitutiuum, & distinctiuum parificantur: Igitur si talis differentia distinguit naturam quam constituit ab omnibus aliis, plusquam omnes numericæ, & non minùs quàm specificæ, planè dicenda est constituere speciem subiicibilem, licèt non prædicabilem.

CAPVT IV.

An, & quomodo differant Angeli de facto.

Prima sententia sit in quæstione de facto prorsus ignotum nobis esse, quomodo inter se differant cælestes Spiritus: ita Vasquez 1. part. disp. 181. cap. 3. Probat authoritate Damasceni lib. 2. de fide c. 3. vbi de Angelis ità scribit. *Ac de essentia quidem æquales naturæ inter se, an dispares sint, haud quaquam compertum habemus, solus ille scit, qui eos creauit Deus*, Id ipsum ignorare se fatetur Augustinus in Enchiridio cap. 58. & lib. 12. de Genes. ad litteram cap. 29. & lib. contra Priscillianistas cap. 11. Ratio verò est, quia nec ex experientia, nec ex reuelatione id nouimus, & coniecturæ, quæ vtrinque afferuntur sunt admodum imbecilles. 1. Vasquez. Damasc. August.

Secunda sententia docet omnes Angelos esse de facto eiusdem speciei. Sic censent consequenter Doctores suprà relati cap. 2. num. 1. Probatur primò authoritate Patrum asserentium omnes Angelos esse eiusdem naturæ, vel essentiæ, quod absolutè non dicitur nisi de rebus eiusdem speciei. Sic loquuntur Basilius lib. 3. contra Eunomium in principio. Nyssenus lib. de opificio hominis cap. 17. Athanasius in quæstionibus ad Antiochum quæst. 3. & 4. & oratione in id, *Omnia mihi tradita sunt*. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 21. Imò Damascenus, eis lib. 2. de fide cap. 3. dixerit verba suprà relata num. 1. Ceterùm lib. de decretis, & placitis cap. 1. ait. *Vniuscuiusque speciei vna est natura, & omnium Angelorum vna est natura & omnium hominum*, & cap. 7. inquit. *Incorpoream essentiam appello animum, Angelum, Dæmonem vnum quodque enim istorum species est infima.* 2. Basilius. Nyssenus. Athanas. Anselm. Damasc.

Probatur secundò: nam si quid esset quod cogeret ad constituendam inter Angelos differentiam specificam, maximè quia Scriptura & Patres distinguunt in Angelis Hierarchias, & ordines; quippe reliqua omnia, quæ Scriptura de Angelis, tradit, 3.

tradit, omnibus communia sunt: Sed distinctio hierarchica non arguit necessariò distinctionem specificam, sed solum accidentalem, cùm tota illa distinctio sumatur ex donis, aut ministeriis gratiæ, vel gloriæ, quæ sunt accidentalia respectu naturæ Angelicæ ad quam essentialis distinctio specifica spectat. Quare Patres suprà relati distinctionem illam ordinum commemorantes nihilominus essentialem distinctionem negant, vel saltem sentiunt sine tali distinctione totam illam Angelicorum ordinum seriem posse consistere: ergo non est ponenda de facto distinctio Angelorum specifica, seclusa enim auctoritate, nulla ratio conuincit ad specificam Angelorum differentiam constituendam, quin potiùs quò fuerit inter Angelos maior vnitas, eò videtur eorum status perfectior, vt qui magis ad diuinam vnitatem accedat.

4. Tertia sententia tenet omnes Angelos differre inter se specie, sic docet vbique S. Thomas, & omnes Thomistæ pro secunda, & tertia sententia
Argentin. relati cap. 2. & præterea Argentinas in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 2. Probatur primò, nam Angelorum creatio, dum oppositum non constat ex manifesta reuelatione credenda est facta fuisse modo consentaneo naturis rerum, & iuxta communem exigentiam totius vniuersi. Sed hoc modo, quem vocamus de potentia ordinaria non potuerunt creari plures Angeli solo numero differentes, vt cap. 2. visum est: ergo censendi sunt omnes differre de facto, & vniuscuiusque speciei vnicum dari indiuiduum.

5. Probatur secundò, ex coniectura: nam ordo per se nobilior est ordine per accidens: ergo in gradu Angelico maior perfectio erit si totus ordo, & diuersitas Angelorum sit per se; ita vt tota multitudo personarum in illo gradu intellectiuo existentium specifice differat. Dices, posito toto numero specierum sufficientium in illo gradu perfectiori modo extituras naturas illas, si singulæ species in pluribus indiuiduis, quàm in vnico reperiantur. Sed contrà, quia si tota illa multitudo, quæ in omnibus illis speciebus excogitatur sit etiam specierum, maior erit perfectio, & pulchritudo.

6. Quarta sententia docet dari plures Angelos specie diuersos, plures item solo numero differentes. Ita Bonauentura, Scotus, Alensis, Albertus, Gabriel, Durandus, Marsilius, quos referunt, & sequuntur Molina hic art. 4. Valentia disput. 4. quæst. 1. punct. 5. Suarez lib. 1. de Angelis cap. 15. num 15. Probatur hæc sententia quoad priorem partem, quia valde consentaneum est pulchritudini vniuersi, & per consequens ordini diuinæ sapientiæ, quòd Angeli fuerint in magna varietate specierum creati. Primò, quia specierum distinctio mirum in modum auget perfectionem & pulchritudinem vniuersi. Secundò, quia multitudo specierum in inferioribus gradibus corporum, seu viuentium ornat vniuersum non parùm, diuinamque sapientiam, bonitatem, & potestatem ostentat, sed gradus substantiarum separatarum magis pertinet ad vniuersi perfectionem, quàm omnes inferiores: ergo maximè debuit in illo hæc varietas inueniri.

Bonauent.
Scotus.
Alensis.
Albert.
Gabriel.
Durand.
Marsilius.
Molina.
Valentia.
Suarez.

7. Quod ad posteriorem partem ostenditur tum auctoritate Patrum, quos num. 2. retulimus: saltem enim videntur credidisse plures dari Angelos eiusdem speciei; tum ratione, quia supposita sufficienti multiplicatione generum, & specierum Angelicarum etiam multiplicatio indiuiduorum sub speciebus pertinet ad perfectionem, & pulchritudinem Vniuersi. Hæc enim non consistit in vna perfectione maiori, sed ex omnium varietate consurgit, & ad hanc pertinet, vt in tanta multitudine omnes modi distinctionum inter personas illas inueniantur.

Confirmatur primò ratione politica: nam ad ornatum aulæ Principis, vt in omni ordine, seu gradu personarum sit aliqua multitudo cum æqualitate, vt cum maiori proportione possint eisdem ministeriis inseruire. Secundò, etiam ad perfectionem amicitiæ, & societatis pertinet habere socios eiusdem gradus & ordinis. Vnde si Angelorum multitudo consideretur in puris naturalibus ad modum vnius Reipublicæ, conuenientissimum videtur, vt singuli Angeli habeant socios sibi perfecte similes in natura specifica, cum quibus maiori quadam familiaritate proportione, & societate coniungi possint. Tertiò, cùm Deus prænouisset conditionatè ex multis speciebus Angelicis aliquos fuisse damnandos, verisimile fit non illos tantum in illis speciebus creasse, sed alios etiam, quos præsciebat fore saluandos, si crearentur, ne species aliqua tota periret: id enim ad diuinam prouidentiam & misericordiam multùm pertinere videtur, vt sentit Augustinus in Enchiridij cap. 29. 8.

Dico primò, certum mihi videtur dari plures inter Angelos specificè diuersos. Ita docent contra secundam sententiam Doctores tertiæ, & quartæ, atque etiam Bubalus hic art. 4. quæsit. 1. Bubalus. diffic. 1. §. 17. & sequentibus. Iuuant Patres, qui dicere solent Angelos recepisse gratiam inæqualem iuxta inæqualitatem naturalem: ergo supponunt inæqualitatem essentialem in naturis specificis ante omnem gratiam. Item dicunt Luciferum fuisse ceteris omnibus, vel saltem quampluribus perfectiorem non tantùm in gratia, sed etiam in natura, & in vi, ac perspicacia intelligendi. Hoc probant argumenta suprà facta num. 6. & præterea probari potest ab exemplo: nam in inferioribus inuenimus inter extrema distantia in eodem gradu plures species medias, vt inter hominem, & animalia imperfecta plurimas species animalium irrationalium perfectorum; & sic de aliis: ergo multo magis inter Deum, & hominem, qui sunt extrema, quasi summè distantia in gradu intellectuali, credibile fit productas fuisse plures naturas intellectuales specie diuersas. 9.

Dico secundò, non solùm Hierarchias, sed etiam ordines vniuscuiusque Hierarchiæ inter se distingui specie, vel infima, vel subalterna. Ita præter S. Thomam & discipulos eius docent frequentiùs Theologi cum Magistro in 2. dist. 9. Gabriel quæst. 2 art. 2. Richardus art. 2. quæst. 4. Durandus, Scotus, & alij. Alensis part. 2. quæst 20. memb. 6. art 2. Probatur quoniam inter Angelorum Hierarchias, & ordines magnam diuersitatem in naturali perfectione colligimus ex illorum ministeriis, & ex modo quo Scriptura, & Sancti de illis loquuntur. Ait enim Dionysius cap. 5. de Cælesti Hierarch. *Enunciant sanctorum voluminum traditiones, superiores substantias esse graduum inter se celsitudine differentes.* Nazianzenus orat. 34. quæ est 2. de Theologia de sanctis Angelis inquit, *esse puras naturas purissimo splendore perfusas, aut pro natura ordinis cuiusque proportione alias alio modo collustratas.* Chrysostomus hom. 2. de incomprehensibili Dei natura, ordines 10.

S. Thomas.
Magister.
Gabriel.
Richard.
Durand.
Scotus.
Alensis.
Dionys.
Nazian.
Chrysost.

Angelorum

Angelorum vocat. *Genera cælestia innumerabilia;*
Isidorus. Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 10. ait. *Pro graduum dignitate ministeria sunt illis distributa,* indicans in poni dignitatis, & perfectionis differentias, & inæqualitatem in ipsa natura ante
Hieron. ministeria, & officia. Ideoque Hieronymus ad Ephes. 1. dixit distinctionem ordinum futuram esse perp[illegible]iam, quoniam in naturarum, & specierum [illegible]tinctione fundatur: ergo differunt speci., vel infima, vel subalterna.

11. Confirmatur, quia licèt diuersitas ordinum Angelicorum immediatè fundetur in meritis singulorum, iuxta suprà dicta cap. 1. num. 11. tamen gratia à qua procedunt merita, data censetur Angelis iuxta proportionem naturæ, naturalisque perfectionis, vt dicemus infrà quæst. 62. disp. 2. In quo Theologi discrimen constituunt inter Angelos, & homines: ergo sola distinctio numerica non sufficit ad tantam varietatem graduum, aut ordinum inter Angelos: Et quamuis
Albertus. Bannes. Albertus in summ. part. 2. tractat. 2. quæst. 8. & Bannes 1. p. quæst. 56. art. 2. dub. 2. velint omnes Angelos infima solùm specie differre; probabilius mihi est Hierarchias inter se genere quoque distingui, subindéque non esse in Angelis vnum duntaxat genus immediatum omnibus speciebus, sed dari species subalternas, seu genera media inter supremam, & vltimam speciem. Ita
Henricus. Suarez. docent Henricus quodlib. 7. quæst. 8. & Suarez lib. 1. de Angelis cap. 14. num. 8. Fauetque S. Thomas hic art. 4. ad primum, quatenus in hoc comparat Angelos sub gradu naturæ intellectualis ad animalia sub gradu naturæ sensitiuæ, qui certè alia genera habet sub se, scilicet volatilium, aquatilium, & terrestrium.

12. Probatur quia vel iste modus genericæ conuenientiæ, & specificæ differentiæ subalternæ possibilis est inter Angelos, vel non: Hoc certè nulla probabilitate dicetur, tùm quia nulla potest assignari repugnantia, tum etiam quia in illo gradu intellectuali concipi possunt intelligendi modi essentialiter distincti cum infinita varietate magis, vel minùs inter se similes: ergo non repugnat fieri ordines Angelorum, qui sub vniuersali genere substantiarum separatarum inter se habeant conuenientiam essentialem secundùm quam in genere proximiori inter se, & non cum aliis conueniant. Si hoc autem concedatur esse possibile, negari non debet, quin ad pulchritudinem illius gradus pertineat: Et sic facilè declaratur distinctio inter Hierarchias, & ordines, quia posita huiusmodi conuenientia essentiali, ac speciali inter choros eiusdem Hierarchiæ, & adhuc magis speciali inter Angelos eiusdem chori, facilè percipitur, cur duo infimi Throni collocentur in eadem Hierarchia, & in eodem choro; & nihilominùs infimus thronus, & suprema dominatio pertineant ad distinctos choros, & ad diuersas Hierarchias: Idem est proportionaliter de infima dominatione & suprema virtute ac cæteris aliis; Quia scilicet maior est conuenientia essentialis inter Thronos, quàm inter Thronum, & Dominationem; maior inter Dominationes, quàm inter Dominationem, & Virtutem, & sic de aliis choris, & Hierarchiis.

13. Dico tertiò, Quarta quidem sententia valdè probabilis est, etiam quoad secundam partem, & coniecturæ quibus nititur verosimiles, tamen in obsequium S. Thomæ consequenter existimandum est cùm tertia sententia omnes vtcunque Angelos de facto productos differre inter se specie, saltem infima, licèt plures distinguantur etiam genere infimo, vel subalterno iuxta suprà dicta, quoniam hoc est magis conforme pulchritudini ac perfectioni, subindéque naturali exigentiæ totius vniuersi, vt ex fundamentis tertiæ sententiæ, & ex suprà dictis cap. 2. à num. 12. sufficienter deducitur.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur illos Patres de Angelorum distinctione specifica dubitasse, quia non est expresse reuelata in sacris litteris; alios verò Patres, vt vidimus ex ipsa Scriptura, & aliis congruentiis illam collegisse: quamuis enim nec expressa reuelatio, nec euidens ratio talem distinctionem suadeat, non tamen desunt coniecturæ, quæ reddant illam verisimilem, nec nos vt infallibilem tradiduimus eam distinctionem; sed solùm vt prudenter credibilem, vt probabilem, per quod patet ad rationem ibi adductam. 14.

Ad primum argumentum secundæ sententiæ respondetur Patres illos locutos fuisse de Angelica natura tanquam de vna specie instar humanæ, quia sicut id potissimum humanæ perfectionis & naturæ cognoscimus in quo conueniunt homines, sic id ferè solum de Angelorum quidditate cognoscimus, in quo conueniunt omnes Angeli, vt est gradus intellectualis omninò spiritualis, & immaterialis. Vnde forsan aliqui vnitatem specificam Angelorum crediderunt, quod in re obscura, & opinabili mirandum non est. Alij verò generaliter loquuntur de vnitate naturæ Angelicæ, vel abstrahendo à modo vnitatis, vel dubitando, quanta, & qualis illa sit. 15.

Ad secundum, Respondetur, concessa maiori, licèt non sit ea sola ratio distinguendi Angelos specificè negando minorem: nam vt docent Magister in 2. dist. 9. S. Thomas 1. part. quæst. 108. Alensis, & alij suprà relati num. 10. quamuis distinctio Hierarchiarum, & ordinum in Angelis quoad complementum illius sit secundùm ordinem gratiæ, fundamentaliter tamen est à natura: nam Angeli ex natura sua habent distinctionem in essentiali perfectione secundùm tria principalia genera subalterna, & secundùm tres principales species subalternas sub vnoquoque illorum generum contentas, in qua varietate fundantur Hierarchiæ, & ordines, quorum nomina sumuntur quidem ab illorum ministeriis, & gratiis quasi gratis datis; sed hæ fuerunt accommodatæ donis gratiæ præuenientis, & iustificantis, & hæc iuxta proportionem naturalis perfectionis. Quapropter ex distinctione Hierarchiarum & ordinum certè deducitur de primo ad vltimum distinctio specifica, vel generica Angelorum. 16. Magister. S. Thom. Alensis.

Tertiam sententiam probamus. Quartam quoad priorem partem admittimus, quoad posteriorem etiam probabilem iudicamus: Potest tamen ad illius fundamenta pro tertia sententia responderi. Patres illos iam explicatos fuisse num. 15. ceteras verò congruentias non æquiualere communi exigentiæ, ac ordini totius Vniuersi postulantis, vt species incorruptibiles, sicut in vnico indiuiduo singulæ perpetuò conseruantur. Sic in vnico solùm procreentur. 17.

* * *

QVÆSTIO



QVÆSTIO LI. S. Thomæ.

De comparatione Angelorum ad corpora.

ARTIC. I.

Vtrùm Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita.



CONCLVSIO negat, & probatur: nam in quocunque genere inuenitur aliquid imperfectum, oportet præexistere aliquid perfectum: Sed in gradu intellectuali datur aliquid imperfectum, scilicet anima rationalis, quæ est imperfecta in genere substantiarum intellectualium, non habens in sui natura plenitudinem scientiæ, sed adquirens eam per sensus corporeos à rebus sensibilibus, vnde competit ei vniri corpori: ergo debent etiam dari substantiæ intellectuales perfectæ, quæ non egeant adquirere scientiam à sensibilibus, ac subinde nô voitæ corpori, sed ab illo separatæ, & has dicimus Angelos. Probat ratio probat non solùm Angelos esse immateriales in seipsis, sicut et animæ rationalis, quod iam ostensum fuerat q. 50. a. 1. sed nec habere corpora naturaliter sibi vnita, sicut habent animæ rationales, quod est propriû institutû huius articuli. Nos vtrunque coniunximus disp. 1. c. 2.

ARTIC. II.

Vtrùm Angeli assumant corpora.

COnclusio affirmat, & probatur ex Scriptura, quæ sic narrat Angelos in forma hominum apparuisse, vt ab hominibus viderentur: ergo assumebant corpora humana: licèt enim non egeant corporibus assumptis propter seipsos, attamen propter nos, vt familiariter cum hominibus conuersentur, conueniens fuit vt corpora assumerent.

ARTIC. III.

Vtrùm Angeli in corporibus assumptis exerceant opera vitæ.

COnclusio. In corporibus assumptis Angeli nullum opus vitæ exercent absolutè loquendo, quia nihil potest habere opera vitæ, quod non habeat vitam, quæ est principium potentiale talium actionum: corpora verò ab Angelis assumpta non viuunt, exercent tamen quasdam actiones communes viuentibus cum non viuentibus, quales sunt sonus, motus, & similes.



DISPVT. III.

De potentia Angeli circa res à se distinctas.



SANCTVS Thomas hic comparat Angelum ad corpora, quia circa illa difficiliter versatur controuersia de potentia Angelorum; nos nonnihil etiam de rebus spiritualibus addemus, & supponimus Angelos non posse propriè quidquam creare, quia creatio ita est propria Dei solius, vt à nullo agente creato connaturaliter possit prodire, de quo S. Thomas, & eius Expositores 1. p. q. 44. a. 1. & q. 45. a. 1. & 5. & q. 61. a. 1. & q. 65. a. 1. & 3. Suarez disp. 20. metaphys. sect. 2. *Franc. de Lugo in 1. part. D. Thomæ.* S. Thomas. Suarez.

Et omissis aliis huius veritatis fundamentis, hæc videtur in præsenti ratio sufficiens: quoniam in ordine causarum naturalium dari debet aliqua prima & suprema, quæ cum omnibus eius seenndis concurrat ad omnes illarum operationes, & perfectissimas actiones, qualis est creatio, per se solam operetur. Sicut ergo non potest Deus muneri causæ vniuersalis creaturæ cuipiam communicare, sic nec munus Creatoris, scilicet ... connaturaliter creatricem potest alicui con... ternam vtrumque proprium est solius causæ primæ. Tres igitur restant mutationis species, scilicet generatio substantialis, alteratio, & motus localis, quæ possunt in præsentem controuersiam venire.

CAPVT I.

Quid possit Angelus circa res alias.

IN primis Angelos non posse connaturaliter substantiam aliquam generare, tam communis est Theologorum sententia, vt teste Suario l. 4. de Angelis c. 25. n. 4. sine magna temeritate non possit in dubium reuocari. Tenent illam S. Thomas 1. p. q. 110. a. 2. vbi communiter Thomistæ, Scholastici in 2. dist. 7. Albert. a. 8. Durandus q. 4. Ægidius Romanus q. 3. Richardus a. 4 q. 1. Bonauentura 2. p. distinctionis a. 2. q. 2. & dist. 8. p. 1. a. 2. q. 1. ibidem Scotus, Bassolis, & Argentina q. 1. Ferrara 3. contra Gent. c. 103. Molina 1. p. q. 110. a. 2. Vasquez 1. p. disp. 218. Valentia t. 1. disp. 8. q. 5. punct. 1. Suarez suprà & disp. 35 metaphys. sect. 6. Fonseca lib 7. metaphys. cap. 7. q. 2. sect. 3. & lib. 8. cap. 5. quæst. 1. sect. 3. 1. Suarez. S. Thomas. Alexander. Durand. Ægid. Rom. Richard. Bonauent. Ferrara. Molina. Vasquez. Valentia. Suarez. Fonseca.

Probatur primò ex Scriptura argumēto negatiuo, quia scilicet nullibi productionem alicuius substantiæ tribuit Angelis. Fauent Patres Leo Papa ep. 93. ad Turibium c. 8. damnat Priscillianistas, qui asserebant Angelos malos figurare, & efficere corpora humana in vteris mulierum: Quæ definitio habetur etiam in Concilio Bracharensi 1. canon. 12. & canon. 8. sic vniuersaliter dicitur. *Si quis credit, quod aliquantas creaturas Diabolus in mundo fecerit, & tonitrua, & fulgura, & tempestates, & siccitates Diabolus sua authoritate faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.* Accedunt verba Concilij Ancyrani, quæ t. 1. Conciliorum in fine illius Concilij, & Gratiano in c. *Episcopi* 26. q. 5. referuntur. *Scilicet de Domino nostro scriptum est, Omnia per ipsum facta sunt: Quisquis ergo credit posse fieri aliquã creaturã aut in melius, aut in deterius immutari, aut trãsformari in aliã speciem vel similitudinem nisi ab ipso Creatore, infidelis est*, per quæ verba non negatur iuxta mentem Concilij efficacitas causarû naturaliû, sed Dæmonû, de quibus ibi sermo erat, & de extraordinariis immutationibus, quas se facere Dæmones fingût. 2. Leo. Ancyranum.

3. Astipulatur Ambrosius l. 1. de Fide c. 8. docens, ab Angelis, dum assumunt corpora in quibus apparent, non mutari substantiam. Item Augustinus l. 3. de Trinit. c. 7. & 8. dicit, harum visibilium rerum naturam non obedire malis Angelis ad nutum, quia scilicet non possunt ex ea facere quod volunt, sed tantùm quod in virtute rerum à Deo factarum continetur applicando actiua passiuis. In eodemq; sensu l. 9. de Genes. ad litteram c. 18. in fine ait. *Quedam quæ in rerum natura præter istarum cursum naturæ mirabiliter facta sunt, ita ministrantibus Angelis etiam facta, vt tamen vbique Creator creaturarum alius non sit, nisi plantatore &* rigatore Ambrosius. Augustinus.

rigatore quolibet solus incrementum dat Deus. Similiter l. 12. de Ciuit. c. 24. negat Angelos facere aliquam creaturā, & licèt vtatur nomine creationis, tamen comprehendit omnem productionem, quę non fiat per seminales rationes, quas Deus indidit corporalibus causis, etiam si fiat ex præiacente materia. Nam Plato ex præiacente materia dixit Angelos, seu secundarios Deos (vt vocat) produxisse res corporeas, quod vt errorem Fidei damnat ibi

August. Augustinus, qui etiam videri potest l. 18. de Ciuit. cap. 18.

4. S.Thom. Probatur secundò, ratione, quā non omnes reddunt eandem. S.Thomas 1. p. q. 110. a. 2. probat, quia vna substantia non potest aliam producere nisi vel totam illam eminenter contineat, vel habeat similitudinem cum effectu in modo essendi, siue compositionis substantialis ex materia & forma: Neutrum autem in Angelis inuenitur: ergo non possunt substantias producere: Hanc rationē

Durand. Vasquez. impugnant Durandus & Vasquez suprà diuerso quisq; argumento, & aliam formant in hunc modum. Ex formis quæ sunt in materia, sola est anima rationalis, quæ nō educatur de potentia illius, & quæ sola creetur a Deo; ceteræ verò formę sufficienter producuntur à causis secundis compositis ex materia, & forma, vt experimento constat; ita vt si quando contingat aliquid sponte generari ex terra, illud fiat à sole, & ab aliis causis materialibus adiuuante Deó: ergo Angelus frustra constitueretur causa earumdem rerum: Deus enim & natura nihil faciunt frustrà.

5. Suarez. Hanc rationem improbat Suarez ea sect. 6. n. 6. Primò quia non constat, in his causis inferioribus esse sufficientia principia principalia ad educēdas omnes formas substantiales de potentia materiæ. Secundò quia non est superfluum, sed valde frequens in natura, & ad eius fœcunditatē spectans, quòd ad eundem effectum diuersæ causæ habeant sufficientē virtutem, vt vel sic deficiente vna possit ab aliis fieri. Quare videmus non solùm ignē calefacere, sed etiam solem, & animalia quædā imperfecta non solum per generationē à parentibus edi, sed etiā ab influentiis cælorū ex putrefactione produci. Poterūt igitur Angeli habere vim cōnaturalē producēdi formas aliquas substātiales, licèt hæ possint ab aliis etiam causis secundis generari.

6. Equidē cùm ignota sit nobis Angelorū natura, vix possumus huius veritatis conuincentem rationem assignare, sed solum vti argumento quasi negatiuo, quia scilicet Deo, quātumuis sit simplicissimus, & immaterialis tribuimus potentiā effectiuam formarum substantialium, tum quia infinitæ virtutis est, tū quia est causa prima, & vniuersalis, cuius est omnes vtcunq; effectus attingere, & sicut potest ob suā eminentialē virtutē condere materiā primā, ita poterit illā formis actuare: Cōpositis verò creatis tribuimus vim producēdi similes formas, vel inferiores, quia vel illas cōtinent formaliter, vel virtualiter, & experientia constat tales effectus à talibus causis produci. Verū Angelis nec ob infinitatē virtutis, nec propter modum essendi proportionatum effectibus cogimur tribuere virtutē effectricē substantiarū. quia nec infinitā vim habēt, nec sunt formæ corporū, sed omninò abstractæ, & habentes modū essendi longè diuersum à corporalibus rebus, quas propterea non est cur Angeli formaliter aut virtualiter contineāt. Quòd enim sint species perfectiores non sufficit, si quidē homo est perfectior ceteris animalibus, & plantæ sunt perfectiores quàm metalla, nec tamen generare possunt formas illorum, nec vlla experientia conuincit in Angelis talem actiuitatem: non sunt ergo multiplicandæ causæ sine fundamento, aut necessitate, quò videntur tendere argumenta S. Thomæ, & Durandi.

Probatur tertiò ab inconuenienti: Nā alias dici posset quemlibet Angelū ad nutū suæ voluntatis 7. posse producere ex materia quamcunque rem & formā etiā possibilem. Sequela patet, quia non est maior ratio de vna forma, quam de alia, cùm quilibet Angelus sit superioris ordinis respectu cuiusque rei generabilis, & respectu omniū graduū, qui ab illa participari possunt, nec possit agere, nisi per intellectū, & voluntatē. Si ergo hoc satis sit vt possit virtute propria educere formas ex materia, satis etiam erit ad producendam formā educibilem ex potentia materiæ. Falsitas autē consequentis constat, quia tum in ratione naturali, tum in fide absurdissimum esset cōcedere posse Angelos quascunque res producere, vel immutare ad nutum suæ voluntatis, quo pacto plures intelligunt id Hebr. 2. *Non enim Angelis subiecit Deus* Heb. 2. *orbē terræ,* quippe satis esset ipsis subiectus, si possent in his sublunaribus quascunque res sua volūtate generare, vel corrūpere, vt arguit Victoria Victoria. in relectione de arte magica n. 35. Vnde S.Thomas S. Thom. q. 17. de malo, art. 9. dicit ad conuenientem ordinem vniuersi pertinere, vt infima à supremis non transmutentur nisi per media, quod fit ab Angelis applicando solùm actiua passiuis.

Contra doctrinam istā communem videtur sen- 8. sisse Plato, dum posuit substātias inferiores fieri ab ideis, si tamen id asseruit in eo sensu, quem Aristoteles illi tribuit, nimirum ideas esse quasdam substātias distinctas à Deo, separatasque à materia, & inducentes in materiam formas, atq; ita perficientes generationem substantialem. Potest probari; Primò quia non repugnat Angelos habere vim producendi formam substantialem in materia per modum causæ proximę principalis; siquidem talis actiua virtus non requirit infinitatem, nec ex modo agendi, nec ob perfectionem rei productæ, nec aliunde ostenditur repugnantia: ergo non est cur negemus hanc potestatem omnibus Angelis. Probatur consequētia, quia licèt Deus nō fecerit omnes species possibiles in omnibus rerum ordinibus; Nihilominus verisimile fit singulis rerū gradibus communicasse præcipuas virtutes, & operationes, quarum erāt capaces vel omnes, vel aliquæ species cuiusque gradus: ergo si gradus Angelorū capax est huius virtutis, credendum est nō caruisse illa. Erit autem capax illius, si non repugnat talem actiuitatem esse connaturalem substantiæ creatæ spirituali.

Respondetur negando antecedens, licèt enim 9. non requiratur virtus infinita simpliciter ad generandas formas substantiales, requiritur tamen proportio, seu continentia, seu formalis, vel virtualis talium effectuum; nec etiam tamen connaturaliter inesse Angelis probāt argumenta suprà facta; eadēq; procedūt in omni substātia immateriali possibili. Vnde consequenter asserendū est potentiam generandi formas substantiales nulli Angelo etiā creabili posse connaturaliter conuenire: rationes enim quibus mouemur ad negandam hanc potestatem Angelis creatis, æqualem vim habent in omnibus possibilibus, vt consideranti patebit.

Arguitur secundò, quia cælum, etsi non possit 10. ex subiecta materia producere aliud cælum, quia istud nō est natura sua producibile, nisi per creationem

tionem, nihilominùs producere potest alias inferiores substantias: ergo idem poterit Angelus. Patet consequentia: nam vt cælum producat substãtiam, satis est quòd eminenter contineat formam substantialem inferiorem, licèt materiam nullo modo contineat, sed aliunde supponat illam creatam: ergo cùm Angelus sit perfectior, quàm cælum, multò magis poterit illam eminentiam continere, ac per illam inducere formã in materiam aliunde præsuppositam. Confirmatur: nam quãdo cæli producunt viuentia, cùm non possint illa vt causę principales efficere, dicuntur influere vt instrumenta intelligentiarum motricium iuxta doctrinam S. Thomæ 1. p. q. 70. art. 3. ad 3. & lib. 3. contra Gent. cap. 103. (S.Thomas.) Ergo debet Angelus continere talem formam eminenter, vt possit esse causa principalis ipsius: ergo pari ratione poterit illam per semetipsam immediatè producere.

11. Respondetur negando consequentiam, quia cæli materiales sunt; & sic proportionem habent, vt connaturali modo possint immutare corpora, per consequens inferiores formas, & materiales eminenter continere, quod experientia cõuincit, & munus etiam agentis quodammodo vniuersalis proprium cælestiũ corporum persuadet: Præsertim si cælum materiam, & qualitates eiusdem omninò rationis cum sublunaribus habeat, vt probabiliter docuimus in libris de cælo. Angeli verò nec munus causarum secundarum vniuersalium sortiuntur, nec habent proportionatum essendi modum ad sic agendum, licèt alioquin longè perfectiores sint. Ad confirmationem negatur antecedens: nam Intelligẽtia mouens cælum non est causa principalis alicuius substãtiæ corporeæ, nec cælum est instrumentum intelligentiæ in productione alicuius substantiæ materialis, etiam imperfectorum viuentium, sed talem dispositionem accidentalem producit, vt Deus cum illo instrumento accidentali concurrat ad productionem formæ viuentis, quia tamẽ cælum dum mouetur ab Angelo, sicut instrumenta artis mouentur & applicantur ab artifice, applicat suam vim actiuam huic, vel illi passo, dixit S. Thomas cælum esse instrumentum motoris, scilicet in sensu lato, sicut ignis dici solet instrumentum hominis incendentis domum, vel bombardam.

12. Circa alterationem fuit opinio Auicennæ teste S. Thoma lib. 3. cõtra Gent. cap. 103. asserentis posse corpoream naturam ab Angelis immutari ad formas accidentales præter motũ localem, vt ad calorem, & similes qualitates non tantùm applicando causam agentem passo, sed etiam propria virtute ipsius Angeli proximè operãte. Probat, quia sicut fascinatio fit sola virtute imaginationis fascinantis, fascinatione autem fit mutatio qualitatum; ita similiter sola cognitio & voluntas Angeli poterit esse causa alicuius formæ accidentalis in materia.

13. Secunda sententia quorundam Thomistarum distinguit duos ordines qualitatum; quasdam vocant reales, materiales, seu physicas, alias verò intentionales. In priori ordine constituunt quatuor primas qualitates elementorum, & secundas quæ ex primarum commistione resultant, omnésque alias, quæ sunt dispositiones, vel proprietates cõnaturales formarum substantialium. In 2. ordine ponunt qualitates, quas instrumentarias vocant, quia sunt veluti instrumẽta impressa inferioribus corporibus à superioribus agẽtibus, vt eis tanquã instrumentis vtantur, vel si quæ similes in corporibus fiunt: Qualitates primi generis dicunt non posse per se, & immediate fieri ab Angelis in corporibus; benè tamen qualitates secundi generis.

Priorem partem probant primò, quia cùm Angeli non possint producere formam substantialẽ, eadem ratione non poterunt efficere qualitates, quæ ad illam disponunt, vel ad illam consequuntur. Secundò, nam alioquin posset Angelus in materiam introducere totam dispositionem, & organizationem accidentalem, quam anima rationalis in corpore prærequirit, & consequenter posset animam separatam iterùm corpori reunire, corpus iterùm disponendo, vel saltem hominem denuò producere. Posteriorem partem amplectuntur, vel ad explicandum modum, quo Angelus est in loco per operationem, aut applicationem virtutis, vel ad explicandam causalitatem Angelorum per corpora, tanquam per instrumenta eleuando illa ad agendum aliquid vltra naturalem virtutẽ corporum. Nam hunc modum agendi videtur Angelis tribuere S. Thomas locis supra citatis, & in 2. dist. 15. q. 1. a. 2. Ad hanc autem actualem causalitatem, necesse est vt aliqua virtus profluat ab Angelo in corpus, quo tanquam instrumento vtitur. At virtus ista non potest esse nisi qualitas intentionalis. Ita præter alios Thomistas docuit Soncinas lib. 7. Metaphys. quæst. 25. (Soncinas.) 14.

15. Dicendum tamen est non posse formam aliquã accidentalem præter motum localem ab Angelis in corporibus produci, Ita S. Thomas 1. p. q. 110. a. 2. ad 2. & 3. & a. 3. ad 2. quatenùs asserit Angelum solum per motum localem applicando actiua passiuis posse mutationes alias in corporibus causare; magis apertè loquitur 3. contra Gent. c. 103. Sequuntur Bonauentura, Richardus, Argentina, Durandus, Fonseca 7. metaphys. c. 7. q. 7. sect. 1. & 3. Valentia suprà, Vasquez c. 3. Suarez l. 4. de Angelis c. 27. Probatur primò argumentis pro priori parte secundæ sententiæ factis supra num. 14. (S.Thomas. Bonauent. Richard. Argentina. Durand. Fonseca. Valentia. Vasquez. Suarez.)

16. Deinde probatur à simili, vel à paritate rationis: sicut enim non potest Angelus formam substantialem educere de potentia materiæ, ita nec poterit accidentalem: nam vtraq; fit per eductionem de potentia eiusdem materiæ: ergo eadẽ proportio inuenitur in substantia prorsus immateriali respectu vtriusque. Quare sicut in ipsis formis substantialibus quoad hoc non attenditur maior, vel minor perfectio, sed eadem improportio censetur esse in Angelo ad minimam formam, quæ est ad maximam: similiter eadem impotentia erit ad qualitatem materialem, quæ est ad formam substantialẽ, licèt illa sit imperfectior, quàm ista. Eademque ratio militat de illis qualitatibus, ac de cæteris, cùm illæ quoque debeant educi de potentia materiæ, vel subiecti, & necesse sit vt contineantur formaliter vel eminenter in causa a qua per se, & proximè fiunt virtute propria.

17. Probatur tertiò argumento negatiuo, quia scilicet nulla est ratio, vel fundamentum cogens ad asserendum, qualitates physicas, vel intentionales contineri virtualiter in Angelo, quod necessarium foret, vt ab illo possent produci: ergo non est asserendum. Antecedens quoad qualitates physicas probari potest argumento facto circa substantiam: nam eadem est ratio, seu proportio. Quoad qualitates intentionales probatur: nam illæ occasione excipiendi has qualitates frustra sunt excogitatæ: ostendemus enim infra disp. 5. Angelos nõ esse in loco per operationẽ, nec deesse Angelis aliam rationem existendi in loco, quæ necessariò præsup-

ponenda est ad talem operationem, etiamsi fingeretemus esse possibilem. Eleuatio autem illa solum potest esse per motum, per quem applicatur actiuitas cæli ad illa peragenda, quæ sine tali applicatione non ageret: Nec contra generalem regulam tribuenda est Angelis talis potestas, quæ nec experimento, nec signo aliquo suaderi, nec satis explicari, aut concipi potest, præcipuè cùm talis exceptio eneruet omnem rationem ad negandam Angelis potestatem efficiendi qualitates alias.

18. Alexand. Circa fundamentum Auicennæ Alexander 1. p.q.40.memb.4.docuit nõ solùm posse cõmoueri spiritus animales in homine virtute Dæmonis, aut Angeli, ratione cuius motus moueãtur phantasmata, sed etiam posse ipsa phantasmata ab Angelo produci, & nostræ imaginationi infundi. S.Thomas. Caietan. Argentin. Durand. Richard. Ægidius. Vasquez. Verior tamen est sententia S.Thomæ 1.p.q.111. a.3. Caietani, & Thomistarum ibidem, Bonauenturæ in 2.dist.8.p.1.a.1.q.3. Argentinæ q. 1. a. 3. Durandi q.4. Richardi in 2.dist.10.a.2.q.2. Ægidij quod l.6.q.16. Vasquij hic disp.218.c.4. & aliorum dicentium non posse in nobis ab Angelo phantasmata produci, quod eadem ratione probari potest qua suprà ostendimus non posse ab Angelo produci formam aliquam accidentalem in materia. Quare sola commotione spirituum animalium posse in nobis imaginationẽ excitari, doAristot. cet expressè Arist.l.de Insomn. c.3. ante mediũ.

19. Itaque actualis immutatio phantasiæ per hanc speciem potiùs quàm per illam, vel prouenit ex diuersitate phantasmatum inhærentium spiritibus, aut partibus cerebri, vel ex varia dispositione organi vel ex dispositione medij, quod inter spiritũ animalem & ipsam phantasiã intercedere potest, ad quod valdè conferunt humores prædominantes. Cùm ergo Angeli notam habeant dispositionem tam ex parte organi, quàm humorum, & spirituum, & phantasmatum, possunt per motum localem humorum, vel spirituum, vel applicando, si opus fuerit, alias causas coadiuuãtes, excitare hanc vel illã repræsentationem; & sic immutare phantasiam nostram. Vnde ad argumentum respõdetur fascinationẽ nõ contingere sola imaginatione fascinantis, sed quatenùs hæc mediante motu cordis immutat corpus coniunctũ, iudeq; per oculos emittitur aliqua noxia exhalatio à qua infici potest aliquid extrinsecũ præcipuè si sit facilè immutabile. Similiter Angelus nõ potest per seipsũ immediatè qualitatem aliquam producere, sed mediante motu, vel applicatione causarum imaginationem nostram, vel aliud corpus alterare.

20. Sed iam inde circa motum localem oritur difficultas. Primò quia terminus motus localis corporei, scilicet vbi intrinsecum, fit per eductionem de potentia subiecti corporei: ergo sicut denegatur Angelo potestas alterandi corpora, sic etiam potestas mouendi ea localiter deneganda erit. Secundò, quia motus localis ab extrinseco motore fit per impetum impressum mobili: Sed Angelus non potest imprimere corporibus impetum: nam impetus est qualitas, & non potest qualitatẽ producere: ergo nec potest corpora localiter mouere. Tertiò, si Angeli possent mouere corpus, sua voluntate mouerent, non ex necessitate, vt per se patet, sed per voluntatem non possunt, quia nulla est ratio cur corpora obediant ad nutũ Angelis quoad motum localem potiùs quàm quoad alios motus: ergo nullo modo possunt corpora mouere. Quartò, si sola voluntate mouerent Angeli corpora, possent vtique totius orbis ordinem inuertere, totam scilicet terram è suo loco diuellere, cælos velociùs, vel tardiùs agitare, & similia, quæ planè sunt absurda.

Ceterùm communis, & vera sententia docet Angelos posse virtute sibi connaturali corpora mouere localiter, ita S. Thomas 1. p.q. 110.a.3. Molina ibi, & cæteri suprà relati nemine dissentiente; docuerunt etiam Philosophi dicentes moueri cælos ab intelligentiis, vt constat ex Aristotele 12.Metaphysicæ text.44. At verò Theologi addiderunt posse Angelos alia etiam corpora mouere, mediante que tali motu hæc inferiora administrari; sic Augustinus dixit l.3.de Trin.c.7.& 8. quamuis Dæmones non possint efficere per se corpora, vel alias corporum mutationes, tamen applicando actiua passiuis, posse velutì per accidens esse causam talium effectuum. Hæc autem applicatio requirit motum localem. Similia habet l.20.de Ciuit.c.19.in fin. Quando verò his locis ait Dæmones non posse hoc facere nisi per potestatem acceptam à Deo, intelligit sine licentia, vel facultate Dei vt ipse satis se explicat; nam Dæmones prohibiti sunt à Deo, ne viribus suis vtantur, nisi quatenùs permittuntur per prouidentiam diuinam, quando tamen permittuntur, propria & naturali virtute operantur. 21. S.Thom. Molina. Aristot. Augustinus.

Probatur primò ex Scriptura: nam ex illa constat Angelos assumere corpora, & cum eis moueri, vt patet de Angelis qui apparuerunt Abrahę Gen. 18.& Loth.Gen.19.& de Raphaële, qui comitatus est Tobiam, & de illis qui Christo Domino ministrabant Matt.4. Non possent autem Angeli moueri cum corporibus assumptis, in quibus loqui nisi corpora mouere possent, vt per se constat. Nec valet dicere Angelos sẽper id facere virtute aliqua supernaturali, vt instrumenta Dei, tũ quia nec effectus id postulat, nec Scriptura semper id narrat vt aliquid miraculosum; Tum etiam quia non solùm boni Angeli, sed etiam mali hoc faciunt, quibus non communicatur ad id virtus supernaturalis, cùm vtantur ea potestate sæpiùs ad decipiendos, & tentandos homines, vt constat ex præstigiis Magorũ Exod.7. & 8.ex tentationibus Iobi c.1.Imò Christum hominum assumpsit Diabolus, & duxit ad pinnaculum templi, & inde in excelsum montem Matth.4 Demùm Luc. 8.permittente Christo Dæmones ingressi porcos præcipitarunt eos in stagnum. 22. Gen.18.19. Matth.4. Exod. 7.8. Iob.1. Matth.4. Luc.8.

Probatur secundò ratione S. Thomæ, quia supremum infimi attingit infimum supremi: sed in corporibus motus localis est supremus, & perfectissimus omniũ: ergo Angeli, qui sunt supra corpora hunc saltem motum in eis efficere possunt. Minor sumitur ex Aristotele 8.phys.c.7. vbi probat ex professo motum localem esse cæteris priorem tempore, natura, & perfectione. Dicitur autẽ localis perfectior, quatenùs minùs trãsmutat mobile, quàm cæteri motus, vt dixit Aristoteles expressè, ac exponit S. Thomas suprà, & 3. contra Gent.c.82.ratione 6.vbi latè Ferrara; quod instituto præsenti maximè congruit: cùm enim motus localis minimum corpora trãsmutet, quia non variat rem secundùm substantiam, vel qualitates per se loquendo, sed secundùm quendam modum valdè instabilem, faciliùs potest ab Angelis fieri, quàm ceteræ corporales mutationes. 23. Arist. S. Thom. Ferrara.

Confirmatur primò; quia motus localis communis est omnibus corporibus tam corruptibilibus, quàm incorruptibilibus, imò ipsis Angelis: licet enim in illis sit spiritualia ratione subiecti 24.

nihil

Nihilominus quoad respectus propinquitatis, distantiæ, præsentiæ seruat cum motu corporum proportionem, vnde habeant Angeli sufficientem cum corporibus similitudinem, vt ipsorum virtus motiua extendatur ad corpora.

Confirmatur secundò ex iis, quæ experimur in nobis: Homo quippe licèt non possit extrinseca corpora per propriam actionem alterare, nihilominus potest illa localiter mouere, cuius non possumus reddere rationem aliam, nisi quia per motum localem minima transmutatio in corpore fit: ergo pari ratione poterunt Angeli localiter mouere corpora licèt, aliis modis illa non valeant transmutare.

25. Confirmatur tertiò quia perfecta vnitas, & conueniens Vniuersi gubernatio requirit vt habeant Angeli coonexionem aliquam, & societatem cum mundo sublunari, nec ista stare posset sine virtute loco-motiua Angelorum etiam respectu corporum, secluso quippe motu locali nihil omninò agere possent in res corporales, nec subinde possent illas administrare: At mediante motu locali habent Angeli causalitatem aliquam in sublunaria. Primò quidem mouendo cælos, quorum varij motus, & influentiæ sunt causæ generationum, & corruptionum sublunarium. Secundò applicando actiua passiuis: quamuis enim in genere physico hic modus agendi pertineat ad causam per accidens, in genere tamen artificioso, & morali reputatur aliquo modo per se; subindeque fuit valde conueniens, vt tam res naturales quàm humanæ possent à diuina prouidentia mediis Angelis gubernari. Vnde satisfactum manet primæ difficultati.

26. Vasquez. Ad secundam Vasquez 1. part. disputatione 218. capite 3. num. 9. docet Angelum posse producere impetum. Probat, quia potest Angelus in aëre detinere lapidem ne descendat, etiamsi nullum in eo motum localem efficiat: ergo necesse est vt saltem efficiat impetum ita moderatum, vt æqualitatem resistat grauitati lapidis, & illam non superet, vt lapidem sursum moueat. Probatur consequentia: nam Angelus non potest detinere lapidem in aëre apprehendens illum mano, vt manifestum est, nec denegando ille concursum ad descendendum, siquidem grauitas lapidis non pendet ab Angelo in mouendo, vt possit ab illo impediri per subtractionem concursus, sicut impediri potest à Deo: ergo necesse est vt Angelus detineat lapidem efficiendo aliquid quod impediat grauitatis operationem: Illud autem nihil esse potest nisi impetus.

27. Suarez. Hanc rationem refellit Suarius libro 4. de Angelis capite 31. numero 6. & 7. nam in primis illa detentio potest intelligi sine efficientia: sicut enim impulsus detineret lapidem nihil efficiendo in ipso, sic poterit Angelus obsistere grauitati per seipsum nihil actualiter efficiendo: nec enim impetus, & grauitas repugnant formaliter in essendo, cùm simul sint in eodem subiecto, sed solùm in efficiendo, quæ potiùs est repugnantia effectiua, quàm formalis, quatenùs duo principia contraria in agendo, & æqualia, & æqualiter applicata sese mutuò impediunt ab actione. Similiter ergo poterit Angelus resistere grauitati lapidis ne moueat deorsum, quoniam ad hanc resistentiam non requiritur inhærentia in subiecto cui resistitur, sed sola sufficiens applicatio virtutis actiuæ contrariæ, & æqualis in agendo: sic enim duo agentia contraria æqualia in actiuitate v. g. frigoris & caloris ligno simul, & cum eadem proportione æqualitatis applicata non agent, sed mutuò impedient sese.

28. Deinde potest probabiliter responderi Angelum detinere lapidem efficiendo positiuè, non impulsum, sed illud *vbi*, quod in tali loco lapis habet: cùm enim efficere motum localem nihil aliud sit, quàm varia *vbi* successiuè producere, qui potest localiter mouere corpus, poterit sanè terminum talis motus efficere: ergo sicut Angelos transeunter facit plura *vbi* in lapide, quem mouet, ita potest permanenter efficere idem *vbi* conseruando illud in eodem loco: grauitas autem lapidis non potest illum mouere deorsum nisi corrumpendo illud *vbi* quod lapis habet in illo loco: ergo per efficientiam, qua conseruat Angelus illud *vbi*, potest impedite motum grauitatis. Declaratur; nam si moueat Angelus lapidem in medio aëre motu circulari, non imprimit illi duas actiones, alteram qua moueat in gyrum, alteram, qua descensum impediat, sed eadem qua efficit motum, & *vbi*, detinet lapidem, & resistit grauitati, ne ferat illum deorsum.

29. In hac re censeo primò dum Angelus est coniunctus corpori per semetipsum sine impetu impresso posse mouere illud, quia virtus loco motiua sufficienter applicata potest per sese producere motum illum: sic Angelus, qui tulit Habacuc Babylonem vsque, non indiguit impetu impresso; & sic etiam posset per seipsum detinere Prophetam in medio aëre. Ratio est: nam impulsus solùm ponitur vt instrumentum mouentis, quando separatur à mobili: ergo quando mouens immediatè adest, & in se habet sufficientem vim motiuam, non indiget impulsu tanquam instrumento separato, quo moueat.

30. At verò dum Angelus immotus manens proiicit corpus in locum distantem, Suarius suprà dubius manet an efficiat impulsum necne? Ego censeo secundò tunc imprimi ab Angelo impulsum corpori, quia si agentia inferiora, licèt per potentiam loco-motiuam non possint alias qualitates producere, possunt adhuc per impetum impressum alia corpora longè propellere, cur non poterit Angelus? licèt enim non possit efficere qualitates alias, quas virtualiter non continet, poterit hanc efficere, quia tantum est veluti participatio quædam virtutis loco motiuæ, subindeque videtur in illa cõtineri virtualiter; nec esset completa potentia loco-motiua corporum in Angelo si non posset corpora proiicere longius immotus ipse persistens, ad quod planè necessarium est quòd impetum producat in corpore proiecto.

31. Nec inde sequitur Angelum posse mouere lapidem à se distantem imprimendo illi impetum, quia non potest agere in distans, quin agat in proximum. Non potest autem in medio producere qualitatem aliam, quæ virtualiter contineat impulsum: Hunc tamen poterit producere in aëre v. g. ita vt iste propulsatus propellat alia corpora distantia: si verò medium non sit capax talis motionis, nec etiam erit capax illius impulsus, qui ad solum motum localem ordinatur. Nec item impetus impressus cælo ab Angelo foret perpetuus, quia licèt cælum sit incorruptibile (quod forsan ita non est) impetus tamen est talis naturæ, vt vbicunque existat, sit ex natu

tura sua defectibilis, nec sine miraculo possit diu permanere. Per quæ diluuntur quæ Suarius congerit in contrarium.

Tertia difficultas postulat peculiare dubium de potentia loco motiua Angelorum capite sequenti tractandum.

32. Ad quartam dicimus multa ex iis, quæ referuntur ibi, & alia plura posse Angelum vi sua naturali, nisi diuinum obstet imperium: Quare cùm ordo vniuersi certis Dei legibus definitus sit, ordinem vniuersi simpliciter inuertere non possunt: Quia sancti Angeli diuinis ordinationibus parent ad nutum, nec ab illis possunt discordare: Mali verò quamuis velint Deo resistere, non valent; ideoque tantùm nocere possunt, quantùm eis permittitur, & non ampliùs, vt colligit Augustinus lib. 3. de Trinitate capite 7. ex Exod. capite 7. & 8. Vbi Magi Pharaonis non potuerunt facere cyniphes, quia non sunt permissi, nec Sathan potuit nocere Iobo, nisi quando, & quomodo permissum est ei. Videatur Cyprianus lib. 5. ad Quirinum cap. 80. & lib. de oratione Domin. versus finem, & Guillermus Parisiensis part. 2. de vniuerso. (Augustinus. Cyprianus. Guiller. Par.)

33. An autem non solum corpora, sed etiam spiritus, vel alios Angelos possit Angelus mouere localiter? Negat Vasquez hic disput. 194. cap. 3. num. 11. Probat: nam hoc proprium esse videtur corporum alioquin bonus Angelus non posset Dæmonem superioris speciei alligare, cùm potiùs virtute naturali superetur ab eodem: ergo quandocunque, Angelus quantumuis excellens alium loco pellit, non id facit, nisi Dei virtute, ac imperio: Cæterum probabilius videtur quòd vnus Angelus possit mouere alium etiam efficaciter compellendo illum, nisi alter sit fortior ad resistendum, & velit resistere. Sic docuit Maioric. in 2. dist. 2. quæst. 7. Pesantius 1. part. quæst. 53. art. 1. disput. 2. Camel. ibi art. 3. quæst. 1. Suarius lib. 3. de Angelis cap. 28. & disput. 35. metaphys. sect. 6. num. 18. (Vasquez. Maioric. Pesantius. Camel. Suarez.)

34. Probatur: nam Angelus potest mouere corpus: ergo & alium Angelum inferioris speciei. Consequentia ostenditur: nam ex vna parte magis proportionatur vnus Angelus alteri quàm corpus Angelo, à quo mouetur, & aliunde capax est Angelus motus ab intrinseco motore in ipso causari; siquidem motus localis per se non est necessariò actus vitalis, aut immanens, & ideò ex se non repugnat fieri ab extrinseco agente per actionem, seu passionem transeuntem. Quare sine dubio potest Angelus moueri localiter à Deo. Ad hanc autem mutationem efficiendam non est cur requiratur virtus infinita; tum quia, alioqui nec Angelus posset mouere seipsum; tum etiam quia nec in termino, nec in modo talis actionis inuenitur aliquid præter quod infinitas virtutis necessaria sit. Nec inter ipsos Angelos datur aliqua disproportio, quæ huic potestati repugnet: omnes enim compositi sunt ex subiecto mobili, & ipso motu, seu termino, & omnes habent potentiam motiuam motus localis: ergo habet vnusquisque in alium inferiorem hanc potestatem.

35. Confirmatur quia cùm anima damnanda separatur à corpore, Dæmones violenter rapiunt illam, & vsque in Infernum perducunt, vt est communis traditio Patrum: Non est autem cur dicamus id facere Dæmones virtute supernaturali; nec enim est fundamentum vllum ad simile miraculum confingendum: Mouent ergo animam per naturalem vim loco motiuam, ac subinde eadem virtute poterunt alios Dæmones inferioris speciei loco mouere. Inter Angelos autem beatos licèt hæc potestas non desit, vsus tamen eius non inuenitur. Tum quia status beatificus excludit omnem modum violentiæ, vel imperfectionis, qualis in motu ab extrinseco repetitur. Tum etiam, nam Angelus beatus ad nutum alterius mouet sese quoties alter imperandi potestatem habet; ideoque sola locutio sine alia extrinseca actione inter sanctos Angelos sufficit, vt ex Apocalypsi, & ex aliis Scripturæ locis deprehenditur.

Quamuis autem Angelus perfectior possit ex natura rei mouere inferiorem etiam renuentem, attamen è contrà poterit inferior mouere superiorem si non resistat, non verò renuentem: nam à portione minoris inæqualitatis non sequitur actio. Vis autem Angeli superioris maior est. Quare dum resistit, moueri non potest ab inferiori, qui minoris est virtutis; cùm tamen illa resistentia sit voluntaria, si superior nolit resistere, nihil erit quod motum inferioris retardet. Addit Camel nec Angelum superiorem posse mouere inferiorem si iste renuat, quia cùm virtus motiua in Angelo sit eius voluntas, mouo actrua erit ipsa volitio: non potest autem voluntas pati violentiam in actu elicito: ergo nec in moto. Ceterùm ista ratio procedit ex falso fundamento, & adhuc eo dato non tenet consequentia: nàm etsi voluntas per suum actum elicitum immediatè motum efficeret, nihilominus motus non esset actus elicitus voluntatis, sed imperatus: ergo licèt Angelus cogatur à superiore agente ad recipiendum motum, qui sit effectus volitionis elicitæ, non cogetur ad volitionem eliciendam, nec ad volendum motum; imò ideò cogitur ad motum, quia non vult illum. 36.

Ad fundamentum Vasquij respondetur non esse proprium solius corporis posse ab extrinseco moueri, vt constat ex dictis, & quidem licèt Angelus bonus inferior non possit virtute naturali cogere Dæmonem superioris speciei, poterit tamen virtute supernaturali; non tamen inde fit, quod ad mouendum etiam inferiorem Dæmonem egeat virtute supernaturali. 37.

CAPVT II.

Vtrùm potentia motiua Angeli distinguatur ab eius intellectu, & voluntate.

Prima sententia negat. Videtur sentire S. Thomas quatenus 1. part. quæst. 54. art. 5. & quæst. 97. art. 3. ad 3. docet ex viribus animæ non competere Angelo nisi intellectum, & voluntatem, & opusculo 11. & art. 3. & 13. & quodlibet 6 art. & quæst. 16 de malo art. 1. ad 14. dicit Angelum mouere corpora solo voluntatis imperio: tenent Herueus in 2. dist. 14. quæst. 1. art. 4 Capreolus in 2. dist 7. quæst. 2. Durandus dist. 2. quæst 5 Argentina dist. 8. quæst. 1. art. 1. Baffolis dist. 14. quæst. 1. Soncinas 12. Metaphys. quæst. 35 Salas cum aliis 1. 1. tract. 5. disp. 1. sect. 3. à num. 24. Probatur primò, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Sed antelle 1. (S.Thomas. Herueus. Capreolus. Argentina. Baffolis. Soncinas. Salas.)

intellectus, & voluntas sufficiunt ad efficiendum motum in Angelis: ergo non est ponenda potentia motiua distincta. Minor probatur, quia virtus principalis mouendi est ipsa essentia Angeli, & per intellectum dirigit motum, & per voluntatem potest illum sufficienter exequi.

2. Probatur secundò, quoniam Angelorum natura est purè intellectualis: ergo tantùm habet intellectum, & voluntatem, quæ ad intellectum consequitur: nam hæ duæ potentiæ duntaxat sunt propriè rationales, seu intellectuales: ergo per illas Angelus operatur quidquid operari potest: Operatur enim omnia intellectualiter. Confirmatur: nam anima rationalis solo intellectu, & voluntate mouet corpus sibi vnitum: ergo potiori iure Angelus, qui est perfectior, poterit solo voluntatis imperio mouere corpora non sibi vnita. Imò licèt anima rationalis egeat potentia motrice distincta, non est talis distinctio in Angelis admittenda: Nam quæ sunt in inferioribus, diuisa, sunt in superioribus vnita. Dissident autem Doctores huius sententiæ, quia plures illorum disiunctiuè solùm loquuntur dicentes potentiam motiuam esse intellectum, vel voluntatem, vel negatiuè, scilicet non esse aliam potentiam ab intellectu, & voluntate diuersam. Alij significant esse intellectum; alij voluntatem, & vtrumque variis locis innuit S. Thomas & Salas, & alij vtranque potentiam coniungũt, quoniam vtriusque operatio est necessaria; nec est sufficiens ratio cur vna immediatè influat, & non alia.

3. Secunda sententia probabilior docet potentiam Angelorum loco motiuam esse realiter distinctam ab intellectu, & voluntate. Hanc magis probat Caietanus 1. part. quæst. 54. art. 5. Tenent Aureolus in 2. dist. 8. quæst. 1. art. 3. Henricus quodlib. 13. quæst. 6. Gotfredus quodlibet. 1. quæst. 4. Maironus in 1. dist. 43. quæst. 5. Conimbricenses 2. de cælo cap. 5. quæst. 7. Suar. 2 disp. 35. Metaphys. sect. 6. num. 21. & lib. 4. de Angelis cap. 24. & 29. Iuxta quam dico primò, Potentia loco motiua Angeli, qua mouet seipsum, & alia extra se localiter, distinguitur realiter à substantia Angeli. Probatur ex generali ratione, quæ cogit nullam admittere substantiam creatam, quæ sit immediatè operatiua per actionem propriam. Suarius disp. 18. Metaphys. sect. 3. num. 13. id ostendit à posteriori longa inductione in omnibus agentibus creatis; à priori verò probatur quoad operationes transeuntes, qualis est motus localis: nam in ratione principij actiui transeunter vltima operantis actualitas est ipsa potentia operatiua ad extra. Sic in Deo, qui est actus purus ab omnipotentialitate respectu propriæ perfectionis ponitur potentia productiua non distincta realiter ab essentia diuina. Nam vnumquodque secundùm quod est actu, & perfectum, secundùm hoc est principium actiuum alicuius: Sed nulla creatura substantialis potest esse actus purus in ratione essentiæ, ac subinde nec in ratione naturæ: ergo nulla substantia creabilis potest per suammet substantialem naturam esse principium immediatum operationis ad extrà.

Caietan.
Aureolus.
Henricus.
Gotfredus.
Maironus.
Conimbric.
Suarez.

4. Generaliter autem omnem potentiam actiuam etiam immanenter, siue in Angelis, siue in alia quauis creatura distingui realiter à substantia, ita vt nulla substantia creata vel creabilis sit immediatè operatiua per seipsam, docent Dionysius de cælesti Hierach. cap. 11. Anselmus de conceptu Virginis cap. 4. & de casu Diaboli cap 8. Augustinus, & alij, quos sequitur S. Thomas hic quæst. 54. artic. 3. Vbi reddit hanc rationem. Cùm potentia dicatur ad actum, oportet quòd secundùm diuersitatem actuum sit diuersitas potentiarum. In omni autem creato essentia differt à suo esse, & comparatur ad ipsum. Sicut potentia ad actum. Actus verò ad quem potentia operatiua comparatur est operatio: ergo sicut nec in Angelo, nec in alia substantia creabili coïncidunt operatio, & esse; sic nec essentia, & potentia operatiua possunt esse idem realiter.

Dionys.
Anselm.
August.

5. Hanc rationem S. Thomæ sic ego intelligo, vt sicut in omni essentia substantiali creata distinguimus realiter essentiam productam, & actionem qua producitur, vnde habet esse ab alio, & consequenter habet potentiam ad essendum, vel non essendum, & prætereà distinguimus realiter vltimum terminum, siue complementum essendi quod subsistentiam appellamus, sic in eiusdem substantiæ creatæ natura distinguenda sit ratio substantialis naturæ, quæ realiter coïncidit cum essentia, & prætereà potentia operatiua proxima, quæ specificetur à sua operatione, distincta quoque realiter à suo principio, vt potentialitati essentiæ ad essendum, & subsistendum mediis entitatibus distinctis correspondeat potentialitas naturæ radicalis, & proxima mediis quoque distinctis entitatibus; & his consonant, quæ de limitatione substantiæ creatæ docui cum S. Thoma, & communi sententia lib. 2. physicorum, & quæ de actualitate diuina dixi lib. 1. de Deo disp. 22. cap. 4. Videatur etiam Bubalus hîc quæst 54 art. 3. quæsito 1. & 2. vbi probat ex Patribus, Scholasticis, Aristotele, S. Thoma, & rationibus potentias operatiuas distingui realiter à substantia creabili vel creata.

Bubalus.

6. Dico secundò, potentia loco motiua in Angelis distingui realiter ab eorundem intellectu & voluntate. Probatur primò ea diuersitate actuum & obiecti, quia potentia cognoscens & appetens habent obiectum propriè; potentia motrix non nisi terminum, illæ sunt propriè immanentes, hæc non ita, sed impropriè; illarum actus sunt intrinsecè, ac essentialiter vitales, huius non nisi extrinseca denominatione; Demùm illæ non possunt operari nisi ad intra, hæc autem etiam ad extrà, videlicet impellendo corpora, vel spiritus alios: ergo, supposita limitatione potentiarum, non potest tanta diuersitas operationum, & modi operandi in eandem potentiam refundi. Confirmatur, quia non est minor ratio distinguendi voluntatem à potentia motrice, quàm ab intellectu: nam etiam intellectio est à voluntate imperante nonnunquam, & non minùs distinguitur motio localis à volitione, quàm intellectio à volitione; nec minùs etiam distinguuntur termini, vel obiecta talium actionum in his potentiis, quàm in illis. Cùm ergo potentia per actus, & obiecta distinguantur, non est cur magis distinguatur voluntas ab intellectu, quàm potentia motrix à voluntate, imò, iuxtà suprà dicta, maior ratio distinctionis inter voluntatem, & potentiam motiuam inuenitur.

7. Probatur secundò, quoniam intellectus non habet actum internum, quo talem motum possit efficere, quia solùm cognoscit, aut iudicat, nec habet imperium circa seipsum ab his actibus distinctum, vt docuit lib. 1. disput. 35. cap. 2. & disp. 38. cap. 1. Circa alios verò solùm vtitur imperio erga creaturas rationales, imperando illis, vt

faciant, si velint obedire, non verò mouendo localiter per ipsum imperium. Per cognitionem item, seu iudicium non potest efficere motum, sed requiritur voluntas. At verò nec ipsa voluntas potest esse potentia eliciens immediatè motum, sed tantùm imperans; ideoque necessaria est specialis potentia quæ sit proximum principium effectiuum motus localis.

8. Confirmatur, nam intellectus, vel voluntas Angeli non efficit motum cæli, v. g. per suum actum tanquam per actionem: nam actio motiua iuxta veriorem philosophiam esse debet in passo; intellectio autem, & volitio manet in suis potentiis; Nec tanquam per principium agendi: Aristot. nam actus immanens, vt docuit Aristoteles 9. metaphys. non est operatiuus ad extra per se, seu tanquam propria virtus agendi, nec est cur hoc tribuamus intellectui, & voluntati Angelicæ potiùs quàm aliis. Imò debemus vniuersaliter asserere nullam potentiam intellectricem, aut volitricem creatam esse actiuam per se alicuius effectus ad extrà, sed solùm quatenùs habet sibi subiectam aliam facultatem proportionatam tali effectui; Quapropter etiam ad mouendum localiter seipsum probabilius est Angelum habere potentiam loco motiuam distinctam à voluntate ob easdem rationes. Imò ferè omnes admittunt potentiam per quam Angelus mouet alia à se realiter esse eandem cum potentia, qua mouet seipsum; vnde sicut illa distinguitur realiter ab intellectu & voluntate, sic & ista. Euasiones ad- Suarez. uersariorum præcludit Suarius lib. 4. de Angelis cap. 29. à num. 5. S. Thomas pro contraria sententia relatus in prioribus locis potest intelligi de potentiis propriè vitalibus, vel immanentibus; in posterioribus verò licèt motum attribuat imperio voluntatis, non tamen secludit potentiam motricem distinctam. Huius videtur meminisse quodlib. 9. art. 10. ad 2. cùm ait Angelum mouere corpus per Imperium, non tamen sine virtute motiua; & quæst. 6. de potentia art. 7. ad 12. dum ait imperium Angeli requirere executionem virtutis.

9. Ad primum fundamentum contrariæ sententiæ negatur minor, & ad eius probationem respondetur præter intellectũ, & voluntatem requiri potentiam executricem motus propter rationes suprà factas; & quia nec intellectus, nec voluntas per se se ordinatur ad efficiendum motum, sed ad cognoscendum verum, & ad amandum bonum; atque sub hac ratione intellectus apprehendit motum, & voluntas vult illum; non tamen sufficit exequi per se se quidquid vult, aliàs sufficeret etiam ad exequendum actum credendi quando vult illum, & humana voluntas esset sufficiens ad exequendam visionem corpoream quando vult illam.

10. Ad secundum respondetur Angelum, vt est in gradu cognoscitiuo habere tantùm duas potentias, scilicet intellectum, & voluntatem, in quo distinguitur ab anima rationali, quæ plures habet potentias in illo gradu, quia non est purè intellectualis, sicut Angelus. Nihilominus tamen, quoniam Angelus non tantùm est potens ad cognoscendum, & amandum, sed etiam ad mouendum se, & alia. Ideò indiget quoque speciali potentia motiua, quæ non est extra rationem creaturæ purè intellectualis, cùm sit etiam potentia spiritualis, & intellectui, & voluntati subordinata, licèt secundùm communem rationem suam non sequatur ex gradu intellectuali vt sic, sed ex gradu viuentis loco-motiui: Quia tamen in Angelo hæc ratio vitæ cum gradu intellectuali coniuncta est; ideò etiam illa potentia loco-motiua in Angelo altioris ordinis est, & quodammodo gradum illum participat, quatenùs potentiis intellectualibus subordinatur.

Ad confirmationem negatur antecedens: nam etiam in homine præter intellectum & voluntatem datur potentia motrix distincta, vt cum sententia communiori tradidimus in libris de anima. Ad replicam verò dicimus non omnes potentias, quæ in inferioribus distinguuntur, debere esse vnitas in superioribus, alioquin etiam posset inferri, voluntatem ab intellectu in Angelis non distingui. Quare principium illud ad summum habet locum quando distinctio reperta in inferiori oritur ex peculiari conditione, vel imperfectione illius, vel è conuerso quando in natura superiori datur aliqua ratio formalis obiecti, in qua possint duæ facultates inferiores vniri, atque vnicam superiorem constituere. Ceterùm in præsenti voluntas, & potentia motiua non distinguuntur ex peculiari conditione, vel imperfectione hominum, sed ex propriis obiectis aut actibus, ad quos ordinantur, quæ distinctionis ratio reperitur etiam in Angelis, nec in his datur aliqua conuenientia, vel vnitas formalis, sub qua possint illæ duæ facultates in vnam coalescere. Vnde cùm alioquin in natura finita, & capaci compositionis accidentalis distinguantur potentiæ penès diuersos terminos, vel obiecta, ipsæque facultates operatrices sint etiam in Angelis finitæ, ac limitatæ, non est cur dicamus has facultates, quæ in anima distinguuntur realiter, in Angelis pariter non distingui. 11.

CAPVT III.

De Angelorum propinquitate ad corpus mobile.

PRima sententia docet non requirere Angelum præsentiam, vel propinquitatem ad mobile, vt illud moueat immediatè per seipsum. 1.
Sic Heruæus tractat. de motu Angeli quæst. 1. ad 3. & in 1. dist. 37. Ochamus ibidem quæst. 1. Gabriel art. 3. dub. 1. Fauet Scotus eadem dist. quæst. 1. & Magister in 2. dist. 8. capite vltimo, dicens Dæmones non ingredi obsessorum corpora secundùm substantiam, sed tantum secundùm effectum. Heruæus. Ochamus. Gabriel. Scotus. Magister.
Probatur primò, quia nec in corporibus censent semper esse necessariam immediatam approximationem inter agens, & passum, vt variis exemplis, & argumentis aliqui Philosophi conantur ostendere: ergo idem à fortiori concedendum est in Angelis.

Probatur secundò, nam aliàs oporteret Angelum esse præsentem in toto corpore quod mouet, ac subinde, qui mouet primum mobile, adesset illi toti cælo, quod videtur incredibile; alioquin Angeli perfectiores possent esse simul in cælo, & in terra contra Damascenum, & omnium sententiam. 2.
Probatur tertiò, quia si in agentibus corporeis requiritur propinquitas loci, hoc prouenit ex materia, & quantitate qua videntur determinari, vt non nisi per contactum operentur. Sed spiritualia cùm careant materia, & per solam voluntatem operentur, non videntur exigere

præsentiam,

præsentiam, vel propinquitatem, siquidem voluntas non minùs potest velle obiectum remotum quàm propinquum.

3. Probatur quartò, quia saltem inter Angelos non videtur necessaria talis approximatio: nam Angelus superior potest quasi ligare Angelum inferiorem alicui loco, ibique detinere illum, quamuis detinens inde discedat: non enim videtur necessarium vt Michael v.g. ad detinendum Angelum inferiorem veluti super illum existat: nam quod in corporibus præstat propinquitas, inter spiritus faciet ordo naturæ.

4. Secunda sententia communior asserit Angelum debere propinquum esse corpori, vt illud mouere possit, sic videtur sentire Damascenus lib. 1. de fide cap. 17. vbi de Angelo inquit, *Nec alibi est, verum intellectualem in modum illic circumscribitur, vbi operatur.* Videatur etiam lib. 2. cap. 3. idem supponit S. Thomas, vbicunque tractat de loco Angelorum, vt constat ex quæst. 52. Consentiunt omnes Thomistæ, & Vasquius 1. part. disput. 189. cap. 2. Suarius lib. 4. de Angelis cap. 30. frequentiusque sequuntur Philosophi qui generatim docent necessariam esse propinquitatem inter mouens, & motum, vt tradidisse videtur Aristoteles 7. phys. cap. 2. Toletus ibi quæst. 2. Sotus quæst. 1. Conimbr. quæst. 1. art. 2. Ideoque Aristoteles 2. de cælo cap. 2. dixit intelligentiam mouentem cælum debere præsentem illi adesse saltem in aliqua parte, nimirum orientali.

Aristot. Tolet. Sotus. Conimbr.

5. Probant Vasquius, & Suarius ex limitatione virtutis creatæ: nam eo ipso quòd agens est determinatæ virtutis, est determinatum ad agendum intra certam distantiam, & per consequens ad inchoandam actionem à se sibi propinqua, quia si posset agere in distans, non solùm posset agere intra certam distantiam, sed etiam vltra illam. Probatur hæc sequela, quia si virtus agentis non indiget medio ad agendum in distans, nec debet priùs agere in proximo, quàm agat in remoto; maior quidem, vel minor distantia impertinens erit ad minuendam, seu variandam actionem agentis. Vnde sic posse Angelum æqualiter mouere corpus ad quamcunque distantiam. Hæc tamen ratio non videtur conuenire: nam licèt Angeli sint limitatæ virtutis, potuissent non ita limitari, vt non possint nisi corpus sibi propinquum commouere. Nec videtur sequi suprà dictum inconueniens, adhuc non potuissent tenere determinatam sphæram, intra quam possent mouere corpus etiam distans, non tamen extra illam.

Vasquez. Suarez.

6. Meliùs probatur, quoniam inter corpora requiritur approximatio, vt vnum possit aliud mouere: ergo etiam inter corpus, & spiritum est necessaria. Antecedens supponimus ex libris de Generatione, vbi illud probauimus à posteriori ex experientia. Consequentia patet, quia ratio à priori talis necessitatis inter corpora non oritur ex peculiari conditione corporum, sed ex generali connexione, vel modo dependentiæ actionis transeuntis à suo principio; quam sic ostendit Capreolus in 1. dist. 31. quæst. 1. ad 8. argumentum. Actus & potentia ex ratione sua postulant esse indistantes, vt nimirum inter se possint exercere rationem actus, & potentiæ, quatenùs ille actuet potentiam, & hæc perficiatur per actum: Sed agens quatenùs agens est, quodammodo est actus patientis, & passum respectu agentis quodammodo est potentia: ergo petit agens ex natu-

Capreol.

rali conditione, seu proportione agentis immediatam coniunctionem cum passo, vt ipsi communicet extrinsecè talem formam vel effectum.

Et quidem ista ratio licèt ad conuincendum intellectum proteruum per se se non sufficeret, tamen supposita in agentibus corporeis experientia magis videtur indicare propriam causam huius necessitatis. Vnde cùm pariter procedat in Angelis, & in illis non desit experientia: modus enim loquendi Scripturæ semper nobis indicat Angelos ibi adesse, vbi operantur, satis probabiliter suadet Angelos quoque non posse corpora distantia mouere, quin actione continua simul moueant corpus approximatum: Quod magis constabit solutione argumentorum. 7.

Primum potiùs retorquetur in aduersarios, vt vidimus. Circa secundum dicendum est multipliciter Angelum posse mouere corpus. Primò, per semetipsum immediatè totum corpus, & singulas eius partes impellendo, & tunc si motu recto per longum spatium non procedendo, sed portando corpus dimoueat à toto loco suo, necesse est vt quamdiu motus durat, Angelus sit in toto mobili, & in qualibet parte ipsius: nam omnes illas partes per se ac immediatè mouet, & non potest agere immediatè in distans, nisi virtutem aliquam producat in proximo, quam hîc supponimus non produci, cùm non fiat motus medio impetu impresso. Sic videtur Angelus mouere corpus quod assumit, ideoque totus est in toto illo, & totus in qualibet eius parte, atque simùl cum corpore moto mouetur Angelus necessariò, quia si non moueretur cum illo separaretur ab illo; separatus autem non posset immediatè per se mouere totum corpus, & singulas partes illius. 8.

At quoties Angelus mouet corpus deferendo, vel quasi trahendo illud, vt Act. 8. *Spiritus Domini rapuit Philippum*, & Dan. 14. *Angelus portauit Habacuc capillo capitis sui.* Non debet Angelus esse in toto corpore, quod defert, quia potest non omnes partes per se primò mouere, sed vnam primùm, & per illam trahere alias, vt motu Habacuc indicat Scriptura: debet autem assistere illi parti, quam primò mouet, ac in illa præsentia persistere, quandiu durat motus, quia semper partem illam per se, ac immediatè trahit, & non per aliam: Quare debet etiam ad motum corporis moueri, ne deserat illud. 9.

Act. 8. Dan. 14.

Quòd si immoto cælo per medium illius stellæ circumuoluuntur ab Angelis, vt cum sanctis Patribus probabiliter posse defendi docuimus in libris de cælo; hoc etiam modo mouebit Angelus astrum sibi commendatum deferendo, & comitando illud in gyros. At si iuxta communem Astrologorum opinionem Angeli moueant cælos ipsos, dicendum est cum Aristotele 8. physic. cap. 2. & 2. de cælo cap. 2. cum S. Thoma 1. part. quæst. 52. art. 2. Bonauentura, Scoto, & aliis in 2. dist. 2. Angelum existentem in vna parte cæli, inde mouere totum cælum, quin agat in distans, quia semper agit in parte sibi propinqua, quæ non semper est eadem numero, sed continua successione variatur, prout motus ipse continuè fit. Atque ex parte illa, quam Angelus immediatè mouet, diffunditur motus ad alias, vel expellendo anteriores partes mobilis, vt illarum loco subintret, vel trahendo posteriores sibi vnitas, quæ ab illa diuidi non possunt propter cæli soliditatem. 10.

Aristot. S. Thom. Bonauent. Scotus.

11

Quare

Quare consequens est, videlicèt ille motus simul tempore fiat in toto mobili, nihilominùs priùs natura fiat in ea parte quam Angelus per se, ac immediatè mouet: nam ab illa parte ad ceteras non peruenit motus sine aliqua causalitate illarum inter se, quatenùs vna loco suo pellit aliam; non tamen est necesse vt totus ille motus fiat per impetum impressum: nam Angelus immediatè, ac per se potest ioeboare ototum & vnaquæque pars potest per se, ac immediatè pellere, vel trahere alias ratione iam dicta.

12. Ad tertium, Respondetur Angelos non egere propinquitate loci, & continuatione virtutis ad operandum propter quantitatem, & materiam, sed propter vnionem contiguitatis inter omne agens, & passum requisitam; nec ita mouet Angelus per voluntatem, vt non etiam indigeat potentia loco motiua distincta, & immediatè applicata corpori, quod mouendum est. Ad 4. respondet Suarius rem esse dubiam, nec illam definit. Mihi videtur eo modo, quo diximus suprà cap. 1. à num. 33. posse vnum Angelum ab alio moueri, posse pariter alligari loco, seu detineri in illo, dum tamen sic alligans aut detinens propria, & naturali virtute semper assistat detento, & vim suam loco-motiuam applicet illi detinendo: Sicut suprà cap. 1. num. 27. & 28. diximus debere applicari lapidi, quem vellet Angelus in medio aere detinere, imperio autem Dei benè poterit vnus Angelus ita ligare alterum, vt etiamsi ligator discedat, maneat alter ligatus, quandiu Deus voluerit.

13. Petes primò, quanta sit virtus loco-motiua Angeli? Respondeo non solùm in genere entis, sed etiam in ratione potentiæ finitam esse simpliciter, licèt enim sit alteriùs ordinis à corporalibus potentiis, nihilominùs in illo ordine finitam habet perfectionem, & ex essentia perfectionis finitæ dimanat. Vnde fit etiam quòd non sit æqualis perfectionis in omnibus Angelis, sed maioris actiuitatis detur in Angelis perfectioribus. Videatur Suar. disp. 35. metaphys. sect. 6. à num. 26. colligitur item exinde tantam posse dari ex parte mobilis resistentiam, vt eam Angelus superare non possit, sicut in vno Angelo respectu alterius contingere diximus suprà cap. 1. num. 36. Sic etiam non poterit forsan Angelus totum aliquod elementum à suo loco mouere, non solùm ex generali lege prouidentiæ diuinæ, vt diximus, cap. 1. num. 32. Sed etiam defectu potentiæ motiuæ propter nimiam resistentiam elementi. Suarez.

14. Quòd si totum mobile non resistat motui, & sit corpus solidum, cuius vna pars mota trahat secum alias, poterit Angelus mouere corpus cuiuscumque magnitudinis, ac subinde quilibet Angelus, etiam inferior, habebit vim naturalem sufficientem ad mouendum circulariter cælum quantæcunque magnitudinis, quia cùm moueatur intra propriam sphæram, non resistit; sicut nec elementa grauitant in suis locis connaturalibus, nec est necessarium vt Angelus sit substantialiter præsens in toto cælo, quia non mouet illud totum immediatè quoad omnes, & singulas partes, sed existens in vna parte determinata, quantumuis minima, poterit ibi inchoare motum, & illa pars immediatè mota per Angelum trahet secum reliquas omnes propter indissolubilem connexionem illarum.

15. Petes secundò, An possit Angelus quodlibet corpus mouere maiori, & maiori velocitate in infinitum. Respondetur in his corporibus, quæ resistunt dari terminum velocitatis versus maximum, vt constat ex suprà dictis: cùm enim sit virtus finita, finito modo mouere debet, imò etiam in corporibus non resistentibus videtur id esse probabilius, quia corporis motus intrinsecè, ac ex parte mobilis requirit successionem, in qua inuoluitur quædam repugnantia, & quasi resistentia inter ipsas partes, dum se se inuicem loco pellunt, ob quam maior vis adhibenda sit, vt citiùs illa transmutatio fiat; ideóque cùm sit virtus finita, potest summam actiuitatem adhibere, cui maxima velocitas sibi possibilis correspondeat, quamuis à maiori potentia possit fieri maior. Aliud est de velocitate qua mouet Angelus seipsum: cùm enim possit totum vnum *vbi* dimittere, & aliud adquirere sine successione, nihil mirum quòd in motu successiuo, quando vult illo vti, non habeat terminum velocitatis determinatum.



DISPVT. IV.

De potentia Angeli circa corpora assumpta.

De Fide constat Angelos apparere hominibus in corporibus visibilibus: nam Genes. 3. Dæmon sub specie serpentis locutus est cum Eua, & cap. 18. tres Angeli sub figuris virorum apparuerunt Abrahæ, & cap. 19. duo venerunt Sodomam, & cap. 32. vnus Angelus luctabatur cum Iacob vsque mane. Raphaël per multos dies comitatus est Tobiam, Gabriel visibiliter ingressus est, & locutus est ad Mariam. Diabolus ad tentandum Christum visibilis venit. Demùm in actibus Apostolorum cap. 5. & 12. similes apparitiones Angelorum narrantur. Quæ verò corpora, & quomodo assumantur ab Angelis dubium est, quòd per partes inuestigabimus in præsenti. Genes. 3. 18. 19. & 32. Act. 5. & 12.

CAPVT I.

An Angeli vera corpora assumant.

1. Assumere in præsenti significat Angelum adiungere sibi tanquam motori corpus, quod Angeli personam repræsentet, ita vt si totum illud conflatum ex motore, & corpore moto operans ambulet, appareat, loquatur, Angelus ambulare, apparere, loqui censendus sit. Corpus verò quod assumitur dici potest verum dupliciter, vel sub generali ratione corporis quanti, figurati, & sensibilis; vel sub speciali ratione talis corporis humani, v. g. nam imago hominis siue linea, siue lignea verum equidem corpus est in genere corporis, non tamen est verum corpus humanum in specie hominis, sed apparens, & pictum. Sub vtroque sensu potest inquiri de veritate corporis ab Angelo assumpti: in quo,

2. Prima sententia fuit: Angelos non assumere corpora vera, etiam in genere corporis, ac subinde non in corporibus assumptis reuera, sed sola imaginatione sensus, & visione phantastica hominibus

S.Thom. Carthusian. Vdalricum. Guill. Paris. hominibus apparere. Ita sensisse quosdam supponit nomine refert S.Thomas in hac quæst. 51. art. 2. At verò Carthusianus in 2. dist. 5. quæst. 1. allegat Vdalricum lib. 4. suæ summæ. Fauet Guillermus Parisiensis lib. 2. de vniuerso part. 1. cap. 79. vbi probat Dæmones non assumere vera corpora, sed videtur loqui potiùs in 2. sensu, scilicet in ratione specifica talis corporis: solùm enim contendit probare corpora ab Angelis assumpta non esse humana, licèt humana esse videantur.

3. Damasc. Probatur primò ex Damasceno lib. 2. de Fide cap. 14. Vbi secundùm translationem Fabri de malis Angelis, sic ait. *Permissione autem Dei facta, & fortitudinem habent, & transferuntur, & transformantur in quam volunt figuram secundùm imaginationem, seu secundum phantasiam.* Epiphan. Ad idem est Epiphanius hæresi 26. post medium. Probatur secundò, quia cùm Angeli non habeant corpora sibi naturaliter vnita, non possunt assumere corpora, nisi per aliquam efficientiam. Ad efficiendum autem corpus non sufficit motus localis, tum nam aliàs assumerent Angeli omnia corpora, quæ localiter mouent, vt cælos, homines & similia, quod videtur absurdum; tum etiam quia si Angeli assumerent corpora, vt in eis appareant hominibus, oporret vt illa sint corpora solida, quæ videri possint & tangi, ac subinde colorem habeant, densitatem, duritiem, calorem, & similes qualitates, per quas possint sentiri. Hæc autem omnia per solum motum localem fieri non possunt, sed solùm fient præstigiæ, vel illusiones sensuum: ergo non assumunt Angeli vera corpora, sed sola visione phantastica deludunt nostros sensus.

4. Probatur tertiò, quia possunt Angeli præstigiis immutare nostros sensus, & taliter nobis obiicere varias figuras, vt eas nobis videre videamur; & de facto sæpiùs secundùm internam imaginationem hominibus apparent, & loquuntur, vt sumitur ex S.Thoma 2.2. quæst. 172. art. 2. multæque visiones Angelorum in Apocalypsi narratæ solùm interiùs in phantasia videntur contigisse. Similiter lamiæ deluduntur a Dæmonibus, cùm ad varia loca se deduci, & alia permulta conspicere, vel pati videntur, vt habetur in cap. *Episcopi* 26. quæst. 5. Ergo dicendum est ita semper apparere, quia non est maior ratio de quibusdam apparitionibus, quàm de aliis.

5. Dico primò Angelos assumere vera corpora, saltem in ratione generica corporum, quæ sint exteriùs sensibilia, ita vt ab omnibus videri possint. Ita communiter Theologi in 2. dist. 8. Bonauentura, Richardus, Scotus, Durandus, Gabriel, & alij. Marsilius in 2. quæst. 6. art. 1. Albertus ibi dist. 8. art. 1. Alensis 2. part. quæst. 34. memb. 2. & 3. S.Thomas hîc art. 2. vbi Molina disp. 5. Vasquez disp. 184. Valentia disp. 4. quæst. 2. punct. 2. Suarez lib. 4. de Angelis cap. 33. & omnes Thomistæ. Probatur primò ex Scriptura, quæ manifestè narrat Angelos exteriùs apparere, seque præbuisse videndos externis hominum oculis, & manibus tangendos, & cum hominibus familiariter ambulasse, comedisse, & collocutos fuisse, quæ omnia sine visibili specie externa fieri non possunt: nam vt expendit S.Thomas ea quæ solùm fiunt per illusionem sensuum apparent duntaxat homini, qui specialiter illuditur, non tamen communiter ab omnibus aspiciuntur. Confirmatur quia Dæmon in statu innocentiæ non poterat per illusionem decipere Euam, nec eius phantasiam, aut oculos præstigiis deludere: status enim innocentiæ nec tantam imperfectionem in homine, nec talem potestatem in Dæmone supra corpus hominis permittebat: ergo serpens per quem Dæmon apparuit Euæ reuera fuit corpus externum, & aptum ad sensus externos naturaliter immutandos.

(Bonauent. Richard. Durand. Scotus. Gabriel. Marsilius. Albert. Alensis. S.Thom. Molina. Vasquez. Valentia. Suarez.)

Hæc ratio manifesta probat de Dæmone, qui ad tentandum Christum visibiliter accessit, quia multo. minùs poterat Dæmon vel interiorem phantasiam, vel exteriorem visum Christi Domini præstigiis deludere, atque generaliter Angeli sancti licet interdum solùm interiùs loquantur, vel aliquid repræsentent, vt quando loquuntur in somniis, vel in quodam genere propheticæ visionis, nihilominùs quando loquuntur exteriùs ad aures corporis, & oculis cernendos se præbent, in hoc non decipiunt, sed verè, ac naturaliter sensus immutant, vt patet in apparitione Gabrielis ad Virginem, & aliorum Angelorum ad Magdalenam in die resurrectionis, & ad Apostolos in die Ascensionis. 6.

Probatur secundò, ex Patribus; sic enim asseruit Tertullianus in lib. de carne Christi, Augustinus 15. de Ciuit. cap. 23. sic ait. *Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, vt non solùm videri, verùm etiam tangi possint eadem, verissima Scriptura testatur,* quod ibidem ex multorum experientia confirmatur; *vt hoc* (inquit) *negare impudentiæ videatur.* Idem docet Bernardus sermone 5. in Cantica, Isidorus lib. 5. de summo bono cap. 10. Cyprianus lib. de Cardinalibus operibus Christi, Athanasius in vita Antonij, Gregorius homilia 34. in Euang. distinguit ex Dionysio duplicem Angelorum missionem, scilicet inuisibilem, & visibilem: imò Damascenus pro contraria parte relatus eo lib. 2. cap. 3. de sanctis Angelis ait. *Probus & præstantibus hominibus quibus eos aspiciendi sui copiam facere Deus voluerit, non quales sunt apparent, sed aliam ac aliam formam, prout videri ab hominibus possunt, assumunt.* Ideò inferiùs cùm dixisset Angelos tribus dimensionibus non constare, nec corporeo modo figurari, addit *quantum ad naturam attinet* indicans in corporibus assumptis dimensiones, & figuram recipere posse. Quod autem cap. 4. de malis Angelis dixit, non excludit sensibilem ostensionem, in corpore verò quoad rationem genericam corporis, sed denotat, vel non apparere Angelos quoad propriam naturam, sed tantùm quoad corpus assumptum, vel corpora, in quibus apparent non esse illius speciei cuius videntur. 7. (Tertullian. August. Bernard. Isidorus. Athanas. Gregorius. Damasc.)

Vt ratione probetur hæc sententia, notandum est apparitiones tripliciter fieri posse. Primò secundùm imaginationem, deinde secundùm visum externum, & hoc duobus modis, scilicet, aut per immutationem quandam in sensibus, nullo existente exteriùs, vt præstigiis fieri solet, & contingit in phreneticis, aut re ipsa existente aliqua figura exteriori, quæ talis qualitatis & naturæ appareat, qualis re vera non est, sicut apparent colores in Iride, qui re vera non sunt, eo quòd lux in eo corpore sic disponatur, vt ex natura sua faciat illos varios colores apparere. 8.

Dicimus ergo Angelos non solùm videri primo modo, cùm tamen interdum sic videantur: nec etiam secundo modo duntaxat, qui non contingit in bona sensuum dispositione, cùm tamen Angeli conspiciantur etiam sine perturbatione sensuum, sed etiam videri re ipsa per immutationem sensuum 9.

ſenſuum à tali obiecto, quod in ea diſtantia, & diſpoſitione tale natum eſt apparere. Probatur August. autem hoc de poſſibili non facilè, vt ſentit Auguſtinus 3. de Trinit. cap. 9. hæc tamen redditur congruentia: Quoniam apparere in corpore aſſumpto viſibili non eſt tam admirabilis effectus, vt ſuperet naturalem Angeli poteſtatem, quæ tanta Iob 41. exaggeratione nobis proponitur Iob 41. *Non eſt poteſtas in terra, quæ comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret.* Quod ampliùs infra conſtabit, declarando quomodo poſſit hoc fieri per ſolum motum localem applicando actiua paſſiuis.

10. Quod autem Angeli de facto aſſumant corpora vera, conſtat nobis tum ex reuelationibus in Scriptura contentis; tum ex hiſtoriis fide dignis, quibus manifeſtum fit dari in Eccleſia vſum, & experientiam magnam huiuſmodi viſibilium apparitionum Angelorum: nam in Vitis SS. narrantur Angeli boni in corporibus viſibilibus apparuiſſe; Dæmones etiam ſæpius apparere, vel ſub ſpecie viri, vel feminæ, vel aliorum animalium taliter, vt non ſola imaginatione, ſeu deluſione ſenſuum, ſed re ipſa verè ſentirentur, & aſpicerentur.

11. Dico ſecundò, poſſe Angelos vera corpora aſſumere quoad veritatem, etiam rationis ſpecificæ; ſic ſerpentem illum, ſub cuius ſpecie Dæmon allocutus eſt Euam, fuiſſe verum animal do- Pererius. cent Pererius ibi diſp. 1. in principio, Bellarminus Bellarm. lib. 3. de amiſſione gratiæ cap. 3. cum Auguſtino August. 14. de Ciuit. cap. 11. qui rectè notat aliquando poſſe Angelum aſſumere corpus verum animalis præexiſtentis; aliquando verò de nouo formare corpus, vt illud aſſumat. Et quidem in primo modo aſſumptionis iam ſupponitur corpus aſſumptum eſſe verum, etiam ſecundùm ſpeciem, in qua oſtenditur: at de facto rarò contingit aſſumi corpus præexiſtens, quia neceſſarium non eſt; & quia corpora, quæ communiter Angeli aſſumunt, facilè poſteà diſſoluuntur: Vnde niſi ex verbis Scripturæ, vel alio fide digno teſtimonio colligatur apertè aſſumpſiſſe Angelum corpus præexiſtens, potiùs credendum erit fuiſſe denuò ad illud miniſterium efformatum.

12. In quo rursùs notandum eſt Angelos propria virtute nullum corpus ſubſtantiale poſſe producere, vt dictum eſt diſput. 3. cap. 1. Ceterùm, applicando actiua paſſiuis, poteſt animalia imperfecta, ſub quorum ſpecie nonnunquam apparent Dæmones, efformare. Quare ſi natus Angelus velit in ſpecie animalis imperfecti apparere, poterit id facere, verum corpus talis ſpeciei aſſumendo, ſicut diximus poſſe aſſumere verum animal præexiſtens: nam ſuppoſita poteſtate formandi denuò tale animal verum, eadem eſt de vtroque ratio.

13. Quoniam autem Angeli communiter apparent ſub ſpecie hominis, vel animalis perfecti, quod virtute naturali formare non poſſunt; ideò dicere ſolent Doctores corpora ab Angelis aſſumpta non eſſe vera, ſcilicet quoad veritatem illius naturæ ſpecificæ, cuius figuram gerunt. Ità S. Thomas. S. Thomas hîc art. 2. & alij cum illo. Sic in malis Angelis erit infallibilis regula, quòd talia corpora, vel animalia perfecta non ſint vera in ſpecie propria, ſed tantùm ſimulachra verorum; & licèt bonus Angelus poſſit ſupernaturaliter iuuari, vel eleuari ad productionem animalis perfecti; tamen quoties ſub hominis forma nobis apparet, non eſt putandum illud eſſe verum corpus humanum: deberet enim admitti vel creatio rationalis animæ de nouo, vel reſurrectio alicuius mortui, quod fingere in his apparitionibus vanum eſſet. Item ſi ſub forma columbæ, leonis, bouis, aut ſimilis animalis appareat, veroſimilius fit, non eſſe illa corpora vera in ratione ſpecifica, quia non ſunt addenda maiora miracula ſine neceſſitate.

Ad primum in oppoſitum conſtat iam de 14.
mente Damaſceni ex dictis num. 7. Similiter Damaſc.
Epiphanius, dum contra hæreſim 26. ſcribit. Epiphanius. *Quomodo poteſt Dæmon, qui ſpiritus eſt immundus, & incorporeus corpora aſſumere?* Solam negat veritatem corporis aſſumpti quoad rationem ſpecificam, non quoad rationem genericam: loquitur enim de modo quodam aſſumptionis per operationem corporalem vitalem, qualis eſt conceptio vniuerſis per ſuſceptionem corporei ſeminis; ſicut Gnoſtici fabulabantur. Vnum ex Dæmonibus genuiſſe liberos ex Helia. Quos hæreticos ibi refutat Epiphanius.

Ad ſecundum, Reſpondetur abſolutè loquen- 15.
do ad aſſumenda corpora ſufficere naturalem virtutem Angeli, quæ in malis etiam integrà manſit; quod magis declarabitur capite ſequenti. Ad tertium, concedimus apparitiones Angelorum etiam Sanctorum interdum eſſe tantùm interiores in phantaſia, vt conſtat ex Scriptura, & Auguſtino Auguſtinus.
lib. 9. de Geneſi ad litteram cap. 19. docetque S.Thomas 2. 2. quæſt. 171. art. 5. ad 2. & quæſt. S. Thomas.
173. art. 2. & 3. & quæſt. 174. art. 2. Inde tamen non ſequitur omnes apparitiones Angelorum eſſe tantùm imaginarias: nam oppoſitum colligitur ex Scriptura, & docet late Auguſtinus 3. Auguſt.
de Trinit. cap. 10. Fatemur etiam Dæmonem poſſe, ſæpeque deludere ſenſus noſtros præſtigiis, quod frequenter lamiis contingit, quæ nimio ſopore correptæ putant ſe deferri ad varia loca, pluráque conſpicere, cùm immobiles clauſis oculis perſeuerent. Interdum tamen etiam ſolutis ſenſibus verè deferuntur, non ſuper veras beſtias, ſed à Dæmonibus in ſimulachris beſtiarum aſſumptis, ibique cum aliis congregantur in pratis, & multa turpia cum ipſis forſan Dæmonibus in forma viſibili committunt, vt docent Abulen- Abulenſis.
ſis in cap. 4. Matth. quæſt. 47. Caſtro lib. 1. de iuſta Caſtro.
hæreticorum punitione cap. 16. Martinus Del- Del Rio.
Rio lib. 2. de Mag. quæſt. 10. & lib. 5. ſect. 16. Suarez. Vaſquez.
num. 4. & 5 Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 16. num. 24. Vaſquez 1. part. diſp. 184. num. 6. & alij.

Ad illum textum in cap. *Epiſcopi*. Reſponde- 16.
tur ibi ſolùm definiri, mulieres illas decipi putantes ea quæ frequenter accidunt in ſomniis, re vera fieri; non tamen ideò definiri, nunquam re ipſa ſic accidere: Nec illa verba ſunt generaliter accipienda, ſed applicanda ad caſum, & materiam de qua tunc erat ſermo, ſcilicet de quibuſdam mulieribus putantibus Dianam eſſe Deam, cuius virtute nonnunquam per aera equitando ducerentur, & ad illius obſequium vocarentur, multoſque alios errores credentibus; Et ita hæc credulitas in illa materia potiſſimum damnatur. Videantur Turrecremata ibi art. 3. Turrecrem.
& Martinus Del Rio ſupradicta ſect. 16. verſus Del-Rio.
finem.

Ad diſcernendum autem inter imaginariam, 17.
& veram Angelorum apparitionem S. Thomas S. Thom.
hîc art. 2. indicium illud aſſignat, quod imaginariam ſolus ille percipit, ad quem fit, externam

verò

verò etiam alij simul intuentur. Interdum tamen potest Angelus alicui visibiliter apparere, quin ab aliis circumstantibus videatur; sicut dicitur Dan. 10. *Vidi autem ego Daniel solus visionem, porrò viri, qui erant mecum, non viderunt.* Vbi Pereyrus notat, in potestate Angelorum esse, cùm in assumptis corporibus apparent hominibus, sui aspectum, quibus volunt, vel exhibere, vel denegare; atque omissis miraculis, quibus Angeli boni forsan interdum ex dispensatione diuina vtentur; quilibet Angelus naturaliter id facere poterit immutando medium, & ponendo aliquod obstaculum impressioni specierum visibilium tanta subtilitate, ac celeritate, vt non impediat transitum specierum ad oculum eius, cui vult apparere. Impediat verò transitum ad aliorum oculos, vt benè declarat Richardus in 2. dist. 8. art. 2. quæst. 3.

Dan. 10. Pereyrus. Richard.

CAPVT II.

De qua materia, & qua virtute corpora ab Angelis assumantur.

1. Diximus de forma corporum assumptorum, & de veritate ipsius, nunc de materia, & de causa efficiente dicemus; quippe causa finalis procul dubio est, vt familiariter Angeli cum hominibus conuersentur. At circa causam materialem, & effectricem nonnulla possunt inquiri. Primò quæritur, ex qua materia formentur corpora, quæ ab Angelis assumuntur. Tertullianus lib. de carne Christi cap. 3. innuit, ex nihilo fieri; sed forsan intendit solùm non fieri ex materia crassa, & visibili: Nec enim Angelus creare potest, nec est necesse fingere nouam creationem a Deo factam, cùm ex præiacente materia formari possint talia corpora.

Tertullian.

2. Alij dixerunt Angelos non indigere extrinseca materia, vt forment ista corpora: putant enim habere corpora sibi naturaliter vnita, quæ licèt secundùm connaturalem dispositionem subtilia sint, & inuisibilia, possunt ab Angelis densari, & solidari, ita vt figuræ, coloris, & luminis capacia fiant, quod indicat Augustinus 2. de Trinit. cap. 7. sed meritò in eo non persistit: nam illud fundamentum falsum est, vt vidimus disput. 1. cap. 2. Nec consequentia tenet: cùm enim Angeli sint incorruptibiles, si haberent corpora, hæc non possent alterari, nec in illam visibilem speciem formari.

August.

3. Bonauentura refert quorundam existimationem dicentium corpus illud esse materiæ cælestis. quod amplecti videntur Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 10. & Beda variarum quæstionum q. 9. sed de proprio cælo, prout ab elementis distinguitur, non est illa sententia probabilis, quia vel cælum est incorruptibile, vel non facile mutabile in tam distantia loca, & diuersas figuras. Quare Patres illi loquuntur planè de materia aëris, quam vocant cælestem Scripturarum more. Hanc etiam materiam his corporibus tribuunt Alensis 2. p. q. 34. memb. 4. Albertus 2. p. tract. 9. q. 33. memb. 2. p. 1. illius Addunt S. Thomas hic a. 2. ad 3. & Durandus in 2. dist. 8. q. 1. a. 7. assumi hæc corpora ex materia aëris crassi, & densati, qui facilè colorari, & figurari potest, vt patet in nubibus. Probant verò tum quoniam aër præsto est, vt tales apparitiones subitò fiant; Tum quia cùm relinquitur corpus ab Angelo, non resoluitur in crassiorem materiam, sed euanescit, ita vt statim non appareat: ergo signum est corpus illud ex ipsa aëris materia fuisse desumptum. At Bonauentura in 2. dist. 8. p. 2. distinctionis a. 2. q. 2. Richardus a. 1. q. 3. ad 3. Scotus q. 1. §. *In ista quæstione* Gabriel q. 1. a. 2. notat. 1. declarant, non esse ex puro aëre. quoniam iste subtilioris substantiæ sit, quàm vt condensari possit, & figurari, sed ex corpore aëreo crassiori, quod sit aliquod mistum imperfectum, scilicet vapor aut nubes: Nam hoc est aptius vt condensetur vsque ad solidationem corporis quod sit capax coloris & figuræ; atque ex alia parte sufficienter est quoque resolubilis, vt possit iterum tale corpus facilè dissipari.

Bonauent. Isidorus. Beda. Alensis. Albertus. S. Thom. Durand. Bonauent. Richard. Scotus. Gabriel.

4. Suarez lib. 4. de Angelis cap. 34. num. 6 docet, materiam quasi remotam horum corporum posse esse aërem, qui paulatim condensetur & immutetur, etiamsi debeat substantialiter transmutari, vel semel, vel etiam sæpiùs iuxtà conditionem & exigentiam corporis assumendi: Materiam verò quasi proximam & intrinsecam vel esse vaporem aut nubem, vel si hæc non sufficiant aliquando: nam ad formanda talia corpora, tanta potest requiri condensatio, vt sub illa forma communis vaporis aut nubis nequeat conseruari; fore mistum aliquod imperfectum nobis ignotum resultans ex nimia compressione per Angelum facta, concurrente nimirum aliqua mistione subtilium corporum per artem Angelicam applicatorum, & se se inuicem transmutantium, donec ex illis vna substantia resultet apta formationi talis corporis; Et est probabilis modus dicendi.

Suarez.

5. Sed quoniam ad causam materialem reducuntur dispositiones accidentales. Quæritur secundò an istę verè sint tales quales solent apparere. Tertullianus l. 5. contra Marcionem cap. 9. subindicat quando Angeli apparent sub humana specie (vbi pręcipua cõsistit difficultas) assumere vera corpora humana ex vera carne, ac ossibus constantia. Probarique potest: nam illa corpora non solùm visui apparẽt, quòd facilè fieret per simulachrũ hominis tantæ magnitudinis, & talis figuræ talisq; coloris, quæ quidem in corpore aëreo nonnihil distante possunt ostẽdi: nec etiam per solã vocem manifestantur, facilè quippe potest effici realis sonus in externa specie similis voci, licèt non sit vera vox per organum animale vitaliter efformata; sed quod difficilius est etiã se tangi sinunt, & soliditatẽ ossium, carnisque veritatẽ ostendere videntur: Corpus autem aëreum non potest esse ita durum, ac temperatum vt tactui resistat, & tactu percipiatur.

Tertullian.

6. Ideò Augustinus in Enchirid. cap. 59. definire non audet vtrùm corpora, in quibus apparent Angeli, sint tractabilia necne. Inquit enim, *quis explicet cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, vt non solùm cernerentur, verùm etiam tangerentur*, & subdit inferiùs: *faciuntque difficillimam quæstionem, quomodo Patres pedes eis lauerint, quomodo Iacob cum Angelo tam solida contrectatione luctatus sit*; & tandem concludit, hæc sine crimine nesciri, & tam esse obscura, vt vix aliquid affirmari possit vel negari. Nihilominus ex illa contrectatione videtur inferri fuisse vera corpora humana, quæ ab Angelis assumpta sunt. Confirmatur, quia Christus Dominus hoc signo potissimum vsus fuit post resurrectionem ad ostendendam sui corporis veritatem dicens Luc. 24 *Palpate, & videte quia spiritus carnem, & ossa non habet,*

August. Luc. 24.

sicut me videtis habere. Sed corpora ab Angelo assumpta ęquè palpabilia ostendebantur: ergo sufficienter illo signo probantur fuisse vera corpora humana ex vera carne ac ossibus constantia.

7. Communis tamen sententia docet, corpora, quæ assumuntur ab Angelis sub specie humana (idem est proportionaliter de aliis) non habere organizationem corporis humani, etiam quoad duritiem, mollitiem & alias dispositiones accidentales, seu temperaméta. Singulorum membrorum, vt carnis, ossium, neruorum. Ita communiter Doctores in 2. dist. 3. & 4. S. Thomas hic artic. 2. & ibi Thomistæ, Vasquez disput. 184. cap. 2. Suarez lib. 4. de Angelis cap. 35. Idem supponit Augustinus 2. de Trinit. cap. 2. & lib. 3. cap. 2. Consentiunt alij Patres præsertim Damascenus suprà relatus c. 1. n. 3. Ratio reddi potest, quia si talia corpora essent organica, & eisdem qualitatibus affecta, quibus corpora nostra temperátur, haberent vtique formam substantialem tali dispositioni proportionatam: sed istam non habent: ergo nec tales dispositiones. Consequentia tenet. Maior ostenditur, quia nec alia forma potest esse connaturaliter in materia sic disposita, nec potest materia cum his dispositionibus absq; forma substantiali permanere: nec Angeli possunt has naturæ leges violare: Deus autem esti possit supernaturaliter, non est tamen putandus miracula sine necessitate patrare. Minor verò probatur, quia si daretur in illis corporibus anima rationalis, illi essent veri homines, & subinde postea permanerent donec vitam communi modo finirent; quod est contra ea, quæ de his apparitionibus in sacris litteris narrantur; & præterea tales homines non essent ex Adamo, subindeque non contraxissent originale peccatum quæ omnia Fidei repugnant.

S. Thom. Vasquez. Suarez. August. Damasc.

8. Ad Tertullianum respondetur, si sic sensit, errasse, nec eam doctrinam fuisse necessariam ad defendendam veritatem carnis Christi: hæc enim verè fuit animata, nec assumpta est transeunter, sed vt perpetuò duraret Verbo substantialiter vnita: Demum assumpta fuit ad effectum satisfaciendi, & redimendi, qui per apparentem carnem fieri non posset. Ad rationem fatemur, difficile nobis esse, quomodo Angelorum corpora, cùm sint aërea, vel ex aliquo misto imperfecto formata, palpari possint: Nihilominus dicimus Angelum per eandem virtutem qua corpus assumit; facere, vt corpus illud, quamuis in se solidum, & palpabile non sit, appareat tactui solidum, & palpabile: sicut enim potest corpus apparere coloratum, licèt verè tale non sit, vel videri rectum aut curuum, integrum, aut confractum, licet in re aliter se habeat, sic etiam potest apparere palpabile, licèt re vera tale non sit; Quamuis enim ista deceptio difficilior sit in sensu tactus, non tamen est impossibilis.

9. Contingere verò potest ex multis circumstantiis, quæ in his apparitionibus concurrunt, sic decipi quemquam: Nam in primis constare possunt illa corpora ex vapore intra suum genus valde denso, in quo insint multæ particulæ qualitatum sensu perceptibilium; & licèt non habeant verè duritiem, quia talia corpora subtilioris substantiæ sunt, quam vt intrinsecè possint habere duritiem; nec enim Angelus sic ea densare potest, & primas illorum qualitates immutare, vt inde qualitas illa secunda resultet, quæ solùm in mistis perfectis reperitur: Nihilominus virtute Angeli talis fit resistentia tactui, ne comprimat corpus illud apparens vt videatur sibi homo aliquid tangere durum; & per eandem virtutem potest Angelus facere, vt quædam partes appareant molliores ad modum carnis, & aliæ densiores ad modum ossis: potest enim magis, vel minùs resistere; ac in quibusdam partibus nihil omninò cedere, in aliis verò nonnihil cedere, non ita vt diuidantur, sed vt aliquo modo comprimantur. 10.

Similiter potest deceptio contingere circa figuram dum resistentia fit tactui tali positione, ac modo vt videatur sibi homo rotundum, aut quadratum contrectare. Itaque quasdam qualitates veras percipit ibi tactus, circa quasdam alias deluditur, vel iudicium intellectus ratione tactus, dum videtur homo sibi contrectare ossa, & carnes, quæ re vera non sunt: Nec mirum: nam omnia illa simul sumpta sufficiunt, & efficiunt, vt corpus illud palpabile videatur. Etenim per qualitates aliquas est verè sensibile, & spissum aliquo modo, quod satis est, vt putetur resistere ratione duritiei præsertim quando tangitur animo simplici, & alio præiudicio per oculum facto, & sine aliqua peculiari reflexione, vel attentione, quæ quidem ex aliqua ratione dubitandi, vel suspicandi deceptionem oritur; quod forsan accidit Abrahamo, & Loth, dum Gen. 18. & 19. lauerunt pedes Angelorum: nec enim tunc cognouerunt Angelos esse, & in corporibus assumptis apparuisse.

Gen. 18. 19.

11. Vnde colligo primò, si homo attentè consideret id, quod tangit in corporibus assumptis ab Angelis, facilè notare posse, illam non esse verè duritiem, nec veram mollitiem, qualis in carnibus & ossibus viuis reperitur: perciperet enim, si attenderet, non sic immutari tactum ab illis corporibus, sicut ab aliis, quæ viuunt, & veras carnes, ac ossa habent. Sic narat Caietanus 1. 1. quæst. 95. art. 3. Hominem cum Dæmone succubo consuetudinem habuisse, qui cùm ex tali copula non perciperet delectationem, quam cupiebat, dixit Dæmuni se non sentire delectationem naturalem, quam cum muliere sentire consueuit; Dæmon autem respondit, se non meliores carnes formare, id est, veras, & aptas ad sic immutandum sensum tactus. Ecce qui nouerat se cum Dæmone cubare, potuit attendens discernere inter veras carnes & apparentes.

Caietan.

Non possunt igitur Angeli virtute naturali formare sibi corpora sic qualitatibus temperata ac si essent vera corpora perfectorum animalium: Mali verò non adiuuantur diuinitus, vt aliquid faciant supra virtutem suam, & causarum naturalium. Quare nunquam formabunt talia corpora. Possunt tamen (si permittantur) assumere corpora defunctorum, & in illis se præbere tangendos, & palpandos cum vera duritie ac mollitie ex parte corporis, adiunctis etiam ab extrinseca causa calore ac aliis qualitatibus sufficientibus, vt tactui viuum appareat. Credibile tamen fit, nunquam id Dæmoni permitti circa corpora iustorum, quia non videtur amicitiæ diuinæ consentaneum: De aliis verò licèt interdum acciderit, vt narrat Martinus Del Rio, & innuunt Augustinus 10. de Ciuitate cap. 11. Chrysostomus homilia 29. in Matth. S Thomas 1. 12.

part.

p.q. 117.a.4.ad 2.ratò crederem id permitti, quia non datur tanta licentia Dæmoni, præsertim in Ecclesia Catholica ad homines decipiendos. Imò potiùs obseruatum est Dæmones nunquam assumere simulachrum corporis humani, quoad omnes partes illi simile, sed saltem ex pedibus discerni posse, quia semper sub figura alicuius
Binsfeldius. animalis apparent, vt notat Petrus Binsfeldius in tractat. de confessionibus maleficarum, præludio
Alex.ab Ale. 12. Ex historiis quas referunt Alexander ab Alex.
Cæl.Rhod. lib. 4. Genialium cap. 19. & Cælius Rhodiginius lib. 16. Lectionum antiquarum cap. 5. & ex variis confessionibus lamiarum.

13. Colligo secundò quomodo fuerit validum signum Dominicæ resurrectionis corpus Christi
Luc.vlt. palpabile Luc. vlt. & Ioan. 20. quod afferebatur
Ioan.20. in confirmationem oppositæ sententiæ potiùsque corroborabat nostram conclusionem; quia Christus dixit, *Spiritus carnem, & ossa non habent.* Vbi per *Spiritum* non intelligit spiritualem substantiam vt inuisibilem in se, de qua non dubitabant Discipuli, sed vt in corpore assumpto externis sensibus apparentem, vnde subdit, *sicut me videtis habere*, significans aliter fuisse suum corpus palpabile, quàm sint corpora ab Angelis assumpta: Corpus enim Christi verè, ac realiter est palpabile ratione propriæ densitatis, & aliarũ qualitatũ
S. Thom. tangibiliũ connaturaliũ corpori humano, vt exponit S. Thomas 3.p.q.54.art.3.ad 2. Corpus autẽ ab Angelo assumptum in re ipsa nunquam est ita palpabile, sed solùm apparenter modo explicato.

14. Ideò dixit Christus. *Palpate, & videte*, scilicet, vt cum magna consideratione attenderent, & experirentur, non alxet immutari manus illorum à suo corpore, quàm ab aliis veris corporibus humanis; cùm diuersum immutationis modum attendens homo in corpore phantastico depre-
Caietan. henderet. Ideò Caietanus 2.2. quæst. 95. art. 3. di-
Vasquez. xit illud signum fuisse certissimum, & Vasquez 1. parte disput. 184. num. 12. putat fuisse sufficiens, & efficacissimum argumentum ad veritatem Dominici corporis ostendendam, quod sic est accipiendum, vt sufficiat ad moralem quandam certitudinem & euidentiam; quia si sula illa experientia perpendatur in rigore, posset saltem diuinitus fieri corpus, quod non esset verè humanum, & tamen etiam per sensum tactus
Augustinus. non discerneretur à vero corpore humano. Ideò Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ dixit: *Ipse Dominus Iesus cùm resurrexisset à mortuis, & discipulorum oculis videndum, manibúsque tangendum corpus suum offerret; nequid tamen fallacia se pati arbitrarentur, magis eos testimonio legis, & Prophetarum, & psalmorum confirmandos esse iudicauit.* Vnde S. Thomas 3. part. quæst. 55. art. 6. ad 1. respondet, quòd licèt *singula argumentorum non sufficerent ad manifestandum perfectè Christi resurrectionem, tamen omnia simul accepta perfectè Christi resurrectionem manifestant, maximè propter Scripturæ testimonium, & Angelorum dicta, & etiam ipsius Christi assertionem miraculis confirmatam.*

15. Circa causam efficientem quæritur 3. qua virtute Angelus corpus assumat. S. Thomas in hac quæst. 51. artic. 2. ad 2. & 3. docet ista corpora fieri ab Angelis virtute diuina, quod de virtute principali, & supernaturali explicat
Bergom. Bergomensis in concordantiis num. 117. At
Bonauent. Bonauentura, Scotus, Albertus, Gabriel in 2
Scotus.
Albertus. dist. 8. & alij communiter asserunt Angelos vir-
Gabriel.

tute naturali præparare, & quasi artificiosè componere corpora, quæ assumunt, nimirum per condensationem, quæ motu compressionis fiat, vel si opus fuerit, per applicationem etiam aliarum causarum naturalium; quod probabilius reputat Vasquez suprà num. 20. nec dissen- Vasquez.
tit Suarius lib. 4. de Angelis cap. 37. quibus ego Suarez.
libens subscribo.

Probatur primò ex dictis: nam hæc corpora 16.
communiter fieri possunt per condensationem præiacentis materiæ, vel aëreæ, vel alicuius micti imperfecti, & applicando actiua passiuis, quantum ad aliquas dispositiones, vel qualitates fuerit necessarium. Sed hoc totum potest fieri per motum localem, & consequenter per naturalem virtutem Angeli assumentis: ergo communiter ita fieri censendum est: Quæ ratio generalis est ad bonos, & malos Angelos. At in malis specialiter probatur 2. Nam corpora quæ Dæmones assumunt communiter ab illis formantur ob fines pessimos, & ad prauum vsum: ergo non est credibile Deum speciali auxilio, vel diuina virtute iuuare malos Angelos ad formanda talia corpora: nam esset alienum à diuina bonitate prauæ Dæmonum intentioni per miraculum cooperari. Solùm ergo permittit Deus, & generali auxilio concurrit; imò sæpe limitat potentiam Dæmonis, nec illi permittit facere corpus, quale potest, & vult, nec vt noceat quantum desiderat, vt docet Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 8. August.
& serm. 193. de tempore.

Addit Durandus de necessitate assumptio- 17.
nis esse, vt Angelus virtute sua formet corpus quod assumit, sed id nulla ratione probat, nec videtur probandum, quia non est, cur non possit Angelus, corpus antea formatum assumere, sicut de serpente, quem assumpsit Diabolus ad loquendum cum Eua, & de corporibus defunctorum suprà diecbamus. Similiter poterit Angelus bonus assumere corpus à Deo miraculosè formatum, vel à se ipso vt instrumento diuinæ virtutis, vt docet Suarez suprà n. 6. & n. 8. Suarez.
subdit corpus à sancto Angelo assumptum ita perfectum esse nonnumquam, vt non possit sola virtute naturali Angelorum formari, sed adiutorio diuinæ virtutis indigeat; ideoque forsan sanctus Thomas dixit Angelus formare hæc corpora virtute diuina, quatenus scilicet necessaria fuerit ad perfectam corporis formationem, quod suspicari possumus accidisse Gabrieli, quando missus est ad Virginem Mariam, vel etiam aliis Angelis sanctis, qui Iacobo, Abrahæ, & Tobiæ apparuerunt. Forsan enim illa soliditas membrorum diuturna, vel pulchritudo, vel lucis, & cælorum perfectio, vel aliæ similes dispositiones in tali gradu peculiarem cooperationem diuinæ virtutis postulabant.

Ad causam efficientem pertinet etiam vnio, 18.
vel vnitio corporis cum Angelo, circa quam; Quæritur 4. Qualis vnio corporis ad Angelum necessaria sit, vt illud dicatur Angelus assumere. Nonnulli voluerunt Angelum substantia- Tertullian.
liter vniri corpori. quod assumit. Sic Tertullianus lib. de carne Christi cap. 3. & 6. vbi sentire videtur ita corpus ab Angelo assumi, sicut assumptum fuit corpus humanum à Verbo diuino, scilicet vniendo illud sibi hypostaticè. Affirmat enim Angelos similiter *assumpsisse carnem humanam, & eo ipso factos esse quod natura non*

sunt, negat verò fuisse quoque natos, sicut fuit Christus, quia non *venerant* (inquit) *mori*, *ideò nec nasci*: Sic Origenes tom. 2. in Ioan. ad illa verba: *Ecce ego mitto Angelum meum*, & alibi docoit Malachiam fuisse Angelum incarnatum, idémque de Ioanne Baptista, & de Propheta Aggæo ratus est: Aureolus autem apud Capreolum in 2. dist. 3. quæst. 1. artic. 2. substantialem vnionem videtur Angelis tribuere, non hypostaticam, sed per modum formæ substantialis.

Origenes.

Aureolus.

19. Vtraque tamen vnio substantialis refellitur: nam in primis cùm Angelus sit substantia completa, non potest autem quod est per se substantia completa, constituere per se tanquam forma substantiam aliam completam. Videantur S. Thomas in 2. dist. 8. quæst. 1. art. 6. Capreolus ibi quæst. 1. art. 1. conclus. 4. & ad argumenta contra illam, vbi refert alia loca sancti Thomæ. Videantur etiam suprà dicta disp. 1. cap. 2. Accedit quòd causa formalis ita est intrinseca, vt suppleri nequeat per aliquid quod ex natura sua forma non sit. Quare nec Deus ipse potest per semetipsum supplere vicem causæ formalis, nec lux potest formaliter constituere calidum, licèt eminenter contineat calorem: Sed substantia Angeli e natura sua non est vera forma, imò nec vllam formam substantialem eminenter continet: ergo nullo modo potest materiam substantialiter informare.

S. Thomas.
Capreol.

20. Rursus vnionem hypostaticam alicuius naturæ cum aliena personalitate creata S. Thomas 3. part. quæst. 3. art. 2. & plures alij censent esse impossibilem: Sed quidquid sit de hoc, & in ordine ad potentiam Dei absolutam certè loquendo de potentia ordinaria, & de facto certissimum esse debet, nullam aliam vnionem hypostaticam factam esse præter illam, quæ inter Verbum diuinum, & humanam naturam intercedit. Hanc enim singularem fuisse prædicant Doctores, & Patres. Et quidem in nostro casu per se fit incredibile tantum miraculum patrari tam frequenter propter solam transitoriam, & breuem repræsentationem corporis humani, vel similis, seu propter quoddam ministerium, quod sine tanto miraculo potest præstari. Præsertim quia talis vnio fieri nequit per virtutem actiuam naturalem Angeli assumentis corpus. Sed Dæmones assumunt corpora, & sæpè propter prauum finem: ergo non assumunt per hypostaticam vnionem; Deus enim non concurrit cum Dæmonibus supernaturaliter, vt assumant corpora maximè propter finem peccaminosum. Igitur cùm Angelus non vniatur corpori assumpto per substantialem informationem, nec per vnionem hypostaticam, nec per compositionem ex partibus integrantibus, quam satis constat inter corpus, & spiritum non reperiri, vt docet S. Thomas 2. contra Gent. cap. 56. fit Angelum non assumere sibi corpus per vnionem substantialem ad ipsum.

21. Vnde deducitur vlteriùs Angelum non vniri corpori, quod assumit propria & formali vnione etiam accidentali, sed solum illi assistere, sicut motor assistit mobili cum particulari respectu ad specialem vsum eius. Ita communiter Theologi cum S. Thoma hic art. 2. ad 2. Vbi explicat ex parte corporis respectum illum, dicens, *Corpus assumptum non vniri Angelo, vt formæ, nec solùm vt motori, sed sicut motori repræsentato per corpus mobile assumptum*. Consentiunt Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 2. punct. 4. Vasquez 1. p. disp. 184. cap. 1. Suarez lib. 4. de Angelis cap. 36. num. 5. Prima pars probatur, quoniam Angelus cum corpore assumpto non componit aliquod totum verè, ac physicè vnum. Quare potest sine sui mutatione dimittere corpus assumptum per corporis mutationem vel localem, vel rarefactionis, aut alterius similis resolutionis. Quòd si nonnunquam mutatio contingat in Angelo, erit solùm localis, nec alia potest intelligi præter variationem intellectionum, & volitionum, quæ ad præsens institutum non spectat.

S. Thom.

Valentia.
Vasquez.
Suarez.

Secunda pars probatur: nam exclusa omni propria, seu formali vnione, necessarium est vt Angelus coniungat sibi corpus, quod assumit, saltem per intimam propinquitatem vtriusque substantiæ, & cum aliquo respectu speciali ad ipsum: non enim sufficit intima præsentia Angeli ad corpus, cùm sint Angeli præsentes cælo Empyreo, quin assumant illud: oportet ergo vt illa præsentia ordinetur ad aliquem peculiarem vsum illius corporis, qui cùm non possit fieri, nisi per motum, ideò rectè dicitur Angelus esse in corpore assumpto tanquam motor in mobili. Dices, quamuis Angelus cesset mouere localiter corpus, quod semel assumpsit, semper dicitur habere illud assumptum, dum illud non dimittit: ergo vsus ille non est per solum motum. Respondetur Angelum adesse corpori tanquam motorem, non solùm actualiter mouentem, sed disiunctim vel actu, vel in aptitudine proxima ad mouendum; satis enim est, quòd ibi assistat tanquam intrinsecus motor actu, vel aptitudine. 22.

Et quidem non sola ratio motoris sufficit; nam Angeli mouent cælos, quos non dicuntur assumere, ideò requiritur præterea respectus aliquis non realis, nec fundatus in speciali causalitate distincta ab efficiente, quia talis causalitas, vel vnio non est possibilis (vt ostendimus) sed rationis; qualis est relatio signi voluntariè assumpti ad repræsentandum cum aliquo fundamento, seu proportione in illo supposita. Hæc autem repræsentatio principaliter consistit in hoc, quòd Angelus assumens corpus ita vtatur eodem, vt vna persona cum illo esse, & in ipso, ac per ipsum non tanquam extrinsecus motor, sed tanquam intrinsecum principium operari videatur. Origenes in contrarium adductus deceptus fuit, quia modum loquendi Scripturarum non satis percalluit: dicuntur enim Malachias, Aggæus, Ioannes Baptista & alij quidam Angeli in Scriptura munere tantùm & officio, non natura. 23.

Ex dictis fit primò omnes Angelos habere potestatem naturalem assumendi corpora, quia possunt illa localiter mouere, ipsisque vti vt instrumentis ad repræsentandum, vel significandũ proprietates, vel voluntates suas: Item de facto tam boni Angeli, quàm mali corpora nonnunquã assumũt. Fit 2. posse Deũ immediatè assumere corpus, si velit, ista videlicet assũptione repræsẽtatiua; nam & omnipotens est, & per corpus sensibile aliquo modo repræsentari potest. Imò de facto Deũ in forma visibili sæpè hominibus apparuisse testantur sacræ Literæ. An verò huiusmodi apparitiones factæ sint immediatè ab ipso Deo? An mediantibus Angelis assumentibus corpora? dicemus cap. 4. Demùm an anima separata nonnunquam assumat, vel possit naturaliter assumere corpus, pendet ab illa quæstione; an anima separata possit 24.

corpora

Conimb. Suarez. Thyræus. corpora mouere; in qua probabilior videtur pars affirmatiua. Videantur Conimbricen. in tract. de anima separata disp. 6. artic. 4. Suarius de anima disp. 14. quæst. 2. Thyræus de apparit. spirituum cap. 10.

CAPVT III.

Quid possint Angeli efficere per corpora assumpta.

1. CVm iuxta communem doctrinam Angeli non informent substantialiter corpora, quæ assumunt, fit consequens, vt in talia corpora nullam potentiam vere vitalem inducant, quia potentiæ vitales corporeæ inseparabiliter comitantur animam, ac subinde nec habent in corporibus assumptis organa vitalia, id est, conuenienter disposita ad exercendas operationes vitales: talis enim dispositio non est nisi in corpore, quod per animam substantialiter informatur. Vnde manifestè quoque deducitur, eas actiones vitales, quæ secundùm substantiam suam non possunt elici, nisi ab intrinseco principio vitali tum proximo, tum etiam principali, à quo pendent essentialiter, quales sunt operationes sensuum, & appetitus, & omnes istæ actiones, quæ habent terminum vitalem immanentem, vel intrinsecum non exerceri ab Angelis in corporibus assumptis. Ita docet S. S.Thom. Thomas in hac q. 51. art. 3. rationemque reddit, quia secundùm Philosophum in l. de somno, & vigilia, cuius est potentia, eius est actio. Vnde nihil habere potest opus vitæ, quod non habeat vitam, quæ est principium potentiale talis actionis.

2. Nec est quæstio de actibus intellectus, & voluntatis, quia non exercentur per corpus; Ideoque quatenùs per intellectum, & voluntatem fiunt elici possunt ab Angelo existente in corpore assumpto, non tamen eo modo, quo fiunt ab homine, scilicet cum conuersione ad phantasmata, vel dependentia ab illis, sed modo purè intelligibili sine vllo iuuamine, vel impedimento corporis assumpti. Quare licèt istæ actiones vitales sint, non tamen sunt ex iis, quæ per corpus assumptum fiunt, nec ad corporis assumptioné per se pertinent, sed vel per accidens, & concomitanter se habent, vel ad summum esse possunt principia extrinseca assumptionis corporis, quatenùs illa voluntariè, & vt ita dicam, artificiosè fit. Præterea quamuis nutritio, & augmentatio fieri possit à Deo conuertente cibum in substantiam, & quantitatem viuentis; tamen ab Angelo fieri non posse, fatentur omnes.

3. Sunt autem aliæ viuentium actiones, quæ licèt ab ipsis fiant vitali modo, & sub tali ratione vitales sint, nihilominùs producunt terminos, qui per actioné non vitalé fieri possunt: vt sunt motus localis progressiuus, vocis formatio, & similes, quæ dici possunt actiones vitales quoad modum, non quoad substantiam: Modum istarum actionum vocamus respectum illum peculiarem ad tale principium; substantiam verò actus, vel actionis dicimus motum ipsum, vel actum secundum, in quo differunt actiones istæ à prioribus, quæ quidem essentialiter, & per consequens quoad substantialem etiam vitales dici possunt: Quare nec secundùm modum, nec secundùm substantiã fieri possunt ab Angelis in corporibus assumptis. De posterioribus restat nonnulla difficultas.

In qua Durandus in 2. dist. 8. quæst. 2. n. 4. & 5. docet, nec ambulationem, nec locutionem propriè posse Angelis in corporibus assumptis conuenire, sed aliquid simile voci, & deambulationi. Videtur itaque nec secundùm modum, nec secundum substantiam has operationes Angelis tribuere. Probat, quoniam actio viuens dupliciter dicitur, vno modo, quatenus est solùm a viuente, vt à principio, sed hoc non sufficit, vt propriè dicatur actio viuentis; alioquin proiectio lapidis a principio viuente propriè diceretur actio viuentis. Et quidem hoc modo cuncta, quæ fiunt ab Angelis in corporibus assumptis, dici possunt operationes viuentis, impropriè scilicèt, & latiori significatione. Altero modo propriè pressè dicitur operatio viuentis, quæ non solùm est à viuente, sed in eodem recipitur. Quare cùm operationes Angelorum in corporibus assumptis non recipiantur in viuente, sequitur non esse propriè operationes vitæ. 4. Durand.

Bonauentura in 2. distinct. 8. part. 1. distinctionis art. 3. quæst. 2. docet tres esse modos operationum animæ, nam quædam sunt ab anima solùm, vt à motrice, scilicet deambulatio; & hæ possunt fieri ab Angelis in corporibus assumptis: possunt enim habere rationem motorum; Aliæ verò sunt ab anima, non vt à motrice solum, sed etiam vt à perficiente corpus, quales sunt operationes sensuum; Et hæ fieri non possunt ab Angelis in corporibus assumptis, quia talia corpora verè non viuunt: Denique nonnulla sunt partim ab anima, vt à motrice, partim ab eadem, vt est corporis perfectio, scilicet ridere, in qua operatione datur motus localis dilatationis genarum, & exhilaratio interior; & hæ quidem fieri possunt ab Angelis in corporibus assumptis, quatenus sunt ab anima, vt motrice, non autem quatenùs sunt ab anima, vt perficiente. 5. Bonauent.

Scotus in 2. dist. 8. quæst. vnica §. *In ista quæstione*, docet Angelum in corpore assumpto non posse facere verè motum progressiuum, locutionem, respirationem, spirationem, & motum palpebrarum, sed tantùm secundùm similitudinem quandam externam; Admittit verò posse Angelos in corporibus assumptis verè comedere: putat enim actionem comedendi solùm consistere in hoc, quòd aliquis motu locali diuidat cibum in vna parte, & ad aliam traiiciat, quod etiam opinatur Alensis 2. part. quæst. 35. memb. 2. probabileque reputat Gabriel in 2. dist. 8. quæst. 1. art. 3. dubit. 2. 6. Scotus. Alensis. Gabriel.

Dicendum est actiones istas secundùm substantiam suam posse ab Angelis edi in corporibus assumptis, non tamen secundùm modum vitalem, vnde frequentiùs sumunt denominationem; ideoque non possunt verè nominibus illis nuncupari, quibus similes actiones viuentium appellamus. Ita S. Thomas. hîc artic. 3. & communiter Thomistæ. Sequuntur Valentia tom. 1. disput. 4. quæst. 2. punct. 3. Molina quæst 51. art. 2. Vasquez disp. 186. cap. 2. Suarez lib. 4. de Angelis cap. 38. Probatur primò experientia, quia manifestum est Angelum non solùm assumere corpus habens apparentia organa, vel instrumenta proxima talium actionum, sed etiam verè realiter efficere operationes aliquas reales habentes terminos similes illis qui per actiones viuentium fieri solent, v. g. non 7. S.Thomas. Valentia. Molina. Vasquez. Suarez.

solùm assumit Angelus apparentem linguam, os, labia, sed per illa realem sonum efficit verè similem nostræ locutioni; eodem modo pedibus apparentibus ambulat efficiendo verum realem motum, & adquirendo proprium vbi; & sic de aliis operibus vitæ, quæ in substantia sunt actiones transeuntes.

8. Vnde probatur secundò ratione, quia tales actiones habent terminos, qui nec essentialiter, nec connaturaliter pendent à principiis vitalibus vt sunt vbi, sonus, & similes; atque ideò quoad substantiam, aut entitatem ipsorum fieri possunt ab Angelo per motum localem, & per simulachra organorum vitalium, quæ in corpore assumit. Ceterum actiones illæ non sunt verè ac propriè vitales, quia non fiunt vitali modo, id est, à principio vitali corporeo, & per organa, vel instrumenta vitalia. Cùm ergo non fiant in nobis vitales, nisi quoad modum, deficiente modo vitali nihil retinent vitalitatis, & subinde non est, cur vitales denominentur.

9. Declaratur tertiò, descendendo ad singulas actiones in particulari. Atque vt à facilioribus incipiamus, motus qui dicitur progressiuus, fit media virtute, quæ residet in tendonibus, media etiam imaginatione, & appetitu; quia ratione locomotiuum dicitur ab Aristotele 3. de anima c. 3. gradus quidam peculiaris animæ. Cùm ergo non detur in corporibus assumptis talis virtus, nec imaginatio, nec appetitus, sed motus ille fiat prorsus ab extrinseco, non magis dicetur progressiuus, vel deambulatio propriè, quàm motus lapidis, vel cadaueris, aut statuæ, quam posset Angelus illo modo mouere: Imò quamuis hominem viuum nolentem applicare vim suam motricem, sed potiùs resistentem Angelus similiter moueat, vt sine dubio facere potest, talis motus non erit animalis, nec vitalis, quia prorsus est violentus, & ab extrinseco. Idem eadem ratione dicendum est de motu palpebrarum aperientium, & claudentium oculos, & de motu manuum scribentium vel quiduis artificiosum operantium.

10. Pariter inspiratio, & respiratio & tussis fiunt vi naturæ animalis residentis in pulmone; & hic modus ipsis nominibus connotatur. Risus fit media imaginatione, & delectatione appetitus à re ludicra, & noua, ex qua prouenit motus septi transuersi, & inde genæ dilatantur; ac totum hoc significatur nomine risus; idemque proportionaliter sentiendum est de fletu. Nam hæc omnia materialiter, & quoad reales motus fieri possunt ab Angelis in corporibus assumptis, non verò secundùm illum peculiarem modum, quo quilibet ex his motibus ab anima procedit; & quoniam ab isto modo sumitur denominatio per tales voces importata, ideò non possunt simpliciter tribui corporibus assumptis, magis quàm tribuerentur statuæ, si similes motus in ea per artificium apparenter fierent.

11. Locutionis similiter, vocisue substantia non differt essentialiter ab aliis sonis, sed solùm per Aristot. ordinem ad tale principium; sicut enim Aristoteles 2. de anima cap. 8. definit, vocem esse sonum editum cum imaginatione ab animali, sic locutio non tantùm dicit substantiam soni, sed etiam modum, scilicet, quod fiat immediatè per organa vitalia ex motione phantasiæ, & cum intentione aliquid significandi. Quare bruta dicuntur quidem edere voces, sed non loqui: Angeli verò nec loqui, nec vocem edere possunt, vt docet S. Thomas hic art. 3. ad 4. licèt enim sonos illos edant cum intentione significandi, non tamen per organa vitalia, nec mediante phantasia, Quamobrem nec loquuntur propriè, sed aliquid præstant simile locutioni, per quod sufficienter assequuntur finem suum; siquidem illæ qualescumque voces ab illis formatæ non minùs quam propriæ voces humanæ significant.

Similiter actionem comedendi quasi materialiter efficere potest Angelus in corpore assumpto, scilicet motum illum secundùm substantiam; non secundùm peculiarem modum, quo fit ab anima, ratione cuius dicitur animal propriè comedere. Sic docent sanctus Thomas in hac quæst. 51. artic. 3. ad 5. & ibi Thomistæ, cæterique Theologi; licèt enim Angelus vere moueat localiter cibum, & quasi ore sumat, apparentibusque dentibus diuidat, & in apparentem stomachum realiter traiiciat, non tamen hæc præstat per organa vitalia, nec cum ordine vel proportione ad nutritionem substantialem, ad quam vitalis commestio connaturaliter ordinatur. Ideò Tob. 12. dixit Raphaël. *Cum essem vobiscum, videbar quidem manducare, & bibere; Sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor*; quasi dicat, sic apparebam exteriùs, ac si comederem cùm tamen re vera non comederem: nam alio cibo ego sustentor. 12. Tob. 12.

Dices cum Alensi, & Scoto. Comestio non est nisi diuisio cibi & traiectio illius in partes interiores corporis: Sed vtrumque fit per solum motum localem: ergo potest verè fieri ab Angelo in corpore assumpto. Maior probatur, quia Christus Dominus post resurrectionem verè comedebat, solum diuidens cibum, & in stomachum traiiciens, licèt illo non nutriretur: ergo sola cibi diuisio, & traiectio est propria comestio. Quapropter Augustinus epist. 49. quæst. 1. Christi, & Angelorum comestionem æquiparare videtur dicens; *Eiusmodi escas eodem modo sumpsisse, non ficto, & inani phantasmate, sed manifestissima veritate*. Confirmatur primò: nam Abraham Angelis sibi apparentibus cibos ad manducandum apposuit: ergo credebat eos posse comedere in corporibus assumptis. Consequentia probatur, quia non ignorabat, eos esse Angelos repræsentantes Deum, vt patet ex illis verbis Genes. 18. *Nunquid perdes iustum cum impio?* & iterum *loquar ad Dominum meum*. Confirmatur secundò, nam Augustinus 13. de Ciuit. cap. 22. insinuat, Angelos verè comedisse, licèt non propter indigentiam. Idem habetur lib. 3. de Mirabilibus Scripturæ cap. 14. tom. 3. operum Augustini. 13. Alensis. Scotus. August. Gen. 18. Augustinus.

Ad argumentum negatur maior, ad cuius probationem dicimus cum Augustino 13. de Ciuit. cap. 22. Christum post resurrectionem verè comedisse; non quia vera nutritione in suam substantiam alimentum conuerterit, quod probabile putat Scotus, Suarius verò dicit esse vel erroneum, vel ad minimum temerarium: sed quia comedere est motu animali maxillarum, linguæ, & faucium terere, ac transmittere cibum in eam partem, in qua natus sit conuerti in substantiam comedentis, siue conuertatur de facto, siue non: Christus ergo traiiciebat cibum iam mansum per organa propria vitæ in stomachum animatum, vbi conuerti deberet connaturaliter in substan- 14.

substantiam viuentis, nisi ab statu glorioso impe-
diretur; Ideoque tali scibus sine vlla concoctione
vel per intestina diffluebat, vel potius in aëream,
vel aliam similem substantiam per poros corporis
resolutus abibat. Angeli verò nec motu animali
corporis assumpti terebant, & deglutiebant ci-
bum, nec illum transmittebant in partem, in qua
natus esset conuerti naturaliter in substantiam
viuentis, quod illum sumebat. Augustinus ibi
relatus ait sumpsisse escas eiusdem modi, quia
tam Angeli, quàm Christus veros cibos & sen-
sibiles sumpserunt: Addit *eodem modo* quatenùs
non necessitate, sed potestate sumpsere; Quod
tandem inquit, *non inani phantasmate*, sed verè
sumpsisse. Intellexit quoad verum motum rea-
lem, & sensibilem: nam etiam Angeli non per
illusionem sensuum, sed per verum motum ex-
ternum comedere videbantur.

15. Ad primam confirmationem negatur conse-
quentia, & ad eius probationem, Respundetur
cum Augustino quæst. 37. & 41. in Genes. & 16.
Chrysost. de Ciuit. cap. 29. Chrysostomus hom. 41. in Gen.
& hom. 2. de Lazaro, Abrahamum saltem in prin-
cipio non cognouisse illos esse Angelos, sed vi-
ros sanctos, in quibus ex nonnullis diuinæ ma-
iestatis signis intellexit inhabitare Deum, sicue
solet esse in Prophetis, ideóque sub singulari
Domini appellatione ab initio cum eis locutus
fuit: ait in decursu sermonis, quem post sum-
ptos cibos cum illis habuit, fortasse cognouit
illos Angelos esse, quod significat Augustinus
S. Thom. dicta quæst. 37. & declarat ibi Thomas Angeli-
Ribera. cus, & Ribera Heb. 13. Ad secundam confirma-
tionem respondetur illos libros de Mirabilibus
Scripturæ non esse Augustini; at 13. de Ciuit. cap.
22. tandem addit posse id in dubium vocati: nec
mirum, siquidem dubitabat adhuc Augustinus,
An Angeli haberent corpora propria.

16. Denique constat ex dictis, generationem vi-
uentis, nec sub communi ratione generationis
vitali modo factæ posse fieri ab Angelis in cor-
poribus assumptis: nam Angelus nullam sub-
stantiam per se producere potest, & multo mi-
nùs per generationem viuentis, quæ debet esse
origo viuentis à viuente coniuncto in similitu-
dine naturæ. Potest tamen etiam in corpore as-
sumpto facere Angelus, vt substantia viuens
quantumuis perfecta generetur, applicando sci-
licet actiua passiuis, si sub forma fœminæ succu-
bando viro cuipiam, recipiat ab illo verum se-
men humanum, quod posteà sub forma viri cui-
piam feminæ incubando transmittat in vuluam,
ita vt humanæ generationi possit deseruire. Hunc
modum generationis humanæ possibilem esse
S. Thom. naturaliter Dæmoni docet S. Thomas in hac
August. quæst. 51. art. 3. ad 6. & alij communiter cum Au-
gustino 15. de Ciuit. cap. 23. Vbi tam constanti
fama constare dicit, *Dæmones assiduè immundi-
tiam hanc efficere, vt hoc negare, impudentia vi-
deatur.*

17. Ratio est, quia tota illa actio non excedit po-
testatem naturalem Dæmonis: non enim sunt
causa per se generationis illius, sed vir, qui se-
men emisit, & fœmina quæ concepit per se con-
currunt ad illam, & ita filius eorundem erit verè
proles inde genita; Operatio verò Dæmonis, quæ
interuenit ibi, fieri potest per solum motum lo-
calem, quo tam velociter transferatur semen
humanum ab vno loco in alium, vt non solùm
incorruptum, sed etiam in sua naturali efficacia,
& natiuo calore ad generandum necessariò pa-
rùm, vel nihil alteratum conseruetur. Quòd si
opus fuerit, præter temporis breuitatem adhibere
potest Dæmon alias causas, quæ semen illud
foueant, eiusque calorem, & alias dispositiones
tueantur. Videatur Guillermus Parisiens. vltima Guillen. Par.
parte de Vniuerso cap. 23.

Ex his colligo primò, non posse Angelos, siue 18.
in corporibus assumptis, siue sine illis, vera mi-
racula patrare virtute propria, sic docet S. Tho- S. Thom.
mas 1. part. quæst. 110. præsertim art. 2. & 4. Pro-
batur quia de ratione veri miraculi propriè dicti
est, quod fiat supra totum ordinem naturæ creatæ,
ita vt sufficiens ratio facti sit voluntas facientis,
vt de mirabilibus Dei operibus dixit Augustinus August.
epistola 3. ad Volusianum, ac subinde debet esse
simpliciter supernaturale, saltem quoad modum;
sed Angelus non potest propria virtute, quæ
creata, & finita est, operari supra totum ordinem
naturæ, ac subinde nec aliquid simpliciter super-
naturale, quia non potest operari supra propriam
virtutem: ergo non potest vera miracula simpli-
citer patrare. In hoc sensu dicitur Psalm. 71. *Bene-* Psal. 71.
dictus Dominus Deus Israel, qui fecit mirabilia
solus, & Psal. 135. *Qui facit mirabilia magna so-* Psal. 135.
lus. Videantur Basilius, Augustinus, & Chryso-
stomus ibi.

Colligo secundò, Angelos etiam malos posse 19.
virtute propria, quædam opera facere, quæ fa-
cultatem, & cognitionem hominum excedunt,
ac subinde mouent admirationem, miráque seu
miracula lato sensu dicuntur. Ita S. Thomas 1. S. Thom.
part. quæst. 114. art. 4. & 3. contra Gent. cap. 102. Alensis.
& 103. Alensis 2. part. quæst. 42. & 43. Bonauen- Bonauent.
tura, & alij Scholastici in 2. dist. 7. Ratio est, quia
licet Dæmon non possit propria virtute propriam
generationem alicuius substantiæ, vel qualitatis
causare, applicare tamen potest actiua passiuis
per motum localem, & consequenter corpora
diuidere, conterere, miscere: Vnde tanquam cau-
sa per accidens, seu per modum peritissimi arti-
ficis aliquos edat effectus, vel fœtus etiam veros,
qui per contingentem plurium rerum, siue cau-
sarum inferiorum concursum simul cum influxu
cæli facilè generentur, rapiántque videntium
animos in admirationem ortam ex ignoratione
causarum tam rari euentus.

Quòd si effectus per Dæmonem præstitus talis 20.
sit vt naturales vires ipsius, etiam vt applicatoris
actiua passiuis excedat, non erit verus effectus,
sed apparens: Imò in his etiam quos potest effe-
ctus veros edere modo dicto, non rarò præstigiis
deludit: Nam experientia constat Dæmones nunc
vno, nunc alio modo operari, prout illis per-
mittitur, & ad maiorem perniciem hominum, vel
Dei iniuriam accommodatum esse iudicant. Igi-
tur aliquando veras res ostendunt, offerunt, aut
donant, quas tamen ipsi non faciunt, etiam arti-
ficioso illo modo, sed ab vno loco transferunt in
alium, vt facilè possunt, etiamsi res perfectæ sint:
Interdum faciunt huiusmodi veros effectus illo
modo ignorantibus mirabili, quia scilicet existi-
mant res illas, si veræ sint posse magis hominibus
nocere. Nonnunquam verò solas res apparentes
præsentant, nec volunt etiamsi possint, veras effi-
cere, vel aliunde deferre; ne si veræ sint aliquam
hominibus afferant vtilitatem temporalem. Vi-
deantur Martinus Del-Rio lib. 2. Magiæ, & Suar. Del-Rio.
tom. 1. de Religione tract. 3. lib. 2. cap. 14. 15. Suarez.
& 16.

CAPVT IV.

De apparitionibus Angelorum.

SVppono primò verè & realiter apparuisse
hominibus Deum Filium, non in sola ima-
gine, seu specie hominis, sed in vera & reali
humanitate per substantialem, & hypostaticam
vnionem assumpta, ratione euius dicitur ad Ti-
Ad Tit. 1. & 2. tum 1. & 5. & 1. Ioan. 1. & 3. apparuisse hominibus
5. Ioan. 1. & 3. gratia Dei benignitas, & humanitas Saluatoris
nostri Dei, vita æterna, solusque Filius; quod
est de Fide. Vnde fit etiam certum hanc appari-
tionem immediatè per Dei Filium esse factam
sine proprio, seu proximo Angelorum ministe-
rio, quia sola Trinitas illam vnionem efficit, &
Suarez. solum Verbum illam terminauit. Videatur Suarez
3. part. tom. 1. disp. 7. sect. 4 & disput. 10. sect. 1. &
tom. 2. disp. 10.

2\. Suppono secundò, Deum etiam ante Incarna-
tionem in Veteri Testamento sæpius hominibus
apparuisse sub forma visibili, quod frequenter
narrant Scripturæ, ac in sensu proprio Patres ac-
August. cipiunt, præsertim Augustinus epistola 111. citans
Athanas. Athanasium, Nazianzenum, Ambrosium, & Hie-
Nazianz. ronymum, & epistola 112. cap. 6. 7. & 8. lib. 2. de
Ambros. Trin. cap. 19. & lib. 3. à cap. 10. & lib. 10. de Ciuit.
Hieronym. cap. 13. vbi etiam omni populo dicit apparuisse
Deum, cùm illi legem daret, Exod. 19. & 29.
Quomodo autem discernenda sit apparitio diui-
Suarez. na ab illa, quæ est purè Angelica, docet Suarez
lib. 6. de Angelis cap. 20. num. 3. vbi tradit hanc
regulam; Si verba Scripturæ (siue dicantur à sacro
scriptore, vel Propheta referente apparitionem,
siue dicantur ab ipsa persona apparente, siue ab
alio loquente cum ipsa) talia sint, quæ ad solum
Deum relata veritatem habere possunt, ipse Deus
est, qui apparet: Si verò verba de Angelo suffi-
cienter verificari possunt; tunc non Deus, sed
Angelus est, qui loquitur, & repræsentatur in
persona propria: Quòd si verba sint ambigua;
ex contexto, aliisque circunstantiis discernenda
erunt, quod illustrat exemplis ab Scriptura
peritis.

3\. His positis dubitatur primò: An in his appari-
Clemens. tionibus solus Filius apparuerit hominibus. Cle-
Euseb. mens Papa lib. 5. Constitutionum Apostolicarum
Nicephor. cap. 19. Eusebius lib. 1 Demonstr. cap. 5. & lib. 1.
Theophy. Historiæ cap. 3. & 4. Nicephorus lib. 1. cap. 2. de
Chrysost. solo Filio videntur apparitiones veteris paginæ
interpretari: Sic etiam Theophylactus, & Chry-
Act. 7. sostomus exponunt illa verba Act. 7. *& apparuit
illi Angelus*, scilicet Moysi. Dicunt enim illum
non verum Angelum fuisse, sed Dei Verbum, &
Christum Dominum, *qui est magni consilij Ange-
Tertullian. lus*. Videantur etiam Tertullianus lib. contra Pra-
xeam à cap. 14. & lib. contra Iudæos cap. 9. Pame-
Pamelius. lius in prolog. Paradox. 19.

4\. Dicendum tamen est, non solùm Filium, sed
etiam Deum per se primò vel absolutè secundùm
se, vel etiam vt Trinum & Vnum sæpe homini-
Suarez. bus apparuisse. Ita Suarez suprà num. 10. & com-
muniter Recentiores. Probatur, quia Genes. 18.
non solùm vna vel alia persona, sed tota Trini-
tas vnus Deus apparuit Abrahæ: nam in tribus
Viris Trinitas personarum, in vnius autem ap-
pellatione Domini, vnitas Dei figurata est, vt
August. expendunt Augustinus 2. de Trinit. cap. 10. &
sequentibus lib. 16. de Ciuit. cap. 19. Ambrosius Ambros.
lib. de Fide resurrectionis versus finem Alexan- Alexand.
der Papa I. epistola 1. ad Orthodoxos cap. 6.
quem imitatur Benedictus I. in sua epistola, Benedict.
videturque constare ex ipso Scripturæ contextu.
Similiter Exod. 3. non solum Filium, sed Deum
vnum & Trinum apparuisse in rubo, & fuisse
locutum Moysi, colligunt ex eius verbis, & no-
minibus Martialis epistola prima, ad Burdegalen. Martial.
cap. 10. Alexander & Benedictus suprà. Grego- Gregorius.
rius 29. Moral. cap. 16. aliàs 28. & homilia 16.
in Ezech.

Veruntamen sicut apparitiones nonnullæ pe- 5.
culiari ratione tribuuntur Patri, aliæ Spiritui
sancto, sic etiam aliquæ specialiter possunt ap-
propriari Filio, vel quia carnem erat assumptu-
rus, vel quia tendebant ad manifestandum plura-
litatem personarum, quæ in Filio, & per Filium
præcipuè manifestatur. In quo sensu sæpè lo-
quuntur Patres in contrarium adducti, vel etiam
interdum exclusiuè; ita vt sola persona Filij, &
non alia apparuerit. Potest enim vna persona
diuina sine cæteris specialiter apparere; siqui-
dem ad istam apparitionem personalem, vt sic
dicam, non requiritur specialis efficientia per-
sonæ, quæ non sit communis omnibus, nec spe-
cialis vnio physica personæ diuinæ cum corpore
assumpto: nam hic modus apparitionis singula-
ris fuit, & proprius Verbi Incarnati: sed sufficit
specialis repræsentatio talis personæ per tale
signum sensibile: Sed potest hoc modo vna per-
sona sine cæteris repræsentari per signum, vel
corpus sensibile extra hypostaticam vnionem:
ergo potest vna diuina persona sine cæteris ap-
parere.

De facto verò sic videtur accidisse quoties non 6.
tantùm nuda persona Filij prout diuina, sed
prout humana, & incarnata, vel incarnanda re-
præsentabatur: tunc enim facilè percipitur posse
personam Filij repræsentari secùdùm aliquid sibi
proprium. Sic possumus opinari solum Filium in
fornace Babylonica apparuisse, vt censet Augu-
stinus, & alij, atque verba Regis significant, quæ
possunt intelligi propriè; Idem de apparitione
facta Iacobo, quando vir luctabatur cum eo vsque
manè, vbi specialiter apparuisse Verbum Dei
luctam cum Iudaico populo repræsentans, docent
Leo Papa, Theodoretus, Hilarius, & alij Deni- Leo Papa.
que Dan. 7. solum Filium fuisse, qui sub imagine Theodor.
apparuit Filij hominis, fit admodum verosimile Hilarius.
ex ipso contexto; per illum autem antiquum die- Dan. 7.
rum specialiter repræsentari Patrem ex ipsis pro-
prietatibus colligitur, & omnes communiter in-
terpretantur. Videatur Augustinus 2. de Trinit. August.
cap. 18. qui cap. 15. circa finem existimat Spiri-
tum apparuisse specialiter in Monte Sina quando
Dominus super eum in igne descendit Exod. 19. Exod. 9.
Sed hoc ipsum constat apertius in nouo testa-
mento, vbi filius visibiliter apparuit in carne,
Spiritus sanctus in linguis igneis, in nube, &
columba. Pater æternus in voce sursum edita,
licèt non visibilis, sensibilis tamen apparuit in
baptismo, & transfiguratione.

Dubitatur secundò: An omnes apparitiones 7.
Dei, quæ factæ narrantur in Scriptura, factæ
fuerint Angelorum ministerio. Prima sententia
negat. Tenent Eusebius lib. 1. demonstr. cap. 5. & Euseb.
lib. 5. cap. 10. & 28. & lib. 1. Historiæ cap. 2. vbi
docet Verbum diuinum interdum per Angelos,
interdum per se solum apparuisse; sequuntur
Nicephorus

Nicephor. Chrysost. Theophyl. Theodoret.

Nicephorus lib. 1. Historiæ cap. 2. Chrysostomus homil. 16. in Acta. Theophylactus Actor. 7. Theodor. quæst. 5. in Exod. & fauent omnes illi qui dicunt solum Verbum antiquitùs apparuisse: Quippe non solum alias personas diuinas, sed etiam Angelicum ministerium videntur excludere: Quapropter in his apparitionibus, vbi fertur Angelus loqui, per Angelum intelligunt Christum Dominum, qui Isai. 9. vocatur magni consilij Angelus, iuxta versionem L X X. quam amplecti videntur Dionysius cap. 4. de cælesti Hierarchia propè finem, ac alij Patres, quos latè referunt Pereirus Dan. 3. & Thyræus lib. de apparitione visibili Dei cap. 23.

Isai. 9. Dionys. Pereirus. Thyræus.

8. Probatur quoniam in Scriptura sæpè nulla fit mentio Angeli, cùm narratur apparitio Dei: ergo tunc saltem non est cur tribuamus Angelo talem apparitionem. Confirmatur primò ex coniectura: nam in aliis locis, vbi nominatur Angelus, idem vocatur Dominus, & Deus, vel tanquam Deus, & Dominus loquitur: ergo signum est non esse sermonem proprium de vero Angelo, sed in altiori significatione accipi nomen illud. Confirmatur 2. quia si Deus non apparuit per se, sed per Angelum, te vera Deus non apparebat, sed Angelus, quod est contra Scripturam affirmantem expresse Deum hominibus apparuisse: Vbi tamen re vera Angelus apparebat, apertè dicit Scriptura non Dominum, sed Angelum apparuisse. Sequela verò probatur, quia si per Angelum fit apparitio visibilis, ipse Angelus, & non Deus assumit corpus illud quod sensibus obiicitur: ergo ipsemet Angelus, & non Deus est qui apparet: nam in assumpto corpore ille solus apparet, qui assumit illud.

9. Secunda sententia docet, licèt ante Incarnationem medianribus Angelis apparuerit Deus, tamen peculiare veluti priuilegium esse legis gratiæ, vt in ea Deus per seipsum hominibus apparere soleat: insinuat Clicthouæus in Damascenum lib. 4. cap. 17. Magis indicat Abulensis Exod. 19. quæst. 6. Neuter verò loquitur clarè. Probatur primò ex Patribus, Chrysostomus homilia 4. super Matth. in fine ait. *Filio Dei baptismum recipiente, & Spiritu sancto descendente vnus in forma stabat humana, alter in specie descendebat Columbæ, tertius autem in voce audiebatur.* Cyprianus sermone de baptismo Christi, cùm de Spiritu sancto dixisset; *Cælis apertis in specie Columbæ Spiritus sanctus ibi seipsum ostendens, & intelligi voluit & videri*, clariùs de Patre subiungit. *Hucusque Domine sancte Pater non audiuimus te loquentem, qui multifariam olim per Angelos locutus es, teipsum non ita ante hoc tempus locutum audiuimus.*

Clicthou. Abulensis. Chrysost.

10. Probatur secundò, ex congruentia; sicut enim in lege gratiæ ob istius perfectionem Deus longè maiora beneficia confert hominibus, quàm anteà, sic etiam videtur conueniens, vt postquam Verbum per seipsum, & immediatè corpus humanum induit, aliæ quoque personæ diuinæ sub aliquibus sensibilibus signis visibiliter se ostendant immediatè, ac per seipsas. Accedit quòd S. Thomas 3. part. quæst. 39. art. 7. & alij putant Columbam illam, quæ apparuit in baptismo fuisse veram Columbam, quæ non potuit fieri ministerio Angelorum: ergo verosimilius fit Spiritum sanctum immediatè fecisse, & quodammodo assumpsisse illud animal ad se repræsentandum.

11. Tertia sententia asserit Deum nunquam apparuisse ante vel post incarnationem in corpore immediatè & per se assumpto ab ipso Deo, vel ab aliqua diuina persona, sed mediantibus Angelis. Ita communiter Scholastici, S. Thomas 1. 2. quæst. 98. art. 3. & in 2. dist. 8. art. 6. Valentia to. 1. disp. 4. quæst. 1. punct. 2. Vasquez 1. part. disput. 185. cap. 2. Molina quæst. 51. art. 2. disput. 2. Vbi Iuniores alij Arboreus lib. 4. Theosophiæ cap. 1. in fine Thyræus lib. 1. de apparitionibus Dei à cap. 24. Pereirus Daniel. 3. Lorinus Actorum 7. qui referunt alios. Quæ sententia videtur probabilior, & pro illa,

S. Thom. Valentia. Vasquez. Molina. Arboreus. Thyræus. Pereirus. Lorinus.

12. Dico primò, non omnes apparitiones Dei factas esse per sese & immediatè ab ipso Deo sine ministerio Angelorum. Hæc conclusio certissima probatur ex illis locis in quibus dicitur apparere, & tamen verbis suis se Deum esse demonstrat, & vt verus Deus recognoscitur ab illo, cui apparet, vt videre licet in apparitionibus factis ad Agar Gen. 16. & 21. quas constat esse diuinas ex pondere verborum, quæ diuinam auctoritatem, & personam ostendunt; & tamen in vtraque dicitur Angelus apparuisse, vocasseque Agar. Item Genes. 18. Deus in specie trium virorum apparuit Abrahæ, vt diximus, & nihilominus de iisdem viris cap. 19. dicitur. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* Clariùs Exod. 3. dicitur apparuisse Moysi Dominus in rubo, & in igne, & cap. 19. vsque ad 34. Sæpè dicitur locutus fuisse Dominus ad Moysem, Nihilominus tamen Stephanus Actor. 7. narrans easdem apparitiones, dicit Angelum apparuisse Moysi in igne flammæ rubi, & in Monte Syna.

Genes. 18. Exo. 3. & 19. Act. 7.

13. Simile sumitur argumentum, quia Deus ibi legem dedit Moysi, quasi per seipsum loqueretur, & Moyses cum illo qui apparebat tanquam cum Deo sermonem habebat, imo Spiritum etiam vt Deum non solum Moyses, sed totus populus adoraret Exod. 19. & tamen Paulus ad Gal. 3. dicit legem ordinatam fuisse per Angelos; quod autem ministerium in lege tradenda Angeli exhibuerint, indicat idem Apostolus Hebr. 1. dicens. *Si enim qui per Angelos sermo factus est*, quasi Angeli non solùm ediderint signa, clangorem tubæ, tonitrua, & ardorem ignis, sed etiam formarint voces per quas illa lata & promulgata est, nec potest in his locis Angeli nomen ad Christum accommodari, nec ad alium sensum metaphoricum transferri, quoniam hoc esset contra regulam interpretandi Scripturam, & sine fundamento recluderetur sensus proprius, licèt alij metaphorici coniungantur. Videantur Suarius, & Vasquius suprà, qui plura Scripturæ testimonia referunt, & veras interpretationes examinant; nobis ista sufficiant, vt colligamus sæpè Angelos in persona Dei apparuisse.

Galat. 3. Hebr. 1.

14. Dico secundò, omnes Dei apparitiones in veteri testamento factæ, licet in illis Angelorum mentio non fiat, ipsorum ministerio factæ sunt, nec credendum est ante Incarnationem Deum secundùm se, vel Trinitatem, vel aliquam ex diuinis personis per se & immediatè corpus assumpsisse; sub quo hominibus appareret vel immediatè loqueretur. Probatur primò ex Patribus: nam Dionysius cap. 4. de cælesti Hierarchia inquit. *Huiusmodi diuinas visiones celeberrimi illi Patres nostri ministerio cælestium virtutum edisce bant*, quod ex Scriptura latè confirmat. Hoc idem ex professo probat Augustinus 2. de Trinit. à cap.

Dionys. August.

cap. 10. & lib. 3. cap. 10. & 11. quibus in locis indicat esse rem in Scriptura manifestè contentam. Vnde lib. 4. cap. vlt. inquit. *Si quis à me quærat, quomodo facta sint sensibiles formæ ante Incarnationem Verbi Dei, quæ hoc futurum præfigurarent, per Angelos eas Deum operatum esse respondeo.* Sic etiam docet Gregorius in præfatione Moral. cap. 1. & lib. 28. cap. 2. Hieronymus in id ad Galatas 3. *Ordinata per Angelos.* Indicant Iustinus in responsionibus ad Gentes quæst. 142. & Cyprianus serm. de baptismo Christi, qui vel generaliter, vel indefinitè loquuntur.

Gregor. Hieron. Iustin. Cyprian.

15. Probatur secundò, quia nonquam in Scriptura dicitur apparuisse Deus sine interuentu Angelici ministerij, sed ad summum in aliquibus locis dicitur apparere nulla facta mentione Angelorum, vt Daniel. 3. Gen. 3. 4. 11. 15. 17. Exod. 4. & similibus: Quod ergo in aliis locis asseritur, & hic non negatur vbique interuenisse credendum est; tum quia grauissimæ apparitiones, & quæ maximè videntur propriæ Dei, (vt sunt factæ Moysi Exod. 3. & 19.) quamuis absolutè, & sine Angelorum mentione narrentur, nihilominùs alibi explicantur factæ fuisse per Angelos; tum etiam quia sæpius in eodem loco, vbi dicitur Angelus apparere, paulò post declaratur, Deum esse qui per Angelum apparebat, vt Genes. 18. 19. 21. 22. 31. ergo tacitè monet nos Scriptura, similiter intelligendas esse ceteras apparitiones, licet non ita expressè declarentur: Sicut dixit Gregorius Magnus Christum vnam vel alteram parabolam declarasse, vt inde alias intelligere, & applicare disceremus.

16. Probatur tertiò, ratione desumpta ex communi doctrina Dionysij, Augustini & Theologorum asserentium Deum administrare res medias per supremas, & infimas per medias, quando id conuenienter fieri potest, sed ita potest in præsenti fieri, vt constat tum ex dictis suprà de assumptione corporum ab Angelis, tum ex proximè dictis de præcipuis apparitionibus diuinis: ergo ita semper factum est. Nec possumus cum fundamento excipere hanc vel illam apparitionem, solum quia taceatur in illa ministerium Angelicum, sed necessarium erit, vt positiuè illud excludat, vel opus tale sit, quale per Angelos fieri non possit, quod de sola apparitione per hypostaticam vnionem ad corpus dici potest.

17. Dico tertiò, omnes Dei apparitiones extra Incarnationem, & post illam factæ in nouo Testamento vbi apparebat Deus, vt Deus est tantùm, vel persona Patris aut Spiritus sancti (non enim loquimur modò de apparitione Verbi vt Incarnati, seu de apparitionibus Christi Domini) exhibitæ sunt per Angelos. Ita Doctores tertiæ sententiæ, specialiter Vasquez dispot. 185. in fine, Suarez lib. 6. de Angelis cap. 21. num. 12. Probatur primò ex Patribus, nam Augustinus 2. de Trinit. à cap. 6. manifestè docet de his apparitionibus Dei, quæ non fiunt per hypostaticam vnionem eandem esse rationem vtriusque temporis Veteris & Noui Testamenti, quod apertiùs concludit lib. 4. cap. vltimo, Gregorius lib. 28. moral. cap. 4. dicit per Angelos formatam fuisse columbam, in qua Spiritus sanctus apparuit. Idem significat Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 3.

Vasquez. Suarez. August. Gregor. Cyrillus.

18. Probatur secundò, ratione quoniam hoc pertinet ad legem ordinariam prouidentiæ diuinæ, vt dicebamus num. 16. & ad commendandam diuinam Maiestatem, quæ non immediatè se præbeat visibilem viatoribus, sed per intermedios nuncios, & administros suos alloquatur creaturas inferiores: Nec reperitur sufficiens ratio discriminis, ob quam aliter in noua lege quàm in veteri similes apparitiones factæ fuerint, vt ex solutione argumentorum constabit.

Christus Dominus dum vixit in hoc mundo, siue vitam mortalem ante passionem, siue iam immortalem post resurrectionem per semetipsum visibilis apparebat sine interuentu Angelici ministerij, quod ad istas apparitiones esset necessarium; ministrarunt tamen ibi Angeli vel annunciantes Christi natiuitatem Pastoribus, vel resurrectionem mulieribus, vel aliter obsequentes Saluatori. Apparitiones autem Christi post ascensionem factas Thyræus lib. de apparit. Christi sic diuidit, vt quædam fuerint personales, in quibus ipsemet Christus in sua persona verè, ac realiter se præbuit videndum: Aliæ verò impersonales quæ solùm in imagine per species alterius corporis fiunt. 19.

Thyræus.

De prioribus certum est Christum quoties personaliter apparuit, non per Angelos, sed per semetipsum apparuisse: Nihil enim est cur propria Saluatoris humanitas non possit per semet apparere in persona propria; & Scriptura testatur Christum sua virtute nonnunquam manifestasse sese, descendisseque vel descensurum in terras: Sic apparuit Paulo appropinquanti Damasco, Act. 9. vt docent Lorinus ibi, & Suarez 3. part. tom. 2. disput. 51. sect. 4. Sic etiam apparebit in extremo Iudicio, vt latè Thyræus in peculiari tract. de hac apparitione. An verò sic apparuerit Stephano Act. 7. affirmat Lorinus ibi, Suarius etiam suprà indicat Christum in suamet persona occurrisse Petro fugienti Romani; Thyræus tamen lib. de apparitionibus Christi cap. 3. & 8. ambas apparitiones numerat inter impersonales. Res vtique incerta est. 20.

Act. 9. Lorinus. Thyræus.

De posterioribus dico 4. Impersonales Christi apparitiones etiam interuentu Angelorum factas esse: nam in his apparitionibus Christus apparet vel sensibus externis, vel soli phantasiæ; vtrumque verò fit Angelorum ministerio. Nam in priori modo apparitio fit formato exteriùs corpore sensibili, in quo tanquam in imagine Christus videatur. Ad illud corpus non formatur, nec assumitur immediatè à Christo Domino, qui cùm longè distet vt homo, non posset per humanitatem immediatè corpus illud formare sine magno miraculo, quod tunc necessarium non est, nec sine vrgenti fundamento asserendum: Præsertim cùm Angeli sint etiam Ministri Christi, vt hominis, ideoque magis videatur dicere, vt per illos tales apparitiones fiant. Eadem est ratio de apparitione imaginaria, quæ fit quoque per Angelos mouentes Spiritus animales, & applicantes phantasmata. Sic creditur apparuisse Christus Paulo Actor. 18. & 23. Videatur Thyræus lib. de apparitionibus spirituum cap. 5. num. 12. 21.

Act. 18. & 23.

Igitur sicut de apparitionibus Dei, sic de his impersonalibus Christi Domini philosophandum est. Vnde Thyræus vtrasque vocat impersonales; differunt tamen, quia cùm Deus apparet, licèt non in persona propria, sed per Angelos appareat, tamen re vera ibi est Deus præsens, vbi per Angelum in corpore assumpto repræsentatur, ita vt non tanquam distans, sed tanquam intimè præsens ibi repræsentetur. Christus verò quando per alium apparet, non solùm repræsentatur, 22.

tatus, quia sit in se occultus, sed etiam quia est loco distans, & absens: Nisi cùm interdum in Eucharistia solet visibiliter apparere, non tantùm sub speciebus panis & vini, sub quibus non sensibus, sed fidei Christus realiter præsens adest, sed etiam sub aliis speciebus peregrinis, & extraordinariis, quibus Christus miraculosè obiicitur sensibus in confirmationem præsentiæ suæ, quæ apparitiones sacramentales vocantur, & quando ita sunt visibiles, sine dubio per Angelos fiunt, de quibus latè Thyræus in tractatu speciali. Similiter B. Virginem, & alios Sanctos quos legimus viatoribus apparuisse rarò personaliter, frequentiùs impersonaliter apparere ministerio Angelorum credendum est, vt docet Suarius lib. 6. de Angelis cap. 21. num. 23. Suarez.

23. Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur indicium illud negatiuum non valere, quia non est opus vt Scriptura omnia vbique declaret, sed ex aliis locis colligendum est, quòd in aliis tacetur iuxta suprà dicta num. 15. Quare cùm Deus apparere dicitur, quia superior Dominus est, non excludit ministrum licèt illius Scriptura non meminerit, sed potiùs illum includit. At quando Scriptura narrat apparitionem Angeli, & non tribuit illam Deo, nec verbis expressis, nec aliis signis idipsum insinuat. Tunc rectè colligitur non Deum, sed solum Angelum apparere, quia Dei apparitio est superior, ideoque si specialiter non indicatur ex inferiori, non debet inferri.

24. Ad primam confirmationem negatur consequentia, quia Patres in multis eiusmodi locis censent sermonem esse de Angelo creato, nec nomen Angeli tribui potest æterno Patri, vel toti Trinitati; & tamen Deus qui apparet sæpe est Pater, vel tota Trinitas, vt Genes. 18. Exod. 3. cùm tamen tunc ille qui loquitur Angelus appelletur. Igitur rectè Gregorius, & Augustinus suprà notarunt, Angelum loqui nonnunquam in persona propria, & vt ministrum Dei, verba referentem, videlicet cùm ait, *Hæc dicit Dominus*, vel quid simile; nonnunquam verò loqui gerendo Dei personam, ipsumque repræsentando. Quod nobis etiam Sacerdotibus contingit: nam in Missa priùs referendo dicimus. *Qui pridie quàm pateretur*, &c. Cùm autem ad consecrandum accedimus, Christi personam induti verba consecrationis proferimus. Similiter in Sacramentali iudicio priùs in persona propria vt ministri deprecationem præmittimus, absoluendo tamen personam Christi subimus, quod in ministris regijs frequentissimum est.

25. Ad secundam confirmationem negatur sequela, & ad eius probationem dicimus in his apparitionibus obliquam efficientiam interuenire, videlicet & ad efformandum corpus, per quod res spiritualis aliquo modo sensibus obiicitur, & ad operandum per tale corpus, v.g. ad loquendum, ambulandum, & similia. Igitur quatenùs Deus apparet in corpore visibili omnis hæc efficientia proximè, ac immediatè fit ab Angelo, Deusque concurrit solùm generali concursu; nisi aliquando speciali quoque concursu supernaturali ad formationem corporis, vel ad aliquam eius qualitatem, vel extraordinariam operationem sit opus: sic enim conuenienter Deus per causas secundas, & per ministros suos operatur, cùm commodè potest.

26. Hinc fatemur cum Scoto, Gabriele, & aliis Deum non assumere talia corpora. Primò, quia talis denominatio includit habitudinem ad proximam causam efficientem iuxta communem modum loquendi: quapropter ad illam non sufficit concursus solius causæ primæ, vel vniuersalis. Secundò, nam (vt cap. 2. dictum est) Angelus non dicitur assumere corpus omne quod mouet, sed illud in quo se gerit vt intrinsecum principium motuum, & operationum talis corporis. Deus autem non ita se gerit in tali corpore; sed Angelus est, qui vicem gerit quasi proximæ, & intimæ formæ. Non ergo Deus, sed Angelus assumit corpus illud. Cæterùm Deus dicitur apparere sub tali corpore, quia repræsentatur specialiter per illam speciem visibilem oculis obiectam; sicut dicitur quis apparere in sui imagine ab alio depicta; & sicut dicitur Imperator, aut Rex apparere in scena, quando histrio regis personam gerit, ac repræsentat; ad quam repræsentationem, seu denominationem non est necessaria actio repræsentati, sed quasi passiua denominatio, quatenùs per actionem, habitum, aut gestum alterius quis ab alio repræsentatur: Et quamuis per imaginem, vel per histrionem res etiam absens repræsentetur: at Deus, cùm apparet semper vt intimè præsens in re, sub cuius specie apparet repræsentatur. Nec obstat quòd etiam Angelus ibi existens repræsentetur; quia sicut in ipsomet Angelo adest intimè Deus, ita per eandem externam speciem potest repræsentari simul Angelus vt proximum mouens, & Deus vt in toto illo, quod apparet, intimè existens, & inhabitans. Sic dixit Augustinus lib. contra Adimantum cap. 9. id quod apparet. *Dici Deum propter inhabitantem personam Dei, & Angelum ex persona seruientis creaturæ.* August.

Ad primum secundæ sententiæ respondetur Chrysostomum solùm asserere, tres diuinas personas in baptismo apparuisse, non tamen dicit, omnes apparuisse eodem modo. Cyprianus verò solùm intendit in hoc constituere differentiam, quòd antiquæ locutiones Dei non audiebantur vt specialiter dictæ in persona Patris ad Filium, sed vt voces Dei vnius ad homines: Itaque omnes affirmant apparitiones, & tribuunt Spiritui sancto descensionem, & quod missus fuerit; non tamen ministerium Angelorum negant. 27.

Ad secundum respondetur nihil pertinere ad perfectionem legis gratiæ quòd illæ apparitiones non fiant per Angelos: nam per hoc nullum bonum hominibus accrescit, & quodammodo maiestati, ac prouidentiæ diuinæ derogatur. Vnde meritò notat Augustinus 2. de Trinit. cap. 11. & indicatur ab Apostolo Heb. 1. & 2. prærogatiuam esse noui Testamenti, quod in hoc tempore locutus est nobis immediatè Deus in assumpta humanitate, priùs verò per Angelos Prophetis, per Prophetas hominibus loquebatur. Non autem spectat ad huiusmodi prærogatiuam, quod Pater, & Spiritus sanctus immediatè sine Angelorum interuentu apparuerint; Imò potiùs pertinet ad excellentiam nouæ legis, vt in ea communis modus diuinæ prouidentiæ non immutetur, vbi ad maiora dona hominibus conferenda non fuerit necessarium, nec vtile. 28. August.

Ad confirmationem respondetur in primis probabilius forsan esse, columbam, quæ in baptismo Christi apparuit, non fuisse verum animal, vt sentit Suarius 3. part. tom. 2. quæst. 39. art. 7. Deinde licèt fuerit vera columba, potuisset 29. Suarez.

ibi apparere fine nooa ipsios productione, sed aliunde deducta; quod ministerio Angelorum tanta velocitate, ac industria fieri poterat, vt ab aliis non discerneretur. Demùm etiamsi denuò producenda foret, poterant Aogeli materiam aliqualiter ministrare productámque iam columbam ciere.



QVÆSTIO LII. S. Thomæ.

De comparatione Angelorum ad locum.

ARTIC. I.

Vtrùm Angelus sit in loco.

CONCLVSIO affirmat, Angelos esse in loco, noo sicut corpora secundùm coontactum dimensiuæ quantitatis, sed per applicationem virtutis Angelicæ ad aliquem locum qoalitercunque: nam in Angelis sola datur quantitas virtualis.

ARTIC. II.

Vtrùm Angelus possit esse in pluribus locis simul.

Conclusio negat, & probatur, quoniam Angelus est virtutis & essentiæ finitæ: Sed virtus finita non se extendit ad omnia, sed ad aliquid vnum determinatum. Quare cùm Angelus fit in loco per applicationem virtutis soæ, sequitur quòd non sit vbique, nec in pluribus locis, sed in vno tantùm.

ARTIC. III.

Vtrùm plures Angeli possint esse simul in eodem loco.

Conclusio negat, rationem teddit S. Thomas: nam impossibile est, quòd duæ causæ completæ sint immediatæ caosæ vnius & eiusdem rei: Sed Angelus dicitor esse in loco per hoc, quod virtus eius immediatè contingit locum per operationem perfectam: ergo non potest esse nisi vnus Angelus in vno loco.



DISPVT. V.

De loco Angelorum.



XPLICVIMVS cum S. Thoma potentiam loco-motioam Angelorum, eiúsque actus, & effectus externos, videlicet circa res omnino distinctas & separatas; iam actus eiusdem, & effectus quasi internos incipimus iodagare: Sed quia potentia loco-motiua Angeli circa ipsum comparatur ad motum tanquam ad actum suum, & ad locum tanquam ad terminum, vel effectom, ex quo motus, vel actionis specifica ratio desumitur; Ideò priùs in ista quæstione, atque disputatione de loco Aogeli, deinceps de moto illius cum Angelico Doctore dicemus.

CAPVT I.

Vtrùm Angeli sint capaces loci.

1. NOnnolli Theologi volunt Angelum in loco corporeo nunquam esse vere ac propriè præsentem, sed abusiuè, quatenùs non existit in aliqua re tanquam in loco, sed solùm tanquam causa in effectu, vel in subiecto, in quo operatur. Ita videtur sentire Heruæus de motu Angeli quæst. 1. art. 1. Ferrara, & alij, qui solam operationem transeuntem putaot esse Angelo fundamentum existendi in loco; refertque. Mirandulanos in Apologia t. de descensu animæ Christi ad Inferos; huius sententiæ fautores aliquos extitisse suo tempore. Solet pro illa citari Durandus in 1. distinct. 2. sed potiùs ibi quæst. 1. num. 22. refert istam opinionem, & refellit, solùm docet Angelos esse in loco latiori significatione: propriè enim esse in loco solis corporibos existimat conuenire: Quare potiùs in aliud extremum deflexit, vt videbimus.

Heruæus. Ferrara. Mirandul. Durand.

2. Probatur ex Patribus, nam Damascenus lib. 1. de fide cap. 17. de Angelo, inquit, *In loco tamen esse dicitur, quia intellectuali modo adest, atque vt ipsius natura consentaneum est, operatur, nec alibi est, verùm intellectualem in modum ibi circumscribitur, vbi operatur.* Ecce cùm dicit *intellectuali modo*, significat Angelum non esse in loco secundùm veram substantiæ suæ præsentiam, sed secundùm effectum, & abusiuè taotùm; sicut Augustinus lib. 83. Quæstionom quæst. 20. dixit, locum Dei abusiuè dici templum Dei, & lib. 8. de Genes. ad litteram cap. 20. & 26. ait. *Deum mouere creaturas corporales per tempus, & locum; spirituales autem tantum per tempus.* Significans per loca non moueri, quia non sunt in loco; eodem modo loquitur S. Thomas in 1. distinct. 37. quæst. 3. art. 1. allegans Nazianzenum; Aristoteles etiam 1. de cælo cap. 9. dixit, ea quæ in supremo cælo sunt (scilicet intelligentias) noo esse apta esse in loco. Confirmatur ratione, quoniam esse in loco videtur esse proprietas rei corporeæ: locus enim significat superficiem extrinsecam ambientem, & continentem locatum, quòd est proprium rei corporalis: ergo locus non potest Angelo conuenire cùm si res spiritualis.

Damasc. August. S. Thom. Nazianz. Aristot.

3. Per oppositum Durandus in 1. dist. 37. part. 2. quæst. 1. num. 16. docet Angelum simul esse, vbicumque operari potest siue simul, siue successiuè: Vnde sentit, & quòd Angelos simul sit in omnibus corporibus vniuersi; & quòd si plura, vel maiora fierent, statim, & sine vlla sui mutatione in illis existeret; quoniam in omnibus potest operari successiuè, licet non possit omnia simul mouere: nam vt ipse ait, sufficit habere simul potestatem ad operandum in quocunque loco disiunctim, & in omoibus successiuè, vt simul omnibus adsit, eo modo, quo potest adesse. Quod magis declarat in quæst. 2. Vbi hinc infert non posse Angelum propriè moueri localiter, ita vt transferatur de loco ad locum, quia non est in loco circumscriptiue, nec definitiuè, sed simul est in omni loco, in quo esse potest.

Durand.

4. Probatur primò. nam quod facit situs in rebus corporeis: hoc facit ordo in spiritualibus: ergo sicut in corporalibus requiritur præsentia situs, ita in spiritualibus præsentia ordinis, cum hac tamen

tamen differentia, quòd corpus non semper est immediatè per se coniunctum alteri corpori situaliter sibi præsenti, quia per interiecta corpora impeditur, & per illa diffundit virtutem suam; Angelus autem, nec per interiecta corpora impediri potest, quamuis sit immediatè præsens omnibus, & in quolibet potest agere sine medio: ergo simul est omnibus præsens. Probatur secūdò, quia si Angelus non esset simul præsens omnibus corporibus, quæ potest mouere successiuè, sæpè non posset incipere mouere aliquod corpus, quod antea non mouebat, nisi priùs seipsum mouendo, & tali corpori applicando, quod non benè percipitur, vt inquit Durandus. Probatur tertiò, quia non potest reddi ratio cur Angelus, dum in nullo corpore operatur, potiùs sit præsens vni, quàm alteri: ergo vel nulli est præsens, quod intelligi non potest, vel omnibus simul, quod contendit Durandus.

5. Dico primò Angeli verè sunt in loco præsentes quomodocunq; explicetur ista præsentia. Pro cuius declaratione notandum est, in re existente in loco duo distinguenda esse, scilicet locum extrinsecum in quo res esse dicitur, & intrinsecum vbi, ratione cuius res hic vel ibi dicitur esse. Modò non loquimur de vbi intrinseco, sed de loco extrinseco, qui nomine loci frequenter significari solet. Rursus hæc denominatio essendi in loco extrinseco nonnunquam sumitur ex aliquo modo continentiæ secundùm figuram, quem communiter appellamus circumscriptiuum, & solum conuenit corporibus; ideoque nec de isto loquimur in conclusione. Alio modo sumitur illa denominatio tantùm ex indistantia, & intima præsentia vnius rei cum alia; & communiter dicitur esse in loco definitiuè, quoniam ita definitè substantia creata est præsens vni loco, vt non adsit alteri. In hoc ergo sensu dicimus Angelos esse in loco, quia possunt esse indistantes ab aliquo loco corporali.

6. S. Thom. Sic explicata conclusio est communis sententia Theologorum, adeoque certa, vt S. Thomas in 2. dist. 37. quæst. 3. art. 1. dixerit, oppositum esse hæresim. Valentia. Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 3. Vasquez. puncto 1. dicat, De fide constare. Vasquez 1. p. disput. 187. cap. 1. Catholicam esse sententiam. Suarez. Suarez lib. 4. de Angelis cap. 1. num. 2. vocet omninò certam. Probatur primò ex Scriptura, quæ sæpè simpliciter asserit, Angelos esse in cælo, vel eiectos esse de cælo, seu de corporibus obsessorū, vel fuisse permissos ingredi in porcos, vel similia, quæ in Euangeliis, & Apocalypsi passim inueniūtur. Nam si mouentur loco, necesse est in loco esse.

Probatur secundò, ex Patribus, qui similiter dicunt, Angelos fuisse creatos in cælo: Vnde Nys-
7. Nyssenus. senus oratione de infantibus, qui præmaturè rapiuntur, circa medium, docet Angelorum domicilium esse cælum: nam illa sedes conuenit ipsorum naturæ: Athanasius in epist. ad Serapionem de Athanasius. Spiritu sancto, inter hunc & spiritum creatum hoc interesse dicit, quòd Spiritus sanctus sit vbique, sed spiritus creatus adsit in loco determinato. Astipulantur quotquot aiunt, Angelos loco moueri; & aliquos infrà referemus.

8. Probatur tertiò, ratione, quia rei spirituali non repugnat esse indistantem à re corporea, vel intimè præsentem eidem: ergo nec Angelo repugnat esse in loco. Antecedens probatur, tum ab exemplis: nam ipse Deus est in omnibus rebus non solùm per præsentiam, & potentiam, sed etiam per essentiam, quatenùs est intimè coniunctus, & indistans ab omnibus rebus, vt explicat Suarius lib. 2. de attributis cap. 2. num. 4. Item anima separata spiritus est, & tamen substantialiter Suarez. adest locis corporalibus, siue in Inferno, siue in Purgatorio, vel in Limbo, vel in Cælo; & anima Christi per triduum fuit in Limbo Patrum, & postcà fuit ingressa Sepulchrum, vt suo corpori reuniretur. Tum etiam probatur à priori: nam hæc propinquitas, aut indistantia non requirit commensurationem, vel extensionem, aut contactum quantitatiuum, sed solam simultatem, seu quasi penetrationem, aut coexistentiam duarum entitatum in eodem spatio, quod per modum veri spatij concipimus; & ideò vocamus imaginarium; Spiritus autem capax est huius intimæ coexistentiæ cum corpore, seu coniunctionis cum illo: ergo verè dicitur esse in loco definitiuè.

Hæc vltima consequentia probatur, quia licèt hæc propinquitas, vel indistantia spirituum a cor- 9.
poribus non sufficiat, vt dicantur existere in loco modo quantitatiuo, & circūscriptiuo, sicut locantur corpora; sufficit tamen, vt per ordinem ad corpora possimus explicare, vbi sint Angeli, & quomodo certa & definita spatia locorum sibi determinent: In quo sensu secundùm communem Ecclesiæ morem ab scripturis desumptum dicuntur Angeli simpliciter esse in cælo, vel in terra, vel hic, vel alibi. Quapropter assertio posita simpliciter est vera, & catholica: Nam vt rectè dicit Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 26. etiam homo, qui Basilius. sanctificatur, dicitur locus & templum Spiritus sancti: *Qui sermo* (inquit) *non minuit spiritum, sed glorificat, quia nomina corporalia etiam ad spirituales intellectus, euidentia gratia, frequenter transfert sermo diuinus.* Similiter Anselmus in monol. cap. 23. inquit. *Solemus localia verba incomprehensibiliter attribuere rebus, quæ nec loca sunt,* Anselm. *nec circumscriptione locali continentur.* Et hoc modo declarat, quomodo Deus verè ac propriè dicatur esse vbique, cùm tamen in prosologio cap. 19. neget Deum esse in loco, vtique materialiter aut loco contentus.

Dico secundò, Nullus Angelus est vbique: sed 10.
quilibet certo loco definitur. Ita communiter Theologi, Valentia t. 1. disp. 4. q. 3. punct. 2. Molina hic a. 1. disp. 1. memb. 2. Suarez l. 4. de Angelis Valentia. c. 1. n. 6. & alij Probatur primò ex Scripturis, quæ Molina. soli Deo tribuunt immensitatem. Deinde sæpè Suarez. narrant, Angelos mutare loca, vel ab vno loco mitti ad alium, aut eiici, vt patet Matth. 4. 5. & 12. Mat. 4. 5. 12. Luc. 1. 8. 13. 19. Apoc. 12. 19. 20. 2. Pet. 1. & sæpè Luc. 1. 8. 13. 19. alibi. Rursus Ecclesia in oratione Completorij sic Apoc. 12. 19. 20. orat. *Angeli tui sancti habitent in ea*, & in aliis 2. Pet. 1. orationibus petit, vt mali Angeli eiiciantur ex ea; ob quem etiam effectum instituit aquam lustralem. Quæ omnia supponunt Angelos tam bonos, quàm malos, non vbique, sed in locis certis, ac definitis adesse.

Probatur secundò ex Patribus; Nam Ambro- 11.
sius l. 1. de Spiritu sancto cap. 10. inquit. *Seraphim* Ambros. *de loco ad locum transit, non enim complet omnia.* Didymus. Didymus l. 1. de Spiritu sancto, inde colligit Spiritum S. non esse creaturam, quoniam aderat singulis Apostolis in extremis finibus terræ ob testimonium Domini constitutis. *Nam Angelus* (inquit) *qui aderat v. g. Apostolo in Asia oranti*, non poterat simul eodem tempore adesse cæteris in aliis partibus mundi cōstitutis. Damascenus l. 2. de Damasc. fide c. 2. dicit, *Angeli in cælum eunt*, Et iterùm, *Ad*

explendam Dei voluntatem fortes, ac prompti sunt, vt vbi Dei nutus iusserit, statim inueniantur. Propter quod ait, illos esse circumscriptos, quia non versantur in terra, cùm in cælo manent; nec existunt in cælo, cùm mittuntur ad terram, nec in eodem tempore hîc, & ibi esse, & operari posse; sic
Gregor. etiam loquitur l. 1. c. 16. & 17. Similiter Gregorius l. 1. Moralium c. 2. & l. 2. c. 2. aliàs 3. homil. 34. in Euangel. docet Angelos esse loco circumscriptos, & ad nos frequenter mitti. Sic etiam loquuntur
Athanas. Beda. Theodor. Athanasius suprà, Beda Luc. 1. Theodoretus q. 3. in Genes. & alij.

12. Marsilius. Notandum tamen est cum Marsilio in 2. q. 2. a. 2. circa fin. Vasquio, & Suario suprà, Angelos à Patribus dici loco circumscribi, non quia propriè circumscribantur superficie corporis ambientis, quod proprium corporum est, sed quia definitum, & limitatum locum habent, quod proprium creaturarum est: nam soli Deo ratione immensitatis conuenit non definiri, nec terminari quocunque loco. Vnde sumitur conclusionis ratio, quam indicat Damascenus supra. Quia magna perfectio est posse simul existere in magno corpore, & in omnibus partibus eius sine coëxtensione cum illo, sed totum in toto, & totum in qualibet parte; ergo infinitæ perfectionis est posse habere hunc existendi modum in quocunque corpore, licèt in infinitum augeatur. Quare hoc spectat ad solius Dei immensitatem. Igitur è contrario omnis spiritus creatus, sicut finitæ perfectionis est, ita limitatum habet terminum, cui possit connaturaliter adesse.

13. Hinc sequitur, Angelos ita esse in loco, vt illum mutare possint, ac subinde vnum amittere, ac alium acquirere. Sic Scriptura frequenter Angelis tribuit mutationem ab vno loco in alium; & licèt quando diuinæ personæ dicuntur mitti, necessarius sit sensus minùs proprius, seu minùs rigorosus propter diuinam immensitatem; non ideò tamen est applicandus creaturis, quibus non competit immensitas, præsertim, quia tot modis, & verbis hæc mutatio tribuitur Angelis in Scriptura, vt impossibile sit sine magna corruptione litteralis sensus omnia metaphoricè interpretari, vt sunt descendere, circuire, accedere, recedere, intrare, exire, pelli, & similia. Item Angeli mali dicuntur ita cecidisse de cælo, vt eorum locus non sit ampliùs inuentus in cælo, Luc. 10. & Apoc. 12. Quod propriè debet intelligi, nisi quis audeat asserere, nunc Dæmonem verè, ac substantialiter esse in cælo empyreo, quod absurdum esset.

14. Chrysost. Sic etiam loquuntur Patres num. 11. relati, & præterea Chrysostomus hom. 3. in epistolam ad Hebr. super illa verba, *In ministerium missi*, sic ait, *In multa loca propter nos mittuntur, circa nos cursitant, hoc est eorum ministerium, propter nos in omnes mitti partes*, quod variis testimoniis Scripturæ confirmat, & tandem tradit differentiam quam in verbo *mittendi* paulò antè notabamus, dicens, *Filius non sicut Angelus fuit missus: non enim à loco in locum transit, sed carnem suscepit: Angeli verò loca mutant, & prioribus, in quibus sunt, dimissis, ad alia veniunt, in quibus non erant.* Item
Nazian. Nazianzenus oratione 34. quæ est secunda de Theologia circa finem inter proprietates Angelorum ponit, *Qui omnia loca peragrant, omnibus vbique impigrè adsunt, tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem.* Vbi notanda est particula *vbique* quæ reperitur etiam in aliis Patribus, & eius explicatio: Satis enim declarat Nazianzenus non esse simul vbique, sed posse vbique eos iuuare, impigrèque id facere per promptitudinem voluntatis, & naturæ velocitatem. Quo etiam modo loquuntur, & explicant Tertullianus in Apolog. cap. 22. Hieronymus lib. contra Vigilantium, Maximus sermone de sancto Taurino: Eodemque sensu Damascenus lib. 2. cap. 3. dixit *Angelos nullis terminis includi*: nam statim addit, *Ideo non includi terminis, quia vbicunque voluerint apparere possunt in corporibus assumptis, nec vllis corporeis terminis includi possunt; Nã alioquin id solum natura sua proprio termino caret, quod minimè creatum est; Omnis enim condita res à conditore Deo terminatur.* Tertullian. Hieronym. Maximus. Damasc.

Astipulatur ratio, quoniam Angelus habet definitum locum, vt vidimus, & nullum cui ex necessitate adhæreat: ergo mutabilis est à loco in locum. Consequentia tenet. Minor probatur, quia vel Angelus consideratur præsens alicui corpori, vel spatio imaginario, quod loco completur: Sed Angelus nulli corpori adhæret naturali necessitate, & quamuis adhæreret, posset cum ipso corpore per accidens mutari; multoque minùs potest immobilitatem naturalem in spatio imaginario habere, cùm istud in se met spectatum nihil sit: Potest ergo Angelus de loco ad locum moueri. 15.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur Patres illos negare solùm Angelos esse in loco circumscriptiuè, sicut corpora, & respectu huius loci dicunt Angelos esse in loco abusiuè, vel æquiuocè, vel quod idem est, intelligibiliter, id est, non secundùm actum quantitatiuum, sed secundùm spiritualē substantiam, & indistantiam. Quod idem de Aristotele censendum est, & de communi Theologorum axiomate, quod ex Boëtio sumpsit S. Thomas in hac q. 52. a. 1. in argumento dicente, incorporalia non esse in loco. Ideò etiam Valentia t. 1. disp. 4. q. 3. punct. 1. dixit certum esse apud omnes Theologos in 1. dist. 37. Angelos non esse in loco propriè, sicut sunt corpora, sed metaphoricè. Vnde dissoluitur etiam confirmatio, quia continetur loco penes superficiem corporis ambientis est proprium corporum; Esse verò definitiuè in loco dicitur quidquid finito tantùm loco potest adesse cum certo magnitudinis termino; siue cum illo habeat commensurationem, siue non; & licèt hic existendi modus sit communis etiam corporibus, appropriatur tamen Angelis ad indicandum non esse illos in loco cum commensuratione corporea: Deus autem neutro modo dicitur esse in loco, quia nec commensuratur loco, nec limitatur. 16. S. Thom. Valentia.

Ad primum argumentum Durandi respondetur si per præsentiam situs intelligatur præsentia secundum commensurationem quantitatiuam, in rebus quidem spiritualibus non reperiri, tamen adhuc Angelum non adesse rebus omnibus; licèt enim à quantitate corporum non impediatur, quin omnia penetrare possit, nihilominus extrinseca limitatione suæmet essentiæ habet, vt non possit omnibus simul esse substantialiter præsens. Quare præsentia ordinis non est accipienda de præsentia cognitionis, vel etiam operationis, quatenùs per partes proximas cæli potest Angelus mouere remotas: neutra enim est vera præsentia per essentiam, sed ipsa substantialis Angelorum indistantia vocari potest præsentia ordinis, vt distinguatur à præsentia quantitatiua, & sic æquiualet situi corporeo cùm hac etiam 17.

propor

propositione quòd sicut in omni corpore situs circumscriptus est, ita in omni spiritu creato præsentia illa limitata est. Ad secundum concedimus sequelam. Ad tertium negatur antecedens. Ratio constabit ex dicendis infrà de Angelorum *vbi*.

CAPVT II.

De Angelorum loco varia Doctorum placita.

1. DIsputant Doctores potissimùm de loco extrinseco Angelorum, dum inquirunt, quæ sit proxima ratio, seu fundamentum propter quod Angelus in loco esse dicatur, aut in aliquo corpore; Vtrùm sit sola substantia Angeli, an quid ei superadditum, sicut in corporibus assignatur quantitas, & extensio quantitatiua, ratione cuius constituitur in loco circumscriptiuè: In quo dissident mirum in modum Scholastici. Sit prima (Alensis.) sententia Alensis part. 2. quæst. 32. memb. 1. dicentis fundamentum quo Angelus in loco constituitur esse qualitatem, vel proprietatem quandam diuinitùs communicatam, nec aliqua ratione id probat.

2. Secunda sententia Thomistarum communis asserit operationem Angeli transeuntem in corpus esse proximam rationem, per quam Angelus est in corpore; sicut in loco. Ita docent (Ægid. Rom. Ferrara.) Ægidius Romanus in 1. distinct. 37. part. 2. distinctionis artic. 1. quæst. 1. & Ferrara 3. contra Gent. cap. 68. vbi putat esse sententiam sancti Thomæ hic art. 1. dicentis Angelum esse in loco per applicationem virtutis ad locum; magis verò fauet ipsis in 1. distinct. 37. quæst. 3. art. 1. dicens Angelum non posse determinari ad aliquem locum nisi per operationem, quæ causet effectum aliquem in illo. Probatur primò ex (Damasc.) Damasceno 1. de fide cap. 17. vbi sic de Angelo scribit. *In loco tamen esse dicitur, quia intellectuali modo adest, atque vt ipsius natura consentaneum est operatur; nec alibi est, verum intellectualem in modum ibi circumscribitur, vbi operatur.* Videtur itaque pro ratione existendi in loco assignare operationem: nam illa particula *atque* coniungit præcedentia sequentibus, vt particulam illam causalem *quia* repetat; & sensus sit, ideò est in loco, quia intellectualiter adest, & quia ibi operatur; illud autem *quia intellectualiter adest*, explicet modum existendi in loco; illud verò *quia ibi operatur* declaret fundamentum existendi in loco.

3. Probatur secundò: nam inter locum & locatum aliqua debet esse coniunctio, seu contactus: At iste non potest esse nisi propriæ entitatis, vel virtutis: ergo necesse est vt Angelus altero ex his modis locum contingat: sed non potest contigere contactu quantitatiuo: ergo necesse est vt virtute sua corpus contingat: ergo cum talis contactus non sit nisi per actionem transeuntem; hæc est vnica ratio per quam Angelus est in loco.

4. Tertia opinio asserit Angelum esse in loco per operationem transeuntem ita latè sumptam vt comprehendat quidquid se habet instar operationis, scilicet vel actionem, vel passionem, vel quamcunque præsentiam, seu assistentiam, seu custodiam Angeli erga locum. Ità videtur sentire sanctus Thomas quodlibeto 1. art. 4. (S. Thomas.) dicens *Angelum esse in loco per operationem; ita tamen vt per operationem non intelligatur sola motio, sed quæcunque vnitio, qua sua virtute se corpori vnit præsidendo, vel continendo, vel quocunque alio modo.* Sequitur Capreolus in 2. dist. 2. (Capreol.) quæst. 1. art. 1. concl. 1. Vbi refert pro eadem sanctum Thomam in 1. distinct. 37. quæst. 3. art. 1. tamen ibi solùm asserit, rationem existendi in loco esse actionem transeuntem, de suo tamen capite subnectit Capreolus hæc verba. *Dico autem operationem communiter secundùm quòd Angelus se habet ad corpus contentum in loco per modum præsidentis, aut ministrantis, aut aliquo modo agentis, aut patientis.* Iterum art. 3. respondendo ad argumenta Aureoli contra eandem conclusionem inquit Capreolus; *Contactus virtutis potest dici omne illud quod se habet per modum operationis transeuntis in locum, aut corpus extrinsecum & exeuntis ab Angelo siue illud sit motus localis siue ministratio Angeli, siue præsidentia eius super corpus locatum, siue continentia, qua continet corpus, siue vnitio eius ad corpus, siue influxus in corpus, siue quodcunque aliud per modum actus secundi, & operationis transeuntis.* Sequitur Picus Mirandulanus in Apologia (Picus Mir.) quæst. 1. non longè à principio.

5. Probari potest hæc sententia, quia cùm Angelus operatur aliquid in loco vel strictè, vel etiam late sumendo nomen operationis, tunc ratione talis qualiscunque operationis, quæ non distat à loco entitatiuè Angelus est aliquo modo simul cum loco analogicè, siue metaphoricè: ergo hæc est sufficiens ratio fundandi præsentiam metaphoricam quam solam potest Angelus habere ad locum corporeum, siquidem non potest habere contactum quantitatiuum cum corpore continenti; Quod videtur significasse S. Thomas hic art. 1. dum dixit Angelum esse (S. Thomas.) in loco per contactum virtutis qualitercunque consentit planè Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 3. (Valentia.) puncto 2. dum ait, siue per operationem strictè, vel latè dictam censeri posse Angelum esse formaliter in loco, quo facto secundam & tertiam sententiam suprà relatas, & alias infrà referendas existimat esse probabiles, quatenùs in quauis illarum assignatur Angeli existentia in loco cum aliqua similitudine, vel analogia ad contactum quantitatiuum quo corpus est propriè in loco.

6. Quarta sententia dicit Angelum esse in loco per applicationem virtutis. Ita Gotfredus quod- (Gotfredus.) libeto 8. quæst. 13. Argentina in 1. distinct. (Argentina.) 37. quæst. 1. artic. 2. Georgius Bustius quæstio- (Bustius.) ne de locali motu Angelorum, Paulus Cortes (Cortes.) in 2. distinct. 2. & Caietanus in hac quæst. 52. (Caietan.) a. 1. qui tria requirit ad istam applicationem. Primum ex parte substantiæ Angelicæ, quod est negatio distantiæ à loco, ita vt non sit Angelus in aliquo alio corpore distanti ab eo loco in quo dicitur applicatam habere suam virtutem. Secundum ex parte intellectus Angelici; quod est notitia practica, qua cognoscit Angelus quid, & quomodo sibi sit operandum in tali loco. Tertium ex parte potentiæ executricis; quod est expeditio ipsius; ita vt hæc non sit impedita per superiorem Angelum vel Deum; nec occupata sit in aliqua re, sed possit immediatè Angelus operari in tali loco cùm voluerit. Hæc si adsint (inquit Caietanus) iam eo ipso est

eſt Angelus in loco formaliter, & contingit illum ſua virtute metaphotice, quamuis nihil adhuc operetur in illo. Atque boc ipſum exiſtimat voluiſſe ſanctum Thomam, cùm hic artic. 1. docet Angelum eſſe in loco per contactum virtutis. Addit tamen Caietanus hunc modum exiſtendi in loco eſſe incompletum. Completè verò Angelum eſſe in loco per operationem tranſeuntem. Quid autem ſit exiſtere in loco complete vel incompletè non declarat.

7. Probatur hæc ſententia argumento ſancti Thomæ hic artic. 1. Corpus eſt in loco quatenùs applicatur loco ſecundùm contactum ſuæ dimenſiuæ quantitatis; ita vt quantitas molis, quam habet ſit illi ratio exiſtendi in loco, applicata verò per contactum quantitatiuum corporis ad locum: At in Angelo non datur quantitas molis, ſed virtutis, qua videlicet poteſt efficienter attingere corpus: ergo Angelus eſt in loco per applicationem ſuæ virtutis ad locum, ſeu quod idem eſt per ſuæ virtutis contactum, quo locum attingit. Confirmatur: nam hæc applicatio vel eſt neceſſaria, vt Angelus ſit ſubſtantialiter præſens loco, vel certè ſuppoſita dicta præſentia ſuperaddit ſufficientem reſpectum ad corpus, ratione cuius tale corpus dicatur eſſe locus Angeli.

8. Quinta opinio aſſerit fundamentum huius præſentiæ Angelorum ad locum, vel corpus eſſe modum aliquem abſolutum additum ſubſtantiæ Angeli ex voluntate ipſius tanquam ex principio efficienti, ratione cuius non ſolùm reddatur Angelus propinquus corpori, & indiſtans ab illo, ſed etiam ipſi realiter vniatur, ita vt ſit modus quidam coniunctionis Angeli cum ſubſtantia corporis, prout ſubſtantia eſt, ita Vaſquez 1. part. diſput. 188. cap. 7. qui non adducit peculiare fundamentum illius, ſed reprobatis aliis opinionibus concludit hunc ſolum modum ſupereſſe, quo poſſit Angelus eſſe in loco; Et hac ratione tribuit hanc ſententiam Henrico quodlib. 1. quæſt. 9. quia refutatis ſuperioribus ſententiis exiſtimat aliquid eſſe ſuperaddendum in ſubſtantia Angeli, quo conſtituatur in loco.

Vaſquez. Henricus.

9. Poteſt autem ex his quæ obiter dicit Vaſquez probari hæc ſententia. Primò, quia talis modus non eſt impoſſibilis: ergo non eſt cur negetur, cùm nihil aliud ſuperſit, quo poſſit Angelus in loco conſtitui. Secundò: nam illo poſito facilè percipitur tranſitus Angeli ab extremo ad extremum ſine medio. Tertiò quia ratione talis modi poterit Angelus eſſe in maiori, vel in minori loco pro ſua voluntate, à qua modus ille dependet, & ſubſtantiam ipſam Angeli ſecundùm ſe non conſequitur.

10. Sexta ſententia docet Angelum eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam ſolam ſecluſo quocunque alio. Tenent Richardus in 1. diſtinct. 37. art. 2. quæſt. 1. Bonauentura in 2. diſtinct. 2. part. 2. artic. 2. quæſt. 1. Scotus ibi quæſt. 6. §. *ad quæſtionem, & §. ad propoſitum.* Gabriel quæſt. 2. art. 2. quarta concluſione. Gregorius quæſt. 2. art. 1. Marſilius in 2. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 45. Probatur: nam ex eo ſolùm quòd Angeli ſubſtantia ſine aliquo alio ſit pars quædam totius vniuerſitatis rerum, ſequitur ipſam ſecundùm ſe habere in vniuerſo ordinem loci ſine aliquo alio. Confirmatur, quia non poteſt intelligi Angelum relinquere locum, niſi per motum adquirat alium.

Richard. Bonauent. Scotus. Gabriel. Gregor. Marſilius.

Si verò fundamentum exiſtentiæ in loco penderet ex ſola voluntate Angeli, vt in ſententia præcedenti dicebatur, poſſet Angelus pro libito deſinere hic eſſe, vbi erat antea ſine eo quod inde moueretur: ergo veroſimilius eſt dicere exiſtentiam Angeli in hoc, vel illo loco ex Angeli ſubſtantia proximè naſci, licet pro voluntate poſſit mutari: ſic enim nunquam deſinet eſſe hic ſolo nutu voluntatis ſine motu.

CAPVT III.

Noſtra Deciſio.

1. SVppoſita diſtinctione loci extrinſeci, & intrinſeci cuius ſuprà meminimus cap. 1. num. 5. locus extrinſecus, qui reſpectu corporis locati eſt ſuperficies vltima corporis ambientis, non conuenit Angelis, qui non circumſcribuntur, nec continentur loco corporeo propriè loquendo. Quare reſpectu Angeli ſolùm poteſt conſiderari, vt locus extrinſecus corpus illud, in quo intimè, & quaſi penetratiue exiſtit; habitudo tamen Angeli ad hunc locum extrinſecum non videtur poſſe declarari ſine intrinſeco, quod quidem in corporibus eſt præſentia illa, ſeu modus exiſtendi, quem corpora habent in ſpatio interiecto, quod replent inter latera corporis, ſeu ſuperficiei continentis. Hanc ergo præſentiam intrinſecam, quam ex parte ſua exhibent Angeli corpori, debemus prius in illis conſiderare, de quo ſanè veteres Scholaſtici ſub his terminis vix reperientur egiſſe.

2. Itaque dico primò Angelum non eſſe in extrinſeco loco quin præter illum, & omnem actionem circa illum ſupponatur in ipſomet Angelo modus aliquis intrinſecus accidentalis, & ex natura rei, ſeu realiter modaliter diſtinctus à ſubſtantia. Sic docent Molina in hac quæſt. 52. art. 1. diſp. 1. memb. 5. Peſantius ibidem diſp. 2. Malonius in 2. diſt. 8. diſp. 9. ſect. 2. & 3. Suàrius diſp. 51. metaphyſ. ſect. 3. & 4. & lib. 4. de Angelis cap. 2. num. 4. Vaſquius ſuprà, & fauent antiquiores nonnulli. Hæc concluſio habet tres partes. Prima eſt præſentiam Angeli eſſe aliquid ſuperadditum. Secunda eſt hoc additum prærequiri ad locum extrinſecum. Tertia eſt hoc additum non ſolùm corpori vbi Angelus eſſe dicitur, ſed etiam ipſi Angelo ſuperaddi debere; ac ſubinde ab Angeli ſubſtantia diſtingui tanquam modum accidentalem à ſubiecto. Singulas partes ſuo ordine cóprobemus.

Molina. Peſantius. Malonius. Suarez. Vaſquez.

3. Prima pars probatur: Nam Angelus & cælum non ſunt ſimul, aut indiſtantia per ſuas entitates; id eſt, per ſubſtantiam ex parte Angeli, & ſubſtantiam cum quantitate ex parte cæli: ergo debet aliquid illis addi, ratione cuius ſimul & indiſtantia ſint; Antecedens conſtat: nam Angelus & cælum poſſunt eſſe in rerum natura, & non eſſe ſimul ſecundùm localem indiſtantiam, vt certiſſimum eſt de malis Angelis, *quorum locus non eſt inuentus amplius in cælo*, & de bonis ſimiliter quando mittuntur ad nos: ergo ea duo extrema abſolutè ſumpta non ſufficiunt, vt ſimul ſint, vel vnum ſit in alio, ſed aliquid debet illis ſuperaddi ad illam coniunctionem, ſeu habitudinem inter ipſa: Quæ conſequentia probatur: Nam eſſe ſimul ſecundùm præſentiam realem, & indiſtantiam eſt aliquid in rerum natura, & iſtud non ſequitur neceſſariò ex ſola

talium rerum existentia, vt vidimus: ergo est aliquid reale additum ipsis. Quippe non potest esse, vel intelligi nouus aliquis effectus, vel denominatio realis, saltem quæ formaliter non sit libera, sine noua forma vel modo reali. Quæ ratio cogit non solùm in rebus naturalibus ponere modos ex natura rei distinctos, sed etiam in supernaturalibus mysteriis Incarnationis, & Eucharistiæ distinctam vnionem hypostaticam, & præsentiam sacramentalem confiteri.

4. Secunda pars conclusionis probatur, scilicet hoc additum, quod ad mutuam præsentiam inter corpus & spiritum necessarium est, requiri quoque (siue sit etiam sufficiens, siue non) vt Angelus sit in tali corpore tanquam in loco: nam inter locum, & id quod est in loco requiritur propinquitas ex indistantia: Quod quidem in rebus corporalibus est per se notum loquendo de proprio loco, (vt nunc loquimur) de spiritualibus autem probatur, tum quia non possumus de his ratiocinari, nisi per quandam proportionem ad corporalia. Tum quia per se se repugnat ex terminis, quod aliquid verè dicatur esse in aliquo loco vbi secundùm suam entitatem non sit præsens, sed potiùs inde distans: tum maximè quoniam omnia testimonia Scripturæ & Patrum adducta cap. 1. hoc potissimùm probant, quia supponunt in proprietate sermonis non posse veras esse locutiones istas *Angelus est in loco, vel in corpore hominis*, & similes, nisi supponatur, & intelligatur Angeli substantia realiter esse præsens, & indistans à tali corpore.

5. Tertia pars probatur, nempe necessarium esse ad istum effectum aliquid addi non tantum cælo, vel corpori vbi Angelus esse dicitur, sed etiam ipsimet Angelo: nam ex parte cæli v.g. supponitur non solùm substantia, & quantitas sed etiam intrinsecum *vbi* ipsius, & omnis alia intrinseca dispositio, quæ in ipso cogitari potest, & nihilominùs contingit, vt Angelus in mundo existat, nec tamen cælis adsit, sed potiùs distet ab illis: Etenim cælum Empyreum (si creati fuerunt Angeli in illo) nec locum, nec *vbi*, nec aliquam intrinsecam dispositionem amisit, aut mutauit, quando Dæmones illinc depulsi fuerunt, nec nunc amittit, quando sancti Angeli discedunt ab eodem, nec adquirit quando illuc regrediuntur præter relationes distantiæ, vel indistantiæ, quæ supponunt præsentiam intrinsecam ipsius: ergo necessarium est vt Angelus quando discedit à cælo, vel illuc accedit, aliquid amittat, vel adquirat intrinsecum sibi: nam vt dicebamus num. 3. non potest incipere nouus effectus realis sine noua forma, vel quasi forma reali. Sed Angelos qui verè ac realiter erat in cælo incipit non esse ibi, sed alibi sine noua mutatione præsentiæ cæli, & qui realiter non erat in cælo, sed alibi, sine variatione præsentiæ cæli incipit verè, ac realiter existere præsens in cælo: ergo necesse est vt Angelus ex parte sua deperdat aliquid quando discedit, & adquirat quando accedit quod illum intrinsecè præsentem, & indistantem à cælo constituat.

6. Hinc infertur primò hunc modum præsentiæ distingui modaliter realiter ab Angelo: nam hic modus denuò adquiritur, & postmodum amittitur ab Angelo: ergo distinguitur ab Angeli substantia ex natura rei: nullum enim maius signum distinctionis realis habemus in rebus creatis, quam realem separationem, vel separabilitatem vnius ab alio, præsertim quando non fit per mutationem alterius, sed per propriam mutationem subiecti à quo talis modus separatur, vel cui denuò superadditur. Infertur secundò talem modum esse proprium accidens, siquidem adest & abest sine perfectionis substantialis augmento, vel decremento: nec enim substantialiter est magis, vel minùs perfectus Angelus ex hoc quòd sit in vno loco, vel in alio; siquidem per motum localem nihil substantiale adquiritur, vel amittitur. Hic autem modus præsentiæ per motum localem adquiritur, vel amittitur ad Angelo.

Quòd si quæras cuius prædicamenti, seu cuius naturæ sit modus iste. Respondeo non esse 7.
quantitatem, nec aliquod accidens, quod per illam insit substantiæ: nam hic modus inest Angelicæ substantiæ in qua nec quantitas, nec alia accidentia, quæ per quantitatem insunt, aut extensionem eius requirunt inueniri possunt. Est itaque accidens spirituale, non tamen est qualitas propriè, tum quia non collocatur in aliqua specie qualitatis, vt patebit discurrenti per singula; tum etiam quia motus localis non tendit per se ad qualitatem, & hic modus per se adquiritur ab Angelo per motum localem. Imò licèt in corporibus interdum ex motu locali sequatur alteratio non per se, sed concomitanter, ac ex motu locali Angelorum, nulla resultat in illis alteratio, nec per se, nec concomitanter, quia non est Angelus capax talis alterationis: ergo ille modus non solùm non est qualitas, sed nec habet qualitatem se comitantem, vel consequentem.

Scotus & alij sæpè hanc Angeli præsentiam 8.
vocant relationem, sed forsan loquuntur de relatione transcendentali ad spatium fixum, quod vocamus imaginarium, & huiusmodi relationem fatemur in tali modo; non est tamen sufficiens, vt ad prædicamentum pertineat relationis, sicut nec ad illud pertinent scientia, potentia, & similes transcendentales relationes: Non est autem hæc Angelorum præsentia relatio prædicamentalis, sed fundamentum illius: nam ad relationem prædicamentalem non datur per se motus, ad istum verò modum præsentiæ terminatur per se motus localis: siquidem Angelus per ingressum in corpus hominis, v. g. adquirit modum istum præsentiæ ad corpus per se primò, nec aliud potest excogitari quod adquirat priùs, ex quo resultet prædicamentalis relatio propinquitatis inter Angelum, & corpus, quod dicitur locus Angeli: nam hæc relatio supponit extrema esse hic, vel ibi, indéque resultat relatio propinquitatis, vel distantiæ: ergo illud esse hic vel ibi, siue præsentia Angelica est aliquid absolutum antecedens relationem, & fundans illam.

Iam à sufficienti partium enumeratione colli- 9.
gitur, hunc modum esse accidens prædicamenti. *Vbi*, quia non est aliud genus rerum sub quo talis modus intrinsecus collocari possit, & in prædicamento *vbi* congruè constituitur. Nam istud *vbi* Angelicum spirituale habet sufficientem cum *vbi* corporeo conuenientiam, vt ab vtroque possit abstrahi conceptus præsentiæ communis, & genericus. Etenim conueniunt primò quatenùs sicut

vbi corporeum intrinsecum est fixio corporis in tali spatio imaginario distincta modaliter à re vbicata; sic *vbi* spirituale intrinsecum est fixio spiritus in tali spatio imaginario distincta modaliter ab Angeli substantia, vel ab spiritu vbicato.

10. Conueniunt secundò quatenùs sicut *vbi* corporeum conuenit corpori independenter à corpore circumscribente, ita vt possit idem *vbi* permanere, licèt totum illud spatium vacuum sit, sic *vbi* spirituale competit Angelo independenter à quocunque corpore extrinseco, à quo fortasse hic, & nunc sit indistans, vel in quo nunc operatur, ita vt Angelus possit retinere idem *vbi* reale; spirituale, & intrinsecum; non solùm si corpora mutentur, verùm etiam si prorsus auferantur, & spatium omnino vacuum relinquatur: nam istud *vbi* non dicit essentialem habitudinem ad spatium corporeum, aut reale, sed ad spatium solùm imaginarium: Quare penitus ablato spatio reali poterit permanere.

11. Vnde conueniunt tertiò quatenus sicut *vbi* corporeum intrinsecum non pendet ab vlla corporis operatione, vel actiuitate: licèt enim corpus non sit actiuum, verè retinet suum *vbi*, sic Angelicum *vbi* non pendet ex aliqua operatione Angeli, vel applicatione ad operandum, vel vnione cum corpore, quia si non pendet ex corpore, vt dictum est, multò minùs pendebit ex operatione circa corpus, vel ex applicatione ad operandum in illo, vel ex vnione aliqua cum corpore. Quare si Deus creasset Angelum ante mundum corporeum, haberet talis Angelus necessariò suum intrinsecum *vbi*, quod esset modus substantiæ illius, & locus intrinsecùs Angeli; tum quia tale *vbi* nullo modo pendet à corpore, vt vidimus; tum quia ex limitatione naturæ Angelicæ prouenit intrinseca necessitas, & indigentia talis *vbi*, quod etiamsi corpora non adsint, figat Angelum in spatio imaginario determinato. Videatur Suarius disp. 51. Metaph. sect. 4.

Suarez.

12. Dico secundò hoc Angelicum *vbi* sic est intrinsecum Angelo, vt & substantiam eius afficiat per se tanquam immediatum subiectum suum, & ratione substantiæ conueniat Angelo quodammodo. Hæc conclusio est de mente Doctorum, quos retulimus supra, & videtur significari à S. Thoma hic art. 1. dum asserit; Angelum esse in loco per applicationem virtutis ad aliquem locum: licèt enim hæc vbitas per se primò non sit applicatio sui subiecti ad locum corporeum, sed fixio in spatio; tamen quia de facto suum subiectum applicat alicui corpori tanquam extrinseco loco, & quoniam hic effectus est nobis notior, voluit S. Thomas istam vbitatem, aut intrinsecum *vbi* vocare applicationem virtutis ad locum: cùm autem dicit Angelum esse in loco per operationem, vel significat per operationem tanquam per signum nobis notius innotescere præsentiam illius, vel constitui Angelum in loco per operationem, quæ sit productio præsentiæ intrinsecæ, vel per operationem intelligit ipsam applicationem virtutis, quatenus per intrinsecum *vbi* fit proximus, seu præsens loco, seu corpori, in quo vult operari. Nec dissentit Capreolus in 2. dist. 6. quæst. 1. artic. 3. dicens omne mobile adquirere suum *vbi*, licèt in Angelis nolit dici propriè *vbi*, sicut nec propriè locum, vt constat ex artic. 1. §. *Ex prædictis infertur.* Quoad priorem partem probatur conclusio quoniam inter Angeli substantiam, & modum prædictum nihil mediat, ratione cuius vbitas ista recipiatur in tali subiecto, siue per per modum potentiæ proximæ, siue per modum dispositionis, quæ sit ex parte subiecti quasi materialis ratio recipiendi talem vbitatem: nihil enim huiusmodi fingi, vel excogitari potest: ergo substantia spiritualis per seipsam est capax talis modi, ac subinde hoc accidens inhæret ipsi tanquam subiecto proximo prorsus, & immediato.

Capreol.

13. Quoad posteriorem partem declaratur conclusio, quia potest aliqua res esse proximum subiectum accidentis, & tamen non esse propria ratio propter quam tale accidens eidem conferatur, sed meram habere capacitatem; sicut aër est subiectum luminis, non tamen potest dici ratio propter quam insit illi lumen. Aliquando verò datur in ipso subiecto specialis ratio propter quam oporteat affici tali accidenti, siue sit emanatio effectiua, qualis est inter substantiam rationalem, & intellectum ipsius, siue sit aliqua naturalis connexio, vt inter intellectum Angelicum, & species inditas ipsi. In hoc ergo posteriori sensu dicimus substantiam Angeli non solùm esse subiectum proximum, sed etiam rationem intrinsecam suæ præsentiæ, quia non solùm habet capacitatem vbitatis intrinsecæ, sed etiam necessitatem habendi tale *vbi* ortam ex limitatione suæmet entitatis, quæ sicut non petit simul adesse præsens omni loco, sed connaturaliter est mutabilis ex vno loco in alium, sic indiget modo præsentiæ distincto, quem adquirat, vel amittat per motum localem, & per quem reddatur realiter præsens huic, vel illi spatio determinato.

14. Iam de re satis constat ex dictis ratione huius vbitatis habere Angelum, quantum est ex se, vt possit esse indistans, vel propinquus aliis rebus: item intrinsecum *vbi* satis esse, vt possit Angelus moueri localiter mutando diuersas vbitates, quæ sint intrinseci termini motuum localium: Vnde satis etiam erit hæc intrinseca præsentia, vt per aduerbia localia dicatur Angelus esse hic, vel ibi: nam hæc aduerbia in rigore non dicunt habitudinem ad corpus, vel spatium reale, sed solùm ad imaginarium. Quare sola restat quæstio de nomine, An ratione huius vbitatis, seu præsentiæ intrinsecæ dici possit Angelus esse in loco extrinseco, vel in corpore, cui præsens est, aut propinquus? In qua videtur tota ferè diuersitas opinionum versari.

15. Negant enim S. Thomas, & eius sectatores, & quotquot ad hanc denominationem in Angelo prærequirunt, vel operationem in corpus, vel applicationem virtutis ad illud: ratio est, quia locus extrinsecus habet rationem continentis, & circumscribentis: ideò enim aqua dicitur esse in vase, non vas in aqua, quia vas continet, & circumscribit aquam, non è contra, sed Angelo non potest circumscribi, nec contineri ab vllo corpore: ergo Angelus non potest esse in corpore propriè tanquam in loco, sed solùm secundùm aliquam proportionem ad continentiam corporum, hæc autem analogia non potest in sola propinquitate fundari: nam etiam cælum est Angelo propinquum, & tamen non dicitur esse in Angelo. Item si duo corpora sint in eodem spatio penetrata, neutrum est locus alterius, etiamsi sibi sint propinquissima: debet ergo fundari in aliqua operatione, vel contactu virtuali, qui fit per operationem, aut tendat ad illam.

Per

16. Per oppositum Scotus, & alij Doctores sextæ sententiæ volunt hanc denominationem existendi in loco extrinseco, vel in corpore tanquam in loco dicere solùm ex parte Angeli præsentiam intrinsecam, seu modum vbitatis, connotando præsentiam corporis in eodem spatio imaginatio, in quo Angelus præsens existat; Sic etiam docet Daniel Malonius in 2. dist. 8. disp. 9. sect. 2. & cum iis quæ addit in 4. Vbi respondendo ad primam quæstiunculam apertè dicit, eo ipso quod Angelus habet suum *vbi* spirituale simul cum vbitate corporis alicuius, esse ibi in loco definitiuè. Consentit Suarius lib. 4. de Angelis cap. 7. licèt in contrarium propenderat disp. 51. metaphys. sect. 4. num. 20. & 24. Malonius.

17. Probatur hæc pars: nam in his locutionibus per quas & Scriptura, & omnes communiter dicunt Angelum esse alicubi, duplex denominatio ipsius Angeli considerari potest, vna est intrinseca, & adhærens Angelo, dum ipse non mutatur in se, alia est extrinseca qualis esse solet, quæ sumitur ab extrinseco loco: sed ad vtrãque simultatem sufficit *vbi* Angelicum connotando simultatem, seu propinquitatem alicuius corporis: ergo hæc sufficiunt ad constituendum Angelum in aliquo loco. Maior constat ex dictis, & per analogiam ad *vbi* & locum corporeum facilè potest intelligi. Minor ostenditur: nam Angelus intrinsecè denominatur esse hic, vel ibi ab illo modo intrinsecæ præsentiæ, nec alia intrinseca denominatio prouenire concipitur ex vi talis vbitatis; ad illam verò denominationem extrinsecam existendi in corpore tanquam in loco sufficit coëxistentia, seu simultas corporis, & Angeli secundùm intimam præsentiam realem, ita vt illud *esse in corpore* præter intrinsecum *vbi* Angelicum solùm denotet terminum relationis propinquitatis Angelicæ. Dicitur autem Angelus esse in corpore potiùs, quàm è contra, quia res spiritualis comparatur ad corpus tanquam actus ad potentiam: propter suam enim perfectionem apprehenditur spiritus à nobis per modum actus, & formæ assistentis corpori.

18. Declaratur exemplis, quia Deus est per essentiam in rebus, quas per potentiam creat; illud autem esse in rebus Deo solùm addit denominationem extrinsecam, quæ formaliter & per se non fundatur in operatione, sed in intima præsentia, & simultate quam habet Deus cum omni creatura. Item corpus Christi verè dicitur esse sub speciebus Eucharistiæ, & in hostia consecrata, vt in loco extrinseco solùm quatenùs habet ibi præsentiam substantialem per *vbi* suum intrinsecum in distans ab vbitate specierum, & intimè simul cum illis. Hoc forsan intendit Capreolus pro tertia sententia relatus capite præcedenti, dum ait Angelum esse in corpore tanquam in loco per præsidentiam, vel continentiam: præsidentiam verò dicit esse quandam nobilitatem & exornationem, & actiuitatem corporis per spiritum; continentiam autem explicat per fortificationem virtutis corporis quam sic exponit: Quia spiritus comparatur ad corpus tanquam actus eius; omnis autem potentia vigoratur ex coniunctione ad suum actum; ita etiam corpus ex coniunctione ad spiritum vigoratur. Vbi solùm videtur significari maiorem perfectionem Angeli, qua extrinsecè quasi ornatur & nobilitatur corpus, cui assistit, esse rationem concipiendi Angelum ad modum formæ assistentis, & perficientis corpus. Vnde dicimus absolutè, & propriè Angelum esse in tali corpore, tanquam in loco extrinseco.

In ista quæstione dico tertiò quoad modum loquendi verè dici posse in sensu quodam lato Angelum esse in corpore tanquam in loco per solam præsentiam substantiæ suæ indistantis à corpore, vt docent Scotus & alij cum illo propter fundamenta adducta num. 11. Sic enim verè dicimus Angelos esse in cælo empyreo, licèt nihil agant in illud; magis tamen præcisè ac propriè dicetur Angelus existere in corpore in quo operatur, vel in quo est potens proximè operari per applicationem virtutis suæ, vt cum S. Thoma docent Thomistæ: cùm enim denominatio existendi in alio dicatur in corporibus habitudinem contenti ad continens, vel recepti ad recipiens, vbi ex parte loci significatur capacitas ad recipiendum & ex parte locati actualitas ad replendum per quantitatem molis, cui respondet in spiritualibus quantitas virtutis, (siquidem agens etiam & patiens habent se per modum actus, & potentiæ, quæ cùm sit capax recipiendi effectum quasi completur ab Agente) magis propriè sumitur analogia, seu proportio ad locatum, & locum corporeum constitutum per continentiam quantitatiuam ex operatione, vel actiuitate Angelorum ad corpus applicata, quàm ex sola coëxistentia substantiæ Angelicæ, & corporis in eodem spatio imaginario, licèt ista sufficiés etiam sit, quatenùs nostro modo concipiendi, & loquendi res spiritualis apprehenditur à nobis per modum formæ assistentis corpori, & sic dicitur esse in illo. 19.

Hanc nostram conclusionem docuit Hugo de Sancto Victore libro de sacramentis part. 3. cap. 18. dicens *Angelum esse in loco, quoniam alicubi præsens cernitur, & esse localem, quoniam cùm sit alicubi, non vbique inuenitur.* & subdit inferiùs *Spiritum esse localem, quoniam in loco per præsentiam naturæ & operationis concluditur* Vbi assignat in primis intrinsecam Angeli præsentiam, deinde adiungit operationem, non quia sit omninò necessaria ad denominationem existendi in loco quam iam dixerat ab intrinseco *vbi* prouenire; sed quoniam ex operatione limitata colligitur Angelum esse naturæ finitæ postulantis præsentiam definitam; & quia per operationem magis propriè ac strictè Angelus denominatur localis. Hoc tradidit S. Thomas quodlibet. 1. art. 4. vbi explicans, quid sit virtutis contactus (quem dicit vocari posse operationem) per quem Angelus est in loco, ait esse operationem in hoc sensu, quod per *operationem non intelligatur sola motio, sed quæcunque vnitio, qua se corporibus præsidendo, vel continendo, vel quocunque alio modo.* Hoc etiam indicat Gabriel in 2. distinct. 2. quæst. 2. art. 2. conclus. 4. dicens Angelum esse in loco *non tantùm per operationem, sed etiam per suam substantiam.* Consentit Valentia hic disp. 4. quæst. 3. punct. 2. dum relatis opinionib[us] Thomistarum Scotistarum, ac Nominalium concludit omnibus modis, quos istæ opiniones assignant, censeri posse Angelum esse in loco. 20. Hug. Vict. Gabriel.

Sic conciliantur vtriusque partis fundamenta: nam argumenta relata num. 15. solùm probant Angelum non esse in loco rigorosè, id est, circumscriptiuè, sicut corpora, quod fatemur. Rursùs vt per analogiam ad corpora dicatur esse in loco extrinseco strictè, cõcedimus esse necessariam 21.

operationem, vel applicationem virtutis. Vt autem in sensu lato verè dicatur esse in corpore, sicut in loco, sufficit coëxistentia: Nec tamen cælum dicetur esse in Angelo, nec vnum corpus penetratum in alio, quando non comparatur ad aliud per modum actus ad potentiam; Quæ comparatio quoniam aliquo modo reperitur in corpore Christi respectu specierum sacramentalium cum quibus penetratur, dicitur esse in illis, vel sob illis. Fundamenta secundæ partis probant denominationem illam in sensu lato, sed vero; non tamen in sensu stricto, ac magis proprio.

CAPVT IV.

Satisfit obiectionibus.

1. Contra doctrinam istam sic explicatam obiicies primò inde sequi, inter Angelos posse dari propinquitatem & distantiam immediatè fundatam in ipsis sine corporum interuentu, & similiter posse Angelum distare à corpore, quamuis nec Angelus sit in corpore, nec inter ipsum, & corpus intercedat spatium corporeum, aut reale: sed vtrumque consequens falsum est: ergo & illud ex quo sequitur. Sequelæ supponuntur vt claræ. Minor probatur primò ea differentia inter corpus quantum, & spiritum: quantitas enim ex natura sua secum affert extensionem triplicis dimensionis: Quapropter in se habet intrinsecè distantiam, propinquitatem, & situm, & quod possit quantum est ex se, superficie circundari eiusque capacitatem replere: At spiritus indiuisibilis est; ideoque de se non est capax distantiæ vel propinquitatis, quia seclusa quantitate nullum interuallum reale percipi potest.

2. Probatur secundò, ab inconuenienti: nam aliàs sequitur Angelum extra cælum esse posse, quod videtur impossibile: nam esset in nihilo, cùm extra cælum nihil sit. Secundò sequitur dari situm in Angelis secundùm se spectatis, & consequenter omnes differentiæ positionum, vt esse suprà, & infrà, essent Angelis tribuendæ; quæ quidem videntur absurda, cùm ea quæ sunt propria corporum puris spiritibus adscribantur. Confirmatur, quia sublato fundamento manere non potest, quod in illo fundatur; sed fundamentum propinquitatis, & distantiæ est quantitas: ergo in his quæ quantitate carent per se spectatis non potest distantia, vel propinquitas interuenire. Probatur minor, quia quantitas habet extremitates, siue terminos extremos in quibus distantia, vel propinquitas fundatur; Spiritus verò caret his terminis, ac subinde non est capax distantiæ, vel propinquitatis.

3. Ad argumentum concedimus primam & secundam sequelam, sed negamus minorem: Veritas autem vtriusque consequentis persuadetur, quia nemo negabit Angelos existentes nunc in cælo empyreo tantùm distare ab Angelis existentibus in inferno quantùm cælum distat ab inferno: ergo illa distantia est inter ipsos spiritus secundùm se spectatos: licèt enim metiamur distantiam inter spiritus per distantiam inter corpora, tamen re ipsa datur immediatè per se distantia inter ipsos spiritus, & non solùm ratione corporum. Nam vt duo Angeli distent inter se tantùm quantùm cælum, & infernus, oportet vt alter habeat realem præsentiam in cælo, & alter in inferno: sed Angelus non est præsens cælo per ipsummet cælum, vel per solam denominationem ab illo, sed per suum intrinsecum *vbi* comparatum ad vbitatem cæli, quod idem est de Angelo existenti in inferno, vt ostendimus capite præcedenti: ergo distantia, vel propinquitas inter Angelos non fundatur in corporibus quibus insunt, sed in intrinsecis, & propriis præsentiis aut vbitatibus singulorum Angelorum.

Declaratur hoc ipsum quia mutato corpore, cui est Angelus præsens, si maneat Angelus immotus vt reuera potest, manebit equidem eadem distantia inter illos duos Angelos, siue succedant ibi alia corpora, siue non succedant per absolutam potentiam Dei: semper enim idem interuallum manebit, quia si Deus, vt potest, redigat in nihilum corpora inferni, & cæli conseruatis spiritibus, qui sunt in illis, sine mutatione quapiam ipsorum, conseruatent hi suasmet vbitates intrinsecas, quas priùs habebant, tum quia tales Angelorum vbitates non pendēt à corporibus, tum etiam quia sine reali mutatione vbicatorum non amittuntur. Manentibus autem eisdem vbitatibus Angelorum, eandem etiam manere distantiam necesse est; Quoad hoc enim eadem est ratio de spiritibus, ac de corporibus, quia relatio distantię tam spiritibus, quàm corporibus intrinseca est, & suo modo illi rei inest, quæ distare dicitur, nec magis corpus est fundamētum talis relationis existentis in Angelo, quam Angelus sit fundamentum relationis existentis in corpore, cui assistit. Accedit quòd vbitas intrinseca, & in Angelis, & in corporibus eandem sortitur rationem essentialem habitudinis videlicet transcendentalis ad spatium imaginarium fixum, distantia quoque vel propinquitas in creaturis solùm dicit relationem prædicamentalem inter extrema realia positiua, & finita, quæ omnia iam in extremis spiritualibus, quàm in rebus corporeis inuenientur. 4.

Vnde ad primam probationem minoris respondetur differentiam, quæ reperitur inter spiritum & corpus nihil ad rationem distantiæ, vel propinquitatis referre. Considerandum enim est aliud esse loqui de distantia in vna, & eadem re intrinsecè inuenta inter partes eius; aliud esse loqui de distantia vnius rei ab alia. Priorem modum distantiæ verum est non inueniri nisi in re quanta, nunc tamen de hoc genere distantiæ non loquimur, quia non dicimus in Angelo secundùm se spectato dari distantiam partium, cùm illas non habeat, nec sit capax quantitatis: At loquendo posteriori modo de distantia inter res separatas, & non solùm inter res quantas, sed etiam inter indiuisibiles inueniri potest, quia non supponit extensionem intrinsecam in rebus, quæ distant, & ideò reperitur inter duo puncta extrema distantium linearum, & inter eadem permaneret, si per impossibile separata, & immota conseruarentur. Ita ergo potest inter Angelos reperiri, quamuis sint indiuisibiles. 5.

Cùm autem dicitur interuallum non posse intelligi sine quantitate, si nomine interualli significetur distantia, id est, relatio vnius extremi ad aliud, falsum asseritur, vt constat ex dictis. Si verò significetur spatium illud interiectum inter extrema distantia, quod magis vox illa videtur sonare. Respondetur interuallum quidem reale, seu plenum non inueniri sine quantitate: nam interuallum dicit latitudinem, & extensionem, quæ non 6.

non eſt realis ſine quantitate: interuallum autem vacuum, quod imaginarium vocamus, ſufficit ad diſtantiam realem inter extrema, quia reale medium non eſt fundamentum realis diſtantiæ prout dicit relationem inter extrema, ſed ſolùm vbitas vtriuſque extremi.

7. Declaratur in corporibus. Primò quidem in his, quæ ſunt intra mundum; ſi Deus aërem huius cubiculi redigeret in nihilum, & medium iſtud relinqueret vacuum, vt poſſet: tunc enim eadem diſtantia realis maneret inter parietes, quæ nunc eſt, vt patet ad ſenſum, & ab aduerſariis non negatur. Rurſus in corporibus extra mundum idem poſſet facere Deus creando mundum alium ab illo diſtantem, quantum & quomodo vellet. Item poſſet Deus ſuper cælum empyreum alios cælos creare, atque poſtmodum ex illis inter medios annihilare conſeruato ſupremo, & toto interiecto ſpatio relicto vacuo, tunc autem illud ſupremum cælum æquè diſtaret ab empyreo, ac anteà: ergo potuiſſet à principio Deus idem cælum, vel alium mundum ab hoc diſtantem creare ſolo inani interuallo interpoſito. Conſtat igitur ſpatium imaginarium ſufficere ad hoc vt detur diſtantia realis, dum extrema ſint realia, quæ quidem in ſpiritibus reperiuntur, etſi nulla corpora exiſtant.

8. Ad ſecundam probationem concedimus Angelum eſſe poſſe extra cælum non minùs quàm corpus, & ibi poſitum habiturum eſſe ſuam vbitatem intrinſecam, & realem, vt oſtenſum eſt capite præcedenti. Addit Suarez ſuprà cap. 8. num. 12. in rigore non ſequi tunc Angelum eſſe in nihilo: nam vbi Angelus eſt, iam aliquid eſt, ſed ſolùm ſequi Angelum eſſe, vbi nullum corpus eſt. Non eſt tamen abſolutè neganda illa locutio, quia verè tunc Angelus eſſet in ſpatio imaginario, quod ſimpliciter nihil eſt, nec per illam particulam *in* indicatur ibi relatio prædicamentalis ad extremum reale, ſed tranſcendentalis ad ſpatium imaginarium. Suarez.

9. Ad ſecundam illationem de ſitu negatur ſequela, quia ſitus in rigore ſignificat partium poſitionem in loco, ſeu modum ex tali partium poſitione reſultantem in toto: Quare non habet locum in Angelis, qui partibus carent. Nec etiamſi ſitus dicatur ſolùm per relationem ordinis ſuperioris, & inferioris, vel alia ſimili ratione locum habet in Angelis ſecluſis corporibus, quia talis ordo ſolùm attenditur ſecundùm aliquam conditionem corporum non ſolum in quantitate ſed in aliqua qualitate, ſcilicet grauitate vel alia ſimili, quæ in Angelis non reperiuntur.

10. Ad confirmationem negatur minor, quia fundamentum proximum propinquitatis, vel diſtantiæ realis reſpectu extremorum, quæ ſunt propinqua, vel diſtantia non eſt quantitas corporea, ſed vbitas intrinſeca realis, ſiue corporalis ſit, ſiue ſpiritualis; nec ad iſtam propinquitatem, vel diſtantiam requiruntur extremitates corporeæ, quas habet quantitas, non autem ſpiritus, quod apparet in relatione propinquitatis, quæ non ſolùm interuenit inter terminos quantitatis, ſed etiam inter ſpiritum, & corpus, vel inter duos ſpiritus: ſicut enim dari poteſt inter duo tota corpora ſi ſupernaturaliter penetrentur: ſic ſpiritus cùm poſſint intimè præſentes exiſtere, vel cum corpore, vel inter ſe, poſſunt etiam eſſe quidem intimè propinqui ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam indiuiſibilem: eadem ergo ratione poſſunt eſſe diſtantes inter ſe ſecundùm ſuas ſubſtantias, & non ratione terminorum, prout in quantitate reperiuntur, ſed ſubſtantia duorum Angelorum vt affecta tali vbitate eſt veluti terminus realis illius diſtantiæ.

Addi poteſt etiam in corporibus inueniri diſtantiam, non ſolùm ſecundùm vltimos terminos ſuarum quantitatum, ſed etiam ſecundùm partes: ſic enim diſtat caput à pede, & pars ſuperior corporis minùs diſtat à cælo, quàm media, vel infima; Imò vnum corpus ſecundùm ſe totum ratione ſuæ vbitatis adæquatæ diſtat ab alio toto corpore alibi exiſtente ſecundùm omnes partes eius. Ita ergo proportione ſeruata poteſt intelligi diſtantia realis inter Angelos ſine partibus, vel terminis quantitatis. Demum licèt Angelus in ſe ſit indiuiſibilis, poteſt eſſe in ſpatio diuiſibili, totus ſcilicet in toto, & totus in qualibet parte, & in quolibet puncto, ſeu termino extremo. Vnde fit, vt licèt Angelus in ſua ſubſtantia non habeat partem, aut extremitatem, at in ſua intrinſeca præſentia, vel vbitate poſſit habere terminum per habitudinem ad ſpatium, cui præſens adeſt. Quo pacto poteſt conſiderari diſtantia inter Angelos, etiam ſecundùm terminos vbitatis; ſicut è contra poſſunt duo Angeli eſſe propinqui, quia ſecundùm vltimos terminos ſuarum vbitatum ſunt immediati, ſeu contingunt ſe, vel potiùs ſunt contigui, licèt vnus non ſit penetratiuè cum alio ſecundùm totam ſuam vbitatem. 11.

Sed contra hæc obiicies ſecundò, poni talem vbitatem Angelorum diuiſibilem, habentemque partes formaliter inter ſe diſtantes, quarum vna reſpondeat vni parti loci, & altera alteri; quod non videtur dicendum. Primò, quoniam impoſſibile eſt in ſubiecto ſpirituali ac indiuiſibili prorſus ineſſe accidens extenſum in ordine ad locum, eique commenſuratum, ſiquidem hoc eſt proprium accidentis corporei. Secundò quia ſequeretur Angelum non eſſe totum in toto ſpatio, & totum in parte, ſed habere partem in parte, ac per conſequens eſſe diuiſibilem, & extenſum. Sequela probatur: nam per præſentiam, qua fit Angelus præſens toti ſpatio non fit præſens partibus: ergo aliquid Angelicæ ſubſtantiæ fit præſens toti, quod non fit præſens partibus. Conſequentia probatur: nam vbitas tota facit præſentem totam ſubſtantiam; ergo pars illius vbitatis partem ſolùm ſubſtantiæ reddet præſentem: alioquin ſi eadem tota ſubſtantia indiuiſibilis Angeli fit ſimul præſens toti ſpatio, & ſingulis partibus eius, vnum & idem vbi pariter indiuiſibile ſufficiet ad id præſtandum. 12.

Si reſpondeas ex diuiſibilitate præſentiæ non ſequi diuiſibilitatem ſubſtantiæ, ſed ſolùm eandem indiuiſibilem ſubſtantiam ſimul affici pluribus modis præſentiæ particularibus; ſicut iteratis præſentiis poteſt eadem res fieri tota præſens pluribus locis. Contrà poteſt vrgeri tertiò, quòd in primis id eſſet miraculoſum: nam vni rei vnica præſentia proportionata debetur, & cùm Angelus ſit indiuiſibilis, vni Angelo vnica præſentia indiuiſibilis reſpondebit, per quam toti ſpatio, quod eius natura determinat, fiat præſens. Deinde quartò, quia ſequeretur ex oppoſito, Angelum nullam ſibi determinare præſentiam, aut ſpatium, ſed per additionem diuiſibilium præſentiarum poſſe vbique præſentem exiſtere, vt aiebat Durandus. Proptereà Vaſquez 1. p. diſp. 188. cap. 7. 13. Vaſquez.

cap. 7. num. 50. censet vbitatem Angelicam, seu modum præsentiæ ipsius esse prorsus indiuisibilem, vehementerque miratur, aliquos oppositum docuisse.

14. Dicendum tamen est, vbitatem, seu præsentiam Angelicam, licèt ex parte subiecti sit indiuisibilis, at in se se per habitudinem ad spatium esse diuisibilem, & habere partes distinctas realiter inter se. Sic sentiunt Bubalus in hac quæst.
Bubalus. Suarez. 52. art. 1. quæsito 2. difficult. vlt. Et Suarius disp. 30. Metaphysicæ sect. 7. à num. 49. disp. 40. sect. 8. num. 12. disp. 51. sect. 4. num. 36. 3. part. tom. 3. disp. 48. sect. 1. lib. 4. de Angelis cap. 17. Probatur quia non omnis diuisibilitas, seu distinctio realis, & compositio partium repugnat accidenti spirituali (esto repugnet spirituali substantiæ) siquidem in actibus vitalibus spiritualibus datur intensio, & remissio, quæ non est sine aliqua compositione ex gradibus realiter distinctis, cùm per intensionem vnus addatur alteri, per remissionem verò separetur, dum amor v.g. naturalis amici crescit intensiuè, vel decrescit. Item in habitibus scientiarum naturalibus iuxta probabiliorem opinionem non solùm datur intensio, sed etiam extensio per ordinem ad diuersa obiecta; secundùm quam habitus est diuisibilis, & augmentabilis per realem compositionem ex partibus extensionis realiter distinctis.

15. Dices non repugnare quidem accidenti spirituali formaliter esse compositum ex entitatibus partialibus realiter distinctis, repugnare tamen huiusmodi partes sic esse distinctas inter se, vt sint etiam loco seiunctæ siue localiter distantes: nam in hoc genere compositionis inuenitur formalis extensio quantitatiua, quapropter extensio habituum dicitur virtualis, vt distinguatur ab hac extensione formali: licèt enim habitus inclinent ad conclusiones distinctas, & quoad hoc dicatur habere extensionem; nihilominùs est in se quasi virtus indiuisibiliter, & totus in eodem subiecto indiuisibili, & vbicunque est totum subiectum, est etiam totus habitus: cùm tamen modus vbitatis Angelicæ sic ponatur esse totus in Angelo, vt non sit totus vbicunque est totus Angelus.

16. Sed contrà probatur nostra sententia 2. quia cùm diuisibilitas vt sic, & compositio realis partium non repugnet accidenti spirituali vt sic, talis modus extensionis rectè congruit tali accidenti spirituali, quod est *vbi*, vel *vbitas*; imò ex huius essentia manifestè deducitur. Nam *vbitas* essentialiter est fixio in spatio: ergo dicit essentialem habitudinem ad spatium imaginarium, ac subinde vbitas, quæ facit Angelum præsentem, seu figit illum in spatio diuisibili, debet habere respectum essentialem ad spatium diuisibile: ergo debet esse diuisibile formaliter, & extensus secundùm extensionem spatij, quod essentialiter respicit: sicut enim tota vbitas est essentialiter fixio in hoc spatio, & non in alio, ita vt nec per Dei potentiam possit ab hoc spatio ad aliud transferri; sic similiter pars vbitatis debet esse fixio in hac parte spatij, à qua non possit dimoueri, & per consequens diuersis partibus spatij diuersæ partiales vbitates respondebunt, siquidem eadem debet esse ratio partium ac totius.

17. Probatur 3. nam iste modus Angelicæ præsentiæ partim conseruari potest, partim amitti, nimirum cùm Angelus, qui præsens erat toti spatio sibi connaturali retrahitur ad medietatem per mutationem, quam purè amissiuam appellamus, quia desinit esse præsens alicui spatio, quin fiat denuò præsens alteri. Similiter è contra potest Angelus, qui erat in dimidio spatio sibi correspondente, quasi protendi ad totum spatium sibi conueniens per mutationem quam appellamus purè acquisitiuam, quia noua præsentia acquiritur sine amissione præexistentis. Hæc autem fieri non possunt per integram amissionem prioris vbitatis indiuisibilis, & acquisitionem alterius; quippe talis mutatio necessariò foret indiuisibilis, seu tota simul, ac subinde non posset motus localis Angeli esse cõtinuus, quia tota præsentia simul amitteretur, vel acquireretur in instanti, & cùm non dentur instantia immediata, non posset talis amissio, vel acquisitio esse continua. Consequens autem etiam in sententia Vasquij falsum est, vt videbimus disp. 6. sed cùm Angelus successiuè moueatur, priùs est in hac parte spatij, quam in illa: ergo priùs habet hanc partem præsentiæ, quam illam: ergo habet vbitas Angeli partes distinctas realiter, & coextensas spatio diuisibili.

Et quia Vasquius suprà, & 1. part. disp. 195. 18.
cap. 3. assimilat præsentiam Angeli præsentiæ Vasquez.
sacramentali Christi Domini in Eucharistia, inde confirmatur primò nostra sententia, quia præsentia sacramentalis, licèt indiuisibiliter afficiat corpus Christi ponens totum illud in tota hostia, & totum in qualibet parte, tamen diuisibilis est in ordine ad extensionẽ specierum; si quidem fracta hostia manet Christus in dissitis partibus illius, & non per vnam indiuisibilem præsentiam, sed per plures quæ priùs erant partiales. Similiter consumpta medietate hostiæ manet Christus in altera medietate; ergo aliquid amisit præsentiæ aliquo retento; nec fingi potest quauis minima particula hostiæ diuisa, vel consumpta totam præsentiam sacramentalem amitti, & aliam miraculosè denuò produci.

Confirmatur 2. exemplo animæ rationalis, 19.
quam (licèt indiuisibilis sit) per diuisibilẽ præsentiam existere totam in toto corpore, & totam in singulis partibus ostenditur, quia sæpe nonnullas præsentiæ partes amittit, aut variat aliis conseruatis, vt cùm quiescit in capite, & mouetur in manu; sæpiùs etiam nouas partes acquirit, quas superaddit præexistentibus; vt cùm per nutritionem fit præsens nouis materiæ partibus, quas denuò incipit informare: nec enim fit denuò præsens sine noua præsentia; tum quia pariter posset dici præsens toti corpori sine modo præsentiæ distincto, cùm eadem sit ratio de toto, ac de parte; tum quia datur ibi aliqua mutatio animæ, non quoad substantiam illius: ergo quoad modum præsentiæ; nec item amittitur tota præsentia animæ, & alia denuò generatur; tum quia per se videtur incredibile per motum minimi digiti, vel papillæ, totam animæ præsentiam amitti; & aliam totalem generari, ac infinitas præsentias totales in quolibet breuissimo motu variari; tum etiam quia non posset animæ motus esse continuus, sed per mutationes indiuisibiles, & quasi discretas fieret: licèt enim admittant aliqui mutationem indiuisibilem posse fieri post instans in tempore immediatè sequenti, nihilominùs non continuaretur talis motus; quippe posita illa mutatione, quæ dicitur incipere per vltimum non esse, per istam incipiet in tempore immediato post instans aliqua præsentia indiuisibilis tota simul, vel, quod idem est, incipiet coexistendo

existendo tempori immediato post instans: ergo debet talis præsentia durare per aliquod tempus pro quo cessabit consequenter mutatio: illud autem tempus necessariò erit determinatum: nam erit clausum inter instans quod fuit vltimum non esse talis vbitatis, & instans aliquod desitionis illius, & inceptionis alterius; ac subinde fiet motus animæ per plures mutationes indiuisibiles, quarum aliquæ durent per moram temporis, in qua esset continuatio motus localis.

20. Iam ad argumentum in forma respondetur concedendo sequelam,& negando minorem, ad cuius primam probationem, iam constat subiecto spirituali non repugnare accidens diuisibile, subiecto quidem indiuisibili formaliter & actualiter, quale est punctum, non potest præsentia diuisibilis connectere,sed indiuisibilis prorsus: at verò subiecto formaliter indiuisibili, sed diuisibili virtualiter in ordine ad spatium, quatenùs potest connaturaliter quasi coextendi spatio diuisibili non repugnat, imò connaturaliter debetur præsentia diuisibilis correspondens diuisibilitati spatij.

21. Ad secundam probationem negamus sequi Angelum non esse totum in qualibet parte loci: nam vt multiplicentur loca partialia, non oportet multiplicari substantiam, quæ in pluribus illis locis collocatur,nec in partes diuidi, quamuis vbitates multiplicentur, quando substantia est spiritualis, vel ponitur ad modum rei spiritualis, vt apparet in anima rationali,& in corpore Christi sacramentaliter existente. Ratio est: nam isti modi præsentiæ, vel vbitatis licèt habeant quasi extensionem continuam in spatio etiam continuo, nihilominùs longe diuersæ rationis sunt ab extensione quantitatiua: nam hæc fit per extensionem partium subiecti: illa verò minimè, sed per replicationem, vt ita dicam, totius subiecti in diuersis locis partialibus.Item extensio quantitatiua oritur ex peculiari repugnantia, quam partes subiecti habent respectu eiusdem partis spatij: at extensio præsentiæ spiritualis oritur ex intrinseca ratione talis vbitatis, quæ dicit essentialem habitudinem ad spatium diuisibile; ita vt sicut tota præsentia figit Angelum in toto spatio, sic pars præsentiæ figat eundem in parte spatij quam essentialiter respicit.

22. Ad tertiam respondetur miraculosum fore, si eidem substantiæ plures adæquatæ præsentiæ responderent; secus si plures vbitates partiales integrantes vnicam totalem proportionatam Angeli capacitati, qui licèt sit formaliter indiuisibilis,habet tamen quasi virtualem extensionem,per quam iuxta maiorem vel minorem perfectionem propriam potest maiori vel minori spatio diuisibili coæquari. Vnde ad quartam probationem negamus Angelum nullam sibi determinare præsentiam aut spatium;cùm enim semper dicat perfectionem finitam, petit finitam sphæram spatij perfectioni substantiali proportionatam, ac subinde determinatam extensionem præsentiæ, cui nihil possit naturaliter superaddi.

* * *

CAPVT V.

Expenduntur opiniones aliorum.

PRima sententia Alensis requirentis aliquam proprietatem productam à Deo supernaturaliter in corpore, & in Angelo, vt hic sit in loco corporeo, sicut sonat intellecta videtur absurda; tum quia non apparet quid sit illa proprietas, vel ad quid; tum etiam quia videtur inde sequi non posse Angelum moueri virtute propria, nec incipere esse in loco, nisi Deo diuinitus aliquid operante circa corpus ibi existens, quod per se satis falsum apparet, & contra communem sensum sanctorum. Imò & ipsius Alensis in illa quæst. 32. & 33. Quare potiùs crediderim Alensem per illam proprietatem solùm intellexisse legem latam à Deo, vt res omnes spirituales intra hoc vniuersum corporeum contineantur, nec inde possint Angeli exire, quam diuinam ordinationem vocauit proprietatem cæli empyrei ad continendum intra vel infra se omnes Angelos, & hinc sequi putat, vt Angelus necessariò intra locum corporeum contineatur, licèt determinatio huius, vel illius loci pendeat ab alio efficienti. Hæc autem passiua continentia in Angelo non est per circumscriptionem, vt in corporibus, sed per definitam, & intimam præsentiam; ideoque nullam qualitatem, vel proprietatem ex parte Angeli requirit Alensis, si legatur attentè, sed potiùs ait spiritum ex parte sua habere quòd debeat definiri loco, & quod ita sit hic, vt non sit alibi; *& hac duo* (inquit) *conferunt esse in loco.* At in fine concludit Angelum posse dici non esse in loco; nisi quia est præsens loco sine dependentia. In quo reuera nubilcum consentit, quamuis subobscurè loquatur. 1. Alensis.

Secunda sententia dupliciter accipi potest. Primò, si dicatur Angelus esse in loco solùm ratione operationis, ita vt substantia Angeli non sit substantialiter præsens in loco, vel spatio in quo operatur, nec hoc sit necessarium, vt Angelus in tali loco dicatur existere.Sed non existimo fuisse hunc sensum illorum Doctorum, quia nec requiritur ad illorum verba capienda, nec continet vllam probabilitatem;siquidem supra cap. 1. sufficienter ostensum est ex scripturis Angelos verè ac realiter esse in corporibus, in quibus inhabitare dicuntur: sanctique sæpè dicunt, Angelos semper adesse, quando sacramentum Eucharistiæ conficitur, & offertur, dicunt etiam hunc aërem esse plenum Angelis bonis, & hos nobis adesse omnibus locis, & horis. Videantur Gregorius 4. Dialog. cap. 58. Ambrosius Lucæ 1. Hilarius in id psalmi 118. *Tu mandasti mandata tua*,& Augustinus in soliloquiis cap. 7.Quapropter ista sententia damnata fuit Parisiis ab episcopo cum Theologica facultate, vt referunt Scotus Richardus, & Gabriel: Qualiscumque verò sit auctoritatis illa damnatio, de sententia in hoc primo sensu intellecta. Facta fuit,vt indicat Henricus quodlibet. 2. quæst. 9. Accedit ratio, quia nulla causa efficiens operatur immediatè ac per seipsam, nisi in passum sibi propinquum, vel effectum, cui per realem præsentiam adsit: ergo Angelus non solùm per potentiam,sed etiam per essentiam debet esse præsens realiter vbi realiter operatur. Videantur suprà dicta disp. 3. cap. 3. 2. Gregorius. Ambros. Hilarius. August. Henricus.

Secundus

3. Secundus sensus illius sententiæ est Angelum esse in loco per actionem transeuntem, non quia sola operatio sufficiat sine reali præsentia, vt Angelus dicatur esse alicubi, nec etiam quia non possit Angelus habere realem præsentiā vbi operatur, sed quia realis præsentia, vel esse non potest sine operatione, vel quia licèt fortassis esse possit, non sufficit ad constituendum Angelum in loco sine actione transeunte. Qui sensus si locum intrinsecum comprehendat, facilè reiicitur, quia priùs natura est, Angelum esse præsentem, vel propinquum corpori, quàm in illo operari; priùs autem non pendet a posteriori: ergo nec intrinseca præsentia realis pendet ab operatione.

4. Quòd si loquatur illa sententia de loco extrinseco, velitque Angelum nullatenùs posse dici præsentem adesse in aliquo corpore vel loco corporeo, nisi operetur in illo, pariter refellitur: Nam ex Scripturis habemus, Angelos, vel animas separatas esse multis in locis, in quibus nullam inuenimus actionem transeuntem, quam operentur: etenim Angeli beati, vel animæ Sanctorum in cælo empyreo sunt, nec vllam ibi exercent operationem transeuntem, idem est de Dæmonibus in inferno; & de animabus Damnatorum. Imò nec anima Christi, quæ fuit in limbo habuit ibi transeuntem operationem in corpora, nec animæ Patrum in sinu Abrahæ detentæ aliquid operabantur circa locum corporeum; nec animæ puerorum, quæ verè dicuntur esse in limbo, aliquid agunt in corpus, nec ab illo patiuntur. Videantur Vasquius 1. part. disp. 188. cap. 2. & Suarius lib. 4. de Angelis, cap. 4. qui nonnullas euasiones præcludunt. Vasquez. Suarez.

5. Ad primum fundamentum huius sententiæ, Respondetur Damascenum dixisse duntaxat Angelum esse, vbi operatur, quod nos libenter concedimus, quoniam eget propinquitate loci ad operandum, non tamen dixisse, ideò esse in loco, quia operatur in illo. Cùm autem inquit, *Atque vt ipsius naturæ consentaneum est, operatur* illa coniunctio *atque* non coniungit particulam *quia*, quæ præcessit, vt ita reddat causam cur sit in loco; sed tantùm significat Damascenus Angelum in loco esse modo intellectuali, hoc est non secundùm contactum quantitatiuū, sed secundùm suæmet substātiæ præsentiam, & eodem planè modo operari. Quinimo lib. 1. de fide, cap. 17. fatetur ideò Angelos operari in loco, quia sunt in loco. *Nam Angelus* (inquit) *ob naturæ permicitatem, & quia promptè ac celeriter transit in diuersis locis operatur.* Ad secundum concedimus Angelum non esse in loco sine contactu aliquo, qui possit dici substātialis, quatenùs ipsamet Angeli substātia per intrinsecū *vbi* fit præsens spatio, & in hac vbitate fundatur relatio propinquitatis ad quodlibet corpus, vel etiam spiritū ibidem existētem. Damasc.

6. Si tamen ista sententia solùm velit (vt forsan volunt plures ipsius authores) Angelum dici esse in corpore tanquam in loco magis propriè, & strictè per operationem transeuntem, vel per applicationem virtutis, quàm per nudam substantiæ præsentiam & approximationem, verum dicit, & in hoc sensu non repugnat nobis, sed potiùs consentit cum supradictis cap. 3. n. 19.

7. Tertia sententia si dicat, aliquid aliud præter actionem transeuntem significatum per modum actionis esse fundamentum Angelicæ præsentiæ in loco, facilè refellitur, quia vel est aliqua operatio immanens voluntatis, vel intellectus Angelici (nam alterius facultatis esse non potest) & ita vel coincidit cum quarta sententia, quæ per actum peculiarem harum facultatum constituit Angelum in loco, de quo infrà, vel per quamcunque operationem immanentem vult Angelum fieri præsentem loco; & hoc impugnatur: nam Angelus existens in cælo custodit nos in terra sola mentis attentione, affectuque voluntatis, vt docet S. Thomas in 2. distinct. 11. quæst. 1. art. 4. ad 5. Illa ergo custodia, & quasi actio præsidendi non constituit Angelum in terra: nam alioqui cùm attendere posset ad vniuersum orbem in toto se posset collocare, quod est absurdū, vel demùm illa habitudo significata per modum actionis est relatio; & hæc si ponatur in Angelo transcendentalis ad spatium imaginarium, fatemur esse præsentiam, & intrinsecam vbicationem Angelorum: Si verò ponatur prædicamentalis ad corpus, supponere debet aliquod fundamentum pro cuius variatione mutetur immoto termino; nec istud fundamentum potest esse aliud quàm intrinsecum *vbi*. Videatur Suarius suprà cap. 5. qui sigillatim refellit omnes modos operationum, quos assignat ista sententia. S. Thomas.

Ad fundamentum istius sententiæ Respondetur eiusmodi operationem, quæ non distet à loco entitatiuè, sive quæ petat propinquitatem Angeli ad corpus, esse quidem operationem, & hanc esse signum a posteriori Angelicæ præsentiæ in tali loco, non verò esse rationem formalem, vel fundamentalem talis præsentiæ. Poterit quidem dici ratio, cur Angelus strictè denominetur esse in tali corpore tanquam in loco iuxta suprà dicta cap. 3. num. 19. Sed nec hoc est extendendum ad illos modos operationis, scilicet custodiæ, præsidentiæ, ac similes qui possunt circa corpus distans versari, vt visum est. 8.

Quarta sententia si loquatur de propria Angelorum præsentia improbatur: nam illa virtutis applicatio, prout ab actione transeunte distinguitur, & est aliquid præuium ad illam, vel non est aliud ab indistantia, seu præsentia substantiali, vel si quid addit, nihil ad existentiam in loco conferre potest: in rebus enim corporeis inter virtutem, & actionem nihil præuium requiritur ex parte virtutis per modum applicationis, nisi propinquitas inter agens & passum necessaria, quæ relatio fundatur in vbitatibus intrinsecis, & determinatis agentis & passi: ergo si proportionaliter loquendum sit de Angelo, & corpore, applicatio virtutis Angelicæ ad corpus nihil aliud est, nisi constitutio Angeli in tali spatio, per suam intrinsecam vbicationem, quæ fundare possit relationem propinquitatis ad corpus ibi existens. 9.

Quòd si requiritur vlteriùs in Angelo, quoniam est agens liberum, actus intellectus & voluntatis, hic certè necessarius erit ad applicandam potentiam motiuam Angeli circa corpus, non tamen ad hoc vt absolutè dicatur esse præsens, vbi hanc applicationem habuerit, & non alibi: nam Angeli sancti verè sunt præsentes in cælo empyreo, in quo non solum non operantur, sed nec habent voluntatem operandi quidquam circa illud: quid enim nisi motum aut vel non possunt propriis viribus mouere illud, vel & si possent physicè, moraliter tamen supposito diuino decreto de immobilitate talis cæli non possunt. Fingere autem in Angelis beatis actum conditionatum ex parte obiecti, scilicet volitionem 10.

nem mouendi cælum, si Deus permisisset, otiosum est & impertinens, imò absurdum esset hunc actum in illis postulare, vt in cælo empyreo esse possint. Idem est de animabus sanctis in cælo; De Dæmonibus, & damnatis in inferno existentibus; & de animabus Patrum, vel puerorum in limbo.

11. Cæterùm si talis applicatio virtutis dicatur esse necessaria solùm vt Angelus dicatur esse strictè in corpore tanquam in loco extrinseco; non erit multùm cum Caietano de nomine contendendum: siquidem ipsemet fatetur adhuc istam denominationem ab applicatione virtutis desumi incompletè: nam completè desumitur ab operatione transeunte; & quidem iam per illam applicationem virtutis aliquid habet amplius Angelus respectu corporis in quo vult operari, quàm per solam substantiam suam cum intrinseca vbitate: iam enim consideratur in actu primo proximo respectu potentiæ receptiuæ passi, quòd solùm probat fundamentum huius sententiæ cum sua confirmatione.

12. Quinta sententia quatenùs constituit veram vnionem realem Angeli cum corpore cui assistit, nunquam mihi potuit placere. Primò quia non potest intercedere inter aliquo duo realis vnio, nisi resultet ex illis aliquid realiter vnum: Sed ex Angelo, & corpore non fit aliquid realiter vnum; ergo nulla potest esse talis vnio. Maior constat ex terminis: nam vnio est quasi via ad vnum, nexus & vinculum inter vnita. Quare si est realis, & physica (de hac enim loquimur, non de intentionali, vel per affectum) debet aliquid realiter, & physicè vnum ex illa resultare. Minor probatur, quia nec fides docet, nec ratio naturalis assequitur, quale sit hoc vnum, quod ex Angelo, & corpore resultat, præter aggregatum quoddam duarum substantiarum simul positarum; sicut nec potest concipi qualis sit illa vnio, quæ nec est materiæ cum forma, nec accidentis cum subiecto, nec naturæ cum supposito, nec partis cum parte. Ad quod solùm respondet Vasquez esse quandam coniunctionem Angeli cum substantia corporis, non prout hic aut ibi existit, se secundùm se, quæ est propria rerum spiritualium. At per hoc nullatenus explicatur illa vnio, sed nuda assertio reperitur, ideo quæ non videtur argumento satisfieri.

13. Secundò quoniam ad realem Angeli præsentiam in corpore, vel circa illud non est necessarius talis modus vnionis: ergo ponitur frustra. Consequentia constat tum ad hominem: nam illam vnionem introducit Vasquius solum vt ratione illius possit Angelus dici præsens huic corpori magis, quàm alteri, tum simpliciter, quia si præsentia potest dari sine tali vnione, sufficit præsentia quidem, vt Angelus verè dicatur esse hic, vel in terra, vel in simili loco. Antecedens probatur, quia si duo corpora in eodem spatio extensa diuinitus penetrentur, habent mutuam præsentiam realem cum indistantia substantiarum, & quantitatum sine speciali vnione inter illa: ergo ad hanc præsentiam sufficit ex parte vniua extremi proprius modus vbitatis in tali spatio, qui modus in singulis corporibus est absolutus respectu alterius, & ab illo independens, in quo differt à proprio modo vnionis: ergo eadem mutua præsentia inter Angelum, & corpus sufficiet, vt Angelus dicatur esse circa corpus, & supposita perfectione Angeli, ratione cuius apprehenditur instar formæ assistentis dicatur esse in corpore.

14. Tertiò, quia modus præsentiæ & modus vnionis ex natura rei distinguuntur, atque præsentia ex natura rei est prior, vnio verò posterior, quæ sine præsentia esse non potest, licèt econtrariò præsentia possit esse sine vnione: Sed in Angelis necessarius est prior modus præsentiæ independens ab vnione: vt ostendimus cap. 3. ergo superfluè additur vnio, siquidem sine vnione sufficienter saluantur omnia, quæ de loco & motu Angelorum & ex Scriptura, Patribus, & ratione colliguntur. Maior & consequentia patent. Maior etiam constare potest exemplo corporum se penetrantium: nam in illis datur mutua præsentia sine vnione, quod est sufficiens signum distinctionis, vel prioritatis, saltem in subsistendi consequentia. E contra verò nunquam inueniuntur duo corpora, vel duæ res physicæ inter se vnitæ, quin priùs supponantur mutuò sibi præsentes & propinquæ; sicut enim ad agendum prærequiritur approximatio vt conditio necessaria, ita multò magis vnio realis, quæ magis intrinseca est, intimam præsentiam localem præsupponit.

15. Ad primam huius sententiæ probationem dato antecedenti negatur consequentia: nam oporteret talis vnionis necessitatem demonstrare, quæ certè nulla est; cùm enim dicitur nihil aliud superesse, quo possit Angelus in loco constitui, facilè negatur: nam vbitas ipsamet Angeli est modus Angelicæ substantiæ, & non est vnio iuxta supra dicta, sufficitque constituere Angelum præsentem spatio, imò & denominare illum existentem in corpore propinquo, cui adsit; imò videtur illud antecedens negandum, quia propter supradicta talis vnio censetur impossibilis, saltem per naturalem potentiam creaturarum, & ordinariam Dei, quod satis est ad eneruandum argumentum quidquid sit de potentia Dei absoluta.

16. Ad secundam respondetur transitum Angeli ab extremo ad extremum sine medio, vel non esse possibilem naturaliter, vel si probabiliter admittatur, posse rectè sine tali vnione defendi, de quo dicemus disput. 6. cap. 5. Ad tertiam dicimus præsentiam Angeli in maiori vel minori loco per modum vbitatis intrinsecæ sufficienter declarari, de quo dicemus infra cap. 8.

17. Sexta sententia nobiscum videtur sentire quoad nostram primam & secundam conclusionem positam cap. 3. nec enim excludit modum præsentiæ, siue vbitatem intrinsecam, sed solam operationem transeuntem, vel applicationem virtutis, vtpote non necessariam ad hoc, vt Angelus verè dicatur esse hic vel ibi. Pro cuius declaratione noto dupliciter intelligi posse Angelum esse in loco per suam substantiam, primò tanquam per proximam rationem formalem constituentem Angelum alicubi. Secundò tanquam per proximum fundamentum, & subiectum illius rationis formalis, quæ determinat Angelum ad talem locum, ibique constituit eundem. Igitur Doctores huius sententiæ non dicunt substantiam Angeli, prout talis est, esse rationem ipsam formalem proximam existendi in loco, sed esse proximum fundamentum illius; ac subinde sentiunt vbitatem Angelicã aliquid addere substantiæ Angelorum, quod illam informet, &

& afficiat. Æquiparant enim substantiam Angeli quantitati corporis, & dicunt Angelum ita esse in loco per suam substantiam, sicut quantitas est in loco per suam quantitatem: At quantitas non est proxima ratio constituens corpus alicubi, sed est proximum fundamentum vbitatis externæ. Sic ergò censent Angeli substantiam esse proximum fundamentum vbitatis intrinsecæ distinctæ realiter modaliter, per quam formaliter, & intrinsecè Angelus existat in loco. Nec amplius probat ipsorum ratio. Confirmatio verò solùm impugnat sententiam præcedentem.

CAPVT VI.

An plures Angeli simul esse possint in eodem loco.

1. S. Thomas. Caietan. Capreolus. Ferrara. Bonauent. PRima sententia negat, ita S. Thomas hic art. 3. quem sequuntur Caietanus ibi, Capreolus in 2. distinct. .2. quæst. 1. artic. 1. conclus. 4. Ferrara 3. contra Gent. cap. 68. & Thomistæ communiter. Præterea Bonauentura in 2. dist. 2. p. 2. a. 2 q. 4. Probat sanctus Thomas primò, quoniam vnius effectus vna causa duntaxat esse potest, vt patet in omni genere causæ (loquitur autem de causa proxima) cum ergo applicatio virtutis constituat Angelum in loco, & talis applicatio non possit esse nisi ab vno; fit vt in vno loco vnicus Angelus existere possit: nam si nonnunquam accidit eundem effectum esse à pluribus causis, vt in trahentibus nauem apparet, id solùm contingit ex imperfectione monentium, quorum virtus mutuò iuuari potest: Quasi dicat id Angelis conuenire non potest, quia perfecti motores sunt.

2. Bonauent. Probat secundò Bonauentura, quia cum Angelus sit pars quædam vniuersi, ac sibinde debeat ordinem aliquem habere in vniuerso, necesse est naturaliter vnumquemque Angelum in suo loco peculiari consistere: nam si plures Angeli essent in eodem loco, perturbaretur ordo quidem vniuersi.

Richard. Probat tertiò Richardus in 1. dist. 2. a. 2. q. 4. quia, quæ sunt in eodem loco, necessariò se penetrant; vnus autem Angelus non potest Angelum penetrare.

Bassolis. Sic etiam arguit Bassolis in 2. dist. 2. q 4. a. 4. & rationem reddit, quia hoc est supra cursum, & modum naturæ.

3. Ægid. Rom. Probat quartò Ægidius Romanus in 2. dist. 2. part. 2 art. 1. quæst. 3. nam quoties plura eodem modo comparantur cum aliquo vno, non possunt simul in illo constitui; sicut duæ formæ non possunt esse simul in eadem materia, quia se habent ad illam eodem modo: ergo licèt Angelus & anima in eodem corpore, corpus & Angelus in eodem loco simul possint existere, quia diuerso modo materiam, aut locum respiciunt, duo tamen Angeli qui comparantur eodem modo cum loco, simul in eodem esse non possunt.

4. Scotus. Gabriel. Gregorius. Maior. Ochamus. Malon. Pesantius. Molina. Vasquez. Valentia. Suarez. Secunda sententia affirmat. Ita Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 8. Gabriel ibi quæst. 2. artic. 3 dub. 3. Gregorius quæst. 3. Maior quæst. 1 Marsilius in 2. quæst 2. artic. 2. num. 8 Ochamus quodlib 1 quæst. 4 Malon. in 2. distinct. 8. disput. 13. Pesantius in hac quæst. 52. artic. 1. Molina ibidem, Vasquius disput. 19. cap. 4. Valentia tom. 1. dispur. 4. quæst. 3. punct 4 Suarez lib. 4. de Angelis cap. 9. & plures Thomistæ, et adhibeant suæ sententiæ limitationes, vt ferè cum ista coincidant. Probatur primò: nam Angeli substantia, vel vbitas, aut existentia in loco non magis impedit aliam Angelum quam corpus illum impediat: sed vnus Angelus potest esse simul cum aliquo corpore in eodem loco: ergo etiam cum alio Angelo, parique ratione cum omnibus simul. Probatur secundò: nam ex opposito sequeretur, quòd me existente intra sphæram, in qua Custos meus adsit, Dæmon non posset ad me tentandum accedere, nisi prius depellat Angelum custodem, aut nisi priùs ille recedat quod non videtur verisimile: simul enim Angelus malus tentando, & bonus adiuuando incitare me possunt ad diuersa.

In hac re si loquamur de loco intrinseco in ordine ad spatium imaginarium, certum est duos Angelos non posse simul esse in eodem spatio per eandem vbitatem, & quoad hoc non posse formaliter constitui simul, hoc est per eandem formam modalem. Nam vbitas Angelorum est modus intrinsecus ipsorum, de cuius essentia sicut & aliorum modorum est actualiter afficere rem modificatam: ergo idem modus vbitatis non potest substantias omnino distinctas modificare, sed diuersæ vbitates in diuersis Angelis requiruntur; sicut etiam duo corpora se inuicem penetrantia in eodem spatio semper habent proprias vbitates intrinsecas, distinctas, & separabiles; quippe si vnum corpus inde remoueatur, & alterum maneat, illud amittit vbitatem, quam habebat ibi, & alterum retinet suam vbitatem. Quod idem contingit in Angelis. 5.

Iam dico primò per distinctas vbitates possunt plures Angeli simul existere in eodem spatio imaginario. Ita Doctores secundæ sententiæ, nec videntur dissentire omnes Auctores primæ. Sic etiam Albertus in 1. dist. 37. artic. 25. dixit posse plures Angelos esse simul quoad substantiam, licèt non quoad operationem. Probatur a priori, quia duo Angeli non excludunt se naturaliter ab eodem spatio ratione suæ substantiæ, nec ratione modi quo figuntur in spatio: ergo non est cur repugnet naturaliter esse in eodem spatio, si velint; Consequentia patet, quia non potest alia ratio repugnantiæ cogitari. Antecedens quoad priorem partem ostenditur, quia sola quantitas est ratio depellendi substantiam alteram ab eodem spatio; quapropter Angelus potest naturaliter esse simul penetratiuè, vel intimè cum corpore in eodem spatio, quia quantitatem non habet: ergo multò minùs duæ substantiæ Angelicæ pugnabunt inter se in eodem spatio, cùm neutra ipsarum habeat quantitatem. 6. Albertus.

Quoad secundam partem ostenditur, nec ratione modi existendi repugnare: nam vt Angelus sit in eodem spatio cum aliis, nullum alium modum requirit, nisi quòd habeat suam intrinsecam vbitatem indistantem ab vbitatibus aliorum. Sed vnusquisque Angelus per se spectatus potest habere hanc simultatem cum vbitatibus intrinsecis aliorum, & ipsæmet vbitates Angelicæ non habent inter se specialem repugnantiam: ergo non repugnat, vt simul habeant suas vbitates in eodem spatio. Maior & consequentia patent: Minor probatur: nam etiam in corporibus, quæ possunt esse simul, videlicet in quantitatibus existentibus in eadem quantitate dantur plures vbitates in eodem parte: ergo a fortiori in Angelis, quorum vbitas est 7.

spiritualis

spiritualis non repugnabunt simul duæ præsentiæ respicientes idem spatium.

8. Confirmat hoc Valentia ex multitudine, ac perfectione Angelorum: cùm enim sint innumerabiles, & omnes existant intra hunc vniuersum, vt diximus c. 5. n. 1. & prætereà sint ita perfecti, vt debeamus credere magnum aliquod spatium à singulis Angelis occupari, consequenter existimandum est, eos ferè semper existere plures simul in eodem spatio, præsertim cùm de loco ad locum mouentur per spatia in quibus existunt alij. Notat verò nunquam contingere, vt plures Angeli sint simul in vno aliquo spatio, quod sit omnibus illis, imò nec illorum duobus adæquatum: semper enim alteri eorum erit inadæquatum, quia cùm omnes Angeli de facto producti specificè differant, vt vidimus disp. 2. c. 2. inæquale subinde spatium singulis adæquatè respondebit.

9. Quòd si comparemus Angelum non solùm ad spatium imaginarium, sed etiam ad locum extrinsecum corporeum: iuxta primum sensum proprium quidem, sed latum existendi in corpore tanquam in loco relatum suprà c. 3. n. 19. Dico secundò posse plures Angelos existere simul in eodem corpore. Sic etiam tenent Doctores secundæ sententiæ, nec repugnat S. Thomas, aut eius sectatores. Hoc probant fundamenta secundæ sententiæ; & prætereà confirmatur primò ex Scriptura Luc. 8. narrante legionem Dæmonum extitisse simul intra corpus hominis vnius. Vnde colligunt aliqui Patres Angelos non esse corporeos, quia necessarium fuit tantam multitudinem spirituum penetrari cum partibus corporis. Similiter ergo colligimus nos in præsenti vel omnes, vel plures illorum Dæmonum fuisse simul quasi sese inuicem penetrando in eisdem corporis partibus, & cum illis. Fingere quippe singulos illorum Dæmonum fuisse in partibus distinctis illius corporis valdè voluntarium est, & incredibile, cùm necessarium non sit, nec probabili nitatur fundamento. Confirmatur secundò: nam omnes illi Dæmones, in quacunque parte corporis essent, existebant simul cum tota anima: ergo etiam plures illorum inter se poterant esse simul in eadem parte corporis.

10. Ratio à priori sumitur ex suprà dictis c. 3. n. 19. nam in isto sensu quo loquimur, Angelus dicitur esse in corpore tanquam in loco per solam præsentiam suæ substantiæ indistantis à corpore. Sed vt vidimus conclusione 1. plures Angeli possunt habere suas vbicationes intrinsecas [illegible] eodem spatio, in quo sit præsens etiam [illegible] corpus aliquod [illegible] cùm huius quantitas [illegible] obsistat quantitati, non spiritui: ergo plures Angeli verè dici possunt existere in eodem corpore. Proportionaliterque possunt huc applicari quæ suprà num. 8. diximus ex Valentia, qui de loco etiam extrinseco loqui videtur.

11. Dicunt aliqui, licèt probetur hanc coëxistentiam Angelorum in eodem loco non repugnare, tamen esse superfluam, ideoque licèt in Angelis non desit potestas ad sese simul constituendos, deesse quidem voluntatem, ideoque de facto nunquam poni simul, quia superflua foret talis coëxistentia. Ceterùm hoc equidem est in quæstione de facto dubioare. Quapropter in nostra conclusione de sola potestate sumus locuti, asserimusque posse Angelos velle talem coëxistentiam: nam eo ipso quòd istud obiectum habeat rationem entis, & possibilis, potest Angelus illud velle saltem ad ostensionem potentiæ suæ.

An verò de facto nonnunquam id velint Angeli, effectus est contingens, & nobis occultus, nihilominus ex Scriptura probabiliter colligitur, malos Angelos interdum id velle, & facere, siquidem plures obsident eundem hominem: Vnde potest inferri, sæpius id facturos, si permitterentur, quia voluntatem habent deprauatam, ideoque nihil curant an sit superfluum, vel otiosum. Prætereà possunt id facere ad terrorem, & ad ostendendum odium, vel etiam vt variis modis noceant, vel ad nocendum dispositi sint, & applicati. Bonos etiam Angelos verosimile fit, coëxistentiam istam multorum in eodem corpore cùm sit obiectum de se indifferens, aliquando velle propter finem honestum, vt si Angelus custos alicuius personæ sit intra ipsam, & alius quasi speciali legatione mittatur ad eandem, totum corpus huius vbitas occupabit, quamuis alius ibidem simul existat. Multi quoque sanctorum Angelorum sacerdoti celebranti assistunt, vt docent Chrysostomus homilia in Encæn. Ambrosius Luc. 1. & Gregorius 4. Dialog. cap. 58. 12.

Chrysost. Ambrosius. Gregor.

Si verò loquamur in secundo sensu magis proprio, & stricto, quo Angelus dicitur esse in corpore tanquam in loco per operationem, vel applicationem virtutis, Dico tertiò non solùm supernaturaliter possunt plures Angeli simul esse, quoniam, vt docuimus lib. 2. physicorum idem effectus potest à pluribus causis totalibus eiusdem generis simul efficienter causari, sed etiam naturaliter possunt simul operari circa idem corpus, ac subinde præcisè & strictè dici præsentes in illo. Sic docent non solùm Doctores secundæ sententiæ, sed etiam Ferrara, Caietanus, & alij, qui tamen addunt, id fore rarum. 13.

Probatur conclusio primò, quia cùm motus localis magis ac magis incitari possit in infinitum, omnisque virtus motiua creata sit finita, nec possit sine termino velocitatem motus augere, certè dari poterit tanta velocitas motus in aliquo mobili, quantam vnicus Angelus non possit efficere: ergo ad illam efficiendam occurrere debent plures Angeli simul, ac subinde ratione talis operationis erunt multi simul naturaliter in eodem corpore tanquam in loco. Probatur secundò: nam etiam in motu, qui possit ab vnico motore causari, cùm Angeli liberè moueant, possintque plus, vel minus applicare vim suam ad operandum, contingere potest vnum Angelum iam remissè vim applicare ad productionem alicuius effectus, vt adiutorium, & cooperationem immediatam alterius Angeli ad mouendum idem corpus admittat; tunc autem vterque Angelus erit simul in corpore sic moto tanquam in loco. 14.

Sic nonnunquam plures Angeli mittuntur ad aliquem effectum sensibilem, vel ad ostensionem diuinæ virtutis, v. g. in Resurrectione, & Ascensione Domini duo Angeli apparuerunt, & locuti sunt; & Matth. 26. dixit Christus. *Possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum*; vel ad ostendendum maius gaudium, vt Luc. 2. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum*; vel etiam ad peculiarem honorem alicuius personæ, sicut plures Angeli ministrauerunt Christo post ieiunium, Matth. 4. & multi portauerunt, Lazarum mendicum in sinum Abrahæ, Luc. 16. Confirmatur: nam vnus Angelus producere poterit vnum motum 15.

Matth. 26. Luc. 2.

in corpore scilicet circularem, & alius alium, scilicet rectum: ergo vterque simul ratione operationis erit in eodem corpore tanquam in loco.

16. Ceterùm rarò credo contingere, vel effectum causari talem in aliquo corpore, vt nequeat ab vnico Angelo fieri, vel Angelum aduocare, vel admittere consortium alterius, quo non indigeat. Ideoque de facto rarò plures existent in eodem corpore tanquam in loco inadæquato, & forsan nunquam tanquam in loco adæquato: Locum inadæquatum appellato cum Caietano & Ferrara illum, qui non respondet toti virtuti operantis, id est, vbi Angelus cùm posset per se solùm operari totum effectum, partialiter tamen concurrit ad illum: locum autem adæquatum appello, qui totus virtuti operantis respondet, quatenùs solus Angelus operatur ibi sine consortio alterius, etsi forsan non operetur quantum potest. Addit Caietanus, cùm duo Angeli circa idem corpus diuersos causarent motus, vtrumque fore ibi tanquam in loco adæquato, non formaliter, sed materialiter, quia licèt existerent in eodem materiali corpore, non locarentur ibi ratione eiusdem operationis. Hunc modum loquendi refellunt Valentia, & Suarius supra, quia locus formalis in quo est Angelus per operationem, nō est operatio, sed corpus quod recipit duos motus: Admittit verò Valentia tunc esse plures Angelos in eodem loco formali, sed non eodem modo formali, quia per diuersam operationem, ac subinde per diuersum contactum sunt in illo. Dissensio est de solo modo loquendi; in qua non est immorandum.

17. Ad fundamentum primæ sententiæ credibile fit S. Thomam de loco solum adæquato fuisse locutum, & de facto, vt explicant nobiliores Thomistæ, consentitque Bubalus hic a. 3. quæsito 1. difficult. 1. §. 2. & constat ex exemplo, quod attulit de trahentibus nauim; Ideò quippe in motoribus corporeis sæpius contingit ex imperfectione mouentium plures homines, aut boues inadæquatè concurrere ad eundem motum, quia plura dantur mobilia, quæ non possint ab vnico motore adæquatè cieri; Cùm tamen rarò, vel nunquam occurrant Angelis corpora mouenda, quę non possit vnus ciere, huius motus vt plurimum adæquata causa erit vnicus Angelus, ac subinde in sensu stricto vnicus erit in vno corpore. Hoc tamen non obstat, quin aliquod possit dari mobile tantæ magnitudinis, aliquę motus tantæ velocitatis, vt multos Angelos requirat motores. Quin etiam si motus id non requirat, poterit Angelus non ex necessitate, sed ex libertate sibi socium assumere, nec ex imperfectionē mouentium in hoc casu, sed ex perfectione libertatis prouenient, vt plures simul causent eundem motum, & simul sint strictè in eodem corpore.

Bubalus.

18. Ad secundum respondetur Angelum cum toto vniuerso habere quidem ordinem, non situ, & loco, sed secundùm suam substantiam & naturam, hic autem ordo non tollitur, etiamsi plures Angeli collocentur in eodem spatio, vel loco: Nam ordo situalis vniuersi ex corporibus consurgit, & in illis tantùm physice attenditur; Angelis autem valdè quidem accidentarium est existere in hoc vel spatio, vel corpore, vel inter se habere, aut non habere distantiam, nec hoc ad vniuersi perfectionem spectat physice loquendo, licèt moraliter considerando loca, vt præmia meritorum, ad ordinem diuinæ iustitiæ pertinet, vt boni sint in nobilissimo loco, mali verò in infimo. Et fortasse sancti Angeli non sunt plures simul in eadem parte cæli Empyrei propter maiorem pulchritudinem, & ornatum: Secus continget in Dæmonibus, quoniam in inferno nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Interim tamen dum Angeli boni & mali versantur inter nos, nihil ad hunc ordinem vniuersi pertinet quòd in eodem spatio, seu corpore, vel in eadem parte illius, aut in diuersis existant. Hoc igitur ab Angelorum pendet voluntate, nec est de hoc peculiaris lex à Deo præscripta, quæ cum fundamento possit affirmari. Nec in hoc rectè fit æquiparatio cum lege, qua continentur Angeli in hoc mundo corporeo, talis quippe continentia pertinet ad vniuersi constitutionem, & perfectionem.

19. Ad tertium negatur minor; sicut enim Angelus potest esse simul cum anima in eodem loco, poterit simul esse cum alio Angelo: nam vbi non dantur duæ quantitates, non datur repugnantia coexistendi simul. Quòd si per penetrationem intellexit illapsum, vt putant Pelantius, & Vasquius, fatemur vnum Angelum illabi non posse alteri, imò nec alicui substantiæ, nam illapsus vltra substantialem præsentiam requirit peculiarem influxum, quo vna substantia conseruet aliam: sed vna substantia creata nequit aliam conseruare: ergo nec esse in illa per illapsum. Ad existendum autem in eodem loco simul hæc actio conseruatiua inter spiritus necessaria non est, sed sufficit intima præsentia, & indistantia quoad vbicatem intrinsecam, quæ potest dici penetratio substantialis; sicut existentia duorum corporum in eodem spatio, vel situ diuinitus facta dicitur penetratio, licet neutrum illorum conseruet alterum, nec vna quantitas aliam.

20. Ad quartum negatur antecedens, licèt enim aliqua nequeant esse in eodem loco simul eodem modo, scilicet duæ formæ substantiales in eadem materia, duo corpora quanta intra eandem superficiem; Ex his particularibus non infertur vniuersalis; nec à simili valet illatio, quia duæ formæ substantiales ideò esse non possunt in eadem materia, quoniam non sola vbicatione adsunt, sed effectum formalem materiæ tribuunt. Vnus autem effectus cū altero natura sua pugnat. Deinde duo corpora quanta non ideò repugnant intra eandē superficiē, quoniā eodem modo sunt, sed quoniam vnumquodq; illorum replet sua quantitate spatiū illud: quod autem semel ita repletum est, alio corpore quāto repleri nō potest. At Angelus ita est in spatio, vel corpore, vt nullum effectum formalem intrinsecum illi tribuat, sed adsit vbicate sola; nec sua substantia repleat, aut occupet spatium: ergo nihil obstat quominùs sit cum alio Angelo intra ambitum eiusdem spatij, vel corporis.

CAPVT VII.

An possit Angelus in diuersis omninò locis existere.

1. Vm ostenderimus c. 1. n. 9. contra Durandum, Angelum non esse vbique nec habere immensitatē, seu infinitatem vbicatis suæ, manifestè colligitur vendicare sibi determinatum, & finitum locum, seu spatium cui possit simul adesse, hūc autem locum vocamus adæquatū Angelo. Quòd si quæras quantus sit iste locus adæquatus Angelorum? Aliqui dixerunt, indiuisibilē esse, ita vt secundùm præsentiā ad corpus solùm esse possit in

in puncto indiuisibili. Fundamentum istorum fuit quoniam Angelus est indiuisibilis.

2. Contra istam sententiam dico primò; Quamuis Angelus sit substantia quædam indiuisibilis, tamen potest esse simul in loco, vel spatio diuisibili. Sic communiter Theologi Molina hic a.2.concl. 1. Vasquius disp.191.c.2 Suarius l.4.de Angelis c.11.n.qui contrariam sententiam, vt improbabilem reiiciunt. Nam vt rectè dixit S.Thomas hic a.2.) non est cogitanda indiuisibilitas Angeli ad modum indiuisibilitatis puncti: punctus enim est indiuisibilis tanquam positionem habens in continuo, id est, tanquam terminus eius, vel vltimus, vel intermedius, & ita est aliquid quantitatis carens eius diuisibilitate. Angelus autem est indiuisibilis extra genus quantitatis altiori, ac substantiali modo, ideoque non limitatur ad indiuisibile spatium. Probatur conclusio ex comparatione cum aliis extremis spiritibus: Nam Deus qui est super Angelos, indiuisibilis est, & nihilominus adest intimè præsens toti mundo, adesseťque pluribus, & maioribus in infinitum, si darentur. Anima quoque rationalis, quæ est inferior Angelis, & indiuisibilis, sicut illi, non limitatur ad indiuisibile punctum, sed per totum corpus, quod informat diffunditur, cùm sit tota in toto, & in singulis partibus eius: ergo hæc perfectio, quæ communicatur animæ cum imperfectione informandi corpus, altiori modo potuit participari ab Angelis quoad duo, scilicet quoad capacitatem huius vbicatis in loco extenso sine informatione, & quoad magnitudinem corporis in quo possint existere.

Molina. Vasquez. Suarez.

3. Vnde colligimus adæquatum Angeli locum esse determinatæ magnitudinis, vel extensionis, quæ terminetur intrinsecè sicut virtus, & perfectio cuiuslibet Angeli terminatur intrinsecè. Quantus verò sit locus maximus cuiuslibet Angeli non possumus in particulari definire, quia propriam naturam, & perfectionem singulorum non agnoscimus. Quare solùm asserimus vnum quemque Angelum quoad magnitudinem vendicare sibi certam spatij sphæram, in qua tota potest esse simul, & non in maiori, eamq; sphæram esse maiorem, vel minorem iuxta maiorem vel minorem perfectionem essentialem cuiusq; Angeli Sic etiam docent communiter Theologi. Videantur Molina suprà concl. 4. & Suarius n. 3. Ratio est, quia sicut locus est limitatus propter naturæ limitationem, ita iuxta maiorem, vel minorem limitationem naturæ quilibet Angelus determinabit sibi locum maiorem, vel minorem, siquidem proprietates commensurantur essentię, maiorque perfectio, & maior virtus requiritur ad simul applicandam substantiam indiuisibilem maiori loco; minor verò ad applicandam illam minori.

Molina. Suarez.

4. Rursus cùm possit Deus alium & alium Angelum perfectiorem essentialiter condere, consequenter est admittendum, posse dari Angelum ita perfectum, vt eius locus adæquatus sit totus iste mundus, ac subinde posset existere vbique, id est, in toto loco corporeo, qui datur de facto, neć propterea foret æqualis Deo, quia talis Angelus esset definitus ad certam loci quantitatem, quamuis magnam, quod non habet Deus. Item non esset Angelus vbique nisi quasi per accidens; Deus autem est vbique per se, nec solùm actu, sed etiam aptitudine respectu loci corporei possibilis: at respectu spatij imaginarij Deus adest infinitis spatiis, quod nullus Angelus potest connaturaliter habere. Imò de facto credendum est nullum Angelū fuisse creatū, qui toti mundo possit connaturaliter adesse: Sic enim indicat Scriptura, siquidē Luciferum, qui forsan perfectissimus est in natura, dicit cecidisse de cælo, & de omnibus loquitur tanquam de indigentibus mutatione, vt deserendo locum vnum adquirant alium: idemque magis expresè docent Patres. Congruentia sumi potest: nam Angeli creati sunt, vt partes huius vniuersi, ac per consequens vt intra illum in loco definito contineantur. Vnde fit etiam coniectura, locum maximum vnius cuiusque Angeli maximè ex inferioribus non esse nimis magnæ quantitatis.

5. Gotfredus quodlibeto 12. vt refert Bassolis in 2.dist.2.q.4.a.3. docuit Angelum nec de potentia Dei absoluta existere posse in diuersis locis: Nec rationes affert nisi parui momenti, quas soluit Bassolis ibi. Quare contra Gotfredum Dico secundò de potentia absoluta potest Deus Angelum constituere in pluribus locis adæquatis, & valdè distantibus, quod omnes ferè Theologi fatentur. Videatur Vasquez 1.p.disp.190.c.1. Probatur ex Eucharistiæ mysterio: potuit enim Deus idem corpus Christi, licet sit quantum, ponere modo non quanto, sed quasi spirituali in plurimis, & distantissimis locis sub multis hostiis consecratis, quæ simul sumptæ longè superant locum adæquatum Dominici corporis: ergo poterit etiam substantiam spiritualem modo spirituali in multis & distantibus locis adæquatis constituere. Confirmatur: nam etiam corpus quantum potest à Deo collocari simul circumscriptiuè multis in locis distantibus, vt cum probabiliori sententia docuimus in physicis: ergo in Angelis multò certius id esse debet.

Gotfredus. Bassolis. Vasquez.

6. Ratio reddi potest, quia si consideremus potentiam productiuam vbitatis intrinsecæ, licet finita sit in Angelis, in Deo tamen est infinita, si verò consideremus capacitatem quasi passiuam Angeli naturalis quidem capacitas limitata est, obedientialis tamen non habet terminum, sed subiacet voluntati Dei, pro cuius nutu potest recipere quamlibet vbitatem etiam maiorem maxima sibi debita naturaliter. Si denique consideremus distantias locorum, nulla sequitur contradictio ex hoc quòd eadem res in locis dissitis constituatur, vt in philosophia, & in materia de Eucharistia latiùs ostenditur. Quod etiam procedit in illo modo stricto existendi in corpore tanquam in loco per operationem: licèt enim ponamus Angelum esse in vno loco operando quantum potest, nihilominus potent facere, vt in alio loco eundem, vel alium effectum operetur, vt instrumentum diuinum eleuatum; sicut credimus Christi corpus in Eucharistia multa supernaturaliter operari.

7. Dico tertiò, Angelus non potest naturaliter existere simul in pluribus locis adæquatis, quorum scilicet quisque sit maximus in quo Angelus esse potest. Ita communiter Theologi. Videturque ista conclusio ex terminis ipsis constare, dum enim Angelus habet vnum locum sibi adæquatum, non est capax naturaliter maioris loci: ergo nec alterius loci: nam illa duo loca simul sumpta excedunt maximum. Quare nec continuè siue per modum vnius potest Angelus existere citra terminum sui loci maximi, vel adæquati: Quippe repugnantiam inuoluit, quòd sit maximus, & possit naturaliter augeri: ergo multò minùs poterit Angelus esse citra terminum illum in alio loco distanti: nam

hæc & includit eandem impossibilitatem augendi maximum locum, & addit difficultatem existendi in locis disiunctis. Quæ ratio non solùm probat non posse naturaliter Angelum esse simul in pluribus locis adæquatis, sed etiam probat non posse simul esse in vno loco adæquato & in alio inadæquato, siue propinquo, siue distante, vt facilè consideranti patebit.

8. Restat difficultas de locis inadæquatis, qualia dici possunt. Primò, quæ partialia sunt, etiamsi sint inter se continua, vt sunt partes aeris replentis hoc cubiculum, si ponamus illum esse locum adæquatum Angeli, nec est dubium quin sic existat Angelus in pluribus locis inadæquatis, cùm sit totus in toto cubiculo, & in quauis parte illius. Sola manebit quæstio de nomine, an dicenda sint absolutè plura loca, quæ non sunt diuisa? De quo non est concedendum. Secundò, dici possunt plura loca inadæquata illa, quæ sunt discontinua, propinqua tamen, seu contigua quod contingit in locis extrinsecis corporis vt est aër contiguus aquæ, vel terræ: Et sic etiam potest Angelus existere simul in pluribus corporibus contiguis integrantibus (vt sic dicam) lo-
Bassolis. cum adæquatum Angeli, vt docent Bassolis su-
Gregor. prà, Gregorius in 2. distinct. 2. quæst. 3. Vasquez
Vasquez. 1. part. disp. 190. cap. 3. Molina suprà concl. 5.
Molina. Si enim Angelus sit in tota ciuitate simul, erit equidem in singulis domibus, & consequenter in singulis corporibus quæ in vrbe sunt contigua. Ratio est, quia tunc distinctio, vel continuitas corporum nimis est accidentalis respectu Angeli, siquidem eandem propinquitatem habent ad illum, & ex parte Angeli datur vnum vbi quasi continuum, etiamsi corpora discontinua sint.

9. Tertio modo dici possunt loca Angelorum inadæquata, quæ sint disiuncta protsus, ita vt et tamen ipsorum sit adæquatus, nec ex omnibus simul resultet maior maximo Angeli loco. Quo
Caietan. pacto posse Angelum esse simul in pluribus locis
Ferrara. inadæquatis sentit Caietanus hic art. 2. tribuitur
Marsilius etiam Ferraræ 3. contra Gent. cap. 68. & Marsilio in 2. art. .. conclus. 7. Addit Caietanus hoc solùm fieri posse intra certam latitudinem, cuius mensuram ignoramus; ne dicamus virtutem Angeli vel ad operandum, vel ad constituendum se in loco posse naturaliter in quamlibet distantiam sine termino diffundi.

10. Probatur hæc sententia, quoniam hoc non videtur superare naturalem virtutem Angeli: Quamuis enim repugnet operari Angelum vbi non adest; at esse, & operari in diuersis locis intra certam mensuram nihil absurdi videtur habere: Nam quòd Angelus existens in corpore quatuor palmorum, relinquat in eo duos palmos, & retinens alios duos incipiat occupare duos spatij palmos in corpore distanti, vel quòd relinquens palmos intermedios retineat duos extremos,
Dion. Cist. (quod affirmat expressè Dionysius Cisterciensis in 2. distinct. 6. quæst. 1. art. 1. conclus. 6.) non videtur excedere virtutem, quæ quatuor palmos poterat occupare. Similiter quòd Angelus potens assumere corpus maius assumat duo minora, & in vtroque simul appareat, cur repugnet.

11. Confirmatur, & declaratur: nam Angelus naturaliter est totus in toto corpore, & totus in quauis parte illius: ergo sicut potest esse naturaliter in pluribus locis partialibus continuè, sic poterit discretè. Probatur consequentia: nam Angelus non est in corpore informando illud, vt ideò requirat aliquam indistantiam corporum inter se, alioquin etiam continuitatem in corporibus postularet, quod non est dicendum, vt vidimus num. 8. Nec etiam apparet essentialis ratio dependentiæ præsentiarum substantialium in partibus extremis à præsentia in partibus medijs, vel à continuatione cum illa: ergo poterunt conseruari sine illa; & consequenter poterit Angelus existere in locis partialibus discretis intra sphæram saltem spatij sibi adæquati.

Opposita sententia docet Angelum nullo modo posse existere in locis distantibus etiam intra 12.
sphæram spatij sui. Sic communiter Recentiores
Molina in hac quæst. 52. art. Pesantius ibi, Vas- Molina.
quez disput. 190. Suarez lib. 4. de Angelis cap. Pesantius.
10. Bubalus hic art. 2. quæsito 2 difficultate 1. Vasquez.
Malonius in 2. distinct. 8. disput. 10. Tribuitur Suarez.
sancto Thomæ hic art. 2. Alensi 2. part. quæst. Bubalus.
32. membr. 3. Bonauenturæ in 2. distinct. 2. p. Malonius.
2. art. 2. quæst. 2. Richardo ibi art. 2. quæst. 3. S. Thom.
& in 1. distinct. 37. artic. 2. quæst. 3. Argentinæ Alensis.
ibi quæst. 1. art. 2. Sed certè sanctus Thomas Bonauent. Richard. Argentina.
& alij veteres non distinguunt satis de locis adæquatis vel inadæquatis; imò rationes illorum magis indicant plura solùm adæquata loca Angelis denegari, de quo non loquimur in præsenti.

Quoad loca tamen inadæquata probant primò 13.
à priori Malonius & Suarius: Nam omnis substantia creata eo ipso quod vna sit & finita determinat sibi locum non solùm quoad quantitatem vel extensionem, sed etiam quoad vnitatem. Quare sicut naturaliter esse non potest, nisi in tanto loco. Sic etiam naturaliter esse non potest nisi in vno loco, quantumuis paruus ille sit. Sed substantia Angeli est vna finita, & limitata: ergo determinat sibi naturaliter locum quoad extensionem, & quoad vnitatem illius. Confirmant
Ochamus quodlib. 1. quæst. 4. & Molina suprà: Ochamus.
nam anima rationalis, etsi tota sit in toto cor- Molina.
pore, & in qualibet parte ipsius, tamen non potest informare, vel occupare partes extremas, scilicet caput & pedes, quin etiam existat in intermediis, scilicet in pectore, visceribus, & cruribus: ergo similiter Angelus non poterit esse in partibus distantibus quin simul existat in intermediis.

Probatur secundò ab inconuenienti, quia si 14.
posset Angelus esse simul in duobus locis inadæquatis simul distantibus, posset pariter in illis existere, licèt plus distarent, quàm partes loci maximi, & adæquati tali Angelo, quamuis distantia crescat in infinitum. Consequens non videtur credibile: ergo nec antecedens. Sequela probatur: nam eo ipso quòd duo loca partialia naturaliter non petunt inter se continuari, nec pendent a loco medio, nec a præsentia in illo, impertinens esse videtur, quòd distantia inter talia loca sit maior vel minor; vel à contrario si loca illa possunt esse dissita, non est cur certam propinquitatem inter se requirant, siquidem nullam inter se causalitatem, vel dependentiam habent: ergo quantumcunque distent, poterit Angelus in illis simul esse. Minor autem ostenditur: nam aliàs de facto possent Angeli boni simul esse in cælo, & in terra, Dæmonésque simul possent esse in inferno, & in hoc aëre, quod est contra communé sententiam PP. & Theologorum: nam
Damascenus 2. de fide cap. 3. ait *Angelos vbi im-* Damasc.
peratum fuerit illis, spiritualiter adesse & operari,
nec

nec in eodem tempore hic, aut illic esse atque operari Didymus. *posse*. Idem ferè docet lib. 1. cap. 7. Vnde Didymus lib. de Spirito sancto non longè à principio probat Spiritum sanctum non esse creaturam, quia simul adest hominibus in extremis terræ distantibus, quod est prorsus alienum ab Angelica natura. Similiter loquuntur Theologi de Dæmonibus, qui versantur inter nos. Dicunt enim dispensari cum illis, vt pro tunc in inferno non sint quoad præsentiam realem. Eodem sensu dicuntur Angeli definiri, vel circumscribi loco, vt cap. 1. visum est, quatenùs scilicet esse nequeant extra terminos vnius loci continui, quia si posset esse simul in pluribus locis, non diceretur vnico definitus. Alia referuntur huius partis fundamenta minoris momenti.

15. Si sermo sit de loco intrinsecò vel vbitate Angelorum; Dico quartò verisimilius esse propter fundamenta secundæ sententiæ, non posse Angelum existere substantialiter in pluribus locis, etiam inadæquatis extra sphæram sui spatij adæquati, hoc est, si spatium Angeli sit vna leuca, non poterit existere simul in locis distantibus inter se duas leucas, licèt ipsa loca, vel spatia, quæ occupantur ab Angelo leucam non adæquent: hoc enim videtur conuincere limitatio substantiæ Angelicæ. An verò intra eandem spatij sphæram quàm Angelus naturaliter occupat, possit naturaliter deserere partes intermedias manens substantialiter præsens in ex- Gabriel. tremis? vtraque pars videtur probabilis, seu po- Scotus. tiùs neutra conuincere, vt docet Gabriel in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 3. dubit. 3. & Scotus ibidem quæst. 7. *quia non videtur* (inquit) *ratio necessaria pro, nec contrà*. Nam ad fundamentum primæ sententiæ respondebit 2. limitationem, & vnitatem Angeli obstare quo minùs possit in locis

16. dissitis quomodolibet simul existere.

Ad fundamentum secundæ sententiæ posset respondere prima, licèt Angelus sit vnus & limitatus, nihilominùs totum esse simul in pluribus locis partialibus continuis, vel contiguis: cur ergo non poterit esse pariter in pluribus partialibus distantibus. Vnitas enim, & limitatio Angeli solùm arguit limitatam & vnicam sphæram, adæquatam tamen Angelo correspondere; quod autem intra talem sphæram semper sit Angelus in spatio continuo, nec possit in partibus distantibus remanere, nihil est quòd conuincat. Ad confirmationem dicetur exemplum esse valde dissimile: corpus enim non potest viuere, nisi continuè informetur anima, & sit vnum per se integrale viuum: Falsum autem est Angelum sic assistere loco, ac si informaret ipsum: nec enim habet vnionem physicam cum illo, nec subinde facit vnum per se cum loco vel spatio, vt suprà

17. visum est.

Ad secundum posset negari sequela: nam eo ipso quòd Angelus determinet naturaliter sibi talem, aut tantam sphæram spatij, non potest ad vlteriorem accedere, nisi deserendo priorem. Quod autem intra suam totam sphæram existens deserat partes intermedias retinendo extremas, non videtur absurdum: nam adhuc dicetur Angelus definiri, vel circumscribi tali modo intra sphæram adæquatam spatij sibi proportionati: At in illis locis discretis, cùm nullus eorum sit adæquatus, non est mirum quòd nec diffinitiuè, nec circumscriptiuè sit Angelus in singulis: sic enim Angelus existens in tota domo tanquam in loco adæquato, etiam est in hoc cubiculo, & in alio, & sic de cæteris, & tamen in nullo illorum est definitiuè. Quòd si dicatur esse in singulis cubiculis definitiuè partialiter, seu tanquam in parte loci quo definitur, similiter in illo casu diceretur Angelus esse in vno quoque illorum locorum tanquam in parte loci adæquati, quo definiretur: nam talis locus componeretur tunc ex pluribus locis partialibus, licèt discretis, quatenùs intra sphæram vnius adæquati spatij continerentur. 18.

Viget Ægidius Romanus in 1. dist. 37. part. 2. Ægid.Rom. art. 1. quæst. 2. quia qua ratione posset Angelus esse in duobus locis distantibus, esse posset in tribus, & sic in pluribus in infinitum. Sed distingui potest sequela: nam vel est sermo de multiplicatione locorum æqualium in magnitudine determinata, & sic negatur illatio, quia tandem peruenietur ad numerum finitum & maximum, qui possit intra sphæram adæquati spatij contineri. Vel est sermo de multiplicatione locorum inæqualium proportionaliter multiplicando locum quasi per diuisionem continui secundùm partes proportionales; & sic concedi potest illatio, quia non sequitur inde virtutem Angeli simpliciter esse infinitam, sed quòd finita sit, virtualiter verò quasi diuisibilis in infinitum per coëxistentiam ad corpora. 19.

Instat Molina, quia sicut lumen deriuari nequit à sole in partem extremam spatij nisi per mediam in qua lumen maneat; ita nec Angelus potest transferre suam substantiam à quarta parte spatij extrema in aliam extremam, nisi per medias, in quibus eadem substantia maneat: sed respondetur quidquid sit de illa quæstione, an possit Angelus moueri de extremo ad extremum sine transitu per medium in nostro casu posse Angelum qui erat in quatuor palmis retinere duos extremos relictis intermediis, vbi non datur mutatio acquisitiua, sed purè amissiua. Quòd si velit Angelus postea in aliud spatium transire, quod sit extra sphæram sibi adæquatam, debet alterum palmum extremum relinquere, & motu continuò, vel discreto progredi, iuxta dicenda disputatione 6. 20.

Dico quintò in sensu stricto, quo Angelus dicitur esse in corpore tanquam in loco per operationem transeuntem, vel per applicationem virtutis, potest Angelus existens in spatio sibi adæquato, & in omnibus corporibus, quæ in illo sunt, operari simul in partibus, seu corporibus intra spatium illud loco distantibus, quin operetur in corpore intermedio. Hoc videtur præci- Caietan. puè intendisse Caietanus, & Ferrara, consentit- Ferrara. que Suarius. Ratio manifesta est: nam in Ange- Suarez. lo vna tantùm est præsentia intrinseca, & vnum *vbi* quasi continuum in se priùs natura, quàm quæuis operatio, imò independens ab illa, quia semper operatio est libera, etiam supposita præsentia, vbitate. Quare sicut potest Angelus pro libito ibi adesse, & nihil operari in aliquo illorum corporum, vel in omnibus operari, siquidem virtus illius ad omnia extenditur, vt supponimus; ita potest operari in duobus tantùm, vel in pluribus, quamuis inter se distent intra sphæram illam. Nec obstat operationes illas esse plures, & non continuas, quia nihilominus sunt inadæquatæ virtuti motiuæ Angeli, & discontinuitas in operatione non diuidit substantiam Angeli, vel intrinsecum modum vbitatis ipsius: ergo in hoc nulla reperitur repugnantia.

21. Dices, sequeretur inde eundem malum Angelum posse simul esse in duobus hominibus, & cosdem simul tentare variis, vel contrariis tentationibus, quod falsum apparet, quia non potest Dæmon pluribus simul intendere. Gregorius in 2. dist. 2. quæst. 3. non vult concedere Dæmonem fuisse simul in serpente tentando Euam, & in ipsa Eua. Sed melius Augustinus lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 36. alias 37. docet apertè Dæmonem, dum Euam tentauit fuisse simul in serpente, per quem loquebatur, & in Eua quam interius occulto motu instigabat; licèt serpens & Eua distarent inter se: Nec fingere oportet Dæmonem in aëre intermedio tunc aliquid operatum fuisse, quia nec fuit necessarium, vt medium illud moueret localiter, nec aliud quidquam in illo poterat operari. Quapropter ad obiectionem conceditur sequela, & negatur minor: nam ad plura huiusmodi posset simul Angelus attendere pro perspicacitate intellectus, qua pollet.

Auguſt.

CAPVT VIII.

Vtrùm Angelus necessariò sit in loco adæquato, vel possit in quocunque minori etiam indiuisibili existere.

1. REstant adhuc dubitationes nonnullæ circa locum Angelorum. Prima sit. An semper & necessariò existat Angelus in loco sibi adæquato. Affirmat Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 3. punct. 3. conclus. 3. & Hibernicus in 1. dist. 8. quæst. 2. in solutione quarti, quem refert Gregorius in 2. dist. 2. quæst. 2. Probatur primò, quia per substantialem præsentiam hoc ipso est in loco adæquato, quod est præditus tanta vel tanta perfectione substantiali; Magnitudo quippe, siue determinatio spatij singulis Angelis determinati, vel adæquati passio quidem est, seu proprietas consequens substantialem vniuscuiusque perfectionem. Sed semper vnusquisque Angelus habet eandem substantialem perfectionem, nec est in ipsius voluntate positum, vt habeat minorem: ergo per intrinsecam præsentiam, seu per substantialem vbitatem semper est in loco sibi adæquato: sicut corpus semper est in loco adæquato quantitati suæ, vel sicut Deus semper habet substantiam suam intimè præsentem omni spatio.

Valentia. Hibernicus. Gregorius.

2. Probatur secundò, quia si Deus crearet Angelum non determinando ipsi locum per voluntatem diuinam, sed illum suæ naturæ relinquendo, Angelus inciperet esse in aliquo loco certæ magnitudinis: ergo in maximo, quia nullus alius potest cum fundamento assignari. Idem erit si Angelus existens in cælo velit in terram descendere non determinando voluntate sua certam loci quantitatem: ergo signum est determinationem adæquati seu maximi loci esse connaturalem Angelo, nec posse per volũtatem eius diminui. Confirmatur, quia si posset Angelus esse in loco minori maximo, nec circumscriptiue esset in loco, vt per se patet, nec definitiuè, siquidem non ita definiretur ibi, quin esse posset in loco maiori.

3. Ceterùm probabilior est opposita sententia docens Angelum non esse necessariò semper in loco maximo, & adæquato etiam secundùm substantialem, aut intrinsecam præsentiam, sed in minori posse, si velit, existere. Sic S. Thomas hìc art. 2. Caietanus & Molina ibi, Vasquez disp. 191. cap. 2. Bubalus art. 2. quæsito 2. difficult. 2. Bonauentura in 2. dist. 2. part. 2. art. 2. quæst. 3. ad 3. Gabriel ibi quæst. 2. art. 3. dub. 2. Maior quæst. 9. Marsilius quæst. 2. art. 2. post tertiam conclusionem, Richardus in 1. dist. 37. art. 2. quæst. 2. Ochamus quodlibet. 1. quæst. 4. & alij. Probatur. Nam Angelus non est ex necessitate naturæ in hoc, vel illo loco, sed liberè se applicat, & in illo se constituit: sed nihil est quod necessitet Angelum ad applicandam substantiam suam ad totum locum sibi adæquatum: ergo potest se in loco inadæquato constituere. Minor probatur; quia non est maior ratio necessitatis in determinatione ad tantam quantitatem loci, quàm ad hunc, vel illum locum, nec locus adæquatus est aliquod bonum necessarium Angelo prorsus ad suam naturalem perfectionem, aut beatitudinem: ergo non necessitatur Angelus ad volendum locum adæquatum.

S. Thom. Caietan. Molina. Vasquez. Bubalus. Bonauent. Gabriel. Maior. Marsilius. Richard. Ocham.

Ad primum in oppositum respondetur aliud esse naturalem Angeli capacitatem, seu virtutem existendi in tanto loco, quæ naturaliter comitatur substantialem Angeli perfectionem: ideoque non potest minui, vel variari per Angeli voluntatem, vt probat argumentum, aliud verò naturalem & actualem existentiam in illo loco, quæ non sequitur naturaliter ex substantiali Angeli perfectione, sed fit per liberam voluntatem eius, ideoque intra latitudinem capacitatis naturalis potest actualis præsentia fieri maior, vel minor pro libera voluntate Angeli. Et quia Valentia adducit pro se rationalis animæ similitudinem, eodem exemplo declaratur nostra sententia: nam anima rationalis capax est informandi corpus humanum perfectæ magnitudinis, & tamen secundùm diuersas ætates magis, vel minus informat: ergo à fortiori Angelus potest pro libito fieri præsens loco inadæquato. Probatur consequentia, quia licet Angeli præsentia ad corpus, vel spatium non sit informatio, vel vnio physica ad illud, sicut est vnio animæ cum corpore, inde solum sequitur animam non per suam liberam voluntatem vniri maiori, vel minori corpori, sed ex naturali necessitate positis in corpore dispositionibus, quod in Angelo locum non habet. Nihilominus tamen ostenditur illo exemplo quòd sicut in anima aptitudo ad informandum corpus magnum distinguitur, & separatur ab actuali informatione, sic in Angelo distingui debet capacitas existendi in loco maximo vel adæquato ab actuali præsentia in illo. Vnde fit vlteriùs posse præsentiam istam ab illa capacitate etiam in Angelo separari; imò longè faciliùs, cùm ista præsentia non pendeat ex dispositionibus corporis, sed ex sola Angeli voluntate. 4.

Nec exempla de quantitate corporis, vel immensitate Dei sunt similia, quia substantia corporea extenditur, & occupat locum media quantitate; ideoque non potest esse tota in toto, & tota in quauis parte spatij repugnante, scilicet quantitate cuilibet penetrationi: Vnde fit, vt totum corpus necessariò sit in loco suæ quantitati adæquato. At Angelus non est in loco per extensionem partium, sed quasi per replicationem totius substantiæ in pluribus, & singulis partibus loci. Quapropter vbitas in loco adæquato non sequitur necessariò ex aliqua proprietate Angelorum, sed ea libera ipsorum voluntate, [illegible] 5.

deque

deque pro libito potest minui. Discrimen etiam inter Deum, & Angelum manifestum est: nam immensitas Dei, quæ est actualis vbitas illius, non est accidens, nec quid distinctum realiter ab essentia diuina, sed intrinseca perfectio Deitatis, ac subinde necessariò, & immutabiliter conuenit Deo, sicut ipsamet Deitas: Nihil autem horum in præsentia locali Angelorum reperitur: nam est accidens ex natura rei distinctum, imò separabile realiter ab Angeli substantia; quibus imperfectionibus suppositis non est vnde proueniat Angelo necessitas existendi in loco adæquato, maiorque perfectio ipsius erit, vt pro libito possit maiori, vel minori spatio intra suam sphæram existere.

6. Ad secundum respondetur sicut actiones sunt singularium, sic etiam esse circa res singulares, & determinatas quoad omnes circumstantias. Quapropter impossibile est, vt Deus velit creare Angelum, & non simul velit determinare locum, & quantitatem loci, in quo creaturus sit illum; Similiter cùm Angelus velit in terram descendere, debet & locum, & loci quantitatem, ad quem tendere proponit, per suam voluntatem sibi determinare: nam alioqui non dabitur motus, nec actio sine termino determinato. Ad confirmationem respondetur Angelum existentem in loco inadæquato esse in loco definitiuè, quia de facto non est extra illum, nec etiam esse potest sine mutatione sui.

7. Secunda dubitatio sit. An sicut Angelus esse potest in loco minori maximo, sic etiam esse possit in quocunque minori diuisibili in infinitum; vel sicut datur locus Angeli maximus, vltrà quem non potest dilatari, sic etiam detur minimus, licèt extensus, & diuisibilis, infrà quem non possit contrahi? Scotus in 2.dist.2. quæst.6. Dionysius Cistercien. in 2.dist.6.q.1. conclus.4. & Vasquius 1. part. disp. 192.cap.2. putant rem esse dubiam, quia pro nulla parte ratio suppetit, quæ conuincat apertè. Ceterùm S. Thomas in hac quæst.52 art.2. Malonius in 2.dist 8.disp.11. & ceteri num. 3. relati consequenter asserunt posse Angelum in quouis loco minori minimo pro sua voluntate locari: nam ratio quæ probat non necessitari Angelum ad existendum in loco adæquato æquè procedit de quouis loco diuisibili determinato quantumcunque minimus sit.

Scotus. Dion. Cist. Vasquius. S. Thom. Malonius.

8. Declaratur. nam qui habet locus minimus habet partes, & in singulis est totus Angelus. Atque nec in aliqua illarum partium, nec in toto aliquo minimo existit Angelus necessariò, sed liberè: ergo non repugnat Angelum existere in minori minimo, quoties libuerit. Minor patet. nam ex parte Angeli non requiritur totum illud spatium ad intrinsecam vbitatem, cùm totus Angelus sit in qualibet illius parte. Nec item præsentia in toto illo spatio potest Angelo repræsentari tanquam aliquod bonum necessarium sibi. Deinque nulla maior necessitas afferri potest determinationis ad totum illud spatium minimum, quàm ad totum maximum.

9. Obiicit Scotus, si posset Angelus existere in minori minimo, posset esse in magis arcto loco in infinitum, hoc est quadrangulo magis angusto. Posset igitur esse in longiori quadrangulo in infinitum, ac subinde in cælo, & in terra; Imò in maiori quacunque longitudine. Consequens non est admittendum: ergo nec antecedens. Sequela probatur ex propositione 35. Euclidis lib.1. scilicet, *Si corpus impleat locum quadratum, implebit quoque quadrangulum æqualem, quantumuis latera coarctentur.* ergo si possit Angelus esse in quadrangulo magis, & magis angusto, poterit esse consequenter in quadrangulo longiori, & longiori in infinitum. Confirmatur, nam alicuius perfectionis est constituere se in aliquo loco, & maioris posse locare se in minori: ergo si posset Angelus collocare se in minori, & minori sine termino foret infinitæ perfectionis, & virtutis.

Ad argumentum maior concedit sequelam, Caietanus verò hic art.2. respondet, licèt concedatur sequela, non tamen inde colligi posse Angelum existere in loco infinito: licèt enim arctentur latera quadranguli, nunquam fiet quadrangulus infinitus. At quamuis hoc verum sit, saltem vt demonstrat Euclides ibi, crescere potest quadrangulus, ita vt qui bipedalis erat longior fiat, quam cælum. Vnde fiet Angelum esse posse simul in cælo, & in terra, quod Patres reputant absurdum; Ideò meliùs respondetur negando sequelam. Propositio autem Euclidis vera est consideratis solum dimensionibus quantitatis. non tamen habet locum in omnibus substantiis; quædam non corporeæ requirunt aliquam determinatam latitudinem vt connaturaliter conseruentur, quod agnoscit Scotus; & ideò dicit principium illud intelligendum esse nisi figura obstet. Substantias verò spirituales, siue Angelicas proportionaliter dicimus sicut ex intrinseca limitatione suæ naturæ determinant sibi certam spatij sphæram, vltra quam non possint dilatari; sic etiam determinare sibi certam longitudinem loci, quam excedere non possint, quantumuis locus eorum coarctetur, siue quoad latitudinem minuatur. 10.

Declaratur exemplo, nam agentia naturalia quoad sphæram actiuitatis suæ limitantur ad maximum terminum secundùm omnem dimensionem; ita vt quasi per circulum secundùm omnem partem æqualem longitudo talis sphæræ dilatetur, Ideoque licet agere possit ignis, v.g. in quouis spatio minimo secundùm latitudinem sine termino paruitatis, non tamen potest agere ad quancumque longitudinem talis spatij in infinitum, quia virtus finita potissimum habet terminum magnitudinis in sphæra actiuitatis secundùm longitudinem. Proportionaliter igitur licèt Angelus ex se certam figuram loci non requirat, fit tamen verisimile locum eius adæquatum limitari, seu assignari secundùm circularem figuram; ita vt si velit Angelus in hoc aëre diffundi quantum possit secundum virtutem substantiæ suæ, futurum sit vt existat in loco circulari, siquidem potest æque diffundi versus omnem partem; quia verò non necessariò, sed liberè se applicat tali loco, ideò non est necesse vt sit in spatio sphærico; si tamen velit esse in loco alterius figuræ, non poterit excedere longitudinem integri diametri sui loci adæquati secundùm sphæricam figuram considerati: nam illa videtur maxima longitudo loci Angelici adæquati. Secundùm paruitatem autem nullus est terminus, quia diminutio loci non prouenit ex augmento perfectionis, vel virtutis, sed ex mera libertate. Per quod patet ad confirmationem. 11.

Tertia dubitatio sit, An possit Angelus in spatio, vel puncto indiuisibili se constituere. Prima sententia negat. Tenent Alensis 2.part.quæst.32. memb.3. Bonauentura in 2. dist.2. part. 2. art.2. 12.

Alensis. Bonauent.

quæst.

Bassolis. quæst. 3 Bassolis ibi quæst. 4. art. 2. quia putant de ratione loci esse diuisibilitatem, quod non probant, & ita supponunt quod probandum erat.
Gabriel. Gregor. Maior. Marsilius. Malon. Tenent etiam Gabriel, & Gregorius in 2. dist. 2. Maior. quæst. 9. Marsilius quæst. 2 art. Ochamus quodlibet. 1. quæst. 4. & Malon. suprà d. p. 2. quia putant in corpore quanto non dari puncta indiuisibilia realiter, sed sola imaginatione, vel assignatione; Assignationem autem solo contactu alicuius corporis fieri posse. Hoc verò fundamentum duo supponit falsa. Primum est Angelum existere non posse nisi in loco reali, & quantitatiuo; cùm ostensum sit suprà præsentiam Angeli substantialem, & intrinsecam esse fixionem in spatio imaginario. Secundum est non dari puncta realia, cuius oppositum in philosophia cum communiori sententia docuimus, & in præsenti supponendum est.

13. Ægid. Rom. Denique Ægidius Romanus in 2. distinct. 37. part. 2. art. 1. quæst. 2 docet eandem sententiam, probatque primò: nam Angelus est in loco per operationem, sed in puncto non potest operari: ergo non potest existere in puncto. Secundò, quamuis per operationem non esset in loco, non posset in puncto collocari. Dupliciter enim aliquid dicitur esse in alio, vel quia est intra ambitum illius, & sic non potest Angelus in puncto locari, siquidem punctum non habet ambitum, vel quia est in essentia alterius illud continens, & sic solus Deus est in rebus. quapropter hoc pacto non poterit Angelus esse in puncto. Con-
Bassolis. firmat Bassolis primò quoniam ad punctum non potest esse motus. Secundò quia punctum non potest habere rationem loci, siquidem non est superficies. Tertiò, quia non magis potest Angelus esse in puncto, quàm in alio Angelo. Ce-
Scotus. Vasquez. terùm Scotus in 2. dist. 2 quæst. 6. & Vasquez 1. part. disp. 192. cap. 2. censent nihil esse compertum in hac, quia reuelatione nihil nobis constat, rationesque physicæ, quæ pro vtraque parte afferuntur infirmæ sunt, & forsan modus Angelicæ præsentiæ habet ex sua natura determinationem ad partem corporis diuisibilem, saltem indefinite.

14. Dicendum tamen est cum communi sententia posse Angelum existere in spatio indiuisibili
S. Thom. Caietan. Cumel. Bannes. Bubalus. Molina. Richard. Capreol. Ferrara. sine in puncto reali, sic [illegible] S. Thomas in 1. dist. 37. quæst. 3. art. 2. [illegible] part quæst. 52. art. 2. vbi Caietanus, Cumel, Bannes, Bubalus supra difficult. 3. Molina [illegible] 3. Richardus in 2. dist. 2. art. 2. quæst. [illegible] quæst. 1. art. 1. conclusione 2. Ferrara [illegible] contra Gent. cap. 68. Probatur primò de [illegible]: nam Angelus potest vbi [illegible] conseruare indiuisibiliter, sed [illegible] diffusione ad spatium diuisibile: ergo potest se collocare in indiuisibili. Antecedens probatur, quia cùm Angelus sit indiuisibilis, & non constituatur in spatio diuisibili, nisi quasi per replicationem totius substantiæ in toto spatio, & in singulis eius partibus, vel etiam indiuisibilibus; Nec enim potest non esse in illis, cùm sit quasi continuè in toto illo spatio; nec potest esse in illis, quin sit totus in illis; nihil est quod Angelum cogat ad vbitatem extensam; imò cum sit mutabilis, & liber poterit conseruare præsentiam suam in vnico indiuisibili vel in puncto.

15. Vasquez. Respondet Vasquius indiuisibilitatem Angeli, & puncti esse diuersæ rationis; & ideo non sibi mutuò [illegible] competere. Sed hoc non obstat: nam inde [illegible] infertur, quod intulit S. Thomas hic art. 2. scilicet inde sibilitatem Angeli non [illegible] ctate illum ex necessitate naturæ ad existendum in solo puncto, non tamen infertur inde non posse Angelum si velit in solo puncto, vel in spatio indiuisibili præsentiam suam [illegible] care.

Probatur secundò, de loco extrinseco. nam hic in sensu lato licèt proprio inlùm requirit intrinsecam vbitatem Angeli cum coexistentia corporis in eodem spatio imaginario; sed Angeli præsentia intrinseca coarctari potest ad indiuisibile spatium, vt vidimos, & potest in eodem indiuisibili spatio punctum corporeum existere. 16.
Quid enim repugnat? Ergo potest Angelus esse in puncto corporeo, tanquam in loco extrinsecò. Imò poterit etiam (absolutè loquendo) existere Angelus per intrinsecam vbitatem in vnico spatio imaginario diuisibili, & tanquam in loco extrinseco existere, vel in vnico puncto corporeo, vel in pluribus distantibus inter se, vel in pluribus etiam corporibus extensis inuicem separatis, si hæc coexistant illi spatio imaginario; tametsi de lege ordinaria cùm Angeli non transiliant hoc vi ingenium, nunquam contingat sic existere Angelum in locis extrinsecis discretis, dum est in loco intrinseco continuo; nec existere similiter in loco extrinseco indiuisibili, dum habeat intrinsecam vbitatem diuisibilem.

De loco extrinseco magis proprio, & stricto scilicet per operationem, vel applicationem virtutis S. Thomas, & alij eum illo pariter admittunt posse Angelum esse in indiuisibili loco, quia licet punctum non possit moueri per se separatum, tamen non debet Angelus esse præsens in toto corpore, quod mouet, sed in ea parte, per quam primò, & immediatè suam virtutem applicat, vt ad ceteras actio deriuetur; & quia potest applicare illam per punctum, ideò in puncto rectè potest collocari, sicut vnum corpus per punctum posset aliud mouere, si per punctum tantum contingeret. 17.

Hinc fit, licet Angelus non possit omni loco intrinseco carere, vt diximus cap. 9. posse tamen absolutè carere loco extrinseco, si sit in vacuo, vel in spatio imaginario. Ceterum de facto supposita lege Dei non potest Angelus extra locum corporeum existere. Denique si loquamur de loco extrinseco strictè sumpto, potest Angelus etiam de facto in nullo tali loco existere, quia potest in nullo corpore operari, vel proximè non applicare virtutem suam ad operandum in aliquo; in quo sensu capiendi sunt Doctores, qui putantes Angelum esse in loco per operationem, vel applicationem virtutis, aut aliquid simile, consequenter affirmarint posse Angelum nullibi esse. Quod autem dixit Ægidius supra, omnes Angelos necessariò operari vel habere applicatam virtutem ad operandum, voluntariè dictum est. Siquidem omnis operatio ad extrà, vel applicatio ad illam est libera prorsus Angelo: imò suprà ostendimus Angelos de facto frequenter existere in aliquibus [illegible] temporibus, in quibus nihil operentur. 18

Ad primum fundamentum Ægidij relatum num. 13. iam [illegible] at Angelum operari posse in puncto. Ad [illegible] eundum respondetur non numerari sufficienter ibi modos existendi in loco, [illegible] extrinseco: nam ad rationem proprij loci [illegible] vt in eo sit Angelus per præsentiam [illegible], & non extra [illegible], siue locus habeat [illegible] siue non habeat. Ad primam conf[illegible] 19.

respondetur negando aot[...]ens, quia multis modis potest An[...]lus per mutationem adquirere locum indiuisibi[...]m, vt videbimus d[...]p. 6. pro nunc sufficiat mutati[...] posse an illius si Angelus, qui erat in toto cu[...]culo, & in sin[...] patri[...]us, ac punctis illius, velit in vnico puncto [...] remanere per vbitatem indiu[...]bilem tel[...]s omni [...] praesentia.

20\. Ad secundam respondetur superficiem esse de ratione loci quantitatiui, & circumscri[...]ntis rem locatam, non verò de ratione l[...]ci simpliciter etiam extrinsec[...]: nam eo modo quo in v[...] superficie corporis locati sunt puncta, respondent illi in superficie corporis ambientis indiuisibilia proportionata, quae suo modo tanquam locus, & locatum comparantur, vnde possumus argumentum retorquere. Nam Angelus potest existere in sola superficie corporis, vt omnes admi[...]tunt: ergo etiam in sola linea: nam ex natura sua non magis postulat praesentiam in latitudine, quam in profunditate corporis: ergo si[...]iter poterit esse in puncto; non enim magis postulat in loco suo dimensionem longitudin[...], [...] [...]tas, & ratio mutuae praesentiae inter Angelum, & punctum rectè subsistere potest.

21\. Ad tertiam dicimus duos Angelos posse simul esse in eodem puncto; vnum tamen non esse locum extrinsecum alterius, quia non comparatur vnus ad alterum tanquam forma assistens alicui materiae, vel habenti se per modum materiae, sicut Angelus comparatur ad corpus, vel etiam ad indiuisibile corporeum, Idem prorsus euenit cùm plures Angeli existunt in eodem corpore diuisibili, in quo dicuntur esse tanquam in loco extrinseco, cùm tamen nullus Angelus dicatur esse in a[...]o, quia nullus habet in se respectum aliquem à quo talis denominatio sumi possit.

CAPVT IX.

Vtrùm Angelus vel aliquid existens ab[...] ut possit ab omni loco.

DVplex potest esse sensus quaestionis. Primus de potentia ordinaria, seu naturali. Secundus de potentia D[...] absoluta. In primo sen[...] [...]at Vasqu[...] [...] SS. cap. [...] num[...] [...] modo [...] [...]ntrinsice [...] sic An[...] [...] [...]rsus cætere, quia non [...] pro[...] [...]geli, [...] ex voluntate [...] [...] ex pri[...]pio efficienti. Quare neut A[...] po[...] pro libito huic corpori coniungi, & non alteri [...] poterit nulli [...] communi[...], [...] vnione quapiam ad corpus [...] dum praesentiae cum ratione [...] debere corpori vniri. Consentiunt Caietanus 1. par[...] [...] art. 2. Ferrara 3. contra Gent. cap. 6[...]. & al[...] [...]tes Angelum esse in loco per operationem. Fa[...]uent Scotus in 2. dist. 2. quaest. 6. §. *Ad prop[...]*, & Capreolus ibi quaest. 1 art. 1. conclu[...] quatenus asserunt Angelum absolui poss[...] ab omni loco, quia non necessariò est in loco; siquidem poterat existere sine creatura corporali, vel extra omnem [...]lam.

Vasquez.

Caietan.

Ferrara.

Capreolus.

Scotus.

3\. Probatur primò ex S. Thoma in 1. distinct. 37. quaest. 3. art. 1. ad 4. vbi sic ait. *Non reputo inconueniens, quod Angelus sine loco esse possit, [...] non in [...] quando in [...] operationem habet [...] [...]um.*

nec est inconueniens, quòd tunc nusquam, & sine vllo loco esse dicatur sicut non est inconueniens, quod nullo colore coloratus dicatur, & quaest. 3. de potentia art. 19. ad 2. inquit. *N[...]l prohibet etiam nunc, Angelos non esse in loco si [...]lucrint, etiamsi semper sint in loco propter ordinem quo creatura spiritualis praesidet corporali*. Confirmatur ex Aristotele, qui 4. physic. text. 45. dixit vltimam sphaeram non esse in loco, quia non habet superficiem extrinsecu[...] ambientis corporis ergo multò veriùs dici potest Angelum non esse in loco, quando non habeat applicationem ad vllum corpus. Quin Ipse Philosophus 1 de caelo text. 100. sic ait. *Entia illa beata non sunt apta esse in loco.*

Probatur secundò, nam Angelus pro sua libertate potest mutare suam vbitatem nisi ab extrinseco impediatur: ergo etiam potest nullam vbitatem in se producere, seu nulli loco se applicare. Probatur tertiò, quia cùm Angeli substantia semper [...]t eadem, si haec est ratio habendi talem vbitatem [...] [...] Angelus habebit aequalem vbitatem, & necessariò erit in loco adaequato; quod non esse d[...]cendum ostendimus suprà cap. 8. Probatur quartò: nam esse alicubi quod necessariò denotat distantiam, soli quantitati conuenire potest, & caeteris rebus ratione quantitatis. Quare si Deus supernaturaliter, (vt arguit Caietanus) ab aqua existente in vase separaret quantitatem, eo ipso talis aqua existens quidem in rerum natura nullibi tamen es[...]t. Nam *quemadmodum haec aqua seclusa colore [...]plicat contradictionem quod sit visibilis, ita seclusa quantitate quòd sit locabilis*: ergo si Angelus nulli loco applicet suam virtutem, vt liberè potest non applicare, licèt existat in rerum natura, nullibi erit. | 3.

In secundo sensu affirmat Monceceus in quaestionibus [...]lectis disput. 1. cap. 8. Probat, quia est simpliciter posterius alio, quamuis tale sit, vt [...]tuato natura[...] rerum ordine debeat ex priori [...]qui, potest diuinitus impediri, nisi illud priùs habeat essentialem habitudinem ad illud posterius [...] modus vbitatis est simpliciter posterior re, quae i[...] habet, nec ista res haberessentialem habitu[...] [...] ad illum modum: ergo potest prorsus impediri, sicut extensio localis impeditur in quantitate Christi sub Eucharistia Cur enim cogatur Deus posito priori tribuere existentiam posteriori, si priùs non habeat essentialem ordinem ad [...], nec ab illo aliquo modo, vel in aliquo genere causae dependeat: nam si [...] [...] pl[...] [...] priùs illo, sed [...] [...] [...], & in alio genere causae [...]. | 4. Monceceus.

Dico pri[...]ò [...] potentia ordinaria, seu naturaliter nec Angelus, nec alia res existens in rerum natura potest [...] absolui ab omni loco, seu non esse alicubi. Sic docent Valentia tom. 1. di[...]p. 4. q[...]st. 5. punct. 2. §. *Porro secundum*, & probat, [...] *semper Angelus [...] in mundo.* Molina in hac quaest. 52. art. 1. disp. 1. memb. 4. in principio Bubalus ibi art. 2. quaest. 2. difficult. vlt. Probatur primò authoritate, quia dicit Nazianzenus oratione 34. quae est secunda de Theologia n. 17. & 18. *Si id quod non est, nusquam est, id quoque quod vn quam est, nec quidquam fortasse est*, Hilarius cap. 5. in Matth. ante med. ait *Om[...] [...] creaturae [...] est.* Augustinus l[...] d[...] [...] talitate animae cap. 1. inquit, *Quidquid [...] quam [...]?* Aristoteles 4. p[...] dicit. | 5. Valentia. Molina. Bubalus. Nazian. Hilarius. August. Aristot.

dicit. *Quæ sunt omnes existimant alicubi esse, quod verò non est, nusquam esse.* Cicero 1. Tusculan. asserit. *Vbi sunt ij, quos miseros dicis, aut quem locum incolunt? si enim sunt, nusquam esse non possunt.* Qui omnes saltem loquuntur secundum naturalem rerum potentiam & statum, vt fatetur Moncœus vbi suprà. Cicero. Moncœus.

6. Probatur secundò, quia vel Angelus (idem est de quauis re creata) existit in hoc vniuerso, vel extra illud: cum enim Angelus iuxta dicta cap. 1. necessariò sit in aliquo loco definitiuè, non est intelligibile quòd possit existere, nisi vel intra hoc vniuersum, vel extra illud, sed neutrobique potest existere sine vbitate intrinseca: ergo non potest absoluere se ab omni loco intrinseco. Minor quoad primam partem ostenditur, quoniam intelligi non potest aliquid esse realiter præsens intra sphæram aliquam, & non esse in tota illa, quin sit in aliqua determinata parte ipsius, quia præsentia vnius rei ad aliam determinata quidem est, & singularis; & ideò in aliqua certa, & determinata parte debet esse: Sed Angelus est intra sphæram huius vniuersi, vt supponimus, & non in toto mundo, vt cap. 1. probatum est: ergo necessarium est, vt in aliqua certa parte, vel determinato corpore existat. Quod supponere videntur omnes Patres, & Theologi, qui docent Angelos fuisse creatos in cælo empyreo, vel stellato, vel in alio. Quippe conueniunt omnes necessariò fuisse creandos in aliquo determinato loco huius mundi, licèt in hoc assignando dissideant.

7. Rursus Angeli existunt in aliqua determinata mundi parte: ergo semper habent aliquam intrinsecam vbitatem. Consequentia probatur: nam Angelus non potest esse præsens alicui corpori, nisi habeat proprium vbi coniunctum tali corpori, quia si præsentia pro relatione sumatur, supponit suum proximum fundamentum, quod in Angelo est ille modus intrinsecus absolutus. Si verò præsentia sumatur pro ipsamet entitati indistantia, hæc ex parte Angeli est ipsum intrinsecum vbi, vt ostensum est cap. 3. constatque manifestè: nam si Gabriel v.g. nunc est substantialiter præsens in aliqua determinata parte cæli potest amittere talem denominationem, seu præsentiam per solam sui mutationem, vt patet: ergo per istam mutationem amittit modum intrinsecum vbitatis, siquidem nihil aliud absolutum amittere potest, nec relatio prædicamentalis amittitur [illegible] consequenter ad amissionem fundamenti, du[m] supponimus aliud extremum [illegible] manere: ergo hoc intrinsecum *vbi* ne[illegible] præsupponitur ad omnem talem præsentiam in loco extrinseco; ac subinde sicut Angelus intra mundum existens necessariò est in aliquo determinato loco extrinseco disiunctim, ita necessario habet aliquod intrinsecum vbi, quia determinata præsentia ad corpus extrinsecum fundatur in intrinseca vbitate determinata.

8. Iam ostenditur secunda pars, scilicet, nec extra hoc vniuersum posse Angelum existere sine vbitate, quia posito Angelo extra mundum posset Deus creare corpus realiter præsens illi Angelo sine reali mutatione Angeli: ergo tunc Angelus inciperet habere relationem præsentiæ ad tale corpus sine mutatione sua: ergo signum est habuisse antea fundamentum talis relationis quod est intrinsecum vbi. Consequentiæ constant; Antecedens probatur, quia Deus potest creare quodlibet corpus vbi voluerit, & ita si creasset Angelos ante mundum, potuisset taliter illos prius, & posteà mundum creare, vt sine Angelorum mutatione corpora quædam inciperent esse propinqua ipsis, quædam verò distantia: nam in hoc nulla potest repugnantia cogitari. Consurgerent ergo relationes in Angelo quæ supponebant in illo fundamentum intrinsecum, scilicet vbitatem propriam.

Concludimus igitur quomodolibet Angelus creetur siue intra mundum, siue extra illum, aut ante mundi creationem, necessariò creari cum aliqua certa, & intrinseca vbitate, nunquamque posse naturaliter absolui ab omni propria vbitate. Ratio redditur à priori, quia præsentia realis intrinsecè comitatur omnem realem entitatem cum debita proportione quasi connaturalis, & necessaria proprietas saltim disiunctim sic in omnibus corporibus intrinsecam vbitatem agnoscimus, & in ipso Deo immensitatem, per quam vbique sit realiter & intrinsecè præsens, confitemur: ergo pariter in Angelis datur intrinsecum vbi, à quo non possint naturaliter absolui. 9.

Dico secundò, nec de potentia Dei absoluta fieri potest vt Angelus, vel alia res in rerum natura existens absoluatur ab omni loco ita vt nullibi fiatur per intrinsecam vbitatem. Sic videtur sentire Molina suprà: nam absolutè docet fieri non posse, nec intelligi, Deum producere aliquid, & nullibi rem producere. Bubalus expressè consentit §. 2. dicens nullum posse dari ens reale in rerum natura, etiam de potentia absoluta, quod alicubi non sit, & Patres adducti num. 5. forsan hoc etiam intendunt, etsi non expresserint. Probatur primò, quia talis videtur esse connexio existentiæ actualis rerum cum illarum intrinseca præsentia, vel vbitate, vt non possit vnum ab altero separari, nec mens cogitare potest rem existere quin alicubi existat, id est, alicui spatio imaginario fixa: non enim potest extra totum spatium imaginarium existere: ergo intra illud: ergo alicui portioni fixa per intrinsecam vbitatem. 10. Molina. Bubalus.

Probatur secundò, quia de Angelo, vel re quapiam existente verè affirmantur aduerbia loci: ergo non absoluitur ab omni loco. Consequentia constat: nam impossibile est de iis verè affirmari aduerbia loci, quæ non sint alicubi, vt si rosa in hieme nullibi est, non potest dici quòd sit hic, vel illic: ergo si necesse sit de aliquo verificari aduerbia significantia locum illud non potest absolui ab omni loco, quia nimirum esset in loco, siquidem verè affirmantur de ipso aduerbia loci, simulque non esset in loco, siquidem absoluitur ab omni loco. Antecedens autem probatur, quia de illo necessarium est verificari aduerbia loci, quod realiter est simul præsens cum alio verè quidem existente alicubi: debet enim esse simul in eodem loco, in quo est aliud, saltem inadæquate: nam alioqui non erit simul cum alio præsens. Sed Angelus, & quodlibet ens existens necessariò futurum est præsens, & simul cum Deo, qui verè alicubi est: nam agens, & passum debent esse simul, nec potest Deus creare rem aliquam, quæ non sit realiter præsens creatori, à quo recipit immediatè totum suum esse: ergo de qualibet re producta in rerum natura verificari debent aduerbia loci, ac per consequens præsentia localis est affectio necessaria cuiusque rei existentis. 11.

Probatur

12. Probatur & declaratur tertiò, quia sicut res se habet ad aliquam durationem, sic etiam ad aliquam intrinsecam præsentiam, aut vbitatem: nam vtrobique datur spatium aliquod, & proxima ratio mensuræ rei existentis in rerum natura; illud quidem instar spatij successiui, quo scimus tanto temporis interuallo rem in suomet esse perseuerasse: Hoc autem instar spatij permanentis, quo rem hic, vel ibi per tantam spatij magnitudinem esse fixam dignoscimus: Sed nihil potest existere in rerum natura, quin habeat determinatam durationem tali, vel tali durationi imaginariæ respondentem: ergo nihil poterit existere similiter extra causas, quin habet intrinsecam vbitatem tali vel tali spatio imaginario commensuratam.

13. Ad primum primæ sententiæ respondetur S. Thomam loqui de loco corporeo, siue de superficie corporis continentis, qui dicitur locus extrinsecus, seu circumscriptiuus: potest enim Angelus absolutè per vires suas naturales absolui ab omni tali loco si velit extra cælum vagari, nec potest Angelus à corpore circumscribi, nec necessarium est simpliciter vt sit præsens alicui corpori, licèt diuina lege cogantur assistere huic vniuerso, quod satis explicuit S. Thomas ea q. 3. de potentia art. 19. ad 2. verbis suprà relatis n. 2. & docuimus c. 8. n. 18. Hoc idem intendunt Scotus, & Capreolus, vt colligitur ex ipsorum verbis & fundamentis, Aristoteles loquitur de loco circumscriptiuo quem meritò denegat vltimæ sphæræ, & substantiis separatis. Per quod patet ad confirmationem. S. Thom.

14. Ad secundum concesso antecedenti negatur consequentia, quippe multæ sunt proprietates inseparabiles secundùm rationem communem ab aliqua natura, licèt secundùm particulares differentias, vel indiuiduationes mutari possint. Sic quantitas non potest omni figura priuari, potest tamen diuersas inducere quantum est ex parte sua: Sic homo potest mutare locum pro libito, si non impediatur, & nihilominus non potest se ab omni loco absoluere, vel nullibi constituere. Quòd si dicas id prouenire ratione corporis & quantitatis, vrgebo etiam, in Angelis id prouenire proportionaliter ex ipsa ratione substantiæ, vel entitatis existentis, quæ necessariò postulat intrinsecam, & immediatam præsentiam, & qua quidem afficiatur, & figatur in spatio saltem secundùm rationem cōmunem, vt diximus: Quamuis hæc vel illa particularis vbitas efficienter proueniat, vel ab ipsius Angeli voluntate potentiaque motiue, vel Angelis inuitis per potentiam Angeli superioris vel ipsius Dei nutum imprimatur, vt quando fuerunt Dæmones in infernum detrusi.

15. Ad tertium negatur sequela: nam Angeli substantia licet semper sit eadem, ac subinde semper retineat eandem capacitatem tantæ, vel tantæ præsentiæ, non verò cogitur necessariò semper totam illam vbitatem habere, sed intra certos terminos magnitudinis vel paruitatis, saltem indiuisibilis, potest suam vbitatem mutare, quamuis illa prorsus se priuare non possit, quoniam sine *vbi* saltem minimo vel indiuisibili, talis Angeli præsentia permanere non potest. Repugnat autem Angelum existere sine præsentia quapiam vt diximus, licèt ad præsentiam quæuis vbitas etiam minima vel indiuisibilis etiam sufficiat.

16. Ad quartum negatur antecedens: satis enim constat ex suprà dictis præsertim cap. 4. præsentiam localem intrinsecam, vel intrinsecum *vbi* non competere rebus ratione quantitatis, sed esse affectionem cuiuslibet rei existentis, ita vt eo ipso quòd aliquid existat, alicubi debeat adesse; siue sit substantia spiritualis, siue materialis dempta quantitate, siuè sit accidens separatum. Et quidem S. Tomas in hac q. 52. dum Angelis tribuit præsentiam in loco, nunquam dicit ipsis conuenire ratione quantitatis aut corporis, sed vel absolutè, sic docet, vel rationem eius assignat substantiam ipsorum existentem. Ad fundamentum Mōtorij concessa maiori negatur minor quoad secundam partem: dicit enim omnis res existens essentialem connexionem cum intrinseca præsentia secundùm rationem communem, quare non possit Deus quod posterius est tollere prorsus ne essentialis habitudo frustretur.



QVÆSTIO LIII. S. Thomæ.

De motu locali Angelorum.

EXPLICATO in loco Angelorum de illius adquisitione, vel amissione, ac subinde de mutatione locali, quæ ad locum terminatur, disquirit Angelicus Doctor in ista quæstione per tres articulos.

ARTIC. I.

Vtrùm Angelus possit moueri localiter.

Conclusio affirmat: nam Angelus non potest esse simul in pluribus locis: ergo mouetur ex vno in alium.

ARTIC. II.

Vtrùm Angelus transeat per medium.

Conclusio distinguit, & in motu cōtinuo affirmat: nam vt dicitur in 6. physic. medium est in quod prius venit, quod continuè mutatur, quàm in vltimum, & vt docet Aristoteles 4. physic. text. 99. continuitas motus secundùm prius, & posterius sumitur ex continuitate loci, quatenùs priùs venit mobile ad medium, quàm ad extremum. At in motu discreto negat S. Thomas, & probat ex infinitate continui, quia scilicet per motum discretum deberent numerari omnes eius partes: aut puncta, quod est impossibile.

ARTIC. III.

Vtrùm motus Angeli sit in instanti.

Conclusio. Motus Angeli fit in tempore, in continuo quidem tempore, si sit motus continuus; in non continuo tempore si sit motus non continuus: Vtroque enim modo contingit motus secundùm prius & posterius; quatenùs quod mouetur aliter se habet nunc, quàm antea: sed in instanti non datur prius, & posterius: ergo motus Angeli non fit in instanti, sed in tempore.

DISPVT. VI.

De motu Angelorum.



VONIAM motus localis potentiam loco-motiuam requirit ex parte efficientis, & potentiam receptiuam in mobili siue subiecto quod mouetur; vtraque priùs examinanda est, prior in isto capite, posterior in capite sequenti, vt tandem qualis sit ipse motus Angelorum discutiamus.

CAPVT I.

An possit Angelus mouere seipsum.

1. Capreol. CApreolus in 1.dist.6.q.1.a.1.concl.1.Simpliciter negat Angelum posse seipsum localiter mouere; addit verò concl.2.posse seipsum mouere per accidens. Priorem partem probat: nam ex Aristotele omne quod mouetur ab alio mouetur: Sed hoc in rebus etiam spiritualibus verum habet: nec enim idem Angelus propriè potest esse simul moués & motus per se, alioqui simul esset in actu, & in potentia, siquidem quod mouet est in actu, & quod mouetur est in potentia: ergo non potest Angelus per se mouere seipsum. Posteriorem partem probat: nam Angelus existere potest in diuersis locis saltem per accidens, dum efficienter operatur in illis: ergo potest mouere se localiter per accidens.

2. Dicendum verò est Angelum simpliciter loquendo seipsum mouere: Hanc conclusionem communiter admittunt Theologi in 2.dist.6.q.2. Scotus. Maior. Vasquius. Gregor. Suarez. videantur Scotus, & Maior, quos sequitur Vasquius 1.p.disp.198.cap.3.Gregorius tamen in 2. dist.6.quæst.1. art. 4. solùm dicit esse magis probabilem, quia nec ratione, nec resultatione manifestè colligitur. At Suarius l. 4.de Angelis c.23. censet tam manifestè colligi ea Scriptura, vt sine errore negari non possit. Probat: nam ita loquitur Scriptura de Angelorum motu, sicut de motu hominum, vel aliorum animalium sese mouentium: eisdem enim verbis vtitur significantibus motum à principio intrinseco. Sic dicuntur Angeli non rarò venire, accedere, ingredi, exire, circuire, intrare, ambulare, quærere, vadere, assumere. Zach. 3. Iob. 1. Matth. 4. & 12. Marc. vlt. Luc. 1.7.& 8. Ioann. 13.1. Petri. 1. sæpeque alibi; quæ quidem dici nequeunt de re, quæ seipsam non moueat, sed ab alio duntaxat moueatur. Zach.3. Iob 1. Mat.4.& 12. Marc.vlt. Luc.17 & 8. Ioan.13.1. Pet.1.

3. Confirmatur: nam omnes Dæmonum motus, & itinera ordinantur ad malum finem, scilicet ad hominum perniciem: ergo non fiunt à solo Deo ad arbitrium ipsius Dæmonis: impium enim videtur ita de Deo existimare, sed præter Deum nó est alius à quo fieri possint nisi ab ipsis malis Angelis: ergo fatendum est ab ipsis Dæmonibus fieri, qui mouent semetipsos vt Scripturæ sonant. Accedit authoritas Patrū, qui non solùm dicunt Angelos mouere seipsos, sed etiam velocissimè ferri quò volunt, & quodammodo dici esse vbique; quia citissimè inueniuntur vbi volunt. Videantur suprà relati disp.5. præsertim cap.1.

4. Probatur secundò, ratione: nam Angeli sunt viuentes perfectissimi, localisque mutationis capaces, siquidem naturaliter non sunt vbique: ergo possunt mouere seipsos. Probatur consequentia, quia supposita imperfectione limitationis propriæ pertinet quidem ad perfectionem intrinseca potentia loco-motiua etiam respectu sui: Videmus enim inferiora viuentia participant cognitionem, saltem sensitiuam, præsertim perfectam habere vim se mouendi loca liter: ergo Angeli multò perfectiùs mouere se poterunt.

5. Hinc fit quòd reliqui Theologi contra Capreolum doceant Angelum non solum se mouere propriè, & efficienter quando dicitur moueri per accidens, sed etiam potiori iure, quando dicitur moueri per se. Patet, quia non dicitur Angelus moueri per accidens, nisi dum mouetur in corpore assumpto, vel mouendo simul, & deferendo corpus aliquod: sed Scriptura non solum dicit Angelos se mouere, quando mouent corpora, sed etiam cùm se tantum mouent, vt constat ex locis suprà citatis: ergo tunc etiam efficienter se mouent. Rursus quando dicitur Angelus moueri per accidens, non mouetur formaliter per motum, quem efficit in corpore, vt videtur existimasse Capreolus, sed mouetur per proprium motum, quem efficit in se, vt ostendemus cap. 2. ergo habet potentiam motricem non solùm corporis, sed etiam suimet, ac subinde poterit mouere se sine corpore.

6. Ad fundamentum Capreoli respondetur illud Aristotelis axioma capiendum esse de agentibus corporeis, & de actionibus tráseuntibus, vt docui lib.7.Physic. Quare probatio illius non tenet in spiritualibus, quia potest eadem potentia simul esse in actu primo ad agendum per virtutem eminentialem, & in potentia receptiua actus secundi, vt patet in voluntate, quæ simul est actiua & receptiua sui actus. Idem ergo inueniri potest in motu locali, imò in hoc multo facilius, quia motus localis non recipitur immediate in sola potentia motrice, sed in tota substantia à qua distinguitur potentia loco-motiua, vt ostendimus disp. 3.cap.2. Quare licet Angelos sit in potentia actiua, & receptiua sui motus, non tamen secundùm idem omnino: nam est in potentia recipiendi per suam substantiam, potens autem ad efficiendum motum per aliquam accidentalem proprietatem. Ad probationem posterioris partis admittimus, Angelum posse se mouere cum corpore vel ad motum corporis, ita tamen vt simul moueat seipsum, vt dictum est.

7. Petes primò An hæc potentia, qua mouet Angelus seipsum distinguatur ab eius intellectu, & voluntate. Respondeo potentiam qua mouet Angelus seipsum esse eandem cum potentia, qua mouet immediatè alia à se, quia potentia motiua sui, & aliorum tam ex obiecto, vel effectu, aut termino, quàm ex actione seo modo agendi præsefert vnitatem, & ex gradu suo præsefert etiam vniuersalitatem: ergo non est cur illæ potentiæ distinguantur inter se, sed potentiam qua mouet Angelos alia à se, quin etiam generaliter potentiam motiuam Angelicam ostendimus disp.3. c. 2. distingui realiter ab intellectu, & voluntate. Constat igitur talem potentiam Angelorum motricem sui distingui realiter ab ipsorum intellectu, & voluntate.

8. Petes secundò quàm efficax sit hæc potentia ad motum Angeli velocem efficiendum; an scilicet possit Angelus se mouere à cælo ad terram in quocunque minori tempore in infinitū, vel potiùs requi,

requirat certom aliquod tempus in quo velocissimè spatium illud percurrat, ita vt in minori non possit? Respondeo posse velocius & velocius sine termino. Sic censent Capreolus in 2. distinct. 6. q. 1. Alensis 2. p. q. 53. membr. 1, ad 5. Albertinus t. 1. principio 1. corollar. 16. dubitat. 4. n. 15. & Suarius lib. 4. de Angelis c. 24. n. 7. fauent Patres dum Angelorum velocitatem exaggerantes nullum assignant velocitatis terminum præter Angeli voluntatem.

Capreolus. Alensis. Albert. Suarez.

9. Probatur primò, nam Angelus in vno instanti potest simul adquirere totum locum sibi adæquatum saltem priori loco contiguum, vt dicemus c. 3. ergo etiam poterit idem spatium loci adæquati breuiori, ac breuiori tempore pertransire, quia minus est pertransire totum illud spatium motu successiuo quantumuis veloci, quàm totum illud in instanti adquirere. Quòd si hoc admittitur de primo spatio, seu loco adæquato, consequenter erit idem de omnibus sequentibus, ac subinde de quocunque spatio cuiusuis magnitudinis: nam post primum adquirit secundum, & quæuis spatij magnitudo percurretur velociùs, & velociùs sine termino.

10. Probatur secundò; nam Angelus mouetur sine vlla resistentia, vel ex parte substantiæ suæ, vel ex parte corporis medij, vel etiam ex parte distantiæ; hæc enim per se spectata etiam Angelo non resistit, siquidem quantaecunque illa sit, pertransibilis est quocunque tempore breuissimo, si aliunde non sit impedimentum, aut virtus non desit. At in præsenti nollum impedimentum cogitari potest, nec virtus deficere; quia quidquid potest Angelus facere sine resistentia potest facere in quacunque breuissima mora, quæ non repugnet effectui: ergo potest Angelus mouere seipsum breuiori, ac breuiori tempore in infinitum.

11. Vasquez. Vasquius tamen 1. part. disput. 197. cap. 3. num. 11. docet potentiam motiuam Angelorum habere terminum aliquem maximum in velocitate motus, quam potest efficere, postulareq́ue ad minimum certum tempus, in quo possit determinatum spatium pertransire. Probatur primò: nam hæc potentia finita est: Omnis autem potentia finita habet terminum maximum tam in effectu, quàm in modo illum efficiendi, videlicet in intensione, ac extensione: ergo etiam in velocitate. Secondò, quia sicut Angeli sunt in essentiali perfectione inæquales, ita etiam in virtute se mouendi: nam est eadem ratio: ergo quisque pro maiori, vel minori perfectione habet diuersum terminum velocitatis, sed determinatum omnes. Tertiò: nam alias posset etiam quilibet Angelus mouere quodlibet corpus velocius, & velocius in infinitum, quod non est admittendum.

12. Ad primom in oppositum respondetur, vt motus localis, qui fit sine resistentia spatij, vel mobilis fiat velocior sine termino, non requiri virtutem infinitam, sed sufficere virtutem superioris rationis; virtus autem Angeli meritò creditur esse superioris rationis cùm possit in instanti mutationem vnius loci adæquati facere. Nec est necesse quòd potentia finita terminetur quoad maximum in modo agendi, præsertim quoad temporis breuitatem, cùm illa potentia talis est, vt sine resistentia operetur. Ad secundum respondetur omnes Angelos æquales esse, sicut in virtute mouendi seipsos in instanti, sic etiam in potestate mouendi seipsos velociùs & velociùs sine termino: Satis enim est quòd superiores excellant in potestate adquirendi simul maiorem locum, & in efficacitate mouendi res alias. Ad tertium negatur sequela: nam in corporibus datur resistentia ex parte mobilis, quæ non datur in Angelo dum mouetur à seipso. Videantur supra dicta disputatione 3. capite 3. num. 13. & 15.

CAPVT II.

An Angelus moueatur per mutationem sibi intrinsecam.

ETsi Durandus, & Heruæus negauerint Angelos localiter moueri, quia Durandus putauit Angelum vbique adesse: Heruæus autem existimauit Angelos, in loco non esse: Satis ex superioribus colligitur Angelos loco moueri, quod sæpe tradunt Patres disp. 5. relati, videatur etiam Vasquius disp. 194. cap. 2. Ratio est quia cùm Angeli non sint vbique, vt contra Durandum ostendimus disp. 5. cap. 1. & verè sint in loco, vt iam probatum est, sequitur apertè posse mutare loca. Restat verò quæstio an motus localis sit denominatio extrinseca in Angelo, vel sic inhæreat ipsi, vt sit per intrinsecam potentiam passiuam mutabilis secundùm locum. 1. Durand. Heruæus. Vasquez.

Prima sententia docet motum localem Angelorum non inhærere ipsis intrinsecè tanquam modum intrinsecum illorum, sed solùm per denominationem extrinsecam dici Angelum moueri ab vno loco in alium. Ita Gregorius in 2. dist. 6. quæst. 1. art. 2. Caietanus hîc art. 1. §. *Circa prædicta*. Ferrara 3. contra Gent. cap. 102. atque aliis. Gregorius quidem generaliter existimat hoc esse verum tam in motu corporis, quàm in motu Angeli. Probatur 1. ex Aristotele 8. physic. cap. 7. text. 59. vbi in hoc distingit lationem ab aliis physicis mutationibus. *Quia* (inquit) *hac sola nihil, quod insit, mutatur, quomodo eius, quod alteratur qualitas, eius, quod augescit, & decrescit, quantitas.* Vnde probatur, motum localem esse perfectiorem aliis, quod etiam amplexus est S. Thomas 1. part. quæst. 100. art. 3. 2. Gregorius. Caietan. Ferrara. Aristot.

Probatur secundò ratione quia per motum localem mobile nihil adquirit intrinsecum: ergo nec ipse motus esse potest aliqoid intrinsecum mobili. Patet consequentia, quia motus proportionatur termino cùm realiter sit modus illius, ac subinde debeant esse in eodem subiecto. Antecedens verò probatur, quia per motum localem nihil adquiritor nisi locus: sed locus est aliquid extrinsecum, nimirum superficies vltima corporis continentis: ergo per motum localem nihil adquiritur intrinsecum. 3.

Ferrara specialiter hoc fundat in natura propria Angelorum, qui iuxta Thomistarum opinionem sunt in loco per operationem: Sed Angelùm operari in corpore non est mutari Angelum intrinsecè, sed potiùs est mutare corpus, quæ est denominatio intrinseca corpori, sed Angelo extrinseca: ergo motos non inhæret Angelo intrinsecè. Fauet Ioãnes Arboreus l. 1. Theosophiæ c. 7. dicens Angelum non moueri localiter propriè, quod probat: nam Angelus est indiuisibilis, & secundùm Aristotelem indiuisibile non est capax motus secondum locum, qooniam in indiuisibili non putest esse prius & posterius; allegat etiã Augu 4.

August. Augustinum, qui lib. 8. de Genes. ad litteram cap. 20. dixit spiritualem creaturam per tempora mutari, non per loca.

5. Ferrara. Alij limitant hanc sententiam vtenter distinctione, quam tradidit Ferrara suprà §. *Attendendum tamen:* dicunt enim Angelum moueri posse vel per se, quando solus sine motu locali corporis mutat præsentiam suam, & tunc fatentur per aliquid intrinsecum sibi moueri, vel per accidens, quando mouetur Angelus ad motum corporis alicuius, & tunc aiunt moueri per solam denominationem extrinsecam à motu corporis cum quo mouetur. Probant: nam etiam corpora, quæ per accidens mouentur, solùm denominantur moueri à motu alterius, quia si reciperent motum in se, mouerentur propriè per se: ergo multò magis id dicendum est de Angelis.

6. Vasquez. Nonnihil differt Vasquius 1. p. disp. 195. cap. 4. qui tria dicit. Primum est quando Angelus per se mouetur, aliquam mutationem intrinsecam in Angelo fieri. Secundum est motum localem Angeli non consistere in variatione illius modi, sed in quadam extrinseca denominatione distantiæ à punctis fixis, ac subinde, terminum motus non esse modum illum realem, sed talem distantiam. Tertium est cùm Angelus mouetur per accidens motu corporis in quo est, nullam in ipso fieri mutationem intrinsecam. Primum probat, quia cùm iuxta sententiam ipsius Angelus sit in loco ratione cuiusdam modi superadditi substantię suę, quo coniungitur alicui corpori, necesse est mutari modum, vt in diuerso corpore Angelus constituatur. Secundum probat: nam cùm modus Angeli, quo vnitur corpori non inferat ex se respectum distantiæ à punctis fixis, sed tantùm vniat Angeli substantiam huic corpori vel illi, vbicunque illud sit, & ita quoties mouetur corpus, & Angelus eidem corpori manet vnitus, non variet modum, sicut anima dum est in corpore, quocunque ipsum comitetur eandem retinet vnionem, fit vt formalis ratio motus non consistat in mutatione illius modi, quem Angelus in se habet, sed in variatione respectus extrinseci distantiæ, quem sortitur ratione corporis.

7. Tertium probat, quia quando mouetur Angelus ad motum corporis non mutat vnionem ad corpus: ergo nulla mutatio intrinseca tunc in Angelo fit: ergo solùm per denominationem extrinsecam mouetur, scilicet à motu corporis à quo denominatio talis in ipsum resultat. Confirmat hæc omnia exemplis animæ informantis corpus, & Dominici corporis existentis in Eucharistia modo spirituali: nam dum homo mouetur localiter, anima solùm mouetur per denominationem extrinsecam à motu corporis, quia per se non est distans, aut propinqua punctis fixis, nec potest peculiarem modum vbitatis, vel distantiæ in seipsa adquirere; aliàs non per accidens, sed per se moueretur, imò nec moueretur ab alio, qui mouet corpus, sed ab eo, qui conseruat illam corpori præsentem. Similiter corpus Christi sub speciebus mouetur solùm per accidens ad motum specierum, ac subinde per solam extrinsecam denominationem: Nam si proprio motu mouetur, certè non per accidens, sed per se mouetur, ac per consequens non ex vi motus specierum, nec ab eo qui species mouet, sed ab ipsomet Christo, qui iuxta legem à se præscriptam vult comitari species quocunque ferantur.

8. Dico primò Angelus mouetur per se intrinsecè, id est, motu sibi realiter inhærente. Ita docent Lichetus in 2. dist. 2. quæst. 5. art. 2. & quæst. 9. Licherus.
Herrera in 2. distinct. 7. disp. 2. & 3. ceterique Herrera.
pro se Scotum variis in locis. Tenent Malonius Malon.
in 2. dist. 8. disput. 14. & 15. Cumel, & Molina in Cumel. Molina.
hac quæst. 53. artic. 1. Pesantius ibidem disp. 3. Pesantius.
Bubalus quæsit. 1. difficult. 4. Suarius lib. 4. de Bubalus.
Angelis cap. 12. & sequentibus, vbi plures allegat Suarez.
antiquiores, qui licet hoc expresse non doceant, valde tamen insinuant. Probatur primò ex Aristotele 3. physic. cap. 3. & 9. metaphys. text. 9. dicente. Arist.
Perspicuum est motum esse in eo quod mouetur. Sed Angelus vere ac realiter mouetur: ergo per motum realem sibi realiter inhærentem.

Probatur secundò quia si terminus motus intrinsecè afficit aliquod subiectum etiam motus per se tendens ad talem terminum afficiet intrinsecè idem subiectum. Sed illud *vbi*, quod est terminus motus localis Angeli afficit, & denominat intrinsecè substantiam Angeli, vt disp. 5. cap. 3. visum est: ergo etiam motus ad illud intrinsecum vbi terminatus afficit, & denominat Angelum intrinsecè. Consequentia tenet, Maior ostenditur primò quia motus est modus sui termini, quamobrem in eodem subiecto debet vterque subiectari. Secundò, quia nullum aliud subiectum talis motus potest assignari: nec enim est alius Angelus, vt de se patet, nec corpus aliquod; Tum quia potest hic motus fieri sine vllis corporibus; Tum etiam quia cùm fit intra corpora, potest fieri sine motu alicuius corporis: ergo non potest inhærere nisi in ipso Angelo, qui mouetur. Tertiò, nam ex Aristotele supra motus est actus mobilis, id est, actuans, & afficiens ipsum mobile, ideoque actus entis in potentia vtique passiua: Sed quando mouetur Angelus ipsemet est mobile: ergo motus est actus eius ipsimet inhærens. 9.

Probatur tertiò, quia variatio prædicatorum etiam per contradictoria, si fit per denominationem extrinsecam, non infert mutabilitatem in re sic denominata, nec imperfectionem, quæ veram potentialitatem includat, ac proinde non sufficit vt talis res verè mutari dicatur: Sic Deus nunc esse dicitur in aliqua re, nunc non esse sine mutabilitate, vel potentialitate, aut mutatione aliqua, quia per solam denominationem extrinsecam conuenit Deo existere in rebus creatis: ergo signum est rerum mutationem dicere aliquid intrinsecum rei, quæ mutatur; & ideò potentialitatem, ac veram mutabilitatem supponere. Sed Angelus cùm mouetur localiter verè mouetur, & talis denominatio supponit in Angelo imperfectionem, limitationem, ac potentialitatem, ratione cuius verè ac propriè mutabilis dicitur: ergo illa denominatio, qua Angelus moueri dicitur, non est tantùm extrinseca, sed intrinseca: ergo per aliquid existens in ipso Angelo, quod esse non potest, nisi motus localis. Confirmatur: nam ille motus est quid spirituale: ergo in subiecto spirituali: ergo in ipso Angelo, qui mouetur. Consequentiæ patent. Antecedens probatur, quia motus & terminus sunt eiusdem ordinis, sed terminus huius motus, scilicet vbitas Angelica, est quid spirituale, vt disp. 5. visum est: ergo etiam motus. 10.

Dico secundò Angelum licet cum corpore assumpto, vel moto videatur moueri per accidens, nihilominus intrinsecè moueri proprio motu spirituali sibi realiter inhærente. Ita Scotus in 2. 11. Scotus.
dist. 2. quæst. 9. & 10. vbi dicit expressè dum Angelus mouetur in corpore assumpto, motū Angeli distingui

distingui quidem à motu corporis, & in 4. dist. 10. quæst. 3. vel 6. docet corpus Christi sub speciebus moueri proprio motu quando cum speciebus defertur, & ibidem ait, quòd si Angelus vult esse in lapide, qui mouet lapidem non mouebit Angelum per accidens, sed oportere quòd Angelus ipse propria volontate, & actione se moueat, vt lapidem comitetur.

12. Sed notandum est pro declaratione conclusionis Aristotelem 5. physic. cap. 1. tres modos motus per accidens assignasse. Primus est eorum, quæ coniunguntur per accidens cum eo quod mouetur per se, sic musica dicitur moueri ad motum hominis in quo est. Secundus est partis respectu totius. Tertius est totius respectu partis. Sed aliter possunt tres modi talis motus assignari. Primus si moueatur concomitanter, quando scilicet quis mouet seipsum, vt alterum comitetur, & tunc non est dubium quin motus per accidens sit intrinsecus mobili, vt quando famoli comitantur herum. Secundus est per efficientiam, quo pacto dixit

Aristot. Aristoteles 6. physic. cap. 10. text. 86. hominem in naui moueri per accidens, quia motus nauis efficit motum in homine; non quia motu nauis, & non motu sibi proprio moueatur: cùm enim nauis, & homo sint duo subiecta motus, oportet vnumquodque motu sibi proprio moueri; sicut vnumquodque est in loco sibi peculiari: Quò pertinere videtur motus Musicæ in homine, quippe motus subiecti causat motum accidentium inhærentium in illo. Tertius est formalis, quò pertinent secundus, & tertius ab Aristotele designati: pars enim dicitur moueri per accidens ad motum totius, quatenùs licèt recipiat motum formaliter inhærentem sibi, non tamen adæquatè recipit totum motum, & ita motu alteri adæquato mouetur; E contrà totum dicitur moueri per accidens vnica solùm parte mota per se, quia propter colligationem resultat motus illius.

13. Itaque licèt omnibus istis modis motus per accidens semper sit intrinsecus mobili, quod dicitur per accidens moueri, vt visum est; Angelum tamen non moueri per accidens tertio modo, nec regulariter secundo, sed tantùm primo. Probatur, quia dum Angelus mouetur in corpore assumpto ipse mouet corpus efficienter, & vt ab illo non separetur, mouet semetipsum simul cum corpore; ergo solùm dici potest moueri per accidens, quia concomitanter simul cum corpore mouetur, vel quia non propter se sed propter corpus mouetur: Et idem est quoties Angelus persæpe, & non per solum impetum impressum mouet corpus ad locum distantem à priori loco, vnde motus incepit: tunc enim necessarium est vt cum corpore feratur Angelus, vt semper corpus moueri possit. In his autem casibus non dicitur Angelus moueri per accidens ab aliquo producente motum in alio, & quasi concomitanter trahente Angelum: nam ibi nullum est aliud mouens præter ipsum Angelum, qui non minùs immediatè mouet seipsum, quàm corpus. imò eò immediatiùs mouet seipsum, quò magis est sibi coniunctus, quàm corpori.

14. Dices Angelum directè ac per se solum applicare suam vim motricem corpori, & ita in solo corpore per se producere motum, ac ex vi talis actionis trahi Angelum ad motum corporis, sed contrà, quia non potest sic trahi vnum ad motum alterius, nisi ea duo quæ mouentur sint ita coniuncta, vel vnita, vt ex vi talis coniunctionis, vel vnionis vnum secum trahat aliud: aut nisi sit vnum sic contentum intra aliud vt ex motione vnius alteri imprimatur impetus, quo impellatur. Neutrum autem istorum habet locum in corpore & Angelo. Non primum: nam inter Angelum, & corpus nulla datur coniunctio, vel vnio physica, vt contra Vasquium ostendimus disp. 5. cap. 5. n. sa. sed solùm immediata præsentia secundùm *vbi*, quæ non sufficit, vt ad motum corporis Angelus trahatur; aliàs quicunque motus traheret corpus, simul moueret Angelum, etiam inuitum, & nolentem sequi corpus; quod est incredibile. Nec item secundum: nam Angelus non continetur intra corpus, ita vt ab illo circumscribatur, vel ita vt non possit corpus per Angelum permeare, vel è contrà; nec potest corpus motum imprimere Angelis impetum, quia corpus nō potest agere in spiritum, maximè quando est supposito diuersū, & effectus est spiritualis: At impetus ille fieri debet in Angelo, ac subinde debet esse spiritualis.

Præterea rationes factæ pro prima conclusione ferè militant pro ista, quia non minus dicitur Angelus moueri, & mutari, v. g. Gabriel cùm ingressus fuit ad Virginem in corpore assumpto, quàm Dæmones, cùm dicuntur ingredi corpora obsessorum; Et quando Angelus ferebat Habacuc Prophetam, non minùs se mouebat, quàm Prophetam; imò priùs quodammodo seipsum sicut homo deferens vas in manu seipsum priùs mouet, quàm vas. In vtroque tamen est suus motus intrinsecus. Quapropter illud per accidens nunquam potest esse tale, vt formaliter sit per alienum motum, vel per solam extrinsecam denominationem. Est enim contra rationem huius denominationis, quę est mutari, quòd sit tantùm extrinseca, id est, à forma existente in distincto supposito, quia si mutatio non afficit subiectū, reverà non mutat illud: at corpus semper est distinctū suppositū ab Angelo: ergo nunquā potest Angelus verè ac propriè denominari motus, seu mutat᷑ à solo corporis motu. 15.

Ad primum primæ sententiæ respondetur differentiam ab Aristotele constitutam inter motum localem & alios motus solùm consistere in hoc, quòd per motum localem non acquiritur noua forma, quæ sit res distincta à subiecto mobili, & illud ad aliquam substantialem mutationem disponat, vt fit in alteratione, & suo modo in augmétatione, quæ sine alteratione, partialique generatione substantiali non fit; non tamen excluditur quin per motum localem aliquis motus in ipso mobili producatur, quem meritò vocamus intrinsecum, quoniam inhæret mobili, licet valde sit accidentarius, quatenùs internam connaturalem constitutionem non immutat. Ad secundum negator antecedens, ad cuius probationem dicimus per motum localem adquiri quoddam vbi, vel vbitatem intrinsecam distinctam ab extrinseca loco, & priorem necessitate naturæ; quoniam ad intrinsecam vbitatem consequitur extrinseca superficies corporis continentis, si detur respectu corporis locati: nam intrinsecè non est necessaria, nec respectu Angeli datur talis continentia, vt dictum est suprà. 16.

Ad fundamentum Ferraræ negamus Angelum esse intrinsecè in loco per operationem, quia solùm intrinsecus Angelorum est fixio in spatio imaginario, vel vbitas intrinseca, cuius adquisitio, vel amissio subinde immutat Angelum intrinsecè. Ad fundamentum Arboræi respondetur Angelum non esse indiuisibilem sicut 17.

punctum, sed longè altiori modo, ratione cuius licèt in se sit inextensus quantitatiuè, potest tamen existere in loco extenso, & diuisibili. Vnde sicut in loco extenso est diuisibiliter totus in toto, & totus in qualibet parte; sic etiam potest modo spirituali applicare substantiam suam ad aliud, & ad aliud vbi, in qua quidem applicatione consistit motus localis. Augustinus ibi relatus, vt colligitur ex initio eius capitis, loquitur de loco materiali, & corporeo. Quare sub mutatione per tempus videtur omnem motum Angeli spiritualem comprehendere, quia infra lib. 9. de Genesi cap. 14. circa finem ait Angelos *mouere se per tempus, & locum agilitate mirabili.*

August.

18. Ad illam limitationem aliorum negamus secundam partem, & dicimus etiam corpora, quæ dicuntur moueri per accidens, moueri motu sibi proprio, & intrinseco; dicuntur autem per accidens moueri, quatenùs talis motus, vel fit propter motum alterius, vel consequitur ad illud. Opinio Vasquij tota fundatur in illa physica vnione, quam inter Angelum, & corpus assignat, & nos suprà reiecimus disput. 5. cap. 5. à num. 12. Ad confirmationem tamen respondetur illa potius exempla pro nobis esse: nam licèt in anima rationali nonnulli non reputent inconueniens, quòd producatur motus ab extrinseco agente etiam corporeo, quoniam ad agendum per accidens putant habere corpus etiam in spiritum sufficientem actiuitatem, quando spiritus est alligatus corpori, quasi ex tali colligatione proueniat illa subiectio formæ spiritualis respectu agentis corporei. Tamen alij meliùs opinantur talem motum causari efficienter ab ipsa potentia loco-motiua animæ, quæ propter colligationem cum corpore dum iste mouetur, excitatur per naturalem sympathiam, & necessitatur ad producendum in anima motum illum, quem per accidens appellamus.

19. Idem est proportionaliter de motu dominici corporis in Eucharistia, dum enim hostia defertur, vel eleuatur, non in solis speciebus, sed in ipso corpore Christi fit aliqua mutatio localis intrinseca, per quã corpus Christi denominatur intrinsecè præsens, & fixum in hoc spatio imaginario, vel illo; vt docuit S. Thomas 3. part. quæst. 76. artic. 6. & Suarius ibi, atque disput. 4 . 1 ct. 4. Quiquidem disput. 53. sect. 1. conclus. vltima, dicit species Sacramentales virtute sibi diuinitùs communicata trahere secum corpus Christi conseruando præsentiam illius sacramentalem, & aliam similem per motum producendo. Quamobrem species motæ producunt motum in corpore Christi, & efficiunt successiuos terminos ipsius, & permanentem quando quiescunt. Quod equidem probabiliter posset defendi dummodo non ponatur efficientia mutua, qualem asserit Suarius inter speciem, & Christum, vt sub illis existentem, sed dicendo in primo instanti tam præsentiam Christi, quàm specierum conseruationem sine subiecto fieri medijs verbis consecrationis: at in secundo instanti deficiente forma verborum species immediatè conseruari à Deo, & has causare præsentiam corporis Christi. Mihi tamen verosimilius fit, quod asserunt Scotus in 4. dist. 10. & Gabriel lectione 47. in canonem, corpus dominicum in Eucharistia moueri efficienter à Deo, qui sicut supernaturaliter producit, & conseruat ibi corpus illud, sic consequenter producit

S. Thom.
Suarez.

& conseruat præsentiam sacramentalem illius. Dicitur autem Christus ibi moueri per accidens ad motum specierum, vel ab alio qui mouet species, quia supposita institutione huius Sacramenti, prout facta est, non potest dominicum corpus conseruari ex vi actionis conuersiuæ, nisi sub speciebus; quare pro continuatione primi miraculi tenetur Deus motis quomodolibet speciebus simul mouere corpus Christi Domini, quod est moueri per accidens concomitanter.

20. Similiter ergo dum Angelus existit in corpore obsesso, vel assumpto; vel sua voluntate se alligauit annulo, vel simili rei, si Angelus ipse sit motor corporis, equidem ab eodem mouebitur Angelus à quo mouetur corpus, re tamen vera non mouet seipsum per corpus, sed tantùm concomitanter, vt diximus. Quòd si corpus illud ab alio moueatur, tunc Angelus dum velit tali corpori assistere, mouebit seipsum ad motum corporis, diceturque moueri per accidens, quatenùs ideò sic se mouet, vt comitetur corpus illud; semper tamen latione sibi propria, & intrinseca vt visum est.

21. Petes, vtrùm motus Angeli tantùm inter positiuos terminos versetur? Sic enim censet Bassolis in 2. distinct. 2. quæst. 4. artic. 1. in 3. argumento; & probatur, quia corpora semper mouentur inter terminos positiuos, adquirendo scilicet vnum locum, dum amittunt alium, & è contrà saltem secundùm partes: ergo idem sentiendum est de Angelis: nos enim non intelligimus motum Angeli, nisi ad instar motus corporum. Respondeo nihilominùs Angelum posse localiter moueri triplici genere mutationum, quas distinxit Aristoteles 5. physic. cap. . & his nominibus appellauit, *à subiecto in subiectum, à non subiecto in subiectum, & à subiecto in non subiectum.* Per subiectum intelligit terminum *ad quem* & *a quo* motus. Vnde perinde est ac si diceret motum interdum esse amittendo terminum positiuum, & adquirendo alium etiam positiuum, & interdum fieri tantùm adquirendo, id est, à priuatione ad habitum transeundo; interdum tantùm amittendo, id est, regrediendo ab habitu ad priuationem.

Bassolis.

Arist.

22. Probatur manifestè ex dictis disput. 5. cap. 8. vbi docuimus Angelum esse posse in loco minori maximo: nam inde fit, non solùm posse Angelum relinquere suum locum, aut intrinsecam vbicationem adæquatam, vel inadæquatam, vt aliam adquirat partialem, vel totalem, ac subinde moueri inter terminos positiuos: sed etiam dum est in loco adæquato, posse ad minorem locum se reducere, & non totum relinquere, quæ est mutatio à termino positiuo ad priuatiuum, & consequenter erit solùm mutatio priuatiua, id est, desitio conseruationis illarum partium præsentiæ, & è contrà dum est in loco inadæquato posse tali præsentia retenta partes alias vbitatis adquirere vsque ad locum sibi adæquatum, quæ est mutatio à termino priuatiuo ad positiuum, nec in hoc apparet vlla repugnantia supposita illa opinione. Vnde soluitur etiam contrarium fundamentum: corpus enim semper necessariò est in loco adæquato; quare nec potest perdere partem loci, nisi adquirendo æqualem, nec è conuerso. At Angelus sicut pro libito potest in loco maximo, vel in minori se collocare, sic potest minuere locum, nihil adquirendo, & augere nihil amittendo, vt dictum est.

CAPVT III.

An motus Angeli sit continuus, vel discretus in tempore, vel in instanti.

1. SVppono primò nomen motus interdum accipi pro transitu successiuo, in quo detur prius & posterius, aliquando verò sumitur latè, quo pacto significat transitum à termino *à quo* ad terminum *ad quem*, siue fiat successiuè, siue totus simul. Eadémque distinctio potest adhiberi de nomine mutationis: Vt verò tollamus æquiuocationem, motum appellabimus communiter illum, qui successionem habet vel continuam, vel discretam; mutationem autem in latiori significatione vsurpabimus.

2. Sic ergo mutatio localis potest multipliciter in Angelo considerari: nam vel est continua, vel discreta; & hæc rursus contingere potest vel per mutationes instantaneas sibi immediatè succedentes sine vnione, vel per mutationes instantaneas temporibus morulis post singulas interpositis. Mutationem verò continuam vocare possumus cum Gregorio in 2.dist.6.quæst.3.& Gabriel in 2.dist.2.quæst.3. illam, quæ fit per medium, siue fiat in instanti, vt quando simul adquirnntur omnes partes vbitatis Angelicæ in spatio continuo; sicut calor vt octo potest produci supernaturaliter totus in instanti, & tamen omnes gradus producuntur vniti, & continuati inter se: siue fiat successiuè, vt quando præter continuationem, & vnionem partium motus datur in illis prius, & posterius. Gregor. Gabriel.

3. Suppono secundò, mutationem dupliciter vocari continuam in hac materia, scilicet, vel ex parte spatij, vel ex parte temporis, aut ex intrinseca vnione partium eiusdem motus, quæ partibus continui temporis correspondeant. Primo modo ea dicitur mutatio localis continua, in qua non fit transitus ad terminum remotum, nisi transeundo per omnes partes spatij medij, siue talis transitus fiat vno tractu physicè continuo, quoad temporis mensuram, vt est v.g. motus cæli; siue fiat per plures morulas discretas, quomodo dici potest homo continue transire hinc vsque ad Romam, licèt sæpius in itinere quiescat, qui modus loquendi satis improprius est, & in corporibus non vsurpatur, tamen in Angelis aliqui sic loquuntur, quoniam in illis dubium est an transeant ab extremo ad extremum sine medio, cuiusmodi motum vocant e contrario discretum ex parte spatij, quamuis cum aliqua successione continua fieri contingat. Sed ne de vocibus contendamus continuum motum simpliciter appellabimus eum qui in sua intrinseca duratione habet continuam successionem, & discretum simpliciter, qui careat eadem; alium verò solùm cum addito vocabimus continuum, vel discretum ex parte spatij.

4. Suppono tertiò, posse Angelum mutare locum in instanti, scilicet adquirendo totum vnum locum, & deserendo totum alium. In hoc conueniunt communiter Doctores Albertus, Gregorius, Maior, Gabriel, Scotus, Marsilius, Henricus, quos refert, & sequitur Suarius lib.4.de Angelis cap.21.num.1. Molina in hac quæst.53.art.3. conclus.1. Vasquez disput.197.cap.3. Albertinus tom.1.princip.1.corollar.16. Bubalus quæst.53. art.3.quæsit 1. difficult.1. & difficult. 2. ostendit esse mentem istam S. Thomæ, qui solùm negat motum Angelorum in instanti, prout claudit terminum *à quo*, & *ad quem*, ne deutur duo instantia immediata. Demum Valentia tom.1. disput.4. quæst.4.punct.2. Mutationem localem instantaneam admittit in Angelo, licet motum in instanti non concedat, & sic intelligit S.Thomam hic art.3.cùm negat motum Angelorum in instanti, loqui de motu strictè dicto cum successione partium. Albertus. Gregor. Maior. Gabriel. Scotus. Marsilius. Henricus. Suarez. Molina. Vasquez. Albert. Bubalus. Valentia.

Probatur nostra doctrina: nam Angelus existens in loco diuisibili potest totum illum simul relinquere, siquidem permanentia in toto loco, & in qualibet parte ipsius est Angelo voluntaria, & partes illius præteritæ non habent ordinem per se, nec dependentiam vnius ab alia. Eadémque ratione poterit Angelus simul adquirere totum alium locum etiam diuisibilem: cùm enim non habeat extensionem partium in loco, ita vt habeat partem suam in parte loci, sed totus sit in toto, & totus in qualibet parte, non est cur necessariò requirat successionem in adquisitione loci diuisibilis; tum quia sicut simul est totus in toto, & in quauis parte, sic etiam potest incipere simul existere in illis, cùm non detur maior repugnantia in primo esse, quàm in permanentia; tum quia necessitas successionis in motu locali corporis prouenit ex eo, quòd vna pars debet expellere aliam, vt possit in locum eius subintrare, cùm non possit esse simul, & similiter pars, quæ nouum locum adquirit debet relinquere priorem, cùm nequeat esse simul in vtroque. In Angelo verò non inuenitur hæc necessitas successionis, quia potest distantem loci partem adquirere simul manendo in propinqua, nec habet partes, quarum vna pellat aliam, vt subintret in locum partialem illius, sed totus liberè se applicat ad totum, & ad quamlibet partem. 5.

His positis sic formatur ratio. Mutatio, quæ fit tota simul, necessariò fit in instanti indiuisibili, sed Angelus si vult mutat totum locum simul: ergo per mutationem instantaneam, id est, simul totam factam, & consequenter in instanti. Confirmatur, quia dum Angelus sic mutatur, solum mutatur in eo instanti in quo adquirit terminum *ad quem*, & relinquit terminum *à quo*: ergo tota mutatio fit in solo instanti. Patet consequentia, quia motus formaliter denominat mobile mutari, & ideò quando motus est in tempore, in toto illo verè dicitur mobile mutari: ergo e contrario si mobile mutatur in vnico instanti, in solo illo datur instantanea mutatio, & non in tempore. Loquimur sanè quando Angelus vnicum locum integrum dimittit, & alium adquirit, quo sensu antecedens principale videtur certum: nam Angelus non mutatur, quandiu permanet in termino *à quo*; tum quia per totam illam durationem eodem modo se habet ac prius, ac subinde quiescit: ergo non mutatur; tum etiam quia in tota illa duratione, nec amittit, nec adquirit aliquid loci: ergo non mutatur localiter: ergo solùm mutatur in ea duratione, in qua adquirit terminum *ad quem*: Sed istum terminum adquirit in instanti: ergo tota illa mutatio tantùm est in instanti, & solùm ordine naturæ antecedit suum terminum, vt in cæteris mutationibus instantaneis contingit. 6.

Oppositum sentiunt Caietanus hic art.3.& alij Recentiores Thomistæ, quibus fauere videtur 7. Caietan.

S. Thomas eo art. 3. & in 1. dist. 37. quæst. 4. art. 1. ad 3. Respondéntque ad nostrum argumentum Angelum tunc nec in termino *à quo*, nec in termino *ad quem* mutari, sed in vtriusque successione. Ceterùm ratio facta conuincit, Angelum nullo modo mutari quandiu manet in termino *à quo*, nec ibi habere partem aliquam mutationis: ergo non potest dici moueri in successione vtriusque termini; ita vt sit vera successio realis in reali duratione, siquidem non mouetur in pluribus instantibus collectiuè sumptis, & partialiter in singulis: Quamuis inter terminos dici posset esse quædam successio, quatenùs ad adquisitionem vnius amittitur alter; illa tamen in instanti fit: Sicut inter generationem, & corruptionem contingit: nam idem instans inceptionis vnius termini est primum non esse alterius.

8. Hinc fit contingere quoque posse istam Angeli mutationem instantaneam quando velit Angelus adquirere partem loci nihil demittendo præexistentis, quia si Angelus existens in loco inadæquato velit adquirere partem loci, qua locus adæquatus compleatur priori parte retenta, subitò & sine successione potest id facere, vt proportionaliter constat ex argumento supra facto: ergo illa adquisitio loci partialis in instanti fit, nec ibi apparet aliqua successio magis quàm in illuminatione, cuius terminus *à quo* est carentia luminis. Idem est de mutatione merè priuatiua: Potest enim Angelus partem loci deserere sine successione deserendo aliam partem: nec enim est cur non possit totam aliquam partem relinquere simul, ac subinde in instanti.

9. Obiiciunt verò Thomistæ quòd Angelus quiescens in vno loco per aliquod tempus necessariò quiescit in illo vsque ad instans terminatiuum illius temporis: Sed non potest instans immediatè succedere instanti, & motus etiam Angeli succedit immediatè quieti: ergo motus Angeli non potest esse in instanti. Minor & consequentia constant. Maior verò probatur, quia de ratione quietis est iuxta doctrinam Aristotelis 3 physic. text. 31. vt mobile non aliter se habeat nunc, quàm priùs; & ideò in quolibet instanti temporis mensurantis quietem tam videlicet in primo, & vltimo terminantibus illud tempus, quàm in intermediis mobile quod quiescit, debet se habere eodem modo. Quare non potest in instanti transire ad alium locum per motum; alioquin darentur duo instantia immediata: ergo necesse est in tempore post quietem moueri.

10. Confirmatur primò, quia de ratione motus est, vt id quod mouetur, aliter se habeat nunc, quàm priùs: Sed hoc non potest esse in instanti; siquidem non datur in illo priùs & posterius: ergo non potest Angelus in instanti moueri. Confirmatur secundò: nam omnes mutationes instantaneæ sunt termini motus successiui, sicut generatio est terminus alterationis, illuminatio est terminus motus localis: Sed mutatio localis Angelorum non est terminus alterius motus, sed per se fit: ergo non est mutatio instantanea, sed successiua. Confirmatur tertiò, quia motus localis incipit per vltimum non esse: ergo non potest esse in instanti, siquidem id, quod solùm existit in instanti, incipit per primum sui esse. Confirmatur quartò: nam in motu locali ante quodlibet mutatum esse præcedit moueri vt probat Aristoteles 6. physic. & semper quod mutatum est localiter priùs mutabatur: ergo mutatio localis non potest esse in instanti; alioquin simul mobile mutaretur, & esset mutatum, dareturque mutatum esse, antéque non præcederet moueri.

11. Ad argumentum negatur maior: nam vniuersaliter sumpta falsa est. Etenim sicut motus potest esse in toto aliquo tempore, licèt non existat in instantibus terminantibus, cùm in altero incipiat per vltimum sui non esse, ac per consequens in eo non sit, in altero verò desinat per primum sui non esse, subindéque non sit in illo, sic etiam potest aliquid quiescere per totum aliquod tempus, & non in instanti terminante, mutarique in illo mutatione instantanea: vt enim dicatur quiescere toto aliquo tempore, satis est si in qualibet eius parte proportionali quiescat, nec est necesse vt habeat se eodem modo in instanti terminatiuo: nam istud instans non est pars illius temporis, vt quia in instanti non quieuit, sequatur non quieuisse in toto tempore.

12. Itaque licèt in corporibus quies necessariò duret vsque ad vltimum instans existentiæ mobilis in termino *à quo*, tamen in Angelis id non est necessarium. Ratio discriminis est, quia mutatio localis in corpore quanto non potest nisi per motum successiuum fieri, motus autem successiuus non potest incipere in instanti intrinseco, sed necessariò per vltimum non esse debet inchoari. Quare necessarium est vt mobile vsque ad illud instans intrinsece quiescat iuxtà doctrinam Aristotelis, ibi relatam. At in Angelo non est necesse quietem ita desinere, siquidem potest Angelus in instanti nostro totum aliquem locum adquirere simul, vt ostensum est. Quapropter illud idem instans potest esse primum non esse quietis in priori loco. Ceterùm si velit Angelus post quietem in vno loco successiuè transire ad alium, necessarium erit vt quies in priori loco duret vsque ad aliquod vltimum instans.

13. Ad primam confirmationem distinguitur Maior, quia si illud *nunc* sumatur distributiuè, sensus est illud moueri, quod in quolibet instanti signato post aliquam partem temporis aliter se habet nunc, quàm prius: Quo sensu verum est antecedens de motu rigorosè sumpto, qui per continuam successionem fit; in mutatione tamen instantanea negatur. Si verò sumatur indefinitè, sensus est in omni motu latè sumpto, seu mutatione non posse aliquid verè dici mutari, donec possit designari instans, in quo mobile aliter se habeat nunc, quàm priùs. Vnde magis confirmatur, quàm impugnatur nostra doctrina: nam Angelus in vno instanti, in quo simul adquirit totum locum, aliter se habet, quàm priùs; & ideò tunc verè mutatur, & non antea: nam antea non aliter se habebat.

14. Ad secundam confirmationem negatur maior generaliter sumpta, quia licèt in corporibus regulariter soleat prærequiri motus successiuus ad mutationem instantaneam, vel quoniam agens, & patiens erant remota, & per motum appropinquantur, quo pacto illuminatio fit in termino motus localis, vel quia materia non erat disposita, & per motum præcedentem disponitur ad introductionem formæ, quo pacto generatio fit in termino alicuius alterationis. At in mutatione locali Angeli cessat ista necessitas, quia nec mouens distans est à mobili, cùm sit idem met Angelus, nec ad productionem præsentiæ requiritur præuia dispositio, vel alteratio; quare per se ac

immediatè

immediatè fit talis mutatio. Imò & in mutationibus corporeis id cernitur nonnunquam : nam vſque ad inſtans tranſubſtãtiationis panis in corpus Chriſti quieſcit ſubſtantia panis, & tunc in inſtanti ſine alio motu præcedente deſinit eſſe per primum ſui non eſſe, & incipit eſſe ſubſtantia corporis Chriſti ſub ſpeciebus per primum ſui eſſe. Prætereà in inſtanti, quo Deus creauit ſolem fuit illuminatio nullo præcedente motu, quem terminaret, ſed conſequenter ad aliam actionem inſtantaneam, non ordine durationis, ſed naturæ. Vnde ſatis colligitur motum ſucceſſiuum antecedentem eſſe prorſus extrinſecum reſpectu propriæ rationis mutationis inſtantaneæ, ac ſubinde ceſſãte extrinſeca neceſſitate, ſicut ceſſat in Angelis, poſſe dari mutationem inſtantaneam ſine præcedente motu ſucceſſiuo.

15. Ad tertiam & quartam confirmationem reſpondetur ea omnia intelligenda eſſe de motu locali ſucceſſiuo, qualis eſt omnis mutatio localis corporum, de qua ſola loquitur Ariſtoteles in libris phyſicorum; non verò de mutatione locali inſtantanea, qualis eſt Angelorum mutatio, de qua loquimur : nam illa quæ fiunt in inſtanti, & incipiunt per primum ſui eſſe, ſimul fiunt, & facta ſunt. Quando verò S. Thomas hîc art. 3. dicit Angelum quieſcentem toto tempore, neceſſariò quoque quieſcere debere vſque ad vltimum inſtans terminatiuum intrinſecè. Albertinus to. 1. principio. 1. corollar. 16. dubitat. 3. num. 7. explicat ex Caietano ſemper Angelum intrinſecè quieſcere reſpectu ſuæ menſuræ : nam menſura quietis Angelicæ eſt inſtans formaliter indiuiſibile, virtualiter diuiſibile : Hæc autem menſura ſemper deſinit per vltimum ſui eſſe : nam cùm mouetur Angelus, mouetur in alio inſtanti, ſed hoc vltimum eſſe nonnunquam correſpondet inſtanti noſtri temporis intrinſecè, nonnunquam extrinſecè. Vel forſan loquitur S. Thomas de motu Angeli per accidens ad motum corporis, ſicut ſuprà de loco extrinſeco per operationem locutus eſt. Si tamen Angelus quieſcat à motu corporis alicuius, non poteſt in inſtanti terminatiuo illius quietis mouere illud, vel aliud corpus, quia motus in corpore non poteſt incipere in inſtanti; ſicque non diſſentit à nobis S. Thomas.

Albertus.

16. Sed dubitatur primò circa hoc, An inſtans Angelicum, quo menſuratur motus, qui fit ab Angelo totus ſimul differat ab inſtanti noſtro? Negat Scotus in 2. diſt. 2. quæſt. 11. quia non ſunt (inquit) multiplicanda entia ſine neceſſitate, nec eſt inducenda noua ratio durationis ſine fundamento. Sed mutatio localis Angelica commodè ſaluatur in inſtanti temporis noſtri, quando eſt vnica adquiſitio tota ſimul : ergo duratio intrinſeca illius mutationis non differt ſpecie à duratione noſtri inſtantis.

Scotus.

17. Videntur tamen affirmare S. Thomas 1. part. quæſt. 10. art. 5. Albertinus ſuprà dubit. 5. Et probatur, nam inſtans noſtri temporis eſt tranſiens, & neceſſariò deſinit per vltimum ſui eſſe : Sed Inſtans Angelici temporis eſt permanens, & poteſt deſinere per primum non eſſe : ergo differunt. Minor patet : nam per eundem influxum indiuiſibilem, per quem Angelus primò adquirit ſpatium totum ſimul, per eundem etiam conſeruat ſe in ſpatio. Sed illemet influxus eſt mutatio localis inſtantanea terminata per ſe ad intrinſecum *vbi*, quod Angelus adquirit totum ſimul: ergo talis mutatio eſt permanens ſicut & eius terminus, quamuis ſemper ſit tota ſimul.

S. Thom.
Albert.

18. Facile tamen erit vtranque partem in concordiam reducere : nam ſi loquamur de tota duratione entitatiua illius actionis, per quam adquiritur, & conſeruatur diu intrinſecum *vbi*, ſeu fixio in toto aliquo ſpatio, fatemur non menſurari, ſeu durare per ſolum inſtans noſtri temporis, quod intendit ſecunda ſententia, beneque confirmat. Si tamen loquamur de illa locali adquiſitione quoad primum eius eſſe duntaxat, quo pacto propriè dicitur mutatio localis, quia tunc propriè habet ſe mobile aliter quàm anteà; Sic aſſerimus correſpondere vnico inſtanti noſtri temporis : licèt enim inſtans noſtrum tranſeat, & actio illa maneat entitatiuè ; quoad denominationem verò mutationis localis, quæ connotat immediatè anteà negationem talis vbitatis intrinſecæ, tranſit equidem. Sicut etiam philoſophamur de influxu creationis, & conſeruationis, qui differunt ſolùm penes connotatum extrinſecum, quatenùs creatio connotat primum eſſe, ſeu fieri rei, quæ immediatè anteà non erat : Conſeruatio verò connotat permanentiam, ſeu quaſi continuationem eſſe ; quo ſenſu loquitur prima ſententia.

19. Dubitatur ſecundò : An detur motus diſcretus in Angelo? Videntur negare Molina 1. part. quæſt. 53. art. 3. & Vaſquez diſp. 197. cap. 3. quia cùm Angelus in vno inſtanti mouetur ad vnum terminum, & in alio ad alium omninò diuerſum; & ſic deinceps adquirendo per inſtantaneas mutationes loca diuerſa non communicantia, debet in ſingulis quieſcere per aliquod tempus : nam inſtans non ſuccedit immediatè poſt inſtans: ergo cùm interrumpantur illæ mutationes, ac ſubinde nullatenùs continuentur inter ſe potiùs dicentur plures mutationes indiuiſibiles, quàm vnus motus diſcretus. Confirmatur primò, quia quælibet mutatio inſtantanea eſt completa, nec habet per ſe ordinem cum alia ſequenti : ergo non componunt vnum motum. Confirmatur ſecundò: nam alioquin in eodem Angelo ſolùm fuiſſet vnus motus diſcretus a principio ſuæ creationis vſque nunc, quia fuerunt in illo plures mutationes ſibi ſuccedentes : Non eſt autem cur aliquæ talium mutationum componant motum diſcretum, & non omnes : licèt enim inter quaſdam maius tempus noſtrum, vel diutior quies intercedat, parui refert, ſi abſolutè loquendo quietis interpoſitio non obſtat vnitati talis motus.

Molina.
Vaſquez.

20 Pro deciſione dico primò, licèt in noſtro tempore vero, vel imaginario non poſſit inſtans inſtanti ſuccedere immediatè, quia continuum non conſtat ex ſolis indiuiſibilibus, vt in phyſicis probatum eſt; tamen in operationibus Angelicis dari poſſunt duo inſtantia Angelica immediata. Ita Suarius lib. 4. de Angelis cap. 19. num. 6. & cap. 21. num. 12. & lib. 5. & 7. Albertinus ſuprà dubitat. 3. & 6. ita vt ſi primum inſtans Angelicum ex illis immediatis correſpondebat adæquatè inſtanti noſtri temporis, ſecundum debeat correſpondere tempori noſtro minori, & minori in infinitum. Si verò primum reſpondeat noſtro tempori minori & minori ſine termino, ſecundum reſpondebit inſtanti noſtro adæquatè. Exemplum ſit; Si moueatur Angelus in inſtanti noſtro ad totum aliquem locum ſimul, vt dicebamus num. 4 & ſequentibus, vel quieſcat in loco vſque ad vltimum inſtans intrinſecum terminatiuum quietis, & immediatè pòſt velit totum aliom locum

Suarez.
Albert.

locum Indiuisibiliter adquirere, id est, totum simul sine successione, quamuis sit locus extensus, & certæ magnitudinis, adquiret equidem illum in instanti quod sit Angelicum, & non coëxistat instanti nostro soli, sed tempori quod sequitur immediatè post instans. Quòd si immediatè post huiusmodi mutationem instantaneam voluerit ad alium locum indiuisibiliter commigrare, iam hoc tertium instans adæquatè respondebit instanti nostro.

21. Ratio huius conclusionis est, quia postquam Angelus adquisiuit in instanti nostro locum aliquem, vel quieuit in loco per aliquod tempus vsque ad intrinsecum terminatiuum illius, habet adhuc virtutem intrinsecam ad adquirendum alium similem locum indiuisibilem: non enim potentia loco motiua Angeli per illam actionem instantaneam, vel quietem exhausta est: ergo potens est intrinsecè ad aliam actionem instantaneam. Nec item impeditur ab intrinseco, scilicet ex eo quod instantaneæ actioni repugnet in tempore fieri, licèt enim coexistat nostro tempori, non tamen sit commensuratiue ad tempus, sed correspondet quoad primum fieri minori, & minori in infinitum. Sic etiam dici solet, si Deus crearet in instanti nostro vnum Angelum, posse immediatè post creare alium: non est enim potentia creatrix ligata, vel exhausta per primam creationem; illa tamen secunda creatio cùm debeat primò fieri tota simul, quamuis inciperet in tempore nostro, non tamen commensuratiue ad illud quoad aliquam partem determinatam, sed correspondens minori & minori sine termino.

22. Hinc fit, posse Angelum quiescentem vsque ad vltimum terminum intrinsecum horæ, immediatè post moueri mutatione indiuisibili instantanea, quam putauit Caietanus correspondere instanti nostro. Sed hoc refellitur facilè, quia sicut in tempore nostro dari nequit instans immediatum instanti, sic nec in tempore Angelico possunt dari duo instantia immediata, quorum vtrumque correspódeat adæquate instanti nostro, quo pacto intelligendus est S. Thomas hic art. 3. cùm dixit non posse moueri Angelum in instanti si quieuit vsque ad vltimum terminationis horæ, id est, non posse postea moueri in instanti temporis discreti, quod adæquatè correspondebat instanti nostro.

23. Dico secundò, posse Angelum plura loca successiuè mutare, ac per medium ad locum transire distantem in pluribus instantibus Angelicis. Probatur ex dictis. nam Angelus potest simul dimittere totum locum, & alium propinquum simul totum adquirere, & ab illo subito transire ad tertium, & quartum, & sic de aliis: ergo potest successiuè mutare plura loca per plura instantia. Prima consequentia constat: nam eadem ratio est in secundo, & in cæteris locis seu terminis *ad quos*, quæ est in primo: nec enim est in illis maior resistentia, vel repugnantia; nec virtus Angeli defatigatur, aut lassatur in his mutationibus quantumuis successiuè multiplicentur. Secunda verò consequentia probatur, quia quæuis illarum mutationum fit tota simul: ergo fit in instanti vel nostro, vel Angelico, quod correspondeat nostro tempori non commensuratiuè ad illud modo dicto.

24. Restat quæstio de modo loquendi; an hæc mutatio dicenda sit vna vel plures, in qua Vasquez suprà censet parui referre hoc vel illo modo loqui. Probabile mihi est, talem mutationem factam in tempore discreto esse aliquo modo vnam, non simplicem, & per se, sed compositam, & per accidens ad modum quantitatis discretæ. Probatur, nam illæ mutationes quatenùs vna immediatè succedit alteri, ita vt naturaliter non possit esse simul cum priori, & omnes vltimò tendunt ad aliquem terminum vltimum, vbi saltem ex intentione agentis finiatur tota mutatio; videntur habere sufficientem vnitatem quasi per aggregationem, vt dicantur vnus motus, seu tempus discretum.

Confirmatur primò exemplis, nam in operationibus intellectus, & voluntatis Angelicæ reperitur tempus discretum ex his instantibus compositum, vt docet cum communi Doctorum Suarius disp. 50. metaphys. sect. 7. num. 8. ergo similiter in externis mutationibus indiuisibilibus Angelorum, quales sunt istæ mutationes locales admitti potest, & debet: nam idem modus durationis, & successionis in illis inuenitur. Rursùs in mutationibus corporalibus, & localibus inuenitur quantitas discreta: talis enim est oratio, quam Aristoteles dixit esse vnicam per modum quantitatis discretæ: ergo similiter poterit ex illis mutationibus vnus motus discretus componi, qui fiat in simili tempore discreto. 25. Suarez.

Confirmatur secundò, & declaratur, quia dupliciter potest Angelus adquirere indiuisibiliter aliquem locum primò, vt in illo quiescat, & tunc est vna simplex, & indiuisibilis mutatio, quæ nullam facit compositionem cum alia. Secundò duntaxat per modum transitus ad alium locum remotum, in quo remansurus est, & tunc omnes mutationes indiuisibiles, quæ fiunt in medio successiuè, ratione ordinis, & vltimi termini censentur habere quandam vnitatem non strictam, & propriam, sed qualis est in exercitu, & in aliis similibus, & quidem quando dantur duæ solùm mutationes instantaneæ sibi immediatæ, quarum prima, & terminus per illam adquisitus tantum durent per instans, etiam secundùm coëxistentiam ad nostrum tempus, satis intelligitur quomodo existentia in tali loco medio dicatur esse per modum transitus, & ordinari ad alium terminum remotum, quem Angelus in tempore sequenti, licèt non commensuratiuè ad tempus simul adquirit, & ibi quiescens in illo. Quapropter ex his duabus mutationibus planum est vnum motum discretum componi. 26.

Quando verò dantur plures motationes indiuisibiles inter quas aliqua mora, seu quies intercedat, vrgere videntur contra vnitatem talis motus rationes suprà factæ num. 19. Quòd si dicas cum Suario ad vnitatem istam sufficere quidem intentionem Angeli ordinantis primam motationem, quæ est cum quiete ad secundam: Contrà opponit Albertinus, primò: nam hæc intentio Angeli non facit vt transitus sit immediatus, qui ex natura sua non est immediatus. Secundò hæc intentio non facit vnitatem physicam, quæ requiritur ad tempus discretum, quod est physicum. Tertiò, si Angelus quiesceret per annum, non videretur dici rationabiliter illum primum motum inte[rr]uptum per quietem vnius anni componere motum discretum cum mutatione post annum [s]ecuta: Idem autem dicendum erit, si duret per horam, quoniam interruptio maior, aut minor est per accidens & dependet à voluntate Angeli. 27.

Quapro

28. Quapropter Albertinus distinguit, si mora, vel quies est necessariâ proueniens ab ipsa natura, & multitudine mutationum, quippe cùm plura loca media transeunda sunt, debet adquisitio alicuius loci medij, vel etiam plurium coëxistere tempori nostro, ac subinde quietem intercedere necesse est, siquidem vt Angelus alia mutatione indiuisibili distinctum locum adquirat, debet determinare aliquod instans nostrum, ante quod iam præcessit determinatum tempus. Mutatio verò præcedens quoad primum sui esse coëxistit tempori minori, & minori sine termino: ergo quoad esse quasi conseruationis coëxistit etiam alicui tempori ex necessitate. Talem itaque moram necessariam dicit Albertinus non tollere rationem motus vnius, & temporis discreti, quia non habet rationem propriæ quietis, v.g. moueatur Angelus in instanti nostro A, & immediatè post moueatur mutatione indiuisibili B, quæ ex vi modi talis incipiendi debet durare per tempus quod determinet ipse Angelus, & in vltimo terminatiuo illius moueatur Angelus alia tertia mutatione C, tunc hæ tres mutationes facient vnum motum, & tempus discretum: nam illa duratio media, quæ intercessit fuit necessaria ex vi modi incipiendi.

29. Si verò mora sit libera (inquit Albertinus) tollit rationem motus discreti, vel saltem non erit ita propriè vnus motus, quia præter id, quod mutationes illæ petunt ex sua natura, quiescit Angelus liberè, ac subinde voluntate sua interrumpit motum. Nihilominus videtur mihi cum Suario simpliciter dici posse mutatio illa vna moraliter loquendo, & successione discreta morali, si Angelos in illis moralis detineatur animo semper tendendi ad vlteriorem locum. Declaratur exemplo materialis perfectionis hominum ab hoc loco ad alium remotum: quamuis enim in medio itinere sæpiùs quiescant, adhuc illud iter, seu motus discretus aliquo modo censetur vnus: ergo multo magis in prædictis mutationibus Angelorum quidpiam simile reperiur, licèt magis propriè quando mora est necessaria, & minùs propriè quando est libera. Vnde ferè conuenimus cum Albertino.

30. Ad obiectiones suprà factas num. 27. Respondetur intentionem Angeli non facere vnitatem physicam propriam, & per se inter has mutationes, facere tamen vnitatem discretam, quæ potiùs est moralis, & per aggregationem plurium cum aliqua ordinatione ad vnum; hæc autem ordinatio consistit in intentione pertransfeundi loca ista, vt tandem perueniatur ad vltimum. Et quidem sicut diximus moram liberè interpositam efficere, vt minùs propriè dicatur vnus motus, sic etiam fatemur, quò longior intercedat quies, minùs propriam futuram esse vnitatem: Quanta verò mora sufficiat, vt omninò tollatur vnitas mutationis, moraliter expendendum erit, sicut in actionibus sacramentorum, & similibus. Certè cùm Angelus velit per annum quiescere in loco, moraliter censendus erit ibi velle finire motum illum, & alium diuersum post annum inchoare.

31. Dubitatur tertiò, an possit Angelus moueri motu continuo successiuo, Prima opinio negat, tenet S. Thomas in 1. distinct. 37. quæst. 4. art. 3. Sequuntur ibi Heruæus, Hibernicus, & alij. Probatur quia dupliciter potest intelligi motus iste. Primò si Angelus, qui est indiuisibilis formaliter, & diuisibilis virtualiter moueatur motu continuo, & successiuo occupando locum diuisibilem; atque ideò respectu loci habeat se, ac si esset diuisibilis. Secundò, si Angelus existens in puncto continuè moueatur ad locum semper indiuisibilem. Sed neutro modo potest dari motus continuus successiuus in Angelo: ergo hic non potest moueri motu continuo successiuo. Minor quoad primam partem probatur: nam in omni motu continuo mobile partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem* priusquam perueniat ad vltimum terminum teste Aristotele 6. physic. cap. 4. & 10. Sed Angelus non potest esse partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, quia non habet partes: ergo non potest continuè moueri. Quoad secundam partem ostenditur, quia tunc Angelus non magis posset continuè moueri, quàm ipsum punctum: Sed punctum per se sumptum seu separatum non posset continuè moueri iuxta Aristotelem suprà: ergo nec Angelus posset tunc continuè moueri.

S. Thom. Heruæus. Hibernic. Aristot.

Dico tamen primò Angelus si ponat se diuisibiliter in spatio, potest moueri motu continuo, & successiuo. Ita S. Thomas in hac quæst. 53. art. 2. Caietanus, & Molina ibi. Ferrara 3. contra Gent. cap. 102. Scotus in 1. dist. 2. quæst. 9. vbi Gabriel quæst. 3. art. 2. Maior quæst. 12. Gregorius dist. 6. quæst. 2. Marsilius quæst. 7. Capreolus dist. 2. quæst. 2. art. 1. conclus. 5. & distinct. 6. quæst. 1. conclus. 3. & 4. Suarius lib. 4. de Angelus cap. 20. Albertinus tom. 1. princip. 1. corollar. 16. dubit. 4. Vasquez hic disput. 197. cap. 2. Bubalus art. 1. quæsit. 1. difficult. vlt. & alij. Probatur primò ex parte termini *ad quem*: nam assignata quacunque parte priùs Angelus potest adquirere minorem, quàm maiorem sine quiete temporali media, siquidem sufficit ad hoc extensio spatij, quod acquiritur, & virtualis extensio ipsius mobilis, quod scilicet potest occupare priùs locum diuisibilem minorem, quàm maiorem collocando se totum in parte minori, & minori successiuè. Probatur secundò, ex parte termini *à quo*, quia cùm Angelus sit totus in toto, & totus in qualibet parte, potest priùs relinquere minorem locum, quàm maiorem; & sic possunt in Angelo esse plures præsentiæ partiales sibi continuè succedentes. 32.

S. Thom. Caietan. Molina. Ferrara. Scotus. Gabriel. Gregor. Marsilius. Capreolus. Suarez. Albert. Vasquez. Bubalus. Maior.

Declaratur in omni genere mutationis localis quæ reperitur in Angelo, quia mutatio purè amissiua potest fieri successiuè ac continuè, si Angelus existens in loco adæquato velit se ad minorem, ac minorem locum reducere: poterit enim continuè dari maior, ac maior loci perditio: ergo amissio partialis loci potest fieri continua successione. Idem est proportionaliter de pura loci partialis acquisitione: Nam Angelus existens in loco inadæquato potest continuè ad maiorem extendi vsque ad maximum. Vnde idem concludit de motu, qui fit amittendo partim locum, & partim adquirendo: Nam Angelus existens in loco diuisibili potest amittere continuè partem eius vt vidimus: ergo potest eodem tempore continuò tantundem adquirere noui loci, siquidem per hoc nunquam existit in loco maiori maximo, sed in quocunque tempore potest esse in loco adæquato vel minori. 33.

Dico secundò, Angelus existens indiuisibiliter in puncto potest adhuc moueri continuè, ac successiuè. Sic sentiunt suprà citati. Probatur, quia non apparet, cur Angelus existens in puncto non possit immediatè moueri punctoaliter. 34

Dicunt

Dicunt non posse, quia post punctum non sequitur punctum immediatè. At si Angelus existens in puncto moueretur punctualiter, moueretur ad aliud punctum immediatum: hoc enim est spatium commensuratum Angelo existenti punctualiter. Sed contrà: nam mobile per motum potest correspondere maiori loco inadæquatè, & inassignabiliter: ergo poterit Angelus etiam indiuisibiliter existens correspondere per motum lineæ versus longitudinem diuisibili.

35. Declaratur exemplo puncti materialis, quod dum est coniunctum corpori mouetur simul illiuè per spatium diuisibile: ergo similiter non repugnat quòd Angelus punctualiter existens moueatur. Antecedens constat tum ex 6. physic. cap. 10. tum experientia: nam corpus dum mouetur, necessariò secum defert sua puncta. Consequentia probatur, quia punctum etiamsi sit omninò indiuisibile, ac in spatio indiuisibili, verè per motum transit spatium diuisibile: ergo similiter Angelus. Iuuat exemplum sphæræ perfectæ, quæ tangens planum in puncto trahatur via recta: tunc enim, & mouebitur per se, & describet in plano lineam constantem partibus longitudinis: ergo similiter Angelus punctualiter existens moueri potest per lineam.

36. Ad oppositum argumentum negatur minor quoad vtramque partem. Ad probationem prioris respondetur maiorem illam non esse necessariò capiendam de partibus mobilis, sed spatij, cuius priùs pertransitur pars propinqua, quàm remota. Ideò dum Angelus punctualiter mouetur, dici potest partim esse in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, quatenùs non est totaliter in termino *à quo* determinato, sed in tempore indeterminato coëxistit spatio indeterminato, recedens à termino *à quo*, & magis semper accedens ad terminum *ad quem* determinatum. Ad probationem posterioris partis negatur minor, iam enim ex suprà dictis constat materiale punctum moueri posse continue. Aristoteles verò forsan voluit duntaxat omne mobile de facto esse diuisibile, quia punctum separati non potest, ac subinde non potest separatum moueri.

37. Sanctus Thomas in contrarium adductus vel mutauit sententiam in ista quæst. 53. art. 2. vel conciliari possunt eius dicta dicendo quòd in 1. sententiarum loquatur de actibus voluntatis: cum enim Angelus mouet corpus, aut seipsum, est duplex operatio in Angelo, vna immanens voluntatis, alia potentiæ loco motiuæ, quæ est motus localis continuus. Circa quas notandum est quòd aliquando datur vnica volitio, & plures motus locales, v.g. cum Angelus vult migrare à cælo ad terram quiescendo interim in aëre; nonnunquam è contra dantur duæ volitiones, & vnus motus continuus, videlicet si Angelus habeat tantùm volitionem veniendi de cælis ad aërem, & in eomet instanti, quo primò quiescit in aëre habeat aliam volitionem perueniendi ad terram continuè; tum licet sit vnus motus localis continuus in operationibus voluntatis, non est continuitas, sed discreta successio, & de his loquitur S. Thomas in 1. dist. 37. De motu verò locali in ista quæst. 53. Præterea voluit dicere S. Thomas ea distinctione 37. non posse dari tot volitiones in Angelo, quot sunt partes spatij, quæ pertranseuntur motu continuo: nam essent infinitæ, sed est vna volitio, vel dantur plures in numero determinato, & infinitæ præsentiæ per partes proportionales, quæ integrant vnum vbi successiuum, & terminant vnum motum continuum.

CAPUT IV.

An motus Angeli per medium esse possit in instanti.

Suppono primò, non esse quæstionem de motu continuo successiuo: constat enim hunc in instanti repugnare; nec de motu ab extremo ad extremum sine medio: nam hic si dari potest, fiet in instanti. An verò dari possit, dicemus cap. 5. Difficultas ergo est, an contingendo medium, & extremum possit nihilominus in instanti transire ab extremo ad extremum per medium. 1.

Suppono secundò, vt non sit quæstio de nomine, nos loqui de loco medio adæquato, & de extremo, qui sit extra totum medium, siue extremus sit adæquatus, siue inadæquatus: nam si locus medius, & extremus simul sumpti non excedant magnitudinem loci adæquati, poterunt iuxta dicta cap. 3. à num. 4. adquiri simul in instanti, quia tunc non sunt propriè duo loca, sed duæ partes eiusdem loci, vna propinquior termino *à quo*: & altera remotior; solaque restabit quæstio de voce. An Angelus in eo casu dicendus sit transire ad partem remotam per proximam. Vasquez 1. part. disp. 197. cap. 2. num. 8. negat, quia particula *per* dicit prioritatem durationis in motu, quæ nulla esse potest, si simul est mobile in vtraque parte. Videtur tamen affirmare Suarez lib. 4. de Angelis cap. 22. num. 3. quia particula *per* non indicat ordinem temporis, sed naturæ qui sufficienter reperitur quando remotum attingi non potest sine proximo: Sic sol dicitur illuminare terram per aërem, licèt omnia simul illuminet in instanti. Quare si supponamus Angelum non posse transire ad partem remotam, nisi contingendo proximam, sic etiam dici poterit Angelus transire ad partem remotiorem per proximam, licèt vtramque simul adquirat in eodem instanti. Sed de vocibus non est multùm contendendum. 2. Suarez.

Suppono tertiò, Angelum etiam hic posse dupliciter considerari respectu spatij; primò quatenùs exercet indiuisibilitatem actualem constituens se in puncto. Secundò, quatenùs exercet diuisibilitatem virtualem, quam habet constituens se totum in toto, & totum in quauis parte spatij diuisibilis; Circa primum modum conueniunt fere Doctores non posse sic Angelum moueri per medium in instanti, tum quia in instanti non potest esse istu modo nisi in vnico puncto; tum etiam quia in instanti semper est in puncto. Vt autem moueatur per medium debet pertransire partes aliquas, quod non potest præstare nisi in tempore. Tota igitur difficultas est circa secundum modum: An scilicet quando Angelus exercet circa spatium diuisibilitatem virtualem ponendo se totum in toto spatio diuisibili, & totum in qualibet parte, possit moueri motu continuo in instanti simul adquirendo priorem, & posteriorem partem spatij. 3.

Prima sententia affirmat. Tenent Albertus in 1. dist. 37 art. 23. & 24. Gregorius in 2 distinct. 6. quæst. 3. art. 2. Maior distinct. 2. quæst 12. Marsil. quæst. 7. art. 3. conclus. 1. Henricus quodlib. 13. quæst. 7. Probatur, nam Aristoteles 4. physic. text. 61. probat corpus in vacuum mouendum esse in 4. Albertus. Gregorius. Maior. Marsilius Henricus.

in instanti, quia tota causa successionis in motu est resistentia spatij pleni, & quò minor est resistentia, velocior est motus: Quare si nulla daretur resistentia in medio, motus esset summè velox, ac subinde in instanti: Sed hæc ratio pariter tenet in Angelo respectu pleni, quod non magis resistit Angelis, quàm vacuum obstet corporibus: plenum enim ratione suæ quantitatis, & densitatis solùm resistit alteri corpori quanto, & denso iuxta mensuram densitatis maioris, aut minoris: ergo Angelus poterit moueri per medium in instanti. Ex hoc principio colligit Gregorius corpus humanum prædirum agilitatis dote similiter moueri posse per plenum in instanti, sicut Angelos potest moueri. Hac eadem ratione probat Hiberuicnr, non solùm Angelum posse per medium in instanti moueri, sed etiam non posse transire per medium in tempore, quia si tota ratio successionis in motu est resistentia medij, non erit liberum Angelo reddere motum successiuum, sed necessariò mouebitur in instanti.

5. Secunda sententia verior docet, non posse Angelum virtute naturali moueri in instanti ad locum extremum per medium adæquatum. Ita Bonauentura in 1. distinct. 37. quæst. 3. Richardus ibi artic. 3. quæst. 5. Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 11. Gabriel quæst. 3. artic. 3. Vasquez 1. part. disput. 197. cap. 2. Albertinus tom. 1. princip. 1. corollar. 16. dubitat. 1. Suarius lib. 4. de Angelis cap. 22. & consentiunt sanctus Thomas, Caietanus, & alij hic artic. 3. quatenus dicunt Angelum non posse in instanti moueri. Probatur, quia si Angelus sic moueretur per medium in instanti, simul esset in loco medio adæquato, & vltrà illum in loco remotiori. Consequens excedit naturalem virtutem, & capacitatem Angeli, quia sic esset in loco maiori maximo: ergo talis motus non potest esse naturaliter in instanti.

Bonauent. Richard. Scotus. Gabriel. Vasquez. Albert. Suarez. S. Thomas. Caietan.

6. Respondent Gregorius, & Maior Angelum non posse permanenter esse in loco maiori maximo, transeunter autem posse. Sed contrà primò, quia si Angelus in eodem instanti adquirit locum maiorem maximo, non magis transeunter est in parte proximiori, quàm in remotiori; nec in instanti satis percipitur ratio transitus: ergo permanenter est in toto illo spatio, quod sicut totum adquisiuit simul, poterit simul conseruare. Secundò, quia saltem per vnum instans locus excederet limites perfectionis Angelicæ. Quòd si non repugnet per instans, nec repugnaret in tempore: siquidem militat eadem ratio. Tertiò, quoniam aliàs posset Angelus adquisito primo loco adæquato in eodem instanti adquirere secundum, & per secundum tertium; & sic alios in quocunque numero: nam eo ipso quod transeunter in illo sensu, id est, in eodem instanti potest esse simul in duobus locis adæquatis, pariter esse poterit in pluribus, & ita simul in cælo, & in terra, quod repugnat sententiis Patrum suprà relatis disput. 5. & per se fit incredibile: nam excedit limitationem virtutis Angelicæ.

7. Ad fundamentum primæ sententiæ negamus motum corporis per vacuum futurum esse in instanti: cùm enim corpus non possit implere totam vacuitatem simul, sed solùm certam partem propriæ quantitati respondentem, fit vt successiuè duntaxat per motum possit illam replere, v. g. si per spatium vacuum decem palmorum descendat corpus, palmare istud non poterit simul totam vacuitatem replere: Sic enim maiori quantitati, quam suæ responderet, quod est absurdum: ergo deberet motu successiuo paulatim totam illam vacuitatem replere, ac subinde non moueretur in instanti. Aristoteles verò ne concederet motum in instanti, negauit posse corpus moueri per vacuum, quod falsum etiam est, quamuis minùs absurdum.

Itaque licèt resistentia medij conferat ad maiorem, vel minorem velocitatem motus cæteris paribus, tamen successio motus localis corporum non prouenit ex sola resistentia medij, sed ex limitatione mobilis ad locum, cui coëxtenditur, quæ ratio pariter militat in Angelis, dum naturaliter mouentur. Vnde fit quòd non possint, dum existunt in loco sibi adæquato, adquirere partem noui loci, nisi dimittant æqualem, nec totum aliquem locum maiorem maximo simul adquirere, vt dictum est. 8.

Si quæras: An saltem supernaturaliter possit Angelus moueri per medium in instanti? Simpliciter affirmat Albertinus suprà num. 6. quia de potentia Dei absoluta potest Angelus simul coëxistere loco maiori, & maiori sine termino. Negat tamen Vasquez ea disp. 197. num. 5. & probat, quia si ponatur simul Angelus in toto illo spatio medio, & extremo, iam eo ipso non mouetur de extremo ad extremum per medium, sed de vno in alium locum sine transitu per medium; cùm enim in eodem instanti mobile constituatur in alio extremo, & in medio, non potest dici per medium moueri, siquidem particula *per* denotat aliquod genus prioritatis, & in illo casu nullum significare possit. 9.

Albert. Vasquez.

Ceterùm quoad rem ipsam certum est posse Deum ponere corpus, vel spiritum in pluribus locis adæquatis simul, & per consequens in instanti constituere Angelum in toto medio vsque ad extremum locum inclusiuè quasi replicando illum in tot locis adæquatis, quot fuerint in medio. Restabit tamen quæstio de nomine: in qua Suarius lib. 4. de Angelis cap. 22. num. 9. docet, tunc Angelum dici posse moueri, seu transire ab extremo ad extremum per medium in instanti, dummodo verbum *mouendi* largè sumatur, vt mutationem instantaneam includat, & verbum *transeundi* non accipiatur in eo rigore, vt inuoluat absentiam, vel desertionem loci medij, per quem transitus fieri dicitur, sed solùm vt significat adquisitionem vlterioris loci, & excludit continentiam in solo loco priori; particula quoque *per* significet solam prioritatem naturæ. Quare licèt medium & extremum simul duratione adquirantur, dicetur Angelus transire per medium, quod priùs natura occupat, ad extremum, quod in posteriori naturæ occupauit. 10.

Suarez.

CAPVT V.

Vtrùm Angelus poßit ab extremo ad extremum transire sine medio.

1. Scotus. SVpponimus cum Scoto in 2. dist. 2. q. 1 a. duplex distingui medium; alterum, quod participat extrema, id est, partem vtriusque extremi, & appellatur mediū communicans, vt si ponatur locus bipedalis, in quo primum sit Angelus; & à quo incipit motum, & post hunc locum proximè sit alius etiam bipedalis; inter duo ista loca poterit assignari alius, & alius in infinitum vtrisque communicans, & hi omnes dicuntur medium participans, ac sine ipso moueri potest Angelus motu discreto; scilicet relinquendo primum locum, non paulatim, sed totum simul, & adquirendo secundum similiter totum simul, vt docuit ibi Scotus, & nos suprà cap. 3. num. 4. Videatur Albert. Albertinus tom. 1. princip. 1. corollar. 16. dubitat. 2. num. 13. Nec in isto sensu procedit præsens quæstio. Aliud medium est non communicans, seu non participans, quod est inter extrema distantia, & nihil habet commune cum extremis, v. g. sit locus quatuor palmorum, rursus alij plures eiusdem magnitudinis continui, qui secum non communicent, & de his procedit quæstio, an scilicet Angelus existens in cælo possit immediatè transire ad terram non existendo in locis mediis, nec per illa transeundo.

2. S. Thom. Caietan. Capreolus. Hispalens. Ferrara. Carthusian. Heruæus. Marsilius. Vasquez. Albert. Prima sententia affirmat. Insinuat sanctus Thomas in hac quæst. 53. art. 2. sequuntur ibi Caietanus & plures moderni. Item Capreolus in 2. distinct. 6. quæst. 1. art. 1. conclus. 3. Hispalens. ibi quæst. 2. Ferrara 3. contra Gent. cap. 102. Carthusian. in 1. distinct. 37. quæst. 4. Heruæus ibi quæst. 1. art. 2. Marsilius in 2. quæst. 7. art. 3. conclus. 1. Vasquez 1. part. dispu. 196. cap. 2. Albertinus suprà num. 5. Probant primò Thomistæ, quouiam Angeli sunt in loco per operationem, vel applicationem virtutis: Sed Angelus, qui erat in cælo potest pro libito applicare suam virtutem ad terram, & in illa immediatè operari nihil priùs operando in toto medio: ergo mouebitur tunc ab extremo ad extremum sine transitu per medium.

3. Secundò probat Vasquez iuxta suam opinionem de loco Angelorum per vnionem voluntariam cum corpore, quia potest secundùm istam sententiam Angelus relicta vnione cum priori corpore velle se vnire corpori distanti, & non alteri: ergo tunc nullo modo erit priùs in medio, sed potius transibit immediatè ab extremo ad locum extremum. Tertiò probat Marsilius: nam Angelus potest mutare se pro libito de loco ad locum subitò, vel in instanti: ergo potest etiam transire ad locum distantem sine transitu per medium. Consequentiam supponit esse bonam; Antecedens probat, quia virtus motiua Angeli non habet resistentiam in actione, qua mouet seipsum ergo subitò potest mutationem efficere.

4. Alensis. Bonauent. Albert. Richard. Ægid. Rom. Suarez. Pesantius. Molina. Valentia. Secunda sententia negat. Tenent Alensis 2. part. quæst. 33. memb. 2. Bonauentura in 1. dist. 37. part. 2. art. 2. quæst. 2. Albertinus ibi art. 23. Richardus art 3. quæst. 2. Ægidius Romanus in 2. part. distinctionis art. 2. Suarius lib. 4. de Angelis cap. 19. Pesantius & Molina 1. part. quæst. 53. art. 2. Valentia tom. 1. dispot. 4. quæst. 4. puncto 1. Malonius in 2. distinct. 8. disput. 16. & consentiunt re vera Scotus in 2. dist. 2. quæst. 12. Gabrielque ibidem, licet ab Albertino, & Vasquio pro sententia media referantor. Primò probant Ægidius, & Scotus: nam ordo præfixus à Deo sic instituente naturam est necessarius agentibus inferioribus creatis: Sed hic est ordo datus à Deo rebus creatis mobilibus, ne vnquam sua virtute transferant se de vno loco ad alium distantem, nisi priùs transeundo per medium: ergo talis ordo respectu cuiusque naturalis agentis est necessarius. Malonius. Scotus. Gabriel.

Secundò probat Gabriel ab inconuenienti: nam si Angelus moueretur deserendo priorem locum, & immediatè post adquirendo distantem, sequeretur dari duo instantia immediata quod repugnat. Sequela probatur: nam in tali casu necessariò vt simul & sine successione relinquat terminū *à quo*, alioqui nisi deserat successiuè, iam pro aliquo tempore partim esset in termino *a quo*, & partim in termino *ad quem*, non existendo in medio, quod naturaliter fieri nequit: ergo necessariò datur vnum instans, in quo Angelus deserit priorem locum, sed immediatè post datur instans, in quo locum alium adquirit: ergo dantur duo instantia immediata. 5.

Tertiò probant Molina, Malonius, & alij, quia necessitas transeundi ab extremo ad extremum per medium non oritur præcisè in corporibus ex quantitate, vel ex modo existendi illorum in loco, sed ex præcisa ratione substantiæ, vel potiùs ex limitatione cuiusuis substantiæ creatæ, vel etiam omnis creaturæ: ergo eadem necessitas erit in Angelis, ac in corporibus. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia sicut non potest Angelus existere quin habeat in aliquo spatio determinatam vbitatem, sic non poterit istam intrinsecam vbitatem mutare, nisi transeundo priùs spatium propinquum, quàm remotum: videtur enim esse in vtroque æqualis ratio; Probatur secundò exemplo materialis substantiæ, quæ si conseruaretur sine quantitate, non posset adhuc transire ad extremum sine medio: Sed tunc non obstaret quantitas, cùm supponatur carere quantitate: ergo ratione suæmet entitatis creatæ impeditur ab huiusmodi transitu. 6.

Probat Pesantius illum transitum per mutationem localem omnino repugnare rationi motus, vel mutationis purè localis, ita vt licèt Deus possit rem, quæ est hic ponere in loco distanti sine transitu per medium, vt in mysterio Eucharistiæ facit, non tamen possit id facere per mutationem localem, sed per alium modum, quem non declarat. Videtur autem intelligere conuersionem, vel reproductionem substantialem; rationem reddit, quia non potest concipi transitus sine medio propter repugnantiam inter ista duo, quam confirmat exemplis, quia non possunt concipi duo extrema, vt extrema sine intermedia quantitate, nec duo instantia terminatiua sine tempore intermedio, nec vt aliquid transeat de futuro ad præteritum nisi per præsens. 7.

Sed vt hinc incipiamus; Dico primò de potentia absoluta potest Angelus transire de extremo ad extremum sine medio. In hoc conueniunt contra Pesantium cæteri Doctores, & Bubalus quæst. 53. a. 2. quæsit. 1. difficult. 2. Probatur, quia potest Deus Angelum in locis distantibus simul constituere 8. Bubalus.

constituere dando ipsi locum distantem, non auferendo priorem. Minor autem difficultas apparet in hoc quod transferat Angelum Deus ad locum distantem, non conseruando priorem: ergo multò magis poterit illum sic transferre. Quapropter etiam in corporibus hunc admittunt de facto Theologi: nam Durandus in 4. dist. 44. quæst. 6. ad 5. putat sic egressum fuisse Christum de vtero Virginis, sic etiam ingressum fuisse ad Discipulos ianuis clausis. Quæ sententia licèt de facto falsa sit: nam ibi potiùs intercessit corporum penetratio, non est tamen de se impossibili, nec apparet sufficiens implicationis ratio propter quam denegetur hoc diuinæ potentiæ.

Durand.

9. Vnde ad rationem Pesantij negamus antecedens, nec vrgent exempla, quia terminus *à quo* & *ad quem* sunt necessariò extrema successionis alicuius, vel extensionis continuæ, vt in generatione substantiali, ac aliis mutationibus constat. Quare non est simile de extremis quantitatis continuæ cum illa reduplicatione, vt extrema sunt: nam in illa inuoluitur denominatio ab vnione, vel actuali terminatione includente positionem in continuo. Similiter non valet exemplum de instantibus, quæ cùm sint modi partium temporis, quas terminant, vel vniunt, sicut indiuisibilia sunt modi quantitatis continuæ, non possunt etiam diuinitùs à partibus separari. Tandem in tertio exemplo rectè potest eadem res esse præterita, & posteà futura, si velit Deus postmodum illam reproducere, quin existat in tempore intermedio; non potest autem priùs esse futura, & posteà præterita quin existat in medio tempore, quia futuritio, & præteritio claudunt existentiam actualem pro tali temporis differentia.

10. An autem Angelus, cuius Deus destrueret præsentiam in hoc loco, ac immediatè produceret aliam in loco distanti, dicendus sit transire ab vno extremo ad aliud sine medio per mutationem localem? Quæstio est de nomine, cui respondemus etiam affirmatiuè cum Suario lib. 4. de Angelis cap. 19. num. 15. quia vox *mutatio localis*, & *transitus*, non sumitur in eo rigore, quo videtur significare motum successiuum rei transeuntis per loca interposita inter extrema transitus; sed solùm vt dicit acquisitionem immediatam vnius loci relicto alio distante, quæ non includit in suo conceptu præsentiam in medio; Imò hæc excluditur per illam particulam *sine medio*, quæ nullam inuoluit repugnantiam.

Suarez.

11. Vnde colligo, & dico secundò, probabilis est prima sententia non tam propter fundamenta ibi allata, quàm quia supposita possibilitate talis transitus, saltem per diuinam potentiam potest attribui verosimiliter Angelis potestas mouendi seipsos de vno extremo ad aliud sine medio: sicut enim est probabile iuxta dicta disput. 5. cap. 7. num. 15. posse Angelum intra sphæram spatij, quam naturaliter occupat, deserere naturaliter partes medias retinendo præsentiam localem in extremis; Sic etiam probabile sit posse ab vno extremo transire ad alium sine medio, vel intra eandem sphæram solùm vel saltem intra limitatam aliquam distantiam pro maiori, vel minori perfectione singulorum: nec enim maior apparet difficultas, aut repugnantia in hoc, quàm in illo.

12. Confirmatur primò, nam ad eiusmodi transitum non requiritur virtus motiuâ infinita, nec hoc potest aliqua ratione conuinci: ergo non est cur negetur Angelo. Secundò, nam in Angelo non est ponenda tanta dependentia a præsentia in spatio continuo, quanta est in corporibus, siquidem Angelis probabiliter concedimus præsentiam localem in locis dissitis, quod naturaliter non competit corporibus. Tertiò, quia videtur hoc esse consentaneum Patribus dicentibus Angelos subitò, summaque celeritate posse, vbi voluerint adesse. Iuxta hanc opinionem poterit Angelus punctualiter existens moueri motu discreto à puncto in punctum sine transitu per partes intermedias.

13. Ad primum argumentum secundæ sententiæ respondetur concessa maiori, negando minorem, quia si ex natura rei non est necessarium quòd Angelus transeat per medium ad extremum, sine fundamento, dicitur Deum præscripsisse talem ordinem, de quo vel per reuelationem, vel per effectus constare deberet: Sed nec datur talis reuelatio, vt per se patet, nec experientia iuuat, quia solùm caperiri possumus in corporibus hunc necessarium ordinem transeundi ab extremo ad extremum per medium: Talis autem necessitas non prouenit ex speciali lege Dei, sed ex intrinseca natura quantitatis: ergo ex illa nec inferre possumus similem necessitatem in Angelis, nec item colligere Deum instituisse, vt Angeli in suis motibus eundem ordinem obseruarent, quando per se sine corporibus assumptis mouētur.

14. Ad secundum respondetur in primis negando sequelam, quia potest esse vnum, & idem instans adquisitionis, & amissionis vtriusque loci, quamuis respectu vnius sit intrinsecum, & respectu alterius extrinsecum, ita vt idem instans sit primum esse Angeli in termino *ad quem*, & primum non esse in termino *à quo*: Sicut idemmet instans est primum esse ignis, & primum non esse ligni; & tunc totus prior locus simul relinquitur, & totus posterior simul adquiritur in eodem instanti. Præterea potest Angelus permanere in priori loco vsque ad vltimum instans intrinsecum quietis in illo correspondens instanti nostro, & immediatè pòst adquirere indiuisibiliter terminum *ad quem* etiam extensum in instanti, scilicet Angelico, quod coexistat tempori nostro immediatè secuto post instans modo supra dicto cap. 3. n. 20. Poterit etiam contingere, vt instans nostrum sit vltimum esse prioris loci, & vltimum non esse præsentiæ in loco distanti, si videlicet hunc adquirat successiuè, licèt alium totum simul relinquat: cùm enim Angelus non cogatur esse in loco determinato quoad paruitatem, potest ab initio successiuè ingredi talem locum existendo priùs in minori & minori.

15. Ad tertium, responderi potest negando antecedens, quia modus quantitatis connaturalis existendi videlicet in loco per commensurationem ad illum efficit, vt corpus non possit naturaliter mutare locum nisi successiuè priùs deserendo vnā partem loci & postea aliam. Vnde prouenit quòd non possit transire ad remotam nisi per proximam. In Angelis verò cessat hæc necessitas, quia nō coarctantur loco, ideoque possunt amittere totum locum etiam extensum & adæquatum simul; Ac subinde non est cur habeant eandē necessitatem trāseundi per medium, quā habet corpus.

16. Ad primam probationem antecedentis dicimus, licèt Angelus necessariò, sit alicubi, nihilominus

lominus determinationem ad hunc, vel illum locum esse liberam, & ex hac parte posse Angelum velle relicto loco quem habet, applicare suam substantiam ad locum distantem, nec in hoc apparet impossibilitas ex eo quod non possit non applicare substantiam suam alicui loco: nam indu non sequitur necessitas se applicandi priùs ad locum propinquum, quàm ad remotum. Ad secundam probationem negatur paritas, quia substantia materialis etiam ablata quantitate est inferioris ordinis, si comparetur ad spiritualem: nam habet partes entitatiuas, quibus Angeli carent. Quare licèt materiali substantiæ naturaliter nunc conueniat modus mutandi locum transeundo per medium ratione quantitatis: at sublata quoque quantitate non habet naturalem capacitatem ad alium modum transeundi sine medio. Et idem est proportionaliter de corpore quanto non existente modo quantitatiuo, & de qualibet entitate materiali conseruata sine quantitate.

17. Dico tertiò, probabilis etiam est, & forsan probabilior secunda sententia non tam propter argumenta supra relata, & diluta, quam propter limitationem in agendo, & in mouendo, vel vbicando seipsos. Etenim vt Angelus producat effectum in aliquo loco, debet priùs seipsum collocare in loco propinquo, aliàs si sua substantia distet, non potest agere in illo, vt suprà docuimus disp. 3. cap. 3. ergo similiter vt ponat suam substantiam in aliquo loco debet esse priùs in loco immediato illi. Patet consequentia, quia non minùs est ponere suam substantiam alicubi, quàm effectum aliquem; & certè videtur id postulare rei natura, ordoq́ue locorum, vt statim ac substantia quæuis vnum locum deserit, vel inuita recipiatur à loco proximiori nec vnquam subintret distantem, quin priùs se collocet iuxta illum.

18. Sic etiam disp. 5. cap. 7. num. 15. diximus probabile pariter esse, non posse Angelum adesse simul locis distantibus propter naturalē illius limitationem. Vnde Respondetur ad fundamētum nostræ secundæ conclusionis, non omne id quod non implicat contradictionē circa locum Angeli, vel adquisitionem illius concedendum esse naturali potentiæ Angelorum, sed iuxta connaturalē modum existendi, & operandi creaturarum philosophandum esse de præsentia & motu Angelorum: Sicut ergo existere simul in duobus locis discretis inadæquatis, & adquirere locum distantem retento alio negamus probabiliter esse p[illegible]ibile per potentiam Angeli naturalem, quamu[illegible] [illegible]atamur non implicare contradictionem. Sic similiter in præsentia, quia non minùs difficilis apparet hic transitus ad extremum, & non per medium quàm existentia in duobus locis inadæquatis distantibus.

19. Ad primum argumentum primæ sententiæ negamus præsentiam intrinsecam Angeli, sine intrinsecam vbitatem ipsius esse operationem transeuntem vel applicationem virtutis distinctam ab ipsa præsentia, & propinquitate. Quare licèt liberum sit Angelo operari in extremo, & non in medio, non sit inde liberum esse illi suam substātia applicare per præsentiam intrinsecam corpori distanti, non existendo priùs in locis intermediis. Ad secundum negamus pariter consistere præsentiam localem in illa vnione, quam suprà reiecimus disp. 5. cap. 5. num. 12. Ad tertium distinguo antecedens. Angelus potest se mutare subitò ad quemcunque locum etiam distantem, nego: quamuis enim non detur spatij resistentia, tamen ipsa continuitas illius, & natura mutationis localis exigit approximationem mobilis ad locum adquirendum: Angelus potest se mutare subitò ad locum propinquum, concedo iuxtà suprà dicta cap. 3. num. 4. Sed tunc non valet consequentia: nam infertur ex vna particulari alia valde diuersa. Sanctus Thomas hic art. 2. cùm docet Angelum motu discreto posse transire ad extremum sine medio, forsan loquitur, (vt intelligit Valentia suprà) de mediis solùm participantibus: nam in illis procedit eius ratio; media quippe loca participantia sunt infinita, media verò non participantia determinata sunt, & finita.



QVÆSTIO LIV. S. Thomæ.

De cognitione Angelorum.

ARTIC. I.

Vtrùm intelligere Angeli sit eius substantia.


Onclusio negat, quia quod non est actus purus, sed aliquid habet potentialitatis admistum, non potest esse per semet sua operatio: Sed solus Deus est actus purus: ergo nec Angelus, nec alia creatura potest esse suamet actio.

ARTIC. II.

Vtrùm intelligere Angeli sit eius esse.

Conclusio negat: nam alioquin intelligeret Angelus omnia intelligibilia simul, quod solius Dei proprium est.

ARTIC. III.

Vtrùm potentia intellectiua Angeli sit eius essentia.

Conclusio negat, rationem quam reddit S. Thomas omnibus creaturis communem explicuimus disp. 3. cap. 2.

ARTIC. IV.

Vtrùm in Angelo sit intellectus agens, & possibilis.

Conclusio negat, quia non est in Angelis necessitas, quæ datur in nobis, abstrahendi scilicet speciem à phantasmatibus.

ARTIC. V.

Vtrùm in Angelis sit sola intellectiua cognitio.

Conclusio affirmat, & probatur, quoniam Angeli non habent corpora sibi naturaliter vnita,

virt**a**, vt in superioribus visum est: ergo nulla potentia cognoscitiua præter intellectum, qui solus non cognoscit per organum corporeum, potest in Angelis reperiri.



DISPVT. VII.

De naturali cognitione Angelorum.

EGIT hactenus S. Thomas de Angelorum substantia tum in se, tum per comparationem ad corpus assumptum ad locum, & ad motum localem; quæ quidem præmisisse videtur antequam de superioribus facultatibus disponeret vt ab vniuersalioribus, & quæ maiorem habent cum rebus physicis conuenientiam, qualis est potentia locomotiua progrederetur ad alias potentias perfectiores. Itaque iam differit de his, quæ ad cognitionem Angelorum spectant, & in ista quæstione disputat de actu intelligendi, & de potentia intellectiuæ Angelica.

CAPVT I.

Vtrùm cognitio Angeli distinguatur ab ipso.

1. SVppono primò ex dictis disp. 1. cap. 1. n. 8. Angelos esse intellectualis naturæ; nunc addo esse purè intellectuales, vt docet Dionysius c. 7. de diu. nom. id est, omnis inferioris cognitionis expertes, quia non habeant sensus, cùm non habeant corpora, & præter sensus non est alius modus cognoscendi, nisi mentalis, aut intellectiuus. Videatur Valentia to. 1. disp. 4. quæst. 5. puncto. 1. qui hoc latiùs probat, & colligit inde nomina, quæ sunt communia cognitioni intellectiuæ, & sensitiuæ propriè Angelis tribui; Sic tribuit illis memoriam Augustinus 10. de Trinit. cap. 11. & experientiam Isidorus lib. 1. de sum. bon. cap. 12. nomina verò propria cognitionis sensitiuæ non nisi metaphoricè tribui; quo pacto Dionysius 4. de diu. nom. Dæmonibus tribuit phantasiam proteruam, & Augustinus 8. de Ciuit. cap. 6. dicit Angelos intelligere, & sentire. [Valentia.] [Augustinus.]

2. Suppono secundò, (quod sequitur ex dictis) in Angelis dari facultatem intellectricem & principalem, & proximam, quia cùm intelligere sit actus vitæ, requirit actionem. Actio verò fine dictis principiis elici non potest, siquidem ad agendum requiritur virtus principalis, quæ est radicale principium & virtus proxima, quæ actionem attingat immediate, vt de omnibus creatis agentibus docet Philosophia, & quidem cùm disp. 3. cap. 2. ostenderimus intellectum Angeli distingui realiter ab eius substantia, manifestè sequitur intellectionem distingui realiter à substantia, siquidem inter substantiam, & actum intercedit potentia distincta. Cæterùm propter quorundam contrarias existimationes, independenter ab ibi dictis res nunc breuiter discutienda.

3. Aristoteles cùm docuisset 12. metaphys. cap. 7. Deum esse substantiam immortalem, & perpetuam semper intelligentem, cuius essentia [Aristot.] sit intelligere, idem quoque de aliis substantiis separatis cap. 9. affirmare videtur. Ostendit autem primò intellectionem harum substantiarum non mutari: nam alioquin in intelligendo fatigarentur. Deinde illarum substantiam esse suum intelligere sic probat, quia si esset accidens, non essent nobilissimæ substantiæ. Hanc sententiam sequuntur ibi Auerroës, Alexander, & Philipponus, partim consentit Durandus in 2. distinct. 3. quæst. 5. ad 1. quatenùs docet intellectionem Angeli realiter distingui a potentia intellectrici, quando cognoscit Angelus alia à se, innuens secus esse quando seipsum cognoscit; cùmque simul dicat potentiam intellectricem esse idem cum essentia, videtur planè sentire non distingui Angelicam intellectionem à substantia quatenus Angelus intelligit seipsum, & fortassè fundatur quoniam in sui cognitione non potest recipere mutationem, sed necessariò semper est sibi præsens, quatenùs semper Angelus necessariò cognoscit seipsum, vt docet ibidem quæst. 8. [Auerroës.] [Alexand.] [Philippon.] [Durand.]

Daniel Malonius in 2. distinct. 3. disput. 5. sect. 2. censet intellectionem Angeli, licet non sit de essentia illius, nec pertineat formaliter ad eius substantiam, nihilominus satis esse, quòd ab illo distinguatur formaliter, seu modaliter, dicitque sic alios sentire, quos non exprimit. Probat, quia distinctio modalis datur quando licèt vnum extremum possit ab alio separari, non tamen è contra: nam res modificata potest existere sine modo, non potest tamen modus existere sine re modificata: Sed licet Angelus possit intellectione carere, tamen intellectio non potest existere ab Angelo separata: ergo solùm distinguitur modaliter. 4. [Malon.]

Dico primò intellectio Angelica non est de essentia Angeli, nec identificata cum essentia, sed distincta realiter ab Angeli substantia. Ita Magister in 2. distinct. 3. vbi communiter Scholastici sanctus Thomas in hac quæst. 54. artic. 1. quem sequuntur Thomistæ, Molina ibi Vasquez disput. 198. Valentia tom. 1. disput. 4. quæst. 5. punct. 4. Suarius lib. 2. de Angelis cap. 5. Probatur primò ex Patribus: nam Dionysios de cælesti hierarchia cap. 7. distinguit in Angelis tria, scilicet *essentiam*, *operationem*, & *virtutem*. Anselmus de casu Diaboli cap. 8. dicit voluntatem Angeli non esse substantiam, licèt sit aliqua essentia, & eadem ratio est de intellectu, & lib. de concordia cap. vlt. inquit. *Est ratio in anima qua sicut suo instrumento vtitur ad ratiocinandum, & voluntas qua vtitur ad volendum.* Augustinus 15. de Trinit. cap. 7. dicit mentem non esse animam, sed id quod excellit in illa. Idem docet Damascenus 2. de fide cap. 6. Leo Papa epist. 91. aliàs 93. ad Turibium cap. 5. ait neminem esse *suam sapientiam.* Similia fere habentur in Concilio Toletano XV. 5. [Magister.] [S. Thomas.] [Molina.] [Vasquez.] [Suarez.] [Dionys.] [Anselm.] [August.] [Damasc.] [Leo Papa.] [Conc. Tol. XV.]

6. Probatur secundò, à posteriori ratione S. Thomæ, quam licèt alij non magni ducant, ego credo sufficientem esse. Si Angelorum intellectio esset substantialis deberet omnia simul intelligibilia repræsentare secundùm omnes eorum differentias, & status præsentis, præteriti, & futuri absolute, & conditionatè, vel possibilis: nam hæc omnia potest habitualiter cognoscere intellectus Angelicus, & humanus, saltem ex reuelatione supernaturali; nec illa substantialis intellectio futura

futura erat contractionis obiecti, quàm inferior gradus intellectualis: Sed hæc omnia simul cognoscere opus est equidem infinitæ perfectionis proprium solius Dei; tum quia cùm omnis cognitio specificetur ab obiecto quodammodo, vbi nullus est obiecti limes, nullus esset terminus perfectionis specificæ; tum etiam quia sine variatione reali repræsentaret futurum amorem Petri, si Petrus esset amaturus, & non futurum eundem, si Petrus liberè nollet amare; quod in diuina cognitione potiùs credimus ob eius infinitam eminentiam quam intelligimus, quo pacto stare possit Intellectio autem Angelica non attingit illam infinitatem, vel simplicitatem diuinæ cognitionis: ergo nec potest ipsi cum fundamento tribui talis perfectio. Tum denique quoniam actu comprehenderet illa cognitio seipsam & alias similes aliorum cognitiones; quod repugnare cognitioni creatæ ostendimus lib. 1. disp. 25. cap. 4. Confirmatur quia sæpè Angeli cognoscunt aliqua de nouo, quæ non cognoscebant antea, cùm scilicet illuminantur ab aliis, vel à Deo, vt constat ex Scriptura: ergo habent cognitionem de nouo, & per consequens distinctam realiter à sua substantia, quam rationem latè persequitur Bubalus in hac quæst. 54. art. 1. quæsit. 1. difficult. 1.

7. Probatur tertiò, à priori nullam posse creari substantiam, cuius vltimus actus aut operatio sit de essentia illius, aut identificata cum illa, ratione quidem S. Thomæ in hunc modum. Actio est propriè actualitas virtutis, sicut esse est actualitas substantiæ vel essentiæ: ergo cuius essentia fuerit purus actus essendi, operatio etiam erit actualitas essentialis naturæ, quod reperitur in solo Deo, cuius verò essentia habet aliquid de potentialitate admistum, sicut habet omnis essentia substantiæ creatæ, quæ est in potentia ad existendum, vel non existendum, & ad subsistendum etiam subsistentia distincta; natura similiter non potest esse purus actus operationis, sed habere debet potentialitatem distinctam; Et notat benè Ferrara 1. contra Gent. cap. 45. in 3 ratione, sermonem hic esse de actione immanente, quæ est vltima actualitas, & perfectio operantis, cùm actio transiens potiùs sit actualitas, & perfectio passi. Hæc igitur ratio S. Thomæ consistit in proportione essentiæ cum natura, vel complemento ipsius in quacunque substantia. Quare cùm in solo Deo detur essentia actualissima, simplicissima, & necessaria omninò sine vlla potentialitate ad aliter se habendum vllo modo in sua existentia, quæ est ipsi essentialis, aut in subsistentia, quæ cum ipso identificatur soli diuinæ essentiæ correspondet operatio substantialis constituens cum illa diuinam naturam in ratione actus simplicissimi, & purissimi secludentis omnem potentiam ad actus essentiales manentes, & omne principium illorum proximum & radicale, vt ostendimus lib. 1. disp. 16. Ferrara.

8. Confirmat item S. Thomas, quia si intellectio Angeli, vel alterius substantiæ creabilis esset sua substantia, pariter esset subsistens per se ipsam, ac per consequens esset actus omninò purus claudens omnem actualitatem intellectualitatis, quæ supponit summam actualitatem essendi; nec iam haberet vnde limitaretur eius essentialis perfectiò quasi specifica. Hoc autem repugnat: nam actus purus essendi, & operandi, ac per consequens infinitus in essentia non potest esse nisi vnicus, sicut nec potest dari nisi vnus Deus, vt demonstratur in metaphysica; de quo diximus lib. 1. disp. 38. cap. 7. Vnde rectè concludit Angelicus Doctor impossibile quidem esse quod actio Angeli, vel cuiusque alterius creaturæ sit eius substantia. Sic etiam videtur discurrere Leo Magnus vbi suprà, dum ait. *Sicut solius Dei proprium est increatum esse, sic etiam nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est, sed multi participes sunt veritatis, & sapientia, atque iustitia, solus autem Deus nullius participationis est indigens.* Qui autem solum Deum excipit quia increatus est omnes vtcunque substantias creabiles illius actualitatis iudicat incapaces. Vide Bubalum supra difficult. 1. Leo Mag.

9. Præterea confirmatur ratione Theologica. quoniam operationes Angeli partim sunt naturales, partim supernaturales: sed neutræ sunt idem cum Angeli substantia: ergo nullæ. Minor de supernaturalibus clara: nam si istæ essent ipsamet Angeli substantia, iam eo ipso essent Angelo cõnaturales quoad suam entitatem, & nõ supernaturales contra Concilium Viennense definiens operationem beatificam nulli creaturæ connaturalem esse. De naturalibus autem probatur: nam operationes prauæ malorum Angelorum non sunt idem cum ipsorum substantia, alioquin ipsamet substantia quoad suam entitatem esset mala, contra id Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* De aliis verò naturalibus operationibus est eadem ratio cùm eodem modo se habeat Angelus quoad identitatem, vel distinctionem operationis siue malè operetur, siue benè.

10. Dico secundò, tam intellectio, quàm intellectus Angelicus distinguitur realiter ab existentia Angeli. Sic S. Thomas in hac q. 54. a. 2. & omnes cum illo; supponendoque ex metaphysica existentiam non distingui realiter ab essentia in actuali, constat facilè veritas conclusionis: nam si intellectus, & intellectio distinguuntur realiter ab essentia substantiali Angeli, & hæc est idem realiter cum existentia, pariter distinguentur ab existentia. In sententia verò distinguente realiter existentiam ab essentia possunt proportionaliter applicari rationes suprà factæ: nam existentia est permanens in Angelo habens simul totam entitatem substantialem suam: ergo simul etiam haberet totam repræsentationem omnium intelligibilium. Præterea existentia est connaturalis Angelo, & fit à Deo solo: ergo nec potest esse idem cum operatione Angeli supernaturali propter primum, nec potest esse idem cum operatione naturali mala propter secundum, & consequenter, nec esse idem cum bona; siquidem vtriusque operationis naturalis quoad hoc eadem est ratio, vt paulò antè dicebamus.

11. Dico tertiò, intellectio Angeli distinguitur ab eius substantia, non distinctione modi a re, sed rei à re. Sic S. Thomas suprà art. 1. & omnes Thomistæ. Consentiunt Scotus in 4. dist. 1. quæst. 1. §. *Secunda propositio.* Gregorius in 2. dist. 7. q. 2. a. 2. Marsilius quæst. 7 a. 1. in secunda parte illius, Gabriel dist. 3 quæst. 1. art. conclus. 1. Ochamus quæst. 14. & 15. Ægidius Romanus, Argentinas, & aliis in 2. dist. 3. Nam licet expressè non declarent modum distinctionis, semper de intellectione loquuntur tanquam de re ab Angelo distincta. Probatur: nam intellectio est forma perfecta, quare non est tantùm modus, sed vera res, & forma per se, quæ non nascitur ex solo intelligente, sed etiam ex obiecto, vel specie vicem eius gerente, S.Thom. Scotus. Gregorius. Marsilius. Gabriel. Ochamus. Ægid. Rom. Argentina.

gereute, vnde participat intentionalem repræsentatlonem eiuſdem obiecti, quæ vix concipi poteſt, vt modus rantum diſtinctus, ideóque meliùs conſtituitur, vt vera entitas realiter diſtincta.

12. Confirmatur; nam babemus ex fide dati actus aliquos intellectus ſupernaturales in Angelis,& hominibus vt ſunt viſio Dei, vel actus fidei:Qui quidem actus & ſimiles ſine dubio ſunt res propriè diſtinctæ realiter a ſubſtantia, vel intellectu Angeli, nec aliter poſſunt conuenienter intelligi.ergo ſimiliter intelligendum eſt quamcunque intellectionem elicitam eſſe realiter diſtinctam ab Angelo: nam ratio intellectionis, vt ſic, ſufficiens eſt ad conſtituendam propriam entitatem. Quare quælibet intellectio, prout talis eſt, diſtinguenda erit à ſubſtantia intelligente, vt vera res, & forma perfecta in ſuo genere, & noo ſolùm vt modus imperfectur.

13. Ad primam rationem Ariſtotelis reſpondetur quamuis Angelus ſemper intelligat per intellectionem accidentalem realiter diſtinctam; non ideò fatigandum eſſe; quia ſi homines contemplatione fatigantur, non ideò eſt, quoniam intellectu, & anima multùm operentur; ſed quia miniſterio corporei ſenſus coadiuuantur ad contemplationem, corpus autem fatigatur nimia ſpirituum vitalium reſolutione. Secunda item ratio nihil probat:licèt enim Angelica ſubſtantia perficiatur cognitione, non ſequitur cognitionem eſſe perfectiorem, quàm ſubſtantiam, ſed iſtam cum intellectione perfectiori modo ſe habere, ſicut quæuis ſubſtantia ſuis accidentibus ornata perfectior eſt ſe ſola.

14. Ad fundamentum Durandi reſpondetur, licèt in Angelo intellectio ſui fortaſſe ſit magis neceſſaria, & naturaliter immutabilis, ſolùm inde deduci maiorem connexionem illius cognitionis cum Angelo, quæ cum æquali diſtinctione reali poteſt eſſe,atque dari de facto in præſenti colligitur; tum quia intellectio, qua ſe Angelus intelligit,eſt actio vitalis, quæ ab ipſomet Angelo efficitur: ergo non poteſt eſſe realiter idem cum eius ſubſtantia, quam ipſe non facit; tum etiam quoniam eadem eſt facultas qua ſe & alia cognoſcit Angelus: ergo ſi intelligere alia à ſe in actu non eſt de eſſentia illius, ſed diſtinctum realiter ab Angelo, nec intelligere ſe erit idem cum Angelica ſubſtantia. Quippe ratio intellectionis creatæ eadem eſt in vtraque intellectione; ideoque tam intellectio ſui habet propriam entitatem, exiſtentiam, & ſeparabilitatem à ſubſtantia, quàm intellectio quælibet alterius rei.

15. An fundamentum Malonij reſpondetur, ſi intellectio claudat eſſentialiter actionem, & qualitatem realiter indiſtinctas, vt opinantur nonnulli, non poſſe quidem intellectionem extra ſubſtantiam exiſtere, non quia totaliter ſit modus, ſed quia claudit eſſentialiter rationem actionis immanentis, quæ non poteſt à ſuo principio vitali diuelli. Quòd ſi actio, & qualitas intellectionis diſtinguantur à parte rei, vt eſt mihi probabilius, poterit per diuinam potentiam illa qualitas ſeperari à ſubſtantia, ſeparataque conſeruari, quod manifeſto eſt argumento non eſſe modum, ſed rem.

CAPVT II.

Qualis ſit intellectus Angelicus.

1. Scotus. Richard. Baſſolis. PRima ſententia docet in Angelis dari intellectum agentem,& poſſibilem. Ita Scotus in 2.diſt.3. quæſt.vltima. Richardus ibi art.6. quæſt.2.ad 1.Baſſolis quæſt.4. artic.3. & quidem eſſe in Angelis ſicut in nobis intellectum poſſibilem colligit Scotus ex eo quod exiſtimat nullam eſſe ſpeciem Angelis congenitam, ſed à rebus illas accipere: Vnde fit conſequens intellectum Angeli eſſe poſſibilem omnia fieri ſicut de noſtro dixit Ariſtoteles 3. de anima cap. 4. Fit enim omnia per ſpecies, quas accipit, eúmque careat illis,ex ſe dicitur poſſibilis,quia poteſt illas recipiens omnia fieri. Addit Scotus etiamſi dicamus ſpecies Angelis inditas fuiſſe ab initio creationis, nihilominùs intellectum ipſorum eſſe poſſibilem, aut paſſiuum, vel patibilem: nam omnis res, quæ formam in ſe recipit, eſt ſubiectum illius, licèt duratione non ſit prior quàm forma: Sed intellectus Angeli recipit ſpecies tanquam formas, quamuis à principio illas habuerit, & eſt prior ſaltem natura, quàm ſpecies: ergo reſpectu ipſarum poſſibilis, aut patibilis dici poteſt.

Ariſtot.

2. Quòd verò detur in Angelis intellectus,agens, probatur primò, quia potentia effectiua, quæ in creatura inferiori non eſt imperfectio, deneganda non eſt creaturæ ſuperiori, quæ in eo gradu ad quam ea potentia pertinet, ſit ſuperior: ſed intellectus agens pertinet ad gradum intellectiuum, in quo Angelus eſt homine ſuperior: ergo cùm in homine ſit intellectus agens, nec in illo ſit imperfectio, ſed potiùs perfectio, non debet Angelo denegari.

3. Probatur ſecundò, nam ſi Deus infunderet animæ noſtræ ſpecies rerum omnium quas poteſt intelligere, adhuc darentur in illa intellectus agens, & poſſibilis, ſicut fuerunt in Chriſto Domino & in Adamo ab initio creationis: ergo licèt Angelus acceperit à Deo in creatione ſpecies infuſas rerum omnium, quas intelligere poſſet, denegari non debent Angelis intellectus poſſibilis, & agens, quo per ſeipſos adquirerent rerum ſpecies, niſi fuiſſent ipſis datæ per infuſionem. Probatùr tertiò: nam in Angelis eſt intellectus poſſibilis,ergo & agens, ſiquidem iſti mutuò referuntur.

4. Albert.Mag. Albertus Magnus tertiò, de anima tractat. 2. cap. 18, & in ſumma 2. part. tract.4. quæſt. 14. memb.3. art.1. ad 1.tribuit Angelis intellectum agentem non ad producendas, ſed ad illuminandas ſpecies etiam innatas; ſicut etiam aliqui tribuunt noſtro intellectui agenti, quòd illuminet phantaſmata, & ſpecies intelligibiles ita vt in ipſa ſpecie appareant obiecta intelligibilia in eſſe actualis obiecti, & quod faciat euidentiam primorum principiorum. Quare Ægidius Luſit. lib.9. de Beatitudine quæſt. 2. artic. 2. docet in Angelis dari lumen quoddam intellectuale naturale diſtinctum realiter à vi natiua intelligendi, quod vel ſit intellectus agens ſi hic reperitur in Angelis, vel ſit qualitas ſpiritualis neceſſaria, tum ad faciendum euidentiam principiorum, & concluſionum; tum etiam ad illuſtrandas ſpecies.

Ægid.Luſit.

5. Probatur, nam in Angelis ad res naturales intelligendas dari lumen naturale concors est Theologorum sententia. Sic enim loquuntur Dionysius. Dionysius de cælesti hierarchia cap. 7. S.Thomas S. Thom. in hac quæst. 54. art. 4. & quæst. 106. art. 1 ad 2. Aureolus. & de veritate quæst. 8. art. 9. ad 8. Aureolus apud Capreolum in 2. dist. 11. quæst. 2. art. 1. ad finem. Capreolus. Durand. Capreolus ibi art. 3. ad argumenta Durandi contra secundam conclusionem. Durandus ibidem quæst. 3. & in 3. dist. 14. quæst. 2. art. 2. num. 7. & 8. & alij communiter. Ratio verò est: nam omne quod manifestatur, vel quod manifestat, (vt alij legunt) lumen est; quare nihil potest cognosci, nisi lumine. Cum ergo plurimarum rerum naturalium habeant Angeli cognitionem naturalem, debet illis concedi lumen aliquod naturale.

6. Hoc autem distingui realiter à vi natiua intelligendi. Probatur primò ex S.Thoma de veritate quæst. 9. art. 1. ad 17. vbi docet, quòd *in Angelis specie differentibus non oportet, quòd sit lumen specie differens, sicut & in corporibus specie differentibus est idem specie color.* Sed in Angelis specie differentibus intellectus etiam specie differunt, iuxta veriorem opinionem: ergo lumen illud distinguitur realiter ab intellectu. Confirmatur S.Thomas. ex eodem S.Thoma in 2. dist. 9. quæst. 1. art. 6. ad 2. & 3. dicente lumen tam naturale, quàm gratuitum in omnibus Angelis esse vnum tam ex parte principij, quam finis, quod esset falsum, si naturale lumen in illis esset ipsa natiua vis intelligendi.

7. Probatur secundò, quoniam in nobis vis intelligendi non est formaliter lumen: ergo nec in Angelis, siquidem nulla ratio disparitatis apparet. Antecedens ostenditur: nam illud solum in intellectu nostro potest, & debet dici lumen quod est medium *quo*, siue *sub quo* ipsum intelligibile actu illustratur, vt intelligibiliter appareat: Sed hoc præstat in nobis solus intellectus agens, nec ad res naturales intelligendas aliud lumen requiritur: ergo facultas intellectiua in nobis non est formaliter lumen.

8. Dico primò potentia intellectiua in Angelo S Thom. vnica est. Ita S.Thomas in hac quæst. 54. art. 4. Caietan. Bannes. Cumel. Molina. Vasquez. Suarez. Caietanus, Bannes, Cumel, Molina ibi Vasquez disp. 199. cap. 2. Valentia disp. 4. quæst. 5. punct. 2. Suarius lib. 2. de Angelis cap. 1. num. 13. Probatur: nam omnis cognitio Angeli est spiritualis, & immaterialis, siquidem non habet cognitionem sensitiuam, nec corpus per quod tanquam per organum possit cognoscere: Sed omnis cognitio spiritualis est intellectiua: ergo omnes actus cognoscendi cuiuscunque Angeli sunt intellectiones. Sed ad omnes intellectiones vnius personæ sufficit vnica potentia intellectiua: ergo in quolibet Angelo tantum est vnus intellectus siue vnica potentia intellectiua.

9. Minor probatur primò ex anima rationali, quæ solùm habet vnum intellectum ad omnes suos actus intelligendi eliciendos: ergo multo magis sufficiet Angelo vnicus intellectus, siquidem est perfectior, & in agente perfectiori virtus magis vnita & vniuersalior est. Secundò, nam intellectus ex generali sua ratione tendit ad verū: vt verum est. Verum autem cōuertitur cum ente: ergo intellectus ex se extenditur ad omne ens, quatenus intelligibile est, ac subinde sufficit vnus intellectus in quolibet intelligente ad omne obiectum intelligibile ab ipso, & consequenter ad omnem intellectionem, quam elicere potest: ergo Angelus per vnam, & eandem potentiam est capax rerum omnium a se intelligibilium. Nec obstat quòd actus intelligendi multiplicentur in Angelo, quia potentia est vniuersale principium actiuum, & ita vna potentia sufficit ad plures actus, qui possunt sub specialibus rationibus obiectiuis differre, licet in generali ratione obiecti adæquati potentiæ conueniant.

An autem ista potentia intellectiua sit intellectus possibilis, magis est de nomine quæstio, quàm de re. Nam vel intellectus possibilis significat potentiam nudam omninò in genere intelligibilium, aptam verò fieri omnia per susceptionem specierum, ita vt sit in pura potentia ad omnes actus intelligendi quas potest habere, & ad omnia principia talium actuum quæ in se quoque recipere potest, siue sint species intelligibiles, siue habitus, dicatque non tantum potentiam passiuam absolutè, sed vt includit priuationem omnis actus; & in hac significatione solet intellectus, quo nos intelligimus appellari possibilis secundum Aristotelem 3. de anima Aristot. cap. 4. & 5. In eadem S.Thomas hic art 4 aliique cum illo negant, & meritò in Angelis intellectum possibilem: nam intellectus Angelicus ex natura sua habet nunquam esse in pura potentia passiua intellectuali, nec quoad actum primum, cum habeat à principio creationis species intelligibiles, nec quoad actum secundum, quia semper aliquid intelligit. 10.

Vel intellectus possibilis significat quamcunque potentiam intellectiuam, siue sit in potentia ad actum, quem potest recipere, siue illum semper habeat, siue partim actu habeat, partim in potentia, & in hoc sensu intellectum Angelorum possibilem vocant Scotus, & alij relati pro prima sententia Alensis 2. parte quæst. 22. memb. Alensis. 3. Bonauentura in 2. dist. 3. part. 2. art. 2. quæst. 1. Bonauent. S.Thom. part. 1. corporis. Inò S.Thomas 2. contra Gent. cap. 96. ratione 6. quoniam in prædicto sensu omnis intellectus creatus est possibilis, quia reuera est potentia passiua, id est, receptiua actuum informantium ipsum, vel in actu primo, vt sunt species vel in actu secundo, vt sunt actus intelligendi, licèt semper sit cuipiam actui coniuncta. 11.

Dico secundò, in Angelis non datur intellectus agens. Ita Doctores adducti conclus. 1. Probatur: nam intellectus agens secundùm propriam nominis impositionem significat quandam spiritualem potentiam, quæ vt talis est solùm est productiua specierum intelligibilium in intellectu possibili carente illis. Sic ponitur à Philosophis intellectus agens in nobis, qui species intelligibiles à phantasmatibus eliciat. Siue autem distinguatur à possibili realiter, siuè solum virtualiter certum est apud omnes intellectum agentem sub hoc præciso conceptu sumptum non esse potentiam cognoscitiuam, nec productiuam intellectionum, sed tantùm specierum. At huiusmodi intellectus agens non est necessarius in Angelis, tum quia cum habeant concreatas species, non indigent intr nleca facu rate productiua illarum, tum etiam quia non possunt abstrahere species à phantasmatibus, cùm sensus & phantasmata non habeant: ergo non inuenitur in illis. 12.

Hinc infertur, nec dari intellectum agentem in Angelis ad illuminandas species infusas, vt dicebat Albertus, nec dari lumen intellectuale distinctum ab intellectu possibili, & ab intelle- 13.

le[illegible]ione,

lectione, vt aiebat Ægidius. Probatur: nam in
primis intellectus possibilis est lumen intelle-
Conimbr. ctuale, vt de nostro intellectu docent Conimbr.
3. de anima cap.5. quæst.1. art.3. ad 2. & cap.8.
Vasquez. quæst.1.art.3.ad 4. Vasquez 3.part.disp.54.cap.3.
Cabrera. initio. Cabrera 3. part. quæst.9. art. 2. disput. 6.
n.2.& 19. de intellectu, vel intellectione Angeli-
Suarez. ca tradit Suarius lib.2. de Angelis cap.1.n.17. &
probant, tum quia vis intellectiua est participatio
diuinæ cognitionis, quæ est lumen æternum: Sic
S.Thom. enim videtur arguere S. Thomas 1. part. quæst. 12.
art. 2. dum inquit. *Vnde & virtus naturalis creatu-
ræ lumen quoddam intelligibile dicitur quasi à pri-
ma luce deriuatum,* tum etiam quia intellectio est
quædam manifestatio, & per consequens illumi-
natio obiecti cogniti. Igitur ipsa facultas intelli-
gendi, vel intellectus possibilis eliciens intelle-
ctionem est naturale lumen illuminans per illam
cognitionem non tam species, quàm obiectum
per illam repræsentatum: nam illud per talem
actum manifestatur, & omne quod manifestatur,
lumine manifestatur.

14. Præter hoc lumen in nobis intellectus agens
dici solet illuminare phantasmata, quatenùs ad
instar illarum producit species intelligibiles,
quibus possit intellectus possibilis eadem obie-
cta spiritualiter percipere: Sed in Angelis non
dantur phantasmata, nec intellectus agens, qui
producat species, vt vidimus: ergo præter lumen
naturale intellectus elicientis intellectionem
non datur in illis aliud naturale lumen, vel illu-
minatio. Consequentia probatur, quia si talis
illuminatio est actio distincta ab actu intelligen-
di, erit præuia ad illum tanquam causa illius, seu
dispositio ad talem actum. Talis autem actio fru-
strà fingitur, & intelligi non potest, quia si est
specialis actio realis, necesse est vt habeat termi-
num realem, maximè cùm non sit actio imma-
nens. Quid ergo est quod per illam actionem
fit? aut in quo recipitur? Neutrum certè potest
explicari, quia nec in ipsa specie potest imme-
diatè recipi, cùm illa non sit subiectum acci-
dentis; nec in intellectu: nam in intellectu pos-
sibili nihil fit. aut recipitur præter actus, vel spe-
cies, vel habitus. Item ille terminus nec esse po-
test aliqua noua qualitas vt per se patet, nec mo-
dus qualitatis præexistentis, scilicet ipsius speciei
intelligibilis, quia non est intensio, nec exten-
sio, nec aliquid simile. Quippe qua ratione non
potest Angelus in se producere species intelligi-
biles, eadem non potest eas intendere, aut alio
modo augere, vel mutare, sed solùm potest ipsis
vti ad intelligendum: ergo nulla datur talis illu-
minatio ab intellectu agente, vel ab alio lumine
15. distincto prouenens.

Ad primum argumentum Scoti negamus An-
gelum à rebus sumere species; respectu specie-
rum autem infusarum dicetur intellectus Ange-
licus possibilis in secundo sensu, non in primo,
iuxta suprà dicta num.10.& 11. Ad primam pro-
bationem secundæ partis dicimus in primis, si
conuinceret argumentum etiam in Deo fore
ponendum intellectum agentem, cùm sit natura
intellectualis multo perfectior omnibus intelle-
ctiuis creatis. Multa ergo quæ in inferioribus
spectata ipsorum natura particulari sunt perfe-
ctiones in rebus superioribus essent imperfectio-
nes. Sic sensus, qui respectu animalium sunt per-
fectiones, quod idem dicendum est de intellectu
agente comparatione hominum, & Angelorum.

Deinde respondetur in forma, concedendo 16.
maiorem de potentia, quæ sic est perfectio, vt
imperfectionem non supponat, negando verò
de potentia, quæ sic est perfectio, vt in ea natura,
cuius est perfectio, supponat imperfectionem, in
cuius subsidium à Deo, & à natura tributa sit,
Talis namque perfectio non cernitur in natura,
superiori, quæ talem imperfectionem non habet;
At in re proposita, quia rationalis animus ita est
imperfectus, vt speciebus à rebus materialibus
acceptis, tanquam sibi proportionatis ad intel-
ligendum indigeat, confertur ei ab Auctore na-
turæ facultas spiritualis, aut intellectus, qui dici-
tur agens ad tales species eliciendas; sicut etiam
ob eandem causam confertur ei corpus ornatum
sensibus, vt accommodatè ad suam naturam pos-
sit inde tales species elicere. Ceterùm quoniam
Angelus eiusmodi speciebus non indiget, vt
potè altiorem habens intelligendi modum, per
influxum videlicet specierum sublimioris natu-
ræ, quas Deus infundit. Sanè sicut sensus ali-
quos non accepit, quibus res materiales defæca-
rentur aptioresque fierent, vt intelligerentur, sic
quoque vim qua species intelligibiles à rebus
educeret non recepit. 17.

Ad secundam probationem concesso antece-
dente negatur consequentia: nam anima nostra
snapte natura apta est sumere species à rebus. Vn-
de licèt supernaturaliter ipsi infundantur, vel
species eiusdem rationis cum illis, quas per se-
ipsam poterat comparare, vt Adamo fuerunt in-
fusæ, vel aliæ alterius rationis, qualis anima Chri-
sti recepit, non propterea deberet illi denegari
intellectus agens, siquidem est ipsi connaturalis,
præsertim cùm ex rebus semper posset nouas
species adquirere. Cùm verò Angelus ex se non
sit aptus accipere species a rebus, sed solùm à
Deo per infusionem, non debuit ipsi tribui ab
Auctore naturæ intellectus agens, qui foret om-
nino frustraneus. Ad tertiam respondetur non
dari in Angelis intellectum possibilem in primo
sensu, sed solùm in secundo, vbi nullam habet
connexionem cum intellectu agente, nisi velis
ipsum intellectum possibilem, quatenùs efficit
intellectionem agentem appellare, Quia tamen
intellectus agens non solet in hac acceptione
vsurpari, non est sine sufficienti declaratione sic
loquendum. 18.

Ad fundamentum Alberti dicimus intelle-
ctum agentem in nobis non aliter illuminare
phantasmata, quàm producendo ad instar illo-
rum species intelligibiles Quare cùm in Angelo
non detur talis productio, nec alia illuminatio
præter productionem intellectionis necessaria
erit. Ad fundamentum Ægidij fatemur in Ange-
lis dari lumen intellectuale naturale, non verò
distinctum ab ipsa vi natiua intelligendi. Quare
ad primam probationem respondetur S. Tho-
mam ibi, vel sequi opinionem eorum, qui di-
cunt potentias à diuersis etiam naturis specificis
dimanantes esse eiusdem speciei; vel forsan spe-
cies ipsas intelligibiles, quas putet esse eiusdem
speciei in omnibus vocare lumen: nam, vt docet Capreol.
Capreolus in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 3. ad 3. Aureo- Aureolus.
li contra 2. conclusionem, non solùm intellectus
possibilis, vel agens, sed etiam ipsæ species &
omnia, quæ ad intellectionem vt principia con-
currunt, possunt dici lumina, quatenùs sunt ali-
quo modo alterius manifestatiua. Per quod patet
ad confirmationem. Ad secundam probationem
respon

respondetur negando antecedens, ad cuius probationem dicimos, naturale lumen in nobis præcipuum, & propriissimum esse intellectum possibilem, quia per hunc ita obiectum intelligibile illustratur, vt intelligibiliter appareat in ipsa scilicet actuali cognitione, cuius sufficiens principium in Angelia est intellectus possibilis, & species infusa sine alio lumine superaddito.



QVÆSTIO LV. S. Thomæ.

De medio cognitionis Angelicæ.

ARTIC. I.

Vtrùm Angeli cognoscant omnia per suam substantiam.

CONCLVSIO negat, & probatur primò in argumento. *Sed contra* ex Dionysiu 4. de diu. nom. dicente, *Angeli illuminantur rationibus rerum*, id est, similitudinibus, & speciebus eorum, quæ cognoscunt, quo fit vt non cognoscant omnia per suam substantiam, sed per species. Probatur secundò ratione, quia licèt id quo intellectus tanquam specie intelligibili, vel eius locum gerente cognoscit, comparetur ad actum intelligendi tanquam principium efficiens; ad ipsum tamen intellectum comparatur tanquam forma vel informans vel assistens, eo quòd forma soleat esse id, quo agens agit: Sed vt potentia aliqua perfectè compleatur per formam, necesse est vt omnia, ad quæ se extendit potentia, contineantor in forma. Quare in compositis sublunaribus, quia nulla forma continet omnia ad quæ se extendit potentia materiæ, nulla perfecte complet potentiam materiæ. Cùm ergo intellectus Angelicus ad omnia se extendat, eo quod obiectum mentis Angelicæ sit ens, & verum in communi; in substantia verò Angeli, quæ ad certum genus, & speciem limitata est non contineantur omnia eminenter, sicut in essentia diuina continentur, fit vt non sicut Deus omnia per suam essentiam cognoscit, sic etiam Angelus cognoscat omnia per suam substantiam. sed necessarium ad id sit, Angelicum intellectum aliqoibus speciebus compleri.

ARTIC. II.

Vtrùm Angeli intelligant per species acceptas à rebus.

COnclusio. Species per quas Angelus intelligit non sunt à rebus acceptæ, sed ei connaturales. Probatur: nam sicut ordo corporalium habet, vt corpora inferiora sint in potentia ad perfectiones suaa, & successiuè adquirant eas, suprema tamen corpora cælestia congenitas habent suas perfectiones, totaliter complentur per suam formam. Similiter inferiores substantiæ intellectiuæ, scilicet animæ hominum habêt potentiam intellectiuam non completam naturaliter, sed complentur successiuè capientes suas species intelligibiles à rebus. Potentia verò intellectiua Angelorum completa est per species intelligibiles connaturales omnium obiectorum, quæ naturaliter cognoscere possunt. Confirmatur ex ipso modo essendi: nam animæ nostræ habent connaturalem modum existendi in corpore. Vnde per corpora suam perfectionem intelligibilem consequuntor, Angeli verò in esse intelligibili subsistentes, & totaliter à corporibus absoluti suam perfectiooem intelligibilem per species inditas ab Auctore naturæ.

ARTIC. III.

Vtrùm Angeli superiores intelligant per species magis vniuersales, quàm inferiores.

COnclusio affirmat, & ratio est, quia superiores magis assimilantur Deo, qui omnia per vnum intelligit, id est, per suam essentiam.



DISPVT. VIII.

De speciebus intentionalibus Angelorum.

DISSARIT tota ista quæstione S. Thomas de medio, qood sic est Angelu ratio cognoscendi res, vt cum intellectu concurrat ad cognitionem tanquam species intelligibilis, siue sit vera species, siue non, sed concurrat instar illius; ideò de speciebus intentionalibus Angelorom disputationem instituimus.

CAPVT I.

Vtrum Angelus indigeat speciebus.

1. PRima opinio simpliciter negat dari species intelligibiles in Angelo. Ita Henricus quodlibet. 5. quæst. 14. Ochamus in 2. quæst. 14. & 15. Gabriel ibidem dist. 3. quæst. 2. art. 3. Durandus ibi quæst. 6. num. 17. & licèt Vasquez existimet in nobis dari species, tamen in Angelis probabiliorem reputat istam sententiam 1. part. disp. 200. cap. 3. & disp. 201. cap. 3. fine, Bacchonius in 2. dist. 6. quæst. 1. art. 4. idem sentit, si loqoamur de facto: nam de possibili (ait) non repugnat Angelos per species intelligere. Palatius verò in 2. dist. 3. disp. 15. licèt multis contendat Angelos de facto vti speciebus, addit tamen sine illis posse intelligere, imò in principio suæ creationis omnia sine speciebus intellexisse.

Henricus. Ochamus. Gabriel. Durand. Bacchonius. Palatius.

Probatur Primò, quia non sunt res multiplicandæ sine necessitate, siquidem frustià fit per plura quod potest fieri per pauciora: Sed propter cognitionem nulla est necessitaa ponendi species, vel aliquid obiecti vice coocurrens ad cognitionem; cùm ipsa cognoscibilitas obiecti, & vis cognoscitiua potentiæ sufficiant ad eliciendam cognitionem: ergo non sunt ponendæ species in Angelis, imò nec in hominibus. Probat secundò Durandus, quia species intentionalis est eiusdem rationis cum re, quam repræsentat: Sed in mente Angeli non possunt esse formæ eiusdem speciei cùm rebus cognoscendis ab Angelo: ergo non dantor species in Angelis. Minor & consequentia patent, maiorem probat, quia species non ducit in cognitionem alterius, nisi

ratione

ratione similitudinis; similitudo autem non est nisi inter ea, quæ sunt eiusdem speciei.

3. Probat tertiò Vasquius, quia si necessariæ forent in Angelo species ad intellectionem, vel eas deberet à rebus accipere, vel habere secum congenitas: sed non primum propter argumenta, quæ contra Scotum producemus infrà cap. 3. Nec item secundum, quia vel illæ species infusæ producuntur à Deo, sicut perfectiones non debitæ naturæ Angelicæ, vel producuntur sicut passiones aut formæ connaturales. Angelo. At non infunduntur priori modo, tum quia sequeretur nullam violentiam inferri naturæ Angelicæ, si species ipsæ negarentur à Deo; & ita non esset violentum Angelo nullius rei cognitionem habere, quia nullam vim patitur, nisi contra internum impetum denegetur forma naturaliter debita; tum etiam, quia species illæ sic infusæ Angelis à Deo non possent non esse supernaturales, siquidem infunderentur à Deo vltra exigentiam naturæ.

4. Nec etiam posteriori modo possunt infundi: nam cùm Angelorum intellectus, & naturæ sint secundùm se determinatæ, solùm vendicant sibi determinatas passiones, & perfectiones sibi connaturales: Sed species intelligibiles non sunt determinatæ: ergo non possunt esse secundum naturalem inclinationem naturæ Angelicæ. Minor probatur, quia vel intellectus Angelicus exigit earum tantùm rerum species, quas Deus creauit, aut creaturus est, vel etiam species possibilium, quæ nunquam erunt. Non potest habere naturalem inclinationem ad eas tantùm rerum species, quæ de facto sunt, vel erunt, quia hæ non sunt naturaliter determinatæ, sed sola voluntate diuina. Sed nec ad species possibilium potest habere naturalem inclinationem, cùm non sit maior ratio cur ad has potius, quam ad illas, & per consequens ad omnes naturaliter inclinaretur. Quare vel Angelus illas omnes haberet, quæ forent infinitæ, vel infinitis careret contra naturalem inclinationem, quæ duo sunt absurda.

5. Confirmat, quoniam vniuersalis efficacitas intellectus Angelici ad hoc, vel illud intelligendum, non necessariò determinatur a forma intrinseca sibi, sed ab obiecto: proprium enim videtur facultatum cognoscentium, & appetentium, vt determinentur ab obiectis peculiari modo concurrentibus ad operationem, & habentibus aliquam rationem causæ, ita vt facultas appetens determinetur ab obiecto existente in cognitione; facultas verò intelligens determinetur ab obiecto exteriùs existente secundùm illud esse præsens, præteritum, vel futurum, secundùm quod accommodatum est intellectui: nam eo ipso quod est intra latitudinem obiecti, iam intellectus eò potest determinari: ergo non sunt ponendæ species intelligibiles in Angelis.

6. Secunda opinio generaliter fatetur obiectum intelligibile concurrere ad intellectionem sui per se, vel per aliquod supplens vicem eius, sed negat adhuc esse necessarias Angelis species, quia sua propria substantia potest vnicuique Angelo sufficienter deseruire per modum speciei, vt rem quamlibet possit cognoscere. Tribuitur
Auerroës. Auerroi, & Alexandro Aphrodiseo 12. Metaph.
Alex. Aphr. text. 44. & 51. Altisiodorensi lib. 2. summ. tract. 5.
Altisiodor. cap. 4. & Vdalrico lib. 4. summæ, vt refert Carthu-
Vdalricus. sianus in 2. dist. 3. quæst. 5. Probatur, nam hoc non
Carthusian. repugnat, nec excedit perfectionem finitæ substātiæ: ergo non est cur Angelis denegetur. Maior probatur, quia substantia diuina est repræsentatiua omnium: ergo illa perfectio non repugnat substantiæ, vt sic; minor autem, scilicet quòd nec substantiæ finitæ repugnet ostenditur: nam illa perfectio non est infinita; siquidem talis repræsentatio secundùm alios fit per species intentionales, quæ sunt finitæ tum perfectione, tum numero; imò posset fieri per vnicam speciem accidentalem Angeli supremi: ergo est effectus finitus, & faciliùs præstari poterit per formam nobiliorem, qualis est Angelica substantia. Vnde probatur prima consequentia, quia substantia Angelica nobilissima est, & forma actu intelligibilis: ergo proportionata est ad hanc intentionalem repræsentationem: ergo non est illi deneganda hæc perfectio. Confirmatur, quia nisi Angelus per suam substantiam hoc modo informaret in esse intellectuali suum intellectum, & constitueret illum in actu primo sufficienter ad cognoscendum omnia, ex sua natura foret velut cæcus, & impotens ad cognoscendum in actu secundo, quia non haberet naturalem viam obtinendi species omnium obiectorum.

Tertia opinio admittit quidem species intentionales, sed nec in Angelis, nec in nobis illas distinguit realiter ab ipsis intellectionibus. Ita 7.
Gotfredus quodlibet. 4. quæst 18. Aureolus in 2. Gotfredus.
dist. 33. quæst. 1. artic. 1. propositione 4. & S. Fran- Aureolus.
ciscus Picolominus in 3. de anima cap. 4. text. 5. Franc. Picol.
in annotationibus num. 3. Probat primò Gotfredus, quia perfectio cuiuscunque potentiæ passiuæ posita est in receptione alicuius formæ impressæ sibi ab agente; sed intellectus est potentia passiua, vt passim ait Aristoteles: ergo ipsius perfectio posita est in receptione alicuius formæ ab alio impressæ: Hæc autem forma est species intelligibilis: ergo perfectio intellectus posita est in receptione illius. At perfectio intellectus est intellectio: ergo receptio speciei formaliter est intellectio.

Probat secundò, quia receptio speciei sensibilis in sensu formaliter est sensatio, seu species ipsa sensibilis recepta est sensatio actualis: ergo similiter receptio speciei intelligibilis in intellectu est ipsa formalis intellectio. Consequentia constat, tum quia vtrobique est eadem ratio, tum 8.
etiam: nam ex Aristotele 3. de anima cap 4. text. 3. Aristot.
Sicut sensus se habet ad sensibilia, sic intellectus se habet ad intelligibilia. Antecedens verò probatur ex Aristotele ibi cap. 2. text. 139. dum ait, *Actionem sensibilis receptam in sensu esse sensationem.* Idemque docet Commentator 3. de anima commento 6. 35. & 36. dum ait, colorationem, hoc est speciem coloris receptam in visu esse visionem, & commento 12. asserit formas, quæ à sensibili producuntur ad extra, & in sensu sine
materia recipiuntur, esse sensationes. Augustinus August.
etiam 11. de Trinit. cap. 2. ait. *Formam, quæ producitur à visibili, esse visionem.*

9. Probat tertiò Picolominus ex Aristotele 3. de anima cap. 4. text. 5. dum ait mentem antequam intelligat, nihil esse actu quod esset falsum, si species distingueretur ab intellectione. Cùm enim per speciem fiat intellectus ipsum intelligibile, si priùs recipiat speciem quàm intelligat, vtique mens, antequam intelligat, esset aliquid actu.

Probat quartò Aureolus, quoniam actus

speciei

speciei est repræsentare obiectum, illudque vt præsens intellectui exhibere. Sic Aristoteles 3. de anima cap. 4. tert. 4. att. *Si intellectus ex se haberet speciem alicuius obiecti, impediret, ne aliud appareret*, quasi supponens speciem facere, vt obiectum intellectui appareat. Sed hoc ipsum præstat intellectio: formaliter enim non est aliud nisi id, quo obiectum præsentialiter exhibetur per modum apparentis: ergo species & intellectio formaliter sunt idem: nam alioquin idem obiectū bis appareret intellectui, semel per speciem, & iterùm per intellectionem quod est superfluum. Confirmatur, nam vbi est eadem ratio obiecti, ibi est idem esse, sed species, & intellectio tendunt in obiectum sub eadem ratione formali, quia tendunt in illud sub ratione apparentis: ergo habent idem esse, ac subinde non sunt duæ res.

11. Probatur quintò, si intellectio est qualitas distincta realiter ab specie, vel erit similitudo, sicut ipsa species, vel non erit similitudo: hoc dici non potest, tum quia iuxta omnem philosophiam cognoscere non est aliud quàm assimilari; tum præcipuè quia sic indicat Scriptura 1. Ioan. 1. *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Porrò si
Ioan. 1. intellectio formaliter est similitudo, & realiter distinguitur ab specie, quæ est etiam similitudo; iam in eodem intellectu darentur duæ similitudines eiusdem obiecti, quod & superfluum est, & impossibile: nam illæ duæ similitudines vel essent eiusdem speciei, vel diuersæ, non eiusdem: Sic enim quælibet esset formaliter intellectio, non item diuersæ, quia sequeretur effectum esse nobiliorem sua causa æquiuoca; siquidem intellectio est effectus speciei, & perfectior quàm illa.

12. Dico primò necessariæ sunt species intentionales in Angelis. Ita communiter Doctores. S.
S. Thom. Thomas hîc art. 1. eandemque veritatem supponit vbicunque agit de cognitione Angelorum 1. part. quæst. 56. 57. 74. art. 2. quæst. 89. art. 3. quæst. 91. art. 1. de veritate quæst. 8. art. 7. & 8. Atque de his speciebus explicat S. Thomas lectione 10. in librum de causis, propositionem decimam illius Auctoris, scilicet. *Omnis intelligentia plena est*
Proclus. *formis*, quam dicit esse 177. apud Proclum sub his verbis, *omnis intellectus plenus est specierum*, similemque sententiam colligit in hac quæst. 55.
Dionys. art. 1. & 2. ex Dionysio de diu. nom. cap. 4. & 7. in vtriusque principio: nam per rationes rerum, quas ibi dicit Dionysius esse in Angelis non acceptas à rebus sensibilibus, sed a diuina sapientia inditas intelligit S. Thomas species intelligibiles.

13. Albert. Mag. Cum S. Thoma consentiunt Albertus Magnus
Alensis. in summa de homine 2. part. tractat. 4. quæst. 19.
Bonauent. art. 11. & lib. 3. de anima tract. 2. cap. 18. Alensis
Ægid Rom. 2. part. quæst. 24. memb. 2. & 3. Bonauentura in 2.
Richard. Argentina dist. 3. part. 2. art... quæst. 1. Vbi Ægidius Roman.
Scotus. quæst. 2. art. 2. Richardus art. 6. quæst. 1. Argenti-
Lychetus. nas quæst. 1. art. 4. Scotus quæst. 3. de cognitione
Bassolis. Angelorum, quæ est in ordine 10. §. *Ad quæstio-*
Gregorius. Ferrara. *nem igitur*, Vbi Lychetus, Bassolis quæst. 3. §. *De*
Maior. *aliis verò* cum cæteris Scotistis. Latè Gregorius
Marsilius in 2. dist. 7. quæst. 3. art. 2. Ferrara 2. contra Gent.
Capreol. Hispalens. cap. 96. Maior in 2. dist. 3. quæst. 6. & 7. Marsilius
Heruæus. in 2. quæst. 7. part. 1. art. 1. conclus. 5. & 6. Thomi-
Caietan. stæ ferè omnes, Capreolus in 2. dist. 3. q. 2. art. 1.
Cumel. conclusione 4. vbi Hispalensis, & Heruæus q. 4.
Bannes. art. 2. Caietanus in hac quæst. 55. artic. 1. & 2 vbi
Molina. Valentia. Cumel, Bannes, Molina disp. 1. Valentia disp. 4.
Ægid. Lusit. quæst. 6. punct. 1. Ægidius Lusitanus lib. 8. de Beatitudine quæst. 1. art. 2. Suarez lib. 2. de Ange- Suarez.
lis cap. 3.

Ratio huius conclusionis debet esse, quæ pro 14.
asserendis eisdem speciebus in nostro intellectu solet in libris de anima cōmuniter afferri ea duplici capite petita. Primum est insufficientia potentiæ solius ad eliciendam cognitionem; cum enim in cognitione luceat duplex formalitas, prima est similitudo obiecti, secunda verò vitalitas, sicut ad hāc requiritur potentia vitalis, requiretur etiam ad primam concursus obiecti quem cum sæpè non possit per semetipsum immediatè præstare, interponenda erit species, quæ vicem gerat obiecti, potentiamque compleat. Huius argumenti vis explicari potest per illud principium in Philosophia, & Theologia communiter receptum, & ab ipsa experientia desumptum, scilicet de ratione cognitionis esse, vt per quandam assimilationem intra mentē intelligentis fiat, vel intra ipsum cognoscentem efformetur. In sensibus enim externis, præcipuè visu, cui potissimum est sensus disciplinæ, experimur visionem fieri per quandam intentionalem assimilationem videntis ad obiectum visum. Idem est de interiori sensu, seu phantasia, & consequenter de intellectu humano corpori coniuncto: non enim cognoscit nisi conuertendo se ad phantasmata, & ad instar illorum aliquam in se similitudinem formans.

Quare Philosophi animam locum formarum 15.
appellarunt, quos in hoc laudat Aristoteles 3. de anima cap. 4. vbi etiam ait intellectum intelligendo fieri ipsum intelligibile, vtique per quandam assimilationem, & Augustinus 11. de Trinit. Aug.
cap. 2. dixit, visum videndo re visa media eius similitudine informari; quod idem eum proportione in intellectu, & in re intelligibili inuenitur. Præterea in ipso etiam intellectu diuino cognitio est per quandam assimilationem, & ideò Ideæ omnium rerum in intellectu diuino collocantur, diuinoque verbo, quod per intellectum procedit, specialiter attribuuntur. Hinc ergo rectè deducitur, etiam Angelos intelligere per quandam assimilationem, & intelligendo fieri id, quod intelligunt, in quodam esse repræsentatiuo, seu assimilatiuo: nam intellectus Angelicus est medius inter diuinum, & humanum: ergo si in extremis intellectio datur per assimilationem, etiam in medio. Confirmatur, nam illa proprietas intellectionis, scilicet quod assimilatiua sit, non prouenit ex peculiari conditione huius, vel illius intellectus, sed ea naturali conditione facultatis intellectiuæ, vt talis est, quæ in hoc consistit, vt perficiatur, & actu constituatur trahendo ad se res intellectas per rationes earum; sicut è contrario naturalis proprietas voluntatis est ferri ad res amatas, inclinarique ad obiectum, vt rectè tradit S. Thomas in hac quæst. 55. art. 1. S. Thomas.
& quæst. 16. art. 1. & quæst. 82. art. 3. Vnde sicut Angelus amat efficiendo pondus in rem amatam, sic intelligit efficiendo in se aliquam similitudinem rei intellectæ.

Tunc sic intellectus etiam Angelicus, vt præ- 16.
existens actuali cognitioni, vel ordine durationis, vel naturæ supponi debet in actu primo sufficienter constitutus ad formandam in se similitudinem expressam rei intelligendæ; siquidem omnis actus secundus supponit actum primum proportionatum, & à fortiori actus secundus intelligendi consistens in actuali assimilatione

supponere

ſupponere debet intellectum conſtitutum in actu primo ad formandam in ſe ſimilitudinem expreſſam obiecti: Noo poteſt autem ita conſtitui, niſi per ipſum obiectum aliquo modo ſibi coniunctum, vtique per ſeipſum, vel per aliquam eius ſimilitudinem, vel eminentiam, qoia oon poteſt alius modus, cum fundamẽto cogitari, vt ex ſequẽtibua magis apparebit: ergo commune eſt intellectui Angelico cum aliis, vt ad intellectiones ſuas non tantùm potentia intellectiua, ſed etiam res intellectu aliquo modo cum illo concurrat; ita vt illud axioma Philoſophorum. *Ex obiecto, & potentia paritur notitia* traditum ab Auguſtino 9. de Trin. c. 12. etiam in Angelis locum habeat; obiectum autem non ſemper, maximè ſi materiale ſit, poteſt conenrrere per ieipſum cum intellectu Angelico, quia nec eſt præſens ſemper, nec etiamſi adſit eſt proportionatum: ergo debent dari ſpecies obiectorum vicariæ in intellectu Angelico.

17. Confirmatur ex dictis, quia ſi de ratione intellectionis eſt, vt vidimus, quòd ſit ab obiecto, & potentia, vtique non poteſt in Angelis eſſe à ſola potentia, vt à principio proximo, niſi facultas ipſa cognoſcitiua Angelica virtute contineat in ſe omnia obiecta, quæ cognoſci poſſunt ab ipſa. Sed hoc non poteſt ipſi tribui: ergo nec actiuitas completa ſuarum intellectionum, niſi compleatur per ſpeciem. Conſequẽtia patet, minor probatur, nam illa continentia non poteſt eſſe niſi vel in eſſendo in ratione alicuius virtutis, vel in repræſentando ratione alienius aſſimilationis; nullus eoim alius modus excogitari poſſe videtur. Sed neuter eſt veriſimilis. Non prior, quia ſubſtantia Angeli non contioet eminenter res omnes intelligibiles ab ipſo; nec etiam poſterior: nam intellectus vt intellectus non habet per ſeipſum illam virtualem repræſentationem, ſiquidem nec intellectus bumanus illam habet; imò nec intellectus diuious præcisè ſpectatus, & non vt ineludit eſſentiam, nec per illam quaſi actuatur: ergo non poteſt eum fundamento tribui Angelorum intellectui.

18. Secundum caput eſt indifferentia potentiæ, quæ de ſe indifferens eſt, vt produeat eognitionẽ huius, vel illius obiecti, quapropter indiget virtute aliqua particulari, quæ vel eoefficiendo, vel coaſſiſtendo determinet facultatem cognoſcitiuam ad productionem cognitionis eirca hoc obiectum potiùs, quàm circa illud; nec enim omnia, quæ poteſt cognoſcit actu, nec debet à ſeipſa quæuis potentia cognoſcitiua determinari, cùm nulla facultas præter voluntatem ſit formaliter libera: ergo indiget aliquo cooeurſu obiecti, quo determinetur; ſed obiectũ non poteſt ſemper per ſeipſum conconcurrere cũ potentia, quia ſæpè longè diſtat, vel eſt improportionatũ, quale eſt obiectũ materiale reſpectu intellectus: ergo neceſſariò admittendæ ſunt ſpecies, etiã in Angelis, quibus eorum intellectus determinetur ad cognitionem huius, vel illins obiecti in particulari.

19. Dicò ſecundò nullus intellectus Angelicos cõſtituitur in actu primo completo, & proximo ad intelligendũ omnia intelligibilia per ſolã ſubſtantiã Angeli intelligentis, quã ſupponimus diſtingui realiter ab intellectu, ita S. Thomas in hac q. 55. a. 1. & Doctores pro prima conclusione relati. Probatur ratione S. Thomæ, quã ſuprà formauimus a. 1. & aliqui ſic impognant. Ad repræſentandũ omnia intentionaliter, & per modũ obiecti, vel quaſi inſtrumenti gerentis vices obiecti, non eſt neceſſaria perfectio ſimpliciter infinita. Quare nec eſt neceſſaria continentia eminentialis omniũ: ſpecies enim intelligibilis ſobſtantiæ repræſentare poteſt illam, licèt ipsã eminenter non contineat. Et poſſet Deus facere vnã ſpeciẽ intelligibilẽ, quæ foret ex parte obiecti principiũ intelligẽdi omnia, quæ vnus Angelus iutelligere poteſt, licèt nõ haberet infinitã perfectionẽ, nec eminentialẽ continentiã; ſicut nunc fecit Deus vnã potẽtiam intellectiuam, & quæ poſſit hæc omnia quãtum eſt ex parte potentiæ cognoſcere; ac ſubinde ad talem repręſentationem, nec infinita perfectio, nec eminentialis continentia neceſſaria eſt: ergo poterit vnicuique Angelo per ſuam ſubſtantiam conuenire. 20.

Ceterùm ratio S. Thomæ ſufficiens eſt, qnia dupliciter intelligitur aliquid eſſe principium proximnm ex parte obiecti, ſeu medium quod vocant incognitum, ad cognoſceodas res alias. Primò pee modum ſeminis, vel inſtrumenti ad hoc principaliter inſtituti, vt vicem alterius ſubeat, cuiuſque loco concurrat; & ita ſit medium ad cognoſcendum illud. Secundò poteſt res aliqua eſſe principiom cognoſcendi alias, non quia per ſe primò inſtituta ſit ad repræſentandum illas, ſed quia cùm ſit res abſoluta protſus ab hac tranſcendentali habitudine, vim habet ex ſua intrinſeca perfectione ducendi in cognitionem aliarum per modum principij proximi in ratione obiecti intelligibilis, & medij ſufficientis ad res alias perfectè cognoſcendas.

Hoe ſuppoſito Impugnatio ſuprà facta proce- 21.
dit de medio prioris generis, quales ſont ſpecies intentionales; ſunt enim quaſi ſemina, vel inſtrumenta ſuorum obiectorum, ideoque non oportet vt illa contineant eminenter, nec vt habeant æqualem perfectionem cum illis; eademque ratione poſſet Deus efficere vnam ſpeciem intelligibilem repræſentantem plura, vel etiam infinita intelligibilia ab aliquo Angelo ſine continentia eminentiali talium obiectorum, quia ſolùm haberet inſtrumentalem, ſeu ſeminalem concorſum; ac ſubinde ſine perfectione infinita niſi valdè ſecundùm qoid, nimirùm in modo repræſentandi, & hoc ſolum probat exemplum de intellectu, idemque proportionaliter erit de ipſa ſubſtantia intellectiua: nam hæc poteſt eſſe principium radicale, atque ille principium proximum intelligendi res innumeras ſaltem ſucceſſiuè ſine continentia eminentiali ipſarum, quoniam in illo influxu non operantur, quaſi loco rerum intelligibilium nec quia contineant illas, ſed operantur virtute ſibi connaturali, talique generi principij proportionata ad quam propria formalis perfectio ſufficit, vtiqne qooad influxum mediatum ex parte ſubſtantiæ, ac immediatum ex parte potentiæ reqniſitum ad intelligendum; vltra qoem neceſſarius eſt influxus ex parte potentiæ, vt declaratom eſt.

Quòd ſi ſubſtantia Angeli cognoſcentis eſſet 22.
ſufficiens principium intelligendi omnia naturalia, etiam quoad influxum neceſſarium ex parte obiectorum, id non haberet dicto priori modo, id eſt, per modum inſtrumenti aliorom obiectorum per ſe inſtituti ad ſupplendam vicem illorum, vt per ſe patet; quia ſubſtantia quædam, præſertim perfecta ſpiritualis, ac ſimplex, qualis eſt Angelica ſubſtantia non eſt per ſe, & ab intrinſeco ordinata ad inſeruieodum alteri ſubſtantię, creatæ, oec vt ſit qoaſi ſemen, & inſtromentum illius: ergo vt

substantia vnius Angeli esset medium ad cognoscendas res distinctas, oporteret vt esset medium secundo modo suprà declarato, scilicet quòd ex vi suæ absolutæ perfectionis ad hoc sufficiat: Hic autem modus intelligi non potest nisi talis substantia eminenti aliquo modo res alias contineat: Cur enim vicem aliorum obiectorum intelligibilium, quorum non est instrumentum, supplere possit, nisi illa in se contineat aliquo modo. Non continet autem formaliter, vt per se constat, nec instrumentaliter, vt supponimus: ergo non superest nisi modus eminentialis: nec enim alius excogitari potest. Declaratur exemplo: nam vna substantia non potest supplere vicem alterius ad generandum, nisi vel sit instrumentum illius, vel eã eminenter cõtineat: ergo similiter nõ poterit vna substãtia vicem alterius gerere in ratione obiecti intelligibilis, nisi eminenter illam contineat, cùm non sit ipsius intellectuale semen, vt supponitur.

23. Dico tertiò, species intelligibiles realiter distinguuntur ab intellectione. Ita contra tertiam opinionem omnes aliæ. Tenet expressè S. Thomas de veritate q. 8. a. 6. vbi affirmat intellectionem esse quidem effectum specierum, & q. 9. a. 5. docet speciem se habere ad intellectionem, vt principium illius eo modo quo calor est principium calefactionis, Ægidius Romanus quodlib. 3. q. 14. & 15. docet intellectionem ab specie intelligibili causari, quod sæpè tradit in quæstionibus de cognitione Angelorum & in 2. dist. 3. p. 1. dum agit de eadem cognitione. Scotus in 1. dist. 3. q. 6. latè probat species intelligibiles esse priores actu intelligendi, & q. 7. ex Aristotele, ac Augustino confirmat intellectionem ab specie produci. Capreolus in 1. dist. 35. q. 1. a. 1. concl. 1. & in responsionibus ad Aureolum cõtra primam latè refellit eundem, & posteà Gotfredum, contra quem etiam scribit in 2. dist. 3. q. 2. a. 3. Tenẽt nobiscum Soncinas in 1. dist. 35. q. 1. concl. 3. Didacus Ayala ibi q. 1. a. 3. & 4. Iauellus 3. de anima q. 1. de actu intellectus Apolinaris ibidem q. 5. Conimbricens. c. 8. q. 4. a. 1. conc. 1. Vasquez 1. p. disp. 43. c. 3. n. 7. & 8. Suarius l. 2. de attrib. c. 12. n. 7. Ægidius Lusit. l. 4. de Beat. q. 1. a. 2. n. 56. & l. 8. q. 1. a. 4. §. 4.

S. Thomas.
Ægid. Rom.
Scotus.
Capreolus.
Soncinas.
Didac. Aya.
Iauellus.
Apolinaris.
Conimbr.
Vasquez
Ægid. Lusit.

24. Probatur ex suprà dictis: nam intellectio est ab specie tanquam à principio productiuo, vel saltem tanquam à conditione præequisita ex parte principij: ergo realiter distinguitur ab illa. Consequentia patet. Antecedens probatur: nam intellectio omnium consensu, etiam Aduersariorum, est actio vitalis: ergo effectiuè producitur ab intellectu, siquidem de ratione vitalis operationis, est, vt effectiuè procedat à principio vitæ. At non producit intellectionem intellectus, vt est in potentia essentiali: nam vt sic est pura potentia, & tanquam tabula rasa potens omnia fieri, atque incompleta, & indifferens ad hoc vel illud intelligendum: ergo præsupponitur intellectus ad intellectionem iam constitutus in actu primo completo, & proximo per speciem, vt suprà dicebamus. Iam verò id per quod potentia productiua constituitur in actu primo proximo, & completo ad agendum, concurrit ad actionem, effectumque productum, tanquam principium effectiuum, vel tanquam conditio præequisita ex parte principij. Quare cùm intellectus per species intelligibiles constituatur in actu primo completo, & proximo ad producendam intellectionem huic debent species præsupponi, & cõsequenter ab illa realiter distingui.

Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur negando species poni frustrà, siquidem earum necessitas satis videtur esse iam comprobata. Ad secundum negatur specië intentionalem esse eiusdem speciei cum re cuius est species, quod de nostris speciebus sensibilibus & intelligibilibus ostendimus in libris de anima, eademque ratio est de speciebus Angelicis. Nec refert quòd species sint principia aliquo modo similia suis obiectis, quia non sunt similia in esse naturali, sed in esse repræsentatiuo, seu intentionali, nec per formalem conuenientiam, sed per virtualem, & quasi seminalem efficientiam. Sicut virtus seminis non est eiusdem speciei cum animali generante, nihilominus est effectiua similis animalis, vt instrumentalis virtus generãtis. Ita ergo cũ proportione comparatur species ad obiectum. 25.

Ad tertium respondetur species Angelorum esse congenitas, & connaturales Angelis tanquã intrinsecè pertinentes ad naturalem illorum integritatem, & perfectionem. Ad huius autem partis oppugnationem respondetur appetitum innatũ intellectus Angelici confirmari ordini huius vniuersi ab Auctore naturæ præscripto: nã illarũ tantùm rerum species appetit, seu connaturaliter exigit, quas Angelus posset naturaliter cognoscere, si determinaretur ab ipsis ad cognoscendum. Quare Deus, vt Author naturæ supplet, vel infundit earum rerum species, quas naturalis ordo postulare videtur. Igitur licèt Deus liberè creauerit has creaturas potiùs quàm alias; tamen sicut supposita istarum creatione istæ potiùs determinarent ad sui cognitionem, quàm aliæ non creandæ; sic etiam supposita tali creatione connaturaliter solùm appetuntur ab Angelo species illarum rerũ, quæ pro aliqua differentia tẽporis existent, quoniam illæ sunt per se aptæ ad immutandam potentiã de facto iuxta ordinẽ huius vniuersi. 26.

Confirmatio tangit quæstionem illam; an obiectum per seipsum possit intellectum Angelicum ad sui cognitionem mouere? In qua Gabriel, Ochamus, Gregorius suprà relati, ac expressiùs Bassolis in 2. dist. 3. q. 3. a. 3. § *Dico igitur*, & q. 4. a. 2. fatentur cognitionem non fieri sine concursu obiecti cogniti etiã in genere causæ efficiẽtis, hunc tamen concursum dicunt ab ipsomet obiecto præstari posse. Sed contra in primis, quia si sint obiecta materialia, non possunt immediatè, & per se agere in rem spiritualem, præsertim virtute innata, meréque naturali, quamuis talis efficientia sit partialis: ergo non possunt influere per se in spiritualem actum intelligendi Angelicum. 27.

Bassolis.

Respondent aliqui, materiale quidem obiectum illuminari ab ipso Angelo, vt possit in actũ eius influere. Ceterùm hæc illuminatio nullo nititur fundamento, nullo proditur indicio, deinde vel est insufficiens, vel impossibilis, quia si materialis sit, erit æquè insufficiens, vt obiectum efficiat spirituale actum, & aliunde est præter naturam spiritualis obiecti materiale lumen efficere; si verò sit spiritualis illuminatio, oportebit per illam produci lumen aliquod spirituale, quod in obiecto materiali, imò etiã in medio recipiatur, quod est impossibile, vel omninò, vel secundùm ordinem naturæ. 28.

Si tamen obiecta sint immaterialia, præter suprà citatos Molina 1. p. q. 56. art. 2. docet, quando duo Angeli non distant à se inuicem, vnum posse cognoscere alium intuitiuè per substantiam Angeli cogniti concurrentem in modum speciei in- 29.

Molina.

intelli

telligibilis. Probatur, quia substantia immaterialis est intelligibilis actu: ergo ex hac parte non minùs potens est ad efficiendam Intellectionem sui in alteno intellectu, quam in suu; quia talis effectus non magis excedit virtutem talis causæ, eo quod in alio fiat, quàm cùm in ipso intelligente fit. Igitur ex parte virtutis actiuæ non est repugnantia in hac efficientia. Nec item ex parte conditionis requisitæ: nam ad hoc sufficit coniunctio Angeli cognoscendi cum intellectu cognoscentis per intimam propinqnitatem, qualis reperitur inter essentiam diuinã, & intellectũ beati; similisq; dari potest inter Angelos, vt per se notum est.

30. Verumtamen hæc sententia dupliciter potest procedere, vel asserendo hunc modum intelligendi alios esse vnicũ in Angelis, & ita necessarium, vt omnis alia cognitio per speciẽ Angeli cogniti secludatur, vel solùm affirmando illum esse vnum modum, quo Angelus cognoscit alios, aut cognoscere potest, cùm scilicet illorum præsentiã commodam habuerit, non tamen esse modum vnicũ, & necessarium, sed absque tali efficientia Angeli cogniti fieri etiam posse, vt ab alio cognoscatur intuitiue. Priori modo intellecta illa sententia sic impugnatur: nam aliàs nunquam vnus Angelus posset alium cognoscere, nisi dum haberet illum præsentem suo intellectui per substantiam suam, siquidem iuxta bonam Philosophiam actio in distans non est admittenda. Vnde per hoc solùm quòd vnus Angelus distet ab alio per aliquod spatium; inuisibilis ipsi fiat: Hoc autem non videtur dicendum: nam esset magna imperfectio Angelicæ naturæ, quæ non debet illi gratis attribui; cùm inter homines tanta dependentia non detur, vt vnus ab alio videri possit. Rursus sequeretur quòd saltem dependeret Angelus intelligens ab Angeli cogniti voluntate, siquidem non posset illũ videre, si nollet alter videri, quia concursus effectiuus Angeli cogniti liber erit ipsi, cùm nihil producat Angelus ad extrà nisi liberè. Denique sequeretur, quòd vnus Angelus nõ posset videri simul à plurib⁹, quia nõ esset pluribus propinquus, vel certe non posset simul plures actiones efficere.

31. [S. Thomas.] [Ferrara.] Posteriori modo intellecta illa sententia non est improbabilis S. Thomæ q. 8. de veritate a. 7. & l. 2. contra Gent. c. 98. Ferraræ ibi, ac aliis. Adhuc impugnatur ab illis, & à Thomistis communiter, [Capreolus.] imò Capreolus in 2. dist. 3. q. 2. a. 3. ad 8. primo loco positum contra primam conclusionem contrariam sententiam vocat erroneam, in quo quidem excessit. Varias aliorum impugnationes refert, & [Suarius.] refellit Suarius l. 2. de Angelis c. 5 & ipse n. 16. hac vnica vtitur quasi probabiliori, videlicet si vnus Angelus potest per substantiam suam efficere sui cognitionem in alio, vel facit illam necessariò, vel liberè, sed neutro modo potest: ergo nullo modo. Minor quoad primam partem ostenditur, quoniam omne agens liberum ex natura sua habet dominium super omnes actiones, quas extra se facere potest, vt contingit in Deo, imò etiam in homine, quãtùm ad omnes actiones transeuntes, quæ ab anima, vt rationalis est, procedere possunt: ergo idem sentire debemus de libertate Angelorum; tum quia non possumus de Angelis qui sunt quasi medij inter Deum, & homines, nisi per comparationem ad extrema, vel instar illorum aliquid cognoscere; tum etiam quoniam Angeli maiorem, & vniuersaliorem libertatem habent, quàm homines, maximè circa actiones ad extrà, quæ non ad perfectionẽ Angeli operantis, sed ad perfectionem aliorum spectant; ideoque dominium talium actionum ad perfectionem pertinet.

32. Confirmatur; quia si hæc necessitas tribuitur substantiæ Angeli, prout est obiectum actu intelligibile, consequenter tribuenda foret omnibus accidentibus eiusdem Angeli tam potentiis, & speciebus, quàm etiam actibus, quos elicit; Consequens est absurdum: ergo & antecedens, sequela patet à paritate rationis, vel etiam a fortiori, quia propinquior est substantia sibimet ipsi, quam accidens substantiæ. Quare si potest Angelus subdere suæ libertati accidentia sua, continereq; ipsa, ne vt obiecta intelligibilia se prodãt, & sui cognitionem efficiant, cur non poterit etiam continere suam substantiam: ergo è contrario si non potest id circa substantiam, nec circa suos actus id poterit. Hoc autem esse absurdum probatur: nam aliàs possent Angeli liberas cogitationes, & affectus aliorũ Angelorũ cognoscere sine aliorũ consensu, quod esse falsũ videbimus disp. 9. c. 4. Sequela probatur: nam eo ipso quòd Angelus eliceret actum odij, v. g. talis actus excitaret necessariò sui cognitionem in aliis Angelis saltem propinquis, & volentibus obiectum illud cognoscere, consequenterque posset à quolibet appropinquante percipi sine consensu libero elicientis actũ odij.

33. Quoad secundam partem ostenditur eadẽ minor: nã vt eadẽ actio ab obiecto, & potentia vitaliter, ac indiuisibiliter procedat, necesse est vt illa principia seruent inter se subordinationẽ, ita vt ad motionẽ, vel influxu vnius alterũ illi cooperetur; sed hæc subordinatio non inuenitur inter Angelum intelligentem, & substantiam alterius, siquidem priùs natura, quàm Angelus eliciat cognitionem repræsentatiuam alterius ad summum potest præcedere præsentia Angeli cognoscendi, quatenus indistantis ab intellectu cognoscentis; quæ præsentia realis non sufficit ad subordinationem: ergo non potest vnus Angelus alium cognoscere per substantiam cogniti. Minor, & consequẽtia constant. Maior probatur: nam aliàs non posset actio incboari ab vtroque illo principio, nisi per accidens, & quasi contingenter: cùm enim vtrumque liberè operetur, siquidem Angelus cognoscens liberè producit suum actum, cuius dominus est, & Angelus cognitus supponitur liberè concurrere, neuterq; possit per voluntatẽ suã alterũ ad concurrendũ necessitare, quia neuter obedit alterius voluntati ad nutum; non potest inter illos naturalis sympathia cum fundamento fingi. Quapropter illæ duæ voluntates non poterunt simul conuenire, nisi vel fortuitò, quod est contra perfectionem, & ordinem naturæ, vel nisi vnus præcognoscat volũtatẽ alterius, & illi annuat: hoc autẽ magnã imperfectionẽ in cognoscente supponit, scilicet quòd non possit aliũ illo modo cognoscere, nisi alius ille velit: ergo necesse est inter potẽuã & obiectũ procedere subordinationẽ aliquã ratione cuius necessariò vnũ alteri cooperetur, hæc autẽ inter substantiã creatã, & intellectũ alienũ vix potest dari nisi per speciẽ intelligibilẽ: ergo per istã fit Angelorũ cognitio, & non aliter.

34. Hæc ratio probabilis est, non tamen omninò conuincens meo iudicio: nam dici posset vnum Angelum præsupponi iam cum specie alterius, per quam & alterum Angelum cognouerit, & eius voluntatem concurrendi ad sui cognitionem in alio intellectu per substantiam propriam, & tunc Angelum annuere, velleque alterum etiam cognoscere modo isto, qui subinde non ponitur in

hac opinione, vt omninò necessarius, sed vt possibilis, nec videtur magna imperfectio Angeli, quòd Angelum alium, quem iam cognouit per speciē illius non possit per immediatum concursum alienæ substantiæ intueri, nisi dependenter à voluntate alterius. Habemus tamen hinc absolutè esse necessarias species sine quibus non posset vnus Angelus alterius voluntatem præcognoscere, vt illi annuat: quomodo enim cognoscet voluntatem alterius, si nondum illum cognoscit? vel quomodo desiderabit, vt alter sibi cooperetur, si alterum ignorat? Talis ergo modus cognoscendi alium Angelum per substantiam cogniti propinquam, vel intimè præsentem supponit cognitionem eiusdem Angeli per illius speciem præhabitam. Vnde potest deduci demum talem cognitionem habitam per substantiam cogniti fore quodammodo superfluam, si iam supponit aliam cognitionem eiusdem prorsùs obiecti.

35. Propterea Durandus in 2. dist. 3. q. 6. & alij negant esse necessariam hanc efficientiam obiecti intelligibilis in actum intelligendi Angelicum, sufficereque putant solam præsentiam obiecti in se, vel in sua causa, vel in effectu, vt ab Angelo cognoscatur eo modo quo est. Nam eo ipso quòd obiectum illud est intelligibile, & hæc potentia est intellectiua posita sufficienti præsentia obiecti per existentiam ipsius, aut per aliquam propinquitatem ad intelligentem sequetur intellectio sine efficientia obiecti, quia necessitas obiecti præsentis non infert causalitatem eius, præsertim effectiuam, vt Gabriel, Gregorius, & Bassolis colligere videntur; sed infert vel esse conditionem necessariam, vel ad summum esse causam quasi materialem, non ex qua, sed circa quam talis actus versatur, quæ potiùs est terminus necessarius habitudinis eius.

36. Contra sententiam istam vrgeri possunt illa argumenta, quibus in libris de Anima probatur species intentionales & obiectum per illas effectiuè concurrere ad cognitionem, sed quia probabile quoque est oppositum, & qui dicunt species determinare potentiam sine efficientia circa illam, poterunt pariter de ipsis obiectis philosophari, addimus in intellectuali cognitione non posse satis explicari, quomodo hæc præsentia extrinseca obiecti necessaria sit, aut sufficiens ad cognitionem: nam in intellectu quædam est intuitiua cognitio, quædam abstractiua, ad priorem supponitur realis existentia obiecti aliquo modo, sed hæc non satis est, vt eo ipso quòd res sit, Angelus illam intueatur: alioqui necessariò semper intueretur omnia, quæ sunt siquidem iuxta contrariam opinionem vt sequatur visio, satis est quod obiectum sit visibile deturque potentia visiua.

37. Nec dici potest aliqua non videri propter nimiam distantiam, nam in visione mentali non est necessaria localis propinquitas, sed sufficit realis præsentia existentiæ. Nec item dici potest, licet obiectum intelligibile sit ex se sufficienter præsens, non statim videri necessariò ab intellectu, quia non applicatur per liberam voluntatem cui subest. Nam licèt hæc libertas cognoscendi verè ponatur, tamen in illa sententia explicari non potest vsus eius, quia si obiectum præsens non excitat intellectum, nec in eo supponitur aliquid repræsentatiuum talis obiecti, quomodo poterit voluntas liberè applicare intellectum, vt ex multis obiectis ex parte sua æquè præsentibus hæc consideret potius quàm illa: Hæc enim electio sine aliqua præcognitione illorum inter quæ fit, intelligi non potest: ergo vel ex necessitate naturæ sequitur intellectio, & tunc omnia necessariò videbuntur, vel per voluntatem non poterit intellectus applicari ad hæc potiùs, quàm illa actualiter intuenda; quæ difficultas positis speciebus facilius euacuatur, vt videbimus infrà cap. 3.

38. In abstractiua verò cognitione certum est non requiri præsentiam obiecti existētis, quia talis cognitio datur etiam circa obiectum absens, vel nō existens, & tamen adhuc non fit sine aliqua cooperatione obiecti: ergo talis cooperatio non est præsentia. Respōdent cognitionem abstractiuam supponere intuitiuam eiusdem rei, vel saltē causæ, vel effectus ipsius; & sic aiunt præsentiam obiecti sufficere ad cognitionem intuitiuam sine alia efficientia obiecti, ex intuitiua verò cognitione relinqui abstractiuam, ac subinde præsentiam obiecti mediatè sufficere ad cognitionem abstractiuā.

39. Sed contrà pr[illegible], nam Angeli non solùm habent abstractiuam cognitionem eorum quæ viderunt intuitiuè, vel ex his, quæ viderunt aliquando, quasi per discursum a[illegible], sed multa quoq; intelligunt abstractiuè, quorum cognitionem per nullam visionem ass[illegible] sunt, vt constabit infrà disp. 10. Cōtrà secundo: nam vt cognitio abstractiua fundetur in præcedenti obiecti existentia, nō sufficit quòd illud extiterit, sed oportet vt ex ipsius præsentia sit aliquid relictum in intellectu per quod possit abstractiuè cognosci, quippe si desinit esse, nihilque relinquit in intellectu, nō poterit posteà magis cognosci, quam si nūquā extitisset, vt experiētia cōstat in nostra memoria: si tamē aliquid relinquit: ergo illud est species, quæ postea concurrat, vel moueat potentiā ad sui obiecti cognitionē abstractiuā, nec enim aliud esse potest.

40. Dicunt nonnulli ex relatis Doctoribus obiectum, vt in memoria relictum non concurrere ad cognitionem abstractiuam actiuè, vel motiuè, sed tātum terminatiuè, ita vt abstractiua cognitio terminetur ad obiectum, vt repræsentatum in specie relicta in memoria. Sed imprimis iam dant nobis speciem relinqui; deinde refelluntur, quoniam in cognitione directa rei cognitæ, siue sit cognitio abstractiua, siue sit intuitiua species impressa non est obiectum proximè terminatiuum talis cognitionis: non enim potest species habere rationem obiecti, quin immediatiùs cognoscatur; Sed non cognoscitur per directam cognitionem abstractiuā obiecti, vt experiētia cōstat: ergo nō habet rationē termini, sed principij vel efficientis, vel saltē mouētis: requiritur ergo species ad cognitionem abstractiuā, & per consequens ad intuitiuā etiam.

41. Iam ad illam Vasquij confirmationem respondetur intellectum Angelicum non posse determinari ad hoc, vel illud obiectum cognoscendum per ipsum obiectum vt visum est, ac subinde necessarias esse species intentionales, per quas determinetur: nam intra latitudinem obiecti substātia quidē est obiectū intelligibile, quoad terminationē per seipsū, quoad motionē verò non per seipsum immediatè, sed per speciem sui, quasi per vicariam virtutem suam intentionalem.

42. Ad fundamentum secundæ sententiæ, iam in nostra conclusione secunda reddidimus rationem ob quam substantia finita non sit per se repræsentatiua intentionaliter aliarum rerum ab ipsa distinctarum, quas nec eminenter continet, nec illarum est instrumentum, vel quasi semen ad earum repræsentationem ordinatum. Quare non

tenet

tenet instantia de specie intentionali, quæ affertur: proprium enim est substantiæ finitæ, vt mediis accidentibus multa possit efficere, quæ per semetipsam non potest. Ad confirmationem negatur consequentia, quia non est cæcus, qui caret speciebus, sed qui caret potentia capaci visibilium specierum, vel illam habet prorsus impeditam, quorum neutrum reperitur in Angelis.

43. Ad primum tertiæ sententiæ, concessa maiori distinguitur minor; intellectus est potentia duntaxat passiua respectu specierum intentionalium, & est potentia passiua simul, & actiua respectu intellectionis, concedo; est potentia purè passiua respectu intellectionis, nego minorem; Vnde non sequitur omnem perfectionem intellectus, vt est potentia intellectiua consistere in receptione: nam simul consistit in productione cognitionis. Quare perfectio intellectus nostri, quæ est intellectio, cùm sit actio vitalis, & immanens, actionem simul, & passionem inuoluit.

44. Ad secundum negamus antecedens cum communi sententia, quam docuimus in libris de anima: falsum est enim sensationem formaliter esse receptionem speciei sensibilis. Ad probationem respondetur tam Aristotelem, & Auerroem, quàm Augustinum nomine sensationis ibi significasse primum actum proximum ad sentiendum, in quo sensus constituitur per receptionem speciei sensibilis; quod colligitur ex Aristotele 2. de anima cap. 5. text. 53. dum ait sentire interdum sumi pro actu primo, qui est in potentia ad actum secundum; colligitur etiam ex Augustino ibi, dum ait ipsam imaginem coloris, quæ est visio, produci non ab anima, sed ab ipso corpore, quod verum non est, nisi sumatur imago pro ipsa specie. Vel certè loquuntur in sensu causali, quia receptio speciei sensibilis est sensatio, non formaliter, sed causaliter, quatenus est causa sensationis. Aristot.

45. Ad tertium respondetur Aristotelem vel intelligendum esse de actu completo, vt sit sensus; intellectus nihil eorum, quæ sunt, est in actu completo, seu repræsentat formaliter antequam intelligat, in quo sensu corruit omninò argumentum. Vel intelligendum esse de intellectione in actu primo, in quo ab eodem Aristotele dicitur addiscere, & inuenire, vt patet ex eodem cap. 4. text. 8. Vel ideò id dixisse, quia prima speciei adquisitio semper est coniuncta cum intellectione actuali.

46. Ad quartum respondetur speciem intentionalem repræsentare obiectum virtualiter solum & quasi in actu primo, at intellectionem repræsentare suum obiectum formaliter in actu secundo, & vitaliter. Quare non præstat intellectio idem quod species, sed munus valde diuersum. Vnde ad confirmationem dicimus speciem, & intellectionem tendere ad idem obiectum repræsentandum, sed valde diuerso modo: nam species tendit, vt principium determinans indifferentiam potentiæ in actu primo; cognitio verò vt ipsa formalis repræsentatio vitalis in actu secundo.

47. Ad quintum respondetur ex dictis speciem, & intellectionem esse duas similitudines, vel imagines obiecti realiter, & essentialiter inter se distinctas, quæ diuersa munera præstant; quare nec sunt incompossibiles, nec superfluæ, nec obstat quòd species sit causa intellectionis, quæ est nobilior, quàm species: non est enim inconueniens quòd effectus sit nobilior sua causa æquiuoca, quando hæc est partialis vel instrumentalis; vtrumque autem conuenit speciei.

CAPVT II.

Quarum rerum speciebus indigeant Angeli.

Diximus generaliter species esse necessarias Angelis saltem scilicet respectu cognitionis & obiecti alicuius: Nunc discurrendum erit per cognitiones, & obiecta particularia, quæ sunt vel ipsemet Angelus cognoscens, vel alij Angeli, & immateriales creaturæ, vel res corporeæ, vel Deus; & hæc omnia vel cognoscuntur cognitione intuitiua, vel abstractiua. Itaque dubitatur primò vtrū Angelus ad sui cognitionem indigeat specie intentionali. Prima sententia docet Angelum indigere propria specie intētionali substantiæ suæ, vt illā intelligere possit. Insinuat Henricus quodlib. 5. quæst. 14. circa finem, quatenùs ait *Dico quòd Angelus non intelligit res alias à se per essentiam suam, & quod plus est nec essentiam suam propriam, sed solùm per aliquid additum suæ essentiæ re differens ab illa.* Tribuitur etiam Alensi, & Marsilio, qui subobscurè loquuntur. Probari potest quia substantia Angeli licèt sit naturaliter coniuncta suo intellectui, vt essentia proprietati, quæ manat ab illa, & manet in illa, nihilominus per seipsam non est illi vnita, vt obiectum intelligibile, nec vt forma ipsi subordinata constituens illum in actu primo ad eliciendum actum intelligendi seipsum: ergo indiget specie intelligibili suæ substantiæ, vt illam cognoscat. Confirmatur primò, quia si Angelus se cognosceret per suam substantiam eadem ratione anima nostra cognoscere se per suam entitatem quod est contra Aristotelem 3. de anima text. 15. & contra S. Thomam 1. p. q. 89. art. 2. imò totus homo intelligeret semetipsum sine specie: nam eodem modo anima, & totus homo est præsens suo intellectui, sicut Angelus. Confirmatur secundò quoniam eadem etiam ratione Angelus cognosceret omnia accidentia, quæ habet, siquidem sunt in ipso Angelo, & præsentia ipsi, & immaterialia. Hoc autem non videtur admittendum cùm sint obiecta distincta, & habeant distinctas cognoscibilitates. 1. Henricus.

Secunda sententia distinguit in Angelis sui cognitionem intuitiuam, & abstractiuam, priorem dicit fieri per substantiam ipsius Angeli sine specie, posteriorem verò requirere speciem. Ita Scotus in 2. dist. 3. quæst. 10. in fin. corporis, proximè ante solutionem argumentorum. Bassolis ibi q. 3. ad secundum. Insinuat obscurè Maioric. ibi q. 1. in probationibus conclusionis, & ad tertium. Gabriel q. 2. a. 3. p. 1. concl. 3. 4. & 10. Priorem partem probabimus infrà num. 10. posteriorem dupliciter capere possumus. Primò ita vt Angelus possit cessare à cognitione intuitiua sui, & tunc abstractiuè cognoscere suam quidditatem præscindendo ab existentia actuali: nulla enim in hoc apparet repugnantia: Sed iam illa cognitio abstractiua non fieret per substantiam Angeli: nam essentia Angeli non nisi vt actu existens potest ad sui cognitionem concurrere, & quo pacto necessariò inducit cognitionem intuitiuam: ergo cognitio abstractiua sui ipsius in Angelo non 2. Scotus. Bassolis. Maioric. Gabriel.

ab ipsa substantia immediatè, sed ab specie procedit. Antecedens probatur, quia substantia Angeli sic terminat cognitionem sui, sicut illam efficit, siquidem efficit quantum potest, & quasi super seipsam reflectitur: ergo sicut efficit, vt existens actu, sic cognoscitur vt existens actu, ac subinde intuitiuè: ergo ad cognitionem abstractiuam sui necessaria est species.

3. Secundò capi potest ista sententia ita vt Angelus non cessando à cognitione intuitiua sui simul se cognoscat abstractiuè; siquidem non repugnat simul habere duos actus, & isti non habent inter se speciales repugnantias, quæ priuatiuam, vel contradictoriam oppositionem includat ex parte obiecti, sed solùm distinguuntur secundùm præcisiuam abstractionem ex parte obiecti, quæ non includit oppositionem. Sic sentiunt Maioricen. & Gabriel. Tunc ergo sicut illæ duæ intellectiones distinctæ sunt, sic à proximis principiis distinctis procedunt: ergo intuitiua est per substantiam immediate, abstractiua verò per speciem illius.

4. Tertia sententia negat Angelum cognoscere seipsum per speciem intelligibilem. Ita communiter Doctores. Sed non omnes sentiunt, vel probant eodem modo: nam
Vasquez. Vasquez 1. part. disp. 204. cap. 2. ideò censet Angelum non indigere specie ad cognitionem sui, quia nec ad cetera obiecta percipienda putat indigere speciebus. At
Caietan. Banneс. Ripa. verò Caietanus 1. part. quæst. 54. artic. 3. ad quartum, & quæst. 56. artic. 1. §. *Ad id autem* Bannes, & Ripa ibi docent Angelum non cognoscere se per speciem intelligibilem, nec etiam immediatè per suam substantiam, sed immediatè per solum intellectum, quem respectu cognitionis substantiæ suæ putant esse sufficienter constitutum in actu primo completo & proximo per seipsum. Quia tamen hanc perfectionem habet talis intellectus per dimanationem à sua essentia; ideò dicunt substantiam Angeli concurrere ad sui cognitionem, non vt principium eliciens, aut efficiens proximè, sed vt radicem, & fontem; quod declarat Caietanus; quia sicut essentia Angeli, & est essentia quædam, & est obiectum intelligibile in actu, ita potentia manat ab illa sub vtraque ratione, subindeque prodit sufficienter actiua, seu formata ad eliciendam intellectionem talis substantiæ.

5. Fundamenta Caietani duo videntur esse præcipua; primum quod substantia creata non est proximum principium accidentalis operationis, secundum quod cum eadem substantia sit intellectiua, & intelligibilis actu, potest ab illa manare intellectus, qui per suam entitatem sit sub vtraque ratione principium proximum in actu primo per se constitutum respectu intellectionis eiusdem substantiæ.

6. Aliter Molina 1. part. quæst. 56. artic. 1. Pe-
Molina. Pesantius. Suarius. Ferrara. Capreolus. Durand. santius ibi. Suarius lib. 2. de Angelis cap. 4 num. 9. vbi citat Ferraram, Capreolum, Durandum, & alios, censent, substantiam Angeli dupliciter concurrere ad cognitionem sui, vno modo mediatè mediante scilicet intellectu, quo virtualiter tanquam potentia cognoscente elicit cognitionem; altero modo immediatè, quatenùs scilicet tanquam causa partialis concurrit cum intellectu per modum speciei intelligibilis. Probatur primò ex
S.Thom. S. Thoma, qui sic videtur docuisse 1. part. quæst. 56. art. 1. dicens essentiam Angeli, licèt subsistens sit, esse formam, & principium, quo Angelus seipsum intelligit, & quæst. 8. de veritate art. 6. ad 2. ait essentiam Angeli, licèt non comparetur ad intellectum eius, vt actum in essendo, comparari tamen vt actum ad potentiam in intelligendo, & ad 6. dicit essentiam Angeli esse in suo intellectu, vt intelligibile in intelligente.

Probatur secundò, non repugnare quòd substantia Angeli per seipsam immediate concurrat effectiuè cum intellectu Angeli ad se cognoscendum, quia vel hoc inuoluit imperfectionem tali substantiæ repugnantem; & hoc non, tum quia producere vt tale est, pertinet ad perfectionem, id est, supponit perfectionem, & ab illa prouenit, & quatenus tale est, non ponit imperfectionem in agente siquidem non immutat intrinsece, nec afficit ipsum, vt est actio præcisè, tum etiam: nam essentia diuina per seipsam immediatè concurrit ad creatam sui visionem sine imperfectione vlla: 7.
Vel hoc excedit perfectionem Angeli, & hoc etiam non, quia licèt immediatè producere realem actionem per modum potentiæ proximæ superet perfectionem substantiæ creatæ, vt diximus suprà disput. 3. cap. 2. nihilominùs immediatè agere per modum obiecti cognoscibilis simul cum potentia, non videtur excedere finitam perfectionem substantiæ, quia talis actio potiùs est intentionalis, qualis tribuitur etiam coloribus, & aliis qualitatibus, quæ non sunt effectiuæ realium actionum, vt distinguuntur ab intentionalibus; imò talis intentionalis actio videtur esse ad modum cuiusdam emanationis pertinentis ad proprietatem intelligibilitatis; substantiæ autem creatæ non repugnat esse principium immediatum emanationum.

Vel denique repugnat talis concursus Angelicæ substantiæ, quoniam est improportionata ad mouendum intellectum, vel constituendum illum in actu primo; & hoc etiam non, quia non est de ratione obiecti intelligibilis, vt inhæreat potentiæ intellectiuæ ipsam informans, vt possit cum illa concurrere ad intellectionem sui, si alioqui res sit actu intelligibilis; sed quamuis sit forma subsistens, sufficit quòd intimè coniungatur potentiæ cum aliqua vnione, vel subordinatione inter se. Atqui substantia Angeli, licèt non inhæreat suo intellectui, nec informet illum, sed sit subsistens, est ipsi vnita, illamque sibi subordinatam habet: ergo hæc vnio satis est, vt talis substantia, dum se cognoscit, duplicem nostro modo intelligendi concursum adhibeat, alterum per modum intelligentis principaliter & mediatè, alterum per modum obiecti cogniti determinantis immediatè. 8.

Quòd si non repugnat huiusmodi concursus immediatus Angelicæ substantiæ in sui cognitionem, planè videtur asserendus. Cùm enim ea solùm ratione constituantur species, vt suppleant vicem obiectorum, concurrantque efficienter loco ipsarum cum potentiis ad productionem cognitionis, idque dum obiectum ipsum idcircò non potest hoc præstare per se se, quia vel non est sufficienter coniunctum cum potentia, vel non est ei in gradu spiritualitatis proportionatum ad talem coefficientiam, consequens profectò fit, vt cùm Angelica substantia sit sufficienter coniuncta cum intellectu Angelico, eique secundùm gradum spiritualitatis satis proportionata, necessaria non sit alia species per quam Angelus per seipsum cognoscat, sed satis sit substantiam ipsam Angeli concurrere cũ intellectu Angelico 9.

per

per modum speciei intentionalis ad eliciendam intellectionem, qua se Angelus cognoscit.

10. In hac difficultate dico primò Angelus ad se cognoscendum intuitiuè non indiget specie intentionali accidentali repræsentante suam substantiam in actu primo. Sic S. Thomas 1. part. quæst. 56. art. 1. & lib. 2. contra Gent. cap. 98. & quæst. 8. de veritate artic. 6. consentiuntque Doctores secundæ, & tertiæ sententiæ contra primam. Probatur ex connaturali rerum ordine, ideóque dici potest talis species saltem naturaliter impossibilis, quoniam intellectus Angelicus naturaliter illam non postulat, nec admittit: ergo nec ab eius essentia naturaliter dimanat, nec à Deo connaturaliter infunditur. Consequentia patet, quia connaturalis actio, & passio seruant proportionem. Antecedens probatur, quia natura dum habet vnum principium intrinsecum, & sufficiens ad propriam actionem connaturalem, nec petit, nec connaturaliter admittit aliud: Sed substantia Angeli est sufficiens principium cognoscendi seipsam, vt numero præcedenti visum est: ergo non petit speciem.

S. Thom.

11. Dico secundò, propter cognitionem abstractiuam essentiæ propriæ non indiget Angelus propria sui specie. Ita contra Scotum alij ferè communiter. Probatur primò, quia licèt admitteremus inesse posse Angelo cognitionem abstractiuam rei singularis actu existentis, & subinde posse seipsum abstractiuè cognoscere, non egeret specie intentionali distincta realiter à suamet substantia ad sic cognoscendum. Etenim siue talis abstractiua cognitio simul coëxisteret in Angelo cum intuitiua cognitione, siue cessante intuitiua eliceretur, idem intentionale principium sufficit ad illas: nam Angelus per eandem speciem, qua videt intuitiuè rem existentem, cognosceret eandem abstractiuè si non existeret: ergo si potest ambas cognitiones habere, vel simul, vel successiuè circa semetipsum, per eandem speciem illas habebit, vtendo diuersimodè tali specie pro suo libito, subindeque per suammet substantiam efficeret vtramque sui cognitionem vtendo illamet, vt principio ad diuersum cognoscendi modum pro sua libertate. Probatur consequentia, quia si potest cognitio terminari ad essentiam singularem existentem præscindendo ab actuali existentia, vt illa opinio supponit, etiam poterit eadem essentia existens esse principium cognoscendi se, vt essentiam, & non vt existentem.

12. Probatur secundò cum Vasquio negando esse possibilem Angelo notitiam sui abstractiuam: nam si non potest illam habere, propter illam equidem non egebit specie. Quòd autem talis notitia sit impossibilis Angelo, probatur, quia vel illa notitia est propria & quidditatiua, vel est impropria, & imperfecta qualis est in nobis cognitio spirituum, vel substantiæ per alienas species; hæc posterior cognitio est contra perfectionem Angeli, qui se propriè & quidditatiuè cognoscit, vt est per se notum, & etiam impertinens supposita cognitione quidditatiua: ergo non est Angelo tribuenda. Prior verò cognitio sui erit intuitiua, quoniam Angelus quidditatiuè suam essentiam cognoscit: Sed existentia est necessariò coniuncta essentiæ Angeli cognoscentis: ergo consequenter etiam cognoscit suam actualem existentiam: ergo talis cognitio necessariò est intuitiua.

Dices, cùm Angelus non habeat existentiam sibi essentialem, sed aliquo modo distinctam ab essentia, quamuis Angelus existat, poterit præscindere ab existentia, & essentiam præcisam quidditatiuè contemplari; talis autem cognitio erit abstractiua; sicut potest vnus Angelus alium quidditatiuè cognoscere siue existat, siue non existat. Sed contrà: nam etsi possit vnus Angelus habere cognitionem abstractiuam quidditatiuam Angeli possibilis, & non existentis, tamen si quidditatiuè cognoscat Angelum actu existentem, non potest illum cognoscere cognitione abstractiua, sed tantùm intuitiua, nec est in eius arbitrio præscindere vnum ab alio in tali cognitione: nam eo ipso quod rem singularem contemplatur cognoscit illam prout est in se, & principium obiectiuum aut intentionale posita existentia obiecti determinatur omninò ad illud repræsentandum, prout existens, vt dicemus disp. 10. ergo si res actu existit, talis cognitio necessariò terminatur ad illam, vt actu existentem, ac subinde simul est quidditatiua, & intuitiua cognitio. 13.

An autem Angelica substantia concurrat immediatè, vel mediatè ad sui cognitionem; probabilis videtur vtraque pars; probabiliter enim potest defendi sententia Caietani, vt principium illud, quod suprà tradidimus disp. 3. cap. 2. num. 4. scilicet nullam substantiam creatam esse operatiuam immediatè, teneat etiam in actionibus intentionalibus. Quare sicut diximus lib. 1. disp. 10. cap. 3. diuinam essentiam concurrere per modum speciei cum intellectu beato ad sui visionem, non quatenùs essentia est formaliter, sed media omnipotentia virtualiter distincta, qua producit omnes effectus ad extrà; sic possumus in præsenti affirmare substantiam Angeli concurrere intentionaliter ad sui cognitionem, non per semet immediatè, sed medio intellectu, quo quasi instrumento proprio vtitur ad intelligendum, & per consequens ad omnes alias actiones, quæ deseruiunt intellectioni. Probabiliter etiam defendi potest sententia Molinæ, ac Suarij reducendo illam actionem ad genus emanationis: nam propria passio intelligibilitatis, vt sit completa in sua ratione, videtur exigere per se se vim motiuam potentiæ, & motionem ipsam intentionalem, vel obiectiuam. 14.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur per se non esse necessariam constitutionem potentiæ in actu primo per formam informantem, sed satis est quod compleatur in virtute intelligendi per coniunctionem intimam obiecti subsistentis, & intelligibilis, & tunc dici potest constitui in actu primo, non in essendo, sed in agendo, vel in ratione principij completi ad eliciendam cognitionem sui; nec item est necessarium, vt essentia subordinetur: nam in specie intelligibilitatis subordinatio prouenit ex eo quod est accidens informans potentiam, quæ cùm actiua sit vtitur suis habitibus, vel actibus primis informantibus ipsam. At verò quando ipsamet substantia simul est intelligens, ipsa vtitur sua potentia intellectrici, & simul adhibet conatum obiecti, sub qua consideratione sibi potiùs, quàm potentiæ subordinatur; hæc enim subordinatio nihil aliud est, quàm concomitantia plurium in agendo, quorum vnum est quasi inchoans actionem, & cætera ipsi cooperantur. 15.

Ad primam confirmationem respondetur ani- 16.

mam quidem ſepatatam cognoſcere ſe per ſeipſam, vt docet S.Thomas 1.part.quæſt. 89. artic.2. qoia par eſt ratio de illa, ac eſt de Angelis: at verò coniunctam corpori non ſe cognoſcere, nec totam ſubſtantiam hominis per ſeipſam, quia cùm ſit immerſa materiæ & faciat vnum per ſe eum corpore, ita connectuntur, & ſubordinantur potentiæ ſpirituales materialibus, vt nihil poſſit intellectus percipere niſi miniſterio ſenſuum, & pet ſpecies ab illis acceptas. Vnde manauit illud axioma; Nihil eſt in intellectu quod non priùs fuerit in ſenſu. Sed anima per ſuam ſubſtantiam non poteſt mouere ſenſum: ergo nec intellectum.

17. Ad ſecundam confirmationem nonnulli concedunt ſeqoelam, quaſi ſufficiat quòd accidentia ſint perfectiones quædam Angelicæ ſubſtantiæ, & quòd in illa ſubſtantia vniantur accidentia, & intellectus ad huc, vt cognoſcantur ab Angelo per ſeipſa: nam vt vniantur intellectui in ratione obiecti intelligibilis, & mouentis, ſeu concorrentis per ſe ad ſui cognitionem ſatis eſſe videtur illa inexiſtentia mutua, non per ſolam localem propinquitatem, ſed etiam per vnionem realem in eadem ſubſtantia, quæ eſt principium principale talis cognitionis, & coniunctim poteſt vti tali potentia, & obiecto intelligibiliter ſibi adhærente, ſubindéque ſibi ſubordinato ad talem actum cognitionis eliciendum.

18. Equidem diſtinguere poſſumus Angelorum accidentia: quædam enim ſunt proprietates manantes ab eſſentia, vt ſunt intellectus, voluntas, potentia loco-motiua; & hæc dicimus pet ipſam Angeli ſubſtantiam cognoſci: cùm enim hæc moueat ad perfectam ſui cognitionem, mouet vtique ad cognitionem quoque ſuæ radicalis virtutis, & conſequenter ad cognitionem eorum, quæ in illa continentur eminenter; alia ſunt accidentia non dimanantia per modum proprietatum ab eſſentia, quæ proinde videntur exigere proprium aliquod principium, & nonam efficientiam obiectiuam vt diſtinctè cognoſcantur in ſeipſis: cùm enim non ſint neceſſariò colligata cum ſubſtantia, non cognoſcuntur ex vi illius, nec per ſolam efficientiam eius in ratione obiecti.

19. Hæc igitur quando non ſunt actu præſentia, ſed vel præterita, vel futura, cognoſcuntur quidem ſicut alia præterita, vel futura, de quibus dicemus diſput. 10. quando tamen exiſtunt actu præſentia, ſi ſubiectentur in ipſomet intellectu, vt ſunt cognitiones, ſpecies aliarum rerum habitus; per ſemet videri poſſunt, quia ſufficientem habent connexionem, & ſubordinationem reſpectu facultatis intellectricis eo ipſo quòd ipſimet inhæreant immediatè. Si verò ſubiectentor in voluntate, vt volitiones, vel in ipſa ſubſtantia immediatè vt *vbi*, & motus localis, p o. babile ſit cognoſci per ſeipſa propter ſuprà dicta numero. 17. Probabile quoque eſt, cognoſci pet ſpecies ſui proprias, quia licèt inſint eidem ſubſtantiæ, ſubindéque ſint proximè coniuncta quoad propinquitatem, ſeu indiſtantiam, nihilominus non videntur vnita ſufficienter in ratione obiecti, & potentiæ, cùm inter ſe nullam vnionem propriam immediatè habeant. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ conſtat ex dictis num. 11. & 12. Vbi oſtendimus non eſſe poſſibilem Angelo cognitionem abſtractiuam ſui, & licèt poſſibilis eſſet, ab ipſamet Angeli ſubſtantia manaturam Intentionaliter. Nec pro tertia ſententia vrget aliquid contra nos, fundamenta enim Caietani, & Suarij iam diximus quo pacto poſſint probabiliter ſuſtineri.

Dubitatur ſecundò, Vtrum Angelus ad co- 20
gnitionem aliorum indigeat propria Ipſorum ſpecie? quamuis enim cap. 1. docuerimus neceſſarias eſſe Angelo ſpecies intentionales aliorum, poterat hoc munus intentionale forſan ſuppleri pet aliquid gerens vicem talis ſpeciei. Sic enim Auctor libri de cauſis propoſitione 8. videtur ſentire, vnumquemque Angelum cognoſcere alios pet ſuam eſſentiam; ſuperiores quidem tanquam per effectum; inferiores tanquam per cauſam inquiens. *Omnis intelligentia ſcit, quod eſt ſupra ſe, & quod eſt ſub ſe, quoniam eſt cauſa ei, & ſcit quod eſt ſupra ſe, quia adquirit bonitatem ab eo.* Idem tribuitur Auicennæ tract. 9. ſuæ metaphyſicæ cap. 4. qui dixit Deum ſolum creaſſe immediatè primam intelligentiam, & hanc creaſſe ſecundam, & ſic de cæteris: nam ex hoc principio ſequi videtur ille modus cognoſcendi. Sic exponit iſtam ſententiam S. Thomas 2. contra Gent. cap 98. vbi rectè addit fundamentum illius eſſe hæreticum.

Quare dubitationi reſpondetur, vnum An- 21.
gelum non cognoſcere alios per ſubſtantiam propriam intelligentis, ſed per ſpecies proprias accidentales. Ita docet S.Thomas 1. part. q. 56. art. 2. & lib. 2. contra Gent. cap. 98. & quæſt. 8. de veritate art. 7. Probatur, quia ſubſtantia Angeli cognoſcentis, vel eſt medium cognoſcendi alios in cognitum, id eſt, per modum ſpeciei intelligibilis, quæ ſine eo quod cognoſcatur ducit in cognitionem obiecti: Et hoc non, quia iam cap. 1. oſtenſum eſt ſubſtantiam Angeli non eſſe repræſentatiuam intentionaliter aliarum rerum à ſe diſtinctarum: vel eſt medium cognitum, ſicut eſt cauſa, vel effectus, quando ex cognitione vnius aliud cognoſcitur, & hoc non, quia ſolus Deus eſt creator omnium rerum, & ita omnes Angeli ſunt à ſolo Deo creati, vt oſtendimus diſput. 18. Cum ergo inter ſubſtantias Angelicas ſecundùm fidem, & veram philoſophiam non ſit habitudo cauſæ, & effectus, conſequenter fit, non eſſe vnum Angelum medium cognitum per quod alij cognoſcantur tanquam effectus in cauſa, vel cauſa ex effectu.

Obiicies poſſe vnum Angelum cognoſcere 22.
cæteros pet ſuam ſubſtantiam cognitam propter ſimilitudinem ſecluſa etiam cauſalitate. Probatur: nam Angelos cognoſcendo ſe cognoſcit gradum intellectualem: ergo cognoſcit ſub illo eſſe varios modos participandi talem gradum ſimiles inter ſe, licèt ſpecie diuerſos: ergo ita cognoſcẽdo ſe cognoſcet omnes alios Angelos ſub eodem gradu contentos. Confirmatur, nam Angeli per ſpeciem generis cognoſcunt omnes naturas ſpecificas iuxta ſententiam S.Thomæ: Sed Angelus per ſuam ſubſtantiam cognoſcit genus Angeli: ergo cognoſcit omnes Angelorum ſpecies, & conſequenter etiam indiuidua. Quod à fortiori concludet, ſi dantur plures Angeli eiuſdem ſpeciei, quemlibet cognoſcendo ſe per ſuam ſubſtantiam cognoſcere cetera indiuidua eiuſdem ſpecici; tum quidditatiuè propter æqualitatem, tum intuitiuè quia videndo ſe, videt etiam actualem relationem ſimilitudinis ad alium Angelum in ſpecie ſimilem, quæ relatio ſine intuitione termini videri non poteſt.

23. Pro solutione notandum est Angelum cognoscendo se per suam substantiam cognoscere gradum intellectualem, seu genus Angeli in tali specie contractum, & talem speciem determinatam ad hoc indiuiduum, quod est ipse Angelus se cognoscens: nam cùm hæc sibi sint essentialia, non potest illis non cognitis se cognoscere. Quare poterit etiam quasi abstractè cognoscere tale genus, vel speciem cognoscendo talem gradum intellectualem esse multiplicabilem variis modis, vel in pluribus indiuiduis, quia hæc est velut proprietas naturæ creatæ, ideoque per idem principium, per quod talis natura, vel gradus quidditatiuè cognoscitur quoad actualem essentiam suam, cognoscitur etiam quoad illam capacitatem, seu participabilitatem. At ex vi cognitionis sui non poterit Angelus cognoscere, quales sint species, vel indiuidua possibilia sub illo gradu, siquidem nec differentiæ specificæ, nec numericæ sunt de essentia gradus communis, nec cognosci possunt ex vi cognitionis eius prout contracti ad vnam speciem tantùm, quo pacto cognoscitur ab Angelo se cognoscente per suam essentiam.

24. Iam ad argumentum respondetur, licèt per substantiam vnius Angeli cognoscatur gradus intellectualis, vt variis modis participabilis, id solùm esse confusè quoad particulares modos seu differentias, quia solùm cognoscitur ille gradus quoad capacitatem quasi obiectiuam plurium determinationum; ipsæ verò determinationes non possunt distinctè per illud solùm principium cognosci. Ad confirmationem negatur maior absolutè: non enim est vera, nisi fortasse quando cognitio fit per speciem vniuersalem in repræsentando plura inferiora in particulari. Substantia verò propria per quam Angelus se cognoscit, non est huiusmodi species vniuersalis, quia se tantùm repræsentat, vnde superiora prædicata duntaxat prout in illa continentur, possunt per illam cognosci. Eadem fere ratio est de natura specifica Angeli respectu indiuiduorum. Nec relatio similitudinis potest esse medium cognitum per quod alterius termini existentia cognoscatur: potius enim ad cognoscendam relationem prærequiritur cognitio fundamenti, & termini, atque vtroque non cognito, non cognoscetur relatio.

25. Dubitatur tertiò: An rerum materialium necessariæ sint Angelis species? Negant illi, qui vniuersaliter reiiciunt ab Angelis omnes species intentionales, asserentes Angelum cognoscere indiuiduum materiale per solam præsentiam obiecti. Sed dupliciter procedunt: nam quidam volunt ipsum obiectum cooperari effectiuè ad cognitionem sui. Alij dicunt talem cognitionem fieri sine concursu effectiuo per solam obiectiuam præsentiam, & terminationem actus. Vtrumque tamen satis impugnatum est cap. 1. tum quia res materialis non potest immediatè operari in re spirituali, nec spiritualem actionem producere; tum quia sola præsentia obiecti non sufficit, nisi potentia supponatur sufficienter constituta in actu primo ad eliciendam cognitionem vtique per speciem obiecti, vel per aliquid gerens vicem illius; & ideò non est satis concursus obiecti in ratione termini, nisi concurrat etiam in ratione motiui, seu coefficientis principij. Requiruntur ergo species intentionales rerum materialium in Angelis.

Dubitatur quartò: Vtrùm Angeli habeant speciem Dei propriam? Nonnulli dicunt omnes Angelos in via habuisse speciem Dei propriam, per quam illum in se immediatè proprioque conceptu cognoscere potuerunt. Ita Scotus in 2. dist. 3. quæst. 9. & in 4. dist. 49. vbi talem speciem vocat naturalem, quia est principium cognitionis naturalis, & simul supernaturalem, quatenùs liberè infunditur à Deo: Verumtamen in hoc sensu omnes etiam species Angelis à Deo infusæ possent dici supernaturales. Insinuant Marsilius in 2. quæst. 7. art. 1. pat. 2. conclus. 8. Ochamus ibi quæst. 14. & 15. & quæst. 1. prologi art. 5. Aliacensis ibi quæst. 1. art. 2. Gabriel quæst. 1. art. 3. & in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 3. part. 2. conclusione 3. qui de possibili loquuntur, asserendo, de facto verò dubitando, quia non putant esse modum omninò naturalem, in quo etiam cum ambiguitate loquuntur. Expressiùs docet Maior in 2. dist. 3. quæst. 2. nihil tamen distinguens de naturali, vel supernaturali. 26. Scotus. Marsilius. Ochamus. Aliacensis. Gabriel. Maior.

27. Probatur, quia non repugnat dari talem speciem Dei propriam, quæ sit principium cognoscendi diuinam essentiam abstractiuè, talisque cognitio non superat vires Angelorũ, si tribuatur eis talis species: ergo data fuit illis. Consequentia constat, quia connaturale quidem est Angelis habere species omnium rerum, quas naturaliter cognoscere possunt, & ad omnes actus suo naturali lumini proportionatos. Antecedens quoad priorem partem probatur, quoniam abstractiua cognitio non includit intuitiuam, sed ab illa præscindit: ergo potest esse sine illa, subindeque poterit dari species repræsentans Deum abstractiuè, & non intuitiuè. Quoad secundam partem potius supponitur ab Scoto, quam probatur: nam sola visio intuitiua Dei superat vires naturæ creatæ, cognitio verò abstractiua non est cur facultatem naturalem Angelorum excedat. Confirmatur ex Augustino 4. de Genesi, & aliis locis, vbi tribuit omnibus Angelis cognitionem matutinam ante lapsum, ac subinde non potuit illam ponere in sola visione intuitiua Dei, quia hæc non fuit in omnibus Angelis: ergo non potuit esse nisi hæc cognitio abstractiua Dei per propriam speciem. Aug.

Dicendum tamen est, nec esse connaturalem Angelis, nec illis connaturaliter inesse speciem Dei propriam. Ita S. Thomas 1. part. quæst. 56. art. 3. Caietanus ibi. & Thomistæ communiter, Alensis 2. part. quæst. 24. memb. 1. Capreolus in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 1. conclusione 6. & art. 3. ad argumenta Ægidius Romanus ibi, fereque nostrates. Probatur, quia cognitio quidditatiua Dei supernaturalis est quoad substantiam, & per consequens nulli creaturæ potest esse connaturalis; ergo species, quæ sit talis cognitionis principium est similiter supernaturalis, ac subinde non potest esse connaturalis Angelis. Consequentia constat: nam actus primus & secundus eiusdem ordinis sunt, cùm seruent inter se proportionem, & primus ordinetur ad secundum, nec detur species naturalis, quæ non ordinetur per se ad actum naturalem. Antecedens probatur, quia visio intuitiua Dei est actus omninò supernaturalis, vt ostendimus lib. 1. sed cognitio Dei quidditatiua simul esset intuitiua: ergo talis cognitio est omninò supernaturalis Angelis. Minor probatur, quia cognitio intuitiua terminatur ad rem vt existentem: Sed non potest cognosci quidditas, & essentia 28. S. Thom. Caietan. Alensis. Capreol. Ægid. Rom.

essentia diuina, qoin cognoscatur existentia ipsius, quæ Deo competit essennaliter, vt ostendimus lib. 1. disp. 16. ergo cognitio Dei quidditatiua, quæ repræsentare debet omnia prædicata essentialia Deo, præsertim illa, quibus discernitur ab omnibus aliis rebus, terminatur etiam ad existentiam illius, ac subinde simul est intuitiua, quæ superat naturalem captum cuiuslibet creaturæ rationalis.

29. Dices cognitionem intuitiuam non solùm repræsentare existentiam rei, sed etiam præsentiam illius: possum enim cognoscere rem alibi existentem, quam ego non intueor, quia præsens non est: Sic ergo poterit Angelus cognoscere quidditatiuè Deum, vt actu existentem, non tamen videre præsentem, ac proinde nec illum intueri. Sed contrà: nam in primis non videtur necessaria ad intuitionem repræsentatio præsentiæ actualis, siquidem Deus intuitiuè videt creaturas futuras, quæ nunc non coëxistunt huic loco, vel durationi; nec præsentia localis, quæ in rebus creatis est accidens, tanti refert ad cognitionem, vt nisi cognoscatur, non detur notitia intuitiua rei existentis. Deinde sicut cognitio intuitiua repræsentat rem, vt existentem pro aliqua differentia temporis, & ita connaturaliter coëxtenditur ad repræsentandam non solùm veram realitatem, quam dicit res existens cùm res possibilis solam dicat realitatem secundùm quid, sed etiam durationem aliquam determinatam; sic etiam connaturaliter extendetur ad repræsentandam aliquam præsentiam localem determinatam. Quare si Angelus connaturaliter cognosceret Deum existentem, vtique vt existentem in tali tempore & loco connaturaliter intueretur.

30 Ad fundamentum oppositum Respondetur implicare speciem intentionalem qua quidditatiuè Deus, & non intuitiuè cognoscatur, cùm non possit dari cognitio quidditatiua Dei, quæ non sit simul intuitiua, vt diximus nuper, & etiam lib. 1. disp. 12. imò nullam speciem Dei propriam esse possibilem ostendimus lib. 1. disp. 20. Equidem nihil mirum quòd creaturæ, quibus non est essentialis existentia, possint abstractiuè cognosci, & non intuitiue; ceterùm in Deo dissimilis est ratio, cùm sit illi essentialis existentia. Ad confirmationem respondetur Augustinum vel ibi loqui de cognitione quadam matutina impropria, quam S. Thomas 1. part. quæst. 62. art. 1. ad 3. videtur concedere Angelis viatoribus, eam scilicet, qua cognoscant Angeli Deum à posteriori, vel loqui certè de visione clara Dei, quam solet Augustinus matutinam appellare, radicaliterque habuerunt omnes Angeli, siquidem omnes cum fide supernaturali, & gratia iustificante creati sunt.

31. Dubitatur quintò, Vtrùm species intelligibiles sint admittendæ iam in cognitione intuitiua, quàm abstractiua? Sunt qui putent intuitiuam fieri sine speciebus, ac subinde species in abstractiua sola requiri. Sic Scotus in 2. dist. 3. quæst. 10. (Scotus.) §. *Ad quæstionem igitur*; & dist. 9. quæst. 2. §. *Ad quæstionem istam*, & in 1. dist. 3. quæst. 6. Gregorius in 2. dist. 7. quæst. 3. art. 1. conclus. 4. fine, & art. 3. conclus. 2. & in 1. distinct. 3. quæst. 1. artic. 1. conclus. 1. Ochamus in 2. quæst. 14. conclus. 1. vbi loquitur de nostra cognitione, de Angelica verò tractat. quæst. 15. Gabriel de hominibus, & Angelis idem tradit in 2. dist. 3. quæst. 2. artic. 2. concl. 1. & art. 3. conclus. 3. Lichetus in 2. dist. 3. quæst. 10. Bassolis ibi quæst. 3. artic. 2. & quæst. 4. art. 2. Bargius in 1. dist. 3. quæst. 6. Ouandus in 2. dist. 3. proposit. 14. & communiter Scotistæ. Probatur primò, quia notitia intuitiua terminatur ad rem præsentem secundùm realem existentiam, quam habet ad extra: Sed si fieret mediante specie non posset terminari sic ad rem externam secundùm eius realem existentiam, & præsentiam: ergo nulla notitia intuitiua fit mediante specie. Maior probatur, quia res in specie repræsentata non habet præsentiam realem, sed solam intentionalem, & diminutam, quod tanquam per se notum supponit Scotus, & amplectuntur Scotistæ.

(Gregorius. Ochamus. Gabriel. Lichetus. Bassolis. Bargius. Ouandus.)

Probatur secundò, quia si species aliqua posset repræsentare rem secundùm existentiam, & præsentiam qoam habet ad extra, fieri posset, saltem diuinitus, vt res corrupta vel absens a nobis, vel ab Angelis intuitiuè cognosceretur, siquidem posset Deus conseruare talem speciem destructa re, vel posita extra sphæram intellectus creati. & tunc species illa repræsentaret obiectum secundùm realem eius existentiam, & præsentiam, cùm sic naturaliter repræsentet. Consequens autem esse impossibile docet communior sententia cum Anselmo, Augustino, & multis aliis. 32.

Probatur tertiò, nam species solùm ponuntur, vt per eas obiectum potentiæ cognoscenti fiat præsens, & debitè approximatum; sed obiectum intuitiuè cognoscendum ante productionem speciei debet esse secundùm suam existentiam, & præsens potentiæ, & debitè approximatum ipsi: nam alioquin non posset sui speciem immittere in potentiam: ergo non requiritur talis species. Consequentia constat, tum quia frustra ponitur talis species, siquidem illa sublata potest intuitiua notitia produci ex potentia, & obiecto sufficienter approximato, debiteque præsente, tum etiam quia non alia ratione negamus Angelum seipsum cognoscere media specie, nisi quia Angelus est realiter præsens suomet intellectui, dum se se cognoscit intuitiuè: ergo eadem ratione cognoscet sine specie distincta ea quæ realiter sunt sibi sufficienter præsentia. 33.

Nihilominùs statuendum est Angelos indigere speciebus intentionalibus non solùm in cognitione abstractiua, sed etiam in intuitiua. Sic S. Thomas de veritate quæst. 10. art. 8. ad 2. Capreolus in 2. dist. 3 quæst. 2. art. 3. Ferrara 1. contra Gent. cap. 96. Caietanus 3. part. quæst. 11. artic. 4. Medina ibi, Suarius 3. part. tom. 1. disp. 26. sect. 1. Vasquez 3. part. disp. 52. cap. 4. num. 29. Ægidius Lusitan. lib. 8. de Beatitudine p. 1 quæst. 1. art. 3. §. 2. Probatur primò, quia rationes, quibus suprà cap. 1. probauimus esse necessarias species, si rectè expendantur, vrgent etiam in cognitione intuitiua. Videantur specialiter ibi dicta num. 27. & sequentibus. Imò experientia maximè conuincit in sensibus externis dari species intentionales, cùm tamen hi cognoscant intuitiuè sua obiecta. Quòd si species sensibiles necessariæ sunt ad notitiam intuitiuam sensuum externorum, consequens fit esse quoque necessarias species ad notitiam intuitiuam intellectus. Quare consequentia confirmatur ex Aristotele 3. de anima cap. 4. text. 3. dicente. *Oportet intellectum in suo genere similitudinem subire cum sensu, vt quemadmodum se habet ad sensibilia sensus, sic se habeat ad intelligibilia intellectus*, quod rursùs repetit cap. 7 text. 28. dum ait, *sentire igitur ipsi dicere, & intelligere simile est*. 34.

(S. Thom. Capreolus. Ferrara. Caietan. Medina. Suarez. Vasquez. Ægid. Lusi.)

Ad

25. Ad primum in oppositum respondetur negando minorem, ad cuius probationem negatur antecedens: nam obiectum cognitum per speciem propriam verè terminat cognitionem secundum esse proprium, quod habet in se: nec enim species intentionalis est terminus cognitionis, sed medium incognitum iuuans, & determinans ad cognitionem sui obiecti secundùm esse reale, quod habet in se. Quapropter obiectum intuitiuè cognitum etiamsi media specie cognoscatur, nihilominus repræsentatur secundum suam realem entitatem, & existentiam.

36. S. Thom. Molina. Conimbr. Ad secundum concedimus maiorem cum S. Thoma 3.part.quæst.76.art.8. Suario ibi disp.53. sect.4. Molina 1.part. quæst.55.artic.2. disput.2. membr.1. Conimbricens. 2. de anima cap 6. q.3. art.1.& 2. ac aliis: nec enim elucet talis repugnantia in hoc, vt obiectum absens, vel non existens appareat per cognitionem intuitiuam, ac si re vera existeret, vt denegandum sit hoc diuinæ potentiæ. Videatur etiam S. Thomas in 4. dist.10. quæst.1. art.4. quæstiuncula 2. nam species visibilis non ita pẽdet ab obiecto, quin possit Deus per se solùm illam efficere, vel conseruare potentia, nec actus intuitiuus ita pendet ex vera præsentia, & existentia obiecti, quin fieri possit à potentia informata per speciem quamuis obiectum re ipsa non existat. Cuius datur aliquod vestigium in naturalibus, quando videmus colores apparentes in nubibus ex refractione lucis, ac si essent existentes verè. Neganda est igitur minor, nec est impossibile diuinitùs hoc fieri, nec communior sententia id docet. Sed quidam Doctores, nec Anselmus, & Augustinus loquuntur de potentia Dei absoluta.

37. Ad tertium conceditur maior, si loquatur de præsentia, & approximatione Intentionali cum debita proportione ad determinandam potentiam, in quo sensu negatur minor: nam ante productionem speciei obiectum supponitur solum præsens, & debitè approximatum localiter, id est, quoad materialem indistantiam locorum, non tamen quoad proximam præsentiam obiectiuam immediatè mouentem potentiæ. Vnde negatur consequentia, & ad primam eius probationem negamus frustrà poni speciem: licet enim præsentia realis, & materialis approximatio sit satis, vt obiectum possit effectiuè producere speciem in potentia, non tamen satis est, vt ipsi fiat præsens præsentia intentionali, qua possit immediatè mouere potentiam ad sui cognitionem. Ad secundam probationem dicimus Angelum non ideò se cognoscere per seipsum sine specie distincta, quia se videt intuitiuè; sed ideò quia per suammet substantiam sufficienter est sibi præsens intentionaliter, vt suprà dictum est. Ideò lib.1. disp.20. cap.3. num.12. diximus vnum Angelum dum intimè præsens est alteri, non posse ab altero videri sine specie; quia licèt intimè præsens, non sufficit per se se mouere potentiam alterius, nisi media sui specie.

38. Itaque colligimus ex dictis in toto isto capite Angelum indigere speciebus intentionalibus ab obiecto distinctis, & accidentalibus, vt cognoscat res alias intelligibiles distinctas à propria substantia cognoscentis, quas Angelus potest directè ac immediatè cognoscere in seipsis abstractiuè, vel intuitiuè: nam substantiam suam per seipsam cognoscit, substantiam verò Dei nec per speciem, nec per ipsammet diuinam essentiam cognoscit immediatè, & directè viribus solùm naturalibus.

CAPVT III.

Vnde hauriant Angeli species.

Prima sententia docet Angelos accipere à rebus species, saltem rerum singularium. 1. Sic Alensis 2.part.quæst.24.memb.2.loquitur de Alensis. speciebus rerum spiritualium, & membr. 3. de speciebus rerum materialium Scotus in 2.dist.3. Scotus. quæst.11. Richardus quæst.2. Maior. quæst.4. Bas- Richard. Maior. solis quæst.4 art.3. Gabriel quæst.1.dub.vlt. Her- Bassolis. næus quæst.2.& quodlibet.6. Marsilius in 2.q.7. Gabriel. art.1.punct.2.conclus.5.& 9.loquuntur speciali- Hernæus. ter de speciebus rerum materialium singolarium. Marsilius. Probabile quippe reputant Angelos à principio suæ creationis accepisse per infusionem à Deo species naturarum vniuersalium, & rerum spiritualium, saltem quæ ab initio cum ipsis Angelis conditæ fuerunt, non quidem quasi harum rerum notitiam processu temporis suis naturalibus viribus per species rerum singularium, quas à rebus acciperent, comparare non possent, sed quia decens fuit vt Angeli crearentur ornati cognitione naturarum communium & aliquarum rerum spiritualium.

Probatur hæc sententia primò illis argumentis, quæ disput.7. cap.2. fuerunt adducta ad probandum inesse Angelis intellectum agentem: hîc enim non nisi ad hauriendas ab obiectis species poterit deseruire. Probatur secundò, in rebus spiritualibus: nam Angelus est actu intelligibilis: 2. ergo potest imprimere sui speciem in alterius intellectum, ac subinde per speciem ab obiectis acceptam cognoscit Angelus res spirituales. Antecedens supponitur, consequentia probatur, tum quia res spiritualis dicitur intelligibilis actu, non tantùm in ratione termini: nam hoc modo etiam res materialis est intelligibilis actu; sed in ratione obiecti motiui propter maiorem proportionem, quam habet cum potentia spirituali: ergo habet vim mouendi potentiam intellectricem; non mouet autem nisi imprimendo speciem: ergo imprimit sui speciem in intellectum; tum etiam, nam omne sensibile in actu potest speciem sui producere in sensu capaci: ergo similiter intelligibile in actu, quoniam est proportionalis ratio vel certè maior; siquidem obiectum intelligibile perfectius, & actualius est. Confirmatur, nam intellectus Angelicus est potentia naturalis passiua, sine receptiua speciei alterius Angeli, ita vt naturaliter possit de potentia eius educi, siquidem illa species est accidens ordinis naturalis educibile de tali potentia: ergo tali potentiæ passiuæ naturali correspondere potest & debet aliqua potentia naturalis actiua, seu productiua talis speciei, subindeque talem potentiam habebit ipsum obiectum actu intelligibile, cùm postulet naturalis ordo, vt ea, quæ in potentiis naturalibus continentur per potentias naturales, & non immediatè ab Auctore naturæ fiant, sicut commodè possunt.

Probatur tertiò, in singularibus etiam materialibus, quia non potest Angelus habere species 3. horum congenitas: ergo accipit illas ab obiectis existentibus, cùm non appareat alius modus habendi tales species. Antecedens ostenditur; primò

primò, nam alioquin Angelus haberet congenitas species infinitas, quod non est dicendum. Sequela patet, quia species vniuersalis repræsentans solùm naturam communem non potest esse principium cognoscendi aliquod indiuiduum quoad differentiam singularem, præsertim in Angelo, in quo nec phantasmata, nec vllus sensus distinctè singularia cognoscens reperiuntur. Sed indiuidua cognoscibilia ab Angelo sunt infinita; tum quia rerum generationes perseuerare possunt naturaliter in æternum; tum quia motus, & actus Angelorum per æternitatem erunt infiniti: vel ergo dicendum erit in vno quoque Angelorum esse iam actu infinitas species repræsentantes infinita indiuidua, vel Angelos non posse cognoscere omnia indiuidua, quæ per causas naturales produci possunt, quod nullus concedet. Quòd si dicas per species finitas repræsentari posse infinita indiuidua, consequenter asserendum erit in vno quoque Angelorum dari species aliquas, quarum quælibet repræsentet indiuidua infinita, siquidem finitis speciebus secundùm numerum non possunt infinita obiecta repræsentari, nisi aliquæ vel plures repræsentent infinita, & subinde sint infinitæ perfectionis: etenim quando pluralitas infert maiorem perfectionem, infinitas infert infinitam perfectionem: ergo cùm ex eo quòd species aliqua repræsentet plura, rectè colligatur eam esse magis perfectam, quàm sit quælibet species vnum duntaxat repræsentans; equidem ex eo quòd species aliqua repræsentet infinita, rectè colligitur eam esse infinitam in sua perfectione. Cùm igitur hæc omnia sint absurda, quia non minùs repugnat in naturalibus infinitum quoad perfectionem, quàm quoad numerum, fatendum erit Angelos accipere species singularium à rebus ipsis.

4. Ostenditur secundò: nam aliàs posset Angelus cognoscere indiuidua futura priusquàm actu existerent, consequens est falsum: ergo & antecedens. Sequela probatur, quia qui habet propriam speciem alicuius rei, potest illam cognoscere, quamuis non existat, siquidem habet sufficientem virtutem, & integrum intelligendi principium, quo supposito non pendet intellectio ex actuali existentia obiecti intelligibilis: nam intellectus abstrahit de se, ab existentia obiecti, nec tamen cognoscet Angelus indiuiduum solùm, vt possibile, sed etiam vt futurum: cùm enim non habeat species omnium singularium possibilium, sed ad summum eorum, quæ extitura sunt aliquando, dum videt indiuiduum possibile, nec cognoscit existens actu, eo ipso sciet, aliquando esse futurum. Falsitas autem consequentis probatur, quia talia indiuidua regulariter sunt futura contingentia, quæ præuideri non possunt nisi à Deo.

5. Probatur quartò, in cognitione intuitiua, quia per speciem congenitam non potest Angelus cognoscere intuitiuè rem singularem quando existit actu: ergo necesse est vt ab illa iam existente recipiat speciem per quam possit ipsam vt existentem intueri. Antecedens probatur, quia species congenita in sua repræsentatione abstrahit ab existentia obiecti, solumque repræsentat illud secundùm essentiam, siquidem antequam res existat habet species suam integram repræsentationem, nec tamen repræsentat tunc rem, vt existentem; alioqui falsum repræsentaret: ergo illa sola species non potest esse sufficiens principium cognoscendi rem, vt actu existentem, sicut per intuitiuam cognitionem conspicitur; siquidem cognitio non potest excedere repræsentationem speciei. Quapropter vt obiectum intuitiuè cognoscatur ab Angelo; necessaria erit illi noua species repræsentans determinatè rem, vt existentem, quam tamen speciem non potest aliunde desumere, quàm ab obiecto.

Confirmatur, quoniam Angeli cognoscunt Petrum v.g. sedere, legere, disputare, ceterasque contingentes veritates, quando contingunt de facto, sed non possunt eas cognoscere per species congenitas ab instanti suæ creationis: ergo cognoscunt illas per species desumptas ab ipsis rebus. Maior, & consequentia patent, Minor probatur, quia vel species congenitæ solùm illis repræsentant extrema complexionis contingentis, & hoc non sufficit, vt cognoscant prædicatum conuenire subiecto. Vel repræsentant ipsis complexionem ipsam ea qua sequetur Angelos cognoscere futura contingentia, priusquam existant, quod est proprium Dei, siquidem ab initio repræsentant connexionem illam prædicati cum subiecto. 6.

Probatur quintò, quia non repugnat, quòd Angelus ab obiectis materialibus sibi præsentibus species accipiat, & ad perfectionem Angeli pertinet posse desumere tales species à rebus: ergo non est hæc potestas illi deneganda. Maior probatur, quoniam intellectus hominis licèt spiritualis sit, potest accipere species ab obiectis materialibus: ergo simpliciter hoc non repugnat: Sicut enim quidquid antecedit in nostris sensibus impressionem intelligibilis speciei materiale quidem est, & tamen eleuatur ad efficiendam illam per lumen intellectus agentis, sic dari potest in Angelo modus aliquis capiendi species spirituales à rebus materialibus. Minor autem ostenditur, quia posse adquirere scientiam magna perfectio est. Vnde per oppositum facere naturam Angelicam impotentem ad adquirendam scientiam habitualem, & consequenter impotentem ad habendam illam nisi per infusionem à Deo magna limitatio, & imperfectio videtur esse: Quin (vt ait Maioricens.) incredibile videtur quòd Angelus creatus in cælo, & sine specie infusa cæli non possit naturaliter videre cælum, vel colorem, quem homo creatus ibi per sensum, & per intellectum cognosceret: ergo non est deneganda Angelis hæc perfectio. Confirmatur ex Augustino 12. de Trinit. cap. 7. dicente. *Deus non ad tempus videt, nec aliquid noui fit ex eius visione, cùm aliquid temporaliter geritur, sicut inde afficiuntur sensus, vel carnales animalium, & hominum, vel etiam celestes Angelorum.* 7.

Secunda sententia docet species intentionales Angelorum dimanare actiuè, ac intrinsecè ab intellectu Angeli. Sic tenet Capreolus in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 3. Bannes in hac quæst. 55 artic. 2. refertque S. Thomam 1. part. quæst. 54. art. 4. ad primum dicentem, quòd in Angelo non generatur scientia, sed naturaliter adest, & quæst. 55. artic. 3. ad 1. vbi ait, vniuersales rerum rationes priùs secundùm naturam esse in mentibus Angelicis, quam ipsis rebus; putat enim Bannes hoc non posse verum esse, nisi Angelicæ species ab essentia Angeli fluant. Sequitur Ripa ibi & addit locum S. Thomæ 1. part. quæst. 64. art. 5. Vbi dicit cognitionem naturalem Angeli consequi naturam 8. Capreol. Bannes. S.Thom. Ripa.

naturam Angeli, & ideò non fuisse diminutam in Dæmonibus. Probatur primò, quia species intelligibiles debent esse connaturales intellectui Angelico, aliàs miraculosè & non connaturaliter cum illis crearetur talis intellectus: ergo dimanant ab Angeli natura immediatè, vel saltem mediante intellectu. Probatur consequentia, quia si sunt connaturales, & coæuæ ex sua natura, id non potest esse nisi propter intrinsecam connexionem, quam habent cum natura Angeli: ergo sunt proprietates à tali natura manantes: hæc enim sola connexio dimanationis reperitur inter essentiam, & proprietatem inseparabilem illius.

9. Probatur secundò, quia si species istæ non manant ab Angelica natura non erunt propriæ passiones illius: ergo erunt accidẽtia communia, qualia fieri solent ab agente extrinseco in subiecto passiuè tantùm se habente. Nullum ergo datur principium asserendi species intentionales esse coæuas omnibus Angelis, siquidem ab illis non manant, & agens extrinsecum, à quo fiunt, non agit necessariò, sed liberè. Vnde non cogitur eas simul cum subiecto producere. Confirmatur, nam inconueniens est ponere in Angelo potentiam passiuam naturalem ad istas species, & quod illi non respondeat potentia naturalis actiua, per quam possit illa potentia passiua naturalis in actum reduci: ergo datur intrinsecum principium vnde dimanent actiuè. Probatur tertiò; nam alioqui licèt Angelus sine his speciebus crearetur, nulla violentia fieret eidem, ac subinde posset ita naturaliter creari, subindeque posset Angelus naturaliter esse non solùm ignorans, sed etiam impotens ad repellendam ignorantiam. Sequela patet, quia violentũ est, quod quis patitur contra internum imperum: Sed vbi non datur internum principium, à quo proprietas actiuè dimanet, non datur internus impetus: nam hic solùm inuenitur in actiua potentia: ergo secluso illo interno principio, priuatio formæ non est violenta. Quare nec carentia talium specierum erit Angelo violenta, si ab eius essentia intrinsecè, & actiuè non dimanant.

10. Dico primò, Non potest Angelus à rebus materialibus species accipere. Ita S. Thomas in hac q. 55. art. 2. vbi ad 2. circa res materiales dicit duo, vnum est quòd Angelus non potest ab illis abstrahere species; alterum quòd licèt posset, non abstraheret, quia iam illas habet connaturaliter. Item secundò contra Gent. cap. 96. loquitur ex professo de rebus materialibus, & negat non solùm actum, sed potestatem. Sequuntur Caietanus, & Ferrara illis locis. Bonauentura in 2. dist. 3. part. 2. art. 2. quæst. 1. Argentinas ibi quæst. 1. art. 4. Albertus art. 15. & in sum. p. 2. tract. 4. quæst. 14. membr. 3. art. 2. Henricus quodlib. 5. quæst. 14. Suarius lib. 2. de Angelis c. 6. Vasquez 1. p. q. 201. cap. 2. Atque alij.

Caietan.
Ferrara.
Bonauent.
Argentina
Albert.
Henricus.
Suarez.
Vasquez.

11. Probatur, quia res materialis, vt quæ non habet cum spiritu proportionem inter agens, & patiens necessariam non potest agere in spiritum; nec item potest agens materiale spiritualem formam producere virtute naturali, cùm sit omninò inferioris ordinis: ergo non possunt obiecta materialia effectiuè producere spiritualem sui speciem in Angelo passiue tantùm se habente. Dices hinc solùm probari rem materialem hoc non posse per se solam, seu propria sola virtute. Quare nihilominùs id poterit, vt illuminata, vel eleuata per virtutem intellectus agentis Angelici. Sed contrà, quia sicut suprà cap. 1. num. 28. ostendimus non posse obiectum corporeũ illuminari ab Angelis, vt concurrat per sese immediatè ad sui cognitionem, sic simili proportionaliter argumento conuincitur, illam obiecti materialis illuminationem vel coniunctionem cum intellectu agente Angelico naturaliter esse impossibilem, quia si vera est illuminatio, debet esse realis, & per realem actionem, ac lumen, aliàs nihil est nisi nomine tantùm. Vel ergo est per lumen corporeum, & hoc non, quia si daretur tale lumen, videri posset, & sentiri secluso miraculo: Deinde lumen ipsum, & obiectum tali lumine affectum, cùm vtrumque sit materiale, seu corporeum, æquè foret improportionatum ad agendum in spiritum. Vel est per lumen spirituale, & hoc etiam non; cùm nec in medio, nec in obiecto materiali recipi connaturaliter possit.

Quòd si dicas solùm Angelum efficere in se talem speciem, dici tamen illam ab obiecto recipere, quia non nisi in præsentia obiecti, & quasi per excitationem vel occasionem eius talem speciem in se format, sicut homo dicitur accipere species intellectuales à rebus materialibus, quas tamen ipse per intellectum agentem in se producit. Contrà probatur nostra conclusio: nam si Angelus, qui dicitur speciem accipere, solus illam in se producit: ergo in nullo genere causæ potest obiectum materiale ad illam effectionem concurrere: ergo non potest verè dici talis species ab ipso obiecto desumpta. Hæc secunda consequentia patet: nam accipere ab aliquo denotat aliquam causalitatem in illo alio, à quo res accipitur, respectu acceptionis, siue sit in genere causę efficientis, sicut aër accipit lumen à sole, siue in genere causæ materialis, aut quasi materialis, sicut dicitur quis accipere rem à loco, in quo est. Iam prima consequentia probatur: nam obiectum materiale nõ est causa efficiens talẽ speciem, vt supponitur; nec etiam est causa materialis, siquidem nec ab illa educitur species, nec in illa continetur, nec est causa excitans, quia non potest excitare propriè Angelum ad productionem talis speciei, cùm ab illo non præcognoscatur, eademque ratione non potest esse causa exemplaris: ergo nullum genus causalitatis habet. Secus est in nostro intellectu agente, qui dicitur abstrahere speciem intelligibilem à phantasmate; tum quia continetur ibi repræsentatiuè idem obiectum, & ad imitationem illius elicit speciem; tum quia forsan phantasma quoque concurrit partialiter efficienter ad productionem talis speciei habens sufficientem colligationem cum intellectu agente cùm radicentur in eadem anima, quæ per phantasiam cognoscit tale obiectum, & per intellectum agentem elicit speciem intelligibilem illius: Sic ferè Suarez, & Vasquez suprà. 12.

Sed respondebis cum Albertino tom. 1. principio 1. corollar. 7. obiectum materiale posse concurrere, vt determinatiuum extrinsecũ, sicut multi opinantur de phantasmate, nec ad id requiri concursum in aliquo genere causæ, sed sufficere præsentiam ipsius rei tanquam conditionis: Sicut in simili supposita existentia termini tanquam ratione determinante, statim resultat in fundamento relatio producta ab ipso fundamento, ideoque terminus comparatus ad causam productricẽ relationis est tanquam conditio determinans; com- 13.

paratus autem ad ipsam relationem est terminus; sic etiam dici posset rem materialem comparatam ad intellectum agentem esse conditionem determinantem; at verò comparata ad intellectum possibilem esse obiectum, imò multi probabiliter opinantur potentiam determinari per speciem tanquam per solam conditionem sine vlla causalitate propria speciei circa cognitionem: ergo poterit pariter sine concursu proprio obiecti determinari intellectus agens Angelicus ad eliciendam speciem illius per præsentiam ipsius obiecti tanquam per solam conditionem intentionalem.

14. Præterea dici posset quòd obiectum materiale concurrit effectiuè ad productionem speciei, non totaliter, sed partialiter concurrente simul intellectu agente Angelorum, sicut in nostro phantasmate multi philosophantur. Opponit tamen Vasquius, quia non posset concurrere vt instrumentum, siquidem non est coniunctum cum intellectu Angeli, nec vt causa partialis minùs principalis, quia ne cōcurreret propria virtute ad producendam formam spiritualem, quod non videtur dicendum, sed adhuc posset instare Scotus, sicut ad productionē actus supernaturalis cōcurrit partialiter phantasma corporeum, sic obiectum materiale posse concurrere partialiter virtute propria ad producendam in Angelo speciem spiritualem, quæ totam rationem formalem repræsentandi talem rem habet reduplicatiuè ab obiecto, licèt spiritualitatem habeat ab intellectu agente Angeli. Nec erit facile has euasiones præcludere.

15. Ideò alij nostram conclusionem sic probant. Modus operandi cuiuslibet rei sequitur modum essendi: ergo species intentionalis debet esse proportionata modo essendi virtutis intellectiuæ, vt latè probat Albertinus tom. 1. principio 1. dubitat. 1. Sed virtus intellectiua Angeli est actualior quàm virtus intellectiua hominis, cùm possit Angelus vnico actu cognoscere plura, quam homo: ergo debetur Angelo species proportionata, scilicet repræsentatiua plurium; nec enim alia potest assignari proportio, nec si posset, hæc deberet denegari; sed species quæ sumitur ab ipsis obiectis non potest repræsentare plura, sed solùm illud obiectum à quo accipitur: ego Angelus ob suam perfectionem non potest accipere species à rebus, & est quidem probabilis ratio. Albert.

16. Dices intellectum Angelicum tantæ virtutis esse, vt abstrahat speciem vniuersaliorem ab obiecto sub ratione conuenientiæ, quam habet cum alus obiectis similibus, & ipsum obiectum sub ratione talis conuenientiæ posse concurrere ad productionem talis speciei, vt instrumentum ipsius Angelici intellectus. Sed contrà: nam sine fundamento dicitur obiectum esse instrumentum intellectus Angelici, cùm sint suppositum separatum, & omninò independens ab Angelo, nec ipsi subordinatum in essendo, & ac subinde nec in operando. Rursus obiectum ipsum, quod propriam habet cognoscibilitatem particularem, & limitatam, non poterit sanè producere speciem, quæ non sit sui repræsentatiua in particulari.

17. Probabilis est etiam ratio sancti Thomæ in hac quæst. 55. artic. 2. dicentis, sicut se habet modus essendi animæ nostræ ad modum essendi Angeli, sic modus operandi nostri ad modum Angelicum operandi: Sed intellectus noster ideò capit notitiam à rebus corporalibus, quia quoad compositi dependet à corpore, & vnitur corpori: ergo cùm Angelis in essendo non vniatur corpori, nec pendeat à corpore; nec item pendebit quoad receptionem notitiæ, vel speciei intentionalis. Hanc vltimam consequentiam negat Scotus in 2. distinct. 3. quæst. vltima §. *Etsi enim* dicens Angelum quamuis sit independens à corpore tanquam à materia, posse tamen pendere à corpore tanquam ab obiecto, quatenùs finitus est non habens in se omnium singularium rationes. Scotus.

Sed contrà, nam ex Doctrina sancti Thomæ suprà, tota ratio recipiendi notitiam à corpore tanquam ab obiecto, est dependentia à corpore, vt à materia: Sed ista non datur in Angelo: ergo nec dependentia à corpore, vt ab obiecto. Maior probatur, nam aliàs vnio animæ intellectiuæ ad corpus frustrà poneretur: licet enim finaliter sit propter bonum compositi, finaliter tamen est propter bonum intellectus, quoniam anima in ordine intellectualium est semiens: ergo non potest exercere completè operationem intellectualem: si verò connaturaliter haberet species inditas sibi, vel extra corpus ab obiecto materiali species abstraheret, haberet quidem operationem intellectualem completè sibi proportionatam, sicut habet Angelus; ac subinde non esset in ordine intellectualium semiens. Igitur quia est semiens, dependet à corpore tanquam à materia, & per consequens etiam tanquam ab obiecto, quamuis finaliter tota ista ordinatio sit propter bonum compositi. Quare sanctus Thomas asseruit animæ separatæ, quæ nullas habuit species in hac vita, non ex debito naturæ, sed ex mera Dei liberalitate dari species. 18.

Confirmat sanctus Thomas, quoniam ab extremo ad extremum non fit transitus, nisi per medium: ergo à sensibili externo ad intelligibile non potest fieri transitus, nisi per imaginabile, tanquam per medium: At in Angelo non est imaginatio: ergo licèt intellectus Angelicus sit nostro perfectior, non poterit ab obiecto sensibili abstrahere speciem intelligibilem. Respondet Scotus, hoc medium non esse necessarium, nec ex parte rei in se, siquidem Deus intelligit sine phantasmate quod mediet; nec ex parte potentiæ intellectiuæ, quia non oportet illud, quod est medium virtuti minori esse medium virtuti maiori. Potest tamen vrgeri pro sancto Thoma: nam quidquid sit de transitu ad extremum sine medio vt sic, quem in motu locali probabiliter concessimus Angelis suprà disputat. 6. cap. 5. tamen in casu præsenti probatur imaginabile fore medium connaturaliter necessarium, non solùm ex parte intellectus humani, sed etiam Angelici, quantumuis sit iste perfectior. Quoniam Angelus si per intellectum agentem, qui pertinet ad partem intellectiuam, abstraheret speciem intelligibilem ab obiecto materiali, deberet illam producere modo sibi proportionato, scilicet excitatus per cognitionem: sed hoc fieri non potest: ergo non potest sibi producere speciem. Consequentia patet. Maior probatur, tum ex proportione modi operandi ad modum essendi, tum etiam ex experientia, quam habemus in anima nostra: experimur enim intellectum agentem non abstrahere speciem intelligibilem à phantasmate, nisi cùm excitatur per cognitionem phantasiæ, quæ cognitio licèt non sit 19.

sit actus ipsius intellectus agentis, est tamen ipsius animæ, cuius potentia est intellectus agens. Minor principalis ostenditur, quia vel hæc excitatio per cogitionem fieret in Angelo ab eius intellectu agente, & hoc non, quia iam præsupponeretur in ipso species obiecti, quã intendit abstrahere, vel fieret ab intellectu possibili; & hoc non propter eandem rationem, quia supponeretur species habita, vel esset in aliqua potentia sensitiua, sicut experimur in anima nostra; & hoc etiam non, quia Angelus non est vnitus corpori, sicut intellectus noster: ergo nullo modo potest fieri ab Angelo talis abstractio speciei.

20 Dico secundò, non potest Angelus accipere species à rebus spiritualibus. Ita S. Thomas, & alij pro prima conclusione relati, qui generaliter quandoq; loquuntur, & sine distinctione inter obiecta materialia, vel immaterialia. Probatur, quia si Angelus potest sui speciem efficere in alio, vel facit illam necessariò, vel liberè, non necessariò propter suprà dicta cap. 1. n. 31. nec etiam liberè, quia sic forsan nollent Angeli talem speciem imprimere. Vnde manerent alij tali cognitionis incapaces. Præterea non posset vnus alteri sui speciem imprimere, nisi priùs de tali specie imprimenda cogitet, & deliberet; sed ante deliberationem istam nulla supponitur in Angelo aliorum cognitio: nam qui prior imprimeret aliis sui speciem, nondum recepisset species aliorum sine quibus non datur cognitio eorundem: ergo non potuit habere liberam voluntatem imprimendi aliis sui speciem: nam hæc ipsa voluntas ad alios aliquo modo terminatur, & non fertur in incognitum: ergo supponit aliquam eorum cognitionem; hæc autem sine specie illorum esse non poterit: ergo non potest dari talis volitio, nec poterit talis impressio specierum incipere.

21. Dices ad habendam illam volitionem satis esse confusè & abstractè alios Angelos cognoscere, quæ cognitio non supponit species illorum, sed propriam substantiam cognoscentis, per quam potest haberi. Sed contra, nam cognitio aliorum per substantiam cognoscentis ad summum esse potest secundùm conceptum vniuersalem, non verò de aliquo Angelo in particulari, actio autem operatiua in alium circa rem singularem versari debet, ideoque propriam speciem talis rei supponit. quare cùm Angelorum naturæ consentaneum sit, vt quisque ipsorum potens sit ad cognoscendos alios independenter ab ipsis, eorúmue arbitrio; sequitur planè non ab obiectis, sed aliunde haurire Angelos species obiectorum, siue materialium, siue spiritualium.

22. Dico tertiò, species intelligibiles Angelorum non dimanare effectiuè ab ipsorum essentia, vel intellectu. Sic docuit Ferrara 2. contra Gent. cap. 98. circa tertiam partem capitis dub. 2. Molina 1. part. quæst. 52. art. 2. ad 2. memb. 3. Cumel ibi, Pesantius conclus. 3. Maloins in 2. distinct. 3. disp. 11. Rada contron. 9. part. 2. art. 3. Suarius lib. 2. de Angelis, Albertinus tom. 1. principio 1. corollar. 8. num. 2. Probatur primò à priori: nam Angeli essentia non potest per seipsam esse species rerum omnium intelligibilium ab Angelo, quia nec illas eminenter continet, nec propter repræsentationem illarum per se facta est, & intellectus Angeli manans à tali essentia non dimanat constitutus in actu primo, & habens per se eandem vim repræsentandi, quam habent species, siquidem essentia vnde manat nullo modo in se continet

Ferrara. Molina. Cumel. Pesantius. Malon. Rada. Suarius. Albert.

virtualiter vel repræsentatiuè res ab Angelo cognoscibiles, vt cap. 1. dictum est: ergo eadem ratione non possunt species omnium rerum ab Angelo cognoscibilium, dimanare à tali essentia, vel ab intellectu ipsius, in quibus non continentur, nisi tanquam in potentia passiua, vel receptiua.

Confirmatur, quia species intelligibilis requiritur ex parte obiecti, non ex parte cognoscentis: ergo non fluit per se à cognoscente, vt vim cognoscendi habet: nam hæc vis condistinguitur ab obiecto, & ad illum comparatur per modum potentiæ passiuæ quæ dicit ordinem ad obiectum, tanquam ad motiuum suum, vel tanquã ad terminũ & materiam circa quam versatur, non autem efficit illud, nec id, quod supplet vicem eius, siue per propriam efficientiam, & siue per resultantiã naturalem: Imò si talis esset Angeli cognoscentis natura, vt istæ species ab illa dimanarent, vix posset probabilis ratio reddi, cur non potiùs essentia Angeli, vel per seipsam, vel per suum intellectum eandem vim repræsentandi haberet quam habet species sine nouarum formarum, vel entitatum multiplicatione. 23.

Probatur secundò, à posteriori, quia vel emanãt ab essentia Angeli species earum rerum tantùm, quę sunt productæ, vel etiam possibilium. Nõ primum, quia naturalis inclinatio substantiæ ad producendas passiones sibi connaturales, est determinata naturaliter: at verò quòd sint hæ, vel illæ res productæ per accidens euenit ex extrinseca volitione Dei: ergo species rerum productarum non dimanant cõnaturaliter, & efficienter ab Angelo. Consequentia probatur, quia sicut natura cuiusq; Angeli sigillatim sumpti determinata est in sua essentiali perfectione; sic etiam in omni perfectione, ac proprietate, cuius est radix, & causa productiua per dimanationem. Sed Angelus v.g. Gabriel ex natura sua non magis determinat societatẽ cũ his Angelis quibus cũ modò creatus est, quàm cũ aliis, cũ quibus creari posset; nec ex sua natura petit fieri cum cælis & elementis, vel ante illa, vel omnino sine illis: omnibus enim his modis creari posset, & de se indifferens est ad omnes: ergo à sola diuina determinatione pendet quòd hoc vel illo modo creetur, cum his, vel illis creaturis, quarum habeat intelligibiles species, ac subinde non poterunt istæ per naturalem dimanationem ab Angelica essentia produci. 24.

Nec potest dici secundum, tum quia est contra communem sententiam asserentem singulos Angelos habere solùm species rerum naturalium, quæ de facto productæ sunt, vel producentur, saltem quoad quidditates, & species illarum; tum etiam quia vel dimanarent ab essentia Angeli species intelligibiles omnium rerum naturalium possibilium, & tunc sequeretur, quòd vel essent species infinitæ, vel vna infinita, seu supremæ perfectionis, quorum vtrumque repugnat finitæ perfectioni naturæ Angelicæ, & limitationi intellectus, vltra quem potest alius & alius creari perfectior, ac subinde vniuersaliorem speciem prærequirens. Vel essent aliquarum rerum possibilium, & hoc non, quia non posset reddi ratio; cur harum, & non illarum. Quòd si dicas hoc prouenire ex tãta perfectione Angeli, iuxta cuius maiorem, vel minorem perfectionem dimanent species repræsentantes naturas perfectiores, vel imperfectiores vsque ad talem, vel talem gradum. Contrà replicatur: nam Angelus connaturaliter 25.

potest intuitiuè videre quemlibet alium Angelum perfectiorem si creetur: ergo & abstractiuè. Consequentia constat, quia si Deus nunc crearet nouum Angelum cuiusuis excellentissimæ perfectionis (& idem est de quauis creatura possibili sigillatim) ceteri omnes Angeli possent illum cognoscere naturaliter: alioqui daretur Angelus impotens naturaliter ad cognoscendam substantiam creatam existentem, quod videtur absurdum: ergo haberent omnes speciem illius, sed non per emanationem aliàs omnium possibilium species intelligibiles fluerent ab essentia singulorum, quod Aduersarij non admittunt: ergo debent aliunde tales species Angelis prouenire.

26. Dico quartò intellectus Angelicus habet ab initio creationis species rerum materialium, & immaterialium congenitas, aut infusas à Deo. Ita Doctores supra relati, videturque sententia S. Thomæ in hac q. 55. a. 2. vbi sic concludit. *Angeli suam intelligibilem perfectionem consequuntur per intelligibilem effluxum, quo à Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura*; quibus verbis satis indicat Deum speciali actione distincta quidem ab Angeli creatione has species efficere simul, ac Angelos creat; & ad primum repetit *Angelum à Deo habere similitudines creaturarum*. Itē q. 56. a. 1. ad 4. dicit, quòd si Deus creasset Angelum nouum, aliis vel infunderet, vel infudisset speciem talis Angeli, quam nunc non habēt, quia talis Angelus futurus non est, & 3. p. q. 9. a. 3. *Per verbum Dei animæ Christi sibi vnitæ impressa sunt species intelligibiles ad omnia, ad quæ intellectus possibilis est in potentia, sicut per verbū Dei impressa sunt species intelligibiles menti Angelorum in principio creationis rerum, vt patet per Augustinum*. Vbi & ex comparatione quā facit, & ex verbo imprimēdi, & ex distinctione ipsius a creatione manifeste liquet S. Thomam loqui de actione propria Dei infundentis tales species sine intrinseca emanatione à natura; nemo quippe dicet ncū impressisse Angelo intellectum, & voluntatem quando illum creauit. Demum in aliis locis solùm dicere solet has species esse congenitas, vel concreatas Angelis, nunquam verò insinuat illas ab essentia manare. Accedit Dionysius de diuinis nominibus c. 7. dicens, *Angeli non congregant diuinā cognitionem à rebus diuisibilibus, aut sensibilibus*. August. Augustinus l. 2. & 4. de Genesi ad literam docet, res, quas Deus sex diebus creauit, vt refertur Gen. 1. & 2. prius fuisse in cognitione Angelorū, quàm fierent in semetipsis. Ezech. Sic Ezech. 28. dicitur de Lucifero in persona Regis Tyrij. *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & decore perfectus in viis tuis fuisti à die conditionis tuæ*. Sed perfectio intellectualis in actu primo per species intelligibiles completur: ergo hanc perfectionem habuit Angelus à creatione sua per infusionem specierū.

27. Ratione probatur ex supradictis: nam a diuino decreto pendet determinatio specierum intelligibilium concreandarum cum Angelo: nunc enim accipit species concreatas huius mundi visibilis, quia cum illo, & in illo creatus est, si verò crearetur cum alio mundo, prout potuit, illius, & non istius species, recepisset: Quòd si crearentur soli Angeli, nō darentur illis species rerū materialium, atq; si decreuisset Deus nō hos, sed alios Angelos creare, illis dedisset species Angelorum tunc creādorum, & non illorum, qui modò creati sunt; sicut nunc dedit Angelis species sociorū, & non aliorum, qui creari cum ipsis possent: ergo signum est hanc determinationem specierū pendere ex libera dispositione Dei, subindeque per propriam Dei actionem infundi. Confirmatur à sufficienti partium enumeratione. Nam suprà ostendimus c. 1. Angelum egere speciebus ad intelligendum obiecta naturalia. Deinde vidimus in hoc capite, nec ab illis obiectis hauriri; nec per emanationem haberi posse species illas; nec apparet alius modus connaturalis adquirendi eas: ergo ad auctorem naturæ pertinet per se se tales species infundere, & cum ipsismet Angelis concreare.

Vnde colligitur species intelligibiles rerū ordinis naturalis esse formas Angelo connaturales ipsarumq; infusioné, vel concreationē esse naturalē actionem, ita vt sine miraculo, & aliqua violentia denegari nō possent. Ideò S. Thomas hic a. 2. ad 2. species Angelicas vocat connaturales, quod idem docet aliis in locis, sequitur Ferrara supra, Molina dicto a. 2. disp. 2. memb. 5. nec amplius intendunt Valentia, & alij, qui has vocat proprietates connaturales Angelorū nō exigēdo dimanationem. 28. Molina. Probatur, nam vt aliqua forma sit proprietas connaturalis, non est necessarium, vt actiue fluat ab ea natura, cui connaturalis est, vt docuit S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 5. ad 2. & constat exemplo quātitatis, quæ respectu materiæ est proprietas connaturalis, licet actiuè non dimanet ab illa, vel etiā exemplo materiæ, cui connaturale est informari forma substātiali, nec sine aliqua potest esse connaturaliter, quamuis actiuum influxū in formam non habeat; sed quidquid præter influxum actiuū requiri, vel sufficere potest, vt aliqua forma sit connaturalis proprietas, inuenitur in speciebus Angelicis: ergo sunt proprietates connaturales. S.Thomas. Minor probatur: nam in primis ipsæ species in sua substātia sunt ordinis naturalis, cùm sint, & obiectis, & potentiis naturalibus proportionatæ: Angeli quoque creati sunt cum potentia naturali ad illas recipiendas. Deus etiam in earum infusione, vt Auctor naturæ operatus est dando illas simul cum natura, & intellectu; quoniam hoc exigit Angelica natura non minùsquàm cælum postulet figuram rotundam, quam Deus in illo simul cum substantia, & quantitate fecit, ipso cælo passiuè tantùm se habente.

29 Ad primum primæ sententiæ iam eo cap. 2. diruta sunt fundamenta pro intellectu agente Angelorum, & ostensum est illum non dari. Ad secundum respondetur Angelos, & substantias immateriales esse intelligibiles terminatiuè non tamen motiuè propter rationes dictas. Quare potentiæ passiuæ, seu receptiuæ specierū, quæ inest intellectui Angelico, correspōdet quidem potentia naturalis actiua, non creata, cùm nulla creatura possit sui speciem imprimere in intellectum Angelicum, vt visum est, sed increata: Deus enim, vt auctor naturæ, species, quas naturaliter postulat Angelus, eidem in prima creatione per infusionem impressit. Vnde patet ad confirmationem.

30. Ad tertium respondetur negando antecedens, ad cuius primam probationem negatur sequela: dupliciter enim dicitur species vniuersalis. Primò quia naturam vniuersalem præcisè repræsentat, & non singularitatem indiuiduorum; quo pacto quidam apud Ægidium Romanum tractatu de cognitione Angelorum quæst. 9. & 10. dixerunt Ægid.Rom. Angelum cognoscere singularia per speciem vniuersalium supplente Angelo per ingenij sui perspicacitatem defectum speciei. Sed hoc non est admittendum, tum quia species Angelicæ essent

valde

valdè imperfectæ; tùm quia sicut non potest supplere defectum repræsentationis in specie, cognoscendo per illam aliquid immediatè, quod per illam non repræsentatur, tùm prætereà, quia intellectus Angelicus non posset ex vi talis speciei applicari ad cognoscendum tale indiuiduum: nam talis applicatio nec ex necessitate naturæ sequitur ex vi talis speciei, licèt vtatur illa, nec potest esse per applicationem voluntatis, quia talis volitio cognitionem talis indiuidui deberet supponere.

31. Secundò dicitur, species vniuersalis in repræsentando, vel causando plurium cognitionem distinctam, & singulorum expressam in particulari; quo pacto cognoscit Angelus singularia per species vniuersales, ideoque non debet singulorum habere singulas species sed per vnam potest cognoscere plura obiecta singularia, quod docuit S. Thomas suprà, & 1. part. quæst. 57. art. 2. sequunturque Scholastici suprà citati in 2. distinct. 3. Quare ad argumentum negatur per talem speciem solùm posse cognosci communia prædicata: nam illa species ita est vniuersalis, vt non solùm repræsentet plura in eo, in quo conueniunt, sed etiam secundùm propria. Ad replicam pro nunc etiam negatur, quatenùs pluralitas infert maiorem perfectionem, infinitatem inferre perfectionem infinitam: nam vna species finita superioris ordinis potest habere vim repræsentandi, quantum est ex se, infinita singularia, æquipollereque speciebus infinitis inferioris ordinis in repræsentando, sicut de cognitionibus ipsis diximus lib. 1. disp. 25. cap. 3. & disput. 24. cap. 2.

S. Thom.

32. Ad secundam probationem constabit inferiùs, cùm de Angelica cognitione futurorum disputabimus disput. 10. Ad quartum argumentum nunc breuiter dicimus speciem Angelo infusam determinari quoad specificationem ab obiecto præsẽti secundùm realem existentiam ad intuitiuam eius cognitionem, non per nouæ speciei productionem, nec per immediatam efficientiam in actum, sed tantùm in ratione termini, & conditionis ex parte obiecti terminatiui necessariæ ad visionem intuitiuam. Ad confirmationem negatur minor, & ad eius probationem respondetur illis speciebus repræsentari extrema solùm antequam existat ipsorum complexio; quando autem existit etiam complexio, per easdem species intuitiuè repræsentatur non producta denuò specie, sed posita extrinseca conditione existentiæ obiectiuæ.

33. Ad quintum respondetur minorem, & maiorem esse falsas: iam enim ostensum est, cur sit impossibile naturaliter Angelum accipere species ab obiectis materialibus. Nec ad rem facit exemplum de intellectu hominis, quia non dicimus repugnare intellectui, vt sic, species ab obiectis materialibus haurire, sed repugnare intellectui separato, licèt conueniat coniuncto. Nec refert quòd cognitio sensuum, & phantasiæ materialis sit: nam in homine radicantur in eadem anima spirituali, quod satis est, vt per eius ministerium intellectus speciem sibi proportionatam accipiat. Negamus item hoc pertinere ad Angeli perfectionem: nam in homine non est illa perfectio simpliciter, sed supposita maiori quadam imperfectione, scilicet animam esse corporis actum, quia nisi hoc modo spiritus vniatur corpori, non potest à corporibus obiectis species spirituales accipere. Nec hinc resultat imperfectio ignorantiæ, vel stoliditatis in Angelo: maior enim perfectio est, quòd habeat species connaturales, nec possit illis sine miraculo carere, vt visum est, num. 28.

Ad primum fundamentum secundæ sententiæ negatur ex dictis consequentia: non enim omnis naturalis proprietas dimanat ab essentia efficiẽter, nec sola talis dimanatio naturalis est adæquata ratio connexionis, quæ reperitur inter essentiam, & proprietatem; sed fundari potest in naturali potentia taliter receptiua formæ, vt naturaliter postulet illam sibi coæuam, iugiterque coniunctam, sicut in materia, & quantitate, vel forma physica dictum est. Vnde ad secundum negatur prima sequela, si propria passio non sumatur nimis strictè pro illa tantùm, quæ manat efficienter à natura, sed propriè, ac generaliter, prout significat proprietatem debitam naturaliter. Vnde cessat etiam secunda consequentia: nam inter accidentia communia, & ea quæ profluunt ab essentia actiuè, dantur aliquæ proprietates connaturales ratione potentiæ passiuæ postulantis illas, & tales sunt species Angelorum. Quare nihil refert quòd Deus liberè, & non ex necessitate naturæ has species conferat Angelis, quia supposita rerum creatione Deus cetera operatur consentanee ad vnius cuiusque rei naturam. 34.

Vnde ad confirmationem respondetur fore quidem inconueniens, si daretur aliqua potentia receptiua ordinis naturalis, cui non responderet potentia actiua ordinis naturalis, à qua posset in actum reduci: nullum autem esse inconueniens, quòd illa potentia non sit creata, sed ipsamet potentia Auctoris naturæ: nam hæc etiam secundùm ordinem naturæ nonnunquam operatur immediatè ad complendam perfectionem, quam exigit creatura, vt patet in creatione animæ rationalis ad quam materia est in potentia naturali, etiam proxima, quando est organizata, & nihilominus à solo auctore naturæ potest in actum reduci, nec id prouenit ex imperfectione, sed potiùs ex animæ rationalis perfectione: Sic ergo ex perfectione Angelicæ naturæ prouenit quòd eius capacitas naturalis in hac parte à solo Auctore naturæ possit expleri. 35.

Ad tertium argumentum suppono ex 1. 2. quæst 6. artic. 4. Deum posse violentiam inferre creaturis, si contra illarum appetitum, vel inclinationem actiuam, vel etiam passiuam quidquam agat, vel non agat de quo dicemus lib. 5. Si potentia quidem, vel inclinatio naturæ passiuæ habeat adiunctum debitum aliquod connaturalitatis; quo pacto violentum esset materiæ primæ priuari omni forma, vel dum est proximè disposita ad formam ignis, v. g. illius introductionẽ impediri: Vnde colligimus violentiã inferri Angelo priuãdo illum speciebus, quas innato appetitu, & inclinatione passiua connaturaliter exigit; aut debito tempore non præbendo, quia violentum generaliter est, quod est contra naturalem appetitum, etiam potentiæ passiuæ postulantis talem actum, seu formam ad suæ naturæ complementum, vt colligitur ex sancto Thoma 1. 2. quæst. 6. artic. 5. ad 2. Sed Angelus habet appetitum innatum, & inclinationem passiuam respectu specierum intentionalium: ergo si priuetur illis, violentiam patietur, qua supposita, mirum non est quòd Angelus, & esset perpetuò ignorans res illas, quarum species ipsi 36. S. Thom.

datæ non essent, & impotens ad illam ignorantiam per seipsum expellendam. Nam omnis creatura potest à suo Auctore propria perfectione priuari, quamuis cum violentia id fiat.

CAPVT IV.

An Angelorum species sint vniuersales? An particulares.

1. QVod obiter docuimus cap. præcedenti, nunc ex professo suscipimus examinandum vniuersalemque speciem appellamus ex parte rerum, quas repræsentat, si plures, & diuersæ res sint; particulares autem species dicuntur, quæ singulas tantùm res repræsentant, in quo sensu non posse dari speciem vniuersalem, id est, vnam speciem plurium rerum distinctarum sentiunt illi, qui species intentionales Angelorum non infundi à Deo, sed ab ipsis rebus arbitrantur desumi. Sic Scotus in 2. dist. 3. quæst. 10. §. *Ista propositio*, & §. *Ad quæstionem* Bassolis quæst. 3. §. *Alia opinio*. Richardus art. 6. quæst. 2. in 2. argumento. *Sed contra*. Maior. quæst. 6. conclus. 2. 3. & 4. Et quoniam illi Doctores distinguunt in Angelis species vniuersales sic dictas, quia repræsentant naturas vniuersales, quas dicunt Angelis infundi, & species singularium ab ipsis rebus acceptas; proportionaliter dicunt, sicut singulorum indiuiduorum singulæ dantur species in Angelo, sic etiam vnam speciem dari naturæ vniuersalis, quæ vnicam specificam naturam dumtaxat repræsentet, & sic de aliis naturis vniuersalibus.

Scotus. Bassolis. Richard. Maior.

2. Probatur primò, quia species intelligibilis sic repræsentat suum obiectum, vt simul sit indiuisibilis: sed non potest eadem forma indiuisibilis esse similitudo plurium rerum dissimilium inter se: ergo non potest dari vna, & eadem species plurium obiectorum singularium, vel vniuersalium repræsentatiua secundùm illorum differentias. Consequentia probatur, quia repræsentatio speciei est per assimilationem; quòd si tantùm sit plurium rerum, vt inter se similes sunt, non erit principium agnoscendi illas, vt distinctæ sunt: ergo debet repræsentare illas, quatenùs diuersæ, seu dissimiles aliquo modo sunt inter se: sed idem non potest assimilari pluribus diuersis, quatenùs diuersa sunt: ergo eadem indiuisibilis qualitas, aut forma intentionalis non potest esse species diuersarum naturarum, vel indiuiduorum secundùm proprias singulorum differentias.

3. Probatur secundò, nam vnica ratio cognoscendi habet vnum obiectum adæquatum, sub quo clauduntur reliqua, quod patet in habitu: ergo similiter species, quæ est quasi quidam habitus dicens transcendentalem habitudinem ad suum obiectum, debet vnum tantùm obiectum adæquatum habere: ergo vnam rem tantùm repræsentare potest. Hæc vltima consequentia probatur, quia si repræsentat plures res, nulla quidem illarum erit adæquatum obiectum, nec omnes simul esse possunt nisi sub aliqua ratione communi, subindeque species non repræsentabit illas secundùm proprias differentias, sed solum secundùm illam rationem communem, & ita non erit species plurium particularium, prout talia sunt.

Quòd si dicas, obiectum adæquatum esse rationem illam communem, non tamen vt præcisam, sed vt continentem sub se plura, ad quæ repræsentanda etiam secundùm proprias differentias species extenditur. Contrà insurgunt, quia sequeretur per talem speciem repræsentari infinita indiuidua, si ratio communis specifica sit, vel si sit generica, repræsentabit infinitas essentias specificas, quæ sub eodem genere multiplicari possunt, & consequenter haberet illa species perfectionem infinitam, siquidem quo repræsentat plures res, vel naturas, eò est perfectior: ergo si repræsentat infinita, erit infinitæ perfectionis, quod excedit limitationem formæ finitæ. 4.

Dico primò, non repugnat vnam speciem intelligibilem repræsentare plures res singulares, vel numero tantùm, vel etiam specie differentes, imo & omnia accidentia, quæ vel talibus indiuiduis inerunt, vel per causas naturales inesse poterunt, nempe quantitatem, figuram, candorem, nigredinem, sessionem, deambulationem, locutionem, &c. Sic sanctus Thomas in hac quæst. 55. artic. 3. Vbi Thomistæ, & moderni communiter, & in 2. contra Gent. cap. 96. & 98. vbi Ferrara, & in 2. dist. 3. quæst. 3. art. 2. Vbi Capreolus quæst. 2. art. 1. conclus. 7. & art. 3. ad argumentum contra illam, Bonauentura p. 2. distinctionis 2. 2. quæst. 1. ad 1. Vasquez 1. disp. 202. Suarez lib. 2. de Angelis cap. 14. & alij plures. Probatur primò ex S. Thoma, quia species infusæ à Deo immediatè, quales sunt species intentionales Angelorum, sunt quædam participationes exemplarium, aut Idearum diuinarum: Sed Idea simplicissima Dei repræsentat res plures: ergo potest dari talis illius participatio, quæ in repræsentatione plurium rerum illam imitetur, quamuis nec in multitudine, nec in modo repræsentandi possit illam exæquare. Consequentia probatur: nam ad perfectionem ideæ increatæ pertinet, vt possit sese communicare per quandam eminentem participationem, quæ infinitatem simpliciter non includat: Sed ad repræsentandum plura modo limitato non est cur sit necessaria perfectio simpliciter infinita, qua necessitate seclusa facilè fiet in aliis æquiparatio: ergo non est cur repugnet talis participatio, & species. 5.

S. Thom. Ferrara. Capreolus. Bonauent. Vasquez. Suarez.

Dicunt etiam in Deo dari singulas ideas singularum rerum, vel naturarum, & in Deo esse posse infinitas ideas, in Angelo autem non posse dari species intentionales infinitas. Sed contra quoniam ideæ non multiplicantur in Deo secundùm rem, sed secundùm rationem, nos verò loquimur de idea, quatenùs est quid reipsa simplicissimum repræsentans tamen multa realiter diuersa, indeque concludimus nō repugnare hoc formæ creatæ in suo gradu: Sicut autem idea diuina per habitudinem ad plures res distinguitur à nobis in plures ideas ratione distinctas, ita potest species repræsentans res plures, licèt in re sit vna, ratione tamen distingui in plures per habitudinem ad res repræsentatas. Hic verò de vnitate reali agimus, non rationis. 6.

Probatur secundò ex eodem S. Thoma, quia species est principium proximum intellectionis efficiens: sed duæ virtutes actiuæ diuersorum effectuum, & ordinis inferioris vniri possunt in vna virtute superiori, vt S. Thomas in hac quæst. 55. art. 3. ad 3. ponit exemplum in humana prudentia comparata ad particulares quasi prudentias animalium, & 2. contra Gent. cap. 98. declarat hoc 7.

ipsum

ipsum per virtutes eminentiores causarum vniuersalium. *Nam species hæc* (inquit) *est vniuersalis virtute ad modum formæ agentis in causa vniuersali, quæ quantò fuerit vniuersalior, eo ad plura se extendet, & efficacius producet.* Sicut ergo in aliis virtutibus creatis hoc non repugnat, non est cur in speciebus intelligibilibus dicatur esse impossibile.

8. Probatur tertiò, quia non apparet vlla ratio contradictionis in hoc, quòd vna species repræsentet distinctè plura obiecta: ergo non est id negandum. Antecedens constabit dissoluendo argumenta contraria. Nam ad primum concessa maiori negatur minor, duobus quippe modis potest vnum esse similitudo alterius: primo modo formalis ratione qualitatis, aut formæ eiusdem omninò rationis, quæ dicitur similitudo de genere relationum prædicamentalium, qualis reperitur inter duo alba; & sic repugnat vnum esse simile pluribus rebus diuersis, quia idem non potest habere qualitatem, aut formam eandem cum qualitatibus, & formis diuersis, imò repugnantibus plurium. Secundo modo potest vnum esse similitudo intentionalis alterius, cùm tamen sint diuersæ omninò naturæ, scilicet ea ratione, qua vnum alterum repræsentat intentionaliter, vel expressè, vt repræsentat ipsa cognitio, vel virtualiter, vt species; & sic non repugnat eandem qualitatem esse similitudinem multorum: nam eadem qualitas potest plura repræsentare, vel actu, vt species expressa, vel habitu, vt species impressa; res enim, quæ sunt in se distinctæ, ac dissimiles, vel etiam oppositæ in repræsentatione intentionali nullam habent oppositionem, vel repugnantiam, cùm ibi contineantur altiori modo, nec fiat repræsentatio secundùm identitatem in forma, sic per diuersas ideas varia, & opposita obiecta repræsentantur sine oppositione, quam inter se habeant, prout sunt intentionaliter in Deo. Hunc ergo modum repræsentationis imitantur species vniuersales.

9. Ad secundum Respondetur tripliciter posse concipi adæquatum obiectum speciei. Primò, quod sit vnum vnitate reali. Secundò, vt sit vnum per formalem conuenientiam omnium repræsentabilium per talem speciem in aliquo prædicato communi, quod sit vnum genus, vel vna species respectu illorum. Tertiò, per solam conuenientiam in aliqua conditione, sub qua repræsentabiles sunt res omnes, quæ cadunt sub obiecto vnius speciei. Primum modum postulare videtur Scotus in obiecto cuiuscunque speciei intelligibilis, quoniam vt vna species sit principium cognoscendi plura, necessarium existimat, vt primò per se, & adæquatè vnam rem repræsentet, quæ singularis sit, & virtualiter contineat illa omnia, quæ per talem speciem cognosci possunt, & solùm adhibet exemplum in essentia diuina. Sed in hoc sensu negamus talem vnitatem obiecti esse necessariam, quia nec ad vnitatem potentiæ vel habitus est necessaria talis vnitas in obiecto; nec vbi datur talis vnitas obiecti, scilicet in essentia diuina datur vnitas principij, quod per modum speciei intelligibilis sit principium cognoscendi plura: Sed datur vnitas obiecti primarij, in quo tanquam in causa cætera cognoscuntur, quia creaturæ non cognoscuntur per diuinitatem tanquam per medium incognitum, sed tanquam per medium, siue obiectum primarium cognitum, quod transcendentaliter respicit creaturas, quas virtualiter continet; ideoque ad sui cognitionem coexigit cognitionem creaturarum, tanquam correlatiuarum.

Secundum modum vnitatis obiecti adæquati postulare videntur ad vnitatem speciei intelligibilis Caietanus in hac quæst. 55. art. 3. & Ferrara 2. contra Gent. cap. 98. post 2. conclusionem. Sed oppositum dicendum est cum Capreolo in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 3. ad 1. Scoti contra septimam conclusionem, & cum Albertino tom. 1. principio 1. corollar. 9. num. 4. Probatur primò, nam alioquin species repræsentans plura indiuidua vnius speciei haberet pro obiecto adæquato naturam ipsam specificā, & similiter species repræsentans aliquas naturas specificas respiceret illarum genus, vt obiectum adæquatum. Consequens vel est falsum, vel non omninò necessarium: nam alioqui species repræsentans aliquot indiuidua aliquando futura necessariò repræsentaret omnia possibilia sub eadem specie, quia respiceret naturam specificam pro obiecto adæquato, & consequenter omnia contenta in illius potentia: hoc enim est de ratione obiecti adæquati: Similiter species intentionalis repræsentans aliquot naturas eiusdem generis, necessariò repræsentaret omnes naturas specificas sub illo genere multiplicabiles, quod non est admittendum: potest enim dari species aliquot indiuiduorum, vel naturarum, & non omnium, quæ sub illa specie, vel genere continentur. 10. Caietan. Ferrara. Capreolus. Albert.

Probatur secundò, quia non est cur obiectum speciei intelligibilis vniuersalis debeat esse vna ratio communis, tum quia species non est vniuersalis, quia naturam vniuersalem repræsentet, sed quia repræsentat plures res; tum etiam quoniam in habitibus, seu potentiis non est semper id necessarium: nam potentia visiua, v.g. habet obiectum adæquatum, etiamsi lumen & color non habeant vnam rationem communem illis adæquatam, id est, quæ solis qualitatibus visibilibus conueniat, quod in sensu communi respectu sensibilium omnium certius est: ergo tertius modus præferendus est, & dicendum erit obiectum adæquatum vnius speciei intentionalis esse multitudinem, seu collectionem rerum singularium per talem speciem repræsentabilium, quarum quidem repræsentabilitas non est denominatio ab ipsa specie, vt possibili, aliàs peteretur principium, & idem per idem explicaretur, nec designaretur vnitas obiecti, quæ sit prior in suo genere, quam vnitas speciei. Est ergo aliqua conuenientia, vel propinquitas inter tales res, vel in modo essendi, vel in aliqua cōditione ratione cuius magis aptæ sunt vniri inter se in vnius speciei repræsentatione, quàm cum aliis rebus. Ex qua conuenientia non consurgit aliqua ratio communis repræsentabilis per talem speciem, quæ considerari possit vt obiectum repræsentatum, & adæquatum; sed consurgit vna ratio propter quam repræsentabiles sunt per eandem speciem, quæ solet appellari ratio sub qua, vel aliquid innominatum, vt loquitur Albertinus suprà. 11.

Igitur ratio generalis est, quoniam ad vnitatem potentiæ vel habitus per se sufficit vnitas ex parte obiecti in aliqua ratione sub qua, licet in ratione, quæ attingitur non intercedat, sicut lumen & color, v.g. licèt in aliqua ratione adæquata sensibilis *vt quod* non conueniant, vt adæquatum obiectum visiua constituant, satis est quòd in modo immutandi potentiam conueniant, 12.

tanquam in ratione ſub qua, quæ ſufficit ad vnitatem obiecti viſibilis adæquati conſtituendam. Item vna qualitas ſuperioris ordinis habere ſolet virtutem vniuerſalem ad plures qualitates inferiores producendas, quas reſpicit ſuo modo tanquam obiectum adæquatum, non propter conuenientiam in ratione ſpecifica, vel generica quidditatis, ſed propter aliquam aliam conditionem ſæpè nobis ignotam, ratione cuius ſeruant peculiarem proportionem cum tali ſuperiori qualitate, vt in illa virtualiter contineantur.

13. Vnde fit non eſſe neceſſarium ad vnitatem ſpeciei vniuerſalis quòd inter res quas repræſentat vna ſit obiectum principale continens alias virtualiter, quia talis ſpecies à nulla illarum rerum per ſe ſpectata capit vnitatem; nec item eſt neceſſarium ex parte rerum, quæ repræſentantur, quia non oportet vt vna ad alteram ordinetur, vel propter aliam repræſentetur, ſed ſingulæ poſſunt per ſe primò, & propter ſe repræſentari. Quapropter in ratione obiecti poſſunt omnes eſſe æquales, licèt in entitate ſua vna ſit aliis perfectior; ad vnitatem enim ſpeciei intelligibilis per accidens ſe habet æqualitas, vel inæqualitas in entitatiua perfectione obiectorum.

14. Hinc pariter reſpondetur ad vltimam replicam argumenti, non eſſe neceſſarium, vt ſpecies intelligibilis repræſentans plures naturas ſpecificas, vel aliquot indiuidua repræſentet omnia illius naturæ genericæ; vel ſpecificæ inferiora, quia poteſt ſolùm repræſentare quædam quibus magis adaptatur propter aliquam conditionem illis ſolùm communem, quæ ad talem repræſentabilitatem conducat. Admittimus etiam poſſibilem eſſe vnam ſpeciem intentionalem repræſentantem omnes naturas ſpecificas alicuius generis, vel omnia indiuidua alicuius ſpeciei, quantumuis infinita ſint. Nec enim repugnat ex parte multitudinis repræſentatæ, ſiquidem in viſione Dei creata repræſentantur infinita; nec repugnat ex parte ſpeciei, ſiquidem ad hoc non requiritur perfectio ſupernaturalis, aut infinita, ſed finita ſufficit in altiori gradu ſpeciei naturalis, vt ſuprà

S. Thom. diximus, & in ſimili docuit S. Thomas quæſtione de anima art. 18. ad 2. & quæſtione de ſpiritualibus creaturis art. 6. ad 3.

15. Poſita iam poſſibilitate harum ſpecierum dico ſecundò de facto ſpecies intelligibiles Angelorum eſſe vniuerſales in repræſentando, vel in cauſando modo ſuprà dicto. Ita Doctores adducti

Albert. pro prima concluſione. Tenuit etiam Albertus de quatuor coæuis 1. part. quæſt. 5. art. 12. Probatur ex illo principio, quòd modus operandi ſequitur modum eſſendi, vnde fit modum cognoſcendi adæquatè ſequi tanquam connaturalem proprietatem modum eſſendi ſuæ potentiæ, ſeu principij formalis; ſed modus cognoſcendi non ſolùm clariùs, ſed etiam (vt ita dicam) vnitiùs per ſpecies ſcilicet vniuerſaliores, & conſequenter per pauciores eſt perfectior quàm modus cognoſcendi per ſpecies minùs vniuerſales, & plures: ergo hic modus cognoſcendi eſt adæquatus intellectui illius Angeli, qui eſt ſuperior, & perfectior, & vnitior in ſe. Conſequentia patet, minor probatur, quia perfectio creata, ſi eſt ſimpliciter ſimplex, attenditur penes maiorem propinquitatem ad perfectionem diuinam, vel magis participando rationem formalem illius perfectionis, ſi perfectio ſit communicabilis, vt intellectio. Quòd ſi ſit incómunicabilis, vt Deitas, attenditur ſecundùm maiorem receſſum ab oppoſito, ita vt illa dicatur perfectio ſimiliter Deitati, quæ magis recedit à non eſſe. Sed intelligere plura per pauciores ſpecies magis accedit ad intelligere Dei, qui omnia intelligit per ſuam ſubſtantiam: ergo intelligere plura per pauciores, & vniuerſaliores ſpecies eſt maior perfectio, quàm eadem intelligere per plures ſpecies, etiam minùs vniuerſales.

Confirmatur, quoniam hæc ſpecierum vniuerſalitas non eſt impoſſibilis ſimpliciter, vt oſtenſum eſt, nec etiam excedit gradum perfectionis ordinis naturalis, cùm tota illa perfectio vnius ſpeciei poſſit eſſe entitatiuè ordinis naturalis, ſiquidem nec ex obiecto, nec ex modo, nec ex alio capite ſupernaturalitatē includit. Poſſunt ergo tales ſpecies vniuerſales eſſe connaturales alicui ſubſtantiæ intellectiuæ creatæ. Igitur de facto tales ſpecies connaturales ſunt Angelis creatis, ac ſubinde tales ſunt ſpecies, quæ à principio illis fuerunt infuſæ. Conſequentia probatur primò ex Angelica perfectione, quam expendimus ſuprà: cùm enim Angeli ſint in ſupremo gradu ſubſtantiarum intelligibilium, & in illo habeant magnam intelligendi vim, vt perfectionem, veriſimile ſit habere vim intelligendi ſuperiorem, & quæ per vnum principium plura poſſit intelligere. Secundò, nam homines ideò ſingula indiuidua per ſingulas ſpecies cognoſcunt, quia ſunt imperfecti in genere intellectuali, & adquirunt ſpecies per ſenſus: ergo cùm Angeli ſint ſuperioris ordinis, & non habeant altiorem modum obtinendi ſpecies quas poſſunt vniuerſales recipere, hoc erit naturali eorundem perfectioni magis conſentaneum: nam quæ ſunt in inferioribus diuiſa vniuntur in ſuperioribus. Tertiò, probari poteſt diluendo quaſdam obiectiones in oppoſitum. 16.

Nam poteſt obijci primò; quamuis dari poſſit ſpecies vniuerſalis repræſentans plura, adhuc iſta perfectio non videtur Angelis concedenda: nam hinc ſequeretur poſſe Angelum elicere actum adæquatum circa plura, ſiquidem ſpecies impreſſa, tanquam cauſa debet habere ſpeciem expreſſam adæquatam: Sed hoc eſt abſurdum, quia ſequeretur Angelum vnico actu, & conatu finito cognoſcere infinita indiuidua, vel etiam infinitas naturas ſpecificas: ergo non eſt dicendum. Obiicies ſecundò, quia ſequeretur inde poſſe deueniri ad Angelum ſuperiorem, qui cognoſcat omnia per ſuam ſubſtantiam: Sequela ſic oſtenditur; Detur Angelus A, qui omnia cognoſcat per duas ſpecies, creetur Angelus B, ſuperior, hic perfectò cognoſcet per vnam, rursùs creetur Angelus C, ſuperior, hic iam cognoſcet per ſuam ſubſtantiam: nam Angelus C, eſt perfectior: ergo debet magis vnitè cognoſcere: non poteſt autem hoc præſtare per vnam ſpeciem, quia iam ſupponimus Angelum B inferiorem intelligere per vnam ſpeciem: ergo Angelus C, cognoſcet omnia per ſuam eſſentiam, quod diximus ſuprà cap. 1. naturaliter non contingere. 17.

Ad primam obiectionem reſpondetur concedendo maiorem & negando minorem: nullum enim eſt abſurdum quòd actus intellectionis Angelicæ ſit adæquatus ſuæ ſpeciei intentionali: nam ſicut dari poteſt ſpecies impreſſa ordinis ſuperioris repræſentans infinita, ſic pariter ſpecies expreſſa. Vtrobique autem poteſt hæc vniuerſalis infinita repræſentatio multipliciter cogitari. 18.

cogitari. Primò, si repræsentet multitudinem quandam naturarum contentam inter duos terminos maximum, & minimum perfectionis, in inter quos sint multiplicabiles naturæ mediæ in infinitum per maiorem, vel minorem accessum ad extrema, distinguanturque ab inuicem specie, vel numero. Secundò, si talis similitudo ponatur habere terminum versus maximum, non verò versus minimum perfectionis; & quidem hi modi infinitatis, si possibiles sunt, de quo non conueniunt Doctores, facilè intelliguntur per speciem impressam, vel expressam, finitæ perfectionis repræsentari: nam cùm species in vtroque modo habeat terminum maximum, & finitum in tota multitudine, quam repræsentat, erit finitæ perfectionis, quasi intensiuè, licèt multitudo repræsentata sit in infinitum.

19. Tertio modo potest intelligi talis multitudo habens terminum perfectionis versus minimum, non tamen versus maximum, sed in infinitum ad alium perfectiorem progrediens. Denique potest concipi sine termino magnitudinis aut paruitatis quoad perfectionem, ita vt nulla natura, vel indiuidua, vel specifica possit assignari qua non detur alia perfectior, & alia imperfectior in infinitum. Nec his apparet manifesta repugnantia, quòd tota illa multitudo per vnicam speciem repræsentetur, quia totum illud obiectum simpliciter finitum est: ergo per finitam speciem, vel impressam, vel etiam expressam repræsentari potest. Item quia visio creata finita potest repræsentare Deum, prout est in se, quod multò plus est quàm illam multitudinem repræsentare: nec enim opus est, vt talis cognitio per infinitos gradus augeatur, sed sufficit vt sit indiuisibilis entitas superioris naturæ, ac eminentioris entitatis, licèt in eo gradu finita sit, quod in specie impressa probabilius est; in expressa verò probabile iuxta sententiam illorum, qui ponunt actum prorsus indiuisibilem simul secundùm se totum attingere omnia sua obiecta, & singula illorum; qui tamen ponunt cognitionem diuisibilem quoad extensionem, ad summum admittent ibi partes extensionis infinitas, quæ diuinitùs non repugnant, possunt etiam admittere finitos gradus altioris, perfectionis, vt nonnulli philosophantur.

20. Hæc de potentia Dei absoluta dicta sint: nam de facto videtur inter species naturales Angelorum non dari nec connaturaliter dari posse species aliqua repræsentans multitudinem infinitam non terminatam ad aliquod extremum finitum, & in illo ordine summè perfectum. Probatur, quia species vniuersales dantur Angelis vt illorum intellectiuæ perfectioni, ac excellentiæ sui luminis proportionentur, & adæquentur. Quare nullus Angelus cognoscit se, vel superiorem Angelum per vniuersalem speciem, quia se cognoscit per suam essentiam tanquam per speciem sibi adæquatam respectu illius actus, quo se cognoscit, & consequenter quemlibet superiorem Angelum cognoscit per singulares species, vnumquemque videlicet per propriam, & particularem, qua superior Angelus respectu inferioris est obiectum excedens aliquo modo vim eius intellectricem; ideoque tam species expressa, quàm impressa repræsentans Angelum superiorem sunt adæquatæ intellectui Angeli inferioris, ac subinde respectu superiorum non dantur inferioribus species vniuersales, sed particulares, quæ ratio pariter conuincit de æqualibus.

Hinc prouenit, vt species vniuersales Angelorum versus maximum habeant semper terminum perfectionis rerum, quas repræsentant: nam si species vniuersalis repræsentat Angelos inferiores, isti sunt minùs perfecti, quam Angelus vtens tali specie; si verò repræsentet res alias Angelis inferiores, etiamsi repræsentet infinitas, omnes continebuntur infrà totum ordinem Angelicum, & infrà infimum Angelum, superiores autem Angelos, vel etiam æquales non cognoscit Angelus per species vniuersales, sed per particulares, vt diximus: ergo nunquam potest species intelligibilis connaturalis Angelo repræsentare infinitam rerum multitudinem sine termino perfectionis versus maximum, sed solùm quatenus sub certo aliquo termino tantæ perfectionis procedi potest in infinitum versus minimum. 21.

Ex his erit obiter colligendum non esse necessarium omnes Angelorum species intelligibiles esse vniuersales, sed aliquas habere simul particulares; ita vt quilibet Angelus, qui per vniuersales species cognoscat, habeat illas de omnibus inferioribus rebus, & de illis solis: nam res æquales, & superiores cognoscit per species particulares. Ratio partis affirmantis est, quia supposita capacitate specierum vniuersalium eadem est ratio vniuersalitatis earum respectu rerum omnium inferiorum: ergo Angelus omnes illas cognoscit per species vniuersales. Consequentia patet, quia non est constituenda diuersitas sine fundamento. Antecedens probatur, quia ratio vniuersalitatis talium specierum est excellentia virtutis intellectricis Angeli respectu obiectorum inferiorum: sed hæc ratio in omnibus inferioribus locum habet, quia nulla species repræsentans vnicam rem inferiorem est adæquata lumini superioris Angeli: ergo species omnes rerum inferiorum infunduntur Angelis vniuersales, id est, plura obiecta simul repræsentantes. Pars altera exclusiua facilè probatur ex contraria ratione, quia sicut propria essentia Angeli est quasi particularis species ad cognoscendum seipsum: nam illud obiectum est quasi adæquatum, seu proportionatum tali potentiæ, ita quilibet Angelus seruaret eandem proportionem ad intellectum alterius Angeli sibi æqualis, si darentur duo Angeli eiusdem speciei: ergo Angelus quemlibet alium æqualem possibilem, & à fortiori superiorem cognoscit per speciem particularem. Atque ita ratio discriminis inter vtramque partem illationis est in promptu, quia repræsentatio, & cognitio vnius rei perfectioris æquiualet pluribus inferioribus: & ideò species obiecti singularis maioris, vel æqualis perfectionis cum ipso Angelo cognoscente æquiualet, vel excedit speciem vniuersalem rerum inferiorum. Quare licèt de rebus inferioribus vniuersales species recipiat, de superioribus, vel æqualibus accipit particulares. Species item propriorum actuum præteritorum, quas ab ipsis obiectis Angelus desumit, credimus esse particulares. De speciebus autem supernaturalibus dicemus disp. 12. 22.

Secunda obiectio suprà facta num. 17. quæstionem tangit, An, & quomodo superiores Angeli per species vniuersaliores intelligant? in qua Doctores negantes dari species vniuersales in Angelis consequenter negabunt dari species impressas, vel expressas magis, vel minùs vniuersales. Item qui tantùm ponunt in Angelis species a rebus acceptas: nam illi quoque pares faciunt 23.

in

in hoc omnes Angelos, & consequenter non admittunt in eis discrimen in specierum vniuersalitate. Sed hi planè procedunt ex falsis fundamentis suprà impugnatis. Tertiò, Henricus per contrarium extremum dixit omnes Angelos cuncta cognoscere per vnam speciem æquè vniuersalem, vel potiùs vniuersalissimam. Talis est enim habitus scientialis, quem ille posuit in omnibus Angelis. Ceterùm, & sine fundamento ponit talem habitum, & non minùs gratis in illius vniuersalitate omnes Angelos æquales facit, imò etiam contra rationem, vt videbimus.

24. Quartò Vasquez 1. part. disp. 203. quamuis absolutè neget species, tamen ex hypothesi quòd dentur, dicit non posse cum fundamento affirmari, perfectiores Angelos intelligere per species vniuersaliores, quia tametsi non possit in hoc ostendi repugnantia, non videtur id satis, vt asseramus ita esse, nisi aliqua ratione positiua probetur, quæ nulla suppetit in præsenti; licèt enim admittamus singulos Angelos de facto specificè differre, adhuc non sequitur perfectiores Angelos per species perfectiores, & pauciores intelligere. Vel enim huiusmodi species sunt sola Dei voluntate communicatæ, & tunc non est vnde colligamus diuersas species fuisse singulis concessas. Etenim quòd Angeli perfectiores perfectiùs intelligant, non est necesse prouenire ex speciebus perfectioribus, siquidem perfectior intellectus cum æquali specie intentionali perfectiùs intelligit, eo quòd ea vtitur tanquam instrumento iuxta propriam efficacitatem, & virtutem: Vel species intelligibiles Angelorum oriuntur ex ipsorum essentia, & tunc rectè sequitur perfectiores species perfectioribus Angelis conuenire, non tamen inde fit vt species superioris Angeli debeant esse pauciores, & vniuersaliores, quia potest inæqualitas perfectionis in meliori modo res easdem repræsentādi consistere.

25. Quinta sententia est eorum, qui dicunt Angelos superioris ordinis per pauciores species intelligere quam Angelos ordinis inferioris, Angelos tamen eiusdem ordinis etiamsi differant specie, easdem omninò species rerum habere, solumque differre inter se, quatenus Angeli superiores intra eundem ordinem intelligunt perfectiùs easdem res per easdem species, eo quòd sint perfectioris intellectus. Ita Ferrara 2. contra Gent. cap. 98. §. *Circa conclusionem.* Vbi ait non esse necesse, vt omnes Angeli sub eodem proximo genere contenti, licèt specie differant per pauciora principia intelligant, eo ipso quòd perfectioris speciei sunt. Sicut non est necesse quòd animalia perfectiora cognoscant per pauciores sensus. Sequitur Molina in hac quæst. 55. art. 3. (Molina.) colligens inde non quemcunque excessum esse satis, vt Angeli cognoscant per pauciores, & vniuersaliores species, sed magnum quendam excessum qualis cernitur inter Angelos diuersorum ordinum aut etiam hierarchiarum. Fuit etiam opinio Heruæi in 2. dist. 3. quæst. 4. art. 4. quoad (Heruæus.) Angelos differentes specie infima: nam inter eos, qui differunt genere etiam infimo, fatetur differentiam specierum intensiualium in vniuersalitate. Inclinat Ægidius Romanus in 2. dist. (Ægid. Rom.) 3. punct. 2. quæst. 2. art. 2. ad 4. dubium; imò sentit etiam Angelos diuersorum generum infimorum posse per species æquè vniuersales intelligere, probatque à posteriori argumento suprà facto num. 27.

Sed dicendum est tertiò simpliciter & absolutè Angelos perfectioris naturæ per species vniuersaliores intelligere, ac subinde superiores Angelos eandem rerum multitudinem per pauciores species cognoscere. Ita S. Thomas in hac quæst. 55. art. 3. Caietanus ibi, & reliqui ferè moderni expositores. Item Capreolus in 2. dist. 3. quæst. 1. artic. 5. conclus. 8. & art. 3. ad argumenta contra conclusionem, Argentinas ibi quæst. 2. art. 4. in vlt. eius parte, Malonius ibidem disp. 13. sect. 2. Suarius lib. 2. de Angelis cap. 15. & 16. atque alij communiter. Probatur primò ex libro de causis propositione 10. cuius Auctor censetur esse Proclus, vel Auempaca, vel Alpharabius; accedit Dionysius de cælesti hierarchia cap. 12. & 15. Vbi docet inferiores Angelos inferiorem habere scientiam, in hoc specialiter quòd particularem illam habent vtque respectu superiorum, qui subinde vnica intelligentia percipiunt, quòd postcà diuidunt in plures, vt ab inferioribus percipi possint. Respondet Vasquez in priori loco non vocari scientiam particularem, quia fit per species minùs vniuersales, sed quia de paucioribus rebus habetur: nam inferiores Angeli pauciora sciunt, quam superiores: In posteriori verò loqui Dionysium de supernaturali cognitione Angelorum, in qua cognoscit superior vnico actu, quæ inferior pro captu suo diuidit in plures conceptus. Sed contrà, nam in priori loco planè loquitur Dionysius de scientia naturali Angelorum, in qua non est inæqualitas inter Angelos quoad multitudinem rerum scitarum, vt est constans sententia Theologorum: ergo solùm potest esse inæqualitas in actuali scientia, quatenus inferior cognoscit vno actu, & proportionaliter species habet magis particulares. In posteriori loco fine causa limitatur sensus Dionysij ad solam cognitionem supernaturalem, ex qua item sumi potest argumentum ad naturalem: nam cognitio supernaturalis infunditur modo accommodato naturæ, siquidem vnum quodque recipitur ad modum recipientis. Igitur si per reuelationem supernaturalem Angelus superior vnico conceptu percipit plura, quæ non potest inferior, nisi pluribus actibus intelligere, profectò signum est connaturalem modum cognoscendi superiorum esse simpliciorem, & vniuersaliorem in hoc, quod plura vno actu, subindeque vno principio proximo, siue vna specie cognoscit ex natura sua. 26.

(S. Thom. Caietan. Capreolus. Argent. Malonius. Suarez. Proclus. Auempaca. Alpharab. Dionys. Vasquez.)

Ratione probatur conclusio, quoniam ideò creduntur Angeli species vniuersales habere, quia tales species sunt possibiles, & perfectiores, & talis perfectio admodum consentanea est excellentiæ Angelorum in gradu suo, nec est cur illis denegetur: Sed cùm eadem proportione species vniuersaliores sint possibiles, & perfectiores quàm minùs vniuersales, istaque maior perfectio est consentanea maiori excellentiæ Seraphinorum, vel Cherubinorum, v. g. ergo non est cur illis denegetur respectu inferiorum: nam illam maiorem perfectionem intensiuam cognitionis siue maiori extensione rerum cognitarum, iam reiecimus lib. 1. disput. 23. cap. 4. num. 11. Qui verò illam admittunt, vel debent pariter omnem vniuersalitatem specierum ab Angelis remouere, siquidem possunt per illum excessum cognitionis intensiuum totam excellentiam Angelicæ naturæ super humanam explicare cum Scoto, vel si fateantur semel dari species vniuer- 27.

sales

sales in Angelis, consequenter debent perfectioribus Angelis concedere species vniuersaliores. Vasquez. Et quidem ipsemet Vasquez 1. part. disput. 202. cap. 2. num. 4. Suppositis speciebus docet non esse negandas Angelis species vniuersales, quia possibiles sunt sine contradictione. *Quòd si fieri possunt*, inquit, *id quod maioris perfectionis est, Angelo denegari non debet, ita vt quo perfectiores Angeli sunt, per pauciores species intelligant: nam quamuis hæc ratio non probet id esse necessarium, demonstrat tamen maximè congruum, & perfectissimæ naturæ spirituali consentaneum esse.* Quibus verbis expresse docet non solùm vniuersalitatem specierum, sed consequenter in illa varietatem cum proportione ad perfectionem Angelicæ naturæ fore admittendam.

28. Dico quartò, inter Angelos solo numero differentes, quos esse possibiles diximus disp. 2. cap. 2. nulla datur varietas in vniuersalitate specierum: Sed omnes Angeli eiusdem infimæ speciei si crearentur, haberent species æquè particulares, vel vniuersales; quia licèt inter illos detur aliqua inæqualitas in indiuidua perfectione, (quod reputo probabilius) illa non sufficit ad inæqualitatem in vniuersalitate specierum: species enim magis vel minus vniuersales requirunt essentialem diuersitatem, cùm vniuersalior species altioris rationis sit, & inferiores, ac particulares species quasi contineat eminenter. At indiuiduales substantiæ, licèt inæquales sint secundùm numerum, non habent actus, vel principia operandi specificè diuersa, sed solùm magis, vel minùs perfecta in entitatibus singularibus. Ita docet Suarius suprà cap. 16. num. 1. & nemo, credo, dissentiet. Suarez.

29. Dico quintò, omnes Angeli, quò sunt essentialiter, vel specificè perfectiores, eò intelligunt per vniuersaliores species. Ita Doctores suprà relati num. 26. & videtur expressa sententia S.Thom. S. Thomæ in hac quæst. 55. art. 3. vbi simpliciter ait. *Angelos quò superiores sunt, eò per vniuersaliores species intelligere, quia sunt similiores Deo.* Quæ verba, & ratio cum eadem proportione ad omnes Angelos essentialiter perfectiores applicatur. Idem docet quæst. 8. de veritate art. 10. magísque declarat in quæstione de anima art. 7. in corpore, & ad 5. Probatur, nam omnis Angelus etiam infimus intelligit per species aliquo modo vniuersales: ergo semper Angelus superior intelligit per species vniuersaliores. Antecedens iuxta supra dicta intelligendum est de speciebus repræsentantibus res inferiores, vel imperfectiores ipso Angelo intelligente, faciléque probatur, quia quælibet Angelica virtus est superior his rebus à se cognoscibilibus: ergo comparatur ad illas, vt virtus vniuersalis, quæ simul plures illarum comprehendere possit, ac subinde capax erit specierum res istas specialiter repræsentantium; cùm tamen species has non accipiat à rebus, sed ab Auctore naturæ per infusionem, verosimilius est eas accipere vniuersales, & suæ virtuti proportionatas. Hinc iam ostenditur prima consequentia, quia quò vnus Angelus alium superat perfectione, eo habet virtutem vniuersaliorem, & efficaciorem: ergo potest plura simul vnico actu cognoscere. Habet ergo species quoque magis vniuersales respectu eorundem intelligibilium obiectorum.

30. Confirmatur, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, vt est Dialecticorum axioma: Sed Angelus ex vi gradus spiritualis postulat vniuersalitatem specierum, vt vidimus, ideoque Angelus etiam infimus illam habet: ergo quò magis participauerit essentialem perfectionem illius gradus, eò maiorem vniuersalitatem specierum postulabit. Nec exemplum de numero potentiarum vel sensuum in animalibus, quod Ferrariensis & Molina opponebant, magni refert, quia numerus potentiarum sequitur genus rei, seu gradum aliquem valdè communem, modus autem operandi per singulas potentias sequitur specificam naturam. Cùm ergo vniuersalitas specierum proportionetur modo operandi, sequi debet specificam essentiam vniuscuiusque.

Restat iam diluenda obiectio facta num. 17. supponendo maiorem, vel minorem vniuersalitatem specierum non semper consistere in hoc quòd vna plures naturas specificas repræsentet quàm alia, quasi omnia indiuidua eiusdem naturæ cognoscantur à quocunque Angelo, etiam infimo per vnicam speciem, vt docuit Ripa in hac quæst. 55. art. 3. Sed planè sine fundamento, præsertim quia suprà diximus species intentionales Angelorum non repræsentare per se primò naturas communes, sed singularia, quòd si species repræsentans aliquot indiuidua vnius naturæ necessariò repræsentaret omnia, profectò eadem necessitate repræsentaret omnia possibilia, quod isti Doctores non admittunt. Sequela constat, quoniam esse, vel non esse futurum quidem extrinsecum est, & impertinens ad intrinsecam speciei repræsentationem. Sufficit ergo ad hanc vniuersalitatem, quòd vna species repræsentet plura singularia, vel eiusdem naturæ specificæ, vel diuersarum; nec est necessarium, vt species repræsentans plura indiuidua eiusdem essentiæ omnia similia repræsentet, sed plura, vel pauciora, pro maiori, vel minori perfectione speciei intentionalis, & simul obiectorum, v.g. Angelus infimus, qui habeat plures species vniuersales equorum, quarum singulæ repræsentent decem equos, non habebit species leonum tam vniuersales, quia leones sunt essentialiter perfectiores; & ideò pauciores possunt per vnum actum, & per vnam speciem repræsentari. Quare enim sit comparatio in vniuersalitate, debet fieri ceteris paribus ex parte obiectorum intelligibilium. 31. Ripa.

Itaque ad veritatem nostræ conclusionis satis est quòd Angelus superior plura indiuidua eiusdem naturæ cognoscat per vnam speciem, quàm inferior; quamuis nullus eorum etiam supremus haberet speciem repræsentantem plures naturas, vel plura indiuidua specificè diuersa, v.g. leonem, & equum: nam vt species sit vniuersalis, sufficit quòd per illam possint multa cognosci, etiam intra eandem specificam naturam. Accedit quòd species repræsentans plura indiuidua eiusdem speciei non videtur extendi posse ad repræsentanda indiuidua simul alterius specificæ naturæ, nisi repræsentet omnia indiuidua etiam possibilia talis specificæ naturæ, quia quo hæc similiora sunt inter se, eò videntur faciliùs posse per eandem speciem repræsentari. Non videtur autem necessarium quòd aliquis Angelus etiam supremus habeat de facto species ita vniuersales, vt omnia indiuidua possibilia eiusdem naturæ singulæ repræsentent, quoniam hæc indiuidua sunt infinita, & non est necesse, nec connaturale mentibus creatis, vt vna species repræsentet res infinitas, & per consequens non est necessarium, vt vna 32.

species

ſpecies etiam Angeli ſupremi repræſentet plures naturas, ſed ſatis erit, quòd ſingulæ ſpecies illius repræſentent plura indiuidua cuiuſquam naturæ, quam ſpecies intentionales inferiorum, & idem eſt cum proportione de ceteris.

33. Iuxta hæc quamuis Angeli, quò perfectiores ſunt, eò vniuerſaliores, ac ſubinde pauciores ſpecies earundem rerum habeant, nihilominus non ſequitur, perueniendum eſſe ad Angelum, qui omnia extra ſe per vnam ſpeciem intelligat: nam omnes ſaltem habent tot ſpecies intelligibiles, quot ſunt naturæ ſpecificæ, quas intelligunt, & adhuc omnes ſuperiores habent vniuerſaliores, & pauciores ſpecies reſpectu indiuiduorum vniuſcuiuſque: nam cùm indiuidua poſſint in infinitum multiplicari, nunquam deuenietur ad Angelum, qui omnia indiuidua eiuſdem naturæ per vnicam ſpeciem intelligat, ſed per plures. Quòd ſi deueniamus ad Angelum, qui omnia indiuidua de facto futura vnius eſſentiæ per vnicam ſpeciem cognoſcat, tunc alius iſto ſuperior eadem indiuidua cognoſcet per vnicam etiam ſpeciem, ſed vniuerſaliorem, quæ repræſentabit non ſolùm futura, ſed aliqua ſimul poſſibilia: licèt enim ſpecies repræſentans poſſibilia non debeatur Angelo per ſe, non eſt tamen inconueniens quòd ex conſequenti, & ex abundantia perfectionis ipſius ſpeciei, repræſentatio ipſius etiam ad poſſibilia extendatur. Quare poterit quidem contingere, quòd aliqui Angeli inæqualis perfectionis cognoſcant omnia futura aliquarum naturarum per æqualem numerum ſpecierum, tamen ſemper Angelus ſuperior cognoſcet per ſpecies vniuerſaliores, quæ ſe extendant ad repræſentationem poſſibilium.

34. Rurſus demus in Angelis ſecundi ordinis dari quoque ſpecies vniuerſales repræſentantes plures naturas eſſentialiter ſub infimo genere differentes, non tamen per vnicam ſpeciem repræſentari naturas omnes ſpecificas illius generis, ſed plures vel pauciores pro varietate perfectionis Angelicæ, & ſic aſcendendo per ſuperiores ordines cum proportione ſpecierum magis vniuerſalium in ordine ad res etiam genere diuerſas, & ſub generibus magis, vel minùs remotis contentas; nihilominùs tamen cùm hæc vniuerſalitas ſpecierum poſſit etiam ad quidditates poſſibiles nunquam futuras extendi, & iſtæ poſſint in infinitum multiplicari, nunquam erit neceſſarium peruenire ad Angelum, qui omnia extra ſe cognoſcat per vnicam ſpeciem; & ita ceſſat difficultas.

35. Imò licèt hoc quoque demus, poſſe nimirùm Angelum valde perfectum per vnicam ſpeciem intelligere cuncta obiecta naturalia creata præter ſeipſum; ſiquidem talis ſpecies, cùm eſſet finita, & ordinis naturalis, non excederet proportionem finitæ, limitatæque naturæ; ideoque non videtur repugnare; adhuc non ſequitur Angelum iſto ſuperiorem, vel per nullam ſpeciem cognoſcere, vel non per pauciores: nam, vt ſuprà dicebam, hæc vniuerſalitas ſpecierum ſolùm eſt reſpectu rerum inferiorum; non verò reſpectu ſuperiorum, vel æqualium Angelorum. Quare ſi Angelus B, omnia inferiora cognoſcat per vnicam ſpeciem, & crearetur Angelus C, ſuperior, iſte quidem cognoſcet per vnicam ſpeciem eadem inferiora, & præterea ipſum Angelum B, cùm tamen ſemetipſum cognoſcat per ſuam ſubſtantiam; Vnde iam iſta ſpecies erit vniuerſalior in Angelo C, quàm in Angelo B, qui per illam ſpeciem non cognoſcebat ſeipſum, & rurſus indiget alia ſpecie diſtincta ad cognoſcendum Angelum C, ſuperiorem ſibi, ſubindeque iam habet plures ſpecies, quàm ſuperior, & eadem proportione aſcendendum erit per ſuperiores, & perfectiores in infinitum: ſemper enim reſpectu horum multiplicantur ſpecies in inferioribus, cùm tamen ſuperiores omnia ſibi inferiora poſſint per vnicam ſpeciem cognoſcere iuxta modum iſtum dicendi, quem ſequitur Albertinus Albert.
tom. 1. principio 1. corollar. 9.

Dices; Saltem Angelus inferior cognoſcit ſuperiorem per vnicam ſpeciem, ſicut Angelus 36.
ipſe inferior cognoſcit ſe per ſuam ſubſtantiam. Reſpondetur hoc non eſſe inconueniens, quia ſuperior Angelus altiori modo ſe cognoſcit, ſcilicet per ſuam ſubſtantiam, & non per ſpeciem. Vnde ſemper habebit pauciores ſpecies ſuperior, quàm inferior reſpectu eorundem obiectorum, & quamuis quilibet Angelus inferior cognoſcat omnes ſibi ſuperiores per ſingulas illorum ſpecies, quia reſpectu ſuperiorum nullus eſt capax vniuerſalium ſpecierum vt dicebamus, ac ſubinde quoad hoc nulla ſit differentia intèr Angelos inferiores, etiamſi ſint inæquales inter ſe; hoc tamen non repugnat ſupradictis, quia non eſt opus, vt in omnibus, & in ſingulis ſpeciebus intelligibilibus omnis Angelus ſuperior excedat inferiorem quoad numerum rerum, quæ repræſentantur, ſed ſatis eſt quòd indefinitè aliquas ſpecies habeat vniuerſaliores in tali modo repræſentandi, ſcilicet ex illis, quæ repræſentant res inferiores: nam iſtæ ſolùm ſpecies ſunt capaces vniuerſalitatis, non verò quæ rem ſuperiorem repræſentant.

Quòd autem addit Caietanus in hac quæſt. 55. 37.
art. 3. ſupremum Angelum, qui nunc eſt, per vni- Caietan.
cam ſpeciem intelligere omnia, quæ naturaliter cognoſcere poteſt, forſan non repugnat ſic fieri: nam cùm talis Angelus ſit ſuperior omnibus aliis rebus naturalibus creatis, poſſet omnes illas per vnicam ſpeciem intelligere, ac ſeipſum per ſuam ſubſtantiam. An autem ſic contigerit de facto, non conſtat, nec poteſt oſtendi neceſſarium, quia licèt intèr Angelos ſpecie differentes ſemper ſuperior intelligat per ſpecies vniuerſaliores, nihilominùs in infimo Angelo quoad naturam poteſt eſſe tanta multitudo ſpecierum intelligibilium, & tam parua vniuerſalitas cuiuſque ſpeciei, vt licèt in omnibus ſuperioribus fiat diminutio ſpecierum, adhuc in ſupremo remaneant plures, ſi Deus voluit ad hunc ordinem adaptare naturalem capacitatem Angelorum, facilior tamen, & veroſimilior eſt modus philoſophandi ſuprà poſitus num. 32. & 34. ne cogamur admittere plures Angelos perfectiores in infinitum, quorum quiſque cognoſcat per vnicam ſpeciem omnia ſibi inferiora; tametſi non ideò cogeremur omnibus etiam inferioribus concedere talem perfectionem: nam ad tam infimum ordinem poteſt deueniri, vt pro tenuitate luminis intellectualis non poſtulent ſpeciem vniuerſalem, quæ cuncta ſibi inferiora repræſentet, ſed pluribus actibus, & ſpeciebus ad percipiendas res omnes inferiores indigeant.

* * *



QVÆSTIO LVI. S. Thomæ.

De cognitione Angelorum ex parte rerum immaterialium.

ARTIC. I.

Vtrùm Angelus cognoscat seipsum.



Onclusio affirmat, quoniam Angelus est actu intelligibilis vnitus,& proportionatus suo intellectui: ergo intelligit semetipsum.

ARTIC. II.


Vtrùm vnus Angelus alium cognoscat.

Conclusio affirmat, & probatur ex libro de causis,vbi dicitur omnis intelligentia scire ses, quæ non corrumpuntur.

ARTIC. III.

Vtrùm Angelus per sua naturalia Deum cognoscere possit.

Conclusio affirmat,nam Angeli sunt potentiores in cognoscendo, quàm homines:Sed homines per sua naturalia Deum cognoscunt ex creaturis, vt dicitur Rom. 1. ergo multò magis Angeli ex sui,vel aliarum creaturarum cognitione tanquam per similitudinem,vel speculum diuinæ perfectionis poterunt cognoscere Deum.



DISPVT. IX.

De obiecto immateriali cognitionis Angelicæ.



IXIMVS cū Angelico Doctore de principio cognitionis Angelicæ, iam de ipsis actibus cognoscitiuis agendum erit,vbi priùs de obiecto adæquato intellectus Angelici in communi, deinde de singulis obiectis in particulari, & de cognitionibus illorum disquiremus.

CAPVT I.

Quod sit obiectum adæquatum intellectus Angelici.

1\. SVppono aliquod esse obiectum adæquatū intellectus Angelici:nam omnis potentia habet obiectum in quo, & vnitatem aliquam & adæquationem requirit, vnitatem quidem, quia cùm ipsa sit vna, licèt attingat plura, necessarium est vt sub aliqua vna ratione respiciat illa; adæquationem verò: nam omnia quæ sub illa vna ratione comprehenduntur,& non alia per talem potentiam attingi poterunt,siquidem nec potentia ferri potest extra suum obiectum, nec aliquid sub potentiæ obiecto contineri,quod potentia nequeat attingere. Hoc autem obiectum vel potest vnum, & idem respectu omnium Angelorum assignari genericè; vel vnicuique proprium,& ab aliis diuersum specificè: nam vtrumque videtur secundùm diuersas rationes necessarium: cùm enim omnes Angeli conueniant in vna ratione communi substantiæ intellectualis, necesse est vt aliquod vnum adæquatum obiectum intelligibile commune habeant; & cùm in particularibus intellectibus differant secundum specificam varietatem, consequenter postulant in obiectis adæquatis singulorum propriis aliquam diuersitatem.

Itaque dico primò, Obiectum adæquatum intellectus Angelici, imò etiam humani, est ens simpliciter in tota sua latitudine sumptum, quatenùs verum est.Ita S.Thomas 1.p.q.54. a. 2. q.55.a.1.& q.79.a.7. communiterque Doctores. Probatur, quia quidquid cognoscitur à potentia pertinet ad eius obiectum,cùm nihil aliud sit cognosci,quàm actu obiici:Sed res omnes intelligibiles ab Angelo non habent inter se conuenientiam realem,nisi in ratione communi entis, siquidem nulla datur alia ratio communis Deo,& creaturis,substantiis,& accidentibus, quæ omnia possunt ab Angelo cognosci vt infra constabit inductione obiectorum particularium facienda: ergo ens in communi est obiectum adæquatum intellectus Angelici. Consequentia patet; nam obiectum adæquatum debet omnia complecti, quæ potentiæ obiici possunt. 2. S.Thomas.

Dico secundò obiectum connaturale seu proportionatum intellectus Angelici, sicut humani, non est ens communissimè sumptum, sed solùm ens naturale, prout condistinguitur à supernaturali. Probatur, quoniam entia quoad substantiam supernaturalia sicut intrinsecè habent esse supernaturale, sic etiam supernaturalem cognoscibilitatem: ergo non possunt esse connaturale, seu proportionatum obiectum facultatis & cognitionis naturalis.Sic Deus, vt est in se trinus,& vnus,sic gratia,& omnia mysteria supernaturalia excedunt vires intellectus Angelici, nec possunt ab illo naturaliter cognosci, vt communiter docent Theologi.Adhuc autem præter hanc rationem obiecti communem in qua homo, & Angeli cuncti conueniunt,aliqua debet interuenire differentia,qua homo ab Angelis,& isti differant ab inuicem in cognoscendo.Probatur,nam licèt Scotus in 2.dist. 1. q.6.dubitauit,an anima rationalis,& Angelus distinguantur essentialiter, tamen S.Thomas 1.p.q.75.art.7.& lib. 2. contra Gent.c.94. Alensis 2.p.q.20.membr. 5. Ægidius Roman.in 2.dist. 3. p. 2.q. 2.art.5.Bonauentura dist.1.p.1.a.2.& ibidem alij communiter docent Angelum, & animam specie differre:ergo pariter intellectus Angelicus,& humanus differunt specie.Nam quorum essentia est diuersa, proprietas etiam specifica, & maximè propria,qualis est intellectus,specie distinguitur,quod etiam infertur ex diuersitate operationum intellectiuarum hominis, & Angeli: ergo hæc differentia specifica facultatum desumi debet ex aliqua differentia obiecti proportionati. Idemque censendum est de intellectibus Angelorum differentium specie. 3. Scotus. S.Thom. Alensis. Ægid.Rom. Bonauent.

4. Hæc autem varietas obiectiua considerari potest secundùm diuersas attingibilitates, quæ in eodem obiecto insunt intrinsecè respectu diuersorum intellectuum, à quibus secundùm illas varias rationes obiecti formalissimi potest attingi; nam intellectus humanus cùm ex sua natura insit animæ petenti coniunctionem cum materia, omnia cognoscit eum aliqua habitudine seu; proportione ad materialia; Sic verò modus intelligendi supponit ex parte ipsarum rerum etiam immaterialium aliquam conuenientiam, seu coniunctionem cum rebus materialibus, ratione cuius de se sint aptæ tali modo cognosci. Quapropter intellectus noster in particulari respicit ens, prout est aptum de se taliter cognosci. Atque idem est proportionaliter in intellectu Angelico: nam omnia intelligit iuxta modum suum, & per species accommodatas suo modo cognoscendi; ideoque ex parte rerum supponit aptitudinem, vt per tales, & tales species, & actus aliter, ac aliter repræsentabiles sint. Quibus autem rebus insint tales aptitudines, & attingibilitates in particulari videndum erit.

CAPVT II.

Vtrùm Angelus naturaliter cognoscat seipsum, & alios.

1. Dico primò, Quilibet Angelus potest cognoscere seipsum. Ita sanctus Thomas in hac quæst. 56. artic. 1. & omnes Theologi cum illo. Probatur, quoniam Angelus cùm sit substantia spiritualis, est de se actu intelligibilis, & maximè coniunctus suo intellectui, & commensuratus ipsi: ergo maximè potest Angelus cognoscere seipsum, & per consequens omnia sua accidentia, quæ pertinent ad plenam sui notitiam. Vnde potest Angelus semetipsum, & suum intellectum, & suos actus reflexiuè cognoscere: cognoscit autem seipsum per suam substantiam concurrentem per modum speciei, vt diximus disput. 8. cap. 2. per actum verò realiter distinctum, & elicitum à seipso, qui actus sit propriè verbum mentis, iuxta doctrinam traditam de verbo mentis lib. 2. disputatione 2. cap. 1.

2. Dico secundò, Angelus omnes alios à se distinctos directè, ac propriè cognoscere potest. In hoc etiam Theologi conueniunt cum sancto Thoma suprà artic. 2. Probatur, nam omnis Angelus est intelligibilis actu, cùm sit immaterialis: ergo quilibet est intelligibilis à quolibet; probatur consequentia, quia quilibet intellectus est capax omnium intelligibilium actu eiusdem ordinis, quales sunt omnes Angeli. Quòd si comparentur inferiores Angeli ad superiores in ratione obiecti, sunt illis non solùm proportionati, sed etiam inæquales: ergo facilè poterunt ab ipsis cognosci. Si verò superior comparetur ad inferiorem, licèt in ratione obiecti videatur excellens: at hic excessus cùm sit finitus non excedit sufficientem proportionem in ratione obiecti, & potentiæ cognoscitiuæ illius, quamuis fortassè minùs perfectè cognoscat inferior superiorem, quàm è contrà. Confirmatur, nam Angeli prorsus indigent hac mutua cognitione inter se, sine qua nec mutuò colloqui, aut agere, nec ciuiliter inter se communicare possent, aut vnam veloti rempublicam inter se componere, quod est contra ea, quæ Scriptura docet de Angelis, & contra naturam, & perfectionem illorum, quia natura intellectualis non minùs quàm humana de se sociabilis est, & mutuæ communicationis capax.

3. Obiicies primò verba Iustini Martyris in lib. responsionum ad diuersas quæstiones in quæst. 76. dicentis. *Nec intelligit, nec videt animus animum, nec Angelus Angelum, nec Dæmon Dæmonem.* Respondetur a multis dubitari an quæstiones illæ sint Iustini, vel, an sint vitiatæ, præsertim in illa quæstione sunt verba perplexa: nam proxime anteà dixerat. *Animi (vtique separati) intelligentia sensu, & seipsi vident, & quæ sunt sub ipsis, & prætereà Angelos, atque Dæmones,* & iterum post verba in obiectione relata inquit: *Sed intelligentia sensu, quem dixi, & seipsi vident, & alij alios vltrò, ac citra, & prætereà omnia, quæ ad corpus pertinent.* Loquiturque tam de animis, quam de Angelis, & Dæmonibus. Quare ne contraria doceat Iustinus, vel priora verba mendosa sunt, & in eis superfluit verbum *intelligit*, vt de visione corporali possint exponi, vel referenda sunt ad intelligentiam animorum, quoad secretas cogitationes; alioquin vera non sunt. Iustin. Mar.

4. Obiicies secundò quoniam aliàs non posset vnus Angelus occultare se aliis, etiamsi vellet; quod non videtur dicendum: nam si homo potest se aliis occultare, & interdum sie expedit, cur non Angelus? Respondetur admittendo sequelam; nam si vnus Angelus habet speciem infusam alterius, non potest alter impedire, quin substantiam eius cognoscat; homo quippe se occultat, quia visio sensibilis pendet ex medio quod potest interiecto corpore opaco, & ablato luminoso impediri; Angeli verò cognitio nec à medio corporeo, nec à præsentia locali pendet, nec alio lumine indiget præter intellectuale proprium intelligentis. Nec item vnus Angelus in vsu sui intellectus, & suarum specierum pendet à voluntate alterius: ergo nullo modo potest vnus Angelus impedire aliû, ne ipsum videat, vel quoad substantiam, & proprietates ipsius connaturales, vel quoad actualem existentiam, & localem præsentiam, quia de his omnibus est eadem ratio, siquidem in Scriptura solùm excipiuntur secreta cordium, quæ possint ab Angelis occultari propter specialem rationem. Nec est in hoc inconueniens, quia non datur in Angelis necessitas talis occultationis quoad ceteras res præter cogitationes secretas: sunt enim longè alterius conditionis ad hominibus, vt per se patet.

5. Instabis Auctorem Imperfecti homilia 5. in Matth. circa finem dixisse Angelum posse se abscondere, inuisibilemque reddere coram Diabolo, licèt à loco non recedat. *Quoniam (inquit) nisi voluerit Angelus bonus à Diabolo non videtur.* Respondeo Auctorem illum non asserere quòd hoc fiat virtute naturali, sed diuina, vt indicat, tum quia dicit fieri secundùm dispensationem Dei; tum etiam quia sentit id esse speciale de bonis Angelis respectu malorum; & hoc ipsum incertum est, & sola coniectura Doctoris illius fundatum.

6. Obiicies

6. Obiicies tertiò, quia teste Aristotele 3. de anima text. 4. Intus existens prohibet contrarium: ergo intellectus Angelicus sese, suamque substantiam intuens incapax erit cognitionis aliorum. Confirmatur: nam Angelus non potest simul multa cognoscere. Cùm ergo seipsum semper cognoscat, & necessariò contempletur, non poterit circa alios considerando occupari. Respondetur ad argumentum, obiectum cognoscibile existens in potentia cognoscitiua tunc impedire cognitionem aliarum rerum, quando est eius naturæ, vt determinari non possit per species aliorum cognoscibilium, sic in tactu, & olfactu qualitas intus existens prohibet sensationem similis, quoniam impedit alterationem, & mutationem accidentalem secundùm formam eiusdem naturæ, quę ad talem sensationem prærequiritur; Sic etiam etiam quia color est actus perspicui terminati per opacum; in perspicuo autem terminato per opacum non possunt recipi species visiuæ, fit, vt color existens in pupilla impediat visionem. Sic si humanus intellectus esset materialis, non esset capax specierum spiritualium, ac subinde non posset omnia cognoscere, quod intendit Aristoteles ibi. Quando tamen obiectum cognoscibile existens in potentia cognoscitiua talis est naturæ, vt possit determinari per species cognoscibilium, tunc non impedit aliorum cognitionem, vt lumen receptum in pupilla, quia reddit illam actu perspicuam, ac subinde susceptiuam specierum visibilium, non impedit visionem colorum. Similiter quia substantia spiritualis Angeli, vel animæ, & eo ipso quòd spiritualis est, determinari potest per species rerum intelligibilium, non impedit earum cognitionem, præsertim quæ sibi sunt affines, & eiusdem ordinis, vt dixit sanctus Thomas hic artic. 2. ad 1.

7. Ad confirmationem respondetur rationem illam æquè probare, nihil posse Angelum cognoscere; quod absurdissimum est. Itaque qui putarit cognitionem, qua semet Angelus cognoscit, esse adæquatam suæ virtuti, dicere debet indigere quidem Angelum cessatione talis actus, vt alios Angelos intelligat, posse tamen cessare, quia talis actio libera est. Qui verò sentiunt, esse cognitionem illam necessariam, dicunt non esse adæquatam virtuti intellectus Angelici, secundum quam poterit Angelus simul ad alia libere cognoscenda applicari, & sic cognoscere simul alios Angelos plures, vel pauciores iuxta perfectionem vniuscuiusque & proportionem intelligentis ad obiecta.

8. Quæres an Angelus semetipsum, & alios comprehendat? Prima sententia docet Angelum comprehendere seipsum, omnes item Angelos inferiores, & superiores. Sic Bannes in hac quæst. 56. art. 2. dubit. 2. & refert Victoriam, ac Scotum, consentit Molina ibi. Probatur primò ex sancto Thoma 2. contra Gent. cap. 98. dicente, *omnem substantiam intellectualem, quatenus talis est, esse totius entis comprehensiuam, non per solam suam substantiam, sed per speciem*, & infrà dicit has species debere plures ad esse comprehensionem totius entis & 1. part. quæst. 109. artic. 3. ad 3. ait inter Angelos non esse illuminationem in naturalibus: nam omnes à principio cognouerunt, quæ pertinent ad naturalem cognitionem: ergo quilibet Angelus in sententia sancti Thomæ per se se cognoscit omnia, quæ alius Angelus habet, siue sit inferior, siue superior, ac subinde comprehendit naturaliter illum?

Bannes. Molina.

9. Probatur secundò ratione quoad primam partem de comprehensione sui, quia secum habet Angelus omnimodam proportionem in ratione cognoscibilis, & cognoscitiui: ergo se totum quoad substantiam, potentias, & actus potest exactè cognoscere, quod est se comprehendere. Probatur tertiò de comprehensione inferiorum, quoniam Angeli habent proprias species inferiorum spirituum, & intelligendi lumen in suo ordine perfectum, ab omnique corporeo impedimento expeditum: ergo poterunt Angeli comprehendere alios inferiores. Confirmatur, quia verum est passio entis, ita vt quælibet res, ac subinde quilibet Angelus quantum habet de entitate, tantùm & non plus habeat de cognoscibilitate, paritérque quantum habet quisque de perfectione essentiali, tantum habet de perfectione intelligendi: ergo quilibet Angelus respectu sui habet vim cognoscitiuam adæquatam cognoscibilitati suæ, & respectu inferiorum etiam excedentem: ergo nihil obstate potest quominùs se, & inferiores valeat comprehendere.

10. Probatur quartò, quoad tertiam partem de comprehensione quoque superiorum: nam Angelus inferior cognoscit quidquid inest superiori naturaliter, & necessariò, scilicet totam substantiam, & potentias illius, & quidquid ab illo fieri potest, siquidem omnia hæc naturalia sunt, nec obiectum etiam proportionatum intellectus Angelici excedunt: ergo propriè, ac per se loquendo nihil est in Angelo superiore, quod inferiorem cognoscetem lateat: ergo comprehendit illum. Dices cum nonnullis, superiorem ab inferiori non cognosci, quantum cognoscibilis est: nam perfectius cognoscitur à seipso; ideóque non comprehendi, quia de ratione comprehensionis est, vt per illam cognoscatur res, quantum cognoscibilis est. Sed contrà, nam illa reduplicatiua *quantùm cognoscibilis est*, dupliciter accipi potest. Primò ex parte obiecti, seu rei cognitæ, quæ scilicet cognoscatur quoad omnia, quæ in illa, & ex illa per se sunt cognoscibilia; & sic Angelus inferior cognoscit vtique superiorem, quantum cognoscibilis est, siquidem cognoscit in illo quidquid inest formaliter, & virtualiter, nec ipsemet Angelus de seipso, nec superior de inferiori plura cognoscit: ergo ex hac parte nihil deest inferiori ad comprehensioné superioris. Secundò potest accipi ex parte cognoscétis, ita vt res cognoscatur, quantum cognoscibilis est, quando cognoscitur actu perfectissimo; quo potest cognosci: Hoc autem non est de ratione comprehensionis, alioqui nec Angelus comprehenderet seipsum, nec superior inferiorem, sed solus Deus omnes, quia solus Deus in hoc sensu cognoscit singulos Angelos quantum cognoscibiles sunt.

11. Secunda sententia conuenit cum prima quoad primam, & secundam partem, dissentit tamen quoad tertiam: fatetur enim Angelum comprehendere seipsum, & quoslibet inferiores propter argumenta suprà facta, negat tamen inferiorem posse comprehendere superiores. Ita Suarus l. 2. de Angelis cap. 31. videtur fauere sanctus Thomas quæst. 16. de Malo. a. 8. vbi ait inferiorem Angelum non posse species intelligibiles superioris

Angeli comprehendere, nec eas perfectè cognoscere, & quæstione de anima art. 18. ad 1. secundi ordinis dicit animam separatam non comprehendere Angelos, & planè intelligit nullum illorum posse comprehendere, subindeque nec infimum omnium, & sibi proximum: ergo eadem ratione nec Angelus infimus poterit proximè sibi superiorem comprehendere. Ratio quoque S. Thomæ hoc ipsum confirmat: ideò enim inferior non potest comprehendere species superioris, quia sunt vniuersaliores, & sicut excedunt capacitatem inferioris ad vtendum illis, ita etiam in ratione obiecti, cùm Angelus inferior non possit totam illarum repræsentationem distinctè comprehendere: ergo simili vel fortiori ratione non poterit Angelus inferior comprehendere substantiam vel essentiam superioris, quia non potest distinctè, ac exactè cognoscere modum intelligendi illius, nec omnes habitudines, & rationes eiusdem.

12. Præterea probatur, quia cognitio comprehensiua requirit adæquationem cum obiecto, & cum tota eius cognoscibilitate: sed cognitio Angeli inferioris non sic adæquat cognoscibilitatem superiorum: ergo non potest illos naturaliter comprehendere. Probatur minor, quia sicut Angelus ratione suæ naturæ intellectiuus est, ita quam est intelligibilis: ergo sicut maior perfectio naturæ Angelicæ facit, vt sit magis intellectiua, sic etiam facit, vt sit magis intelligibilis: Sed inferior Angelus non adæquat superiorem in vi cognoscitiua: ergo nec intellectus inferioris adæquat intelligibilitatem superioris: nam hæc seruant inter se proportionem: ergo nec poterit illum comprehendere.

13. Dicendum tamen est nullum Angelum superiorem, vel inferiorem posse seipsum, vel alios comprehendere actualiter, quantumuis inferiores sint. Ita de comprehensione aliorum censet Vasquez 1. part. disputat. 205. cap. 3. probat, quia comprehensio requirit, vt nihil rei cognitæ lateat cognoscentem. Nullus autem Angelorum quantumuis superior potest ita cognoscere inferiorem, vel animam nostram, vt nihil obiecti lateat cognoscentem, quia non potest scrutari secretas cordis cogitationes: ergo nulla creatura rationalis potest alias comprehendere. Respondet tamen Suarius ad comprehensionem pertinere non solùm cognoscere, quæ formaliter insunt, sed etiam quæ deduci possunt ex re tanquam ex causa, non tamen esse cognoscendum necessariò, an illa quæ deduci possunt, actu fiant, quando non deducuntur necessariò, sed satis esse cognoscere posse ab illa fieri, quod rectè cognoscit vnus Angelus de alio, quamuis actualem eius operationem liberam non videat.

Vasquez.

14. Ego quidem existimo comprehensionem exigere adæquationem cognitionis cum cognoscibilitate extensiua obiecti, ita vt nihil lateat cognoscentem, vt ostendi lib. 1. disp. 25. nec tamen propterea requiri cognitionem actuum liberorum, vt actualiter existentium, sed solum, vt possibilium, quoniam hoc modo, & non illo habent necessariam connexionem cum causa libera, & ab illa respiciuntur necessariò per habitudinem transcendentalem, quæ sit propria passio naturæ intellectualis. Nihilominus non posse Angelum actualiter seipsum comprehendere, sic ostendo. Vt Angelus comprehendat seipsum, debet cognoscere potentiam suam vt elicitiuam omnium actuum, quos potest per intellectum elicere, subindeque omnes illos actus, vt possibiles, qui sunt termini talis habitudinis transcendentalis: Sed non potest actu cognoscere omnes actus possibiles a se fieri; ergo non potest actualiter se comprehendere. Minor ostenditur, quoniam ex supradictis lib. 1. disput. 16. cap. 7. à num. 9. omnis cognitio supponit necessariò suum obiectum prius aliqua prioritate saltem rationis; quare nulla cognitio potest directè terminari ad seipsam, quia non potest supponere seipsam. Sed actus naturalis, quo se Angelus comprehenderet, deberet terminari ad seipsum, & esse cognitio directa suiipsius, siquidem deberet distinctè percipere cognitiones omnes possibiles ab Angelo fieri naturaliter, quarum vna est talis actus: ergo sicut nulla cognitio potest seipsam directè cognoscere, sic nulla potest comprehendere substantiam illam, cuius ipsa petit esse connaturalis effectus. Declaratur: nam ad comprehensionem Angeli requiritur cognitio totius collectionis effectuum possibilium connaturaliter ab Angelo produci; sed intra collectionem istam includitur quæuis Angeli cognitio terminata ad semetipsum: ergo nulla potest esse actualis comprehensio, nisi semetipsam directè ac distinctè percipiat, quod repugnat; alioquin eadem cognitio esset prior, & posterior seipsa.

15. Similiter ostenditur non posse Angelum comprehendere actualiter alium siue superiorem, siue inferiorem, nec aliam creaturam rationalem, quia non potest simul cognoscere collectionem omnium actuum possibilium ab ea fieri, quæ collectio est terminus adæquatus potentiæ cognoscitiuæ, seu potiùs intellectiuæ alterius: ergo non potest comprehendere actualiter aliam creaturam rationalem, cuius adæquatam potentiam intellectiuam, & relationem transcendentalem ad omnem collectionem suorum actuum possibilium percipere non valet. Antecedens probatur, nam quiuis Angelus superior, vel inferior efficere potest intellectionem reflexam supra quemlibet actum alterius Angeli: ergo nullus datur actus naturalis alicuius Angeli, quo reflexè cognoscantur omnes actus possibiles alterius Angeli; quippe si datur intellectio istiusmet cognitionis, iam ista cognosceret in illa collectione aliquam intellectionem sui, & consequenter cognosceret seipsam directè: nam qui cognoscit intellectionem aliquam, debet simul obiectum ipsius habere perspectum, cùm omnis cognitio sit relatio transcendentalis ad suum obiectum. Sed nulla cognitio potest directè cognoscere seipsam, vt diximus: ergo nec simul percipere collectionem omnium intellectionum possibilium alterius, ac subinde nec alteram creaturam rationalem actualiter comprehendere.

16. Habitualiter verò saltem Angelus superior comprehendit inferiorem, & vnusquisque seipsum, quatenùs habet potentiam, & species quoque necessarias ad cognoscendum sigillatim, & diuisim quidquid in alio Angelo cognoscibile est, & ad singulos alterius actus diuisiuè percipiendos, itè ad cognoscēdos suos actus successiuè reflectendo supra singulos, ità vt nullus sit, quem non possit per posteriorem reflexionē distinctè

per

percipere:nec enim potest etiam de potentia absoluta elicere aliquam intellectionem naturalem quoad substantiam, quæ sit determinatè vltima suarum possibilium, sed necessarium est, vt post quemlibet actum elicitum, adhuc possit efficere alium posteriorem,& reflexum suprà præcedentem, quamuis non possit simul omnes suos actus efficere. Sicut habet potentiam ad eliciendum amorem, & odium eiusdem obiecti diuisiuè,& pro diuerso tempore, non tamen simul.

17. An autem Angelus inferior habitualiter comprehendat superiorem? incerta res est: nam cùm Angelus superior vnico actu plura cognoscat, quæ non potest inferior vnica intellectione percipere, non poterit inferior quemlibet superioris actum etiam diuisiuè vnica cognitione distinctè penetrare (quod forsan aliquis censebit necessarium ad huiusmodi comprehensionem) sed sicut obiectum superioris intellectionis pluribus actibus attingit inferior, sic etiam diuersas illius intellectionis habitudines ad diuersa obiecta partialia diuersis cognitionibus exhauriet. Quòd si contendat quispiam, hoc ipsum sufficere ad comprehendendum habitualem; quia dum tota entitas, & perfectio superioris intellectionis dignoscatur ab inferiori, parùm videtur referre, quòd vnica, vel pluribus cognitionibus exhauriatur tota cognoscibilitas illarum habitudinum, non poterit facilè conuinci falsitatis.

18. Quapropter ad primum fundamentum primæ sententiæ respondeo sanctum Thomam illis locis locutum fuisse de comprehensione habituali, quam etiam videtur concedere inferioribus respectu superiorum, dum admittit fieri posse per plures species, & consequenter per plures actus; & quidem in illo cap. 98. non loquitur de comprehensione propriè dicta, sed de obiecto adæquato facultatis intellectiuæ, quod dicitur comprehendere sub se omne ens verum, & omnes differentias illius. In prima parte quæst. 109. magis insinuat prædictam sententiam. Ad secundum respondetur eo discursu probari, quòd Angelus comprehendat seipsum habitualiter, non autem actualiter propter rationem factam num. 14. Idemque respondetur ad tertium cum sua confirmatione: licèt enim possit Angelus cæteros inferiores, vel etiam æquales possibiles comprehendere habitualiter, obstat tamen actuali comprehensioni ratio suprà facta num. 15. Ad tertium fatemur ad propriam rationem comprehensionis sufficere quòd res cognoscatur, quantum cognoscibilis est extensiuè, vel ex parte obiecti; tamen inde fit ad summum, Angelum superiorem comprehendi posse habitualiter ab inferiori, quod diximus esse probabile; non tamen actualiter, quia licèt obiectum sit proportionatum, non potest cognitio directè cognoscere seipsam.

19. Argumenta secundæ sententiæ conuincunt Angelum inferiorem non posse vnico actu species vniuersales superiorum, nec illarum intellectiones distinctè percipere, nedum perfectè comprehendere; reddunt etiam probabilem eam opinionem, quæ docet, nec habitualiter posse superiorem Angelum ab inferiori comprehendi. Quia tamen oppositum est forsan probabilius, respondetur ad primum, sanctum Thomam ibi loqui vel de comprehensione actuali, vel de habituali, qua per vnicum actum cognoscatur distinctè species impressa, vel expressa quælibet superioris, nec amplius probat illa ratio: superant enim species superiorum capacitatem vnicæ cognitionis inferiorum, non tamen sic excedunt, vt non possit inferior pluribus actibus vnicam cognitionem superioris distinctè percipere, ac illius cognoscibilitatem adæquare. Per quod patet ad vltimam probationem.

CAPVT III.

Vtrùm Angelus naturaliter cognoscat secreta cordis.

1. AD obiectum immateriale cognitionis Angelicæ videntur pertinere secreta cordis, siue cogitationes internæ, quare licèt sanctus Thomas de his egerit quæst. 57. artic. 4. huc censui transferendas; nomine verò secretorum, seu cogitationum cordis intelligunt communiter Doctores operationes partis rationalis, quatenùs libera est formaliter, & radicaliter. Itaque non est dubium de parte sensitiua, siue quoad internum sensum, siue phantasiam, vel cogitatiuam, siue quoad appetitum sensitiuum: nam harum facultatum actus interni, cùm sint materiales, & necessarij, prout à suis potentiis eliciuntur, naturali Angelorum virtute cognoscuntur intuitiuè quoad totam ipsorum entitatem vel emanationem à potentiis propriis, licèt non quoad eas proprietates morales, quas per respectum, vel denominationem ab actibus voluntatis liberis habere possunt: nam quoad hoc sine ipsis actibus liberis non cognoscuntur. Sic docent communiter Theologi cum sancto Thoma suprà, & cum Augustino 12. August. de Trinitate cap. 17.

2. In operationibus autem partis rationalis distinguuntur actus intellectus, qui non sunt liberi formaliter, sed vel radicaliter quatenùs proponunt obiectum cum indifferentia, vel per denominationem extrinsecam ab actu voluntatis, per quem imperatur. Dantur etiam actus voluntatis, quorum quidam sunt formaliter liberi, quidam verò necessarij; quæ omnes actus tam in hominibus, quàm in Angelis inueniuntur, & in vtrisque habent eandem difficultatem in ratione obiecti cognoscibilis; ideoque de omnibus procedit quæstio: nam Scripturæ testimonia, quæ de hominibus tantùm sæpè loquuntur, ad Angelos indifferenter extendunt Patres.

3. Conueniunt item Doctores in prima conclusione, quam S.Thomas statuit ea quæst. 57. art. 4. scilicet non solùm Angelos, sed etiam homines posse per effectus cognoscere alienas cogitationes cordis; aliquando quidem certò,(vt notauit Durandus in 2. dist. 8. quæst. 5.) Durand. quando nimirum effectus sunt tales, vt ex eis certò colligantur cogitationes, & affectus cordis: nam si Angelus, vel homo conspiciant alium hominem nullo impellente currere, certò colliget eum velle currere; aliquando verò solùm probabiliter, quando scilicet coniectura solum est indicium probabile, quo pacto ex vultu, pulsu, aliisque motibus, aut indiciis intelligitur sæpè

cogitatio, vel affectus cordis tantoque plures cogitationes, & affectus intelliguntur ab Angelis, quam à nobis, eoque meliùs, & subtiliùs quo plures & occultiores effectus cognoscunt, cum profundiori penetratione certiorique illatione, per quam meliùs coniiciunt cordis affectus, & Matth. 15. sensum. Sic docuit Hieronymus in id Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes.* Vbi ait. *Non debemus opinari Dæmonem occulta cordis rimari, sed ex corporis habitu, & gestibus æstimare quid versemus intrinsecus.* August. Sic etiam Augustinus lib. 12. de Genes. ad litteram c. 7. & lib. de diuinatione Dæmonum cap. 5. Nec assertionem istam retractauit quoad substantiam illius, sed quoad specialem modum obiter insertum, vt S. Thomas suprà notauit: potiùs enim rem ipsam confirmat lib. 2. retract. c. 5. dicens *peruenire ista ad notitiam Dæmonum per nonnulla etiam experimenta compertum est.* Sed quia priori loco dixerat, ex cogitationibus interdum resultare in corpore cogitantis quædam signa nota Dæmonibus, & nobis occulta, hoc solùm retractat non tanquam falsum, sed tanquam *audacius dictum, eo quòd occultum, & sciri ab hominibus nequeat: si enim nos talia signa latent omninò, vnde scire possumus in reipsa dari & Angelis esse nota?*

4. Restat igitur controuersia, vtrùm Angeli suis viribus naturalibus immediatè possint intueri cogitationes, & volitiones nostras, & aliorum Angelorum, sicut immediatè possunt intueri substantiam animæ nostræ, & aliorum Angelorum? In qua Durand. sit prima sententia Durandi in 2. distinct. 3. quæst. 7. num. 18. & quæst. 8. num. 6. dicentis, Angelum etsi non videat actus voluntatis futuros, videre tamen illos statim ac existunt; sed distinct. 8. quæst. 5. post longam discussionem rem indecisam relinquit, tanquam dubiam, & vtrinque probabilem; absolutè verò cogitationes cordis naturaliter ab Fr. Fr. à Chr. Angelis cognosci docuit Fr. Franciscus à Christo Ægid. Lusit. in 2. distinct. 9. relatus ab Ægidio Lusit. lib. 11. de Beatitudine quæst. 8. art. 3. num. 105. De possi- Scotus. bili consentit Scotus in 2. dist. 9. quæst. 2. ad primum 2. opinionis dicens, Angelum posse virtute naturali cognoscere secreta cordium; de facto verò nihil asserit; at in 4. distinct. 10. quæst. 8. art. 3. absolutè docet Dæmones non cognoscere hos actus, quia non permittuntur, tacens de bonis Angelis, & duriùs loquitur in 4. dist. 45. quæst. 4. ad 2. Fundamentum est, quia cogitationes, & affectus cordis sunt entia quædam naturalia, non aliter quam substantia ipsius Angeli, imò multò inferioris rationis: ergo nihil obstat, quominùs ab vnoquoque Angelo, qui substantiam alterius intuetur perfectè, possint certissimè cognosci, quamuis non manifestentur.

5. Declaratur hæc ratio: nam vnus Angelus ex se naturaliter est capax specierum repræsentantium cogitationes, & affectus quoslibet creatos, siquidem est capax cognoscendi tales actus, tum vt possibiles antequam fiant, tum etiam postquam existunt saltem, per locutionem, & manifestationem cogitantis: ergo sicut omnium aliarum rerum naturalium ad hunc ordinem vniuersi pertinentium, sic etiam istorum actuum alienorum recipit initio creationis species infusas à Deo: ergo per illas poterit cognoscere hos actus statim ac fiunt sine dependentia ab illius consensu, cuius sunt, siquidem per species rei possibilis singularis videri potest eadem res ab Angelo intuitiuè eo ipso quòd talis res existat: ergo cum Angelus habeat speciem actus consensus liberi, saltem vt possibilis eo ipso quòd fiat talis actus, poterit Angelus illam intueri.

6. Hanc sententiam erroneam appellat Suarius Suarez. lib. 2. de Angelis cap. 22. num. 1. Patribus, & Scri- Vasquez. pturæ contrariam dicit Vasquius 1. part. disput. 209. num. 2. docet enim Scriptura proprium esse Dei solius cogitationes, & arcana cordis intueri 1. Cor. 2. 1. Cor. 2. dicit Paulus. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* quod maximè dicitur propter occultos animi sensus, & affectus, ideò cap. 14. ait. *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota conuincitur ab omnibus diiudicatur ab omnibus; occulta enim cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians, & quod verè Deus in vobis sit,* quam asseuerationem ita refert Apostolus, vt etiam approbet, & prophetiæ necessitatem ad huiusmodi cognitionem commendet: occulta ergo cordis reuelare ad donum prophetiæ pertinere censendum est; ideoque proprium esse solius Dei sua connaturali scientia cognoscere secreta cordium. Quare solus Deus dicitur posse corda ho- 3. Reg. 8. minum scrutari 3. Reg. 8. *Tu solus nosti corda om-* 2. Paralip. 6. *nium filiorum hominum.* 2. Paralip. 6. *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum.* Idem sensus habetur 1. Paral. 28. licèt exclusiua non addatur expressè 1. Paralip. 28. *Omnia corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit:* id enim quasi proprium Psalm. 7. & speciale tribuitur Deo. Similiter Psal. 7. *Scru-* Psal. 43. *tans corda, &* *renes Deus* Psal. 43. *Ipse nouit abscon-* Ierem. 9. *dita cordis,* Ierem. 9. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? ego Dominus scru-* Sap. 1. *tans cor.* Vbi Hieronymus, *Hinc discimus quod* Act. 1. *nullus cogitationum secreta cognoscit, nisi solus* Roman. 8. *Deus.* Similia habentur Sap. 1. Act. 1. Roman. 8. Hebr. 4. Hebr. 4.

7. Respondet Durandus proprium esse Dei, vt prænoscat cogitationes cordis non solùm præsentes, seu etiam futuras, & hoc intendere prædicta testimonia. Sed contra quia Paulus apertè loquitur de cogitationibus præsentibus, vt constat ex comparatione, quam capite illo 2. facit; ipse enim homo non cognoscit suos liberos actus, nisi postquam iam eliciti sunt, & nihilominus ipsos dicit non cognosci ab alio, nisi à Deo; & in cap. 14. de secretis etiam præsentibus fit sermo, sicut etiam 2. Paralip. 6. 2. Paralip. 6. & 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ pa-* 1. Reg. 16. *rent, Deus autem intuetur cor,* & Act. 1. *Tu Domine, qui corda nosti omnium,* & Ioan. 21. dixit Petrus ad Ioan. 21. Iesum. *Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te.* Vbi palam agitur de præsentibus actibus, & licèt non addatur exclusiua, satis significatur neminem posse cogitationem, vel affectum internum intueri nisi Deum, qui nouit omnia.

8. Addi possunt illa testimonia, quibus Euangelistæ tanquam certum diuinitatis signum referunt Christum cognouisse cogitationes internas exi- Matth. 9. stentes actu Matth. 9. *Cum vidisset Iesus cogitationes eorum,* & cap. 12. *Iesus autem vt vidit cogitationes eorum.* Ex quibus verbis sic argumentatur Ierem. 17. Hieronymus Ierem. 17. *Iesus videt cogitationes, & nullus potest internas cogitationes videre, nisi solus Deus, ergo Christus est Deus.* Quod argumentum efficax est supposita doctrina, qua Christus docebat se Deum esse: nam alioquin etiam homo sanctus, vel Angelus per diuinam reuelationem potest secreta cordium cognoscere: Sed pro nunc satis inde colligitur, solùm Deum posse sua connaturali virtute cognoscere cogitationes, & affectiones

nes internas. Quo pacto capiunt prædicta testimonia probantes ex illis Christi diuinitatem (Hieronym. Ambros. Chrysost. Theophy. Druthmar.) Hieronymus, Matth. 9. & 12. Ambrosius, Luc. 5. & 1. Cor. 2. Chrysostomus homilia 30. & 42. in Matth. Thophylactus eisdem locis, Christianus Druthmarus ibidem ait. *Ad cogitationes eorum respondit Dominus, quasi diceret, si legistis, quia nullus potest peccata dimittere, nisi solus Deus, similiter legistis, quia nullus potest hominum cogitationes scire, nisi solus Deus.* Idem ferè dicit Chrysologus serm. 50. (Chrysol.)

9. Confirmatur consensu Patrum, qui eodem modo loquuntur, hi sunt (Athanas. Chrysost. Cyrillus. Basilius. August. Cassian. Gennadius.) Athanasius in quæst. 27. ad Antiochum, Chrysostomus homilia 25. in Ioan. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 19. & lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 5. Basilius lib. 3. contra Eunominm, Augostinus tract. 31. in Ioan. & Psal 7. 41. & 141. & lib. 10. confess. cap. 2. Cassianus collat. 7. cap. 13. Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 81. dixit, *Internas animi cogitationes Diabolum non videre certi sumus.* Notandum est hos Patres sæpè loqui in particulari de cordibus hominum, eadem tamen ratio est de actibus Angelorum secretis, cùm nihil in hominibus reperiatur suadens occultationem, quòd non pariter militet in Angelis, sed loquuntur Patres, & Scriptura frequentiùs de hominibus, quoniam humanos mores volebant instruere.

10. Secunda sententia est eorum, qui volunt cogitationes cordium videri naturaliter ab Angelis, quoad earum entitatem, non tamen quoad determinationem. (Ægid. Rom.) Sic Ægidius Roman. in tract. de cognitione Angelorum quæst. 11. & in 2. dist. 7. q. 2. art. 2. & 3. dicit, vnum Angelum cognoscere de alio quid cogitet in generali, quia cognoscit qua specie vtatur, non tamen in particulari, an cogitet assentiendo vel dissentiendo, & similia, quia per eandem speciem potest diuersis modis fieri cogitatio, qui modi non apparent in solo vsu speciei, cùm non faciant nouam mutationem in intellectu. (Argent.) Consentit Argentinas ibi, & quæst. 1. art. 2. fine, pariter affirmans Angelum posse videre affectus voluntatis alienæ quando sunt, non tamen posse cognoscere quales sint, id est, an sint amor, vel odium; complacentia, vel displicentia; fuga vel prosecutio. (Heruæus.) Heruæus in 2. dist. 8 quæst. 3. censet cogitationes cordis ab Angelis posse cognosci quoad substantiam, & obiectum earum. Verùm etiam sint affirmatio, vel negatio, prosecutio, vel fuga, solumque ab Angelo discerni non posse, circa quod obiectum cogitatio, & volitio aliena feratur intensiùs. (Henricus.) Henricus quodlibeto 3. quæst. 13. vult cogitationes mentis esse solùm occultas quoad intentionem, ex qua habentur: nam omnes actus intellectus, & volitiones etiam liberas putat ab Angelo cognosci quid sint, & quomodo tendant in obiectum per modum prosecutionis, aut fugæ; latere tamen ad quem finem illos dirigat eliciens: nam hoc, ait, esse secretum Deo reseruatum, quod vocat mentis intentionem, & virtutem internam. Fundamentum horum omnium est, quia sic putant ex vna parte satisfieri Scripturæ testimoniis, dum aliquid assignatur in cogitationibus istis, quòd soli Deo manifestum sit, & ex alia parte substantia illarum, vtpotè naturalis relinquitur intra obiectum proportionatum Angeli.

11. Hæc etiam sententia omninò reiicienda est. Primò, quia sine sufficienti fundamento tot Scripturæ, ac Patrum testimonia limitare conatur, quasi solùm dicatur in illis, Deo soli notos esse actus internos quoad intensionem, vel intentionem eorum, vel quoad rationem assensus, vel dissensus, prosequutionis, vel fugæ, cùm ferè omnes Patres citati de ipsis actibus, seu cogitationibus cordis simpliciter, & absolutè loquantur, & soli Deo cognitionem earum reseruari testentur. Et certè Christus non reuelabat in quo gradu intentionis, vel qua intentione, aut modo Iudæi hoc vel illud cogitabant, & proponebant, sed absolutè cogitationes ipsorum se nosse monstrabat, & inde suam diuinitatem ostendebat, vt colligunt Doctores sacri; quo pacto reliqua testimonia possunt facilè contra sententiam istam indui.

Secundò, quoniam affirmatio, & negatio in actibus intellectus; prosequutio, & fuga in volitionibus sunt differentiæ intrinsecæ, & in opinione probabiliori essentiales; Intentio quoque realiter identificatur cum actu intenso; item intentio voluntatis aliquid est positiuum actualiter afficiens voluntatem tanquam actus liber elicitus ab illa: ergo si videt Angelus internos actus alterius intuitiuè, videbit vtique intensionem, & intentionem, rationem assensus, vel dissensus, prosecutionis vel fugæ. Probatur consequentia, quia visio intuitiua Angelica terminatur ad rem singularem, vt est in se secundùm omnem suam entitatem, cùm sit perfecta singularium intuitio: ergo si semel cognoscat substantiam actus, videbit vtique an affirmet, vel neget, prosequatur, vel fugiat, tali intensione ac intentione. Tertiò, quia nullam possent reddere rationem isti Doctores, cur lateat Angelum ratio affirmationis, vel negationis, prosequutionis vel fugæ, intensio, vel intentio potiùs quam ipsamet substantia cogitationis, aut volitionis, siquidem non est magis naturalis hæc quàm illa. Quare vel vtramque deberent Angelicæ cognitioni connaturaliter subiicere; vel si hoc non audent, & aliquid illi denegant propter solam auctoritatem Scripturarum, & Patrum, denegent etiam eidem substantiam ipsorum actuum, siquidem non minùs eadem auctoritate coguntur sic simpliciter subducere totum actum alienis obtutibus. 12.

Tertia sententia distinguit inter actus intellectus, & voluntatis; hos fatetur esse prorsùs occultos, illos verò quoad totam entitatem intrinsecam videri naturaliter ab Angelis, solumque latere quoad denominationes illis prouenientes ab actibus voluntatis. Hanc refert Durandus in 2. distinct. 8. quæst. 5. num. 8. tenuitque P. Alphonsus Deza relatus a Vasquio 1. part. disp. 210. cap. 2. qui probabilem eam reputat, & probat primò, quia nulla videtur esse differentia inter cogitationes cordis, quæ sunt liberæ extrinsecè ab imperio voluntatis mouentis, & cogitationes sensuum, aut motum localem progressiuum hominis; sed cogitationes imaginatiuæ, vel æstimatiuæ in homine motusque locales cuilibet Angelo innotescunt, etiamsi volitio, qua imperantur maneat occulta: ergo idem dicendum est de cogitationibus intellectus. 13. (Durand. Alphon. Deza.)

Probatur secundò, quia cùm vix possit aliquid circa hoc ratione philosophica probari, sed magis Patrum, & Scripturæ testimoniis standum sit, illud videtur asserendum, quòd prædictis auctoritatibus satisfaciat: Sed per hunc modum dicendi sufficienter saluantur illa testimonia: ergo tenendus erit. Minor ostenditur, quia cùm Patres, 14.

& Scriptura dicunt, non cognosci nostras cogi-
tationes a creatura, etiam Angelica, loquuntur
de cogitationibus cordis; cogitatio verò cordis
iuxta phrasim Scripturæ significat actum intelle-
ctus cum affectu, quia cor, non sola cogitatio,
sed coniuncta cum affectu voluntatis nomina-
tur, quod ex aliis Scripturæ locis colligitur, in
quibus nomine cordis maximè significatur affe-
Prou. 8. ctus, vt Prouerb. 8. *Omni custodia custodi cor*
Eccl. 8. & 21. *tuum.* Ecclesiast. 8. *Non omni homini cor tuum ma-*
nifestes. & cap. 21. *Cor fatui quasi vas confractum,*
& omnem sapientiam non tenebit. Sic ergo in locis
suprà relatis num. 6 & 8. cogitationes cordis di-
cuntur quatenùs ad affectum aliquo modo perti-
Matth. 9. nent, v.g. Matth 9. cùm dixit Christus. *Vt quid*
cogitatis mala in cordibus vestris, cogitare mala
idem est, quod mala intentione cogitare; sicut
Cap. 15. etiam cap. 15. *de corde exeunt cogitationes prauæ,*
id est, quæ ex prauo affectu proficiscuntur, &
Luc. 1. Luc. 1. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitatio-*
nes, id est, quales sint & ex quibus affectibus
Act. 8. procedant. Act. 8. *Si fortè remittatur tibi hæc cogi-*
tatio cordis tui. Vbi sub nomine cogitationis in-
uoluitur affectus.

15. Hæc sententia non omni caret probabilitate;
sed adhuc impugnatur ex testimoniis Scripturæ
& Patrum suprà relatis, vbi notanda sunt in pri-
mis, quæ distinctè de vtrisque actibus loquuntur
1. Paral. 28. 1. Paralip. 28. *Omnia corda scrutatur Dominus, &*
Hebr. 4. *vniuersas mentium cogitationes intelligit*, ad Heb. 4.
Verbum diuinum dicitur discretor cogitationum,
& intentionum cordis: ergo quoad cognitionem
intuitiuam in seipsis tam actus intellectus quàm
voluntatis soli Deo reseruantur. Præterea cùm
Christo tribuitur in Euangelio quòd cogitatio-
nes cordis agnoscat, non solùm censetur fuisse
diuinitatis signum, quòd cognosceret, qua in-
tentione, vel affectione cogitarent, sed quòd co-
gnosceret, quid cogitarent. Sic enim dicitur
Matth. 9. Matth. 9. Scribas dixisse inter se, *hic blasphemat,*
quæ verba iudicium mentis significant, & sub-
ditur, *Cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit*
Vt quid cogitatis mala? Non quidem dixit, vt
quid cogitatis malè, scilicet, mala intentione,
sed vt quid cogitatis mala, id est, rem iniquam
iudicando, & credendo; & cap. 12. cùm Pharisæi
iudicarent interius Christum in Beelzebub eie-
cisse Dæmonium, ait Euangelista. *Sciens Iesus*
cogitationes eorum dixit eis, omne regnum in se
diuisum desolabitur. Vbi non arguit Christus, vt
illos conuincat de mala intentione, sed de iudi-
cio temerario. Cùm ergo dicit Euangelista. *Sciens*
Iesus cogitationes, præcipuè tribuit ipsi, vt singu-
lare quod sciret, quid cogitarent, & iudicarent.
Vnde colligunt Patres ostendisse Christum se
Deum esse: ergo sentiunt etiam cogitationes in-
Hieronym. tellectus soli Deo reseruari. Atque ita Hierony-
mus ibi ait. *Dominus non ad dicta, sed ad cogita-*
ta respondet, vt vel sic compellerentur credere. Et
Damasc. Damascenus lib. 1. de fide cap. 3. non solùm dicit
Angelos vti locutione ad manifestandos suos
affectus, & intentiones, sed etiam ad consilia, &
cogitationes communicandas.

16. Præterea licèt Scriptura, & Patres sæpiùs lo-
quantur de secretis cordium, notandum est cogi-
tationes propriè solum actum intellectus signifi-
care, nomine verò cordis non solam voluntatem,
sed etiam intellectum denotari: nam de intelle-
3. Reg. 3. ctu loquebatur Salomon cùm orabat 3. Reg. 3.
Dabis seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudi-
care possit, & discernere inter bonum, & malum.
His enim verbis sapientiam postulauit, vt Domi-
nus statim asseruit, sapientia verò pertinet ad in-
tellectum. Idem sumitur ex Ierem. 5. *Audi popule* Ierem. 5.
stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non
videtis. Sæpiùs etiam cor significat totam inter-
nam mentem, vt intellectum, & voluntatem
includit, sic Paulus ait Rom. 10. *Corde creditur ad* Rom. 10.
iustitiam, & Christus Luc. 24. *Quid timidi estis,* Luc. 24.
& cogitationes ascendunt in corda vestra, quod
intelligendum est de cogitationibus propriè di-
ctis, quæ fiunt in mente sollicita & vacillante, li-
cèt affectus, & intentio sit eadem, & nihilomi-
nus illis etiam verbis Christus se Deum ostendit,
vt ibi notant Theophylactus, & Maldonatus. Si- Theophyl.
militer Scriptura dicit solùm Deum scrutari cor, Maldonat.
rectè de tota mente scilicet intellectu, & volun-
tate capitur, sicque videtur exponere Augusti- August.
nus id Psalmi 7. *Scrutans corda, & renes Deus*
dicens cogitationes nomine cordis significata sunt,
& delectationes nomine renum intelliguntur, simi-
liaque habet enarratione 2. in Psal. 25. Igitur cum
cogitationes cordis dicuntur occultæ, non est
restringendum ad actus voluntatis, & denomi-
nationes ab illis profectas, sed absolutè de inter-
nis mentis actibus tam intellectus, quam volun-
tatis capiendum.

CAPVT IV.

Ratione stabilitur vera sententia.

EGimus hucusque auctoritate, iam fulcia- 1.
mus ratione nostrā sententiam, quā claritā-
tis gratia nonnullis conclusionibus cōplectemur.
Dico primò; Angelus non potest naturaliter alie-
num actum liberū creatæ voluntatis in se certo, ac
euidenter cognoscere, vel intueri, nisi ab haben-
te talem liberum affectum alteri manifestetur. Ita
docent S. Thomas 1. part. quæst. 57. art. 4. de malo S. Thom.
quæst. 16. art. 8. de veritate quæst. 8. art. 13. & 3. Capreolus.
contra Gent. cap. 154. Capreolus in 2. distinct. 8. Hispalens.
quæst. 1. Hispalensis ibi quæst. 1. Bonauentura Bonauent.
art. 4. quæst. 6. Richardus art. 2. quæst. 4. Palatius Richard.
ibi quæst. 1. Albertus artic. 10. Ferrara 3. contra Palatius.
Gent. cap. 154. Alensis 2. part. quæst. 16. memb. 3. Albert.
Marsilius in 2. quæst. 6. artic. 2. Gregorius in 2. Ferrara.
dist. 9. quæst. 1. Angles in 2. distinct. 3. quæst. 4. Alensis.
difficult. 11. Caietanus 1. part. quæst. 57. artic. 4. Marsilius.
Cumelis ibi quæst. 1. Bannes dub. 1. Molina ibi- Gregorius.
dem, Vasquez 1. part. disp. 209. Ægidius Lusita- Angles.
nus lib. 11. de Beatitudine quæst. 8. ar. .num. 109. Caietan.
Suarius lib. 2. de Angelis cap. 21. Albertinus to. 1. Cumel.
principio 1. corollar. 10. Bannes. Molina. Vasquez. Ægid. Lusit. Suarius. Albert.
Probatur ex Scripturis, & Patribus cap. 3. ad-
ductis, vnde conclusionem esse de fide certam 2.
existimat Suarius suprà num. 3. Rationem verò Suarez.
huius conclusionis diuersi tradunt diuersam. Pri- Ochamus.
ma sit Scoti in 2. dist. 9. quæst. 2. & in 4. dist. 10. Gabriel.
quæst. 8. art. 3. ad 3. Ochami quoque in 2. q. 20. Bassolis.
& quodlibet. 4. quæst. 13. Gabrielis in 2. dist. 9. Maior.
quæst. 2. art. 2. Bassolis ibi q. 2. Licheti quæst. 1.
Maioris quæst. 3. dicentium, ideò Angelos nescire
secreta cordium, quia Deus non vult cum illis
concurrere ad talem cognitionem; alioquin pu-
tant posse connaturaliter ab Angelis alienas co-
gitationes cognosci. Hoc tamen parùm videtur
consentaneum Scripturæ, & Patribus, qui soli
Deo tribuunt istorum secretorum cognitionem,
non

non quidem quia ſolus Deus de facto illa cognoſcat: nam Angeli beati pleraque cognoſcunt iſtorum, vel in verbo, vel per reuelationem: ergo quia ſolus Deus natiua poteſtate poteſt hæc ſecreta calicre. Reſpondet Scotus dupliciter. Primò, propriom eſſe Dei hæc cognoſcere, quatenus Iudex eſt vniuerſalis occultorum, quo pacto nequeunt Angeli ſecreta cognoſcere. Secondò, Deum perfectè, & vniuerſaliter iſta cognoſcere ita vt à nemine poſſit impediri, quod non habent Angeli, ſed neutrum ſatisfacit; non primum, nam extrinſecum nimis eſt ad vim cognitionis, aut ſcientiæ, quòd cum illa coniungatur munus iudicis, nec Scriptura exaggerans in hoc ſingularem Dei ſcientiam, intendit munus iudicis commendare, ſed vim cognoſcendi diuinam; & Chriſtus reuelando cordium occulta monſtrabat ſe Deum, non quia ſe iudicem vniuerſalem oſtenderet: hoc enim erat alterius negotij, ſed præciſè ea ſingularitate cognitionis penetrantis intima cordis, vt ſancti colligunt. Nec item ſecundum; nam illo modo etiam cognoſcere formicam eſt proprium Dei, qui ſolus infinitè cognoſcit, & non poteſt impediri, ſiquidem Angelus etiam à cognitione impediretur Deo denegante concurſum. Quis autem dicat ſolum Deum cognoſcere formicam, quia ſolus cognoſcit ſine concurſu alterius, vel infinito modo? Significant ergo Scripturæ & Patres ob infinitam Dei perfectionem ipſi eſſe ſingolare ſecreta cognoſcere, ac è conuerſo ea imperfectione creaturarum emanare, quòd non poſſint naturaliter noſſe cordis arcana.

3. Demùm alienum eſt à diuina prouidentia ordinaria & naturali non ſinere creaturam ſuos naturales motus agere, vel concurſum naturæ debitum omnibus ſpeciebus & indiuiduis, ad aliquam connaturalem actionem denegare ſemper, fuiſſetque valdè ſuperfluum dare Angelis internam poteſtatem integram ad hæc occulta cordis cognoſcenda, & concurſum generalem tali principio, & operationi debitum denegare. Cui oppugnationi conatur reſpondere Maior multis exemplis in contrarium adductis, ſed nullum eſt ſimile: contingit enim agentia naturalia nonnonquam impediri, vel à contrariis, vel ab aliis circumſtantiis ne producant ſuos effectos. Dæmones etiam ſæpiſſimè non permitti à Deo totam poteſtatem, quam habent exercere, quia turbarent omnia; interdum quoque Deus impediuit actionem cauſarum ſecondarum denegando concurſum ſuum. Ceterùm nonquam per ſolam denegationem concurſus impediuit in tota ſpecie, ac in omnibus eius indiuiduis vſum poteſtatis naturalis, & quando id facit in caſu raro miracoloſum reputatur. Angelos autem non cognoſcere ſecreta cordis non eſt miraculoſum, nec præternaturale, ſed eſt naturalis conditio eorum, quantum ea Scriptura colligi poteſt.

4. Secunda ratio ſit Richardi in 2. diſt. 8. artic. 2. quæſt. 4. in prima ratione ſua, Molinæ 1. par. quæſt. 57. art. 4. & Suarij ſuprà cap. 23. num. 17. recurrentium ad defectum ſpecierum intentionalium, quas dicunt Angelis non infundi repræſentatiuas actuum liberorum alterius, ſed ab ipſis actibus liberis liberè concurrentibus deſumendas eſſe; ideoque non poſſe cogitationes alienas ab Angelo cognoſci donec ipſi per locutionem, vel alio modo manifeſtentur. Sed contra rationem iſtam obſtant duo. Primum eſt inde ſequi non

Richard.
Molina.
Suarez.

poſſe cognoſci ab Angelo alienos actus liberos diſtinctè in particulari, etiam vt poſſibiles, quod admittit Suarius cap. 24. & videtur multum derogari perfectioni cognitionis Angelicæ. Secundum eſt, quod actus liber dum manifeſtatur, debeat producere ſpeciem ſui agendo ſæpè in diſtans, quin agat in proximom, quod certè repugnat bonæ Philoſophiæ. Alia vrget Vaſquez 1. part. diſp. 209. cap. 5. Vaſquez.

Tertia ratio communis S. Thomæ; & aliorum ſumitur ex parte obiecti, quod dicitur eſſe natura ſua improportionatum intellectui naturali cuiuſlibet creaturæ diſtinctæ, quoad cognitionem independentem à manifeſtatione ipſius elicientis talem actum. Rationes autem huius improportionis plures afferuntur, quas refellunt Vaſquius ſuprà, & Suarius cap. 23. Nobis illa placet, quam indicat S. Thomas 1. part. quæſt. 57. art. 4. & ſequuntur Caietanus ibi, Bannes, Cumel, & Valentia, poſſumoſque priùs explicare moraliter, vt inde phyſicè quoque concludamus. Itaque ratio moralis hæc eſt. Natura intellectualis ſiue Angelica, ſiue humana habet modum eſſendi politicum: ergo connaturaliter exigit habere ſuos actus liberos occultos, non manifeſtabiles, niſi ad libitum elicientis illos. Antecedens patet experientia. Conſequentia probatur, quia modus eſſendi politicus naturæ intellectualis requirit ſocialem conuictum, & mutuam communicationem cogitationum, & affectionum internarum per locutionem mutuam: ergo requirit quod non aliter manifeſtentur ſecreta cordis, alioqui ceſſaret conuictus, & politia: ergo non poteſt Angelus cognoſcere liberos actus alterius niſi per manifeſtationem elicientis. 5.

Vaſquius.
S. Thom.

Confirmatur, & declaratur: nam Angelus in his actibus liberis non ſolùm ſe gerit vt agens naturale, ſeu phyſicum, ſed potiſſimum vt agens morale, quare non dantor ipſi ſpecies talium actuum, niſi accommodatæ, & proportionatæ ordini morali. Sed ad rectum ordinem moralem non fuiſſet conueniens, vt omnis creatura intellectualis haberet ſpecies repræſentatiuas actuum alienorum independenter ab elicientis conſenſu. Sic enim omnes actus liberi ſingulorum ceteris omnibus innoteſcerēt, quod eſt contra bonum ordinem multitudinis, & ſocietatis perſonarum intellectualium: nam inde orirentur odia, contentiones, ac ſimilia, & ſpecialiter Dæmones acriùs poſſent in homines ſæuire, ſi eorum affectus intimè cognoſcerent: ergo natura intellectualis ſolùm poſtulat ſpecies innatas repræſentatiuas alienorum actuum dependenter ab elicientis conſenſu libero, tanquam à conditione, ſicut exiſtentiam effectus contingentis non repræſentant, donec ſe vera talis effectus exiſtat. 6.

Igitur eo ipſo quòd Deus dedit voluntati rationali liberum arbitrium, ac poteſtatem, ſeu dominium ſuorum actuum, vt poſſit vel elicere, vel non elicere, vel variare pro libito, conſequens erat, vt daret etiam poteſtatem celandi eoſdem, aut manifeſtandi pro libito. Quod innuit S. Thomas dicto art. 4. dum ait voluntatem rationalem creatam ſoli Deo ſubiacere, à quo accepit liberam ſui poteſtatem, & ſic illi celare ſe non poſſe, ceteris autem, qui nullam habent in eam poteſtatem naturalem, poſſe. In idem recidit quod ea præſtantia mentis humanæ contendit hic probare Valentia to. 1. diſp. 4. quæſt. 8. puoct. 7.

S.Thom.
Valentia.

punct.4.vbi rectè addit,non esse putandum Angelum non habere ab initio naturaliter inditas species repræsentatiuas affectuum alienorum;sed existimandum esse, manifestationem earum esse conditionem requisitam, vt Angelus vti possit eiusmodi speciebus, & per illas actualiter percipere cogitationes existentes; quemadmodum coëxistentia præsens, vel præterita est conditio requisita, vt Angelus possit vti speciebus ab initio infusis ad cognoscenda singularia contingentia, prout coëxistentia tali durationi.

8. Hinc sumitur ratio physica;quòd scilicet actus liberi sunt altioris cuiusdam ordinis, quàm res naturales necessariæ, vnde non possunt sicut cetera obiecta naturalia cognosci, sed præter species illorum infusas requiritur consensus liber elicientis, vt ab alieno intellectu cognoscantur. Consequentia declaratur, nam eo ipso quòd isti actus sunt liberi, continentur intra ordinem entium moralium, quatenùs sunt capaces bonitatis, & malitiæ moralis; iam verò moralis ordo est medius inter ordinem simpliciter supernaturalem, quoad substantiam, & simpliciter naturalem necessarium,istum superans,& illum non adæquans. Cùm ergo respectu supernaturalis obiecti non habeat Angelus proportionatam potentiam intellectiuam, & respectu naturalis obiecti habeat illam proportionatam, & completam,respectu moralis obiecti habet se medio modo: retinet enim potentiam proportionatam, & completam in actu primo per species intentionales, dependentem tamen quoad actum secundum cognitionis à libero consensu elicientis actum moralem.

9. Contra rationem istam obiicies primò,si actus liberi essent altioris ordinis, quàm necessarij, sequeretur supremum ordinis necessarij nunquam attingere infimum ordinis liberorum: Sed hoc est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Minor probatur: nam amor, quo Deus amat seipsum est necessarius, & tamen est perfectior ex parte obiecti, quàm amor liber, quo diligit creaturas. Obiicies secundò, res liberæ postquam sunt productæ, iam sunt determinatæ, sicut aliæ res naturales, & necessariò producunt suos habitus: ergo similiter poterunt necessariò determinare, vel saltem terminare alienam cognitionem sui, sicut cetera obiecta necessaria cognoscuntur. Obiicies tertiò, Angelus connaturaliter cognoscit affectionem suam liberam præsentem, vel præteritam:ergo similiter cognoscere potest alienam; non enim magis ista, quàm illa superat ordinem rerum naturalium. Obiicies quartò, multi sunt actus liberè facti,qui nihilominùs innotescunt Angelo per se se postquam facti sunt, scilicet motus hominum externi: nam quòd isti sint liberi tantùm vt imperati, alij verò vt eliciti parum videtur referre, vt iam facti possint, vel non possint videri, præsertim cùm libertas actus eliciti solùm addat ipsi denominationem extrinsecam à potentia libera producente:ergo propter solam illam denominationem non potest actus occultari, si datur in aliis Angelis lumen intellectuale sufficiens de se ad cognoscendum actum liberum, & habent speciem repræsentatiuam illius. Propter hæc Vasquez ea disp.209. cap.10. concludit rationem occultationis horum actuum solùm esse,quia sunt obiecta improportionata naturali lumini Angelico, huius autem improportionis non esse postulandam rationem aliam, nisi quoniam hæc est natura talium actuum,quam ex diuina reuelatione colligimus.

Vasquez.

10. Conabimur tamen obiectiones illas dissoluere. Ad primam respondetur comparationem esse faciendam ceteris paribus,scilicet circa idem obiectum, & intra eundem ordinem naturæ: tunc enim in altiori gradu erit actus liber, sicut patet in homine, & equo, quorum alter appetit liberè cibum, v.g. propter perfectionem, & dominium voluntatis supra suos actus, alter necessariò fertur ad idem obiectum ob propriam imperfectionem. Quòd verò Deus & Beati necessariò diligant diuinam essentiam,prouenit ex perfectione obiecti increati, quod clarè visum proponitur sub ratione summi boni. Quare potiùs est perfectio potentiæ necessitari à tali obiecto.

11. Ad secundam respondetur res liberas, quamuis in sensu composito cum ipsarum existentia sint entia necessariò determinata: nam omne quod est, dum est, necesse est esse; in sensu tamen diuiso simpliciter esse contingentia, quia simpliciter pro eodem instanti contingens est illa esse, vel non esse, prout anima libera producuntur, quando poterant absolutè non produci;quare pertinent ad altiorem gradum liberorum, quæ respectu ipsius elicientis non oportet esse secreta. Ideoque non mirum si necessariò producant habitum intra suam potentiam: at respectu aliorum maximè conuenit politiæ creaturarum intellectualium, & naturæ talium actuum, vt ex se sint occulti, donec per liberum consensum elicientis prodantur. Vnde patet etiam ad tertiam: nam ordo politicus, vel moralis non exigit, vt etiam elicienti celentur actus proprij, sed potiùs vt perfectè cognoscat illos, siue per ipsosmet, siue per species ipsorum proprias, iuxta dicta disp.8.cap.2. num.19. Quæ sunt enim in homine nemo nouit nisi spiritus hominis, qui est in illo.

12. Ad quartam respondetur magnum esse discrimen inter actus imperatos,& actus elicitos à voluntate: nam isti non sola denominatione extrinseca, vt falsò supponit argumentum, sed intrinsecè, ac essentialiter sunt liberi, vt docuimus in libris de anima, quapropter essentialiter excedunt ordinem rerum naturalium, quæ necessariò producuntur. At actus externi simpliciter sunt intrinsecè ac essentialiter necessarij, quatenus essentialiter petunt à potentia determinata, & necessaria immediatè produci, solaque denominatione extrinseca ab actu imperante dicuntur liberi: Et quidem dum Angelus, vel homo exteriùs operantur, satis ipsi se produnt,vnde cognitio actus liberi, quam ceteri colligunt à posteriori, non sine manifestatione prouenit elicientis.

13. Dico secundò cogitationes cordis quoad actus etiam intellectus,ita sunt Angelis occultæ, vt in semet, & intuitiuè videri non possint ab illis,nisi manifestentur eisdem. Hæc conclusio non est ita certa sicut præcedens; adhuc autem probatur auctoritatibus adductis suprà cap. 3. num. 15. & 16. & videtur expressa sententia sancti Thomæ dicto artic. 4. dum ait; *Alio modo possunt cognosci cogitationes, prout sunt in intellectu, & affectiones prout sunt in voluntate; & sic solus Deus cogitationes cordium, & affectiones voluntatum cognoscere potest.* Vbi distinctè loquitur de vtriusque facultatis rationalis actibus; & ad secundum inquit, *cognoscere vnum Angelum species intell-*

intelligibiles alterius, non tamen visum earum secundum actualem considerationem. Et ad tertium in phantasia & appetitu vtitur illa distinctione, scilicet quòd Angelus cognoscit istarum potentiarum actus secundùm substantiam eorum, & prout ab eis procedunt. *Non tamen secundum quòd mouentur à voluntate, & ratione*; Quam distinctionem nunquam in actibus intellectus adhibuit, sed æquè ponit occultas cogitationes intellectus, & affectiones voluntatis; quòd ceteri ferè Theologi pro prima conclusione relati sequuntur, & expresse docent Suarez, & Albertinus.

14. Probatur ratione, quoniam ad conuenientem statum intellectualis naturæ spectat, vt non solùm affectiones, sed etiam consilia, iudicia, dubitationes, aut deliberationes mentis suæ sibi sint reseruatæ: non enim minor ratio modestiæ secreti, vel occultationis in his, quàm in illis reperitur: ergo non minùs consilia, iudicia, similesque cognitiones intellectus in se sunt occultæ, quàm affectus, vel intentiones voluntatis. Antecedens sumitur ex summa, mutuaque connexione, quæ reperitur inter intellectum, & voluntatem, quatenùs intellectus est radix totius libertatis volitionum, & voluntas omnino pendet in operando ab actibus intellectus. Vnde fit vt actus vtriusque facultatis rationalis ad altiorem ordinem pertineant, & iuxtà intellectualis, & moralis politiæ connaturalem exigentiam ex se sint occulti, donec ab eliciente prodantur. Confirmatur, nam alioqui locutio inter Angelos tantùm esset propter affectus, non propter conceptus manifestandos, quod est contra communem sententiam, & Damascen. præsertim contra Damascenum lib. 2. cap. 3. dicentem esse propter cogitationes, & consilia Clictouæus. communicanda. Vbi Clictouæus facit quoad hoc æquiparationem inter homines, & Angelos, quæ rem satis declarat.

15. Aliqui distinguunt inter actus intellectus, qui sunt apprehensiones, vel iudicia; quasi iudicia sint occulta non apprehensiones: Sed ista distinctio non videtur necessaria, quia sermo Scripturæ, & Patrum vniuersalis est, & nulla ratio sufficiens occurrit ad talem distinctionem faciendam: nam apprehensio est propter iudicium; & ideò pertinet ad eundem ordinem. Quamobrem omnis actus intellectualis siue sit apprehensio, siue iudicium, siue præueniat omnem voluntatem, siue imperetur ab eodem, siue sit practicus, siue speculatiuus, qui proximè, vel remotè possit mouere voluntatem tanquam exercitium potentiæ rationalis, & libertatis radicalis ad actum aliquem formaliter liberum, spectat ad altiorem gradum entis moralis, & ad integritatem intrinsecam partis rationalis, quæ ius illud occultandi suos actus morales, videlicet formaliter, vel radicaliter liberos sibi vendicat.

16. Alij distingunnt inter actus voluntaris liberos, & necessarios, hos dicunt ab Angelo posse cognosci, non illos: sed adhuc in ipsis volitionibus Vasquez. necessariis distinguunt Vasquius 1. part. disp. 210. Suarez. cap. 2. & Suarius lib. 2. cap. 2 2. num. 11. quasdam per se, & ab intrinseco necessarias, qualis est amor Dei clarè visi, & iuxtà probabilem opinionem amor suiipsius in Angelo: & has fatentur ab Angelis cognosci, si dentur intra ordinem naturæ; alias verò dicunt esse necessarias per accidens, quales sunt motus primò primi, qui proueniunt ex inaduertentia; & has censent esse occultas per se, quoniam idem actus omninò inuariatus in se prius elicitus necessariò, potest addita solùm aduertentia intellectus conseruari postmodum liberè; quare si anteà notus esset, etiam posteà cognosceretur per idem principium, per quod anteà cognoscebatur.

Dico tertiò, probabilius est Angelum cognoscere volitiones necessarias alterius Angeli, vel animæ, non solùm quando sunt necessariæ quoad exercitium, & quoad specificationem, rapiente scilicet voluntatem obiecto, sed etiam quando necessitantur quoad solum exercitium, scilicet ex indeliberatione. Sic docet Albertinus tom. 1. principio 1. coroll. 10. num. 20. videturque sentire S. Thomas, qui quotiescunque docet, non posse ab Angelo cognosci actus cordis, seu voluntatis, reddit vtique rationem ex eorum libertate: Sic dicto art. 4. dicit actiones interiorum habituum ab Angelo non cognosci, quia quisque vtitur habitibus, cùm vult, & 3. contra Gent. cap. 154. aliisque locis semper hoc ad voluntatis libertatem reducit. Vnde Thomistæ simul in hanc sententiam inclinant. Ratio eius est, quia sicut libertas est intrinseca, & essentialis actui voluntatis libero, sic etiam necessitas est essentialis actui necessario, siue proueniat ab ipsomet obiecto, siue ab inaduertentia rationis, & per consequens actus, qui semel elicitur necessariò, nunquam potest idem fieri liberè, sed semper ex essentia sua postulat produci à causa determinata. Quapropter omnes actus voluntatis necessarij simpliciter, siue quoad exercitium non producuntur à voluntate, vt voluntas rationalis est, sed vt quædam natura est, iuxta modum loquendi S. Thomæ, ideóque non transcendũt ordinem aliorum effectuum naturalium. Sicut ergo Angelus cognoscit alias res naturales, sic & istos actus. Idemque videtur dicendum consequenter de actibus intellectus, qui proponunt obiectum sine indifferentia, & omninò determinant voluntatem ad actum necessarium. 17. Albert.

Dico quartò, Valde probabile mihi fit, habitus voluntatis qui ab actibus liberis generantur, non cognosci ab Angelo diuerso. Sic docent Henricus, & Albertinus suprà. Ratio sumitur ex dictis, quia deueniretur in cognitionem actuum liberorum, à quibus habitus generantur; Vnde licèt Angelus non videret alienos actus liberos in seipsis, haberet tamen euidentem ipsorum notitiam à posteriori, quod multùm derogat secreto cordis: nam si videt Angelus in aliena voluntate produci hic, & nunc talem habitum, statim colliget euidenter talem actum liberum inesse voluntati, quod non est simile in actibus externis: nam hi liberè procedunt à voluntate mediatè cum expressa cognitione, ac volitione talium effectum, ideoque voluntas liberè se manifestat per illos aliquo modo, nec tamen per actus externos cognoscitur intentio; ac habitus fit prorsus necessariò sine cognitione, aut volitione ad illum formaliter terminata, & manifestaret etiam intentionem. Quare magis ad rectum ordinem politiæ moralis pertinet, vt sit occultus. 18.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur cogitationes, & affectiones cordium, licèt pertineant ad genus rerum naturalium, prout istæ distinguuntur ab entibus intrinsecè supernaturalibus, tamen intra illud genus constituere superiorem rerum ordinem, scilicet moralem, qui non possit à naturali cognitione percipi, nisi posita 19.

posita conditione manifestationis voluntariæ. Itaque quamuis habeat Angelus congenitas species istorum actuum, species non possunt illos repræsentare, donec existant, & manifestentur ab eliciente: sunt enim secreta cordium quodammodo extra latitudinem obiecti connaturalis, & proportionati menti alterius Angeli, dum voluntate cogitantis non patefiunt. Fundamentum secundæ sententiæ satis per se corruit ex dictis.

20 Ad primum fundamentum tertiæ sententiæ respondetur sufficiens dari discrimen inter actus intellectus, & actus aliarum potentiarum inferiorum, qui possunt etiam fieri ex motione liberа voluntatis: non enim dicimus actus intellectus esse occultos, quia sunt imperati à libera voluntate, sed quia sunt quasi pars ipsius vsus liberi, radix, regula, & mensura illius, sub qua ratione actus etiam intellectus dici potest moralis tanquam pertinens ad ordinem moralem, sicut prudentia dicitur virtus moralis, quoniam est regula virtutum moralium, licèt non habeat specialem libertatem formalem sine libera motione voluntatis. Vnde si aduertentia rationis sit perfecta, actus voluntatis erit perfectè liber, si diminuta sit aduertentia, etiam libertas actus cum proportione minuetur. Ob hanc ergo causam consentaneum fuit naturæ rationali, vt totum cor, quatenùs includit tam radicem, quàm vsum libertatis, esset ita profundum, vt sine manifestatione libera elicientis non posset ab alia creatura cognosci. Ad secundum constat ex capite 3. numero 15. per cogitationes cordis etiam actus intellectus per se ie in Scriptura significari.

CAPVT V.

Quomodo Angelus naturaliter Deum cognoscat.

1. Qvamuis Deus in genere entis excellentior sit omnibus rebus creatis, in ratione tamen obiecti, cùm summe intelligibilis sit, habet maiorem quandam proportionem cum natura intellectus Angelici; quam multæ res creatæ, ratione cuius sub naturali obiecto intellectus aliquo modo comprehenditur, vt docuit S. Thomas in hac quæst. 56. art. 3. non potest autem Angelus cognoscere Deum per ipsam Dei substantiam, vel per speciem propriam illius, vt vidimus disput. 8. cap. 2. num. 28. vnde medium aliquod requirit, scilicet cognitum, quod ad causam, vel effectum reducitur, vt nunc alia extrinseca media relinquamus: licèt enim medium incognitum, scilicet species, semper sit necessarium, quia sine aliqua specie non potest fieri cognitio, est tamen differentia, quòd quando cognitio est immediatè de ipsa re in seipsa sine alio medio cognito, fit per propriam speciem obiecti cogniti, vel per essentiam eius vnitam potentiæ per modum speciei; quando verò res cognoscitur per aliud medium cognitum, tunc cognoscitur per speciem alienam, nimirum ipsius medij. Cùm ergo sit ostensum, Angelum non cognoscere Deum naturaliter per propriam speciem ipsius Dei, relinquitur solùm posse Deum cognoscere per speciem alienam, videlicet illius rei, quæ sit medium cognitum, per quod Ange- S. Thom.

lus Deum cognoscat, vel per propriam essentiam Angeli cognoscentis.

Deinde certum est, vnumquemque Angelum per suam substantiam per quam cognoscit seipsum, cognoscere simul Deum. Ita docet S. Thomas in hac quæst. 56. artic. 3. & lib. 3. contra Gent. cap. 98. & Interpretes eidem locis. Sed dubitari potest, Vtrùm Angelus per suam substantiam immediatè cognoscat Deum, ita vt cognitio sui, & Dei se habeant tantùm quasi concomitanter? An solùm cognoscat Deum mediatè, ita vt cognitio sui sit via ad cognoscendum Deum? Priorem modum dicendi videtur sequi Capreolus in 2. distinct. 3. quæst. 2. artic. 1. conclus. 3. expressiùs Ferrara 3. contra Gent. cap. 98. in 5. eius parte 5. *Ad huius euidentiam*, qui non negant, Angelum posse cognoscere Deum per suam essentiam, vt per medium cognitum. Sed dicunt, non solùm illo modo, sed etiam immediatè tanquam per speciem licèt inadæquatam, ita tamen vt ipsa quoque sit cognita, quo differt ab aliis speciebus, quibus intellectus vtitur, vt principio intellectionis: nam aliæ ita sunt principium, vt non cognoscantur; essentia verò Angeli habet vtrumque, non quidem quonlam ipsa, vt cognita, sit ratio cognoscendi Deum, sed quia simul est principium cognoscendi Deum, & est cognita. Hos sequitur Camel in hac quæst. 56. art. 3. licèt subobscurè loquatur, citat etiam Caietanum ibi, qui respondendo ad secundum Scoti id indicat, non tamen docet clarè; indicat etiam Alensis 2. part. quæst. 24. membr. 1. quatenùs distinguit cognitionem Dei per substantiam tanquam Dei à cognitione Dei per effectus. 2. S. Thom. Capreolus. Ferrara. Camel. Caietan. Alensis.

Probatur primò, quoniam Angelus est quædam similitudo Dei licèt imperfecta, impressa à Deo: ergo habet rationem speciei repræsentatiuæ Dei. Probatur secundò; quia nisi Angelus per suam essentiam tanquam principium intentionale cognosceret Deum, non posset aliter ipsum cognoscere, quàm per substantiam suam, vel per alios effectus priùs cognitos; & per consequens eodem modo cognosceret Deum, quo nos ipsum cognoscimus in via: Oportet autem alium perfectiorem modum cognoscendi Deum Angelo tribuere, quàm nobis, & alius non apparet nisi supradictus: ergo sic Angelus cognoscit Deum. Probatur tertiò; quia si Angelus Deum cognosceret eodem modo, quo nos cognoscimus, sequeretur Angelum comparare notitiam Dei per discursum, scilicet ex cognitione sui, vel aliarum rerum Dei cognitionem deducendo: Sed Angelus non discurrit teste S. Thoma 1. part. quæst. 57. art. 3. ergo dicendum est, alio modo Deum ab Angelis, quàm à nobis intelligi. 3. S. Thom.

Dico primò, non posse Angelum cognoscere Deum per suam substantiam tanquam per principium directè cognoscendi Deum, vt immediatum obiectum præciso omni medio cognito; subindeque non posse in hoc sensu dici Angelum cognoscere Deum per suam substantiam, vt per speciem, vel medium incognitum. Ita Bonauentura in 2. distinct. 3. punct. 2. artic. 2. quæst. 2. ad 4. & 6. Richardus dist. 4. art. 1. quæst. 1. & 2. Bassolis distinct. 3. quæst. 3. art. 2. conclus. 3. Molina 1. part. quæst. 56. art. 3. Pesantius ibidem, Vasquius disput. 206. Suarius lib. 2. de Angelis cap. 18. Probatur primò, quia non potest Deus 4. Bonauent. Richard. Bassolis. Molina. Pesantius. Vasquez. Suarez.

ab

ab Angelo cognosci, quin Angelus simul cognoscat seipsum: ergo signum est essentiam Angeli per se tantùm spectatam non esse principium cognoscendi Deum, sed solùm vt cognitam. Antecedens videtur certum, nec à Doctoribus contrariæ sententiæ negatur apertè. Videntur tamen negare consequentiam tacitè respondentes, ex illo antecedenti solùm sequi, vtramque cognitionem sui, & Dei simul necessariò fieri ab Angelo per suam essentiam; non quia talis essentia solùm vt cognita sit ratio cognoscendi Deum, sed quia simul est ratio cognoscendi se, ac Deum, & se quodammodo propinquiùs, & cum maiori proportione. Quare talis essentia non vno tantùm modo est ratio cognoscendi Deum, scilicet vt medium cognitum, sed etiam vt ratio cognoscendi sufficiens per sese.

5. Sed contrà Probatur nostra conclusio, quia non solùm naturaliter, verùm nec supernaturaliter est separabilis cognitio Dei per substantiam Angeli à cognitione ipsius Angeli præsenti, vel saltem præterita, sed essentialiter pendet ab illa: ergo signum est substantiam Angeli non esse principium immediatum cognoscendi Deum, sed solùm quatenus primò est ratio cognoscendi seipsum. Consequentia constat, quia sola concomitantia non sufficit inducere necessitatem etiam in ordine ad potentiam Dei. Antecedens ostenditur primò, quia non potest Angelus per suam substantiam immediate formare aliquem conceptum Dei, si seipsum non concipiat: Vel enim ille conceptus Dei esset proprius illius, vt est in se; & hoc nemo dicit, quia Deus, vt est ipse, non potest cognosci naturaliter: Vel cognoscitur Deus conceptu connotatiuo, & talis conceptus necessariò supponit conceptum Angeli, ad cuius instar Deus concipiatur: ergo datur ordo per se, prorsusque necessarius inter illa duo obiecta, quatenùs per essentiam Angeli cognoscibilia: ergo quod illud medium sit cognitum, omninò supponitur ad cognitionem Dei.

6. Ostenditur secundò: nam prima cognitio Dei per substantiam Angeli est illa, per quam euidenter cognoscit Angelus, esse Deum absque vsu speciei intelligibilis alterius rei: Sed impossibilis est illa cognitio euidens de Deo quoad existentiam illius, nisi Deus videatur aut in se, aut in aliquo effectu suo; nec in se potest euidenter cognosci prout existens, cùm non videatur naturaliter in se: ergo illa euidentia debet fundari in cognitione alicuius effectus, qui non est alius in isto casu, nisi Angelus ipse: ergo talis cognitio euidens Dei supponit essentialiter, & per se cognitionem ipsius Angeli, ac per consequens Angeli substantia est medium cognitum, & solùm vt tale potest esse ratio cognoscendi Deum.

7. Ostenditur tertiò à priori, simulque diluitur primum fundamentum contrarium, quia licèt Angeli substantia sit similitudo vel imago, seu potiùs ad imaginem Dei, est tantùm similitudo naturalis imperfecta, & inadæquata, non tamen intentionalis Dei: ergo non ducit immediatè ad cognitionem Dei tanquam medium incognitum. Antecedens quoad primam partem asseritur ab aduersariis; quoad posteriorem probatur, quoniam Angeli substantia non est facta, vt sit quasi instrumentum diuinæ substantiæ supplens vicem eius in ratione obiecti intelligibilis, quod est proprium munus speciei intelligibilis, sed est facta, vt sit talis naturæ, in qua similis existat aliquatenùs Deo. Non est ergo species; præsertim quia substantia Angeli nunquam potest repræsentare Deum secundùm propria Dei, sed solum quatenùs participat similitudinem Dei: ergo nunquam potest illa substantia respectu Dei habere rationem speciei, per quam Deus immediatè cognoscatur proprio conceptu. Vnde rectè colligitur consequentia principalis, quia sola species intentionalis est immediata ratio cognoscendi rem à cognoscente distinctam tanquam medium incognitum.

Dico secundò, eo modo quo causa dicitur cognosci per speciem sui effectus, quando per effectum cognoscitur, etiam dici potest Deus ab Angelo cognosci per substantiam Angeli tanquam per speciem, scilicet alienam, id est per seipsam habentem concursum speciei. Sic videntur sentire Doctores suprà relati num. 4. & forsam aliqui ex aduersariis hoc solùm intendunt. Probatur, quoniam Angelus non habet aliam speciem, per quam vel se, vel Deum per se cognoscat præter propriam substantiam: ergo illa substantia habet eundem concursum ad cognitionem Dei, quem habet species alicuius effectus ad cognitionem causæ: exempli gratia, quem habet species alterius Angeli ad cognoscendum Deum per talem Angelum. 8.

Ex his, quæ ad rem pertinent, infero quoad modum loquendi, primò non rectè loqui qui dicunt Angelum cognoscere Deum per suam substantiam tanquam per speciem Dei, licèt dicere possint cognoscere Deum per suam substantiam, tanquam per speciem sui, vel potiùs tanquam per obiectum intelligibile, quod alia specie non indiget respectu sui: Patet, tum quia re vera substantia Angeli non est species Dei, vt ostendimus num. 7. tum etiam quia cùm causa cognoscitur per speciem effectus, non rectè dicitur cognosci per speciem propriam, nec species effectus dicitur species causæ, subindeque non dicitur tunc causa cognosci per speciem suam, sed per speciem effectus: ergo similiter Angeli substantia non dicetur species Dei, nec Angelus dicetur cognoscere Deum per illam tanquam per speciem Dei, sed tanquam per speciem sui, qui est effectus Dei. 9.

Infero secundò perperam distingui à nonnullis Angelum, vt effectum Dei, & vt imaginem, vel similitudinem, vt sub priori ratione dicatur medium cognitum cognoscendi Deum, sub posteriori verò sit ratio cognoscendi etiam non cognita: nam licèt ratio effectus sit abstractior, & sub ea consideratione sit ratio distincta, tamen ratio imaginis intrinsecè claudit rationem effectus, cùm in ratione imaginis includatur origo, vt docuit sanctus Thomas suprà quæst. 35. & nos lib. 2. disp. 56. Origo autem talis imaginis imperfectæ Dei, qualis est Angelus, est creatio talis effectus: ergo ratio imaginis in Angelo claudit rationem effectus. Et cum hac restrictione capienda est ratio similitudinis, quia latè loquendo vnus etiam Angelus refert similitudinem alterius, & tamen quia non est cum origine, non est ratio cognoscendi alterum, vt etiam Capreolus, & Ferrara notarunt: ergo similitudo quam habet Angelus ad Deum, ideò conducit ad 10.

cognitionem illius, quia est cum processione à Deo, subindeque claudit rationem effectus ducentis in cognitionem causæ.

11. Hoc indicauit S. Thomas in hac quæst. 56. art. 3. dicens. *Quia imago Dei est in ipsa natura Angeli impressa per suam essentiam, Angelus Deum cognoscit, in quantum est similitudo Dei*; scilicet vt termini, & vt principij, ac subinde vt includit rationem effectus; ideò subdidit S. Thomas in fine articuli. *Et ideo ista cognitio tenet se cum speculari*. Scilicet quatenùs sicut nos cognoscimus Deum in speculo creaturarum tanquam in medio cognito, sic Angelus cognoscit in se Deum tanquam in speculo à se cognito, solumque differt, quòd alios effectus vel imagines Dei cognoscimus nos & Angelus per species aliarum rerum, vel imaginum; se autem vt imaginem Dei non agnoscit Angelus per aliam speciem, sed per seipsum.

12. Ad primum primæ sententiæ constat ex suprà dictis num. 7 Ad secundum respondetur propter differentiam proximè traditam dixisse S. Thomam eo art. 3. cognitionem, quam habet Angelus de Deo per seipsum, esse medium inter visionem faciei ad faciem, & cognitionem specularem, quæ scilicet habetur in speculo aliarum creaturarum, ac subinde quodammodo excedere cognitionem, quam nos habemus de Deo per creaturas: nam has per species intentionales realiter distinctas concipimus, & cùm nosmetipsos speculamur.

13. Circa tertium argumentum dubitari potest, vtrum Angelus vnico, vel pluribus actibus seipsum, & Deum per suam substantiam cognoscat? Prima sententia docet esse distinctos actus. Ita Caietanus in hac quæst. 56. art. 3. ad 2. Scoti, Molina ibidem, & alij. Probatur primò quoniam Angelus cognoscit se quidditatiuè, intuitiuè ac perfectè conceptu proprio, Deum verò cognoscit abstractiuè, valdè imperfectè, & per conceptum improprium. Cognitio autem intuitiua, & abstractiua, propria, & impropria; perfecta, & imperfecta sunt realiter, & essentialiter distinctæ: ergo cognoscit Angelus seipsum, & Deum distinctis actibus. Probatur secundò, quia cognitio Dei in Angelo prouenit ex cognitione sui; sed non potest esse dimanatio vnius ab alio sine distinctione reali: ergo dum Angelus ex cognitione sui venit ad cognitionem Dei, diuersus actus elicit circa talia obiecta.

Caietan. Molina.

14. Secunda sententia censet, vnicum esse actum ad Angeli substantiam, & ad Deum simul terminatum. Ita Ferrara 3. contra Gent. cap. 98. Ripa 1. part. quæst. 56. artic. 3. Vasquez 1. part. disputat. 206. cap. 2. Probatur primò: nam alioquin Angelus cognosceret Deum per discursum, vt suprà dicebamus num. 3. siquidem nihil aliud est discurrere quàm vnum ex alio colligere per actum distinctum. Probatur secundò, quia relatio & terminus eodem actu cognoscuntur: Sed Angelus cognoscendo se cognoscit Deum, vt terminum relationis transcendentalis, quam habet ad Auctorem suum: ergo cognoscit seipsum, & Deum eodem actu. Maior supponitur: Minor probatur: nam ideò Angelus cognoscendo se cognoscit Deum, quia cognitio est comprehensio substantiæ suæ, ideoque necessariò cognoscit illam, vt ens participatum, & dependens ab alio: ergo eadem cognitio necessariò attingit terminum illius relationis, & dependentiæ, qui est Deus, vt Auctor Angelorum.

Ferrara. Ripa. Vasquez.

Ego existimo cum Suario lib. 2. de Angelis cap. 19. duplicem Angeli conceptum circa Deum dari posse. Primus est quasi respectiuus, quo cognoscitur Deus, vt causa alicuius effectus; & consequenter etiam cognoscitur euidenter quoad quæstionem, *an sit*, quia cognoscendo euidenter effectum, & dependentiam effectus ab alio, euidenter cognoscitur existere id, à quo aliud dependet. Secundus est conceptus absolutus, quo cognoscitur Deus secundum prædicata potius absoluta, videlicet entis à se, infiniti, spiritualis, intellectiui sui, & similium, quæ nullam dicunt relationem realem ad creaturas. Hunc enim conceptum nos ipsi experimur in nobis: ergo multò perfectior poterit esse in Angelis. 15.

Suarez.

Hunc secundum Dei conceptum potest Angelus habere distinctum a cognitione sui. Sic docet Suarius suprà num. 3. & probatur, quia postquam Angelus per creaturas ascendit ad notitiam creatoris, illumque nouit conceptu relatiuo, iam est sufficienter excitatus ad cognoscendum de Deo secundùm se considerando diuinas perfectiones absolutas; qui conceptus licèt absolutè sit imperfectus respectu obiecti, quod non attingit per propriam speciem, sed imperfectè, ac impropriè, tamen respectu habentis est magna perfectio non deneganda Angelis: Sed hic conceptus per se non habet connexionem cum actu, quo se Angelus cognoscit: ergo potest esse realiter distinctus ab illo. Sic S. Thomas quæst. 8. de verit. artic. 3. ad 18. concedit, Angelum viatorem posse cogitare de Deo non cogitando de aliqua creatura; Videturque hoc ipsum in nobis experientia constare, dum quis omnia creata relinquit, ac transcendit, vt purè cogitet de Deo. 16.

Primum Dei conceptum contendit Suarius num. 2. non posse distingui realiter à cognitione, qua cognoscit Angelus seipsum, quia non videt quomodo possit effectus, vt dependens cognosci per actum, qui ad ipsam causam non terminetur, si talis effectus, & dependentia eius, prout in se sunt euidenter, & quidditatiuè cognoscantur. Mihi verò id non videtur difficile: nam vt sæpè alibi docui, cognitio relationis quantumuis quidditatiua, vel intuitiua sit, coexigit quidem cognitionem termini, non tamen necessariò postulat, vt per eundemmet actum terminus, & relatio cognoscantur: sufficit enim si cognoscatur simul terminus, siue per eundem realiter actum cum sola virtuali distinctione, siue per notitiam realiter distinctam, vt contingit in nobis, qui frequenter habemus species realiter diuersas relatiui, ac sui termini, subindeque distinctis realiter actibus debemus attingere talia obiecta. Quare censeo posse similiter Angelum distinctis realiter conceptibus seipsum vt creaturam Dei, & Deum vt suum creatorem cognoscere, dum tamen simul percipiat vtrumque: nec enim amplius relatiuorum natura postulat, quam simultatem cognitionis, quæ in actibus etiam realiter distinctis reperitur. 17.

Vnde fit non posse Angelum seipsum cognoscere vt pendentem à Deo, quin simul cognoscat Deum, vt terminum talis dependentiæ. Saltem distincta cognitione simultanea; nec posse cognoscere Deum, vt creatiuum & creatorem ipsius Angeli, quin simul cognoscat semetipsum, vt terminum 18.

minum talis relationis:at vero non ideo si Angelus cognoscat simul plures Angelos, vel alios effectus Dei, habebit simul plures Dei cognitiones realiter distinctas, quod cogitur concedere Suarius; sed sufficit si per vnicã intellectionẽ terminatam ad Deum cognoscat illum vt terminum omnium illarum relationum specificatiuè: id est, cognoscat illũ, qui terminat omnes illas relationes. Fit etiam posse Angelum cognoscere seipsum secundùm aliqua prædicata communia, scilicet se esse spiritum, viuens, intellectiuum, quin simul cognoscat Deum: dum enim non cognoscit suam relationem ad Deum, non cogitur simul cognoscere Deum: Similiter Angelum posse cognoscere Deum secundùm eius prædicata absoluta, scilicet Deum esse ens à se, infinitum, spiritum purum, & similia, quin cognoscat seipsum, vel aliam creaturam: licèt enim prima cognitio de Deo, vel initium cogitationis circa Deum dari non possit in Angelo nihil de se, vel de alio Dei effectu cogitante; cùm nimirum non habeat propriam speciem Dei, sed per creaturas debet illum inuestigare, nec effectus ducat in cognitionem causæ nisi cognitus, non potest haberi prima naturalis cognitio de Deo sine cognitione alicuius creaturæ. Ceterùm postquam Angelus semel absolutam de Deo cognitionem habuit media cognitione sui, vel alterius effectus, poterit posteà de Deo cogitare per similem cognitionem absolutam, seu contemplationem Dei, quamuis semetipsum, vel effectum alium, per quem priùs ascendit ad Deum, actu non consideret; quod in nobis videtur experientia comprobari, & à fortiori non est Angelis denegandum.

19. Ratione probatur. nam illa cognitio absoluta Dei distingui potest realiter, vt diximus num. 16. à cognitione ipsius Angeli, & non pendet ab illa essentialiter, quia nec ea parte obiecti, cùm per illam cognitionem non consideretur Deus vt causa ipsius Angeli vel alterius creaturæ, sed solum secundùm perfectiones absolutas, quæ nullam dicunt habitudinem ad creaturas, nec item ex parte actus, quia licèt cognitio creaturæ sit occasio, vel excitatio quædam ad eliciendam illam absolutam cognitionem Dei, non est tamen causa per se, à qua talis cognitio in fieri, conseruarique dependeat: ergo potest Angelus habere aliquando si voluerit hunc posteriorem actum sine priori. Declaratur: quia licèt viatores non possint in via propriam speciem Dei habere, tamen postquam per alienas species [illegible] cognouerunt, & qualem qualem eius conceptum efformarunt, [illegible] quitur in intellectu habitus ad [illegible] cognitionem iterandam; relinquitur etiam aliquid, quod per modum speciei determinet ad cognoscendum illum actum præsentem & quia [illegible] ne suo obiecto cognosci non potest, illud [illegible] principium intentionale determinat ad illam talem qualem Dei cognitionem. Addit Suarius lib. 2. de Angelis cap. 19. num. 13. per primum actum absolutum cognitionis circa Deum comparare sibi Angelum speciem repræsentantem Deum eo modo quo per illum actum cognitus fuit quæ [illegible] ex vi [illegible] verbi, vel idoli Dei in ipso contenti mentibus imprimatur. Per talem ergo speciem, vel per supradicta principia potest Angelus postmodum in similem actum prodire, licet de nulla creatura cogitet actualiter.

20. Videtur etiam Angelus posse, si velit, vno realiter conceptu seipsum & Deum, siue cognitione respectiua, siue absoluta simul cognoscere: nam iuxta dicenda disp. 14 cap. 2. potest Angelus vnico actu percipere omnia illa obiecta, quæ per vnicam speciem repræsentantur. ergo similiter poterit vnico actu cognoscere, quæ per vnicam speciem tanquam per speciem propriam repræsentantur, & quæ per eandem tanquam per speciem alienam cognoscuntur. Cùm igitur Angelus per suam substantiam cognoscat seipsum, & Deum, vnico actu poterit vtrumque obiectum attingere; si velit, præsertim si sit superioris ordinis; forsan enim infimi distinctis actibus indigebunt propter limitationem suæ mentis.

Hinc ad primum primæ sententiæ positæ n. 13. respondetur non esse inconueniens, quòd respectu diuersorum obiectorum vnus actus simul sit intuitiua cognitio vnius, & abstractiua alterius: nã in ipsa scientia Dei, & in scientia beata Christi hoc reperitur, & sæpe Angelus simul cum aliqua re existente cognoscet aliam vt possibilem, si species extendatur ad vtramque, pariter non repugnat, eandem cognitionem esse perfectam respectu vnius obiecti, & non respectu alterius, quatenus non est medium adæquatum, vel quando alterum longè excellentius est. Colligitur tamen inde posse talia obiecta cognosci distinctis actibus ab Angelo, & forsan hoc est magis connaturale, ac commune; quin, vt dicebam, aliquibus fortasse necessarium. 21.

Ad secundum negatur, semper ibi dari vnum actum, qui realiter dimanet ab altero: potest enim esse vnicus realiter actus, qui solùm prioritate rationis attingat vnum priùs, quàm aliud, quando cognoscit Deum conceptu absoluto, subindeque continet discursum duntaxat virtualem: In conceptibus autem respectiuis nec re, nec ratione videtur dari prioritas, cum non possit relatio cognosci sine suo termino. 22.

Ad primum secundæ sententiæ fatemur dari posse discursum in Angelis etiam formalem, de quo infra disp. 14. cap. 3. Ad secundum reponetur relationem, & terminum debere simul cognosci, non tamen necessariò per eundem actum, sed sufficere, quòd per distinctos realiter actus simultaneos concipiantur. 23.



QVÆSTIO LVII. S.Thomæ.

De cognitione Angelorum respectu rerum materialium.

ARTIC. I.

Vtrum Angeli cognoscant res materiales.



Conclusio affirmat, quam probat S.Thomas ex perfectione Angelorum ad quã pertinet, vt omnia materialia in ipsis coexistant simplicius, & immaterialius quàm in ipsis rebus, scilicet per species intelligibiles quibus possint cognosci.

ARTIC. II.

Vtrùm Angeli cognoscant singularia.

Conclusio affirmat, & probatur ex Angeli præstantia super hominem: inconueniens enim

enim est dicere, quòd homo quacunque sua potentia cognoscat aliquid quod Angelus per suum intellectum non cognoscat: Sed homo cognoscit singularia: ergo & Angelus.

ARTIC. III.

Vtrùm Angelus cognoscat futura.

PRima conclusio: Futura quæ necessariò proueniunt, certò cognoscit Angelus in causa propter connexionem necessariam cum illa.

Secunda conclusio; Futura quæ frequenter eueniunt, cognoscit Angelus per coniecturam tantò perfectiùs, quàm homines, quantò magis rerum causas, & vniuersalius cognoscit.

Tertia conclusio; Futura quæ rarò eueniunt, penitus ignota sunt Angelo etiam in causa, quia non habent certam connexionem cum illa.

Quarta conclusio; Quæcunque futura in se ipsis solus Deus cognoscit, cui sunt omnia præsentia in æternitate: Angelus autem, vel quilibet intellectus creatus non potest futura cognoscere in seipsis, quia deficit ab æternitate.

ARTIC. IV.

Vtrum Angeli cognoscant cogitationes cordium.

COnclusio. Cogitationes prout sunt in intellectu, & affectiones prout sunt in voluntate solus Deus cognoscere potest, quia voluntas creaturæ rationalis soli Deo subiacet, & ipse solus in eam operari potest.

ARTIC. V.

Vtrùm Angelus cognoscat mysteria gratiæ.

PRima conclusio. Naturaliter Angeli non cognoscunt mysteria gratiæ, quoniam hæc ex pura Dei voluntate dependent. Secunda conclusio. Visione beata cognoscunt Angeli mysteria gratiæ, non quidem omnia, nec omnes æqualiter, sed prout voluerit Deus reuelare.



DISPVT. X.

De obiecto materiali cognitionis Angelicæ.



POst obiecta immaterialia sequuntur materialia, quorũ species intentionales in Angelis requiri, vt res istas materiales cognoscant, diximus disput. 8. cap. 2. num. 25. Nunc videndum erit an de facto dentur tales species in Angelis, vel cognitio materialium obiectorum, & quorum? qualisue sit talis cognitio.

* * *

CAPVT I.

Vtrùm Angelus res singulares materiales cognoscat.

DIco primò. Angeli possunt naturaliter cognoscere res materiales tam in genere, quam in specie, & in indiuiduo. Conueniunt in ista conclusione Doctores, & probatur, quoniam hæc obiecta sunt intelligibilia, cùm sint entia; nec requiritur infinita, vel supernaturalis virtus, vt cognoscantur, cum quodlibet talium obiectorum finitæ perfectionis sit, & pleraque sint ordinis naturalis. Nec proptereà quòd materialia sunt, censeri debent improportionata esse intellectui Angelico, qui prorsus abstrahit à materia, siquidem res cognita potest esse altiori modo in cognoscente, quàm in seipsa: ergo nihil obstare potest, quominùs obiecta materialia possint ab Angelis cognosci. 1

Et quamuis nonnulli Philosophi dicantur denegasse Angelis cognitionem indiuiduorum materialium, alij tamen Aristotelem, & Auicennam vendicant ab ista calumnia. Nec perfectò minùs certa debet esse nostra conclusio de indiuiduis materialibus, quàm de vniuersalibus; quia singularia sunt etiam intelligibilia, & à nobis cognoscuntur infimo quodam modo, à Deo autem cognoscuntur modo supremo: ergo non solùm possunt, sed etiam cognoscuntur ab Angelis aliquo modo medio. Confirmatur ab effectibus: nam Angeli operantur circa res materiales singulares, dum præsunt huic vniuerso, mouent cælos, custodiunt homines, instruunt, tentant vel torquent; non operantur autem nisi per intellectum, & voluntatem: ergo debent illa singularia cognoscere, circa quæ operantur. Quare nostra conclusio est de fide: nam in his omnibus, quæ de Angelorum operationibus, & ministeriis Patres, & Scriptura tradunt, euidenter supponunt Angelos cognoscere res istas singulares. 2

Voluerunt quidam, Angelos solùm cognoscere hæc singularia in causis vniuersalibus. Cõtra quos Dico secundo singularia materialia cognoscuntur ab Angelis propria cognitione, ac directè in ipsis, prout in se sunt. Ita omnes Theologi cum S. Thoma in hac q. 57. a. 2 qui probat, quoniam ex vniuersalibus causis, vt tales sunt, non potest indiuiduum cognosci quoad proprietates particulares, & ita non cognosceretur indiuiduum, vt tale est: vniuersales enim causæ de se sunt indifferentes ad plura indiuidua. Quòd si dicatur in causis vniuersalibus taliter applicatis cognosci posse indiuiduum in particulari, iam talis cognitio causæ claudit cognitionem particularium circumstantiarum; immò cùm tales causæ materiales esse supponantur, licèt earum cognitio sit notitia rerum vniuersalium in causando, nihilominus est cognitio rerum particularium in essendo. ergo talis cognitio repræsentat indiuidua in seipsis; & qua ratione in quibusdam admittitur in cæteris possibilis est, nec est cur Angelis denegetur.

Confirmatur ab inconuenienti: nam si Angelus non cognosceret indiuiduum materiale propria cognitione, id est, non communi, non cognosceret indiuiduum, sed aliquid commune; si autem haberet conceptum indiuidui proprium, sed tamen non perfectum, & in eo sensu non 4

proprium

proprium solùm cognoscet individuum materiale conceptu connotatiuo, vel respectiuo, vel alio simili modo, qui non potest Angelis tribui sine magna imperfectione, quæ sine cogente fundamento fingenda non est. Eademque ratione conuincitur, Angelum cognoscere indiuidua materialia directè, prout in se sunt; conuincitur etiam eundem cognoscere singularia prout actualiter existentia, quia directè videt illa in seipsis, & prout in se sunt.

5. Ceterùm quomodo cognoscat Angelus singularia per species vniuersales in repræsentando, quæ repræsentent etiam rationes indiuiduas obiectorum, diximus disp. 8. cap. 4. diximus etiam ibi cap. 3. num. 32. per eandem speciem repræsentari obiectum singulare secundum esse essentiæ, seu secundùm possibilitatem, quando nondum fuit productum, & per eandem cognosci ex stentiam illius, quando iam existit actualiter. Probatur, nam essentia rei singularis existentis non distinguitur ab eius existentia, & licèt distinguantur ratione, separari nō possunt in Angelica cognitione intuitiua: nam Angelus intuendo v.g. cælū perfectè cognoscit illud prout est in se, Ideoque talis visio essentialiter est quidditatiua talis obiecti: ergo cognoscit essentiam simul & existentiam cæli, quia simul est cognitio intuitiua: Sed species per quam fit talis cognitio vna est: ergo illamet sufficienter repræsentat rem illam secundùm esse essentiæ, & existentiæ.

6. Quapropter etiamsi talis res aliquando non existat, & ideò abstractiuè secundùm solùm esse possibile, vel essentiale cognoscatur, ad istam cognitionem non est necessaria species distincta ab altera, per quam essentia iam existens cognosci potest intuitiuè simul, & quidditatiuè, quoniam illæ duæ cognitiones se habent vt includens, & inclusum, quippe cognitio perfecta rei existentis includit cognitionem essentiæ, & addit peculiarem modum cognoscendi illam actu existentem. altera verò solùm præscindit ab hoc modo, & eandem essentiam repræsentat: ergo idem principium sufficiens ad primam à fortiori sufficit ad secundam; quod enim potest plus, potest etiam minus, quandoid quod est minus includitur in maiori. An verò è contrà species repræsentans Angelo essentiam rei possit eadem repræsentare, dum existit obiectum, actualem ipsius existentiam, sine quapiam additione intrinseca iam [illegible] affirmaui [illegible] cap. 3. num. 2. & iterùm [illegible] inferius.

7. Iam dico tertiò, Angeli haben species connaturales, vel infusas à Deo re[illegible] ad [illegible]rum, & creandarum à Deo, non [illegible] quoad rationes genericas, vel specificas, sed etiam quoad indiuiduales, & subinde possunt suis quæque temporibus hæc omnia singularia cognoscere tam materialia, quàm immaterialia, ita [illegible]nit S. Thomas 1. part. quæst. 56. artic. 2. a[illegible] 4. dicens, quòd si Deus facturus fuisset nouum Angelum, quem non fecit, aliam speciem intentionalem crearis Angelis indidisset, quam nunc eis non infudit. Consentiunt ibi Expositores, & est communis sententia Theologorum, colligiturque ex dictis disput. 8. cap. 1. num. 26. quia naturalis rerum ordo, & perfectio mentis Angelicæ postulare videntur, vt eas res naturales, quæ aliquando erunt, possint Angeli naturaliter dum existunt, cognoscere, si adsint cetera requisita si quidem intellectus humanus hoc ipsum potest:

ergo cùm Angeli non possint haurire species ab obiectis, vt supra probatum est, debent vtique rerum omnium, quæ aliquando existent, species in prima sui conditione recepisse.

8. Sed dubitari solet de speciebus generum, specierum, & indiuiduorum, an scilicet non solùm Angelus habeat horum omnium species, sed etiã tales species intentionales sint inter se diuersæ? Scotus in 2. dist. 3. q. 10. sensit has species intentionales esse distinctas, cùm dicat Angelis inesse species infusas rerum vniuersaliũ, non tamen singularium. Sequuntur, alij relati suprà disp. 8. c. 3. n. 1. Probatur primò, nam ad perfectã scientiam requiritur vniuersalium cognitio, siquidem, teste Aristotele, scientia non est de singularibus, sed de vniuersalibus; Atqui connaturale est Angelis habere scientiam inditam perfectam: ergo connaturale simul erit, vt cognoscant vniuersalia, subindeque species habeant vniuersales. Scotus.

9. Probatur secundò, quia saltem in rebus materialibus non videntur singularia posse per se primò repræsentari per species immateriales, quæ abstrahunt à materia signata, quam ob causam intellectus humanus dicitur non posse directè cognoscere singulare: ergo species Angelicæ per se repræsentant naturas communes, singularia verò quasi per accidens, & secundariò. Probatur tertiò quia natura generica, & specifica, vt talis est, non potest cognosci, nisi eius communitas cognoscatur: sed illa communitas non potest cognosci per cōceptus proprios rerum singularium, & quia per illos potiùs cognoscitur natura contracta: ergo dantur species propriæ vniuersalium.

10. Dicendum tamen est, non esse Angelis necessarias species prædicatorum vniuersalium, cùm habeant species singularium. Probatur: nam ipsæ species singularium repræsentant quidditates eorum: ergo repræsentant rationem specificam, & genericam, sine quibus res singularis quidditatiuè cognosci non potest, sicut ab Angelo cognoscitur. Quòd si Angelus cognoscit vniuersalia præcisè, & abstractè, de quo posteà, ipsæmet etiam species singularium sufficient ad talem cognitionem: nam (vt supra dicebam) idem principium quod sufficit ad maius, sufficit ad minus, quod clauditur in maiori: Sed cognoscere vniuersale præcise & abstractè minùs est, quàm cognoscere quidditatiuè indiuiduum, in quo ratio vniuersalis includitur: ergo licèt Angelus possit, aut velit rationem vniuersalem contemplari, sufficit illi species intelligibilis cuiusuis indiuidui talis naturæ, quia pro sua libertate potest Angelus non vti illa specie secundum totam repræsentationem suam, sed tantùm quasi ex parte, sicut de aliis speciebus Angelorum ex parte rerum, quas repræsentant, dicemus inferiùs.

11. Ad primum in oppositum respondetur dari perfectam scientiam in Angelis de singularibus, sicut etiam datur in Deo: nam vt alibi docui, dari potest perfecta scientia de singularibus in eo, qui rerum naturas, & entitates, prout in se sunt cognoscere valeat; scientia verò nostra ideò dicitur esse vniuersalium, quoniam est imperfecta, nec potest, nisi per longam experientiam ad[illegible]ri cum plena c[illegible]titudine: tùm enim sing[illegible] quæ [illegible]idemus in sublunaribus, corruptibilia sint, non possunt ab humana scientia cognosci perfectè secundum indiuiduas conditiones, sed solùm secundum prædicata communia, sic intelligendus est Aristo[illegible] de [illegible]stra scientia, non de Angelica.

12. Ad secundum negatur antecedens. nam species spiritualis potest rem singularem materialem directè, ac propriè repræsentare, siquidem repræsentatio speciei intelligibilis non est per conuenientiam in esse naturali cum re repræsentata, sed intentionali modo, vt docuit S. Thomas in in hac quæst. 57. a. 2. ad 2. & exemplo diuinarum idearum confirmat; imò nostrũ intellectum agentem abstrahere à phantasmatibus species spirituales singularium docuimus in libris de Anima. Ad tertium dicimus communitatem naturæ non distingui realiter à singularibus, sed esse conuenientiam transcendentalem, aut fundamentalem ipsorum; ac subinde simul cum ipsis indiuiduis cognosci. Quare totam essentiam realem obiecti possunt Angeli cognoscere sine præcisione, vel abstractione rationis communis à singularibus: nos enim hic præscindimus nostris conceptibus ob nostram imperfectionem, quæ non patitur perfectè penetrari rationes communes in ipsis indiuiduis.

13. An autem Angeli cognoscant prædicata communia generica, vel specifica per proprios, & præcisus conceptus eorum, per quos actu non cognoscant singularia? Suarius lib. 2. de Angelis cap. 8. dicit vtramque partem esse probabilem, quia talis modus cognoscendi non est Angelo impossibilis; quia vero nonnullam inuoluit imperfectionem, alienus videtur (communiter loquendo) à tam perfecto intelligente, imò etiam superfluus circa illa obiecta, quorum habent Angeli proprias species, quæ subinde possunt distinctè cognoscere prout in se sunt: nam respectu obiectorum, quæ non possunt Angeli nisi in communi percipere per discursum aut coniecturam, fatetur Suarius necessario fore admittendam talem cognitionem in Angelis. Suarez.

14. Mihi videtur simpliciter admittendum esse, quòd possint Angeli talem cognitionem præcisam elicere, si velint, quod insinuat S. Thomas, dum inquit, Angelum per species infusas singularium cognoscere etiam vniuersalia, quam singularia, quamuis modum cognoscendi non declaret, quo etiam modo ferè loquuntur Thomistæ. Ratio sumitur ex dictis num. 10. quia liberum est Angelo vti specie intelligibili adæquate, vel inadæquate, quando ex parte rei non reperitur repugnantia: Sed cognitio naturæ vniuersalis abstrahentis à singularibus solùm est inadæquata respectu speciei rem singularem repræsentantis, & non apparet manifesta repugnantia in tali vsu, siquidem indiuiduatio non est de essentia rationis communis, nec videtur valde ... ab Angelica perfectione, quòd possit ... inadæquatos ... pro libito, & non ex indigentia: ergo potest illos elicere.

15 Obijcies primò non potest concipi natura communis à singularibus abstracta nisi distinguendo illam à singularibus saltem ratione, sed Angelus nõ potest hanc distinctionẽ suo intellectu facere: ergo non potest naturam communem abstractam concipere. Maior probatur: nam eo ipso quòd vnum separatur ab alio, distinguitur ab illo, eodem eo modo, quo separatur. Vnde si solà cogitatione separatur, ratione distinguitur. Hoc autem Angelo repugnare sic ostenditur. Cognoscens rem sicut est non potest in illa distinctionem rationis fingere; nam enim cognoscere rem ... aliter ac est, si cognosceret cum distinctione, quam non habet: Sed Angelus ... non scunt res sicut in se sunt: ergo non abstrahunt, nec distinguunt naturam communem à singulari.

Obijcies secundò, quia si possunt Angeli huiusmodi cognitionem habere, Deus etiã poterit eandẽ habere: Sed hoc non est dicendum: ergo nec illud. Sequela probatur, quia simplicitas diuina non obstat, siquidem quidquid potest Angelus diuersis conceptibus cognoscere potest Deus vnico simplicissimo, si non sit alias ex parte obiecti repugnantia quæ nulla foret in præsenti, si cognitio rei, sicuti est, non impediret abstractionem naturæ vniuersalis. Obijcies tertiò, cognitio naturæ vniuersalis est valde confusa, & quodammodo ficta, siquidem concipit naturam aliter, ac est à parte rei: ergo repugnat Angelo. 16.

Ad primam, In primis negamus maiorem, quia per meram abstractionem naturæ communis non fit distinctio rationis, sed per comparationem naturæ cum singularitatibus: nam vt supra diceban lib. 1. disput. 54. cap. 2. num. 12. distinctio rationis cum sit relatio rationis, fit per actum intellectus comparantis vnum alteri. Deinde falsa etiam est minor: nam vt eo cap. 2. docuimus, Deus potest facere distinctionem rationis, vnde à fortiori non repugnabit Angelo. Quare ad probationem minoris respondetur, etiam cognoscendo rem, sicuti est, fieri distinctionem rationis ... cognoscendo vid... rationes virtualiter distinctas, resultat in illis denominatio de intentioni actualis per rationem. Igitur Angelus cognoscendo humanitatem, v. g. distinctam esse virtualiter à Petreitate sicut verè distinguitur, facit inter illas distinctionem actualem rationis. 17

Ad secundam respondetur Deum quidem cognoscere rationem illam communem, quam nos præscindimus, vt distinctam virtualiter à singularitatibus, non tamen præscindere Deum ex parte actus, quia non datur actus in Deo terminatus ad solam naturam communem, ... idem met realiter terminetur ad omnia cognoscibilia: Angelus autem ... habeat actus ... distinctos, potest tam ex parte actus præscindere, ... ad solam naturam communem terminatum, quiquidem cognoscat ... prædicata, sicuti sunt quoad ... rationem essentialem non cognoscendo singularitatem ... cognoscere rem ... diximus lib. 1. disput ... cap. 4.) non ... te totam quidditatem, vel entitatem illius formaliter & explicitè; sed cognoscere prædicata seu formalitates, quæ per talem actum repræsentantur, sicuti sunt in se. Quare tal... non impedit in Angelo abst... naturæ vniuersalis, quæ tamen abstractio ... repugnat Deo propter summam simplicitatem diuinę cognitionis. Vnde ad tertiam obiectionem negamus cognitionem naturæ ... fictam, aut confusam respectu obiecti, quod repræsentat: non enim negat de natura humana singularitatem ... sed affirmat hominem esse animal rationale, quod verissimum est. 18

CAPVT II.

Vtrum Angelus cognoscat futura contingentia in suis causis.

SVppono primò dupliciter posse cognosci futura certò & infallibiliter ... in causa 1.

causa, vel in signo causæ, quo pacto cognoscitur eclipsis futura in motibus cælorum, & pluuia futura in signis, vt in colore nubium, vel vento. Secundò, in seipsis immediatè, ac directè per speciem immediatè repræsentantem ipsum futurum contingens, & per intuitionem ipsius futuræ veritatis in seipsa, quo pacto videri solet res præsens, & Deus videt res futuras. Prior modus fit per medium cognitum, scilicet per causam, vel signum: ac subinde fit ex vi speciei causæ vel signi, quæ sufficit ad talem cognitionem rei futuræ sine alia specie propria ipsiusmet obiecti futuri. Posterior verò fit sine medio cognito, nimirùm per speciem, vel aliquod loco speciei, quod immediatè ducat ad cognitionem rei futuræ in seipsa. De priori dicemus in hoc capite, de posteriori capite sequenti.

2. Suppono secundò, triplex esse genus futurorum, quæ possunt aliquo modo dici contingentia. Primum est eorum, quæ fiunt à causa naturali determinata ad vnum, non impedibili ab aliis causis naturalibus, sed à solo Deo, respectu cuius dici possunt contingentia, vt ex ipso futura. Secundum genus est eorum quæ sunt à causa naturali, sed impedibili ab aliis causis naturalibus, & hæc futura dicuntur contingentia, non quidem ex parte modi faciendi, cùm etiam causæ impedientes sint naturales, & determinatæ ad vnum, sed ex parte rei factæ, quia quatenus dependent ab vna causa naturali possunt impediri per aliam, ac subinde contingit tales effectus fieri, si non impediantur, vel non fieri, si impediantur. Tertium genus est eorum, quæ fiunt, aut dependent à libero arbitrio, vel tanquam à causa, vel tanquam ab applicante causam aliquam naturalem ad effectum.

3. Suppono tertiò, futura primi generis cognosci certò, & infallibiliter ab Angelis in suis causis naturalibus secundùm cursum naturæ [illegible]. Ita S. Thomas hìc art. 3. & omnes cum illo. Probatur, quoniam Angeli perfectè cognoscunt causas naturales, & illarum efficaciam: ergo inde colligent certò, quid facturæ sint, cùm sint prorsus determinatæ ad talem effectum producendum. Confirmatur, quoniam homines sapientes hæc futura certò cognoscunt in causis, & ex causis: ergo multò meliùs Angeli, qui perfectiùs cognoscunt naturas causarum. Addendum tamen [illegible] non [illegible] huiusmodi futura certò cognosci ab Angelis [illegible] causa tot[illegible]. nam inter alias causas [illegible] diuina voluntas quæ vel per substractionem concursus, vel alio modo potest impedire futurum illud, quod [illegible] determinatum in causa. Quare vt infallibiliter cognoscatur, deberet voluntas diuina per reuelationem [illegible] Angelis innotescere.

4. Circa futura contingentia secundi generis, quæ scilicet à causa naturali determinata sunt ad vnum, sed impediri possunt ab aliis causis naturalibus; est opinio quorundam asserentium hos eff[illegible] antequam sint, non posse certò ab Angelis cog[illegible] Ita Carthusianus in 2. dist. [illegible]. quæst. 4.
Carthusian. Vbi [illegible] contrariam notat erroris propter quendam articulum Parisiensium in quo damnatur qui dixerit nihil esse à casu, nihil à fortuna. Sed omnia necessitate euenire. Quòd si à casu, & fortuito aliqua eueniunt, non poterunt certò ab Angelo præcognosci. Sequuntur Malonius in 2.
Malon. Bannes. dist. 7. disp. [illegible]. & Bannes 1. part. quæst. 5[illegible]. art. [illegible]. [illegible] tam grauiter non notent oppositam, illam

tamen improbant, & insimulant audaciæ. Probabilem censet Richardus in 2. dist. 7. art. 3. quæst. 1 citantur etiam pro ista sententia Bonauentura ibi part. 2. distinctionis art. 1. quæst. 3. Argentinas quæst. [illegible] artic. 3. Ægidius Romanus quæst. 2. artic. [illegible] Marsilius in 2. quæst. 7. artic. 1. punct. 2. illius post septimam conclusionem. Sed isti generaliter negant Angelum posse naturaliter contingentia certò cognoscere, quia vel loquuntur formaliter de contingentibus, vt contingentia sunt, vel hos effectus absolutè contingentes vocare volunt, sed potiùs necessarios, vt Gregorius in 1. dist. [illegible] 3. 2. 1. & Corduba in quæstionario quæst. 55. dub. 4. citantur etiam Athanasius libro quæstionum quæst. 23. & Tertullianus in Apologetico.
Richard. Bonauent. Argent. Ægid Rom. Marsilius. Gregorius. Corduba. Athanasius. Tertullian.

Probatur hæc opinio primò, ex Scriptura Sap. 8. 5.
vbi singulariter tribuitur diuinæ sapientiæ quòd Sap. 8.
scit signa & monstra, antequam fiant, & euentus temporum & sæculorum. Secundò quia tales effectus licet immediatè procedant à causis necessariis, tamen per accidens, & contingenter eueniunt, ita vt simpliciter possint esse, vel non esse, sed illa quæ simpliciter contingentia sunt, non possunt ab intellectu creato certò præsciri: ergo non possunt tales effectus certò præsciri ab Angelo in suis causis. Probatur tertiò, quia sæpè sunt effectus per accidens, qui ad nullam causam per se possint reduci, cùm illam non habeant: ergo nec possunt per se, vel infallibiliter in causa præcognosci. Probatur quartò, quia nunquam potest esse certum talem causam non fore impediendam cùm innumera impedimenta, vel mediantibus Angelis, vel hominibus possint interuenire: ergo non poterunt certò præcognosci in suis causis.

Dico primò, in sola causa proxima sine consideratione aliarum causarum naturalium, quæ possunt occurrere, ac effectum impedire non potest hìc infallibiliter ab Angelis præsciri, in quo sensu est vera prædicta sententia, nec dissentiunt Doctores infrà referendi. Probatur, quia medium talis cognitionis non est infallibile, cùm impediri possit, nec constet quòd altera causa, quæ potest interuenire sit eiusdem generis, id est effectiua, vel alterius, vt materialis, quia quæcunque sit, incertitudinem futuri effectus inducit. 6.

Dico secundò, nec in suis causis totalibus possunt ab Angelis hæc futura præsciri si concurrant in tali collectione causæ liberæ. Sic etiam communiter Doctores, & probatur: nam si numeretur inter causas illorum effectuum diuina voluntas, & eius concursus, hic potest liberè suspendi, vel alio modo diuinitus impediri, nec potest nisi per reuelationem Angelis certò constare, quòd diuina voluntas non sit talem effectum impeditura, sicut de futuris primi generis diximus num. 3. Item plures dantur effectus, & concursus causarum secundarum impedibiles per Angelos bonos vel malos liberè mouentes causam aliquam, atque illam applicantes, vel remouentes; & tunc certum est non posse naturaliter certò prænosci tales effectus futuros, cùm non possint actus liberi talium Angelorum præuideri, nisi subintelligatur conditio; scilicet talis effectus eueniet, nisi Deus aliud disposuerit, vel permiserit ab aliqua causa creata libera impedimentum apponi. 7.

Dico tertiò, in tota collectione causarum secundarum naturalium possunt Angeli [illegible] 8.

futura secundi generis, quæ prouenient ex concursu causarum necessariarum sine interuentu causæ liberæ, cognitione certa secundùm communem naturalem; semper enim subintelligitur conditio tacita, nisi Deus miraculosè voluerit impedire. Sic docent Albertus in 2.dist.7. art.5. Durandus quæst.3.num.4.& dist 3.quæst.8. num.9. Alensis 2.part.quæst.26.memb 4. Pesantius 1.part. q.57. art.3.in principio disp.2. Ripa,& Molina eodem art.3. Vasquez disp.207. cap.2. Suarius lib.2. de Angelis cap.9.num.5. Albertinus tom.1.principio 1.corollar.2.num.3.& alij communiter, & videntur hæc futura comprehendi à S. Thoma in hac quæst.57. art.3. & lib.3.contra Gent.cap. 154. Sub assertione illa, qua dicit Angelum certò cognoscere, quæ necessariò contingunt: nam vt ipsemet asserit 1.contra Gent.cap 67.ratione 3. ea,quæ eueniunt a causa contingente non impedita ex necessitate eueniunt, vbi notat Ferrara talem cognitionem non esse contingentis, vt contingentis, sed vt necessarij; & ideò posse esse certam. Quare rectè dixit S.Thomas quæst. 8. de veritate artic. 12. Angelos virtute naturali scire posse, quæ in causis naturalibus sunt determinata, vel in vna tantùm causa, vel in collectione plurium; nam aliquid est contingens respectu vnius causæ, quod respectu plurium causarum est necessarium; sed Angeli causas omnes naturales, tam materiales, quam efficientes optimè perspectas habent: ergo certitudine naturali præcognoscunt talia futura.

Albert. Durand. Alensis. Petantius. Ripa. Molina. Vasquez. Suarez. Albert. S.Thom.

9. Probatur quia seclusis agentibus liberis, de quibus in præsenti non loquimur, sicut causa immediate productiua horum effectuum est necessaria, sic etiam causæ impedientes naturaliter ita impediunt necessariò, vt non possint non impedire. Cùm igitur Angelus euidenter cognoscat vires vniuscuiusque causæ naturalis, illasque conferat ad inuicem, certò prænoscet, quæ causa superabit aliam,& qua ratione. Igitur certò sciet quòd ex tali occursu, & concursu causarum futurum sit, aut non sit. Si dicas non posse Angelum percipere omnia impedimenta, quæ possunt occurrere, quia sunt propè infinita nunquam. Respondetur quòd si velit aduertere, poterit cognoscere vel in instanti simul attendendo ad omnes causas impedimentorum vel saltem in breuissimo tempore diuersis actibus intuendo. Vnde sic formatur ratio, quam Suarius vocat demonstrationem efficacem, quia habet necessitatem in pluribus causis simul sumptis certò prænosci potest in omnibus illis causis simul consideratis. Sed hanc necessitatem habet effectus contingens respectu alicuius causæ naturalis præcisè sumptæ, si consideretur in ordine ad omnes alias causas simul occurrentes: ergo potest in illis certò præsciri, quando omnes illæ causæ naturales sunt, & certò constat nullam liberam interuenturam esse.

10. Sub causis naturalibus comprehendimus etiam animantia bruta, quæ licèt per cognitionem & appetitum operentur, non minùs naturaliter, seu necessariò feruntur in obiecta, nisi impediantur, quàm causæ naturales non cognoscentes: Ideoque cùm Angelus certò cognoscat omnia impedimenta ex causis naturalibus prouentura, certò etiam cognoscet quid animantia bruta facient aut non facient. Hoc limitant nonnulli quoad illos effectus, ad quos bruta determinantur a sideribus, sed non est opus limitatione; quia siue bruta determinentur ex sideribus ad suas actiones, siue ducantur ex seipsis instinctu naturali, vtrobique militat eadem ratio, quia vtrimque naturaliter & necessariò concurrere, subindeque in causis determinatis posse futuros euentus determinate cognosci.

Vnde potest obiter repelli doctrina Magistri Bannes: Supponit enim primò quòd asserat ipse Angelos in suis motibus, & influentiis cælestibus prænoscere hæc futura, scilicet quot sint futuræ formicæ, post centum annos, vel quomodo sint mouendæ: nam his exemplis vtitur. Supponit secundò, non esse certum omnes effectus non subiectos libero arbitrio ex certo fieri naturali necessitate respectu causarum omnium secundarum, quia forte pendent ab appetitu, & apprehensione brutorum, & inde poterunt impediri sed neutrum cum fundamento dicitur. Nam in primis nos non dicimus hanc certitudinem ex solis causis cælestibus desumi, sed causas etiam materiales, & omnes alias, quæ concurrere possunt, considerandas esse putamus. Deinde seclusa causa libera nihil obstabit dependentia ab apprehensione, vel appetitu brutorum: nam etiam bruta operantur necessariò. quare comprehendendo causas istas simul cum aliis necessariis, certò in omnibus illis prænoscet Angelus futuros euentus. 11

Ad primum argumentum in oppositum respondetur vel ibi sermonem esse de cognitione infallibili, & omninò absoluta independenter, scilicet à quacunque conditione subintellecta, quo pacto solus Deus cognoscit monstra antequam fiant: nam Angelus, vt supra dicebamus num.8.semper affirmat sub conditione, nisi Deus miraculose voluerit impedire. Vel non esse sermonem de sola sapientia increata, nec illam cognitionem ipsi tribui quasi propriam, & singularem, sed extendi ad sapientiam etiam creatam, & ibi simul illam sapientiam commendari, quam homo in hac vita cum adiutorio gratiæ potest comparare. Cuius indicium est, quod de illa sapientia dicitur, quòd *et præterita, & de futuris æstimat: scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum*. Quare non inde colligitur, quòd illa sapientia certam, & infallibilem cognitionem futurorum euentuum, vel monstrorum asserat, sed cum distributione accommoda. Nam abstractè loquendo de sapientia hæc omnia scit, aliter verò diuina, scilicet omninò absolutè, aliter Angelica, scilicet cum certitudine naturali secundum communem cursum; aliter humana, scilicet per coniecturam, & prudentem æstimationem. 12.

Ad secundum distinguitur maior, tales effectus sunt contingentes respectu aut proximæ solius, concedo maiorem; Vnde fit non posse in illa sic prænosci, vt diximus num 6.at respectu collectionis omnium causarum, nego maiorem: talis enim effectus hic & nunc in omnibus pensatis necessarius est, etiamsi non habeat absolutam necessitatem ex vna tantum causa, sed ex illa cum talibus circumstantiis considerata & ad agendum sine impedimento applicata. 13

Ad tertium dato antecedenti negatur consequentia: potest enim effectus esse per accidens, & euenire simul ex necessitate, quia concursus ille causarum supposito ordine vniuersi, & fatum ex eius necessariò contingit. Vnde [illegible] necessitas non prouenit ab vnica causa [illegible] p[illegible]us, 14

pluribus, sic effectus non in vna tantùm, sed in omnibus simul cognoscitur: licèt enim casu contingat, vt corpus ignitum cadens in terram inueniat materiam combustibilem, & illam comburat (quod est exemplum Richardi, & aliorum) nihilominus suppositis causis naturalibus, quæ tali specie & loco materiam illam generarunt, & quæ corpus illud in aere incenderunt, in eodemque tempore locu mouerunt, necessariò sequitur ille concursus, & effectus ex eo per accidens proueniens: ergo qui omnes illas causas cognouerit, potest certò prænoscere talem effectum.

15. Ad quartum respondetur inde ad summum concludi nostram secundam conclusionem, & præterea raros esse sublunares effectus, qui aliquo modo non possint à causis liberis dependere, subindeque communiter tales effectus certò ab Angelis non cognosci naturaliter, v. g. à Dæmonibus, nisi sub conditione, nimirum nisi à causis liberis impediantur; at verò non deerunt effectus aliqui naturales, qui secundùm ordinem vniuersi nec à causis liberis pendeant, nec ab illis possint naturaliter impediri, de quibus procedit nostra tertia conclusio.

16. Dico quartò, futura contingentia tertij generis, quæ sunt à voluntate libera tanquam à causa, vel tanquam ab applicante, non possunt ab Angelis præcognosci certa, & naturali cognitione in suis causis. Probatur primò ex omnibus Scripturæ locis, vbi futurorum prænotio dicitur esse Deo propria, & diuinitatis argumentum. Probatur secundò, nam inter alias causas talium futurorum est volitio libera Dei, quæ soli Deo connaturaliter innotescit, ideò per Isaiam cap. 46. dicit Dominus. *Ego sum Deus, & non est vltra Deus, nec est similis mei annuncians ab exordio nouissimum, & ab initio, quæ nondum facta sunt dicens, consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*; quasi dicat, ideò ego solus possum certo prædicere futura, quoniam à meo consilio, & à mea voluntate pendent omnia futura: Sie exponit ibi Hieronymus dicens, Considerate quòd præter me nullus sit Deus, nec alius potuerit scire ventura, nisi ego, qui per prophetas nuncio, quæ facturus sum, vt cùm prædicta compleuero diuinatione probem diuinitatem. Isaiæ 46.

17. Probatur tertiò; quia voluntas libera siue diuina, siue humana dupliciter considerari potest, vel quasi in actu primo, vt apta ad volendum, vel quasi in actu secundo iam volen. Priori modo non potest in voluntate diuina prænosci futurus euentus, quia de se indifferens, & indeterminata est, & in causa indeterminata nihil potest determinatè prænosci. Vnde nec ipse Deus in sua voluntate sic spectata poterit futura prænoscere. Posteriori modo potest Deus prænoscere futura in suis decretis liberis, vt diximus lib. 1. disp. 32. cap. 5. quia iam ipsa voluntas in actu non cognoscitur vt futura, sed præsens, & eum illa potest habere futurus effectus infallibilem connexionem: at Angelus non potest naturaliter hanc Dei voluntatem certò cognoscere, ac subinde non poterit in illa volitione cognoscere futura.

18. Voluntas creata priori modo spectata, vt potentia nondum eliciens actum suum, nec semetipsam inclinans ad hunc potiùs actum eliciendum quàm illum, est causa indifferens, & ad agendum indeterminata: ergo in illa, vt sic nihil determinatum potest cognosci, non solum ab Angelo, sed nec ab ipso Deo, vt ostensum fuit lib. 1. disp. 32. Posteriori modo consideratur voluntas creata, vt includens actum secundum, qui quidem antequam fiat, non potest certò prænosci vt futurus in ipsa potentia mera propter indifferentiam ipsius, vt dictum est. Quòd si actus supponatur iam factos, non cognoscetur vt futurus, sed vt præsens, & consequenter non in causa, sed in seipso; imò nec vt præsens potest ab aliis cognosci, quia non possunt Angeli cognoscere per se se cognitiones alienas liberas, vt diximus disp. 9. cap. 3. at ipse volens cognoscit quidem suam liberam volitionem præsentem; si tamen effectus exterior non inde proueniat de præsenti, sed habeat animum postmodum faciendi hoc vel illud; adhuc in ista sua volitione non poterit certitudine naturali prænoscere futurum euentum, quia poterit mutari talis volitio, vel impediri saltem à Deo talis effectus.

19. Dico quintò, per aliqua signa probabilia potest Angelus de futuris coniectare, Sic docent communiter Doctores, quia sagacitas, & experientia multùm iuuant ad coniecturam faciendam, præsertim Dæmones vti solent hoc genere cognitionis, quam illis tribuit Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 17. remouetque à bonis Angelis, non quia sit impossibilis cognitio, sed quia minùs perfecta: nam eorum quæ sanctis Angelis expedit scire, habent certam notitiam in verbo; aliorum autem obiectorum absolutum iudicium non proferunt. Hinc Dæmones variis astutiis vtuntur ad decipiendos homines per horum futurorum prædictiones: sæpius enim enunciant, quæ probabiliter coniectant, interdum quæ iam in loco distanti sunt inchoata, & naturali quodam ordine sunt huc peruentura; sed quia frequenter decipi solent, & decipere, ne mendaces agnoscantur, vtuntur verbis ambiguis. Sic notarunt Augustinus lib. 8. de Ciuit. à cap. 14. & lib. 9. vsque ad caput 23. & toto libro de diuinatione Dæmonum, Hieronymus in cap. 41. Isaiæ. Tertullianus in Apolog. cap. 22. Cyprianus lib. de Idolorum vanitate, Eusebius lib. 5. de præparatione cap. 10. Lactantius lib. 1. cap. 8. & lib. 2. à cap. 14. Iustinus in oratione ad Gentes, Athanasius libro de quæstionibus ad Antiochum quæst. 27. August. August. Hieronym. Tertullian. Cyprian. Eusebius. Lactant. Iustin. Athanas.

20. Nec negant isti Patres aliquando posse Dæmonem futura certò prænoscere, physica videlicet certitudine, quando nimirum ex causis naturalibus tantùm eueniunt, sed dicunt communiter Dæmonis cognitionem incertam esse, quoniam etiam ea, quæ naturalia esse videntur, possunt diuina prouidentia, vel per sanctorum Angelorum operationes impediri; quare cùm Dæmones illa prædicont tanquam omninò certa, & per diuinitatem cognita, semper mentiuntur, & sæpè in ipsis rebus decipiuntur, & decipiunt. Addit Augustinus 12. de Gen. ad litteram cap. 17. prædicere Dæmonem aliquando non id quod est futurum, sed quod est præsens; quia tamen est valde distans, nobis videtur futurum. Quòd si nonnulla certò prædixit Dæmon, scilicet mortem futuram Saulis, & similia futura etiam libera, docet Augustinus lib. 2. ad Simplicianum q. 3. id Dæmonem didicisse per reuelationem sanctorum Angelorum, Deo sic disponente propter occultas suæ prouidentiæ rationes. August.

21. Quædam verò sunt futura contingentia, quæ nec per coniecturam prudentialem possunt ab

Angelis prænosci naturaliter: nam in contingentibus ea præsumi debent euentura, quæ frequentiùs eueniunt sub talibus circumstantiis: ergo quæ raro sub tali rerum peristasi solent euenire, non poterunt per coniecturam prænosci, cùm tamen re vera nonnunquam eueniunt sint. Idem est si perpensis omnibus circumstantiis in particulari concurrentibus hic & nunc æqualia sint indicia pro vtraque parte, æquale coniecturarum pondus anceps manebit prudens Angeli iudicium. Videatur S. Thomas in hac quæst. 58. art. 3. & alij Doctores ibi.

CAPVT III.

Vtrùm Angelus cognoscat futura contingentia in seipsis.

1. PArs negatiua est certa de fide. Sic docuerunt Patres supra citati cap. 2. num. 19. & præcipuè Iustinus in libro quæstionum ad Gent. quæst. 2. & 146. Anselmus lib. de casu Diaboli cap. 21. qui licèt de solis Dæmonibus loquatur, inde tamen fit idem esse de bonis etiam Angelis sentiendum, si naturalem ipsorum virtutem ostendamus: nam ex doctrina Dionysij cap. 4. de diu. nom. punct. 4. in Dæmonibus omnia naturalia manserunt integra, nec potest cum fundamento dici, Deum miraculosè denegare concursum illis ad talem cognitionem, aut diuinitùs illos impedire; ne naturales operationes eliciant. Quare si Dæmones naturali virtute nequeunt hæc futura prænoscere, pariter nequibunt Angeli boni, cum eiusdem naturæ sint. Ideò Damascenus lib. 2. de fide cap. 4 non tantùm Dæmonibus, sed etiam bonis Angelis horum futurorum præscientiam denegauit. Origenes lib. 6. contra Celsum non longe ab initio dixit *Diuini sermonis charactere esse prædictionem futurorum*. Chrysostomus homilia 18. in Ioannem. *Certa prædictio futurorum immortalis duntaxat Dei opus est*. Videantur Cyrillus, & Theodoretus in cap. 41. Isaiæ, aliique Patres inde probant mysteria Christianæ religionis esse vera, quia fuerunt anteà prædicta. Sic Iustinus in Apologia 2. ad Antoninum, Clemens Alexandrinus lib. 6. stromatum, Tertullianus in Apolog. cap. 20. Lactantius lib. 4. cap. 12. Augustinus lib. de catechizandis rudibus cap. 26. & lib. 13. contra Faustum cap. 8. & sequentibus.

(Iustin. Anselm. Dionys. Damascen. Origenes. Chrysost. Cyrillus. Theodor. Iustin. Clemens. Alexand. Tertull. Lactant. August.)

2. Probatur primò ex Scriptura, vbi futurorum certa cognitio dicitur esse signum diuinitatis, Isaiæ 41. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.* Vbi late probat Hieronymus non potuisse Idola præscire futura, siquidem nec templorum ruinas prænouerunt, & in illud Daniel 2. *Somnium itaque*, &c. inquit idem Hieronymus. *Confitentur Magi, confitentur Arioli, & omnis scientia sæcularis litteratura præscientiam futurorum non esse hominum, sed Dei, ex quo probatur Prophetas spiritu Dei locutos* dum dicit non esse hominum, sed Dei, Angelos etiam excludit, alioquin non rectè diceret, sed Dei, nec inde rectè colligeret Prophetas futura prænunciantes spiritu diuino locutos fuisse, si Dæmonum arte potuerunt præscire futura. Confirmatur ex eodem Daniele cap. 2. vbi tanquam proprium, & singulare de Deo dicitur. *Ipse reuelat profunda, & absondita, & nouit in tenebris constituta*, & infrà. *Est Deus in cælo reuelans mysteria, qui indicauit tibi, rex quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.* Vbi Hieronymus. *Frustrà ab hominibus quæris in terra, quod solus Deus nouit in cælis*; ideò prophetia, per quam hæc futura prædicuntur est signum certissimum diuinæ veritatis, & reuelationis, vt sumitur ex 1. Corint. 14. non esset autem sufficiens signum diuinæ veritatis nisi solus Deus posset illa futura prænoscere, vt rectè docuit Origenes lib. 6. contra Celsum, Chrysostomus homilia 32. in 1. epistolam ad Corint. S. Thomas 3. contra Gent. cap. 154. & colligitur ex illo 2. Pet. 2. *Habemus firmiorem propheticum sermonem.*

(Isaiæ 41. Dan. 2. 1. Cor. 14. Origenes. Chrysost. S. Thom. 2. Petr. 1.)

3. Probatur secundò, ratione à posteriori: nam oracula Dæmonum etiam ipsismet Ethnicis attestantibus plena sunt erroribus, & mendacijs, signum igitur est, futura contingentia certi generis ab Angelis non posse certò prænosci: nam si naturaliter illa dæmones prænoscerent, cùm maximè volebant hoc veræ prædictionis indicio sibi diuinitatem arrogare, non tactarent falsa responsa. Vnde non solùm nullus fuit hæreticus, qui putaret futura contingentia, quæ à libero arbitrio quoquomodo dependent, posse naturaliter ab Angelis prænosci; sed etiam apud ipsos Gentiles adeò diuinum existimabatur prædicere futura, vt qui talia prædicerent, in Deorum numerum ab ipsis referrentur, idque prædicere diuina dicitur diuinare, quasi diuini muneris sit futura prænoscere.

4. An autem huius reddi possit ratio? negat Vasquez 1. part. disp. 208. cap. 2. Alij varias conantur adducere, quas oportet sigillatim expendere, dum priùs rationem dubitandi oppofuerimus. Nam ipsa futura per se spectata, seu ex parte obiecti sunt cognoscibilia certa scientia; tum quia Deus præcognoscit illa in seipsis vt quæst. 14. visum est: cognitio verò etiam diuina supponit cognoscibilitatem obiecti, tum demum quia habent determinatam veritatem, vt ibidem dictum est: Omnis autem veritas quatenus est ex se, scibilis est per certam intellectionem: ergo etiam ab Angelis sciri poterunt. Consequentia probatur primò, quoniam ex parte Angeli non videtur ipsi tali scientia repugnare. Secundò, nam Angelus habet proprias species talium futurorum singularium: ergo poterit per illas cognoscere quidquid in tali obiecto singulari, & natura sua cognoscibile est; atque adeò existentiam etiam illius pro tali differentia temporis futuri.

(Vasquez.)

5. Prima ratio sit Scoti, & aliorum, qui putant Angelos accipere species à rebus, vnde colligunt non posse illas accipere, donec res ex stant, ideoque non posse illa, quæ nondum existunt, prænoscere naturaliter in seipsis. Sed hæc ratio supponit falsum, vt ostendimus disput. 8. num. 10. & 20. Quòd si dicas species intentionales infundi Angelis a Deo, non tamen nisi ad præsentiam obiectorum; Contrà iam primùm si Angelus nunquam potest accipere species ab obiecto existente, frustrà [illegible] talis obiecti singularis, vt Angelo species eius conferatur, siquidem [illegible] species ab obiecto non pendet. Deinde quia quem locum habent cæli inter cætera corpora [illegible] habent Angeli inter spiritus immateriales; sed cæli ita [illegible] antur ad inferiora corpora, vt creati sint [illegible] actu primo, licet inferiora paulatim perficiantur [illegible] Angeli in hoc superant inferior[illegible] cet animas nostras, quòd creati sint [illegible] o [illegible] cti

perfecti, animæ verò per corpus illam perfectionem adquirant. Et quidem hoc eſt conſentaneum naturali conditioni, & ſtatui talium ſpirituum; tum quia Angeli ſunt medij inter Deum & animas. Deus autem eſt ſemper in actu ſecundo, animæ verò creantur in potentia etiam ad actum primum: ergo natura media poſtulat, vt creetur ſaltem completa in actu primo, licèt ſit in potentia ad actum ſecundum; tum maximè: nam anima etiam in cognitione intellectuali pendet à corpore, ſaltem vt ab organo, ſeu medio, quo reducitur in actum primum, ideoque vnitur corpori; Angelus autem non pendet in ſua cognitione à corpore, nec per illud comparat principia intelligendi, & ideò non vnitur corpori vt forma: ergo pari ratione independenter ab exiſtentia rerum recipiet ſpecies illarum.

6. Præterea non oſtendit illa ratio impoſſibilitatem ex parte naturæ Angelicæ, ſed rationem reuocat ad voluntatem Dei nolentis talium rerum ſpecie dare Angelis priuſquam exiſtant res ipſæ cuius volitionis diuinæ non poteſt ratio naturalis aſſignari: nam ex parte Angeli ſupponitur vis intelligendi naturalis ſufficiens ad prænoſcendum dicto modo hæc futura, ſi dentur ipſi ſpecies intentionales: ergo quantum eſt ex parte Angeli naturalis eſt talis cognitio, & priuari ſpeciebus eſt voluntarium tantùm ex parte Dei, quare potiùs erit præternaturale Angelo priuari tali cognitione, quia præternaturale eſt ipſi carere ſpeciebus earum rerum, ad quas intelligendas de ſe habet potentiam & aptitudinem naturalem.

7. Molina. Secunda ratio eſt Molinæ 1. part. quæſt. 56. art. 3. & aliorum aſſerentium futurum contingens non poſſe ab Angelis certò prænoſci, quia non habet determinatam entitatem, ac ſubinde nec cognoſcibilitatem: nec enim eſt determinatum in cauſa, vt ſupponimus, nec in ſe, cùm nondum ſit præſens: eſt igitur omninò indifferens ad fore, & non fore, vnde non poterit certò & determinate ab Angelus præuideri. Quòd ſi obiicias inde ſequi, nec Deum prænoſcere talia futura; reſpondet Molina Deum prænoſcere illa propter infinitam ſuam ſcientiam, & ſuper eminentiſſimam comprehenſionem voluntatis creatæ. Sed ſatis infirmatur hæc ratio ex ſuprà dictis lib. 1. diſp. 29. vbi ſatis oſtendimus futura contingentia habere determinatam veritatem obiectiuam; ac ſubinde præcognoſci à Deo in ſeipſis. Quare non videtur ex hoc capite ipſorum prænotio Angelis repugnare.

8. Tertia ratio eſt quorundam recentiorum exiſtimantium ad hoc vt prænoſcatur futurum contingens deberi cognoſci volitionem diuinam: at volitio diuina cognoſci non poteſt per ſpeciem creatam, ſed per reuelationem diuinam, vt de ſe patet: ergo futurum contingens ab Angelis cognoſci non poteſt. Maior probatur, quia volitio diuina concurrit ad futurum contingens, vt cauſa totalis, quando ſit effectus à ſolo Deo, vt creatio vniuerſi, vel ſaltem vt cauſa partialis, quando Deus concurrit ſimul cum cauſis ſecundis ad operandum: ergo neceſſariò debet cognoſci ſimul cum futuro contingenti diuina volitio tanquam cauſa. Probatur conſequentia, quia futurum debet prænoſci ſecundùm omnes rationes exiſtentiæ; & ſic debet cognoſci cauſa, quæ factura eſt tale futurum.

9. Sed non benè conuincit iſta ratio, quòd videri debeat diuina volitio, ad hoc vt videatur futurum in ſeipſo: nam ſi per ſpeciem repræſentaretur futurum contingens, vt exiſtens pro tali differentia temporis extra cauſas, non eſſet neceſſarium repræſentari, vel cognoſci cauſas illius, ſicut etiam accidit, cùm videtur res ipſa præſens: nam ad illius cognitionem non requiritur cognitio cauſæ, ſed à poſteriori ſæpè colligitur ex effectu cauſa, licèt hæc non videatur in ſeipſa. Sic igitur ex cognitione futuri contingentis in ipſo colligeretur volitio diuina ad talem effectum neceſſaria ſine intuitione talis volitionis in ſeipſa.

Quarta ratio eſt Ferraræ lib. 2. contra Gent. cap. 96. Ægidij Romani in 2. diſt. 7. quæſt. 2. art. 1. & Caietani 1. p. quæſt. 57. a. 5. *Quoad ſecundum*, qui aſſerunt quòd ſpecies non eſt principium cognoſcendi niſi res præſentes, quia futura (inquiunt) non habent naturam, ſecundùm quam aſſimilentur ſpeciebus; repræſentatio verò ſit per aſſimilationem: ergo futura non poſſunt per ſpecies repræſentari. Maiorem probant: nam vna res exiſtens non eſt actu ſimili alteri, donec altera exiſtat, ſed priùs exiſtens dici poteſt ſimilis in potentia, & per alterius productionem poſteà incipit eſſe illi ſimilis actu. Sic igitur ſpecies Angelis congenitæ priùs quàm obiectum exiſtat, non repræſentant illud actu, ſed in potentia; & ideò non poſſunt eſſe principium cognoſcendi illud, vt futurum; poſtquam autem exiſtit, eo ipſo ſpecies actu repræſentat illud, quoniam eſt actu ſimilis illi, & per conſequens poteſt iam eſſe ratio cognoſcendi rem, vt exiſtentem & præſentem per obiecti ſcilicet mutationem. 10. Ferrara. Ægid Rom. Caietan.

Hæc etiam ratio infirmatur, quia vel loquitur de aſſimilatione prædicamentali, vel de tranſcendentali; primam verum eſt coëxigere exiſtentiam actualem termini: ſed talis relatio ſimilitudinis non requiritur ad hoc vt ſpecies repræſentet obiectum ſuum. Primò, quia ſpecies intelligibilis non dicitur repræſentare obiectum per formalem conuenientiam in natura, vel in figura vel in aliqua qualitate: quare licèt obiectum exiſtat, non conſurgit relatio ſimilitudinis inter ſpeciem, & obiectum, ac ſubinde nec anteà erat ſpecies ſimilis obiecto in potentia ſecundùm talem ſimilitudinem, quia nunquam fuit talis relationis capax: ſolum enim dicitur obiectum repræſentari per ſpeciem intentionaliter, quatenùs ſpecies habet vim efficiendi actum, qui eſt intentionalis imago rei cognitæ. Secundò quia licèt admitteretur talis relatio, hæc non eſſet principium agendi, vel producendi cognitionem, nec adderet actiuitatem ſpeciei, ſed ſolùm modum intrinſecum reſpectiuum, qui reſpiceret terminum purè, vt terminum: ergo ſpecies non eſt principium cognoſcendi rem ratione talis relationis predicamentalis, ſed ratione ſuæmet perfectionis abſolutæ, per quam conſtituit potentiam intellectricem in actu primo completo, ſiue obiectum exiſtat, ſiue non exiſtat. 11.

Quòd ſi fiat ſermo de ſimilitudine, ſeu relatione tranſcendentali, hæc non requirit exiſtentiam obiecti, ſubindéque ſpecies intentionalis eandem habet ſimilitudinem virtualem, eandemque vim repræſentandi ſuum obiectum, ſiue hoc exiſtat, ſiue nondum exiſtat; ac per conſequens dicetur eſſe in potentia reſpectu productionis, vel repræſentationis effectiuæ, quandiu non efficit actum; & ſic poteſt repræſentare in potentia tam rem exiſtentem, quàm non exiſtentem; in actu verò dicetur eſſe, cùm actualiter producit 12.

ſimul

simul cum intellectu cognitionem. Itaque speciem esse in actu, vel in potentia repræsentandi non pendet ab actuali existentia, vel non existentia obiecti, sed ab applicatione libera voluntatis applicantis intellectum ad vtendum tali specie, vel non applicantis. Quòd si dicas speciem, quandiu ipsius obiectum non existit, non posse reduci ad actum, nec intellectum posse cum illa concurrere ad cognitionem, quamuis applicetur à voluntate, falsum est, quia per illam speciem potest Angelus cognoscere rem repræsentatam, vt possibilem abstractiuè & quidditatiuè. Si tamen vrgeas, esse saltem in potentia quoad cognitionem intuitiuam rei existentis, quam nullatenùs elicere potest, antequam obiectum existat, hoc videtur petitio principij: nam huius quæritur ratio, cur sicut per illam speciem actu repræsentatur effectiuè res præsens, quando existit, non etiam res futura repræsentetur, quando est tantùm futura, si velit Angelus tali specie vti quoad totam eius efficacitatem.

13. Albert. Alias aliorum rationes refert, & refellit Albertinus tom 1. principio 1. corollar. 12. & n. 13. quandam adducit ex S. Thoma quæst. 8. de veritate art. 5. quæ sit quinta. Si dari posset species in Angelo, quæ naturaliter repræsentaret futurum contingens; sequeretur hanc speciem esse perfectiorem suo obiecto: nam hæc non habet existentiam pro differentia temporis A, sed illam habet pro differentia temporis B, At verò species haberet differentiam perfectiorem: nam existeret secundùm suum esse repræsentatiuum pro differentia temporis A, repræsentando suum obiectum pro tempore B, sed consequens est absurdum; quoniam obiectum non solùm est terminus quatenùs ad illum terminatur cognitio elicita per speciem, sed etiam est exemplar speciei: nam species (vt supponitur ex Philosophia) est vicaria, semen, instrumentum obiecti, & participatio quasi ab illo exemplata vt repræsentet obiectum: absurdum est autem exemplatum esse perfectius suo exemplari.

14. Sed refellitur ista ratio, tum quia species Angelis infusæ repræsentant interdum obiectum possibile, vel saltem possunt infundi species, quæ repræsentent obiectum possibile, quod actu non existit; & tamen species repræsentans est in actu existendi repræsentatiuo; tum etiam quoniam excessus in actuali solùm existentia, vel in duratione non est essentialis, sed quasi materialis, nec inde sufficienter colligitur repugnantia naturalis ob quam species à Deo infusa non possit repræsentare suum obiectum etiam antequam illud existat.

15. S. Thom. Itaque huius veritatis ratio desumenda mihi videtur ex doctrina S. Thomæ in hac quæst. 57. art. 3. & suprà quæst. 14. art. 13. vbi supponit duo requiri ad præcognitionem futurorum. Primum ex parte obiecti, scilicet determinatam eorum veritatem, quæ sufficiens sit ex se se terminare cognitionem, & iudicium certum, seu verum; & ex hoc capite non esset impossibilis Angelis futurorum prænotio. Secundum verò requiritur ex parte cognoscentis, virtus videlicet cognoscitiua, quæ possit talem cognoscibilitatem attingere; & hæc vis reperitur in Deo, non tamen in Angelis. Quod declaratur primò quia diuina cognitio mensuratur æternitate, etiam quoad omnem suam terminationem, ita vt sicut habet totum suum esse simul, sic etiam omnia vtcunque obiecta à se cognoscibilia simul attingat, vt explicuimus lib. 1. disp. 30. At verò vis Angelica cognoscitiua non sic includit omnem intellectionem suam mensuratam æternitate, simulque attingentem quæcunque cognoscibilia sunt ab ipso, sed admittit variationem in operando, subindeque non cognoscit intuitiuè obiecta contingentia, donec existant actualiter.

Declaratur secundò, ex supradictis cum S. Thoma disp. 8. cap. 1. a num. 20. Sicut enim non potest Angelus sine speciebus distinctis cognoscere obiecta à se distincta, quia non continet illa eminenter, quemadmodum essentia diuina continet omnes creaturas: Sic non potest prænoscere futura, priusquam existant, quia non continet illa eminenter, sed solus Deus præcontinet omnia futura, etiam dum futura sunt. Etenim eminentialis continentia facit, vt non requiratur ad cognitionem concursus obiecti, sic per seipsum, siue per speciem sui vicariam; ideoque ante illius existentiam haberi potest illius prænotio; Vbi verò non datur talis continentia, sed indigentia specierum, eo ipso non datur cognitio intuitiua rei, donec obiectum ipsum actualiter existat. 16.

Quod declaratur tertiò, quia licèt Deus infuderit Angelo species ab initio creationis illius, concreauit tamen illas tanquam administrator naturæ supplens concursum obiecti; subindeque concreauit illas vt instrumenta obiectorum: hic enim erat modus proportionatus, & conueniens Angelo, qui non continet eminenter obiecta. Igitur infudit Deus Angelis species, vt instrumenta obiectorum eo modo quo poterant produci à suis obiectis: Sed futurum contingens vt contingens futurum est, concurrere non potest ad productionem suæ speciei, quia nihil agit, dum est futurum, sed iam actualiter præsens: ergo Deus non infundit Angelis species, quæ repræsentarent futurum, vt futurum, nec vt existens pro tali differentia temporis subsequentis, sed quæ repræsentarent illud intuitiuè, postquam iam existit, quia sic existens obiectum esset potens producere sui speciem in subiecto capaci. Hoc forsan intendit S. Thomas quæst. 8. de veritate art. 2. dum inquit, quòd Angeli non possunt habere in seipsis repræsentatiuum futurorum contingentium, quia non sunt operatores illorum, sed debent illud recipere ab obiecto: at futurum contingens non potest assimilare sibi speciem, quare nec illam Deus Angelis infudit. Huc etiam reuocandi sunt Richardus in 2. dist. 38. & 39. art. 1. quæst. 1. Capreolus in 1. dist. 36. artic. 2. quæst. 1. Caietanus hic, & alij, dum dicunt Angelos non prænoscere futura, quia non habent illa sibi præsentia in æternitate, sic etiam intellecta quatenùs suprà relata sustineri potest. 17. S. Thom. Richard. Capreolus. Caietan.

Sed contra rationem istam obiicies primò. Sequeretur ex illa, quòd Angelus non haberet species vniuersales: nam si Angelus acciperet speciem ab obiecto, desumeret duntaxat speciem repræsentatiuam illius obiecti singularis: ergo etiam Deus vt administrator naturæ non debuisset Angelis imprimere speciem vniuersalem. Respondetur Deum in infusione specierum Angelicarum attendisse simul ad obiecta, quorum vicariæ substituuntur, & ad perfectionem intellectus Angelici, cui infunduntur; hæc autem naturaliter postulat species vniuersales in repræsentando iuxta suprà dicta disp. 8. cap. 4. Obiecta 18.

verò petunt non mouere per se, nec per speciem sui vicariam, nisi dum iam existunt. Vtrique ergo connaturalitatis iuri satisfacere videtur Deus, infundens Angelo species quidem vniuersales, quæ tamen non repræsentent intuitiuè contingentium obiectorum existentiam, nisi postquam iam producta sunt.

19. Obiicies secundò, Angelus cognoscit possibilia, quæ tamen non possunt concurrere ad productionem specierum. Respondetur ideò non deberi per se connaturaliter Angelis species proprias rerum possibilium, vt significat S. Thomas suprà q. 56. a. 2. ad 4. & docent expositores ibi, & q. 55. a. 2. Quòd si cuipiam Angelo perfectissimo siue creato, siue creabili debeatur species ita vniuersalis, vt aliquot etiam possibilia repræsentet; hæc species non tam conuenit Angelo per se ad hoc, vt primariò cognoscat obiecta possibilia, quàm ex consequenti, & ex abundantia perfectionis ipsius speciei, quæ propter suam vniuersalitatem, si non habeat obiecta sufficientia pro sua latitudine, extendatur etiam ad merè possibilia, vt dicebamus supra disp. 8. c. 4. n. 33. Potest etiam dici quòd perfectior species, dum in causis creatis penetrat plures ordines transcendentales ad effectus, quos possunt connaturaliter producere, plures item terminos talium habitudinum ex consequenti debeat repræsentare, subindeque plures effectus possibiles.

20. Obiicies tertiò, sequeretur saltem ex nostra doctrina, quòd Angelus posset prænoscere suas operationes futuras, nimirum suam futuram volitionem, cognitionem, vel externam actionem, quia continet illas eminenter. Respondetur, siue Angelus indigeat speciebus ad cognitionem suarum operationum, siue moueatur sufficienter ab ipsismet obiectis iuxta suprà dicta disp. 8. cap. 2. num. 19. non posse tamen antequam actualiter existant, cognosci quoad existentiam pro tali temporis differentia, quia nec per se, nec per sui speciem possunt dum nondum existunt mouere; nec Angelus ita continet has operationes proprias, vt sit per suammet substantiam sufficienter, & completè constitutus in actu primo ad illas cognoscendas vt futuras: nam ad volitionem concurrit aliquo modo in eodem ordine causæ secundæ, saltem exemplaris, vel determinantis extrinsecè simul cum voluntate cognitio, & obiectum ipsum præcognitum. Ad cognitionem concurrit obiectum, vel species illius; ad actionem externam prærequiritur cognitio, & volitio, quæ non dependent à sola substantia Angeli, vt visum est.

21. Iam ad rationem dubitandi suprà positam n. 4. Respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam, ad cuius primam probationem dicimus ex suprà dictis constare naturalem repugnantiam præcognoscendi hæc futura in seipsis prouenientem Angelis ex limitatione sui intellectus, vel potiùs omnis intellectus creati. Ad secundam probationem varij variè respondent. Quidam apud Heruæum in 2. distinct. 3. dixerunt per speciem innatam posse cognosci rem singularem cum omnibus conditionibus indiuiduantibus ipsam; Cæterùm antequam res existat solùm cognosci sub esse possibili, quoniam ad hoc per se sufficit species; non autem cognosci prout futuram, quia species illa de se indifferens est ad rem præsentem, præteritam, & futuram. Vnde consequenter addunt per talem speciem non cognosci rem existentem, vt sic, nisi fiat in tali specie aliqua mutatio, per quam recipiat in se nouum modum intrinsecum. Res autem futura, vt futura per illam speciem non cognoscitur, quia tali modo speciali caret. Sic etiam tenet nouissimè Malonius in 2. dist. 3. disp. 14. Malon.

22. Sed vix, ne dum vix quidem potest in ista sententia sufficiens assignari causa, quæ talem mutationem, siue additionem faciat in specie Angelica: non enim obiectum denuò existens, quia sæpè corporeum est, & nihil potest agere in spiritum; sæpiùs etiam erit distans ab Angelo, & nihil potest agere in distans, quin agat in proximum. Demum si obiectum ipsum posset modum illum producere facilius esset illi producere sui speciem. Nec est ipsemet Angelus, quia vel agit actione libera, & hæc supponeret talis obiecti cognitionem, vel actione naturali; & hæc non potest oriri magis ex Angeli substantia post extrinsecam productionem, vel existentiam obiecti materialis, quam ante illam.

23. Respondet Malonius fieri mutationem illam ab Auctore naturæ non per modum nouæ reuelationis, vel illuminationis, vt alij putarunt, sed per prouidentiam generalem, qua præbet singulis causis secundis cooperationem suam iuxta modum, quo naturaliter exigunt adiuuari. Sed contrà in primis, quia est contra S. Thomam hic art. 3. ad 3. & 4. & quæst. 8. de veritat. artic. 9. ad 3. & art. 12. ad 1. Vbi docet Angelum cognoscere rem existentem sine aliqua mutatione facta in ipso, nimirum antecedenti cognitionem ipsam. Deinde percipi non potest, qualis sit ille modus superadditus speciei Angelicæ, ratione cuius repræsentet actualem existentiam rei, quam antea repræsentabat vt possibilem; faciliùs diceretur superaddi nouam speciem intentionalem. Denique non redditur in hac sententia ratio cur sicut differentia temporis præsentis, vel præteriti naturaliter est repræsentabilis ex vi speciei per specialem modum ipsius, non ita differentia temporis futuri per alium similem modum repræsentari possit.

24. Vasquius 1o part. disputat. 208. cap. 4. respondet ad istam obiectionem, species quidem Vasquius. infusas à Deo, quantum est ex se repræsentatiuas esse futuri, sed non repræsentare illud actu, quia futurum non est intra latitudinem obiecti Angelici, quod dicit à se fuisse suprà probatum. Vbi verò probarit, non inuenio: nam in sola disputat. 200. cap. 3. num. 14. eandem attingens difficultatem ait, facilè dissolui dicendo: hæc futura non cognosci ab Angelis, quia non sunt obiecta potentiæ cognoscitiuæ Angelorum secundùm eius virtutem naturalem æqualiter correspondentia, cuius rationem non reddit; imò nec reddere potest in sua sententia, siquidem existimat nullam posse reddi naturalem rationem, ob quam hæc futura non possint naturaliter ab Angelis cognosci. Fauet huic responsioni S. Thomas in hac quæst. 57. artic. 3. dum S. Thom. ait species Angelicas æqualiter se habere ad præsentia & futura, non tamen ipsas res præsentes; & futuras æqualiter se habere ad species istas intentionales.

25. Cæterùm non placet responsio, quia si futurum contingens non continetur intra latitudinem obiecti cognoscibilis ab Angelo, non infunderetur connaturaliter Angelo species connaturalis repræsentatiua talis obiecti in actu primo. nam species

ſpecies connaturales non dantur potentiæ cognoſcitiuæ niſi reſpectu obiecti proportionati ſibi, vt patebit diſcurrenti per omnes alias ſpecies naturales intentionales; vnde potiùs colligendum erit, quia futurum contingens, vt futurum, non eſt obiectum proportionatum Angelorum intellectui, & intellectioni; ideò non dari Angelis connaturalem ſpeciem, quæ repræſentet tale futurum, vt futurum. S. Thomas potiùs indicare videtur noſtram ſententiam vt dicemus.

26. Igitur reſpondendum eſt ad illam ſecundam probationem, ſpecies infuſas à Deo, priuſquam obiectum actualiter exiſtat, repræſentare illud abſtractiuè, cùm verò exiſtit obiectum, repræſentare iam illudmet intuitiuè, nihil accipiendo aliunde, nec per additionem intrinſeci modi ſuperuenientis de nouo, ſed quia Deus infundit Angelis ſpecies intentionales, quæ ſimul ſint obiectorum vicariæ, & commenſurentur etiam Angelicæ perfectioni. Hæc autem petit abſtractiuè cognoſcere naturas aliquot creaturarum, quæ cùm non poſſint nondum exiſtentes mouere ad ſui cognitionem abſtractiuam ad Auctorem naturę pertinet infundere tales ſpecies, quæ abſtractiuæ cognitioni etiam ante obiectorum exiſtentiam deſeruiant; quatenùs verò ſpecies ſunt obiectorum vicariæ; quoniam obiecta non mouent ad ſui cognitionem intuitiuam donec exiſtant; ideò nec ſpecies intentionales iſtæ, prout gerunt vicem obiecti: poſſunt mouere ad cognitionem intuitiuam, donec exiſtat obiectum. Itaque actualis exiſtentia obiecti ſolùm requiritur, vt conditio extrinſeca, qua poſita, iam ſpecies, quæ anteà repræſentabat rem abſtractiuè ſecundùm poſſibilitatem, repræſentat eandem intuitiuè ſine intrinſeca variatione.

27. Hanc ſuſpicor fuiſſe mentem S. Thomæ in hac quæſt. 57. artic. 3. ad 3. cùm dixit, ſpeciem Angeli eſſe ſecundùm ſe indifferentem ad repræſentandam rem præſentem, vel futuram: rem autem ipſam non comparari eodem modo ad ſpeciem Angeli, quando eſt præſens, vel futura. *Quia quando eſt præſens habet naturam per quam aſſimiletur ſpecies, quæ eſt in mente Angeli.* Hæc enim aſſimilatio ſi ſit virtualis, continetur in ſpecie, ſi verò ſit formalis completur per ipſam intellectionem: Dicitur autem res exiſtens habere naturam per quam aſſimiletur ſpeciei, quia iam eſt obiectum aptum, vt per ſpeciem ſui vicariam moueat ad intuitiuam ſui cognitionem; ideoque manet ſpecies iam expedita proximè ad excitandam, & coëfficiendam talem notitiam. Quare ſubiungit ſanctus Doctor, quandiu res eſt futura, nondum habet naturam, per quam aſſimiletur ſpeciebus Angelicis, ſcilicet intentionaliter per intuitiuam repræſentationem; ſic videtur intellexiſſe ſanctum Thomam Capreolus ſuprà reſpondens Gregorio: nam in fine ſolutionis ad primum, poſtquam verba ſancti Thomæ retulerat, ſubiungit. *Tunc ad argumentum dicitur quod licèt futura non poſſunt diſtinctè cognoſci ab Angelo hoc non eſt ideò, quia cognitio Angeli dependeat à futuris, ſed quia non ſunt capacia cognitionis propria, & diſtincta, nec ſubiecibilia eidem.* Scilicet quoad intuitiuam cognitionem. Hoc idem inſinuat Theodoretus oratione 2. in Danielem. Vbi docet futura, *velut quondam profundo occultari, cùm nondum facta ſunt.*

Theodor.

28. Dices; Si Angelos cognoſcit futura antequam exiſtant, ſaltem quoad naturas & poſſibilitatem eorum, inde colliget talia obiecta eſſe futura, ſiquidem ſcit, ſe ſpecies non habere poſſibilium, quæ nunquam erunt. Reſpondetur in primis talem futurorum cognitionem non fore intuitiuam, nec immediatam, aut per medium incognitum, ſed per medium cognitum, & nimis extrinſecum; quale eſt illud principium, ſcilicet Angelum non habere ſpecies rerum poſſibilium, ſed ſolùm futurarum. Vnde ex vi talis medij non cognoſcetur clarè, & diſtinctè, quando, & quomodo res futura ſit, ſed abſolutè, & confusè quòd futura ſit aliquando. Deinde talis cognitio non erit omnino certa, quoniam, vt dicebamus ſuprà, num. 19. plurium etiam poſſibilium habet Angelus ſpecies proprias: cognoſcit enim potentias naturales producere poſſe hunc vel illum effectum, quem nunquam producent, vel quia nolent pro libito ſuo, ſi ſint cauſæ liberæ, vel quia deerit aliqua conditio, qua poſita redderentur proximè potentes ad operandum: quod in particulari oſtendit Suarius lib. 2. Suarius.
de Angelis cap. 12. num. 17. & 18. & iuxta noſtram doctrinam capi poſſunt exempla, quæ adducit.

29. Ex dictis in hoc capite deduco futura contingentia, ſiue tertij generis, ſiue ſecundi etiam & primi, non poſſe ab Angelis in ſeipſis cognoſci notitia intuitiua, priuſquam actualiter exiſtant; quod rationes adductæ probant pariter de omnibus quoad huiuſmodi cognitionem directam & immediatam exiſtentiæ rei pro tali differētia temporis intuitiuè præcognitæ in ſemetipſa, vt notat Albert.
Albertinus tom. 1. principio 1. corol. 12. n. 2. & 3. licèt quoad cognitionem futuram in cauſis diuerſa ſit ratio, cùm futura primi & ſecundi generis habeant cauſas naturales determinatas ad vnum; futura verò tertij generis habeant cauſam omninò indifferentem.

CAPVT IV.

Vtrùm res præteritas, & poſſibiles cognoſcat Angelus.

1. QVomodo cognoſcat Angelus res præſentes, quarum habet ſpecies proprias, conſtat ex ſupradictis cap. 3. Circa præteritas certum eſt primò poſſe Angelos certò cognoſcere naturales effectus præteritos, etiamſi liberè, & contingenter facti ſint, dummodo non fuerint cogitationes cordium. Ita communiter Theologi, & probatur primò, quia præterita ſunt naturaliter cognoſcibilia, & quamuis liberè facta ſint, iam non ſunt contingentia, ſed neceſſaria, & determinata in ſeipſis, vnde fit, vt homines etiam illa certò cognoſcere poſſint: ergo poterunt etiam Angeli naturaliter illa cognoſcere. Probatur ſecundò quia notitia præteritorum neceſſaria eſt ad experientiam vel ſagacitatem in rebus agendis, & ideò Patres tribuunt frequenter Dæmonibus experientiam, per quam ſunt ad tentandum ſagaciſſimi, & aſtutiſſimi. Probatur tertiò, quia memoria eſt de præteritis, vt præterita ſunt; & Angeli memoriam rerum habent: nam hæc pertinet ad perfectionem, nec eſt cur Angelis denegetur: cùm enim non ſemper perſeuerent in actu cognitionis

ſemel

ſemel factæ, perſectionis erit ipſorum poſſe rei ſemel cognitæ notitiam iterare.

2. Certum eſt ſecundò, poſſe Angelos cognoſcere nonnunquam rem præteritam per ſigna, vel veſtigia, quæ reliquit, ſicut nos etiam cognoſcimus hîc fuiſſe ignem, ſi fumus adhuc, vel ſigna combuſtionis permaneant, & ex effectu præſenti præteritam cauſam, vel euidenter colligimus, vel ſaltem probabiliter coniectamus: nec tunc fit cognitio per ſpeciem præteriti propriam, ſed per ſpeciem veſtigij, vel effectus relicti, & adhuc præſentis. Certum eſt tertiò, poſſe Angelos cognoſcere rem præteritam per aliorum dictum, & teſtimonium, ſi videlicet vnus Angelus, qui rem vidit, quando fiebat, aliis referat, qui non viderunt; & hic etiam modus cognoſcendi eſt imperfectus, & per alienas ſpecies, & de vtroque iſto modo cognitionis ſentiendum eſt, ſicut de cognitione cuiuſcúque cauſæ per ſigna, vel per effectus, aut ſicut de cognitione futurorum per reuelationem, vel per coniecturas, vel per certa ſigna, vel in cauſis. Quare cum proportione poſſunt præteritis applicari, quæ de futuris diximus cap. 2.

3. Reſtat verò duplex quæſtio; prima de re præterita, quam Angelus vidit præſentem, iam verò non videt, quia deſiit exiſtere, vbi occurrit explicandum per quid fiat in Angelo actualis

Vaſquez. memoria præteriti? Vaſquius 1. part. diſput. 208. cap. 4. num. 19. negat fieri per ſpeciem relictam ex cognitione rei præſentis. Probat quia memoria ſenſitiua fit ſine tali ſpecie ſui actus præteriti: ergo etiam fieri poterit in Angelo. Antecedens patet, quia nullus ſenſus poteſt ſentire ſuam ſenſationem, cùm ſenſatio non ſit ſenſibilis; alioquin ſentiremus in qua parte fiat ſenſatio, & quantæ magnitudinis ſit. Conſequentiam verò probat, quia ſicut in ſenſu defendere poſſumus memoriam rei præteritæ, ſine ſpecie cognitionis præteritæ, per hoc ſolùm quòd conſeruetur ſpecies repræſentans rem præteritam cum eiſdem circumſtantiis loci, temporis, &c. quibus anteà cognita fuit. Ita etiam in intellectu ſiue noſtro, ſiue Angelico id poterimus explicare.

4. Secunda ſententia docet neceſſariũ eſſe per cognitionem rei præſentis aliquid imprimi nouum & reale in intellectu, vel in ſpeciebus Angeli, vt poſteà cognoſcere poſſit, talem rem aliquando

Marſilius. fuiſſe. Sic innuit Marſilius in 2. quæſt. 7. artic. 1. poſt 9. concluſionem in quadam ſolutione ad 4. Vbi quod relinquitur in mente Angeli ex notitia rei præſentis, vocat *habitum actualis cognitionis, quo cum Angelus vult, memoratur* de re priùs

Gregor. cognita. Conſentit Gregorius in 2. diſt. 3. quæſt. 3. art. 3. concluſ. 1. quatenùs dicit fieri cognitionem recordatiuam in Angelo per ſpeciem, & quamuis non explicet fieri per ſpeciem adquiſitam, tamen

Auguſt. priùs dixerat ex doctrina Auguſtini 2. de Gen. ad litteram cap. 17. & toto libro de diuinatione Dæmonum, præſertim cap. 3. & 4. Angelos experientiam habere, quæ ex multis memoriis ad-

Cumel. Peſantius. Suarez. quiritur. Sequuntur Cumelis, & Peſantius in hac quæſt. 57. artic. 3. & Suarius lib. 2. de Angelis cap. 12. à num. 9. Vbi docet ex viſione rei præſentis in Angeli mente relinqui ſpeciem quandam propriam præteritæ viſionis ab ipſomet actu productam, quæ quidem non infunditur Angelis ab initio, quoniam ad cognoſcendum ſuum actum præſentem non eget Angelus ſpecie diſtincta, ſiquidem propria cognitio dum exiſtat per ſemet videri poteſt, vt ſuprà diximus d. 8. c. 2. n. 19. Vt futurus autem non poteſt talis actus prænoſci iuxta ſuprà dicta cap. 3. & ideò vt cognoſci poſſit tanquam præteritus, requiritur eius ſpecies.

Probatur primò: nam vel Angelus cognoſcit 5.
res præteritas fuiſſe per ſpecies innatas, quæ permaneant immutatæ in ſeſe, vel per aliquam mutationem, aut modificationem in eis factam, vel per nouæ ſpeciei productionem, ſed non primum, nec ſecundum: ergo aſſerendum eſt tertium. Conſequentia conſtat, quoniam alius modus cogitari non poteſt ſuppoſita neceſſitate ſpecierum. Minor quoad primam partem oſtenditur, quia per ſpeciẽ innatam alicuius rei non poteſt Angelus prænoſcere illam eſſe futuram, vt vidimus c. 3. ergo per eandem immutatam non poteſt cognoſcere rem eſſe præteritam, ſiquidem iam obiectum non exiſtit. Conſequentia patet a paritate rationis, ſicut enim in re futura futuritio non eſt aliquid reale actu exiſtens in ipſa re ad quod terminetur cognitio euidens rei futuræ, vt ſic, ita in re præterita præteritio nihil eſt actu realiter, & poſitiuè exiſtens in re, quæ fuit, & iam non eſt: ergo nõ poteſt ex vi ſolius ſpeciei euidenter in ſe cognoſci per notitiam intuitiuam. Secunda pars minoris oſtenditur, quia ſi ex actuali exiſtentia obiecti non fit vlla mutatio in ſpeciebus Angelo infuſis, vt oſtenſum eſt c. 3. multò minùs fieri poterit ex præteritione rei; tum quia minùs exiſtit res præterita, quàm præſens, imò præterita, quæ iam deſiit ſimpliciter non exiſtit, quæ negatio exiſtentiæ nihil conferre poteſt ad immutandas ſpecies Angelicas; tum etiam quia rationes ſuprà factæ contra mutationem illarum ſpecierum in præſentia obiecti probant de re præterita, quoniam intelligi non poteſt quænam ſit illa mutatio, nec à quo, vel quomodo fiat, quæ ratio pariter conuincit non poſſe talem mutationem eſſe ſpecierum modificationem: ergo danda eſt noua productio ſpeciei.

Probatur ſecundò, quia poſtquam res præter- 6.
iit non poteſt Angelus cognoſcere per ſpecies infuſas rem fuiſſe, niſi præcedat cognitio eiuſdem rei coëxiſtentis ipſi: ergo neceſſe eſt, vt viſio rei præſens aliquid poſteà conferat ad cognoſcendum fuiſſe talem rem, quia ſi nihil conferret, ſuperflua requiritur, non poteſt autem aliquid conferre, niſi recordetur Angelus ſe vidiſſe rem illam, & ex vi huius memoriæ ſciat rem fuiſſe; tum quia ſi ſit oblitus omninò præteritæ viſionis, perinde ſe habebit ac ſi illa non præceſſiſſet; tum etiam quia ſi viſio præcedens requiritur, eſt vt ſit aliquo modo medium ad cognoſcendum rem fuiſſe; cùm autem viſio præterita non ſit medium incognitum, quia nec eſt ſpecies, nec exiſtit, debet vtique eſſe mediũ cognitũ, ſcilicet per ſpeciem ſui relictam in intellectu Angeli, per quam Angelus recordari poſſit ſe vidiſſe talem rem. Alioquin non recordaretur, quia per ſolas ſpecies innatas non poterat Angelus cognoſcere ſe vidiſſe talem rem, antequam illam videret, vt conſtat; tum quia tales ſpecies id non repræſentabant; tum quoniam eſſet falſa repræſentatio & cognitio, quando tamen Angelus videt rem præſentem, non videt ipſam viſionem per ſpecies, ſed per ſe ipſam, vt diximus diſputat. 8. cap. 2. ergo ſi talis viſio non relinquit ſui ſpeciem, nullum habebit Angelus medium, quo recordetur talis viſionis: ergo vt poſſit poſteà meminiſſe viſionem, & per viſionem præteritam

tanquam per medium cognitam cognoscat rem extitisse, debuit illius visionis relinqui species in intellectu.

7. In hac quæstione dico primò, vt Angelus qui rem præsentem vidit, eandem iam præteritam iterum, si velit, cognoscat vt existentem tali tempori præterito, sufficit species propria talis obiecti, quam habet innatam, etsi quis habitus ex prima cognitione fuit genitus. In hoc assentior Patri Vasquio, & probatur ex dictis cap. 3. nam species innata repræsentat rem Angelo priusquam existat obiectum, solùm abstractiuè secundùm esse possibile: at verò postquam extitit obiectum iam manet species apta ad repræsentandum intuitiuè obiectum, vt existens pro tali differentia temporis, quia iam tunc potuisset obiectum speciem sui sic repræsentatiuam imprimere in subiecto capaci; sed similiter ex obiecto præterito potuisset relinqui species intuitiuè repræsentatiua: ergo species Angelis infusæ, quæ sunt quoad intuitiuam repræsentationem obiectorum vicariæ, semel posita existentia obiecti manebunt iam expeditæ ad illud intuitiuè repræsentandum, etiam vt præteritum; tunc autem quasi experimentaliter cognoscit Angelus se cognouisse tale obiectum; tum quia maiorem experitur intelligendi facilitatem prouenientem ex habitu, qui non nisi per actum gigni potuit, tum forsan quia si non agnouisset rem præsentem, non posset agnoscere præteritam, vt dicemus num. 12.

8. Dico secundò, vt Angelus cognoscat non solùm rem præteritam, sed etiam immediatè, licèt reflexè percipiat intuitiuè visionem quam habuit rei præsentis, indiget specie intentionali relicta ab ipso actu visionis. In hoc assentior secundæ sententiæ, & præter illius fundamenta probatur, quoniam in nobis actus intellectus relinquunt sui speciem: ergo etiam in Angelis. Antecedens constat experientia: recordamur enim non solùm obiecti cogniti, sed etiam cognitionis illius, imò recordamur omnium recordationum, & ter, aut quater talis obiecti nos recordatos fuisse, quod indicat singulos mentis actus etiam memoratiuos reliquisse propriam sui speciem. Consequentia probatur: nam illa visio Angelica est obiectum etiam intelligibile, quod licet in præsentia possit per semetipsum determinare intellectum, cui inest, ac subinde sine specie cognosci, tamen in absentia postquam iam esse desiit, non apparet quomodo possit percipi sine specie; hæc autem non infunditur: quia species infusæ sunt indifferentes de se quatenus deseruiunt ad repræsentandum suum obiectum antequam existat abstractiuè; dum autem præsens est, vel præteritum intuitiuè, sed intellectiones propriæ quoad cognitionem suæ possibilitatis, vel existentiæ actualis non indigent specie, siquidem per ipsam substantiam Angeli, vel per semetipsas possunt cognosci: ergo non requirunt innatam sui speciem, sed sufficit species ab ipsomet actu producta per quam postquam desiit cognoscatur extitisse.

9. Obiicies, inde sequi quòd Angelus tot adquirat species, quot habet, & mutat actus intelligendi, subindeque multiplicari plurimas in dies species intentionales in Angelorum mentibus, quod videtur inconueniens. Respondetur siquidem omnium & singulorum actuum præteritorum memoria necessaria est, vel Angelorum perfectioni valdè consentanea, nullum esse inconueniens, aliquas semper adquiri species de nouo, quibus actus illi multiplicati cognoscantur vt præteriti, quod libenter fatetur Suarius suprà num. 4.

Ad fundamentum primæ sententiæ Respondetur memoriam sensitiuam solum cognoscere rem absentem, quam habuit præsentem, sine cognitione tamen cognitionis præteritæ, nisi ad summum experimentali, quam fatemur in Angelo dari posse sine noua specie producta, iuxta nostram primam conclusionem: at ad cognoscendum reflexè suam præteritam cognitionem indiget Angelus tali specie, vt diximus num. 8. Primum fundamentum secundæ sententiæ probat nostram secundam conclusionem, nec diruit primam, quia postquam res iam extitit manet species illius expedita iam ad repræsentandam existentiam obiecti sui pro tali tempore. Secundum argumentum tangit secundam quæstionem hîc discurrendam; an scilicet Angelus per speciem innatam, quam habet obiecti possit istud cognoscere præteritum, licèt illud præsens non viderit: cùm enim Angelus non semper sit in actu secundo suarum specierum, nec ad omnia, quæ fiunt in toto mundo semper attendat, contingere potest, vt licèt res antea extiterit, illam Angelus præsentem non viderit. 10.

Vasquius 1. part. disput. 208. cap. 4. num. 20. censet Angelum posse per species innatas videre rem præteritam vt præteritam, etiamsi nec viderit illam præsentem, nec de illa cogitauerit ita vt si modo crearetur Angelus eisdem speciebus instructus, quibus alij fuerunt initio creati, posset naturaliter cognoscere quidquid ab initio mundi gestum est, quam sententiam docet procedere, siue dicamus Angelum non indigere speciebus inditis à Deo: Sic enim sola vi naturali mentis præterita cognosceret, siue indigeat speciebus ad intelligenda obiecta naturalia, & has postulet à Deo connaturaliter infundi, sic enim habebit species præteritorum, ac subinde naturaliter ea cognoscet, quod probat argumento negatiuo, quia Patres, & Scholastici communiter solùm denegant Angelis naturalem prænotionem futurorum: ergo reliquorum omnium etiam præteritorum, quæ naturalia sint videntur ipsis concedere cognitionem. 11. Vasquius.

Ceterùm mihi magis arridet oppositum, quod indicat sanctus Thomas in hac quæst. 57. artic. 3. ad 3. quatenùs videtur futura, & præterita coæquare: nam in argumento de præteritis, & de futuris difficultatem proposuerat, & posteà in solutione fatetur præsentia posse ab Angelo cognosci, futura verò negat posse cognosci, nihil dicens in speciali de præteritis, quasi tacitè significans idem esse de illis ac de futuris sentiendum. Expresè docuit Gregorius in 2. distinct. 3. quæst. 3. artic. 3. conclus. 2. Sequuntur Cumelis, & Pesantius dicto artic. 3. Suarius lib. 2. de Angelis cap. 12. num. 5. Imò ipse Vasquius 1. part. disputat. 212. cap. 12. num. 68. dicit, quòd præteritam cognitionem alterius, nisi Angelus habeat memoriam illius, eo quòd præsentem cognouerit, difficile videtur ab Angelo posse cognosci. 12. S. Thom. Gregorius. Cumel. Pesantius. Suarez. Vasquez.

Probatur primò ex Scriptura; nam Isaiæ 41. tam præteritorum, quàm futurorum cognotio ponitur esse signum diuinitatis, cùm dicitur. *Accedant, & nuncient nobis, quæcunque ventura sunt;* 13.

sunt, priora quæ fuerunt nunciate, & ponemus cor nostrum. Vbi Hieronymus. *Dicite nobis, vel præterita, vel futura.* Cyrillus etiam colligit inde. *Diuinæ gloriæ proprium esse omnia scire, nihil prorsus ignorare, neque præteritorum, nec instantium, nec futurorum.* Idem colligit Adamus Isai.46. circa illa verba. *Non est similis mei annuntians ab exordio nouissima.* Vnde Gregorius Magnus homil. 1. in Ezechielem dixit prophetiam non tantùm esse de futuris, sed etiam de præteritis. Est ergo modus aliquis cognoscendi prætetita proprius Dei, quatenùs simul semper intuetur omnia, nec potest præteritum aliquod ignorare, quia non potuit præsens non videre: Angelus autem sicut pleraque præsentia non agnoscit, quia non attendit ad illa, sic plura præterita non poterit annuntiare.

Hieronym. Cyrillus. Adamus. Greg. Mag.

14. Probatur secundò ratione, nam vt sæpè diximus species infunduntur Angelis à Deo, vt vicariæ obiectorum ad ipsorum cognitionem intuitiuam eliciendam, quando mouerent obiecta potentiam, si possent; sed obiecta non mouent (vt experientia constat in nobis) ad cognitionem sui, quando iam sunt præterita nisi mouerint ad sui cognitionem, quando actualiter existebant: ergo nec species Angelorum manebunt expeditæ ad repræsentandum obiectum vt præteritum, nisi repræsentauerint illud vt præsens, siquidem naturaliter non manet species vicaria obiecti, quod non fuit cognitum in præsentia. Vnde soluitur fundamentum contrarium desumptum ex speciebus. Doctores verò negant Angelis generaliter cognitionem futurorum contingentium, quia nulla possunt naturaliter prænoscì; de præteritis autem non sic loquuntur, quia pleraque præsentia cognoscunt Angelorum quorum possunt, postquam præterierunt, recordari.

15. Circa res possibiles dubitatur vtrùm Angelus habeat scientiam naturalem, ac subinde species inditas omnium possibilium ordinis naturalis, prout ab intrinsecè supernaturalibus distinguntur? Affirmare videtur Henricus quodlib.5.q.15. littera R. quamuis enim species eo nomine non admittat in Angelis, ponit tamen habitum scientiale Angelo concreatum, qui constituat illum sufficientem in actu primo ad cognoscendum omnia cognoscibilia naturaliter ab ipso. Probatur: nam omnia possibilia sciri possunt ab Angelo, quantum est ex parte ipsius, & ad rationem scibilis accidentarium est quòd Deus statuerit, vel non statuerit creare rem scibilem: ergo omnia scibilia æquè repræsentantur per illum habitum, quiquidem si daretur, esset species quædam intelligibilis valdè vniuersalis.

Henricus.

16. Similem ferè modum opinandi debent consequenter amplecti, qui dicunt Angelos non egere speciebus intentionalibus, sed per solam entitatem intellectus esse in actu primo sufficiente, & completo ad res naturales cognoscendas: nam ex his principiis sequitur Angelum in se habere connaturale principium omni ex parte sufficiens ad cognoscendum omnia possibilia, subindeque licet non habeat species, habere tamen aliquid æquiualens speciebus omnium rerum possibilium, vel eminentius illis; ac per consequens actu etiam posse cuncta possibilia cognoscere si velit. Nihilominus Vasquius 1.p. disp.208.c.4. quamuis illam habeat sententiam, simpliciter negat Angelos cognoscere res possibiles, quas Deus nô creabit; primò quia tales res sunt infinitæ. Secùdò quoniam Angelus nó habet aliquod principium naturale quo singulas talium rerum possibilium cognoscere valeat. Quomodo autem hæc duo dicta cohæreant inter se, difficilè percipi potest: nam si per solum intellectum suum est Angelus sufficienter constitutus in actu primo ad cognoscêdum omnia obiecta, quæ sciri possunt ab ipso, quomodo non habet principium naturale, quo singulas res possibiles cognoscat, quantumuis sint infinitæ?

Vasquez.

Tertia opinio esse potest habere quemlibet Angelum species intentionales rerum omnium naturalium possibilium, per quas possit illas res quidditatiuè, & abstractiuè cognoscere. Probatur; nam omnes istæ species sunt Angelo connaturales secundùm receptiuam & naturalem inclinationem illius: ergo infunduntur Angelo ab initio creationis. Consequentia constat ex supradictis; antecedens probatur, quia libera Dei volitio circa existentiam actualem obiecti scibilis non mutat naturam potentiæ cognoscitiuæ, vel obiecti scibilis: ergo eadem est capacitas, & inclinatio naturalis in intellectu Angelico ad hæc obiecta scibilia, & ad species illorum, siue talia obiecta sint producenda de facto, siue non. 17.

Dicendum tamen est cum communi sententia solùm Angelis infusas fuisse species primariò & directè repræsentatiuas rerum singularium, quæ sunt aliquando futuræ; & consequenter specierum ac generum, quæ in illis continentur. Sic videtur supponere S. Thomas 1.p.q.56.art.2.ad 4.eiusque. Expositores ibi docent apertè Pesantius 1.p.q.55. art.2.disp.1.concl.5. Malonius in 2.dist.3.disp.11. Suarius lib.2.c.14. Probatur, quia non est Angelo connaturale cognoscere possibilia, quæ nunquam existent: ergo non est credendum species intentionales omnium possibilium Angelis infundi, cùm solùm propter cognitionem naturæ debitam infundantur. Antecedens declaratur, & probatur, quia connaturaliter debentur Angelis species tantùm illorum obiectorum, quæ nimirùm Angelus posset cognoscere naturaliter si ab ipsis obiectis caperet cognitionem: auctor enim naturæ supplet illa duntaxat, quæ naturalis rerum ordo videtur postulare. Quomodo autem ex consequenti cognoscat Angelus aliquas res possibiles nunquam futuras, nimirùm per species intelligibiles, quæ repræsentent hæc obiecta possibilia quasi secundariò, diximus cap.3.num.19. 18.

S.Thom. Pesantius. Malon. Suarius.

Ad fundamentum Henrici negamus illum habitum scientialem vniuersalem, ad probationem ferè constat ex dictis responsio, quia scibilia naturalia, prout distinguuntur ab intrinsecè supernaturalibus, sunt duplicia, scilicet scibilia remotè, vel proximè; remotè dici possunt naturaliter scibilia purè possibilia, quatenùs si existerent caderent sub naturalem Angelorum cognitionem, tamen proximè non sunt scibilia, quia non habent statum accommodatum ad naturalem scientiam propriam & explicitam rerum in seipsis. Quare non debentur connaturaliter Angelis species rerum possibiliû, nec illarum nescientia est propria & positiua ignorantia, sed pura negatio scientiæ, quam non inconuenit in Angelis concedere respectu plurium obiectorum naturalium, dum omnia proximè scibilia rectè præcalleant. 19.

Secunda sententia nihil habet quod sit nobis diluendum, cùm falso nitatur fundamêto. Ad argumentû 3. sententiæ negatur antecedês, ad cuius 20.

probationem dicimus esse discrimen inter potentiam intrinsecam actiuam, aut quasi actiuam per naturalem emanationem, & potentiam purè receptiuam: prior enim habet ab intrinseco determinatum effectum, quem producere potest; potentia verò receptiua de se est indifferens ad multa, & determinatur ab Agente, a quo reducitur ad actum; Sic materia prima, licèt capax sit plurium formarum, vna contenta est, ad quam ab agente determinatur. Similiter ergo cùm potentia Angeli respectu specierum intelligibilium sit solum receptiua, non petit actuari simul per omnes, quas potest recipere, sed illis tantùm ad quas secundùm ordinem ab Auctore naturæ præstitutum consequenter determinatur, quia sola capacitas passiua non sufficit sine debito ordine naturali, cui etiam naturalis appetitus conformari censetur: quamuis enim non fundetur in intrinseca cognitione, nihilominùs est ordinatus; ita vt censeatur natura metaphoricè appetere, quod ordinatè appeteret propriè si cognitionem haberet; ordinate verò solùm appetuntur species intentionales illarum rerum, quæ actualiter existunt: nam istæ res sunt per se aptæ ad immutandam potentiam, vt directè cognoscantur; aliæ verò, quæ nunquam erant non sunt per se primò cognoscibiles, sed tantùm prout in existentibus continentur; & ideò appetitus etiam naturalis, seu naturale debitum non extenditur ab obiecta merè possibilia.

11. Quæres, esto non debeantur, nec dentur secundùm legem ordinariam Angelis species omnium rerum possibilium, an saltem de potentia absoluta possint illis infundi? Respondeo in primis nô repugnare species intelligibiles supernaturales rerum omnium desesuiêtes scientiæ per se infusæ, vt latè docet Suarius 3. part. tom. 1. disput. 27. sect. 4. quia non sequitur inde comprehensio Dei, cùm non videatur Deus in seipso per tales species. Deinde dico non item repugnare species naturales omnium rerum naturalium possibilium diuinitus Angelis infundi, quia nec ideò cognosceret Angelus omnia illa simul actualiter, sed habitualiter; nec forsan indigeret ad hoc infinitis speciebus, si singulæ forent repræsentatiuæ infinitorum obiectorum, imò licèt necessariæ sint infinitæ numero species, probabilius in physicis reputaui hoc genus infiniti non repugnare. Suarius.

CAPVT V.

Vtrùm Angelus res naturales comprehendat.

1. QVnmodo comprehendat Angelus seipsum & alios inferiores habitualiter, non actualiter, diximus disp. 9 cap. 2. & iuxtà ibi dicta consequenter asserendum est posse Angelum habitualiter comprehendere res naturales rationis expertes, quas cognoscit. Probatur in primis argumento à maiori ad minùs: nam si potest Angelus naturaliter, comprehendere creaturas rationales habitualiter, à fortiori comprehendet saltem habitualiter creaturas irrationales. Deinde quoniam Angeli habent proprias species talium rerum, & lumen intelligendi perfectissimum in ordine suo, & ab omni corporeo impedimento expeditum: ergo poterunt saltem successiuè cognoscere quidquid in his rebus cognoscibile est, ac subinde totam illarum cognoscibilitatem adæquare, quod est illas comprehendere.

An autem actualiter etiam res istas Angelus comprehendat, pendet ex maiori vel minori perfectione Angelorum, simulque ex obiectorum diuersitate: prout enim habent perfectiorem, aut imperfectiorem entitatem, sic etiam plus habent, aut minus cognoscibilitatis. Quare si sit obiectũ ad modum imperfectum, & Angelus valdè perfectus, poterit vnico actu totam obiecti cognoscibilitatem adæquare, ac subinde illud actualiter cõprehendere, v.g. aliquod accidens, vel etiam substantiam corruptibilem, quę iuxta breuem durationem quam connaturaliter exigit, producere possit paucos effectus, poterit Angelus actualiter comprehendere, quia poterit omnes ipsius ordines transcendentales ad causas, & effectus quos illa res ex indiuiduatione sua respicit, simul Angelus cognoscere, cognitis simul illarum habitudinum terminis. At verò creaturam aliquam perfectissimam, & incorruptibilem, scilicet cælum, vel astrum, quod ex sua indiuiduatione sicut potest sine fine durare, sic possit infinitos effectus producere, forsan non poterit infimus Angelus actualiter comprehendere, quia non poterit simul vnico actu tot habitudinum terminos distinctè cognoscere, & sic proportionaliter in ceteris intermediis Angelis, & obiectis discurrendum est. Quod amplius constabit ex infrà dicendis, disp. 14. cap. 2. 2.

DISPVT. XI.

De locutione Angelorum,

QVamvis S. Thomas disserat de locutione Angelorum infrà q. 107. ita tamen videtur locutio cum ipsorum cognitione connecti, vt commodior sit iste locus disquirendi, quomodo suos conceptus vnus Angelus alteri manifestet.

CAPVT I.

Præsupponuntur quædam.

SVppono primò dari locutionem inter Angelos, qua suos conceptus inuicem manifestant. Ita communiter Scholastici in 2. vbi S. Thomas dist. 10. & 11. Ægidius Roman. dist. 10. quæst. 3. Capreolus dist. 11. quæst. 2. Argentinas dist. 11. quæst. 1. artic. 2. Richardus dist. 9. art. 2. quæst. 7. Gregorius dist. 9. quæst. 2. Vasquius 1. p. disp. 211. cap. 1. & Thomistæ 1. p. q. 107. Sumitur ex 1. Corint. c. 13. vbi Paulus Inquit. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, in quo supponit dari linguam & locutionem Angelorum, vt ibi notarũt Chrysostomus homilia 32. Ambrosius, Theodoretus. Oecumenius, Anselmus, Basilius, S. Thomas. Licèt enim Apostolus per aggregationem significare voluerit perfectissimam linguam, non tamen haberet locum exaggeratio, nisi supponeret esse in Angelis excellentiorem modum linguæ nimirum spiritualis, & intellectualis, vt Theophylactus indicauit. 1.

S. Thom. Ægid. Rom. Capreolus. Argentinas. Richard. Gregor. Vasquez. 1. Cor. 13. Chrysost. Ambros. Theodor. OEcumen. Anselm. Basilius.

Accedunt alia Scripturæ loca, vbi sæpè dicuntur Angeli loqui inter se. Zachar. 2. & 3. Apocalyp. 7. & 9. & licèt in corporibus assumptis loquentes 2.

Zach. 2. & 3. Apoc. 7. & 9.

quentes introducantur, vt ab hominibus audiri poſſint, non eſt tamen cogitandum eos indigere corporibus, vt loquantur inter ſe, cùm corpora naturaliter non habeant; & Iudas in ſua canonica dicat, Michaëlem Archangelum cum Diabolo diſputaſſe, quod neceſſe non eſt, vt in corporibus aſſumptis factum fuerit; ſicut nec Iſaiæ 6. & 63. cùm alij loquebantur ad alios. Hoc ipſum intendit Damaſcenus lib. 2. cap. 3. dicens, Angelos inter ſe ſpirituali modo ſuas cogitationes, & conſilia communicare, nec indigere lingua, nec auribus ſcilicet corporeis. Idemque ſupponunt Dionyſius, & cæteri Patres dicentes, Angelos inferiores à ſuperioribus illuminari quod fieri nequit ſine aliqua locutione. Videantur etiam Iſidorus lib. 1. ſententiarum cap. 10. & Auguſtinus lib. de diuinatione Dæmonum cap. 2. & 3.

Iſaiæ 63. & 6. — Damaſc. — Iſidorus. — Auguſt.

3. Hinc ſuppono ſecundò, non minus eſſe certum poſſe vnum Angelum cognoſcere cogitationes alterius conſentientis ſecreta ſui cordis ab alio cognoſci, quàm ſit certum eo non conſentiente non poſſe: ſicut enim has cogitationes eſſe occultas modo prædicto conuenit Angelicæ naturæ, ſic etiam eſt valde neceſſarium, vt ſaltem volente Angelo, cuius ſunt actus cognoſci poſſint ab aliis: nam alioquin non poſſet inter Angelos eſſe vita ſocialis, nec ordo, vel gubernatio, quod eſt contra perfectionem naturæ rationalis. Vnde ſumitur ratio, quia ſocietas conſequitur tanquam proprietas rationalitatem, & ſocietatem conſequitur locutio, ſeu manifeſtatio ad libitum propriorum conceptuum, vt patet experientia: Sed Angeli etiam ſine corporibus aſſumptis ſunt perfectè rationales, ſeu intellectuales: ergo ſociabiles, ac per conſequens manifeſtare debent ad libitum proprios conceptus.

4. Confirmatur primò: nam ſi ſic loquuntur animæ ſeparatæ, vt habetur in Euangelio de Diuite, & Lazaro, multò magis hoc concedendum eſt Angelis, qui ſunt perfectiores. Confirmatur ſecundò, nam Angelus non cognoſcit alterius cogitationes internas, dum illas habet occultas; poteſt autem illas cognoſcere, ſi alter velit: ergo oportet vt alter poſſit illas reuelare. Hæc autem reuelatio dicitur locutio, difficultaſque manet qualiter hæc fiat ex parte loquentis, & qualis ſit auditio ex parte percipientis locutionem alterius.

5. Inqua ſuppono tertiò, locutionem, ſeu manifeſtationem iſtam intelligi poſſe fieri primò tantùm in teſtimonio dicentis; ita vt Angelus audiens non videat rem ſibi dicam, nec conceptum loquentis intuitiuè, & dare in ſeipſo, ſed per ſigna quædam inſtrumentalia; ſicut nos per voces, vel Scripturas manifeſtamos internos conceptus. Secundò, poteſt poni locutio taliter fieri, vt actum loquentis clarè, & in ſe manifeſtet; & hoc rurſus dupliciter, vel cum aliqua efficientia loquentis in audientem, vel ſine illa (qui ſit tertius modus philoſophandi) imò ſine additione alicuius rei, quæ fiat in Angelo audiente, per quam principium aliquod ad cognoſcendos actus loquentis accipiat, ſed ſolùm quoniam ex parte loquentis tollitur impedimentum. Seu ponitur conditio, dum obiectiuè tantùm aperitur ſecretum, vt alter poſſit illico virtute ſua illud agnoſcere. Singulos modos dicendi in alios etiam quamplures ſubdiuiſus ſuo ordine ſigillatim perſequemur.

CAPVT II.

Angelos non loqui per externa ſigna.

Prima opinio ſit Angelos inter ſe loqui per ſigna ſenſibilia, quæ formentur ab ipſis in aliquo corpore, ſcilicet in cælo, vel in alio, ſicut nos in aëre, vel in papyro voces vel litteras edimus. Hanc opinionem refert Durandus in 2. diſt. 11. quæſt. 2. cum Heruæo in quæſt. 1. & in ea diſtinguit duos modos. Primus eſt vt illa ſigna ſint figuræ factæ in cælo Empyreo, & quaſi characteres habentes inter Angelos peculiarem ſignificationem & hunc reiicit n. 7. tanquam friuolum, quia nec talis figuratio in cælo facta, nec eius ſignificatio ſiue naturalis, ſiue ad placitum intelligibiles ſunt: Cùm enim cælum Empyreum ſit impaſſibile, ipſique Angeli ſint incorporei, non apparet quomodo poſſint in cælo Empyreo, vel per actionem aliquam imprimere, vel per ſui contactum deſignare figuras vllas. Cum iſto coniungit Vaſquez 1. p. diſp. 211. cap. 9. num. 52. alium modum aſſerentium locutionem Angelorum fieri per aliquas impreſſiones in imaginatione alicuius animalis ordinando ſpecies illius, & vtrumque modum reprobat tanquam inutilem & inanem. 1.

Durand. — Heruæus. — Vaſquez.

Secundus dicendi modus apud Durandum num. 12. eſt, vt illa ſigna ſint vel ſoni ſenſibiles in aëre formati inſtar vocum, vel ſint nutus, & ſigna facta in corporibus aſſumptis, ſicut homines etiam inter ſe loquuntur, & hunc modum probat Durandus quaſi vnicum rigoroſè loquendo de propria locutione. Cæterùm licèt Angeli nunc poſſint ſic loqui, vt ea Scriptura referebamus, non poteſt tamen talis loquendi modus illis attribui, vel tanquam ipſis neceſſarius, vel tanquam connaturalis, vt rectè docet Bonauentura in 2. diſt. 10. art. 3. quæſt. 1. quoniam Angelus eſt purè ſpiritualis: ergo debetur ipſi modus locutionis omnino ſpiritualis, & independens à corpore. Et quidem Paulus 1. Corint. 13. apertè ſupponit longè diuerſum eſſe modum locutionis Angelicæ propriæ, quàm humanæ, quæ fit aëris adminiculo per externum ſonum, ſiquidem non fruſtrà diſtinguit linguas Angelorum tanquam præſtantiores à linguis hominum. Quòd ſi per ſonum externum in aëre formatum, & non aliter Angeli loquerentur, perfectior eſſet locutio per humanam linguam, cùm ſit operatio vitalis, illa verò locutio Angelica per ſonum in aëre formatum non eſſet vitalis; imò deberent tunc Angeli ſi loqui vellent cælum relinquere, atque in aëris regionem deſcendere. 2.

Durand. — Bonauent. — 1. Cor. 13.

Confirmatur, & declaratur, quia mutua communicatio inter Angelos eſt illis connaturalis, & intra ſuum gradum neceſſaria quidem ad Angelicam politiam: Sed Angelica natura cum omni proprietate ſibi connaturali, & in ſuo gradu neceſſaria eſt independens à corporibus; ideoque poſſet dari locutio inter Angelos, etiamſi non exiſterent vlla corpora: ergo præter illum modum locutionis accidentarium, & quaſi prouenientem ab extrinſeco, tribuendus eſt Angelis modus locutionis per ſe conueniens ipſis, vtputè proportionatus ſpirituali naturæ, quod videtur intendiſſe Damaſcenus lib. 2. cap. 3. dum ait. *Non lingua & auribus opus habentes, verùm citra* 3.

Damaſc.

sermonis (vtique sensibilis) *adminiculum cogitationes suas, atque consilia inter se communicantes.*
Basilius. Sic etiam capiendus est Basilius homilia 3. in id. *Attende tibi*, dum inquit hominibus datum esse sermonis (vtique sensibilis) vsum propter corporis impedimentum. *Si enim (ait) ipsi viueremus anima omnium oculis conspicua & nuda inter nos mox conueniret per mutuam cogitationum intelligentiam*, non quia hæc communicatio fiat inter puros spiritus sine aliqua locutione, sed quia non egent signis sensibilibus, sed spirituali manifestatione per liberum consensum quem significat
Gregor. S.Thomas. illis verbis *inter nos conueniret*. Similiter Gregorius lib. 18. moralium cap. 3. & exponitur à S. Thoma quæst. 107. art. 1. ad 1. Secludit enim ab spiritibus corporis expertibus necessitatem signorum sensibilium non omnem suorum conceptuum, & affectuum manifestationem.

4. Ideò Durandus fatetur in Angelis locutionem spiritualem, quam tamen docet, si vera est sententia ponens cogitationes, & secreta cordium ex se manifesta esse cuicunque Angelo, fieri quidem sola ordinatione voluntatis vnius ad alterum, non quia per illam faciat, vt secretum cognoscatur, quod anteà erat ignotum; siquidem supponit secretum cordis ex se omnibus esse manifestum; sed quia conceptus, & secretum omnibus notum ad vnum Angelum, non ad alterum dirigitur, veluti cùm aliquis alta voce coram multis loquitur alicui, ita vt ab omnibus audiatur, & intelligatur, non dicitur omnibus, sed coram omnibus vni loqui, ad quem secretum suæ voluntatis, & verba dirigit. Quòd si secreta cordium ex se occulta sunt Angelis, inquit Durandus se non inuenire modum quo sufficienter explicetur mutua Angelorum locutio. Ceterùm illam sententiam quam supponit Durandus, satis refellimus disp. 9. cap. 3. ostendentes secreta cordium ex se se non esse Angelis aliis manifesta sine cogitantis consensu.

5. Secunda opinio sit Angelos inter se loqui per
Ægid.Rom. signa spiritualia instrumentalia. Sic docent Ægidius Romanus in 2. dist. 10. quæst. 3. art. 1. in resolutione articuli, Argentinas ibi quæst. 1. artic. 2. Gregorius quæst. 2. in fine, Marsilius in 2. quæst. 7. art. 2. Clichtoneus in Damascenum lib. 2. cap. 3. Molina 1. part. quæst. 57. art. 4. & quæst. 106. art. 1. disp. 1. Albertinus tom. 1. principio 1. corollar. 11. valdè propendet Vasquez 1. part. disp. 211. cap. 10. tribuitur etiam Capreolo in 2. dist. 11. quæst. 1. art. 1. in probatione primæ conclusionis. Sed non omnes explicant eodem modo: nam Ægidius, Argentinas, Marsilius, Gregorius significant ista signa formari in ipso loquente, nec transire ad Angelum audientem, adhuc autem non esse cognitionem, sed aliquid distinctum ab actibus intelligendi, & ab specie, & ab habitu cognoscitiuo. Molina vocat nutus, & signa externa; quare videtur sentire, quod formentur à loquentibus extra seipsos. Albertinus dicit esse signa impressa in audiente.

Argent. Gregorius. Marsilius. Clichtoneus. Molina. Albert. Vasquez. Capreol.

6. Rursus Albertinus & Molina censent ista signa spiritualia significare ad placitum, vel per impositionem Angelorum, vel per impositionem Dei à quo tanquam ab Auctore naturæ data sint Angelis, sicut datæ sunt voces Adamo; imò addit Albertinus dedisse Deum cuilibet Angelo propriam linguam ita vt si fint viginti Angeli dederit cuilibet Angelo viginti linguas, quippe si dedisset Deus omnibus Angelis vnam linguam non posset vnus Angelus alteri loqui, quin loqueretur omnibus. Vasquius quidem existimat, si darentur hæc signa, fore naturalia, & non ad placitum, sicut sunt nutus inter homines.

Probatur primò ex Paulo 1. Corint. 13. dicente: *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, tribuit enim Angelis linguam, ac subinde vim loquendi similem nostræ, scilicet per signa proportionata. Vbi Glossa *sic*, inquit, *Angeli prapositi significant inferioribus quid de Dei voluntate primi sentiunt, quod fit quibusdam signis, & nutibus.* Anselmus etiam ibi, vel Heruæus, qui putatur illorum Commentariorum Author, sic ait. *Lingua quibus sic alij loquuntur aliis; intelliguntur aliqui nutus, vel interiores motus, per quos intimari sibi vicissim, quod voluerint.* Expendit etiam Albertinus, quòd non dixerit Apostolus *lingua*, sed *linguis*, indicans diuersas esse linguas inter Angelos; citat etiam S. Thomam, sed non video quo fundamento, imo Molina 1. part. quæst. 57. art. 4. §. *Nemo autem* sanè fatetur longè diuersam esse S. Thomæ sententiam. 7. 1.Cor.13. Molina.

8. Probatur secundò, quoniam Angeli loquuntur inter se, vt visum est cap. 1. Sed non loquuntur solis conceptibus, cùm hi sint naturaliter aliis occulti, vt visum est disp. 9. cap. 4. ergo loquuntur per signa spiritualia, quibus exprimant suos conceptus. Probatur tertiò, nam Angelus spectatus in suis tantùm naturalibus mentiri potest alteri Angelo non secùs ac vnus homo mentitur alteri; sed mentiri est aliud manifestare per signa expressiua conceptuum, & aliud habere in mente, siquidem mentiri est contra mentem ire: ergo Angeli loquuntur ad inuicem signis ac nutibus.

9. Hanc opinionem ceteri Theologi reiiciunt; & ego impugno primò: nam si darentur in Angelis talia signa, deberent esse qualitates, cùm ad nullum aliud prædicamentum videantur pertinere: difficillimum autem est intelligere, nec illi Doctores explicant, quæ, vel qualis sit natura illius qualitatis, aut quis sit primarius, & proprius eius effectus formalis, propter quem sint tales qualitates à natura institutæ, quia solam significationem non videmus esse primarium effectum formalem, vel finem intrinsecum alicuius qualitatis naturalis distinctæ realiter ab actibus vitalibus speciebus, & habitibus.

10. Impugno secundò, quia vel hæc signa significant naturaliter, vel ad placitum; neutrum dici potest: ergo non dantur. Minor quoad primam partem probatur: nam omnis naturalis significatio fundatur, vel in formali similitudine, qualis est in imagine, vel in intentionali, qualis est in cognitione, vel in aliqua connexione necessaria signi cum significato, quæ non reperitur nisi in aliquo genere causæ, & effectus. Sed istæ qualitates non sunt similitudines formales, vel intentionales conceptuum, quia non sunt actus vitales, nec conueniunt cum illis in essentia, nec fingi potest conuenientia in figura, vel in aliqua forma accidentali; nec item talis qualitas est causa actus, quem repræsentat, vt per se patet, nec est effectus, cùm non sit actus vitalis, nec species, nec habitus, præter hæc autem non habet actus mentis aliquem effectum. Præterea non potest talis qualitas ab actu dimanare necessariò, alioquin necessariò se proderet; nec etiam liberè, quia nolunt prædicti Doctores admittere liberam efficientiam in actibus intellectus, aut voluntatis: ergo non potest illa qualitas repræsentare talem actum,

actum, vt proprius effectus illius: ergo nullum fundamentum naturalis significationis reperitur
11. in illa qualitate.

Secunda pars minoris probatur: nam si dicatur impositio signorum ad sic significandum ab ipsis Angelis facta fuisse, vel erit inutilis, vel inuoluit repugnantiam: etenim si quilibet Angelos sua signa imponit ad significandum, vel talis impositio ignoratur ab aliis, & sic est inutilis, quia tale signum non poterit aliis repræsentare suum significatum; vel cognoscitur ab aliis; & tunc vel per locutionem imponentis; & sic debent alia signa supponi per quæ loquatur, & de illis redibit eadem quæstio: Vel cognoscitur sine locutione, & hoc repugnat: nam Angelus, qui significationem imposuit, id fecit liberè, hæc autem libera voluntas non potest ab alio cognosci sine locutione. Igitur inuoluit repugnantiam. Quòd si signa non imponantur ab vno quoque priuatim. Sed per concordiam omnium, opus est, vt priùs inter se loquantur de tali impositione facienda. Quare vel loquentur priùs sine signis ad placitum, vel per signa nondum imposita, quæ omnia repugnant.

12. Nec est simile de hominibus, quoniam ante impositionem possunt se intelligere per nutus materialiter proferendo nomen, & nutibus designando rem, quam volunt illo nomine significare; imò sic videntur homines in infantia discere proprium idioma. In Angelis non dantur huiusmodi spirituales nutus distincti à qualitatibus significantibus. Ideoque vel significatio debet esse naturalis, vel certe per impositionem ab ipsis Angelis esse non potest. Deum autem imposuisse talia signa non est impossibile, vt ostendit Albertinus suprà, ceterùm non ita factum fuisse ostendunt quæ sequuntur inconuenientia. Albert.

13. Nam impugno tertiò illam opinionem; effectio talium signorum vel est necessaria, vel libera; neutrum satis percipitur: ergo non est dicendum. Durandus suprà videtur imponere Auctoribus huius signorum, quòd illa ponant tanquam semper existentia connaturaliter in Angelo loquente; Sed hoc dici non potest, alioquin secreta cordium non essent occulta, sed naturaliter paterent cuiuis Angelo volenti per illa signa cognoscere quid alius cogitet, vel decernat. Dicendum ergo est illa signa effici liberè. Sed tunc vrget difficultas, an qualitates illæ significatiuæ fiant immediatè per actum voluntatis, quæ Angelus vult loqui: an verò per illos actus intellectus vel voluntatis, quos per talia signa manifestare vult. Neutrum videtur probabile: ergo nec liberè producuntur.

14. Probatur prima pars minoris: nam Angelus non potest per suam voluntatem efficere qualitates in corporibus, vt docuimus disp. 3. ergo nec à fortiori poterunt qualitates spirituales illo modo facere, quia perfectiores qualitates sunt, & quamuis in seipso per actus voluntatis producat habitum, est valde diuersa ratio: nam volitio producit habitum naturaliter per modum cuiusdam formæ agentis sibi simile, vel proportionale, non verò producit illum volendo vt fiat; & in hoc sensu iuxta receptissimam doctrinam dicimus Angeli voluntatem non esse actiuam, etiam in ipso Angelo, nisi mutationis localis media potentia loco-motiua.

15. Nec item facere potest Angelus illas qualitates per actus, quos vult manifestare: nam actus immanentes non sunt actiui qualitatum, quæ non sint principia similium actuum, vt sunt habitus. Dices etiam esse productiuos qualitatum significantium ipsos. Sed contrà, nam illis qualitatibus secundùm suam intrinsecam realitatem spectatis extrinseca quidem est, & accidentaria significatio, cùm supponatur esse per voluntariam institutionem ad placitum: ergo independenter à tali significatione deberent actus habere vim effectricem talium qualitatum, quod est difficile creditu: nam illæ qualitates ex natura sua non ordinantur ad perficiendum intellectum, vel voluntatem in munere intelligendi, vel volendi: ergo nec sunt naturaliter producibiles per actus talium potentiarum. Confirmatur, quia quidquid tales actus producere possunt in ipsomet operante, non producunt liberè; sed necessariò; ita vt licèt actus liberè fiat, eo ipso quod est necessariò faciat, quidquid facere potest, siue habitum siue speciem in nobis; sola quippe voluntas est libera formaliter ad agendum; sed istæ qualitates non debent produci necessariò; vt probatum est: ergo non possunt effici ab actibus.

Impugno quartò, quia vel istæ qualitates significatiuæ recipiuntur in loquente, vel in audiente: neutrum videtur consonum: ergo non dantur. 16.
Prior pars minoris probatur, quia si Angelus loquitur per qualitates in se productas, quilibet alius sicut potest cognoscere naturaliter illa signa, poterit simul intelligere, quid significent; quare nunquam Angelus poterit secretò loqui ad vnum, quin intelligant alij si velint, quod quidem prædicti Doctores consequenter concedunt, valde tamen dissonat naturæ rationali, & prudenti eius institutioni. Quod videns Masilius negat sequelam, ponens, sicut Albertinus, signa quædam specialia singulis præter quædam alia communia omnibus, ita vt Angeli quandam linguam habeant communem, & tot alias particulares quot sunt Angeli.

Ceterùm hæc opinio tot signorum multiplicatione fit incredibilior, imò si velit Angelus duobus tantùm loqui simul, certè non poterit, quia si vtatur signo communi percipient alij, si priuato vnus tantùm intelliget: requiretur ergo tertium genus signorum, quæ duobus tantùm, & loquenti sint nota; subindeque si tribus solùm loqui velit, diuersum signi genus erit necessarium, & sic in infinitum; quæ omnia videntur ridicula, nisi velis tunc Angelum duas simul aut plures edere locutiones, si pluribus simul loquatur, quod etiam valde imperfectum, & improbabile videtur. Secunda pars minoris probatur, quia nullum agens naturale connaturaliter operatur in distans, quin simul operetur in proximum, vt ostendimus in Philosophia, & suprà disp. 3. cap. 3. sed illas qualitates non producit Angelus in medio cùm sint spirituales, & sæpe non detur medium spirituale: ergo non potest illas producere in alio Angelo distanti. Dicere autem quòd loquatur semper ad Angelum propinquum, est nimis coarctare facultatem Angeli locutricem. 17.

Denique vel iste modus locutionis tantùm ponitur esse possibilis, vel etiam necessarius & vnicus, vt Angeli suos conceptus inuicem manifestent. Hoc posterius sentire videntur Albertinus, & Molina, sed illud impugnat Suarius lib. 2. de Angelis cap. 26. num. 23. Nam hic modus cognoscendi per signa ad placitum est valdè imper- 18. Suares.

nec veritas locutionis euidenter appareat, sed solùm credatur per quandam fidem auctoritati loquentis innixam, & quidem licèt expediat actus internos Angelorum ita esse occultos, vt sine manifestatione elicientis non pateant aliis, tamen quòd non possint Angeli illos claré intueri, etiam consentientibus dominis, & facientibus quantum est in se, vt aliis pateant, magnam præsefert imperfectionem. Vnde fit etiam verosimile propter inconuenientia posita suprà, nec dari, nec esse possibilem naturaliter talem locutionis modum, in quo tot difficultates deuorandæ sunt.

CAPVT III.

Locutionem non fieri per efficientiam loquentis in audientem.

1. Scotus. Tertia opinio fit Scoti in 2. dist. 9. quæst. 2. §. *Ad quæstionem istam*, & §. *Ad vlteriorem*, docentis locutionem Angelorum fieri per actionem transeuntem, qua memoria, vel intellectus loquentis simul cum specie intentionali obiecti producit in audiente intellectionem rei, de qua fit locutio, siue sit de actu voluntatis, aut intellectus, siue de re quapiam extrinseca, ita vt audiens ad talem intellectionem passiuè tantùm se habeat, eademque motio, quatenùs progreditur à loquente sit actio, seu loquutio; quatenùs verò recipitur in audiente sit passio, seu auditio. Quare memoria loquentis erit principium duarum intellectionum, vnius quidem manentis in ipsa, per quam loquens intelligit; alterius item transeuntis ad intellectum audientis, per quam audiens percipiat idem obiectum, quod loquens per intellectionem immanentem cognoscebat, & vtraque intellectio dependet ex voluntate Angeli loquentis: Sicut enim subest ipsius potestati vti specie impressa ad eliciendam cognitionem, quæ maneat in ipso, sic etiam vti eadem specie ad imprimendam cognitionem in intellectu audientis.

2. Rursus tripliciter iuxta Scotum contingit Angelum loquentem in intellectu audientis operari. Primò producendo solam intellectionem, quin producat speciem; sic loquitur Angelus alteri de re cuius audiens iam habebat speciem; ac subinde non potest recipere nouam aliam, quia de eodem obiecto in intellectu eiusdem Angeli non possunt esse connaturaliter plures species. Secundò, producendo speciem, & intellectionem simul, sic loquitur superior inferiori, quando manifestat ei aliquid, cuius inferior nullam habebat speciem, ita vt species intelligibilis in intellectu audientis solùm producatur ab specie, quam habet Angelus loquens. Intellectio verò producatur in audiente ab specie simul, & ab intellectu loquentis. Tertiò producendo solam speciem, sic loquitur inferior superiori, quando superior non habebat speciem illius obiecti, quod considerabat inferior, & volebat manifestare (supponit enim Scotus Angelos non habere species congenitas singularium, sed ab obiectis illas haurire, vt visum est dispot. 8. cap. 3.) dum item superior Angelus actu considerat aliquid aliud: tunc enim inferior ita producit speciem obiecti in intellectu superioris, vt non possit etiam intellectionem eiusdem efficere in illo, quia non potest diuertere superioris intellectum, vt relicta consideratione quam habet, attendat ad id quod ipse proponit, cùm è contra superior hoc possit circa inferiorem. Ita ferè capiunt Scoti sententiam Suarius lib. 2. de Angelis cap. 27. num. 24. Vasquez disp. 211. cap. 2. Albertinus supra, Capreolus, Caietanus, & communiter Thomistæ, licèt Herrera conetur aliter Scotum interpretari, sed immeritò. Vasquez. Albert. Capreolus. Caietan.

3. Scotus. Hanc opinionem sic explicatam probat Scotus in §. *Ad quæstionem*, quoniam ille qui loquitur alteri, si posset, hoc ipso quod loquitur proximè produceret in intellectu audientis intellectionem eius rei de qua loquitur; homines verò propter suam imperfectionem & defectum virtutis, dum voce loquuntur remotè solùm, hoc est per vocem prolatam, sunt causa cognitionis in audiente: Sed Angelus potest proximè producere cognitionem eiusdem obiecti in intellectu audientis: nam omne agens constitutum in actu primo potest producere suum effectum in quocunque subiecto capaci, & idoneo; Angelus autem, qui loquitur constitutus est in actu primo ad producendam intellectionem, & Angelus, qui debet audire capax est talis intellectionis: ergo Angelos, qui loquitur, producere potest in intellectu audientis intellectionem, ac subinde potest sic loqui cum aliis.

4. Hanc etiam sententiam ceteri Theologi improbarunt. Primò, quia contra rationem actus vitalis est sine vlla efficientia intrinseca per solam receptionem haberi, siquidem sine vitali motu cognitio, vel amor non datur, nec vitæ motus sine productione concipere possumus. Ideò docuimus in libris de Anima, sæpeque tetigimus in superioribus actionem immanentem esse de essentia actus vitalis, & per consequens nec de potentia absoluta dari posse intellectionem obiecti sine concursu effectiuo intelligentis, saltemque ferè omnes Doctores conueniunt naturaliter fieri non posse. At in locutione Angelorum cognitio fit modo connaturali, & sine miraculis: ergo non est verisimile fieri sine cognoscentis efficientia.

5. Secundò, nam etiamsi possent Angeli, vel homines cognoscere per intellectionem, quam ipsi non producerent, sed reciperent ab obiecto, nihilominus falsum est produci posse cognitionem ab vno Angelo in intellectu alterius: communis enim sententia Scholasticorum in 2. dist. 8. docet, non posse animam hominis ab Angelo immutari, nisi solum media imaginatione, sed nec imaginationem ipsam posse immutari qualitatis impressione, sed sulùm applicatione alicuius agentis, vel saltem aliquo motu locali, quo scilicet humores corporis excitentur. Accedit quòd intellectus etiam instructus specie non est potentia, quæ possit actione physica, & vitali agere in aliam potentiam alieni suppositi, sed solùm in seipsam actione immanenti: non enim agit ad se communicandum, sed ad se perficiendum, vt experientia compertum est, & quasi primum principium in Philosophia: ergo loquens non producit intellectionem in audiente.

6. Tertiò, quia locutio non solùm manifestat idem obiectum quod loquens cognoscit, sed potissimum manifestare debet ipsum conceptum loquentis, qui locutione proditur aliis, vt experimur in nobis, & patet etiam ex natura locutionis, quæ est proprietas societatis ciuilis, ac subinde postulat non solam cognitionem obiecti, sed

præcipuè communicationem cõceptuum. Quartò, si Angelus inferior non potest loqui superiori, quando iste distractus est, & non cogitat idem quod inferior, vt docet Scotus, raro posset inferior alloqui superiorem, quippe raro contingit, vtrumque simul de eadem re cogitare. Præterea si auditio tantùm consistit in receptione actus, cur non poterit superior quantumuis distractus sit simul recipere plures alias intellectiones à loquentibus sibi? Nam in pura receptione non est repugnantia si formæ non sint alioquio inter se contrariæ. Videantur Vasquez cap. 3. Suarius & alij.

Vasquez.

7. Quarta opinio fit Ochami in 2. quæst. 20. & quodlibeto 1. quæst. 7. Gabrielis in 2. distinct. 9. quæst. 2. dicentium Angelum loquentem producere in se verbum suæ cognitionis aut affectionis liberæ, quod verbum simul cum intellectu audientis producat in audiente notitiam obiecti, & simul etiam conceptus, seu verbi, quod formauerat loquens. Explicant autem libertatem huius locutionis, quia licèt verbum necessariò producat notitiam in audiente, tamen ipsum verbum liberè formatur à loquente ea intentione, vt imprimat notitiam in audiente.

Ochamus. Gabriel.

8. Sed impugnatur primò, quoniam, vt ostendimus disp. 8. cap. 1. intellectio Angelica produci non potest ab obiecto extra Angelum existente, siue sit obiectum corporeum, siue spirituale. Secundò, quia locutio debet esse formaliter & intrinsecè libera, cùm sit proprium rationalis perfectionis, vt possit creatura rationalis secreta cordis sui, vel celare, vel prodere pro libito: Sed verbum illud necessariò produceret sui notitiam in audiente: ergo iam talis locutio non esset formaliter libera, sed extrinsecè atque remotè. Confirmatur: nam actus immanentes non est principium operandi actum alienum, aliàs ego per amorem mei, quem in me habeo, possum efficere amorem mei in alio, quod est absurdum.

9. Quinta opinio fit Angelum loqui alteri dando ipsi speciem, seu principium cognoscendi actum de quo loquitur, ita vt loquens per impressionem huius speciei in audiente non solùm ipsi manifestet obiectum à se cognitum, sed etiam conceptum, quem habet de obiecto. Sic docent Suarius lib. 2. de Angelis cap. 27. & Alensis 2. part. quæst. 27. memb. 3. & 5. Fauet Bonauentura in 2. dist. 10. artic. 3. quæstiuncula 1. partim consentit Richardus in 2. dist. 9. art. 2. quæst. 1. addit tamen speciem illam, quam Angelus loquens producit sui conceptus non recipi vt in subiecto in intellectu audientis, sed in radio quodam, quem loquens transmittit ad audientem. Citantur etiam Herrera, Cumelis, & Pesantius.

Suar. ex. Alensis. Bonauent. Richard.

10. Probatur primò, ex S. Thoma 1. part. quæst. 107. art. 1. ad 3. vbi postquam concessit Angelum loquentem excitare alium, adiungit. *Quod sicut sensus mouetur à sensibili, ita intellectus ab intelligibili: sicut ergo per signum sensibile excitatur sensus, ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens Angeli ad attendendum*, ad quid autem est illa virtus, nisi ad aliquid agendum? Probatur secundò ratione, quia nequit fieri locutio cum omnibus necessariis, nisi fiat aliqua mutatio in intellectu audientis; Ad locutionem autem valdè necessarium est, vt loquens faciat attendere audientem: Sic enim poterit loqui vni soli, quin ceteri audiant, si vnum excitet per impressionem speciei, & non alios:

S. Thom.

ergo sic est asserenda locutio Angelorum.

Confirmatur, & declaratur, quoniam vnus Angelus non loquitur alteri permittendo dontaxat, vt suos actus videat, sed excitando simul illum, vt audiat; sed ista excitatio non fit per solam denominationem extrinsecam: ergo debet fieri per aliquam mutationem intrinsecam. Consequentia patet: nam illa opponuntur immediatè, nec videtur dari medium. Minor verò nota, quoniam ideò Theologi docent excitationem diuinæ gratiæ aliquid esse intrinsecum in iis qui excitantur; & per oppositum orationes nostras non esse ad excitandum Deum, quia nihil possunt imprimere menti diuinæ. Maior verò probatur tum ex Scriptura. Nam in Prophetis sæpè dicitur vnus Angelus ad alium clamare Isai. 6. Apocal. 7. Zachar. 2. interrogare alium Isai. 63. Psal. 23. Hæc autem & similia sine excitatione vnius circa alium intelligi non possunt; tum etiam ratione, quia seclusa excitatione, quàtumuis conetur Angelus etiam superior intimare suum affectum alteri, non poterit per se, sed erit casu si alter attendat, vel ad summum si curam habeat attendendi ad alium, an nouum aliquid sibi proponat. Imò hoc etiam modo non poterit Angelus, qui auditurus est applicare mentem suam ad talem actum, vel talem: deberet enim velle vti specie talis, vel talis actus, & non aliorum; nullum autem habet principium motiuum quo voluntas eius ad hoc determinetur: ergo semper attentio ad talem actum erit à casu, quod quidem multùm derogat perfectioni, & gubernationi Angelicæ societatis. 11.

Isai. 6. Apocal. 7. Zachar. 2. Isai. 63. Psal. 23.

Probat tertiò, Suarius, quia conceptus internè non sunt proximè intelligibiles ab aliis ex defectu specierum, quas non habent inditas Angeli conceptuum alienorum, vt ipse Suarius docuerat; sed per locutionem fiunt isti conceptus proximè intelligibiles, & qui sic excitantur, fiunt potentes ad illos percipiendos: ergo dum excitantur recipiunt id quod illis deerat: ergo recipiunt speciem, seu principium proximum cognoscendi necessarium ex parte obiecti, quia virtutem ex parte potentiæ iam habebant. Confirmatur, nam Angelus nondum excitatus non potest cognoscere talem actum, & posteà potest: ergo vel accepit aliquod principium intrinsecum per se necessarium ad talem potentiam complendam, vel ablatum fuit aliquod impedimentum. Hoc secundum assignari non potest: ergo primum asserendum est. 12.

Probatur quartò, quoniam in locutione Angelica fit aliqua nouitas in speciebus audientis: ergo vel fit à solo Deo ad præsentiam volitionis, seu consensus Angeli loquentis, vel fit ab ipsomet, qui loquitur, concurrente Deo. Primum non est verisimile, quia Deus finit operari causas secundas iuxta connaturalem ipsarum exigẽtiam, natura verò Angelica connaturaliter exigit, vt Angelus producat species suorum conceptuum ad eorum manifestationem necessarias, siquidem iste est effectus naturalis ad locutionem requisitus, & conueniens naturæ rationali, subindeque non excedens perfectionem Angelorum. Confirmatur, quoniam hoc modo rectè percipitur quomodo locutio Angelorum secreta fit, id est, vni fiat, aliis nescientibus, quia scilicet species imprimitur vni, & non aliis. Item explicatur excessus Angelicæ locutionis ad humanam, quia per hanc tantùm in signo cognoscuntur actus locutione 13.

tur actuslocutione manifestati; per illam verò in ſeipſis oſtenduntur.

14. Hanc ſententiam refellit Vaſquius cap. 5. multis argumentis, quæ conatur Suarius diluere cap. 28. admittens actus intellectionis & volitionis quatenus cognoſcibiles ſunt, eſſe actiuos ſpecierum, & in hac efficientia ſubdi deſpoticè libertati loquentis, ſicut eſſentia diuina quatenùs obiectum intelligibile liberè concurrit per modum ſpeciei cum intellectu beati ad claram ſui viſionem, & ſicut potentia loco-motiua hominis ſubditur imperio voluntatis, admittit etiam ſicut Angelus inferior loqui poteſt ad ſuperiorem, ſic iſtum ab inferiori poſſe aliquid recipere, non per modum illuminationis, ſed quantum ad manifeſtationem conceptuum, qui ſunt etiam reſpectu ſuperiorum occulti. Rurſus docet poſſe Angelum loqui vni ſoli, vel multis prout voluerit vni, vel multis ſpeciem imprimere, intra certum tamen numerum pro vniuſcuiuſque perfectione.

15. Ego ſic impugno primò quoniam omnes ferè Theologi cum S. Thoma 1. part. quæſt. 110. & 111. negant vnum Angelum poſſe habere efficientiam in alium, niſi quoad motum localem: ergo non poteſt in alio producere ſpeciem intentionalem ſuorum conceptuum. Reſpondet Suarius cap. 28. num. 2. diſtinguendo duplicem actionem, ſcilicet aliam realem, quæ fit ad communicationem ſui eſſe, vel perfectionis; aliam intentionalem, quæ ſolùm fit ad ſui manifeſtationem; de priori concedit antecedens, de poſteriori negat, quia licèt per modum imperantis ex efficacia ſuæ voluntatis nihil poſſit Angelus efficere in alieno ſuppoſito, niſi motum localem; attamen per modum obiecti cognoſcibilis poteſt efficere ſpeciem intentionalem ſuorum actuum in intellectu audientis.

16. Contra iſtam ſolutionem vrget quòd Angelus, etiam quatenus intelligibilis eſt, non producit ſpeciem intentionalem ſuæ ſubſtantiæ in intellectu alterius Angeli, nec illam producere poteſt, vt oſtendimus diſp. 8. cap. 1. & 3. ergo nec actus Angeli poterunt habere talem efficientiam intentionalem: Sicut enim ad perfectionem Angelicæ mentis ſpectat, vt habeat ab initio ſpecies inditas obiectorum, quæ poteſt naturaliter percipere, ſic ſimiliter oportebit infundi Angelis ſpecies conceptuum alienorum, quos naturaliter per locutionem cognoſcunt. Pertinet etiam ad eandem Angelicam perfectionem, vt poſſit alienos conceptus cognoſcere, vt poſſibiles: quòd enim naturaliter cognoſcunt homines poſſe ſcilicet alium hominem habere diſſenſum, vel aſſenſum, amorem, vel odium circa tale obiectum, à fortiori cognoſcent multò perfectiùs, & diſtinctiùs Angeli, qui ſicut indiuiduationem alterius Angeli clarè vident, ſic etiam indiuiduos actus, qui ab illo poſſunt elici diſtinctè cognoſcent: ergo debent habere ſpecies eorum inditas, vel aliquid gerens munus ſpeciei: Sed eadem ſpecies qua cognoſcitur res, vt poſſibilis, vel abſtractinè poſita exiſtentia ipſius actuali, & aliis conditionibus, ſi requirantur, poteſt illam repræſentare intuitiuè, vt diximus diſput. 10. cap. 3. ergo non eget Angelus noua impreſſione ſpeciei ad cognoſcendum alienum conceptum, ſiquidem iam habebat talem ſpeciem inditam, ac ſubinde talis productio non eſt aſſerenda.

17. Impugno ſecundò, quia vel Angelus loquitur ſolùm cum Angelo ſibi coniuncto, vel etiam cum diſtanti: ſed neutrum dici poteſt in iſta opinione: ergo talis modus locutionis non eſt aſſerendus. Prior pars minoris probatur, quia multùm derogaret Angelicæ perfectioni, & ſocietati politicæ talis limitatio locutionis, vt non poſſit Angelus loqui niſi cum alio ſibi immediatè propinquo. Quare Suarius, quamuis in meta- Suar. phyſica diſp. 18. ſect. 8. num. 46. in eam partem inclinauerit, vt Angelorum locutio requirat propinquitatem ſubſtantiarum inter Angelos omninò indiſtantes, tamen lib. 2. de Angelis cap. 28. num. 13. ſententiam illam reiecit, quaſi nimis ſingularem, & non ſatis conſonam Angelicæ perfectioni, docens huiuſmodi ſpecierum productionem fieri poſſe ab Angelo, qui operetur etiam in diſtans, quin agat in proximum.

18. Probatur ſecunda pars minoris, tum ex S. Thoma, qui 1. part. quæſt. 52. 53. & 55. art. 2. ad 3. & S.Thom. quæſt. 113. art. 6. ad 3. & quæſt. 16. de malo, art. 1. ad 15. & quæſt. 7. de potentia, art. 7. ad 12. ſupponit, & docet Angelum nihil operari poſſe niſi vbi adeſt præſens, & quodlibeto 6. art. 2. ad 2. dicit neceſſarium eſſe ſubſtantiam Angeli aliqualiter cõiungi rebus, quas mouet, quia mouens & motum debent eſſe ſimul: Videtur autem non dixiſſe corporibus, ſed rebus, vt oſtenderet doctrinam eſſe generalem ad omnes actiones, etiam circa alios ſpiritus.

19. Tum etiam ratione: nam fundamentum adductum ſuprà diſp. 3. cap. 3. & quæ Suarius iecit Suar. illa diſp. 18. ſect. 8. pariter procedunt in productione ſpecierum intentionalium, ac in ceteris actionibus tam corporeis, quàm ſpiritualibus, tam ab agentibus materialibus, quàm ab immaterialibus: ergo ſicut in omnibus aliis mouens & motum debent eſſe ſimul, etiam dum Angelus mouet, vt docet S. Thomas ſuprà, ſic etiam in tali ſpecierum productione, ſi daretur, neceſſaria foret propinquitas immediata ſubſtantiarum Angeli loquentis; & audientis. Ideò Suarius ipſe ea diſput, 18. metaphyſ. ſect. 8. num. 46. poſtquàm retulit ſententiam admittentem poſſe Angelum agere per locutionem immediatè in diſtans, ſubdit. *Hæc vero ſententia re vera videtur parùm conſequens ad omnia dicta, quia valdè eneruat principium poſitum, totámque rationem eius, aliàs nec eſſet neceſſaria indiſtantia inter Angelos, vt vnus localiter moueret, vel detineret alium:* ergo ne redigamur ad eas anguſtias, tollamus de medio talem efficientiam in locutione.

20. Hæ rationes non æque militant contra Richardum; attamen id quod ipſe confinxit de illo radio ſpirituali emiſſo ab Angelo loquente vſque ad audientem multò faciliùs refellitur: vel enim emittitur extra Angelum, ſicut vapor, aut fumus ex corpore; & hoc commentitium eſt, tum quidem ſi dicatur eſſe ſubſtantia ſpiritualis: nam incredibile fit ſpiritualem ſubſtantiam ab vnoquoque Angelo deriuari, quoties ipſe loquitur præſertim quoniam opus eſſet noua creatione, cùm talis ſubſtantia ſecundùm ſe totam fieret, quod eſt creari; tum etiam ſi dicatur eſſe accidens: iam enim eſſet aliquod accidens extra ſubſtantiam, & ſine ſubiecto, quod eſt abſurdum, vel radius ille ſpiritualis eſt accidens manens in intellectu Angeli loquentis, ita vt ſolum tranſmitti dicatur ad audientem, quia fit ei præſens, vt obiectum; & ſic fruſtrà ponitur talis radius diſtinctus à conceptu, vel affectu ipſo loquentis, qui per ſeſe ſit obiectum cognoſcibile ab aliu.

alio. Plura persequitur Suarius cap. 28. à n.58. contra Richardum.

CAPVT IV.

Nostra de locutione sententia.

1. SExta opinio valde celebris in scholis docet vnum Angelum loqui alteri solum ordinando per voluntatem conceptum suum ad alium, id est, volendo, vt suum conceptum, vel affectum liberum alter intelligat, quia per hanc solam volitionem fit patens Angelo, quod priùs erat occultum, ideoque ab illo per species, quas habet congenitas, statim videri potest, quod
Capreolus. ad locutionem sufficit. Sic sensit Capreolus in 2.dist. 11. quæst.1. præsertim in conclusione 3. & in solutionibus argumentorum, tribuitur etiam
Alensis. Alensi 2. part. quæst. 27. memb. 6. quatenus asserit locutionem Angeli fieri per nutus, & declarat hos nutus non esse aliquid distinctum à conceptu Angeli loquentis vt ordinato per voluntatem ad alterum. Similiter fere loquuntur Bo-
Bonauent. nauentura in 2.dist. 1[illegible]. art. 3. quæst.1. præsertim
Albertus. ad penultimum, & Albertus 2. part. tractat. 9.
Caietan. quæst.35. memb. 2. sequitur apertissimè Caieta-
Valentia. nus 1.p. quæst.107.art.1. Valentia tom.1. disp.8. quæst.4. punct.2. pluresque moderni Thomistæ cum S.Thoma 1.part.q.107.art.1. Vbi sic ait. *Ex hoc verò quòd conceptus mentis Angelicæ ordinatur ad manifestandum alteri per voluntatem ipsius Angeli conceptus vnius Angeli innotescit alteri, & sic loquitur vnus Angelus alteri.*

2. Probat Caietanus, quoniam hoc ipso quod secretum cordis per voluntatem eius cuius est, ordinatur ad alterum Angelum, sola talis volitionis ordinatione iam est de numero eorum, quæ pertinent ad alterum Angelum. Sed quilibet Angelus omnia ad se pertinentia percipere potest: ergo & secretum cordis alterius ex cogitantis volitione sic ordinatum. Confirmatur, & declaratur: nam esset contra ordinem politiæ rationalis, & contra societatem creaturarum rationalium, aut intellectualium, vt arcana cordium essent ex sese proximè intelligibilia ab aliis sine volitione, vel consensu efficienti[illegible]; dato tamen isto consensu per illam ordinationem potiùs [illegible] con[illegible] tine politiæ rationali, vt secretum [illegible] p[illegible]mè cognos[illegible]ibile ab il[illegible]o, ad quem [illegible]em [illegible] uem pertinet: ergo per ordinati[illegible] n[illegible] am fit i[illegible]ibile proximè ab a[illegible], [illegible] d [illegible]igatur ad ip[illegible]m.

3. Hanc sententiam impugnat primò Vasq[illegible]s
Vasquius. 1. part. dispùt. 211. cap. 8. quia non potest edi conceptus intelli[illegible]ibilis, qui prius non erat intelligibilis sola v[illegible]luntate sine mutatione facta vel in seipso, vel in signo, vel in obiecto suo primario, vt cum ex vno principio cognito cognoscitur id, quod prius erat ignotum. Sed respondet Caietanus per solam vol[illegible]ionem loquentis fieri obiectum proximè proportionatum alteri Angelo, quia sic fit de numero eorum, quæ pe[illegible]nent ad ipsum: nam stante tali voluntate iam non obstat ratio politiæ, quæ priùs obstabat. At instat Vasquez quòd actus odij vel amoris vnius Angeli erga alium cognoscerentur ab alio, quia pertinent ad i[illegible]sum, siquidem versantur circa illum, tanquam circa suum obiectum. Hæc tamen instantia non valet, quia non intelligit Caietanus hoc modo rationem pertinentiæ; sed quatenùs fundatur in ratione pol[illegible]æ, societatisque rationalis, secundum quam non pertinet ad alium Angelum cognoscere actum odij, vel amoris alterius erga ipsum, nisi accedat voluntas [illegible] is ordinans talem actum vt manifestetur al[illegible].

Impugnat secundò Vasquius, quia locutio 4.
(inquit) est actus intellectus ex Theophylacto, 1.Cor.13.
& Theodoreto circa id 1. Corinth. 13. [illegible]*nguis hominum loquar, vel Angelorum.* At in [illegible]pinione Caietani locutio est actus voluntatis, siquidem est ordinatio illius: ergo non rectè procedit. Respondetur tamen distinguendo duplicem ordinationem: nam alia est quasi actiua, scilicet volitio ordinans conceptum ad alterum, & hæc non est formaliter locutio, sed præ-requiritur ad illam quasi volitio libera loquendi, alia est ordinatio quasi passiua, id est, ipse conceptus ordinatus, in quo consistit formaliter
locutio: nam vt rectè notarunt Gabriel in 2. Gabriel.
distinct.9. quæst.2. art.4. & Valentia suprà, lo- Valentia.
cutio formaliter non est illa voli[illegible]io Angeli ordinans conceptum ad alt[illegible]m, sed ip[illegible] conceptus vt ordinatus per volitionem illam. Itaque nomen *locutio* formaliter significat conceptum, vt ordinatum, supponit tamen actum voluntatis, quo sic ordinatur conceptus ad alterum.

Vrget Vasquez, conceptus ille, prout fit mani- 5.
festus ex ordinatione voluntatis non est ipsamet expressio, quæ est de ratione locutionis, sed potiùs est res expressa, & significa[illegible]a per ipsam locutionem: non ergo saluatur ibi vera ratio locutionis. Responderi tamen potest, conceptum illum manifestare suum obiectum, & simul prout ordinatum ad alterum manifestare illi seipsum, nec esse contra rationem locutionis ipsorum conceptuum manifestationem, imò ad perf[illegible]ctissimam locutionem, qualis est inter naturales Angelica, pertinere videtur, vt conceptus loquentis manifestetur in seipso intuitiuè cognito, siquidem nobiliori modo vnus Angelus audit alium loquentem, & cognoscit conceptum ipsius, quàm vnus homo cognoscat mentem, & secretum cordis alterius hominis loquentis: ergo cùm homo cognoscat secretum loquentis notitia solum abstractiua, Angelus debet cognoscere conceptum alterius Angeli loquentis notitia quidditatiua, & intuitiua.

Septima opinio est Henrici quodlibeto 5. 6.
quæst. 15. & Hervæi in 2. quam sic explicat, & Henricus.
amplectitur Vasquez 1. part. disp. 211. cap. 11. Herueus.
& 12. vt distinguatur in Angelis duplex genus Vasquez.
cognitionis: alia enim est cognitio directa, qua cognoscit Angelus obiectum repræsentatum, & quasi loquitur sibi de illo, alia verò cognitio reflexa, qua loquitur aliis manifestans illis per verbum illud suam cogitationem, vel affectionem voluntatis, quam reflexè cognoscit, & repræsentat. Probatur hæc opinio, quoniam Angelorum locutio est actus intellectus Angeli loquentis, quo exprimat suos actus: [illegible]d actus intellectus exprimens conceptum mentis debet esse cognitio reflexa cognitionis directæ: ergo per hanc loquitur Angelus cum aliis. Maior constat, quia locutio primariò videtur instituta ad manifestandos cõceptus. Quod autem ipsa quo[illegible]ue sit actus intellectus probat Vasquez ex Patribus, quia Theophylactu[illegible] suprà inqu[illegible]t. *Si[illegible] [illegible]dam intelliger.di qua [illegible] [illegible]*

sensa, Angelorum lingua est. Quòd si ex sententia Theophylacti lingua Angelorum est facultas intellectiua, fit vt verbum etiam, quo sibi mutuò loquuntur, sit conceptus per vim intellectricem prolatus, quo non tantùm secum (vt fit actu directo) sed etiam cum aliis loquatur, scilicet actu reflexo. Theodor. Theodoretus etiam ibi sic ait. *Angelorum autem dicit linguas, non quæ sensu, sed quæ intelligentia percipiuntur, per quas & vniuersorum Deum laudant, & inter se disserunt.* At laus & disputatio sunt actus intellectus: ergo intellectus ipse est lingua, & per consequens actus eius est locutio. Beda. Beda lib. 2. in Iob super illa verba capitis 7. *Si subitò apparuerit*, &c. De Angelis inquit, *Quod volunt illico enunciant*, Enunciare autem est actus intellectus. Confirmatur ratione, quia loqui est exprimere conceptum proprium, vel res cogitatas, vel est præcipere, vel rogare, vel monere, quæ omnia pertinent ad intellectum.

7. Pro decisione suppono primò de essentia locutionis non solùm esse, quod per illam, qui loquitur, aperiat loquenti rem dictam, sed etiam quòd manifestet conceptum internum, quem habet de illo obiecto. Probatur, quia plures sunt causæ naturales, quæ generant in nobis notitiam alicuius obiecti, & tamen non ideò loquuntur nobis propriè, sed solùm metaphoricè, sicut cæli dicuntur loqui, & enarrare gloriam Dei; obiectum etiam concurrens media specie cum intellectu humano ad cognitionem sui, non loquitur per illam notitiam sui, quam in homine generat. Denique Deus potest concurrere cum meo intellectu supplendo concursum alicuius obiecti ad cognitionem illius, & tamen non ideò in eo casu loqueretur mecum, quia nimirum non ordinatur illa cognitio ad manifestandum obiectum, prout in intellectu loquentis, sed ad manifestandum obiectum secundùm se. Nec sufficit quòd ex cognitione alicuius obiecti possimus arguitiuè colligere illud esse in mente diuina, vt dicatur Deus loqui nobiscum; alioquin Deus mihi loqueretur quæcunque euidenter cognosco: nam eo ipso possum colligere talia obiecta esse in mente diuina. Requiritur ergo ad locutionem, quòd ordinetur immediatè, ac per se ad manifestandam alteri mentem loquentis, de quo Vasquez disp. 211. Vasquez. num. 12.

8. Suppono secundò (quòd sequitur ex primo) non esse prorsus idem loqui cum aliquo, & loqui coram aliquo: quidquid enim loquimur interiùs, vel exteriùs, loquimur quidem coram Deo, qui sermones nostros, & omnia verba satis habet perspecta, & tamen non semper loquimur cum Deo; quod discrimen oritur ex eo quòd illa verba non ordinantur semper à nobis ad effundendum coram Deo cor nostrum, sed ad aperiendam aliis mentem nostram, sicut in externo verbo contingit: nam licèt aliquis sic alta voce loquatur, vt audiatur à multis, tamen non dicitur omnibus illis loqui, sed eis tantùm ad quos sermonem suum peculiari ratione dirigit, vt docet Vasquius suprà num. 65.

9. Suar. Suarius tamen lib. 2. de Angelis cap. 27. n. 15. contendit hoc eneruare distinctione quadam, dicens illum, qui sic loquitur, physica ratione ad omnes loqui, licet morali consideratione dicatur ad illum specialiter loqui ad quem dirigit sermonem, nam ad physicam locutionem respectu omnium satis est velle loqui alta voce, quæ possit omnes immutare, & ab omnibus percipiatur, siue loquens intendat ab omnibus audiri, siue duntaxat id permittat: iam enim omnes verè, ac physicè audiunt sermonem ab illo: ergo ille ad omnes etiam physicè loquitur: hæc enim correlatiua sunt. Vnde colligit specialem ordinationem sermonis ad alteram personam requiri solùm ad moralem modum loquendi alteri.

10. Ceterùm non videtur ista distinctio necessaria: sicut enim iuxta suprà dicta disp. 9. cap. 4. occultatio secretorum mentis sumitur ex illorum moralitate, sic etiam eorundem manifestatio per locutionem censenda est ad considerationem moralem pertinere, non ad meram immutationem materialem, seu physicam, quæ solùm facit locutionem esse coram aliis, non tamen quòd simpliciter loquamur cum illo ad quem nullatenus dirigimus sermonem, & quidem sufficit locutio coram aliis, vt hi dicantur audire loquentem, non tamen loquentem sibi. Quod sic ostenditur exemplo. Si Petrus velit secretò loqui cum solo Ioanne nolens ab alio percipi, & Petro nesciente Paulus lateat, & audiat, verè Paulus physicè immutatur vocibus Petri ad percipiendas res sibi anteà ignotas, & iam per illam locutionem manifestatas, attamen quamuis audiat Petrum loquentem, non potest simpliciter dici, (nec id volet Suarius, vt credo) Petrum locutum fuisse Paulo: ergo ad loquendum cum Paulo non sufficit coram illo mentem exprimere per aliquod signum sufficiens ad dandam ipsi notitiam rei occultæ, nisi sermo dirigatur ad eundem.

11 Sic prohibemur loqui cum excommunicato, non tamen coram excommunicato; sic etiam per locutionem imperamus, rogamus, monemus, non quidem omnes, qui quomodolibet audiunt, sed illos tantùm ad quos verba diriguntur: absurdum quippe foret dicere Petrum imperantem aliquid seruis suis coram viris primoribus, id ipsum primatibus imperasse. Illa ergo moralis directio, vel ordinatio sermonis ad audientem omnino requiritur, vt dicamus eidem loqui, imperare, exprobrare, & similia, nec sine tali directione loquemur cum illo, sed coram illo; nec in his denominationibus moralibus possumus rationem physicam denominandi à morali consideratione seiungere.

12. Suppono tertiò locutionem Angelicam esse rem à nostris sensibus remotissimam, nec omninò reuelatione patefactam, ac proinde mirum non esse si propria illius ratio, seu quidditas nos lateat; quantum verò coniecturis, & nostro discursu assequi possumus. Videtur mihi sexta opinio probabilis & valde consequens ad suprà dicta disput. 9. cap. 4. supponit enim ista sententia primò vnum Angelum nihil producere posse in intellectu alterius stando præcisè intra ordinem naturæ ad quem spectat locutio, quod ostendimus suprà cap. 3. contra quintam opinionem. Suppono secundò Angelum habere species innatas, per quas possit hos actus internos aliorum percipere, quando ab eliciente patefiant, quod etiam ostendimus disput. 9. cap. 4. num. 6. & 7. Supponit tertiò actus internos Angelorum esse natura sua occultos, quandiu vult eliciens illos occultare seu quandiu non vult illos manife-

stare:

statc: nam illa negatio volitionis est sufficiens velamen quo teguntur, & hoc esse valde conforme naturæ actuum liberorum & agentium moralium ostendimus eo cap. 4.

13. Ex his igitur præsuppositis, quæ mihi valdè verosimilia sunt, satis probabiliter infertur per solam voluntatem Angeli loquentis fieri locutionem, quia per illam, ordinando suum conceptum ad alium, tollit Angelus impedimentum, quod talia secreta cordis occultabat. Declaratur, quia si tota ratio celandi talia secreta est dominium morale, quod habent agentia libera supra suas liberas operationes, certè sicut pro libito talis agentis eliciuntur, vel non eliciuntur actus isti, sic pro libito eiusdem occultari, vel aperiri debent: ergo posita volitione manifestandi suum conceptum alteri, iam tollitur impedimentum, & potest alter vti specie innata, quam habet ad cognitionem illius conceptus; imò dominium elicientis, & manifestantis suos conceptus exigit, vt sicut sine consensu suo non possunt prodi, sic posito tali consensu mox recludantur.

14. Iuxta istam opinionem dicendum est consequenter primò nullam distantiam localem obstare Angelis, quominùs cum alio Angelo quantumuis distante loqui possint, siquidem sit ista locutio sine actione reali transeunte per solam voluntariam ordinationem proprij conceptus ad alium, quæ abstrahit à loco. Sic docuit S. Thomas quæst. 9. de veritate art. 6. vbi ad 4. indicat rationem, quia scilicet Angelus loquens nihil facit in audiente: Idem tradit 1. part. quæst. 107. art. 4. Vbi Caietanus, Valentia, & alij Thomistæ, rationemque reddit S. Thomas, quia talis locutio consistit in intellectuali operatione, scilicet immanente, subindeque abstrahit à loco, & tempore, nimirum ex parte obiecti. Sic etiam sentit Marsilius in 2. quæst. 7. art. 2. ad vltimum; consentit Vasquius 1. p. disp. 212. cap. 2. qui subdit, etiam in sententia ponentium efficientiam physicam in locutione sic esse sentiendum; quod quidem mihi non probatur propter suprà dicta cap. 3. num. 19. *Marsilius Vasquez.*

15. Dicendum est secundò, non solùm Angelos superiores posse loqui ad inferiores, sed etiam inferiores ad superiores, siquidem non omnis locutio est illuminatio, & per locutionem præcisè nulla qualitas imprimitur in audiente, vt docet S. Thomas 1. part. quæst. 107. art. 2. & quæst. 9. de verit. art. 5. Ratio est facilis, tum quia non minùs ignorant Angeli superiores internos actus inferiorum, quam è contrario: ergo possunt inferiores manifestare suos actus superioribus: nam alioquin superiores Angeli peioris conditionis essent, tum etiam, quoniam omnes in eadem quasi republica vnionem habent: ergo indigent vicissim mutua communicatione, quæ per locutionem fit; tum demum, nam eo ipso quòd inferiores Angeli possunt à superioribus illuminari, consequenter possunt etiam illos interrogare, vt cùm dicebant. *Quis est iste Rex gloriæ*, possunt etiam interrogati superiores respondere. Cùm autem superiores inferioribus loquuntur, accommodant se ad species intelligibiles inferiorum inadæquatè, scilicèt loquendo suis speciebus intelligibilibus, quæ sunt vniuersaliores; ac subinde formando conceptus magis particulares, vt eis similes formari possint inferiores Angeli per suas species minùs vniuersales, *S. Thom.*

vt docet Valentia suprà.

16. Dicendum est tertiò, posse modo explicato Angelos loqui cum Deo, non quidem vt aliquid noui Deo manifestent, sed vt aliquid petant ab illo, vel aliquem affectum erga diuinum numen declarent vel exerceant. Possunt enim volitione sua ordinare suum conceptum ad Deum, id est, velle peculiariter vt Deus conceptum illum inspiciat, vt docet S. Thomas 1. p. q. 107. art. 3. Vbi rectè distinguit duplicem ordinationis modum, primum per communicationem, sicut in rebus naturalibus agens ordinatur ad passum, & in humana locutione Doctor ordinatur ad discipulum; quo pacto non loquuntur Angeli cum Deo, quia nihil potest Angelus imprimere Deo; quare Suarius ipse fatetur cap. 28. num. 17. locutionem Angeli ad Deum fieri per solam ordinationem voluntatis; nec item potest Angelus aliquid per suos conceptus significare Deo, quod ipsi non sit alioquin perspicuum. Secundum ordinationis modum assignat S. Thomas per receptionem, sicut in naturalibus passum ordinatur ad agens, & discipulus ad doctorem; & hoc modo Angelus loquitur Deo vel consulendo diuinam voluntatem de rebus agendis, vel eius excellentiam, quam nunquam comprehendunt admirando. Vnde fit de ratione locutionis Angelicæ vt sic solum esse illam ordinationem conceptuum; quòd autem audiens non cognosceret alioquin talem conceptum, aut quòd per eum innotescat audienti quidpiam anteà non cognitum, non pertinet ad rationem formalem locutionis vt sic; sed in locutionibus ad creaturas frequenter contingit. *Suarius.*

17. Dicendum est quartò, posse Angelum pro libito vni tantùm alteri loqui, si nimirùm per suam voluntatem ad vnum alterum dumtaxat ordinet conceptum suum, vt docet S. Thomas 1. part. q. 107. art. 5. Valentia, & alij communiter. Potest etiam vnus Angelus simul de eadem re loqui ad plures in quacunque multitudine sine termino, quia non est necesse, vt distinctè cogitet Angelus de singulis ad quos loqui vult, nec vt in particulari dirigat intentionem ad talem personam, sed sufficit confusa ordinatio ad aliquam multitudinem, quàm benè potest Angelus in confuso cognoscere. Quòd si velit Angelus distinctè ac in particulari ad singulos ordinare conceptum, debet illos sic distinctè præcognoscere, & tunc iuxta maiorem, vel minorem Angeli perfectionem poterit ad tot Angelos loqui, quot simul possit explicita cognitione complecti; atque idem proportionaliter est si velit de diuersis obiectis simul loqui iuxta infrà dicenda disp. 4. cap. 2. *S. Thom. Valentia.*

18. Dicendum est quintò, locutionem esse vitalem actionem immanentem in ipso, qui loquitur, sic docet S. Thomas 1. p. quæst. 107. art. 4. ad 1. ait enim locutionem Angelicam esse interiorem, & ideò esse in Angelo loquente, & vbi est Angelus loquens, idemque habet quæst. 9. de ver. a. 5. & 6. ad argumenta; & ita sentiunt omnes Thomistæ, & consequenter omnes, qui negant Angelum loquentem efficere aliquid in audiente. Concurrunt autem ad locutionem actus voluntatis ordinans, & actus intellectus ordinatus, sed in hoc conceptu potissimum consistit locutio, vt dicebamus suprà num. 4. ideoque sanctus Thomas quæst. 9. de veritate artic. 4. ad 9. dum ait quòd ipsamet ordinatio cognitionis ad alterum dicitur exterior Angeli locutio, intelligendus est do

ordinatione passiua, quod significarunt Caietanus, & alij dicentes per ordinationem voluntatis constitui actum ordinatum in ratione obiecti intelligibilis, & pertinentis ad eum ad quem ordinatur.

19. Dicendum est 6. Posse vnum Angelum alteri loqui primùm ac per se de suis actibus internis; nam vt suprà dicebamus num. 7. locutio potissimùm tendit ad manifestandam mentem loquentis; consequenter verò etiam de rebus, quæ conceptibus illis obiiciuntur, maximè quando res tales sunt, vt vni Angelo per locutionem alterius innotescere possint. In quo distingui potest duplex locutio de his rebus, vna speculatiua per quam veritas complexa manifestatur; alia verò practica, quæ mouet alium, vt aliquid faciat, vel non faciat.

20. Priorem præcipuè tradit Scotus in 2. dist. 9. q. 2. & alij communiter, & per illam potest vnus Angelus alteri loqui de actibus præteritis quos habuit, & dum essent præsentes illos non manifestauit, quia tales actus semper alteri manebant occulti, donec reuelentur eidem: ergo possunt esse materia proportionata locutioni, & multiplex occurret occasio manifestandi præteritos actus; eliciet itaque Angelus recordationem illorum, & hanc ipsam ordinabit ad alium. Idem est de contingentibus effectibus, qui fiunt, vel facti sunt, si vnus Angelus non aduertat, vel non aduerterit, tunc poterit Angelus videns hos effectus alteri narrare illos, & excitare, vt ad ipsos attendat. Rursus futura contingentia possunt per coniecturas ab Angelis prænosci. Quare si vnus plures coniecturas habeat alicuius futuri, quam alius poterit de tali futuro ad alium loqui, saltem intra latitudinem coniecturalis cognitionis. Prætereà potest vnus Angelus præscire futurum aliquod in suo decreto: ergo hoc ipsum potest alteri prodere. Denique licèt Angeli res naturales habitualiter cognoscant, non tamen semper actu cuncta considerant: ergo qui vnum effectum v. g. cælum actu considerat, potest de illo ad alium loqui, ac eum excitare, vt actu tale obiectum consideret.

21. In his autem Angelus audiens videt intuitiuè conceptum loquentis ordinatum ad se, quoniam habet innatam speciem propriam illius, & posita ordinatione loquentis nihil impedit cognitionem intuitiuam talis conceptus. Quòd si hic sit intuitiuus Angelus audiens debet videre simul obiectum ipsius intellectionis intuitiuæ per species scilicet innatas, quas habet illius obiecti: nam agimus de locutione merè naturali, per quam nihil potest vnus Angelus intuitiuè cognoscere, cuius alius non habeat species innatas. Ratio verò est quoniam, vt dixi lib. 1. disputat. 28. cap. 1. & lib. 2. disputat. 12. cap. 3. Non potest intuitiua cognitio intuitiuè cognosci, quin eius obiectum intuitiuè simul, licèt per actum re, vel ratione distinctum cognoscatur propter ordinem transcendentalem visionis ad obiectum visum, qui ordo videri non potest, nisi viso simul termino illius. Quòd si cognitio loquentis non sit intuitiua, sed accidentaria, vel coniecturalis solùm, vt si locutio fit de re futura, vel de interna volitione hominis, quam suspicatur, vel de volitione, seu præcepto diuino, quod per effectus cognouit, tunc audiens non debet cognoscere obiectum intuitiuè, sed accidentariè solùm, quia talis cognitio loquentis vt intuitiuè cognoscatur non requirit perfectiorem cognitionem sui termini, quàm sit modus attingendi terminum, quem ipsa habet, vt illis locis ostensum est.

Insinuant Thomistæ ordinationem ipsam voluntatis videri quoque in seipsa ab audiente, potestque probabiliter sustineri, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ergo si volitio ista præstat, vt videatur conceptus ordinatus per ipsam præstabit simul, vt eamet videatur ab audiente. Forsan tamen non videtur in se, nisi reflexè cognoscatur per aliquam cognitionem, & hæc ordinetur ad audientem; sicut de exteris actibus voluntatis existimo fore sentiendum, quia locutio formaliter est expressio conceptuum, non volitionum: ergo manifestat illos in se, has verò non nisi prout obiiciuntur cognitionibus reflexis arguitiue sanè cognoscet audiens ordinationem liberam loquentis, siquidem bene noui, sine tali ordinatione locutionem non fieri, vnde colliget volitionem talem inesse loquenti. 22.

Posterior locutio practica facilè ostenditur, quia potest vnus Angelus alterum rogare, vel iubere vt aliquid faciat, imò hic est frequentior modus, quo in Scriptura introducuntur Angeli inter se loquentes, Zachar. 2. Apocalyp. 7. & sæpè alibi; tunc autem manifestantur illi actus quos ad intellectum diximus pertinere lib. 2. disputat. 38. cap. 1. dubitat. 2. intuitiuè quidem, & in se; ceterùm illorum obiecta, seu res, quæ iubentur, aut rogantur ex vi præcisa cognitionis intuitiuæ talium actuum non opus est, vt cognoscantur etiam intuitiuè, quia cùm illi actus non sint intuitiuæ notitiæ, sed imperia, vel preces, quæ circa res abstractiuè vel obscurè cognitas possunt versari, quæuis cognitio, vel accidentaria, vel obscura termini sufficit ad cognitionem intuitiuam illius respectus. Si tamen audiens habeat species innatas proprias talium obiectorum, excitabuntur istæ ad cognoscendas res illas intuitiuè vel abstractiuè iuxta capacitatem obiecti præsentis, vel possibilis. 23. Zachar. 2. Apocal. 7

Iuxta opinionem istam in locutione speculatiua non poterit vnus Angelus propriè mentiri alteri, quia non potest ire contra mentem in manifestando, qui proprium conceptum internum manifestat; poterit tamen Angelus deceptus, si capax est deceptionis, alterum decipere; at hoc non est propriè mendacium; Ceterùm in locutione practica videtur posse dari deceptio, seu mendacium latè dictum, quatenùs petitio, vel imperium illud denotat volitionem talis rei faciendæ, & tamen poterit secundùm naturam nudam Angelus petere, vel iubere, quod aliunde nolit fieri, nec enim in hoc inuenio repugnantiam vllam. 24.

Dicendum est 7. per consequens auditionem distingui realiter ab Angelica locutione: nam locutio est conceptus loquentis ordinatus ad alium; auditio verò est notitia, qua cognoscit audiens conceptum loquentis, & obiectum illius. Quare licèt frequenter posita ordinatione, qua Michael, v. g. ordinat conceptum suum ad Gabrielem, statim excitetur in Gabriele ... illius 25.

illius conceptus, & obiecti per illum repræsentati, prodeatque in cognitionem necessariam vtriusque, quam postea liberè poterit audiens, vel diuertere, vel conseruare pro libito, tamen in rigore loquendo contingere potest quòd aliquis loquatur, & non audiatur: posset enim Angelus tam attentus esse alteri rei, seu tot cogitationibus distentus, vt etiam excitata specie non cooperetur cum illa, sicut contingit in nobis, qui licèt naturaliter tangamur obiectis sensibilibus, & per illa producantur, vel excitentur species in intellectu, propter nimiam verò attentionem ad alia, non rarò contingit vt non percipiamus præsentia: etiam licèt communiter dicatur locutionem esse manifestationem proprij conceptus per excitationem speciei in intellectu audientis, non debet intelligi de excitatione actuali in actu secundo, sed de causa proxima ad excitandum nisi impediatur; & quamuis pertineat ad quæstionem de nomine, an illa dicenda sit locutio, debemus tamen seruare communem modum loquendi: nam quando Sacerdos absoluit pœnitentem, verè loquitur cum illo, cùm pœnitens frequenter non audiat, & frequentiùs non intelligat quid dicat Sacerdos. Quando verò Angelus audit, satis discernit loquentem, siquidem videt conceptum illius.

26. Dicendum est octauò, posse homines loqui cum Angelis, quòd de sanctis docet fides, & de ceteris experientia testatur, potest autem hæc locutio fieri ab hominibus per signa sensibilia, vt per voces, scripturas, &c. Nam Angeli facilè vident hæc signa per innatas species, & significationem ipsorum perspectam habent per naturalem scientiam, vel experientiam. Vnde per ea facilè percipient ea, de quibus locutio fit, eo scilicet modo quo vnus homo alterius loquelam intelligit. Quare si homo loquatur de rebus alioquin Dæmoni occultis; vt sunt arcana nostri cordis, ex vi talis locutionis Dæmon non videt res, de quibus fit sermo, nisi tantùm in signo, ac subinde non poterit illis assentiri nisi per fidem humanam, nec poterit homo per locutionem istam vni Angelo loqui, quin omnes intelligant, vel intelligere possint.

27. Prætereà communiter asserunt Thomistæ posse hominem loqui cum Angelis purè mentaliter, quia potest velle, vt Angelus suam cognitionem percipiat, nec ex parte Angeli aliud desideratur, siquidem iam præhabet species innatas nostrorum actuum, & lumen sufficiens; quare posita ordinatione libera hominis, videbit Angelus intuitiuè nostros actus sicut Angeli loquentis sibi; quòd à fortiori sentiendum est de animabus separatis tam respectu Angelorum, quam respectu sui vicissim, dum loquuntur inter se, sicut Luc. 16. anima diuitis, & anima Abrahæ. Possunt item Angeli loqui cum hominibus, vel per imitationem locutionis humanæ, vt faciunt in corporibus assumptis, vel formando voces sensibiles in aëre, & sic mentitur sæpè Dæmon, imò proptereà præcipuè dictum est de illo Ioann. 8. *mendax est, & pater mendacij*, loquuntur etiam Angeli nobiscum interius excitando phantasmata, & sic vel tentando homines, vt faciunt mali, vel illuminando, vt faciunt boni. Possunt etiam loqui cum animabus separatis per ordinationem cóceptuum, si Deus imprimit animabus in statu separationis species proprias talium conceptuum: at cum anima coniuncta non ita loquuntur, quoniam anima coniuncta non est capax talis cognitionis sine conuersione ad phantasmata.

Luc. 16.

Ioan. 8.

Potest etiam probabiliter defendi septima sententia sic intellecta, vt duplex genus intellectionum reperiatur in Angelis. Primum earum, quibus Angelus loquitur sibi soli, solusque percipit, siue directè percipiendo rem externam, siue reflexè cognoscendo suos actus, & tales intellectiones omninò sunt extra obiectum proprium aliorum Angelorum, quas præter elicientem nemo possit intuitiuè cognoscere, nec illarum habeat species innatas. Secundum verò genus sit illarum intellectionum, quibus quilibet Angelus cum ceteris loquitur, quoniam ordinantur non tam ad perficiendum proprium subiectum, quam ad manifestandum aliis quod repræsentant, ac subinde ceteri Angeli habent istarum species innatas, quas intellectiones istæ excitant per sese, & per speciem mouent ad sui notitiam illum Angelum; ad quem ex sua natura diriguntur. 28.

Hoc potest explicari, primò in locutione practica: nam illi actus diuersi a iudicio, vel apprehensione, quos per modum imperatiuum explicamus, pertinent ad intellectum, vt diximus lib. 1. disputat. 38. cap. 1. Nec tamen reperiuntur in prudentia Monastica, sed in Politica, & Oeconomica, quæ ordinatur ad alios: ergo iam actus isti solùm deseruiunt in ordine ad alios, ad quos petunt ex sua natura ordinari: horum igitur habebit species Angelus audiens, & hos videbit in seipsis, cùm ad se diriguntur. Rursus in locutione quoque speculatiua sunt admittendi quidam actus per modum iudicij, vel apprehensionis, qui similiter ordinentur ex natura sua potiùs ad Angelos audientes, quam ad cognitionem loquentis, & per hos loquetur vnus Angelus cum aliis locutione speculatiua. 29.

Nec videtur alienus ab hac sententia sanctus Thomas, nam 1. part. quæst. 107. artic. 1. quasi distinguens duplex genus intellectionum supradictum dicit intellectum à voluntate moueri de potentia ad actum dupliciter, primò vt actu consideret, quæ habet in memoria, & sic Angelum sibimet loqui ex imperio voluntatis. Secundò dicit intellectum moueri à voluntate per ordinationem sui conceptus ad alterum; & sic vnum Angelum loqui alteri. Vbi sic videtur accipiendus sanctus Thomas, vt dicat conceptum secundi generis esse locutionem ad alium, cùm ad alium ordinatur, non quia cùm anteà conceptus esset productus in Angelo, & aliis Angelis ignotus, posteà sola voluntatis ordinatione fiat illis notus, & sit respectu ipsorum locutio, sed quia pendet ex imperio voluntatis vt intellectus Angeli nunc exprimat conceptum primi generis, quo loquatur sibi, nunc conceptum secundi generis directum ad alios, qui sit locutio respectu aliorum. 30.

Nec vnquam docuit S. Thomas Angelum solo nutu suæ voluntatis sine alio signo loqui aliis Angelis, imò in 2. dist. 11. quæst. 2. art. 3. circa finem docet, locutionem fieri per aliquod signum, quod vnus Angelus in altero naturaliter cognoscere potest, fierique signis intellectualibus; nullum autem aliud signum intellectuale constituit vnquam nisi conceptum ipsius mentis pro- 31.

ductum ex directione voluntatis, quam diximus, vt asserit quæst. 9. de verit. art. 4. ad quartum, inquiens. Et sic vnus Angelus per signum alij loquetur, scilicet per speciem, in cuius actu intellectus eius fit in ordine ad alium.

32 In hoc sensu posset sustineri secunda opinio c. 2. relata, Si signa spiritualia, quibus Angeli loquuntur inter se, dicantur significare naturaliter, & esse conceptus Angelicæ mentis ad secundum genus spectantes: Sic possunt etiam illa specialia signa, seu particulares linguæ, quas iuxta numerum Angelorum multiplicat Albertinus, exponi: sicut enim diuersum formo conceptum in mente, cùm dico, Petre, fac hoc, & diuersum, cùm dico, Paule fac hoc, & diuersum cùm dico, Auditores, vel famuli facite hoc, iuxta diuersitatem Vocatiui, sic etiam Angelus in conceptu directo ex sua natura ad Michaelem, quo loquitur illi soli, quasi inuoluit Michaelem in vocandi casu, & sic de singulis, vnde respectu singulorum elicit speciales actus qui singulos Angelos sigillatim recipiant, ac subinde speciales linguæ, vel signa nuncupentur. Quòd si velit ad plures simul loqui, sicut potest vnico actu simul omnes compellare, vel in confuso per conceptum confusum seu communem, vel in particulari, si tot sint, quot possit Angelus pro sua perfectione vnico actu simul complecti, sic poterit conceptum secundi generis elicere ad illos omnes simul ea sese directum. Quare sicut datur communis omnium, & conceptus singularis vnius, sic etiam locutio, vel idioma.

33. Iuxta sententiam istam dicendum est primò Angelum posse alteri loqui in quacunque distantia propter suprà dicta num. 14. quæ partim militant in præsenti; posse similiter loqui superiorem cum inferioribus, & è contrà, imò etiam cum Deo, quamuis alioquin omnes intellectiones sint Deo manifestæ; quoniam intellectiones primi generis non sunt ad alterum, sed intellectiones secũdi generis ordinatæ cõnaturaliter ad Deum, quem inuoluunt in vocãdi casu, sunt propriè locutio respectu Dei. Potest etiã Angelus loqui cum vno alio, quin audiant ceteri, si conceptũ eliciat, quo vnum alterum compellat, & respiciat duntaxat; similiter ad duos tantùm, tres, vel quatuor, &c. iuxta libitum loquentis, & modum explicatum suprà: Imò videtur addendum in hac opinione consequenter Angelum non habere species innatas actuum alienorum, qui pertineant ad voluntatem, vel ad primum genus intellectionum, siquidem nullum horum potest intueri; ex intellectionibus verò secundi generis illarum tantùm habebit species innatas, quæ ordinentur ad se, vel in particulari, vel in communi, ceterarum neutiquam.

34. Vnde dicendum est secundò, posse vnum Angelum cum altero loqui primò & per se de suis intellectionibus secundi generis quas intuitiuè manifestat illi ad quem diriguntur, consequenter verò de ceteris actibus, vel rebus prout istis intellectionibus secondi generi possunt significari. Et quidem si locutio sit practica cùm non repræsentet obiectum intuitiuè, solùm ingerit cognitionem accidentariam illius ea vi sua, potestque continere deceptionem, vt suprà dicebamus num. 24. locutio item speculatiua in ista opinione videtur fore non intuitiua, sed accidentaria, imò obscura repræsentatio sui obiecti, quia cùm ex natura sua non ordinetur ad perficiendum suum subiectum, sed ad notificandum alteri obiectum, non per scientiam euidentem, sed per Angelicam fidem, quam par est à scientia distingui; solùm requirit repræsentationem obscuram. Item sicut aliqua signa naturalia, v. g. vestigia possumus ita confingere, vt significent quod non est, sic existimo ista signa, seu locutionem ita subiacere imperio voluntatis, vt possit Angelus repræsentare rem per intellectionem secundi generis aliter ac illam conceperat per intellectionem primi generis, quod est propriè mentiri.

Animabus separatis tribuendus est idem modus loquendi, vel inter se, vel cum Angelis; animæ verò coniunctæ quamuis non experiantur istas speculatiuas intellectiones secundi generis, forsan habent illas, & quidem cum Dæmone nunquam ferè loquuntur homines nisi verbis, aut signis externis, cum sanctis verò Angelis licèt loquantur interiùs, exaudiuntur, quia per visionem beatam, vel per alias reuelationes diuinas possunt cognoscere nostros actus, quando loquimur ad illos, sicut etiam de hominibus beatis dicendum erit. 35.

CAPVT V.

Diluuntur opposita.

Prima opinio nihil habet, quod vrgeat. 1.

Ad primum fundamentum secundæ sententiæ respondetur intellectum esse Angelorum linguam, nutus verò seu signa dici conceptus mentis, prout directos ad audientem: vt sic enim significant, quod intendit loquens exprimere; linguas verò in plurali dixit Apostolus, vel quia sicut quisque habet suum intellectum distinctum ab aliis, sic etiam suam linguam, vel quia conceptus ordinatus ad vnum illi soli significat, & non aliis, quare potest dici particularis lingua respectu illius. Ad secundum, concessa maiori, negatur minor: sic enim sunt conceptus occulti, vt ea elicientis consensu possint manifestari, quod non est contrà; sed potiùs iuxta dominium rationalis naturæ super suos actus. Ad tertium dicimus Angelum posse mentiri locutione practica, quod sufficit, vel etiam speculatiua iuxta septimam opinionem modo dicto cap. 4. num. 34.

Ad fundamentum tertiæ opinionis transeat maior, & nego minorem: nam intellectus vnius Angeli instructus specie intelligibili est sufficiens principium producendi cognitionem in se, non in alio, quia solùm est principium actionis immanentis, & vitalis, similiter quoque intellectus Angeli audientis est capax cognitionis, non ab alio, sed à semetipso elicitæ, quia cognitio non potest aliter produci saltem connaturaliter. Quarta opinio nihil habet dissoluendum. 2.

Ad 1. argumentum quintæ opinionis respondetur S. Thomã ibi solùm docere aliquam excitationẽ interuenire in Angelica locutione, & vim aliquam excitatiuam intelligibilem ex parte loquentis, quam etiã admittit Caietanus ibi dicens illam esse duntaxat ordinationem loquentis, per quam facit hunc conceptum de pertinentibus ad audientem; & hoc ipsum innuit S. Thomas q. 9. de verit. a. 4. ad 6. dum ait. *Dicendum est quòd Angeli ex hoc ipso quòd se ad alios conuertunt dũ sunt in actu aliquarum formarum in ordine ad alios, quodammodo illos excitant ad intuendum.* Illud 3.

autem

autem *quodammodo* satis indicat non esse excitationem per propriam efficientiam, sed solùm obiectiuam, vt interpretantur Thomistæ. Nec exemplum de sensu & sensibili, quod affert S.Thomas, tenet in omnibus, sed in sola ratione communi excitationis licet diuersimode facta.

4. Vnde ad secundum respondetur excitationem istam fieri solùm extrinsecè per naturalem, seu moralem sympathiam istius conceptus in mente Gabrielis ordinati ad Michaëlem, cum specie eiusdem existente in mente Michaëlis. Nec est nouum in ordine ad cognitionem dari huiusmodi excitationes extrinsecas: nam etiam respectu Dei posita futuritione contingentis effectus determinatur intellectus diuinus ad cognoscendum illum scientia visionis, qua non cognosceret talem effectum, si non daretur talis extrinseca futuritio. Item respectu Angeli actualis existentia contingentis effectus sufficienter excitat sui speciem in intellectu Angelico ad cognoscendum obiectum præsens, quod anteà non poterat intuitiuè nouisse: ergo similiter directio cogitationis Angelicæ ad alterum Angelum licèt extrinseca respectu audientis, hunc poterit sufficienter excitare, suique speciem simul in mente ipsius, vt iam possit audiens cognoscere conceptum alienum, quem sine tali directione, vel excitatione non cognouisset. Ideò

Caietan. Valentia. Caietanus 1. part. quæst. 107. art. 1. ad 3. & Valentia tom. 1. disp. 8. quæst. 4. punct. 2. dicunt per illum conceptum ita ordinatum excitari Angelum ad audiendum, seu percipiendum id, quod alter loquitur, nec ad eam excitationem requiri signum aliud, nec hic interuenire aliam excitationem ad audiendum distinctam ab ipsa locutione, quæ est ille met conceptus.

5. Vasquez. Vasquius verò qui 1. part disput. 211. num. 71. sentit vnum Angelum non habere vim excitandi alium, vt necessariò audiat, sic viget contra nos num. 33 & 42. Res aliqua in se omninò non mutata eodem modo comparatur cum intellectu nunc & anteà, nec per respectum solum extrinsecum redditur intelligibilis: Sed conceptus mentis ante voluntatis ordinationem erat prorsùs aliis ignotus, nec per talem ordinationem fit aliqua mutatio in ipso conceptu, nec in intellectu loquentis, vel audientis: ergo per solum respectum extrinsecum, quem ex voluntate recipiat reddi nequit intelligibilis.

6. Hæc tamen instantia non vrget contra septimam sententiam: nam in illa conceptus illi secundi generis eo ipso quòd producantur, semper sunt intelligibiles ex sua natura ab illo, ad quem diriguntur, & libertas loquentis relucet in hoc quòd velit producere per intellectum talem, vel talem actum ad hunc, vel illum Angelum ordinatum, nec actus primi generis, qui semel sunt extra obiectum naturale intellectus ponuntur vnquam intra illud, sed per alios actus secundi generis quasi per testimonium extrinsecum manifestantur. Ceterùm iuxta sextam sententiam respondere potest, illos conceptus, qui sine directione libera elicientis non erant proximè cognoscibiles ab alio, quoniam hoc exigit morale dominium agentis liberi super suos actus internos posita ordinatione reddi proximè cognoscibiles, quia cessat iam omnis occultationis ratio; imò dominium ipsum simul exigit & celare secretum, & manifestare posse pro libito. Quare licèt in illis conceptibus non fiat per ordinationem mutatio physica, fit tamen variatio moralis: nam anteà claudebantur sub dominij moralis signaculo, nunc verò ab eodem reserantur, & vbi cognoscibilitas proxima pendet à dominio morali, sufficit mutatio moralis, vt reddatur proximè co-
gnoscibile, quod ante talem mutationem non 7.
erat proximè tale.

Ad confirmationem dicimus vnum Angelum non loqui cum alio permittendo, sed positiuè volendo, vt alter percipiat conceptum loquentis, quod est positiuè illum excitare; quare negatur minor; ad cuius probationem respondetur, cùm Deus excitat nos ad actus supernaturales, vel imprimere nobis principium aliquod eleuans potentiam, vel saltem concurrere speciali concursu ad cognitionem nostram sine nostro libero consensu eliciendam: cùm enim intellectus noster ad cognitionem supernaturalem sit insufficiens, debet à Deo coadiuuari; attamen cùm Deus excitat nos ad cognitionem naturalem, non video quòd ponat in nobis ad excitandam hanc vel illam speciem intelligibilem, quam habemus in memoria, sed per solam voluntatem extrinsecam Dei, qui est Dominus nostræ mentis, excitatur talis species, cum qua intellectus necessariò elicit
primam cogitationem, & inchoat seriem actuum 8.
internorum.

Tertium argumentum supponit Angelum non habere species innatas alienorum conceptuum, cuius oppositum docuimus suprà disp. 9. cap. 4. Ad confirmationem respondetur Angelum reddi proximè potentem ad cognoscendos alienos conceptus per ordinationem liberam loquentis tanquam per conditionem omnino prærequisitam ad talem cognitionem; nec est mirum conditiones prærequisitas ad agendum, scilicet approximationem passi, dispositionem illius, positionem termini ad emanationem relationis, & similes esse prorsus extrinsecas agentibus, nec in his imprimere principium intrinsecum agendi, nec propriè loquendo tollere impedimentum, sed positiuè conferre ad actionem in genere conditionum, sine quibus non poterit agens cooperari. Similiter ergo philosophandum erit,
de ordinatione libera loquentis respectu cogni- 9.
tionis eliciendæ ab audiente.

Ad quartum respondetur excitationem specierum nihil dicere productum in ipsis de nouo, sed sicut in nobis per naturalem sympathiam ad talem proportionem humorum, vel propter connexionem obiectorum, vel propter extrinsecam volitionem Dei excitatur hæc species, & non illa sine mutatione, vel nouitate aliqua intrinseca, quæ fiat in ipsis speciebus; sic per moralem sympathiam, quæ ad commercium politicum Angelorum est necessaria, posita ordinatione liberta loquentis, vel conceptu ordinatu ad alterum, in isto excitatur species talis cognitionis sine nouitate, vel mutatione intrinsecè facta in speciebus, sed solùm resultat inde cognitio necessaria iuxta suprà dicta cap. 4. num. 25. Ad confirmationem dicimus iuxta sextam, vel septimam opinionem declarari satis, quomodo locutio Angeli secreta sit, excedatque locutionem humanam, quæ non prodit actus internos in seipsis, nec in signis naturalibus, & spiritualibus, sed materialibus, & ad placitum.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

DISPVT. XII.

De obiecto supernaturali cognitionis Angelicæ.

NON agimus de obiecto supernaturali increato quod est Deus secundùm se, & secundùm totam substantiam, & perfectiones absolutas, vel relatiuas secum identificatas; certum est enim nec Angelum, nec vllam puram creaturam naturaliter posse clarè videre Deum, vel mysterium Trinitatis, vt suprà quæst.12. & quæst.32. visum est. Restat igitur de supernaturalitate creata disputare.

CAPVT I.

Vtrùm naturaliter cognoscant Angeli res supernaturales.

1. PRima sententia sit Scoti in 4. distinct.10. quæst.8. conclus.2. & ad argumenta principalia, vbi generaliter ait, omnia mysteria gratiæ, postquam facta sunt, posse ab Angelis intuitiue videri virtute naturali; specialiter id docet de virtutibus infusis, & de modo existendi dominici corporis in Eucharistia, sequitur Bassolis ibi quæst.4. art.3. Tartaretus in 4. distinct.10. Angles in 2. distinct. 3. quæst. 4. difficul. 12. Ouandus in 2. distinct.8. propositione 9. Palatius in 4. distinct. 10. disput. 3. conclus. 7. supponere videtur Aureolus in 2. dist.9. dum ait posse Angelum videre visionem beatificam ex puris naturalibus. Insinuat Henricus in somm. art. 3. quæst.2. quatenus supponit quòd si daretur species creata repræsentans diuinam essentiam prout est in re, talis species posset cognosci naturaliter ab Angelo quidditatiuè & perfectè. Addit tamen Scotus malis Angelis denegatum fuisse mysteria quædam agnoscere Deo cum eis non concurrente ad eam cognitionem eliciendam, ne ipsorum malitia redemptionem generis humani per Christi mortem, & alia plura bona impediret. Vnde Dæmones incarnationem etiam postquam facta est ignorarunt.

Bassolis.
Tartaretus.
Angles.
Ouandus.
Palatius.
Aureolus.
Henricus.

2. Probatur hæc sententia primò, quoniam omnia mysteria gratiæ, quæ in tempore mandantur executioni sunt entia creata; nullum verò ens iam creatum habet improportionem, vt dum actu existit, cognosci possit intuitiuè ab intellectu Angelico. Quare nisi Deus deneget suum generalē cōcursum singuli Angeli omnia mysteria gratiæ naturaliter cognoscent etiam intuitiuè, dum illa sunt actualiter existētia. Probatur 2. quia si mysteria gratiæ non possent naturaliter ab Angelis cognosci, postquam iam facta sunt; ideò foret potissimum, quia sunt entia supernaturalia, & obiectum supernaturale non potest naturaliter cognosci: Sed hoc non obstat: ergo nihil. Minor probatur ex doctrina Scoti suprà, & quæst.1 Prologi §. *Ad quæstionem igitur*, quia naturale, & supernaturale non differunt in seipsis, sed solùm ex parte efficientis, quatenùs producuntur, vel ab agente naturali, vel à supernaturali, cùm tamen alioquin in seipsis habeant naturam eiusdem ordinis: ergo supernaturalitas non obstat quin obiectum supernaturale dum actu existit possit ab Angelis naturaliter cognosci. Confirmatur alia ratione Scoti, quia nonnunquam ens naturale est multo perfectius, quàm supernaturale, videlicet substantia naturalis perfectior est quolibet accidenti, etiam supernaturali: ergo non minùs rectè cognosci potest accidens supernaturale, quàm substantia naturalis.

3. Probatur tertiò, quoniam vnus Angelus beatus videt naturaliter actum beatificum alterius, qui tamen est supernaturalis. Probatur quartò: nam Angeli naturaliter cognoscere poterant, humanitati Christi deesse propriam personalitatem, ac subinde naturam illam non esse in supposito proprio, atque id esse supernaturale; cognoscebant præterea naturam humanam existere non posse nisi in supposito proprio, vel alieno diuino: ergo realiter cognoscebant vnitam esse alieno supposito diuino, subindeque cognoscebant naturaliter mysterium Incarnationis, quod est supernaturale. Probatur quintò, quoniam Angeli naturaliter vident in Eucharistia non esse substantiam panis, & per consequens accidentia manere sine subiecto: ergo possunt cognoscere modum supernaturalem, quo accidentia illa existunt sine subiecto, nec non præsentiam supernaturalem dominici corporis loco substantiæ panis in Sacramento Altaris.

4. Secunda sententia negat mysteria gratiæ supernaturalia posse naturaliter ab Angelis cognosci. Sic docent generaliter S. Thomas in hac q.57. art.5. Caietanus, Cumelis, Banes ibidem, Molina disp.1. Pesantius disp.1. & 2. Alensis 2. part. quæst.26. memb.1. Durandus in 2. dist.3. quæst.7. conclus.19. & quæst 8. num.6. & in 4. distinct.10. quæst.4. num. 6. Ægidius Lusitan. lib.11. de beatitudine quæst. 8. num. 118. Albertinus tom.1. principio 10. corollar. 13. Valentia tom.1. disp.4. quæst. 8. punct.4. & alij plures. Probat S. Thomas, quoniam hæc dona pendent ex sola voluntate Dei: distribuit enim illa spiritus, prout vult: Angelus autem non potest cognoscere, quæ pendent ex sola voluntate Dei: ergo non potest cognoscere mysteria supernaturalia. Minor probatur tum ex illa 1. Corinth.2. *Quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei*; tum etiam quia si Angelus non potest cognoscere cogitationem alterius Angeli, multò minùs poterit cognoscere, quæ pendent à voluntate solius Dei. Quæ quidem ratio videtur procedere de mysteriis antequam fiant: tunc enim cognosci non possunt, nisi cognita volitione Dei circa futuritionem illorum.

S Thom.
Caietan.
Cumel.
Baunes.
Molina.
Pesantius.
Alensis.
Durand.
Ægid Lusit.
Albert
Valentia.
1 Cor.2.

5. Pro decisione suppono varias diuisiones entis supernaturalis, quas explicui lib.1. disput.8. quæ ad rem præsentem faciunt potissimum sunt duæ. Prima est entis supernaturalis in supernaturale secundùm quid, & supernaturale simpliciter. Secunda est entis supernaturalis simpliciter in supernaturale quoad substantiam, & supernaturale quoad modum, & in omnibus his procedit quæstio de cognitione quidditatiua, vel intuitiua præsentium, vel abstractiua possibilium, & etiam de cognitione accidentaria per medium cognitum, de quibus dicemus sigillatim.

6. Dico primò, nec ens supernaturale increatum, nec entia creata supernaturalia quoad substantiam potest Angelus quidditatiuè cognoscere naturaliter, & consequenter, nec intuitiuè

videre

videre dum exiſtunt. Ita Doctores ſecundæ ſententiæ, & præterea Suarius lib. 2. de Angelis
Suarez. Vaſquez. cap. 29. Vaſquius 1. part. diſp. 214. cap. 3. Probatur, quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic ad cognoſci, quatenùs intelligibilitas vniuſcuiuſque rei proportionatur eius naturæ, & entitati. Sed hæc entia ſunt intrinſecè quoad proprias quidditates ſupernaturalia, quatenùs intrinſecè participant gradum quaſi ſpecificum naturæ diuinæ, vt
Albert. oſtendimus lib. 1. diſp. 7. & docet Albertinus ſuprà num. 6. ergo habent etiam ſupernaturalitatem cognoſcibilitatis, ſeu cognoſcibilitatem improportionatam cuicunque potentiæ cognoſcitiuæ ſecundùm natiuam vim duntaxat ſpectatæ.

7. Oſtenditur etiam ex parte Angeli: nam ad ea cognoſcenda quæ ſub naturali eius obiecto comprehenduntur, habet Angelus viam & modum ſibi naturaliter debitum, ac ſubinde ſpecies intentionales congenitas, vt diximus diſput. 8. cap. 3. ſed ad cognoſcenda hæc ſupernaturalia non habet ſpecies proportionatas naturaliter congenitas, nec illi connaturaliter debentur: ergo talia entia non continentur ſub obiecto naturali cognitionis Angelicæ. Minor probatur, quia ſpecies propriæ repræſentantes entia ſupernaturalia, prout in ſe ſunt, debent eſſe eiuſdem ordinis cum ipſis, cùm ſpecies habere debeat entitatem, & immaterialitatem proportionatam ad repræſentandum obiectum, prout eſt in tali rerum ordine: ergo debent eſſe ſpecies ſupernaturales, ac ſubinde non debentur connaturaliter Angelis magis quàm ipſa ſupernaturalia dona: Vnde fit etiam cognitionem quidditatiuam talium obiectorum, prout in ſe ſunt, futuram eſſe ſupernaturalem; atque ideò lumen aliquod ſupernaturale requiri ex parte potentiæ: nam hæc tria, ſpecies, actus, & lumen ſeruant inter ſe proportionem.

8. Hæc fundamenta conuincunt de omnibus entibus intrinſecè, ſiue quoad ſubſtantiam ſupernaturalibus, ſiue ſint res abſolutæ, ſiue ſint modi, qualis eſt vnio hypoſtatica, & actiones ad terminos ſupernaturales terminatæ: nunc enim non agimus de actionibus ſupernaturalibus terminatis ad terminos naturales. Nec ſolùm probant hæ rationes hæc entia ſupernaturalia non poſſe intuitiuè cognoſci, quando exiſtunt, ſed nec vt poſſibilia, antequam fiant: nam vtraque cognitio videtur eſſe ſuper captum, & intelligentiam naturalem Angelorum: ſempet enim eſt obiectum excedens vires naturalis mentis ſecundùm propriam cognoſcibilitatem. ſed quia dupliciter ſciri poteſt aliquam rem eſſe poſſibilem primò per propriam ſpeciem abſtractiuè, ſed eſſentialiter cognoſcendo rem, prout habet ſecundùm ſe veram eſſentiam, & naturam poſſibilem Secundò notitia accidentaria per ſigna, vel media extrinſeca, & per alienas ſpecies, vt ex vno effectu alium eſſe poſſibilem inferendo, vel ex non repugnantia, quæ reperitur in aliquo opere iuxta diuinam omnipotentiam colligendo ſimilem poſſibilitatem alterius operis. Primus modus ſatis excluditur fundamentis primæ concluſionis. Circa ſecundum modum.

9. Dico ſecundò, entia ſupernaturalia quoad ſubſtantiam ita ſuperant intellectum Angeli, vt non poſſit ſolo lumine naturali euidenter cognoſcere, ſingula eſſe poſſibilia determinatè, etiam per media extrinſeca, ſeu per alienos conceptus accidentarios, & per diſcurſum formalem, vel virtualem. Ita communiter Theologi cum S. Thoma hìc art. 5. Suarius etiam ſuprà num. 23. Suarez.
Probatur, quia licèt Angeli cognoſcant naturaliter Deum eſſe omnipotentem, tamen diuinam omnipotentiam non comprehendunt, nec illam intuitiuè vel quidditatiuè percipiunt, ſed ex ſolis effectibus naturalibus rimantur; præterea non cognoſcunt eſſentias, & naturas omnium poſſibilium: ergo non poterunt euidenter cognoſcere hoc, vel illud ens ſupernaturale in particulari eſſe poſſibile. Confirmatur, nam entia ſupernaturalia eo ipſo quòd talia ſunt, non continentur in ſolis principiis, cauſis, vel effectibus naturalibus, quos ſolos cognoſcit Angelus euidentia naturali: ergo nullum ſuppetit Angelis medium, quo poſſint euidenter iudicare, quòd ſint poſſibilia.

Dices, Angeli cognoſcunt diuinam potentiam eſſe infinitam: ergo ſciunt euidenter Deum poſſe facere plura, & perfectiora, quàm fecit: ergo ſciunt, poſſe facere alium ordinem rerum ſuperiorem his omnibus, quos fecit: ergo tenera cognoſcunt naturaliter, Deum poſſe facere res aliquas pertinentes ad ordinem gratiæ, ſubindeque poſſibiles eſſe res ſupernaturales. Confirmatur, quoniam Angelus cognoſcit naturaliter, & euidenter naturam, & entitatem rerum naturalium; ſed hæc realiter eſt potentia obedientialis ad recipiendum, & producendum quæcunque entia ſupernaturalia: ergo hæc entia cognoſcit etiam Angelus, quatenus ſunt terminus illius reſpectus, ſeu potentiæ obedientialis, id eſt, quatenùs poſſunt in illa recipi, vel per illam effici. 10.

Reſpondetur ad argumentum, ad ſummum inde concludi, Angelum naturaliter cognoſcere, Deum perfectiores ſemper effectus poſſe creare, quàm creauerit: nam hoc videtur euidenter deduci ex infinitate ſimpliciter omnipotentiæ diuinæ, cui nullus effectus finitus adæquatur; non tamen inde colligitur præſertim cum euidentia, poſſe Deum creare alium ordinem, vel gradum rerum, qui naturalis non ſit: nam etiam eſt certum poſſe Deum perfectiores, & perfectiores ſubſtantias creare ſine termino, non tamen indè fit creari poſſe ſubſtantiam ſupernaturalem. Itaque ad infinitatem diuinæ potentiæ non ſolùm in modo operandi per creationem, ſed etiam in obiecto creabili credi poſſet ſufficere, vt queat intra naturalem ordinem plures, & perfectiores effectus eſſentialiter in infinitum producere. Ad confirmationem reſpondetur Angelum rectè cognoſcere creaturam omnem, eo ipſo quòd creatura ſit, ſubdi diuinæ voluntati ad recipiendum, & agendum quidquid Deus in illa, vel per illam voluerit operari, etiam præter communes regulas, legéſque naturæ; quod autem poſſit Deus velle ſic operari, non diſcernit Angelus in particulari, quia reſpectus ille potentiæ obedientialis immediatè reſpicit ſolum dominium, & potentiam Dei, cui ſubiicitur, & mediatè quidquid non implicet à Deo fieri ſub iſta communi, & confuſa ratione non implicantis; vnde ad ſummum colliget Angelus poſſe Deum non conſeruare leges naturæ, ſed aliquid præter illas operari, quidquid illud ſit, quod eſt cognoſcere aliquid ſupernaturale quoad modum, vel ſecundùm quid, in communi, non tamen ſupernaturale quoad ſubſtantiam de quo agimus in præſenti. 11.

Dico tertiò, etiam poſtquam effectus ſupernaturales quoad ſubſtantiam facti ſunt, non poſſunt Angeli per ſigna, vel coniecturas euidenter 12.

cognoſcere

cognoscere abstractiuè tales effectus esse factos, nisi detur euidentia in testificante: Ita communiter Doctores secundæ sententiæ. Probatur, quoniam hæc entia etiam postquam facta sunt non cognoscuntur naturaliter in seipsis per proprias species, vt ostensum est conclusione prima, sed nec habent effectus aliquos, per quos euidenter cognosci possint etiam quoad solam existentiam confusè cognitam: ergo nullo modo cognosci possunt seclusa euidentia in testificante. Consequentia constat, quia cognitio euidens à posteriori non potest esse nisi per effectus necessariò manantes à tali causa; nec enim cogitari possunt alia signa, quæ naturaliter, & infallibiliter talem rem demonstrent, quæ non sint effectus ipsius. Minor probatur, quia vel illi effectus sunt in substantia supernaturales, & sic non poterunt euidenter ipsi cognosci, nisi per alios effectus, de quibus idem argumentum redibit, vel sunt naturales, & sic non poterunt euidenter indicare causam supernaturalem: nam entitas per se secundùm rationem communem entis naturalis à supernaturali non pendet.

13. Dices primò; Quilibet Angelus postquam iustificatus est, cognoscit in seipso effectus donorum supernaturalium: ergo per illos cognoscit euidenter ipsa dona. Probatur consequentia: nam Angelus viator credens cognoscit euidenter se credere, similitérque cognoscit se amare: ergo cognouit, qualis sit ille actus, & à quo habitu procedat; & consequenter etiam ipsos habitus supernaturales cognoscet. Declaratur, nam si Angelus haberet species naturales inditas istorum donorum, sine dubio posset illa videre: Sed Angelus ad cognoscendum proprios actus non indiget speciebus, quoniam actus sui sunt cuique coniunctissimi tanquam obiecta actu cognoscibilia: ergo poterit Angelus suos actus supernaturales per eos ipsos agnoscere, eo ipso quòd in ipsomet Angelo fiunt, & consequenter per actus poterit habitus etiam agnoscere.

14. Respondetur Angelum credentem fide diuina experiri quidem euidenter se credere, non tamen intuitiuè vel quidditatiuè cognoscere substantiam, & vltimam differentiam talis actus, idque non tam ex defectu speciei, quàm ex defectu luminis, & virtutis supernaturalis, quæ non habetur naturaliter, & ad cognoscendum quidditatiuè obiectum supernaturale prærequiritur ex parte potentiæ, idemque de amore, ac de ceteris actibus supernaturalibus pariter est dicèdum, multoque magis de habitibus per se infusis. Quare commune est Angelo viatori cum homine, vt licèt iustificatus sit, non cognoscat euidenter suam iustitiam.

15. Sed contrà dices secundò, hoc solùm procedere de cognitione intuitiua, nihilominùs tamen eo ipso quod Angelus experitur suam fidem, & illam intuitiuè non videt, inferet euidenter illā esse fidē supernaturalem, quia si naturalis esset, illam videret clarè. Respondetur, licèt Angelus viator non viderit euidēter actus suæ fidei, potuisse causam ignorare, nimirùm an id contingat, quia talis actus fidei sit alterius ordinis, quam sint actus cognoscibiles ab ipso, vel quia diuinitùs ei occultetur (quod scit posse contingere) propter rationes prouidentiæ diuinæ, quas ipse ignorat.

16. Dices tertiò, dantur aliqui actus naturales quoad substantiam, qui tamen dicunt ordinem ad aliquid supernaturale: ergo dum Angelus videt istos intuitiuè, colliget euidenter dari terminum illum supernaturalem. Antecedens constat ex dictis lib. 1. disp. 9. cap. 3. nam actus naturalis temperantiæ, v.g. potest imperari ab actu supernaturali charitatis, & dicit ex indiuiduatione sua intrinsecum ordinem ad actum imperantem: Item hæreticus actu naturali credit diuinam Trinitatem, licèt ex motiuo naturali. Demùm actus Theologiæ est naturalis quoad substantiam, & tamen pendet ab vna saltem præmissa supernaturali, ad quam dicit intrinsecum ordinem: Sed istos actus naturales quoad substantiam cognoscit naturaliter Angelus, saltem dum manifestantur ab eliciente: ergo cognoscet etiam naturaliter saltem arguitiuè, ac per alienas species, euidenter tamen terminos supernaturales illorum respectiuum.

17. Respondetur concesso antecedenti negando consequentiam: eo enim ipso quòd isti actus naturales dicunt ordinem ad aliquid supernaturale & ordo non potest videri sine suo termino cùm Angelus non possit cognoscere terminum propter improportionem luminis cum cognoscibilitate talis obiecti, nec tales actus poterit naturaliter comprehendere, saltem quoad ordines illos. Quapropter actum naturalem imperatum à supernaturali poterit quidem Angelus videre quoad rationem specificam illius, & quoad alias rationes indiuiduales, non tamen quoad illam indiuiduationem imperati; nec species intentionalis amplius Angelo repræsentabit, etiamsi eliciens talem actum imperatum manifestet illum. Actus etiam naturales terminatos ad obiectum materiale supernaturale, credo, videbit Angelus si manifestentur ipsi, ceterùm cùm nullus actus naturalis euidenter attingat obiectum supernaturale in seipso, sed per notitiam accidentariam ad cognitionem talis actus, non est opus cognoscere obiectum supernaturale in seipso, sed accidentariè, v.g. si videat Angelus actum, quo credit Hæreticus Trinitatem, solùm apprehendet obscurè Trinitatem, nec poterit euidenter, nec dum certò iudicare, dari Trinitatem, quia fides hæretici circa illam, eo ipso quòd sit humana, est fallibilis; idemque est de ceteris actibus, qui ex motiuo naturali, & fallibili tendunt in obiecta materialia supernaturalia. Denique videbit Angelus actum Theologiæ terminatum ad suum obiectum materiale; ordinem tamen illius ad supernaturale principium aut certitudinem motiui formalis, quo nititur non videbit, quia non potest videre fidem supernaturalem.

18. Quatenùs verò Dæmon experientia didicit damnari Hæreticos, quia dogmata, vel mysteria fidei nostræ negarunt, & seruari Martyres, qui propugnarunt pro Catholica doctrina, quasi per euidentiam in testificante iudicat euidenter veram esse fidem nostram, & dogmata ipsius, quo sensu dixit Iacobus cap. 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Similiter ex voluntate diuina sibi per bonos Angelos intimata, vel per testimonium etiam illorum, vel ex definitione per Ecclesiam factam poterit Dæmon euidenter colligere veritatem alicuius mysterij supernaturalis: nam ex experientia multisque signis potest euidenter sibi persuadere, non subesse falsum talibus testimonijs. Hæc autem euidens cognitio pertinet ad euidentiam in testificante, quam de mysterijs supernaturalibus postquam facta sunt, non negamus posse naturaliter Angelis conuenire. Iacob. 2.

Dico

19. Dico quartò, res supernaturales solùm quoad modum postquam factæ sunt, possunt naturaliter ab Angelis cognosci quidditatiuè & intuitiuè quoad entitatem naturalem. Ita Molina, Vasquius, Valentia, Suarius, Pesantius relati conclusione 1. & à fortiori consentient Doctores primæ sententiæ: nam ideò volunt mysteria gratiæ cognosci naturaliter ab Angelo, quia putant talia entia solùm esse supernaturalia quoad modum. Probatur primò, quia tales effectus quoad propriam entitatem in facto esse sunt ordinis naturalis, distinctique realiter à modo supernaturali quo fiunt: ergo possunt videri (non viso modo, vel actione supernaturali) ab illis, qui lumen & species habent talibus obiectis proportionatas: sed Angeli habent eiusmodi lumen, & species: ergo possunt hos effectus cognoscere quomodocumque fiant.

20. Probatur secundò, quia res sic facta secundùm se prorsus est similis, & eiusdem rationis cum alia naturaliter producta, scilicet homo resuscitatus cum nondum mortuo: ergo æquè possunt ambo cognosci ab habentibus vtriusque species innatas. Confirmatur, quia Lazarus resuscitatus; oculus cæcus restitutus; vinum factum ex aqua; panes mirabiliter multiplicati patebant etiam hominibus: ergo pariter Angeli tam boni quàm mali veritatem istorum effectuum, & propriam vniuscuiusque naturam & entitatem euidenter videbant, quoniam habebant species innatas talium rerum, & lumen sufficiens ad cognoscendas illas prout in se sunt. Nec existimo S. Thomam, Caietanum, & alios Thomistas de ista conclusione dubitasse, tum quia videtur satis nota, tum etiam quia loquuntur formaliter de mysteriis gratiæ, quatenùs supernaturalia sunt; res verò naturales, quamuis supernaturaliter fiant, secundùm se naturalem habent entitatem, & cognoscibilitatem; quod videtur intendisse Augustinus 3. de Trinit. cap. 9. relatus ab Scoto, dum ait, *Sola habitudo ad agens non concludit aliquid esse aliud, & aliud in se.*

21. Quoad modum autem certum est Angelum posse generatim cognoscere factas esse res illas præter naturam: videt enim Angelus hominem priùs verè mortuum esse, postea verò viuere, subindeque resuscitatum fuisse, quod ordo naturæ non postulabat, & idem est de aliis similibus. Circa entitatem ipsius modi secundùm se distinguit Suarius lib. 2. de Angelis cap. 3 num. 5. & 6. nam existimat interdum esse supernaturalem intrinsecè, quando scilicet quoad intrinsecam speciem suam non potest esse connaturalis alicui creaturæ; nonnunquam verò esse naturalem intrinsecè, quando solùm variatur modus agendi. Ego verò censeo diuersificari essentialiter actiones non solùm ex diuersitate termini, vel agentis, sed etiam ex solo modo tendendi diuerso, vt probaui lib. 4. physic. & fatetur ipse Suarius disp. 48. metaph. sect. 3. num. 21. saltem dum vna tendit naturaliter & alia supernaturaliter, quod nobis sufficit in præsenti; nam si talis actio petit essentialiter illum modū procedendi supernaturalem, erit intrinsecè quoad suam entitatem modalem supernaturalis, ac subinde distinctè, ac in particulari, vel intuitiuè cognosci nequibit naturaliter, quia habet cognoscibilitatem propriam supernaturalem.

22. Dico quintò, potest Angelus naturaliter & euidenter cognoscere posse Deum effectus supernaturales quoad modum producere saltem in generali, quin etiam in particulari potest cognoscere multos esse possibiles, quamuis non omnes. Prima pars probatur, quoniam Angelus euidenter nouit Deum esse omnipotentem & supremum dominum creaturarum, ac subinde superiorem & solutum omnibus naturæ legibus; nouit etiam in omnibus creaturis potentiam obedientialem tam actiuam, quàm passiuam respectu Dei ad agendum, & recipiendum quidquid Deus per illas, vel in illis voluerit etiam citra naturalem ordinem operari: ergo cognoscit euidenter posse Deum aliquid operari supernaturaliter. Secunda & tertia pars conclusionis ostendetur exemplis adducendis cap. 2.

CAPVT II.

Exemplis illustratur doctrina.

SÆpiùs Doctores quæstionem istam in mysteriis particularibus tractant, vbi singula discutiendo magis illustrabitur nostra doctrina. Sitque primum mysteriū Incarnationis, quod posse naturaliter ab Angelis cognosci docuit Angles in 2. distinct. 3. quæst. 4. difficult. 12. concl. 1. Vbi post generalem conclusionem, quòd Angelus potest naturaliter cognoscere mysteria gratiæ, addit, *nempe Incarnationem, id est, ineffabilem vnionem humanitatis a Verbo assumptæ.* Fauet Tartaretus in 4. distinct. 10. ad quæst. 8. Scoti in reportatis. Sequitur Herrera ad 2. Scoti disp. 11. quæst. 8. circà finem, qui putant esse de mente Scoti propter doctrinam generalem ipsius, quamuis non agat in terminis de Incarnatione. 1. Angles. Tartaretus. Herrera.

Prætereà postquam Incarnatio facta fuit, potuisse Angelos ex aliquo effectu, v. g. ex miraculis Christi Domini cognoscere euidenter illum hominem esse Deum, ac subinde mysterium Incarnationis in illo fuisse perfectum, affirmare videntur Athanasius libro de humanitate verbi, Cyrillus lib. 8. contra Iulianum, & S. Thomas 3. part. quæst. 43. art. 4. quod etiam confirmat quartum argumentum factum cap. 1. pro sententia Scoti. Demum nonnulli Recentiores, quos suppresso nomine refert Vasquez 1. part. disp. 214. num. 14. dicunt Angelos posse cognoscere mysterium Incarnationis esse possibile, licet non existentiam illius. Probant, quoniam Angeli cognoscunt extrema vnionis hypostaticæ, videlicet naturam humanam, & Deum. Cùm igitur non implicet contradictionem illa extrema vniri, rectè poterunt Angeli cognoscere talem vnionem esse possibilem. 2. Athanasius. Cyrillus. S. Thom. Vasquius.

Dicendum tamen est, non posse mysterium Incarnationis, nec vnionem hypostaticam videri, prout est in se naturaliter ab Angelis. Sic docent Medina 3. part. in præfatione quæst. 1. ad sextum eorum, quæ sexto loco adducuntur. Palatius in 4. distinct. 10. disput. 3 Cabrera 3. p. tom. 1. disput. 4. Cumelis 1. p. quæst. 57. art. 5. quæst. 2. conclus. 2. 4. & 5. Bannes ibi dub. 1. ad 3. Ouandus in 2. dist. 8. propositione 9. & in 4. dist. 10. propositione 5. Rada 2. part. controuersiarum, controuers. 8. art. 8. conclus. 3. Suarius 3. part. tom. 1. disp. 3. sect. 2. & lib. 2. de Angelis cap. 29 num. 15 Vasquius 1. part. disp. 214. c. 3. Valentia tom. 1. disp 4 quæst. 8. punct. 4. ad 4. & tom. 4. disp. 1 quæst. 1. punct. 2. Albertinus tom. principio 3. Medina. Palatius. Cabrera. Cumel. Bannes. Ouandus. Rada. Suarius. Vasquius. Valentia. Albertinus.

principio 1. corollar. 14. dubitat. 2. quod clariùs
Ambros. & expressius inter alios Patres tradunt Ambro-
Chrysost. sius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. & Chry-
sostomus homilia de S. Ioanne Baptista.

4. Probatur ex supradictis cap. 1. conclusione 1. nam Angeli secundum pura naturalia spectati non habuerunt species innatas alicuius compositi substantialis ex Deo, & natura creata, nec vnionis, ex qua illud consurgit; nec talis species cùm sit supernaturalis intrinsecè debetur Angelo naturaliter: ergo naturale lumen Angelicum non se extendit ad cognitionem talis obiecti in seipsó. Accedit quòd intuitiua, vel euidens cognitio vnionis hypostaticæ requirit cognitionem diuinæ personæ, subindeque mysterij Trinitatis, quod naturali cognitione quidditatiua non attingitur; imò nec per cognitionem accidentariam euidentem poterunt Angeli mysterium Incarnationis iam factum cognoscere, seclusa euidentia in attestante, quoniam Incarnatio nullum effectum physicum, & naturaliter cognoscibilem habuit, qui non potuerit à Deo per purum hominem fieri.

5. Quare nulla opera vel miracula Christi Domini, quatenus sub naturalem cognitionem cadere possunt, fuerunt euidentia signa diuinitatis vnitæ hypostaticè tali humanitati, si separentur ab illo testimonio quo Christus ipse asserebat se esse Deum, vt tamen illa miracula fiebant in confirmationem huius veritatis, & testimonij, sic erãt sufficiẽtia, & euidentia signa diuinitatis Christi. Ceterùm hæc non erat euidentia ex natura rei, sed testificante: pendebat enim ex testimonio Christi. Quare nisi Dæmones diuinitùs impedirentur, ne Christi diuinitatem cognoscerent, poterunt sanè per euidentiam in testificante cognouisse Christum esse Deum. An verò fuerint im-
Suar. pediti de facto nonnulli affirmant. Suarius verò 3 part. tom. 2. disp. 31. sect. 3. cum aliis docet, licèt forsan Dæmones tempore infantiæ Dominum non agnouerint; tamen postquam Christus Dominus cœpit prædicare, antequam pateretur, permissos fuisse Dæmones, [illegible] non impeditos co-
Matt. 1 & 5. gnoscere ipsum esse Christum & Deum, vt col-
Luc 4. & 8. ligunt Patres ex Marci 1. & 5. Luc. 4. & 8. & post Christi resurrectionem multò certius est cognouisse Dæmonem diuinitatem Christi manifeste.
6. Nec aliud intendunt Patres suprà relati num. 2.

Dicendum etiam est Angelos non posse euidẽter cognoscere naturali notitia possibilem esse
S. Thom. Incarnationem. Ita communiter Theologi in 3.
Durand. dist. 1. vbi latè S. Thomas, Durandus, & Marsilius
Marsilius. quæst. 1. art. 2. dub. 2. Suarius 3. part. tom. 1. disp. 9
Suarez. sect. 1. Vasquius & Albertinus suprà. Iuuat mo-
Vasquez. dus loquendi Scripturæ, & Patrum, qui hoc my-
Albert. sterium vocant absconditum, & superius cognitione creata, & præter rationem nostræ conclusioni 2. cap. 1. num. 9. adductam probatur ex parte extremorum huius vnionis. Nam ex parte humanitatis, licèt Angelus sciat subsistentiam esse modum realiter ab illa distinctum, forsan tamen non cognoscit euidenter humanitatem posse separari à tali modo, & sine illo conseruari, quia sæpe contingit rem non posse conseruari sine suo [illegible]do, vt quantitatem sine figura, [illegible] multoque diffi[illegible]us cognitu est hunc subsistendi modum per alienam subsistentiam, & per rem omninò distinctam posse suppleri. Rursus quidquid sit ex parte humanitatis, nullam [illegible] potest Angelus habere de possibilitate Incarnationis ex parte Verbi, cuius persona nullo naturali lumine comprehenditur, nec prout est in se cognoscitur: [illegible]o non potest naturaliter demonstrari posse personam illam sine [illegible] mutatione, vel imperfectione cum natura creata componi, vel illam supposirare. 7.

Addit Suarius non posse creatum intellectum suis viribus relictum etiam probabili assensu definitè iudicare Incarnationem [illegible] possibilem, sed vel nullam de tali mysterio cogitationem vnquam habebit, vel certè si fingamus eum in talem quæstionem incidisse, velleque [illegible] ingenio illam discutere, vel cohiberet assensum, dubiusque penderet, vel forsan in errorem [illegible]penderet propter magnas difficultates, quæ circa mysterium istud occurrerent. Vnde [illegible] argumentum supra factum num. 2. [illegible] enim re vera non implicet extrema illa vniri, hanc ipsam negationem implicationis non agnoscunt Angeli cognitione euidenti, nedum probabili. 8.

Sit secundum exemplum mysterium Eucharistiæ in quo præter illa, quæ communiora sunt, vt est vnio hypostatica, quæ continetur in Eucharistia, item efficientia, vel effectus Sacramenti, cuius ratio est communis, quædam sunt propria, scilicet transsubstantiatio, desitio panis, conseruatio accidentium sine subiecto, præsentia Sacramentalis: transsubstantiationem supponit Vasquez.
Vasquez 1. part. disp. 214. cap. 4. num. 36. non esse nisi localem adductionem Corporis Christi sub accidentibus panis cum exclusione substantiæ panis, quatenus ex vi verborum necessaria est ad introductionem corporis Christi; vnde colligit transsubstantiationem non esse supernaturalem quoad substantiam, sed solùm ex parte efficientis, ac subinde posse naturaliter ab Angelo cognosci. Ego existimo transsubstantiationem esse veram conuersionem, quæ producat, vel reproducat corpus, & sanguinem Christi ex pane & vino sub talibus accidentibus. Vnde fit esse actionem quoad substantiam simpliciter supernaturalem, cùm nulli creaturæ proportionetur, ac subinde non posse cognosci naturaliter ab Angelo secundùm se. 9.

Ita docuit Henricus quodlibet 11. quæst. 12 Henricus.
vbi ait Angelos non posse naturaliter scire an substantia panis annihilata fuerit, vel conuersa in corpus Christi, vel quomodo [illegible] corpus habeat esse sub illis speciebus. [illegible]iam omnia hæc, inquit, supernaturalia sunt. Idem sentit Durand.
Durandus in 4. dist. 10 quæst. 4 nu. 16. S. Thomas S. Thom.
3. part. quæst. 75. art 8. ad 3. Suarius lib. 2. de An- Suarez.
gelis cap. 36. num. 11. Et quidem Patres de conuersione illa, tanquam de re [illegible] supernaturali loquuntur. Quòd si consideretur illa actio, quatenùs terminatur ad vnionem hypostaticam certè supernaturalis est etiam ex parte termini, cum ad terminum intrinsecè supernaturalem terminetur; quatenùs verò terminatur ad humanitatem Christi licèt habeat terminum naturalem, respicit tamen agens supernaturale; quod fatetur Vasquius: S[illegible]ionem specificari simul ab agẽte & à termino [illegible] docet melior philosophia: ergo ex hoc [illegible] respectu ad agẽs supernaturale sortitur actio supernaturalitatem intrinsecã. Rursus ideò [illegible] causam supernaturalem, quoniam hæc per talem actionem non operatur iuxta leges, vel exigentiam naturæ, sed suprà totam [illegible]: [illegible] talis modus operandi est intrinsecè supernaturalis. Atqui modus operandi est ipsamet actio:

ergo

ergo non potest hîc dari supernaturalitas quoad modum, quin ipsamet transubstantiatio quoad substantiam, & quidditatem suam sit intrinsecè supernaturalis; atque ideò nec poterit Angelus ipsam intuitiuè videre dum existit, nec abstractiuè cognoscet euidenter esse possibilem, vt suspicor, quia conuersiones naturales respiciunt terminum *ad quem*, & terminum *à quo* repugnantes ex sua natura inter se; at inter terminos qui non pugnant ex natura sua, forsan Angelus non habet euidentia principia vnde colligat dari posse veram conuersionem.

10. Vasquez. Desitionem substantiæ panis docet Vasquez suprà num. 19. rectè ab Angelo cognosci, non solùm certa notitia per discursum, & per alienas species, sed etiam proprio, & quidditatiuo conceptu, sicut cognoscit cæcitatem, & priuationem cuiuslibet formæ naturalis, quia teste Aristot. Aristotele 2. de Anima cap. 10. text. 105. visus est luminis & tenebrarum, id est, versatur circa visibile, & inuisibile. Sunt igitur eiusdem ordinis, & ad eandem potentiam referuntur habitus, & eius priuatio; quapropter obiectum positiuum, & priuatio, vel negatio opposita comparata cum intellectu erunt eiusdem rationis, diuerso tamen modo lumen & tenebræ referuntur ad visum, & ad intellectum: visus enim nihil operatur circa tenebras, sed ex priuatione proprij obiecti in visu rectè iudicat intellectus absentiam illius; intellectus autem actu proprio sic potest cognoscere negationem substantiæ, vel entis quod habet pro obiecto, sicut & ipsum ens, nisi aliunde propter coniunctionem cum sensu decipiatur intellectus circa non esse rei. Cùm igitur Angelicus intellectus nullo corpore vel sensu impediatur, sed res omnes cognoscat, sicut in se sunt, & cùm esse alicuius rei, ac non esse pariter ad intellectum referantur, fit vt statim ac desinit res aliqua, quamuis supernaturaliter destruatur, euidéter cognoscatur ab Angelo eo modo quo negationes cognosci possunt Quare rectè cognoscet Angelus sub speciebus Eucharistiæ non esse substantiam panis, quia re vera non est, quamuis supernaturaliter fuerit destructa.

11. Suarius. Suarius l. 2. de Angelis c. 29. n. 52. concedit Angelum euidenter ac naturaliter cognoscere desitionem panis, & negationem illius substantiæ sub speciebus Sacramentalibus, quia talis destructio substantiæ, licèt ibi supernaturali modo fiat, in se naturalis est; itaque pertinet ad effectus supernaturales tantum quoad modum, modus autem ipse conuersionis ab Angelo non videtur, vt suprà diximus n. 8. Quare nihil ideò supernaturale quoad substantiā ibi cognoscit Angelus euidenter. Mihi tamen verisimilius est quod anteà tradiderat idem Suarez, scilicet Angelum non cognoscere desitionem panis euidenter directè videndo substantiæ carentiam in seipsa, sed ad summum id coniectasse virtuali discursu, cui possit subesse falsum.

12. S. Thom. Ducor, quoniam, vt docui cum S. Thoma lib. 1. disp. 34. cap. 1. negationes & priuationes non sunt per se intelligibiles, cùm non includant in se rationem aliquam positiuam entis veri, quapropter intelliguntur per positiuas rationes, quas negant, vel quibus priuant: ergo non habet Angelus propriam speciem priuationis, vel negationis substantiæ, vt illam directè videre possit, sicut substantiam priùs existentem videbat intuitiuè per propriam speciem. Ceterùm potest Angelus euidéter cognoscere negationem per aliud, & secundùm quandam reflexionem intellectus supra seipsum; nam deficiente ibi substantia non cognoscit Angelus illam, & tunc quasi per reflexionem actu positiuo & euidenti cognoscit se non cognoscere substantiam, nec posse illam videre, quantumuis conetur vti specie talis substantiæ. Hinc ergo colligit substantiam ibi non esse, adiuncto scilicet alio principio naturali, quo iudicat euidenter se habere principia sufficientia ad intuendas substantias naturales si existant, & hoc esse in sua potestate naturali. Verumtamen hoc principium virtute claudit conditionem nisi causa superior impediat; quare iudicium absolutum de absentia panis non manet simpliciter euidens, sed conditionaliter, scilicet hîc non est substantia panis, nisi fortè mihi diuinitùs occultetur.

Respondet Vasquius si hæc ratio foret alicuius 13.
momenti, posset etiam inferri, nō cognoscere Angelum euidenter tenebras in aëre, vel cæcitatem in homine, quia posset suspicari se à Deo impediri ne cognosceret lucem vel visum; sic etiam nos nullam haberemus experientiam euidentem per sensus, quia suspicari possemus ea quæ videmus, præstigias esse tantum oculorum, vt contingere potest: sicut igitur nemo prudenter hoc suspicatur, & ita nihil obest, quominùs quis habeat euidentiam rerum per sensus, sic etiam nihil obesse potest, quominùs Angelus rectè iudicet, in Sacramento non esse substantiā panis, hoc ipso quod illam non videat, quamuis ibi possit existere, ipseque diuinitus prohiberi ab eius cognitione.

Sed contrà, quia licèt ibi adesset substantia pa- 14.
nis, posset Deus concurrere cum Angelo ad videnda accidentia, & non concurrere cum ipso ad videndam substantiam, vt concedit Vazquius: ergo tunc si iudicaret Angelus non esse ibi substantiam, id faceret cum eadem certitudine subiectiua, qua nunc id iudicat, & tamen falleretur: ergo cognitio quam nunc habet, de desitione panis, non est ita certa, quin possit illi subesse falsum. Quare si velit Angelus attendere ad omnes causas, vnde prouenire potest, quod non videat ibi substantiam panis, non iudicabit absolutè non adesse panem ibi, sed potiùs si prudenter se gerat, cùm eam causam ignoret, suspendet assensum, vel ad summum iudicabit: aut ibi non esse substantiam panis, aut se diuinitùs impediri, ne illam agnoscat; idemque ferè sentiendum est de cæteris supernaturalibus negatiuis, quæ per aliquid positiuum naturale non innotescunt, vt est negatio inhærentiæ in speciebus sacramentalibus, negatio propriæ subsistentiæ in humanitate Christi, negatio vbitatis externæ in corpore Christi sub speciebus.

Nec sequitur inde, nullam esse naturalem eui- 15.
dentiam: nam quando naturales effectus naturali modo contingunt, nec vlla subest ratio dubitandi, non possumus prudenter dubitare de veritate ipsorum, aut ibi suspicari præstigias, & illusiones sensuū, quibus nostra certitudo potest subiacere. Ceterùm cùm effectus quoad substantiam naturales ita fieri videntur, vt sine miraculo, vel supernaturali modo facti fuisse non possint, & ille modus potest multiplex esse, non constabit Angelis euidenter, nec certò, quo illorum modorum determinatè sint facti: nam Angelus naturaliter non videt directè, ac in se modum, quo fit talis effectus: ergo licèt sciat intercedere ibi aliquid supernaturale, meritò dubitabit, quale sit illud.

Ita verò contingit in præsenti, quia cùm Angelus euidenter videat ibi accidentia permanere, & non videat substantiam, rectè colliget, non potuisse substantiam ibi naturaliter destrui, subindéque meritò dubitabit, quid supernaturale interueniat ibi, siquidem illa substantia potest ipsum latere, vel quia non existit, vel quoniam Angelus impeditur, nec ipsi potest certò constare, quid horum contingat de facto. Imò procliuior forsan erit ad suspicandum se impediri, quàm substantiam desiisse: nam illud priùs facilius est, & Angelus euidenter nouit esse possibile, quia cognoscit euidenter dependentiam, quam in suis actibus habet à concursu Dei; aliud verò posterius difficile est, & ex parte accidentium forsan non est euidens, an sit possibile sine subiecto conseruari. Quare nec possibilitatem huius desitionis forsan cognoscit Angelus euidenter, licèt possit, sicut in aliis supernaturalibus, probabiliter coniectare talem desitionem esse possibilem, quatenùs euidenter cognoscit, Deum esse omnipotentem, & in tali opere repugnantiam non videt.

16. Ex sua doctrina suprà relata num. 10. colligit Vasquius num. 23. Angelos cognoscere naturaliter existentiam accidentium sine subiecto conceptu saltem euidenti, per aliqualem discursum, quia si Angelus cognoscit euidenter absentiam substantiæ, vt ipse censet, videtque manere accidentia, non potest non euidenter inferre accidentia illa nullibi subiectari; nec existimat Vasquius interecdere ibi aliquid supernaturale quoad substantiam, sed solùm ex parte efficientis, cùm oriatur necessariò ex negatione substantiæ, quæ naturalis est. Suarius è contra lib. 2. de Angelis cap. 29. à num. 20. contendit, modum illum esse intrinsecè supernaturalem, ac subinde ab Angelis non cognosci.

Suarius.

17. Mihi videtur cum Scoto & aliis, quos refert Suarius 3. part. tom. 2. disput. 52. sect. 2. modum illum positiuum non dari, nec necessarium esse; sufficit enim variari actionem conseruatricem accidentium, quæ anteà erat naturalis, cùm daret esse quantitati iuxta exigentiam illius in subiecto, posteà verò supernaturalis, cùm det illo quantitati supra exigentiam ipsius extra subiectum, ideoque diuersa quidem est essentialiter ex modo tendenti iuxta supra dicta cap. 1. num. 21. Quare nec cognoscet Angelus euidenter negationem inhærentiæ in talibus accidentibus, vt suprà dicebamus num. 14. nec modum vllum positiuum existendi per se, cùm non detur, nec actionem, qua sine subiecto conseruantur, cùm sit intrinsecè supernaturalis; imò nec possibilitatem illius forsan attinget euidenter, sed solùm probabiliter iuxta dicta num. 15.

18. Circa præsentiam sacramentalem multi putant posse Angelum virtute naturali cognoscere euidenter, & in se mysterium Eucharistiæ intuendo corpus Christi sub speciebus, & modum existendi, quem ibi habet. Ita tenent Scotus in 4. distinct. 10. quæst. 8. conclus. 2. Bassolis ibi quæst. 4. art. 3. ad finem, Mayronius in 4. distinct. 11. part. 2 quæst. 2. conclus. 2. Nicolaus de Nisse in resolutione Theologica tract. 6. quæst. 3. concl. 10 Angles in 4. q. 4. de Eucharistia art. 11. conclus. 2. & in 2. distinct. 3. quæst. 4. difficult. 12. conclus. 1. Ouandus in 4. distinct. 1 .. proposit. 15. & in 2. dist. 8. proposit. 9. Tartaretus in reportatis ad 4. Scoti dist. 10. quæst. 8. Ægidius Romanus theoremate 16. seu 19. Ochamus quodl. 4. q. 10. & in 4. q. 5. Gabriel in canonem sect. 46. Maior in 4. dist. 10. q. 5. Michael de Palacios in 4. dist. 10. disp. 3. conclus. 7. Vasquez 1. p. disp. 214. num. 32.

Scotus. Bassolis. Mayronius. Nic. de Nis. Angles. Ouandus. Tartaret. Ægid. Rom. Ochamus. Gabriel. Maior. Mic. de Pal. Vasquez.

Probatur primò, quia nihil est in corpore Christi, prout existit in Eucharistia, quod possit latere naturalem virtutem Angeli præter præsentiam sacramentalem: Sed hæc non latet: ergo nihil. Minor probatur: nam ille modus præsentiæ est quid finitum, & naturale quoad substantiam: ergo non est cur excedat naturalem virtutem intellectricem Angeli. Antecedens probatur, tum quia talis modus habet aliquam conuenientiam, saltem analogicam cum naturali modo indiuisibili præsentiæ nostrarum animarum in corpore, ac Angelorum in loco diuisibili; tum quoniam hic modus indiuisibilis præsentiæ connaturaliter resultat ex ablatione vbitatis extensæ, quæ debetur quantitati, vt per illam existat tota in toto, & pars in parte. Probatur secūdò: nam ista præsentia licèt sit suprà naturam corporis, tamen non est suprà naturam Angeli: ergo non repugnabit ab Angelo naturaliter cognosci. Confirmatur, quia præsentia, quam habet anima Christi in Eucharistia non est illi supernaturalis, cùm naturale sit animæ totam existere in toto, & totam in qualibet parte: ergo poterit Angelus videre animam Christi in Sacramento: ergo & vnionem illius ad corpus: ergo & corpus ipsum per concomitantiam. 19.

Per oppositum S. Thomas 3 p q. 76. a. 7. & in 4. dist. 10. quæst. 1. a. 4. quæstiuncula 4. Richardus ibi art. 5. quæst. 1. Durandus quæst. 4. Paludanus quæst. 2. art. 2. conclus. 2. Capreolus quæst. 4. art. 1. conclus. 3. ad argumenta contra tertiam sententiam. Deza quæst. 2. art. 1. concl. 4. & art. 3. notab. 1. Carthusianus quæst. 4. Scotus quæst. 1. art. 7. conclus. 3. Bonauentura quæst. vltima. Henricus quodlibeto 11. quæst. 12. Antoninus 3. part. tit. 13. cap. 6. §. 3. Caietanus 3. p. quæst. 76. art. 7. Suarius ibi disp. 53. sect. 4. Martinus de Ledesma in prima quarti quæst. 17. artic. 7. Bartholomæus de Ledesma in 4. difficultate 5. de Eucharistia conclusione 3. Victoria in summa quæst. 61. de Eucharistia, Albertinus tom. 1. principio 1. corol. 1. dubit. 3. Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 8. punct. 4. ad 2. Cornelis 1 part. quæst. 57. art. 5. quæst. 2. conclus. 2. Bannes ibi dub. 1. docent non posse naturaliter Angelum videre præsentiam Dominici corporis sub speciebus, nec intueri corpus Christi, prout ibi existit, seu cognoscere clarè quòd ibi sit. 20.

S. Thomas. Richard. Durand. Paludanus. Capreol. Deza. Carthusian. Bonauent. Henricus. Antoninus. Caietan. Suarez. Mart. de Le. Bart. de Led. Victoria. Albertinus. Valentia. Cornel. Bannes.

Probatur primò, nam ista præsentia est intrinsecè supernaturalis: ergo non potest naturaliter videri. Consequentia constat ex suprà dictis cap. 1. conclus. 1. Antecedens probatur, quia talis præsentia nulli subiecto potest competere naturaliter, non quidem corpori quanto: nam istius præsentia debet extendi in ordine ad locum, præsentia verò sacramentalis non extenditur in ordine ad locum; nec potest competere connaturaliter substantiæ spirituali: nam huius præsentia non solùm est indiuisibili in ordine ad locum, quatenus ponit totum subiectum in quauis parte loci, sed etiam in ordine ad subiectum; vt verò præsentia sacramentalis est diuisibilis ex parte subiecti, quatenùs diuersæ parti corporis respondet diuersa pars præsentiæ. 21.

Probatur secundò, quoniam Angelus non habet innatam speciem illius præsentiæ Sacramentalis: ergo nō potest illam naturaliter cognoscere. 22.

Antece

Antecedens patet primò: nam illa præſentia eſt ſupernaturalis intrinſecè vt vidimus: ſed Angelo non debentur, nec connaturaliter infunduntur ſpecies obiectorum ſupernaturalium: ergo non habet Angelus innatam ſpeciem illius præſentiæ. Secundò, nam Angelus vel cognoſcit accidentia per ſpecies ſubſtantiæ, ſeu ſubiecti, & ſic non cognoſcet præſentiam ſacramentalem per ſpeciem naturalem corporis Chriſti, quia talis præſentia non habet connexionem naturalem cum corpore, ſed potiùs videtur illi repugnare ratione quantitatis, vel per ſpecies diſtinctas & proprias accidentium; & hic modus cognoſcendi, vel non eſt Angelo connaturalis, vel ad ſummum pertinet ad naturalem modum intelligendi, quando fuerit accidens naturale, quod non habet locum in præſenti.

23. Probatur tertiò, nam ea, quæ poteſt Angelus naturaliter intueri dum exiſtunt, poteſt etiam cognoſcere naturaliter quoad eſſe poſſibile priùs quàm exiſtant: ſed non poteſt Angelus cognoſcere hoc myſterium eſſe poſſibile, nec ſcire quidditatem, & eſſentiam huius præſentiæ priuſquam fiat, cùm non habeat ſpeciem ipſius; vnde Patres vocant illud ineffabile, ac ſupra omnem intellectum: ergo nec intuetur illud præſens.

24 Ego docui lib. 1. diſp. 8. cap. 1. præſentiam ſacramentalem non eſſe ſupernaturalem ſimpliciter, quod intendunt Doctores primæ ſententiæ, ſed eſſe ſupernaturalem ſecundùm quid, quod forſan volunt Doctores ſecundæ ſententiæ quatenùs ſignificant modum iſtum præſentiæ, licèt ſecundùm ſe ſit connaturalis Angelo, tamen prout eſt in corpore ſortiri ſupernaturalitatem modalem, quam intelligo non eſſe aliam, niſi actionem, qua fit, & conſeruatur in corpore Chriſti. Ceterùm circa res ſupernaturales ſecundùm quid, ita mihi videtur diſtinguendum eſſe: nam quædam ſunt eiuſdem omninò rationis cum aliis naturalibus affectionibus naturæ participatæ, v. g. claritas beatorum, quam S. Thomas in 4. diſt. 44. (S.Thomas.) quæſt. 2. artic. 4. quæſtiuncula 2. ad primum. Sotus ibi diſtinct. 49. quæſt. 4. artic. 8. poſt 2. (Sotus.) concluſ. Valentia tom. 4. diſp. 11. quæſt. 15. punct. 2. (Valentia.) dicunt eſſe eiuſdem rationis cum claritate ſolis. Sic etiam poſſet Deus intellectum eiuſdem ſpeciei cum noſtro imprimere bruto cuipiam, vt dicebam lib. 1. diſput. 7. cap. 3. num. 11. Hæc igitur entia ſupernaturalia ſecundùm quid naturaliter poterunt ab Angelis cognoſci, quoniam habent naturaliter omninò cognoſcibilitatem ſecundùm ſe, quamuis actiones quibus in ſubiectis extraneis producuntur, vtpote ſupernaturales intrinſecè non ſint naturaliter cognoſcibiles. Imò claritatem illam beatorum naturaliter videri ab oculo non glorioſo docet S. Thomas ſuprà.

25. Quædam tamen res ſupernaturales ſecundùm quid ſunt diuerſæ prorſus rationis ab aliis naturalibus affectionibus naturæ creatæ, v. g. corporeæ participationes naturæ Angelicæ, quæ ſpiritualis eſt, ſcilicet agilitas, & ſubtilitas beatorum ſi deſint qualitates corporeæ ſuperadditæ corporibus beatorum, præſentia ſacramentalis, & ſimiles; & iſtas res credo non cognoſci naturaliter ab Angelis: cùm enim diſtinguantur eſſentialiter à præſentia, vel agilitate Angelorum, & ſint extra totum ordinem ſpecificum connaturalium qualitatum, licèt analogicè participent naturalem gradum Angelicum, non repræſentabuntur per ſpecies Angelicæ præſentiæ, vel ſubtilitatis cum quibus vix genere generaliſſimo conueniunt. Et ſic intellecta vim habent fundamenta ſecundæ ſententiæ, ſicque docuit Albertinus ſupra num. 13. dicens per ſpeciem, qua videt Angelus præſentiam animæ non cognoſcere præſentiam ſacramentalem, quoniam hæc eſt diuerſa quidem à præſentia noſtræ animæ.

26. Hinc infero cum Caietano 3. part. quæſt. 76. artic. 7. ad primum Scoticum Ægidio Romano Theoremate 29. Suarioque ſuprà, (Caietan. Ægid Rom. Suarius.) Angelos nunc per ſpeciem innatam corporis Chriſti videre illud in cælo reſidens cum præſentia connaturali, non verò cognoſcere naturaliter, an exiſtat alibi: cùm enim non multiplicetur ſubſtantia corporis, quod vbique eſt idem, ſed ſola præſentia, nec iſta videatur niſi vnica naturalis, non poteſt Angelus naturaliter cognoſcere Chriſtum adeſſe ſub ſpeciebus. Quòd ſi defineret Chriſtus exiſtere in cælo, & ſolùm adeſſet ſacramentaliter, tunc videret Angelus ſubſtantiam corporis, quod eſt obiectum naturale, præſentiam tamen illius nullam videret, quia nulla daretur non ſupernaturalis, & ſic nequiret diſcernere, vbi corpus illud adeſſet, vel quam præſentiam haberet, vel ſi forſan impediebatur diuinitùs à cognitione præſentiæ naturalis.

27. Ad primum primæ ſententiæ data maiori, non conceſſa: nam etiam latet negatio, vel abſentia vbiatis extenſæ, negatur minor, ad cuius probationem dicimus præſentiam ſacramentalem eſſe finitam, & ſupernaturalem ſecundùm quid, taliter vt ſit eſſentialiter diuerſa non ſolùm ſpecie, ſed etiam genere ab omni præſentia naturali. Quare per nullam ſpeciem naturalem, nec per naturale lumen repræſentari poteſt; nec reſultat connaturaliter ex ablatione vbi extenſi, ſed ſupernaturaliter producitur per actionem ſimpliciter, & intrinſecè ſupernaturalem, quæ non poteſt à fortiori naturaliter cognoſci; vnde patet ad ſecundum.

28. Ad confirmationem Suarius reputat valde probabile, quòd Angelus, vel anima ſeparata videat animam Chriſti exiſtentem ſub ſpeciebus ſacramentalibus quoad eius ſubſtantiam, exiſtentiam, & præſentiam localem, non tamen inde ſequi poſſe videre corpus, quia ſunt res diſtinctæ, & nihil repugnat videri vnam non viſa alia, ſi in vna eſt impedimentum, & non in alia ſimili ratione putat videri animam ibi, & non vnionem illius ad corpus. Mihi veriſimilius fit non videri præſentiam ſacramentalem animæ naturaliter, quoniam eſt etiam ſupernaturalis ſecundum ſe: nam anima dum eſt vnita corpori naturaliter petit præſentiam diuiſibilem ex parte ſpatij tantæ magnitudinis, quantam occupat naturaliter corpus, & licèt naturaliter tota ſit in qualibet parte, vel puncto ſpatij, non tamen exigit naturaliter eſſe in ſingulis partibus, vel punctis quaſi diuerſis titulis per vnionem cum diuerſis partibus corporis ſimul coëxiſtentibus, quo pacto fit præſens per ſacramentalem præſentiam, & per conſequens hæc eſt ſupernaturalis in ſua cognoſcibilitate.

29. Sit tertium exemplum viſio beata, quam non

videri naturaliter, & intuitiuè ab Angelis est certum ex supradictis cap. 1. & communiter receptum. An verò possint Angeli euidentia naturali cognoscere abstractiuè possibilem esse visionem Dei, dissentiunt Doctores: Affirmant Scotus. Nyphus. Vasquez. enim Scotus in 4. dist. 49. quæst. 8. quem sequitur Nyphus 2. Metaphys. disp. 3. cap. 4. Vasquius 1 part. quæst 12. art. 1. in commentario, & 1. 2. S Thom. disp. 20. cap. 2. fauet S. Thomas 1. part quæst. 12. art. 1. & 1. 2. quæst. 3. art. 7. & 8. & q. 5. art. 1. & de veritate, quæst. 8. art. 1. & lib. 3. contra Gent. cap. 50 & 51. Probatur primò, nam Angeli cognoscunt euidenter Deú esse omni natura creata superiorem, ac subinde posse efficere etiam supra exigentiam naturæ quidquid non implicat contradictionem; sed nullam vident repugnantiam contradictionis in hoc quod eleuetur creata mens ad videndum Deum: ergo cognoscunt euidenter hoc esse possibile.

30. Probatur secundò ex S. Thoma, quia naturaliter cognoscitur homo esse capax boni perfecti; sed perfectum hominis bonum est clara Dei visio: ergo cognoscitur esse capax visionis beatæ, ac subinde naturaliter cognoscitur istam esse possibilem. Confirmatur, nam euidenter cognoscit Angelus vltimam beatitudinem creaturæ rationalis in operatione perfectissima nostræ mentis sitam esse: sed cognoscit hanc beatitudinem obtineri posse: ergo cognoscit visionem claram Dei, quæ est perfectissima mentis operatio possibilem esse. Probatur tertiò ex eodem S. Thoma, quia datur in nobis appetitus naturalis videndi Deum: ergo qui cognoscit hunc appetitum naturalem non esse alicuius impossibilis boni, cùm natura nunquam tendat ad impossibile, cognoscet euidenter possibilem esse visionem Dei. Antecedens ostenditur primò; quia datur in nobis appetitus beatitudinis nostræ, sed nostra beatitudo consistit in visione clara Dei: ergo datur appetitus illius visionis. Ostendit secundò S. Thomas 3. contra Gent. cap. 50. multis mediis, quæ ad hoc vnum possunt reduci. Visis effectibus naturaliter resultat desiderium videndi causam: nam inde prouenit admiratio, & inquisitio Arist. philosophica, vt ait Aristoteles 1. metaphys. c. 2. Hoc autem desiderium cognoscendi causam non quiescit cognoscendo illam esse, nisi cognoscatur etiam quid sit; quare cùm naturaliter cognoscamus plures effectus Dei, naturaliter resultabit in nobis desiderium cognoscendi de Deo, non solum an sit, sed etiam quid sit, quod non potest cognosci nisi per visionem claram illius, cùm non detur alia quidditatiua notitia Dei.

31. Probatur quartò ex Scoto, nam id quod in inferiori est perfectio, non debet superiori negari; sed intuitiuè cognoscere suum summum obiectum in particulari est perfectio sensuum: visus enim tunc est perfectissimus, cùm perfectissimum visibile potest intueri: ergo cognoscit Angelus naturaliter posse creatum intellectum intuitiuè videre Deum, qui est perfectissimum obiectum visibile mentis oculis. Confirmatur quia plerique Philosophorum absque fidei lumine dixerunt, intelligentias inferiores videre primam, & nos post hanc vitam contemplatione primæ causæ, quæ est Deus, futuros esse beatos. Ita enim Auerroes. insinuat Auerroes 12. Metaphys. cap. 17. Citantur Auempace, Themistius, & Aphrodisæus; indi- Plato. cant Plato in Epinomide & in lib. vltimo de Seneca. republica, Seneca in lib. de beatitate vitæ, & epistola 103. Cicero lib de Somno Scipionis. Videatur Lactantius lib. 7. cap. 8. ergo hoc est naturaliter cognoscibile. Cicero. Lactant.

Probatur quintò, ex Scoto, quia Deus comprehenditur sub adæquato obiecto intellectus creati: ergo potest ab illo intuitiuè videri subindéque Angelus, qui nouit antecedens cognoscet etiam naturaliter consequens. Et quidem antecedens illud certum est, consequentia probatur, primò quia si Deus est obiectum intellectus, poterit intellectus perfectè tendere in Deum, aliter non satiabitur capacitas, & inclinatio nostræ mentis: ergo poterit intuitiuè tendere per visionem Dei claram: hæc enim solùm est cognitio perfecta. Probatur secundò eadem consequentia, quia non repugnat innatam mentem nostram, vt intra limites adæquati obiecti sui tam perfectè operetur circa vnum obiectum, sicut circa alia: ergo euidens est non repugnare nostræ mentis eleuationem ad visionem Dei claram, & per consequens Angelus euidenter cognoscet talem visionem esse possibilem. 32.

Confirmatur, quia Deus, vt clarè visibilis est obiectum intellectus, esto non possit intellectus creatus in Deum clarè tendere solis suis viribus, sed vt adiutus diuino auxilio; quod ostenditur, tum quia si Deus etiam, vt visibilis clarè non esset obiectum intellectus creati, non posset iste ad Dei visionem eleuari, cùm nequeat ferri extra suum obiectum; tum etiam quia tale obiectum est de se maximè intelligibile, continetúrque sub ente, quod est obiectum adæquatum intellectus etiam creati: ergo non implicat intellectum creatum eleuari ad videndum Deum. Consequentia videtur euidens, ac subinde cognoscibilis euidenter ab Angelorum, quia totum impedimentum propter quod intellectus creatus non potest naturaliter videre Deum, non est ex parte obiecti, sed ex defectu virium potentiæ: sed Deus potest eleuare potentiam, vt operetur, quoties nec fertur extra suum obiectum, nec excedit modum quo potest operari circa alia obiecta, scilicet intuitiuè, tum quia si mens nostra nec propriis viribus nec virtute diuina posset Deum videre, Deus vt clarè visibilis non esset obiectum creatæ mentis, cuius oppositum probatum est. 33.

Dicendum tamen est, non posse naturali euidentia cognosci visionem Dei creatam esse possibilem. Sic docet in Ochamus in 4. q. 14. art. 2. Ochamus Supplementum Gabrielis in 4. dist 49. quæst 1. Gabrielis suppl. art. 3. dub. 2 Heruæus quodlibeto 6. q. 3. Syluester Heruæus. in conflato quæst. 1. art. 10. §. 1. Medina 1. 2. q. 5. Syluester. art. 1. Caietanus 1. part. quæst. 12. art. 1. Ferrara 4. Medina. contra Gent. cap. 51. Fonseca 4. Metaphys. cap. 1. Caietan. Ferrara. quæst. 1. sect. 5. ad finem. Molina 1. part. quæst. 12. Fonseca. art. 1. disp. 1. §. *Prima ratio*, circa fin. & quæst. 1. Molina. art. 1. disp. 3. Suarius disp. 30. Metaphys. sect. 11. Suarius. num. 50. & lib. 2. de Angelis cap. 29. num 35. & lib. 2. de attributis cap 7. Salas 1. 2. quæst. 3. Salas. tract. 2. disp 2. sect. vlt. num. 75. Ægidius Lusitan. Ægid. L. lib. 12. de beatitudine q. 2. art. 2. num. 13. Lorca Lorca. 1. 2. quæst 5. disp. 8. Iuuat S. Thomas, quatenus S. Thom. 1. p. quæst. 12. art. 1. non attulit rationem omninò naturalem, vt ostenderet Deum esse visibilem, sed mistam ex his, quæ pertinent ad fidem, vt notarunt ibi Caietanus, Molina, & Bannes dub. 1. Caietan. ad 5. Imò sic videtur sensisse Scotus quæst. 1. Molina. prologi §. *Contra duas*, quatenùs docet animam Bannes. nostram non posse naturaliter cognosci sub spe- Scotus. ciali ratione, qua ordinatur ad Deum clarè visum; 34.

clariùs

clariùs explicat in teportatis ad 4. distinct. 49. quæst. 7. §. *Ad quæstionem dico.* Videturque sententia teeepta inter Seotistas, de qua Bargius, & Lychetus quæst. 1. prolog. Herrera 10 r. disp. a. quæst. a. conclus. 1. & a. Rada 1. part. controu. r. artic. a.

Bargius. Lychetus. Herrera. Rada.

35. Isai. 64. Omissis variis aliorum probationibus probatur primò ex Scriptura Isai. 64. *A sæculo non audierunt, nec auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te*, quem locom exptessit Paolus r. Corioth. a. his verbis. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum*, nam ex verbis istis non solùm eolligitut liberam Dei præparationem omnes latuisse, sed etiam bona illa, quæ Deus præparauir, qnod Gtæca lectio satis expressir dicens, *in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus*, vt legit Hieronymus ad Ruffinum: si autem naturæ lumine, rationibusque factis pto contraria sententiâ ea bona possent euideoter cognosei prout possibilia, cur non ascendissent in eor hominis alicuius? præsertim cùm ita desodarint Philosophi felicitatem inquirentes, & constituentes illam in Dei contemplatione, nec tamen vnquam visionem Dei elaram & intuitiuam attigerint; quod argumento est illam non posse naturaliter eognosci.

1. Cor. 2. S. Hieron.

36. Probatur secundò generali principio, qnia res supernaturales intriniecè, qoalis est visio beata, sicut habent quidditatem intrinsecè supernaturalem, ita etiam cognoscibiiitatem supernaturalem, quæ subinde snperet quameumque virtutem intellectricem naturalem. Confirmatur qnia vel visio beata eognosceretur per speciem propriam, & hoc non, qnia species obiecti snpernaturalis ptopria foret etiam intrinsecè supernaturalis, & per consequens nulli potentiæ naturali debita, nec possibilis obtineri connaturaliter; vel cognosceretur per speciem alienam, & hoc etiam non, quia res supernaturalis in nulla re vel potentia naturali continetur proportionatè, nec habet cum illa naturalem connexionem, itavt ex illa possit euidenter inferri, alioqui non esset essentialiter super omnem exigentiam naturæ: ergo non potest per species terum naturalium repræseotari.

37. Probatut tertiò, qoia si tatio naturalis ostenderet possibilitatem visionis beatæ, vel illam ostenderet à priori, vel à posteriori, sed non potest illam ostendere à posteriori, qoia cognitio à posteriori sumitur ab effectibus, visio verò beata nullos habet effectus, quibus demonstretur esse possibilis; effectns aotem Dei, cùm non adæquent diuinam virtutem, sicut non possunt intuitiuè tepræsentare Deum, vt est in seipso, qood ptobat S. Thomas communiter receptus 1. part. qnæst. 12. artic. 12. ita tamen possunt naturaliter ostendere visionem illius esse possibilem. Nec potest ostendete possibilitatem illam à priori, qoia demonstratio à priori sumitur à causis eius, quod demonstratur: iam verò nulla potest dari causa naturalis huius possibilitatis, alioquin beatitudo supernaturalis posset naturaliter adquiri contra suptadicta lib. 1. dispnt. 21. quod enim per vires naturales est possibile, per aliquam causam naturalem obtineri potest, qoippè frustrà est potentia, quæ non potest ad actum rednei. Confirmatur, quia possibilitas visionis beatæ naturaliter eognosci non potest à ptiori, nisi vel ex diuina potentia cognita, qnæ est causa præcipua illius, vel ex ipsomet intellectu à quo visio quoque procedit; sed per neutram istarom causarum potest ostendi naturalitet: ergo nullo modo. Minor probatur ex parte omnipotentiæ, quia licèt naturalitet cognoscamus omnipotentiam diuinam esse infinitam, hæc tamen generalis cognitio non sufficit, vt in particolari discetnamns quæ possint per illam prodoci non solùm supernaturalitet, sed nec natoraliter. Vnde fit quòd intellectus Angelicus non cognoseat omnia possibilia etiam ordinis naturalis. Quòd verò nec ex naturali penetratione mentis creatæ possibilitas ista monstretur, probatur, qnoniam iotellectus eteatus solùm habet actiuitatem incompletam, & improportionatam respectu visioois beatæ, vt dixi lib. r. dispnt. r 2. At ex penetratione causæ incompletæ non cognoscitur possibilitas effectus, maximè quando talis causa compleri non potest nisi per eleuationem supetnaturalem.

S. Thomas.

Probatut quartò, quoniam ad visionem beatam multa concurrunt difficillima cognitu, quæ præcogooscì debetent ad possibilitatem illius, & tamen naturali lumine cognosci non possunt. Primum est eleuatio principij cognoscitiui pet coadiutorium supernaturalis agentis. Secundum est lumen gloriæ postulans natura sua diuinam essentiam coniunctam intellectui ereato loco speciei. Tertium est concotsus Dei per modum obiecti determinantis ad sui cognitionem, quem tatio natnralis potius existimaret fore necessarium, quàm liberum, sicut concursus aliorum obiectorum necessarij sunt; & consequenter fore infinitum, cùm sit ab intelligibili infinito, ac subinde visionem fore quoque infinitam, vel nullam. Quartum est imago, vel species expressa Dei creata repræsenrans indiuisibilem illam entitatem cum omnibus, quæ formalitet insunt illi, quin Deum comprehendat; quæ latiùs persequitur Suarius lib. 2. de Angelis cap. 29. num. 30. 38.

Suar.

Propterea nonnolli affirmant Intellectum creatum, cui proponeretur, an esset possibilis visio elara Dei, si prudenter se geretet, iudicaturum, naturaliter non posse, aliunde verò an diuinitùs sit possibilis, non sibi constare; quòd si iudicium ferret, potiùs inclinaturum in partem negatiuam, quia suppetunt pro hac parte plura motiua natutalia, quam pro opposita; ita significat Suarius dispur. 30. metaphysic. sect. r1. oum. 50. Cæterum Ægidius Lusitanus suprà num. 24. cum Heruæo, & Conrado docet, solo lumine naturali ex aliquibus probabilibus rationibus, & coniecturis naturalibus haberi posse aliqualem cognitionem de possibilitate visionis beatæ, quod ad summum probant argumenta primæ sententiæ, & indicat Suarius lib. 2. de Attributis cap. t. & Nos lib. 1. disp. 19. cap. 1. 39.

Ægid. Lusit. Heruæus. Conradus. Suarez.

Ad primum in contrarium concessa maiori circa minorem notandum est aliud esse non habere euidentiam repugnantiæ, aliud verò habero euidentiam non tepugnantiæ: plus enim requiritur ad hoc, quàm ad illud. Sic non est nobis euidens repugnare, materiam conseruari sine forma, imò probabiliter credimus sic fieri posse; nihilominus non est nobis euidens nullam ibi latere repugnantiam: ergo licèt Angelus non 40.

cognoscat euidenter dari repugnantiam in visione beata, non tamen cognoscit euidenter nullam dari; ad hoc autem vt euidenter iudicaret eam esse possibilem, deberet non solùm non cognoscere repugnantiam euidentem, sed etiam euidenter cognoscere, nullam dari; sicut nos etsi non habeamus euidentiam de repugnantia infiniti creati, non tamen cognoscimus euidenter possibilitatem illius, quia non videmus euidenter non dari talem implicationem. Quare concessa minori, quia solùm negat in Angelo cognitionem euidentem repugnantiæ, negatur consequentia: nam ad summum probabiliter Angelus colliget inde possibilitatem visionis, non tamen euidenter cùm non habeat euidentiam de negatione repugnantiæ.

41. Ad secundum respondetur dupliciter intelligi posse hominem esse capacem boni perfecti, primò capacitate proportionata, seu completa, quæ respicit causam efficientem naturalem à qua reducatur in actum; & sic non est homo capax visionis beatæ, quia per solam virtutem agentis naturalis non potest in actum reduci: secundò capacitate incompleta, quæ licèt congenita sit naturæ, reducenda tamen est ad actum per agens supernaturale, & secundum hanc verum est hominem esse capacem perfecti boni, quod in visione Dei clara consistit; id tamen ratio naturalis non demonstrat, sed fides reuelat, quia cognita potentia obedientiali naturaliter non cognoscuntur effectus ipsius in particulari, vt dicebamus cap. 1. num. 11. sed sola omnipotentia Dei, cui subditur omnis creatura. Ad confirmationem dicimus, si solum lumen naturæ consulatur; vltimam felicitatem hominis vel Angeli consistere in operatione perfectissima secundùm naturam, vt dicemus lib. 4. disput. . . . & aduertit Fonseca 2. metaphys. cap. 1. quæst. 2. sect. 7. Hæc autem operatio naturalis non est notitia intuitiua, vel quidditatiua Deitatis, cùm hæc talis notitia cuilibet intellectui creato sit naturaliter impossibilis, vt ostendimus lib. 1. disput. 21. & lib. 2. disput. 2. Fonseca.

42. Ad tertium negamus in nobis dari appetitum naturalem innatum, vel elicitum efficacem videndi Deum, sed beatitudinis supernaturalis, sed tantum beatitudinis naturalis, vt dicemus lib. 4. nec est homini connaturale, vt cognito effectu desideret efficaciter cognoscere causam quantum in seipsa cognoscibilis est, sed quatenus naturaliter cognoscibilis est, vt notant Fonseca 1. metaphysic. cap. 1. quæst. 2. sect. 3. ad 6. & Suarius disput. 30. metaphysic. sect. 11. num. 37. & 38. Cùm verò ex effectibus creatis naturaliter solùm possimus cognoscere quidditatem Dei, quoad prædicata communia, non verò quoad propria; vtique ex cognitione naturali creaturarum quantumuis perfectissima non resultabit naturale desiderium efficax, & absolutum cognoscendi Deum in seipso, sed solùm secundùm prædicata communia cognitione accidentaria. Poterit sanè dari naturale desiderium inefficax, vel conditionatum videndi clarè Deum, sicut & comprehendendi ipsum, vel etiam vnionis hypostaticæ. Hinc verò non colligitur euidenter cognosci naturaliter, rem sic desideratam esse possibilem. Suar.

43. Ad quartum negatur maior, non enim est necesse, vt omnis perfectio, quæ conuenit inferiori naturæ conueniat superiori extra Deum: nam esse incorruptibile est perfectio simpliciter, vel illam indicat, & conuenit quibusdam minus perfectis, quam sint aliæ, quibus illa proprietas non inest. Item claritas est perfectio cognitionis, & conuenit naturali scientiæ, non autem fidei, quæ simpliciter est perfectior: ergo ex vi rationis illius non sequitur, si visus corporeus est capax intuitiuæ cognitionis, etiam intellectum esse capacem illius, potéstque assignari disparitas inter visum, & intellectum in ordine ad obiectũ cuique præstantissimum: visus enim ob suã materialitatem, & imperfectionem non habet obiectum nisi eiusdem ordinis essendi, vnde prouenit, quod possit intueri quodlibet obiectum suum. At intellectus creatus ob suam perfectionem non solùm habet obiectum eiusdem ordinis, sed etiam ordinis superioris, quod subinde non continetur quoad omnem suam cognoscibilitatem sub obiecto nostræ mentis naturaliter adæquato; vnde non potest intueri præstantissimum obiectũ suum, quod est Deus, sufficit, quòd possit intuitiuè cognoscere alia obiecta spiritualia, vt Angelus Angelos, & animas rationales. Imo cognitio abstractiua, vel accidentaria nostræ mentis est perfectior, quàm visio oculi. Quare satis ostenditur excellentia mentis supra sensum, etiamsi Deum non videat clarè. Ad confirmationem respondetur antiquos Philosophos de hac re satis obscurè fuisse locutos, & nihil certum dixisse de visione primæ causæ, vt notat Suarius disput. 30. Metaphys. sect. 11. n. 39. si qui tamen illorum aliquid tetigêre circa visionem Dei, hoc non ratione naturali ducti dixerunt, sed ex diuinis Hebræorum reuelationibus, ex quibus plura cum Philosophia miscuerunt, vt de Auicenna, & ceteris Arabibus docet Scotus quæst. 1. prologi, & de Platone plures Patres idem affirmant. Suar. Scotus.

Ad quintum distinguimus antecedens, Deus quoad omnem suam cognoscibilitatem continetur sub obiecto adæquato proportionato intellectus, nego antecedens: nam quoad propria prædicata, prout sunt in se cognoscibilia, nobis & Angelis est naturaliter incognitus. Deus verò quatenus per effectus creatos cognoscibilis est, continetur sub obiecto proportionato intellectus, concedo antecedens: hinc autem negatur consequentia; ad cuius primam probationem respondetur circa obiectum proportionatum posse nostrum intellectum operari perfectione sibi naturaliter possibili, nec ampliùs requiri, vt capacitas naturalis completa creatæ mentis satisfiat naturaliter; alioquin si non repugnaret circa totum obiectum suum adæquatum operari perfectè, colligeretur inde manifestè quòd nõ repugnaret comprehendi Deum ab Angelo, cùm comprehensio sit perfectissima cognitio sui obiecti. 44.

Ad secundam probationẽ respondetur, quamuis Angelus non videat manifestam repugnantiam in hoc quòd eleuetur intellectus creatus ad videndum Deum, non tamẽ euidenter cognoscere, quòd non repugnet talis eleuatio. Quare non poterit euidenter inferre possibilitatem illius. Imò cùm Angelus perfectè comprehẽdat aliquas substantias, nec tamen possit eleuari ad comprehendendum Deum, fit quidem illud antecedens generaliter sumptum esse falsum: iam enim repugnat intellectum adiuuari, vt intra limites sui obiecti adæquati tam perfectè operetur circa vnum obiectum, scilicet circa Deum, comprehendendo ipsum, sicut circa alia, quæ comprehendit. 45.

Ad

46. Ad confirmationem Respódetur Deum, vt clarè visibilem pertinere ad obiectum adæquatum intellectus, non tamen ad obiectum proportionatum ipsius: hoc enim obiectum non est ens secundùm omnes differentias, & modos entis, quos sub se comprehendit, sed quatenus per ordinem entium naturalium intelligibile est. Igitur licèt re vera Deus prout visibilis sit obiectum intellectus, hæc tamen veritas non est euidens naturaliter, sed creditur fide diuina, vnde consequens non cognoscetur euidenter; & licèt hoc proueniat ex defectu virium mentis creatæ, quæ propter suam imbecillitatem non potest videre naturaliter Deum, tamen hæc ipsa impotentia creaturarum fundatur etiam in obiecto, quod est Deus, non ob defectum intelligibilitatis ipsius, sed potiùs ob excessum: est enim Deus summè intelligibilis, sed ab intellectu sibi proportionato, qui est solus diuinus; & ex hac parte non est euidens, an excellentia talis obiecti tanta sit, vt à nulla virtute finita quantæcunque perfectionis sit, vinci vel attingi possit, sicut nullatenùs potest comprehendi. Rursus ex parte potentiæ, licèt fides doceat defectum virium naturalium posse suppleri diuinitùs, hoc tamen non est euidens, quoniam etiam intra obiectum adæquatum non constat euidenter posse creatam mentem eleuari ad cognoscendum obiectum improportionatum, vel modo improportionato; cùm etiam intra obiectum adæquatum non possit eleuari ad comprehensionem Dei.

47. Hinc fit iustificationem, & alia dona, seu virtutes supernaturales, nec videri intuitiuè præsentes, nec euidenter cognosci possibiles, quod docet non solùm Suarius lib. 2. de Angelis cap. 29. sed etiam Vasquius 1. 2. disp. 20. & alij communiter, tum quia sunt eiusdem ordinis cum visione; tum quia cetera accidentia supernaturalia ordinantur ad visionem, vt ad finem: Vnde nisi demonstretur finis possibilis, nec principia, nec media possunt demonstrari; tum denique quia rationes factæ de visione tenent etiam in amore, & in omni alio actu supernaturali quoad substantiam proportionaliter loquendo. Quòd si actus non demonstrantur possibiles, multò minùs habitus, qui solùm sunt propter actus.

Suarius.
Vasquius.

48. Circa supernaturalia negatiua cùm Angelus sciat euidenter omnes causas secundas pendere à prima in operando, Deúmque liberè præbere concursum, euidenter etiam cognoscet posse Deum suspendere concursum sine quo nec ignis comburet pueros in fornace, nec tormenta martyrem cruciabunt, nec agens creatum aget in passum capax & vicinum; & cùm de facto videt pueros in medio ignis illæsos, nec videt actionem comburendi, facilè colliget ex suspensione diuini concursus id prouenire: Hinc etiam sciet Angelus euidenter, posse Deum in nihilum redigere res creatas, etiam incorruptibiles, quia pendent ab ipso in fieri, & in conseruari, & vtrumque ab ipso liberè fit: Idemque est de reproductione Angeli annihilati, vel similium.

49. Huc pertinet remissio peccatorum, quatenùs per solam condonationem extrinsecam iniuriæ fieri potest, vbi nulla physica supernaturalitas intercedit, sed exercitium morale iuris diuini; sicut autem naturaliter notum est, eum qui recipit iniuriam, posse illam condonare, sic Angelus euidenter cognoscet Deum, cui per peccatum irrogatur iniuria, posse remittere talem offensam. Remissio verò peccatorum, quæ fit per infusionem gratiæ, cùm includat supernaturalitatem simpliciter ipsius gratiæ habitualis, nec intuitiuè cognoscitur ab Angelis naturaliter dum existit, nec euidentia naturali cognoscitur esse possibilis.

50. Quoad supernaturalia secundum modum potest Angelus cognoscere naturaliter, Deum facere posse sine causis secundis, quæ naturaliter fiunt per ipsas transeunter, cùm virtutem causarum eminenter contineat, & in principio sic fecerit primas creaturas: licèt enim talis modus operandi sit supernaturalis, quoniam est super exigentiam effectuum, fundatur tamen in diuina quadam perfectione naturaliter, non scilicet in libertate diuina coniuncta cum omnipotentia, & independentia in agendo ab omni agente creato; imò ipse naturalis ordo videtur exigere, vt primas generationum causas, primaque specierum indiuidua producat Author naturæ; alioquin nunquam inciperent naturales generationes.

51. In corporum penetratione, vel positione vnius corporis in pluribus locis distantibus credo supernaturalem actionem interuenire; quippe si iam erat hic vnum corpus per actionem naturalem, & ponitur ibidem aliud, ista secunda actio est supernaturalis, siquidem producitur quædam vbitas in tali spatio, in quo pro tunc nullum agens naturale poterat illam producere contra renitentiam quantitatis. Quòd si plura simul corpora ponantur in eodem loco, omnes illæ actiones productiuæ talium præsentiarum erunt supernaturales, cùm non sit maior ratio vnius, quàm alteriùs, & aliunde nulla causa naturalis possit simul producere tales præsentias. Idem est proportionaliter si corpus sit priùs in vno loco, & posteà simul constituatur in alio, vel si simul ponatur in pluribus. Has igitur actiones supernaturales nec Angelus intuetur præsentes, nec forsan cognoscit euidenter esse possibiles, vt docet Suarius lib. 2. de Angelis cap. 30. num. 22.

Suarius.

52. Ceterum ipsos effectus cùm sint naturales quoad substantiam, poterit Angelus intuitiuè cognoscere dum existunt, v.g. illa corpora, illorúmque præsentias simul in eodem spatio, vel plures præsentias eiusdem corporis; postquam autem sic viderit factum, satis euidenter deducet esse possibile. Ideò Virginitatem sanctissimæ Virginis potuit Dæmon naturaliter cognoscere, quia videre potuit, non fuisse cognitam à viro, & in partu fuisse cum claustro penetratum infantem, & integritatem ipsius etiam post partum mansisse, quoniam ista obiecta naturalia sunt, licèt actio conceptionis, & natiuitatis fuerint miraculosæ. Imò de facto nouisse Dæmonem Mariæ Virginitatem. Docent Scotus in 4. distinct. 30. quæst. 2. Abulensis in primum cap. Matth. q. 31. Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 8. punct. 4. ad 5.

Scotus.
Albert.
Valentia.

53. Censeo tamen de facto fuisse Dæmonem diuinitùs impeditum, ne ad Virginitatem Deiparæ, nec ad negationes, effectúsque suprà positos attenderet, vt vel sic Christum Dominum in infantia non agnosceret, & ita non sæuiret in illum ante tempus. Ita docet S. Thomas 3. p. quæst. 29. art. 1. ad 3. cum Ignatio, quem refert etiam Hieronymus Matth. 1. Sic Ambrosius lib. 2. in Lucam, Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. Basilius homilia de humana Christi generatione, Bernardus homilia 3. in *Missus est*, & homilia 4. in Vigilia Natiuitatis. Rupertus lib. 11. de Victoria Verbi cap. 19. qui hanc causam assignant desponsationis

S. Thom.
Hieron.
Ambros.
Damasc.
Basilius.
Bernard.
Rupert.

Deiparæ, scilicet vt *partus eius celaretur Diabolo, dum Christum putat non de Virgine, sed de vxore generatum*: tanta enim erat de puritate Virginis existimatio, etiam apud Dæmonem, vt si non potuisset existimare, concepisse Ipsam ex proprio marito, potiùs suspicaretur sine opera viri, quàm ex prauo concubitu concepisse.

45. Iam ex dictis facilè possunt argumenta primæ sententiæ relatæ cap. 1. dissolui. Ad primum respondetur entia creata supernaturalia cognoscibilitatem habere supernaturalem, ac subinde propria cognitione naturali non attingi. Ad secundum negatur minor, ad cuius probationem respondetur dari quidem entia creata intrinsecè supernaturalia, vt ostendimus lib. 1. disp. 7. & 8. Ad confirmationem quidquid sit de perfectionis excessu, tamen entia supernaturalia supernaturalem habere cognoscibilitatem, & naturalia naturalem. Ad tertium negatur antecedens. Ad quartum respondetur Angelum non habuisse naturalem euidentiam de negatione propriæ personalitatis in humanitate Christi: poterat enim ipsi diuinitùs occultari. Ad quintum similiter negatur antecedens propter suprà dicta num. 12.

CAPVT III.

Vtrùm per diuinam reuelationem cognouerint Angeli mysteria supernaturalia.

1. Circa hoc potest dubitari primò, Vtrùm Angeli viatores habuerint cognitionem
Scotus. aliquam supernaturalem. Negare videtur Scotus in 4. dist. 10. quæst. 8. ad 2. & 3. Probatur, quia iuxta sententiam Scoti poterant Angeli, nisi impedirentur, cognoscere mysteria gratiæ cognitione naturali euidenti: ergo non indigebant cognitione supernaturali. Confirmatur, nam Angelus naturaliter cognoscit Deum perfectè sine periculo erroris: ergo non est cur illi sit alia cognitio ad salutem necessaria.

2. Dicendum tamen est Angelos in via habuisse reuelationem supernaturalium mysteriorum, & per illam supernaturaliter cognouisse talia my-
S.Thom. steria. Sic docet S. Thomas in hac quæst. 57. art. 5. & quæst. 64. art. 1. ad 4. & communiter Theologi, quos infrà referemus. Probatur, nam Angeli non poterant cognoscere supernaturalia mysteria sine reuelatione diuina, vt ostensum est cap. 1. sed cognitio talium mysteriorum erat illis ad salutem necessaria, sicut de hominibus docent Scripturæ, & Concilia, quoad hoc enim eadem est ratio de Angelis cùm omnes ad eandem beatitudinem ordinentur. & ad illam tendant actibus propriis, non poterant autem sic tendere, nisi cognoscerent illam, & auctorem illius: ergo necesse fuit, vt istorum mysteriorum supernaturalem cognitionem haberent, ac subinde reuelationem, quia supernaturalis cognitio sine supernaturali manifestatione haberi non potest, vt de se patet: ergo habuerunt talem reuelationem in statu viæ, quia si Deus ex se voluit salutem Angelorum, non potuit media necessaria salutis denegare: Sed talis reuelatio erat necessaria: ergo dedit Angelis illam. Atque de ista cognitione supernaturali
Ezech. 28. potest intelligi illud Ezech. 28. *Tu Cherub plenus sapientia à principio.*

3. Fundamentum Scoti dirutum fuit cap. 1. Ad confirmationem respondetur ad summum probare, non ita fuisse necessariam Angelis supernaturalem cognitionem illorum, quæ de Deo, vel de seipsis, vel de rebus aliis naturalibus cognoscere possunt, sicut nobis est necessaria, quoniam Angeli faciliùs, & euidentiùs possunt res illas percipere: Nihilominùs principaliter, ac per se fuit illis necessaria supernaturalis cognitio mysteriorum supernaturalium; & forsan consequenter facta fuit illis reuelatio veritatum naturalium, quas perfectiori, seu firmiori assensu decebat attingi.

Dubitatur secundò, qualis fuerit hæc Angelorum viatorum supernaturalis cognitio? Multi 4.
Theologi supponentes reuelationem factam Angelis viatoribus fuisse illis euidentem quoad Deum reuelantem, dicunt cognitionem supernaturalem ipsorum non fuisse fidem, sed euidentiam in attestante. Sic Durandus in 3. dist. 23. Durand.
quæst. 9. num. 12. & 13. Gabriel ibi quæst. 2. in Gabriel.
fine. Bonauentura art. 2. quæst. 5. sumpsit ex Alensi Bonauent. Alensis.
3. part. q. 64. memb. 8. citantur etiam Tartaretus, Tartaret.
Pelbartus, & alij. Probatur, quia talis cognitio Pelbartus.
non potuit esse visio beata, nec fides: ergo sola restat euidentia in attestante respectu mysteriorum, quæ non possunt in se quidditatiuè cognosci nisi per visionem beatificam. Prima pars antecedentis probatur, quia visio beata non est cognitio propria viatorum, nec est dispositio ad gratiam, sed potiùs complementum illius. Præterea quia cùm omnes Angeli fuerint viatores, certum est plerosque nunquam vidisse clarè Deum, alioqui non deciderent.

Secunda pars ostenditur primò, quia fides est cognitio infallibilis & obscura omnem euiden- 5.
tiam excludens, quatenùs fundatur in obscura locutione: Sed Angelus euidenter videt, quis sibi loquatur, & consequenter si videt esse Deum, iam non obscurè procedet, si verò videt non esse Deum, non assentiet infallibiliter: ergo non est capax cognitionis infallibilis simul & obscuræ. Secundò, quia fides fundatur in reuelatione, per quam res reuelata non videatur in se: Sed Angelus non est capax huius reuelationis, quia reuelatio sic obscura quoad rem reuelatam non fit per species ipsarum rerum, sed per signa ad placitum, quibus Angeli non vtuntur, vt visum est disp. 11. cap. 2. ergo Angelus non est capax fidei. Tertiò, quia cognitio fidei debet esse libera: Sed in Angelis non potuit dari cognitio supernaturalis libera: nam alioquin possent tali reuelationi non assentiri, ac in hæresim labi, quod non est concedendum: ergo non potuerunt habere cognitionem fidei.

Nihilominùs dicendum est, Angelos viatores 6.
habuisse fidem supernaturalem vt potè necessariam sibi ad salutem. Ita docet S. Thomas 2. 2. S.Thom.
quæst. 5. artic. 1. vbi communiter Doctores, & quæst. 8. de veritate art. 2. Carthusianus in 2. dist. 5. quæst. 1. Albertus 2. p. summæ quæst. 20. memb. 2. Albert.
Vigncrius in institutionibus cap. 20. §. 1. vers. 4. Vigncrius.
Palacios 3. dist. 23. disp. 9. Turrecremata lib. 1. Palacios.
de Ecclesia cap. 25. num. 1. Buardus art. 2. §. *Est* Turrecrem.
tamen, & art. 8. §. *Vt igitur*, vbi hoc probat, quia Buardus.
tenent etiam in Angelis hæ decisiones. Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Vnigeniti Filij Dei. Qui non crediderit condemnabitur. Qui incredulus est Filio, non videbit vitam. Sine fide impossibile est placere Deo. Gratia estis saluati per fidem. Consentit Suarius in tractat. de fide, disp. 6. sect. 9. & lib. 5. Suarez.

de

de Angelis cap. 5. vbi probat ex Paulo Rom. 10.
Rom. 10. 2. Cor. 5. & 2. Corinth. 5. Alij afferunt id Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere.* Sed re vera ista loca loquuntur de hominibus, & per solam accommodationem possunt ad Angelos viatores extendi.

7. Probatur ratione conclusio, quoniam illa cognitio, per quam Angeli meruerunt, & iustificati sunt in via, erat supernaturalis, & per consequens infallibilis; tum quia supernaturalis cognitio, cùm sit ex peculiari infusione diuina, non potest exponi falsitati; tum etiam quia cognitio incerta non potest fundare firmam spem, & charitatem, quæ superet omnem amorem naturalem: Sed non oportebat esse claram, & euidentem: ergo erat obscura, & certa, quæ est fides. Minor probatur, quia si talis cognitio foret euidens, vel esset euidentia rei cognitæ in se, vel euidentia solius testificantis. Primum dici non potest: nam esset scientia per se infusa, quæ non est statui viatorum accommodata, cùm non detur meritum in illa, sicut datur in fide, subindeque non tam habet rationem principij quàm termini; quare comprehensoribus datur per modum proprietatis consequentis beatitudinem essentialem: accedit, quia multa oportuit Angelos credere, quæ sub talem scientiam cadere non possunt, vt sunt mysterium Trinitatis, diuinæ promissiones, vel volitiones liberæ. Secundum autem, videlicet euidentia testificantis etiam excludit meritum assentiendi: ergo sola fides erat statui viatorum proportionata.

8. Confirmatur à paritate hominum: cùm enim Angelus & homo prædestinati fuerint ad eandem beatitudinem, consequens est, vt per eadem media tam ex parte voluntatis, quàm ex parte Intellectus fuerint ordinati: nam vt dicit Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 3.
Fulgentius. *Vna gratia in homine, & Angelo operata est, in illo vt surgeret, in hoc ne caderet.* Decebat ergo Angelum mereri non solùm per amorem, sed etiam per fidem, & in primis exhibere se discipulum captiuantem intellectum in obsequium sui Creatoris. Cùm præsertim Angeli viatores deberent tendere per firmam spem in vltimum finem suum; fides autem est fundamentum spei: nam est substantia rerum sperandarum teste Paulo; imò visio beata peculiari ratione respondet fidei tanquam præmium illi specialiter proportionatum.

9. Ad fundamentum oppositum negatur secunda pars anteced. ntis; ad cuius probationes quidam dicunt fuisse quidem Angelis euidens. Deum reuelare hæc obiecta, non tamen fuisse illis euidens, Deum non posse mentiri. Sed hoc est incredibile: cùm enim veracitas Dei sit euidens hominibus, multo magis erit euidens Angelis.
Paludanus. Paludanus in 3. dist. 23. quæst. 4. dicit, omnes Angelos præter supremum accepisse reuelationem immediatè non à Deo, sed ab Angelis superioribus, de quorum veracitate poterant formidare; in Angelo tamen supremo non ponit fidem, sed cognitionem euidentem in testificante: Sed nec isti videtur deneganda fides; quapropter alij dicunt euidentiam in attestante non gignere conclusionis euidentiam, sed fidem. Contra tamen, quia si est euidens Angelis Deum non posse mentiri, & Deum reuelasse incarnationem, v. g. euidens illis erit incarnationem fuisse: nam conclusio illata per bonam consequentiam ex duplici præmissa euidenti euidens est, subindeque non relinqueret locum merendi: quid enim meriti haberet credere conclusionem, quæ habet necessariam omninò connexionem cum præmissis euidentibus.

Alij verò dicunt Angelos habuisse simul euidentiam in testificante, quatenùs euidenter cognoscebant diuinam reuelationem; per aliud autem motiuum obscurum habuisse fidem eiusdem mysterij, quod Suarius suprà sic explicat, vt iudicium Angelicum euidens circa reuelationem diuinam, ac subinde circa veritates reuelatas fuerit solùm naturale, quia naturalibus signis, & coniecturis euidentibus nitebatur, solumque deseruiret ad efficaciorem proportionem fidei, & ad maiorem quandam euidentiam credibilitatis, non tamen per se conduceret ad assensum fidei supernaturali, qui alia supernaturali reuelatione abstractiua, & obscura niteretur. 10.

Ego sentio hac ratione meritum fidei diminui: nam si nouit Angelus euidentia saltem naturali, hoc esse verum, non poterit dissentire: ergo saltem non est liber quoad specificationem respectu assensus fidei. Deinde probabilius reputo cum S. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 5. non posse connaturaliter, idem obiectum esse simul scitum, & creditum: ergo dum Angelus euidenter cognoscit Incarnationem dari per euidentiam in attestante, non poterit simul fide diuina illam credere; nec intelligo, quomodo cum euidentia naturali de reuelatione diuina stet obscuritas reuelationis, nisi ponatur duplex reuelatio, vt insinuat Suarius tractatu de fide disp. 6. sect. 9. num. 2. Sed videtur superflua, si sola obscura sufficit ad assensum fidei. 11. Suarius.

Quapropter ad primam probationem respondeo, Angelum in via non cognouisse diuinam locutionem euidenter, ac subinde non habuisse euidentiam in attestante de mysterio reuelato, sed obscurè credidisse illam esse reuelationem Dei, ad quod credendum habuit maxima motiua, quæ licèt non ostenderent euidenter veritatem reuelationis, ostendebant euidenter credibilitatem illius: nam Angelus experiebatur in se illustrationem illam supernaturalem obscuram, quam experientiam quidam vocant cognitionem actus in seipso, sed ita confusam, vt eius supernaturalitatem, & infallibilitatem intrinsecam non discerneret; sicut homo cognoscit, & experitur suam fidem, vel charitatem actualem, & tamen non percipit eius supernaturalitatem, sic proportionaliter Angelus non videbat suam illustrationem intuitiuè, ac subinde nec supernaturalitatem illius, ignorans, iuxta dicta cap. 1. num. 15. an id proueniret ex supernaturalitate actus, an ex diuina voluntate occultandi actum illum; imò poterat formidare, ne fortè daretur aliqua creatura superior ignota sibi, quam Deus tunc illi occultabat, & permittebat sic alloqui eum obscurè per excitationem specierum; tamen aliunde suppetebant illi motiua sufficientia, vt certò, & immediatè, licèt obscurè, cognosceret locutionem illam esse diuinam. 12.

Ad secundam probationem respondetur reuelationem illam fieri per excitationem specierum naturalium, quæ sicut in nobis concurrunt ad actus fidei supernaturalis, sic in Angelis possunt concurrere ad cognitionem supernaturalem obscuram obiecti supernaturalis, quin ipsi discernerent euidenter, a quo excitarentur species ad talem 13.

talem apprehensionem, vel cognitionem. Ad tertiam probationem admittimus potuisse Angelos etiam in primo creationis instanti peccare per infidelitatem; quod etiam admittit Suarius lib. 5. de Angelis cap. 5. num. 21. sed non video, quomodo cum euidentia naturali reuelationis diuinæ, quam ponit, cohærere possit dissensus mysterij reuelati.

14. Dubitatur tertiò, quæ mysteria supernaturalia cognouerint Angeli, dum erant in via? continet autem via non solùm primum instans creationis, sed aliquam etiam aliam moram, in qua necesse fuit illorum fidem durare, quia quandiu peregrinati sunt à Domino, per fidem ambulauerunt, sicut & nos: quædam ergo potuerunt illis in primo instanti, quædam successu temporis reuelari, modò generatim de omnibus loquimur. Et in primis videtur certum, Angelos viatores cognouisse per fidem omnia illa mysteria supernaturalia, quæ pertinent ad Deum, vt vnus est, nimirum esse iustificatorem, & glorificatorem iuxta sententiam Pauli Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est* (scilicet non solùm auctor naturæ, quod ex creaturis euidenter colligitur, sed etiam auctor gratiæ, & quod *Inquirentibus se remunerator sit*, id est, vltimus finis, & obiectum supernaturalis beatitudinis, quam fidelibus rependit. Hoc autem non minùs Angelis, quàm hominibus conuenit, vt tradit S. Thomas 2. 2. quæst. 5. art. 1. in argumento. *Sed contra*, idemque docuit in hac quæst. 57. artic. 5. ad primum, & infra quæst. 64 art. 1. ad 4. & in 2. dist. 11. quæst. 1. art. 4. (Hebr. 11.) (S. Thom.)

15. Ratio est, quia talis fides ad minimum fuit Angelis necessaria ad diligendum Deum super omnia ex charitate infusa, & vt obiectum beatitudinis supernaturalis, ad sperandum etiam à Deo vitam aliam superiorem illa, quam iam habebant, & consequenter ad petendum, & sperandum auxilium, quo vel se ad gratiam disponere, vel opera sua in finem supernaturalem dirigere, vel certè tentationes vincere, ac omnia peccata illi fini contraria vitare possent: ergo statim à principio reuelata fuerunt illis hæc fidei mysteria. Vnde colligit Suarius etiam veritates, quas de Deo Angeli cognoscebant, per eandem reuelationem suscepisse, & in via per fidem Angelos credidisse, scilicet Deum esse creatorem ipsorum, supremum dominum, & similes, quia tales veritates sunt quasi fundamenta fidei infusæ: non enim esset Deus auctor gratiæ, nisi simul esset auctor naturæ, atque in eam haberet supremam potestatem, non possunt autem fundare fidem, vt cognitæ modo inferiori; quare necesse est vt eadem reuelatio, & fides omnia complectatur.

16. Ego dicerem non esse necessariam reuelationem veritatum naturalium in Angelis, quia fides mysterij supernaturalis solo nititur testimonio diuino, non veritate naturali, quam supponit, quare nihil obstet istam sola naturali euidentia cognosci. Ceterum poterat quidem, & fortè congruebat, illam reuelationem fieri propter maiorem perfectionem cognitionis Angelicæ circa tales veritates; non potuit tamen Angelus dum actualiter videbat illas euidenter, simul easdem attingere fide diuina, quia cognitio clara, & obscura eiusdem obiecti non compatiuntur simul connaturaliter, vt docet S. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 5. debebat ergo cessare à naturali cognitione, dum vtebatur supernaturali, vel ab ista, dum illam eliciebat. (S. Thom.)

Deinde fatendum est, cognouisse Angelos in via Trinitatis mysterium explicitè, imò magis distinctè, quam nos illud cognoscamus. Ita communiter Theologi 2. 2. quæst. 2. artic. 7. & 8. & quæst. 5. artic. 1. & sumitur ex S. Thoma in hac quæst. 57. art. 5. ad 3. quatenùs ait, Quod *quidquid Prophetæ cognouerunt de mysterio gratiæ per reuelationem diuinam, multo perfectius est Angelis reuelatum*. Certum autem est Prophetis fuisse reuelatum explicitè mysterium Trinitatis: ergo & Angelis. Præterea istud est supremum mysterium supernaturalium, in quo fides, & obedientia Angelorum maximè debuit probari; pertinet etiam ad præcipuam integritatem beatitudinis obiectiuæ, & nunc necessaria nobis est ad salutem explicita fides Trinitatis: ergo Angeli propter maiorem sui perfectionem magis explicitè mysterium hoc, & consequenter omnes diuinitatis articulus in statu viatorum cognouerunt. Vnde Thalasius tom. 5. Bibliothecæ, Hecantontadæ 1. sententia 99. ait. *Tam Angelorum, quam hominum sanctificatio, & Deificatio est sanctæ consubstantialis Trinitatis cognitio.* 17. (Thalasius. Hecantont.)

Difficultas est circa mysterium Incarnationis, quod nonnulli recentiores Thomistæ volunt non fuisse reuelatum Angelis in via. Fauent Alexander 2. part. quæst. 26. memb. 1. & Gabriel in 2. dist. 9. quæst. 2. art. 5. dub. 4. quatenùs assenserunt quibusdam solum Angelis reuelatum fuisse mysterium, hoc non quidem in instanti creationis, sed confirmationis in gratia; perpendet in eandem partem negatiuam Molina 1. part. quæst. 57. art. 5. disput. 2. licèt oppositam dicat non esse improbabilem. Probatur ex Scriptura, & Patribus illam exponentibus. Primò ex veteri Testamento Psalm. 23. *Quis est iste rex gloriæ*, & Isai. 63. *Quis est iste, qui venit de Edon?* istas enim fuisse interrogationes Angelorum ignorantium Christi mysterium docent Dionysius de cælesti hierarch. cap. 7. Basilius Psalm. 23. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 58. & super Isaiam. Hieronymus super eadem loca Psalmi, & Isaiæ. Iustinus Dialogo cum Tryphone, Cyrillus Ierosolym. Catechesi 141. Ambrosius lib. 1. de Institutione Virginum cap. 5. & lib. 4. de fide cap. 1. & lib. 6. de iis qui initiantur mysteriis cap. 7 Quidam volunt inferiores solùm Angelos ignorasse, interrogasseque superiores; Sic Ambrosius, & indicant Magister, & Alensis, ceteri verò putant omnes ignorasse, & à Christo Domino quæsiuisse, quod magis expressit Bernardus homilia 1. in *Missus est*, dum ait; Nulli beatorum spirituum Deum antequam Virgini suum reuelasse consilium, excepto duntaxat Archangelo Gabriele. Imò Ambrosius ipse lib. 1. in Lucam cap. 1. dicit, meritò Mariam interrogasse. *Quomodo fiet istud? quia non erat saculis scire mysterium absconditum à sæculis in Deo, quod nec superiores Potestates scire potuerunt.* 18. (Alexand. Gabriel. Molina. Psal. 23. Isa. 63. Dionysius. Basilius. Cyrillus. Hieronym. Iustinus. Cyrill. Ierosol. Ambros. Bernard. Ambros.)

Secundò probatur ex Testamento nouo, vbi Paulus ad Ephes. 3. Christi mysterium vocat *sacramentum absconditum à sæculis in Deo*, quem locum de Incarnatione capiunt Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 3. Nyssenus homilia 8. in Cant. Hieronymus ibi, & addunt vocari absconditum, quoniam etiam spiritualibus creaturis non innotuit, sed per Ecclesiam illud didicerunt, atque sic exponunt quod Apostolus subiungit. *Vt innotescat Principatibus, & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam* 19. (Ephes. 3. Cyrillus. Nyssenus. Hieron.)

Theodor. Theophyl. Occumen. Chrysost. 2.Tim.3. *Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Sequuntur Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius ad Ephes. 3. Chrysostomus ibi hom.7.& præfatione in Euangelium Ioannis. Accedit idem Paulus 1. ad Timoth. 3.dicens. *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus.* Vbi Glossa, Theodoretus, Theophylactus, Euthymius, Chrysostomus hom. 11. (Chrysost.) significari dicunt Angelos nobiscum didicisse hoc mysterium.

20. Verosimilius tamen videtur, omnes Angelos in via mysterium Incarnationis in generali, siue quoad substantiam illius per diuinam reuelationem, & fidem didicisse, licèt quoad speciales conditiones, seu circumstantias illius posteà fuerint edocti. (S.Thom.) Sic tradit S.Thomas 1.part.quæst.57. art.5.ad 1. & quæst.62. art.1.ad 4.& quæst.117. artic.2.ad 1.& in 2.dist.11.quæst.1.artic.4. Et ad Ephes.3.lect.3.vbi licèt nonnunquam indefinitè loquatur, sæpè tamen explicat suam mentem. Sequuntur Malonius in 2. dist. 11. disput.13. (Malonius. Lyranus. Carthusian. Richard. Viguerius. Catharin. Valentia. Vasquius. Suarius.) Lyra Isaiæ 63.Carthusianus ibi, Richardus art.2. & 8. Viguerius in Institutionibus cap.3.§.2.vers.15.& cap. 20. §.1. vers.4. Catharinus opusculo de eximia Christi prædestinatione, & opusc. de lapsu malorum Angelorum, Valentia tom.1. disput.4. quæst. 8. punct. 4. propendet Vasquius 1. part. disput. 215. cap.2. tenet Suarius lib. 5. de Angelis cap.6.

21. Probatur primò ex Patribus, quia sic docent (Rupert. Bernard.) Rupertus lib. 8. in Ioan. circa finem, Bernardus sermone 17.& 22.in Cant.& omnes illi, qui peccatum Angelorum constituunt in rebellione contra Christum sibi reuelatum. S.Thomas citat pro hac parte (August.) Augustinú lib.5.de Genesi ad litteram cap.19. tamen ibi loqui videtur de Angelis beatis, atque idem insinuat lib.7. de Ciuit.cap. 32. Accedunt prætereà nonnullæ coniecturæ.

22. Vnde probatur secundò, nam Adamus in statu innocentiæ per diuinam reuelationem cognouit (S.Thom.) mysterium Incarnationis, vt docet S. Thomas 3.p.quæst.1.art.3.ad 5.& 2.2.quæst.2. art.7. colligiturque ex Genes.2. ibi. (Genes. 2. Ephes.5.) *Hoc nunc os ex ossibus meis.* Quod ad Ephes.5. interpretatur Paulus his verbis, *sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Non videtur autem credibile, minùs perfectam & expressam circa diuina mysteria fuisse fidem Angelorum viatorum, quàm hominum in statu innocentiæ: ergo cognouerunt etiam Angeli viatores hoc mysterium. Respondet Molina negando antecedens: nam Adamus non protulit illa verba in sensu spirituali, qui postea reuelatus fuit Paulo: proptereà quippe dixit Apostolus. *Ego autem dico*, quasi diceret, ego ex speciali reuelatione mihi facta mysterium ab Spiritu sancto spiritualiter intentum in illis Adami verbis agnosco. Ceterùm hoc iam est contrauenire communiori sententiæ, quam modò non discutimus, sed supponimus. Certè S. Thomas suprà non reputat verisimile, Adamum verbis suis magnum sacramentum significasse ignorantem illud, præsertim cùm notitiam Incarnationis tribuant Adamo multi Patres apud Suarium 3.part. quæst.1.art 3. (Soarez.)

23. Respondet Vasquius negando consequentiam, quia multò maior ratio fuit, vt Adamo in statu innocentiæ reuelaretur hoc mysterium, quàm Angelis; tum quia Verbum sumpturum erat humanitatem ex Adami carne, seu progenie; tum etiam quia matrimonio Adami cum Eua mysterium incarnationis Dominicæ, & coniunctio Christi per carnem, siue mysticum matrimonium cum Ecclesia significabatur. Attamen licèt hoc ostendat aliquam peculiarem congruentiam ex parte hominis, non excludit sufficientem ex parte Angelorum, quatenùs erant futuri membra Christi Domini, qui non solùm est caput hominum, sed etiam Angelorum. Decebat ergo vt ab initio creationis omnes Angeli suum caput agnoscerent, & recognoscerent; præsertim cùm Christus Dominus non solùm sit caput Angelorum quoad ministeria, de quo loquitur S.Thomas in 2.dist.11.quæst.1.art.4.nec tantùm secundùm accidentalem influentiam reuelationum, aut gaudiorum accidentalium, sed etiam secundùm influentiam gratiæ sanctificantis, & gloriæ, quam illis meruerit in executione, vt probabilior opinio fert, conuenientissimum sanè fuit, vt per fidem explicitam Christi saluarentur, illum tanquam suum iustificatorem venerantes, & in ipso suam fiduciam collocantes.

Probatur tertiò, quia talis reuelatio, & cognitio non solùm ad perfectionem ipsorum Angelorum, sed maximè simul ad honorem, & gloriam filij Dei, etiam prout in carne venturus erat, valde conueniens fuit, vt vel sic de Christo etiam Deo homine vera sint illa Pauli verba Heb. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei:* Decuit ergo præceptum istud fuisse datum Angelis etiam viatoribus non solùm erga Filium vt Deum, sed simul erga Christum. 24. (Hebr.1.)

Probatur quartò, quia certum videtur Angelos sanctos ab initio suæ beatitudinis, & per ipsam visionem beatam hoc mysterium in Verbo cognouisse, vt docent Augustinus locis suprà citatis, Dionysius de cælesti hierarc. cap.4. Molina, & alij, quia nunc vident in verbo hoc mysterium: ergo & à principio beatitudinis illud viderunt. Consequentia probatur, nam visio beata est inuariabilis, nec augetur, nec minuitur, vt diximus lib 2.disp 24. cap.4. Antecedens ostenditur, nam homines beati vident in Verbo Incarnationem, vt ostendimus ea disput.14.cap.3. ergo & Angeli beati, tum quia Christi sententia, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Pertinet etiam ad Angelos, cùm hoc cedat in maiorem Christi gloriam; tum quoniam Angeli per Christum sanctificati sunt: tum demum quia post visionem Deitatis, & Trinitatis inter obiecta secundaria beatitudinis Incarnatio tenet supremum locum.: ergo non est verisimile cunctos Angelos superari ab omnibus hominibus in hac perfectione beatitudinis. 25. (Dionys.)

Hinc verò rectè colligitur omnes Angelos in via habuisse reuelationem Incarnationis, quia visio beata correspondet fidei, quasi proportionatum eius præmium, iuxta illud psalmi. *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini Dei nostri.* Ergo conueniens fuit, vt mysteria fidei, præsertim maiora, & principalia, quæ videnda sunt in Verbo, priùs in via credantur per fidem. Et cùm ante lapsum omnibus Angelis oblata sit eiusdem generis gratia, licèt cum quadam proportione vniformiter difformi iuxta singulorum capacitatem, talis reuelatio facta fuit omnibus viatoribus, etiam illis, qui perseueraturi non erant, quòd sanè confirmant verba Isaiæ 14. & Ezech.28.de 26. (Isai.14. Ezech.28.)

primo Angelo malo intellecta, vbi significatur omnes perfectiones gratiæ, ac fidei, seu sapientiæ inuentas fuisse tam in Angelis viatoribus, qui posteà ceciderunt, quàm in reliquis. Igitur omnibus Angelis facta fuit Incarnationis reuelatio.

27. Ad fundamentum contrarium respondetur in primis, quòd si Scripturæ quidquam probarent, etiam conuincerent, Angelos beatos ignorasse hoc mysterium, antequam fieret, & de illo per Ecclesiam docerentur, quod non est admittendum. Patres verò facilè conciliantur: nam quando dicunt Angelos cognouisse mysterium istud, priusquam fieret, siue per fidem in via, siue per visionem in patria, loquuntur præcipuè de hoc mysterio quoad substantiam illius; quando verò videntur ignorantiam huius mysterij Angelis attribuere, de circumstantiarum ignoratione sunt accipiendi. Sed vt singula loca percurramus, interrogationes illas Dauidis, & Isaiæ multi dicunt non fieri ab Angelis, sed ab ipso Propheta, qui per modum dialogi iucundius, & artificiosius exponit mysterium. Deinde quamuis ea verba fuerint Angelorum, potuerūt non ex ignorantia, sed ex admiratione proficisci, vt sentiunt Augustinus, & Cyrillus. Demùm etiamsi demus ex ignorantia, & desiderio discendi fuisse profectas, non est necesse ignorantiam illam fuisse circa substantiam Incarnationis, sed circa circumstantias illius. Ambrosius ibi relatus numerat quatuor, scillicet quo tempore, quo loco, ex qua matre, & quo modo mandandum esset executioni mysterium istud, & quos effectus erat circa prædestinatos operaturum.

28. Paulus ad Ephes. 3. significat sibi datam esse gratiam sic omnes illuminandi, vt ex sua prædicatione cælestibus etiam spiritibus innotesceret multiformis sapientia Dei, non quoad substantiam incarnationis, sed quoad effectus, & fructus per Incarnationem à diuina sapientia præordinatos, maximè quoad vocationem, & conuersionem gentium, vt rectè Molina hîc disput. 2. cum S. Thoma. Deinde 1. ad Timoth. 3. dicit Apostolus, hoc mysterium apparuisse Angelis, hoc est in conspectu Angelorum factum fuisse ipsis quidem prædicantibus, non quia non cognouerant illud, antequam fieret, sed quia cernentibus ipsis factum est, quod docuit Augustinus lib. 5. de Genesi ad literam cap. 19. & S. Thomas 1. part. quæst. 117. art. 2 ad 1. ait prædicantibus Apostolis multa innotuisse Angelis, non quia propriè ab Apostolis docerentur, sed quia per prædicationem Apostolorum aliqua mysteria explicabantur in rebus ipsis, quæ videntibus Angelis fiebant. Videatur Suarius lib. 5. de Angelis cap. 6. vbi dicta Patrum latiùs explicat, & persequitur.

Molina. 1. Tim. 3. August. S. Thom. Suar.

DISPVT. XIII.

De illuminatione Angelorum.



CVM illuminatio Angelorum circa mysteria supernaturalia contingat, commodè subnectitur præcedenti disputationi, quamuis S. Thomas de illuminatione tractauerit infrà quæst. 106. 109. & 111.

CAPVT I.

Vtrùm quidam Angeli alios illuminent.

1. DVrandus in 2. dist. 11. quæst. 3. circa finem sic explicat Angelorum illuminationem, vt illam reuerà negare videatur: docet enim omnes Angelos causaliter (vt ipse loquitur) à Deo proximè illuminari, & non ab vllo alio tanquam à causa efficiente: vnum autem Angelum ab alio solùm illuminari per quandam consequentiam, dum in diuini luminis irradiatione Deus incipit ab Angelo supremo, & consequenter illuminat reliquos, simul quidem tempore, ordine verò naturæ in ipsorum dignitate fundato. Fundamentum Durandi est, quia solus Deus immediatè beatificat Angelos tam beatitudine essentiali, quàm accidentali: Sed illuminatio est quædam beatitudo accidentalis, seu pars vel augmentum illius: ergo solus Deus efficit illam immediatè per se se in omnibus Angelis. Durand.

2. Aliam rationem insinuat Durandus, scilicet quòd illuminatio fit proponendo obiectum, & confortando intellectum, quippe talis illuminatio confert cognitionem gloriosam, ad quam non sufficit natura, nisi confortetur à Deo: Sed solus Deus proponere potest obiectum supernaturale, confortaréque mentem cuiuslibet Angeli: ergo solus Deus potest immediatè Angelum illuminare. Tollit igitur Durandus illuminationem propriam vnius Angeli ab alio.

3. Nihilominùs certissimè tenendum est quosdam Angelos ab aliis illuminari, sic communiter ceteri Scholastici contra Durandum. Probatur primò ex Patribus: nam Dionysius de cælesti hierarch. cap. 3. docet finem hierarchiæ esse quidem imitationem Dei, medium autem esse participationem lucis, qua supremi Angelorum inferiores illuminant, atque inter alia sic ait. *Vbi indultum sibi sacratissimū iubar affatim hauserint, hoc ipsum postmodum absque inuidia sequentibus fundunt, atque in hoc ipso diuinis obtemperant legibus.* Certè verbum *fundunt* apertè declarat instructionem vnius ab alio; id ipsum confirmat vox obtemperandi: nam si solus Deus ordine per Durandum excogitato simul & immediatè cunctos illuminaret, in quo consisteret obedientia superioris circa illuminationem inferiorum. Rursus infrà tribuit Dionysius Angelo superiori purgare, illuminare, perficeréque inferiorem, quod sine instructione, vel illuminatione propria non fit. Dionysius.

4. Præterea cap. 4. dicit Dionysius vnam substantiam Angelicam inferiori communicare intelligentiam acceptam à superiori, & superiores Angelos doctores esse, seu præceptores, & duces inferiorum, & cap. 7. de Seraphinis ait, quòd *inferiora agmina ad sui similitudinem potentissimè subuehunt, lucida, illuminanteque proprietate totius obscuritatis expultrice*; & de Cherubinis quod *indultam sibi sapientiam in sequentia, & inferiora transfundunt*, quod toto cap. 8. manifestissimis verbis & oraculis Prophetarum confirmat, & cap. 10. iterum apertis verbis de omnibus hierarchiis, & ordinibus id declarat, dicens *inferiores superioribus subaudire*, & superiores summi Dei consilia exponere: eademque repetit, & in summam redigit lib. de Ecclesiast. hierarch. cap. 5. vbi

hanc

hanc illuminationem sacram efficientiam appellat, & deificarum notiorum transfusionem. Quæ omnia non sonant solùm ordinem consequentiæ, vt putauit Durandus, quatenùs vnus post alium illuminetur à Deo, sed veram instructionem, qua vnus ab alio verè de rebus addiscendis doceatur.

5. Et quidem quæ de cælesti Hierarchia nobis tradidit Dionysius, per diuinam reuelationem videntur accepta: nam ipse testatur cap. 6. se omnia didicisse à præceptore suo, scilicet Paulo, quem Augustinus. suum initiatorem vocat. Quòd autem Augustinus in Enchir. cap. 58. dicat, nihil de hac re certum esse mirum non est, quia manifestis coniecturis apparet, Augustinum opera Dionysij non Gregor. vidisse, siquidem, & Gregorius hom. 34. in Euangelia sententiam Dionysij de missione Angelorum ex aliorum relatione commemorat: nam opera Dionysij multo tempore suppressa fuerunt. Adhuc in eandem sententiam de Angelorum il- Sophron. luminatione cum Dionysio conspirarũt Sophro- Damascen. nius in Encomio de Angelis, Damascenus lib. 2. Bernard. cap. 3. Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 4. Athanas. Athanasius lib. de communi essentia docentes Angelos supremos immediatè à Deo discere, inferioribúsque cognitionem impertire, communicare, refluere, atque ipsos erudire.

6. Ratione impugnatur Durandus, quia licèt vnus Angelus sit dignior alio, vel in natura, vel in gloria, non est necesse, vt illuminato superiori de aliqua veritate, simul illuminetur inferior: nam hoc pendet ex secreto Dei consilio, & arbitrio, fierique potest, vt talis illuminatio pertineat ad superioris statum, & non inferiorum, vel è Bernard. contra. Bernardus sermone 1. in *Missus est*, & sermone primo de Aduentu docet soli Gabrieli Archangelo reuelasse Deum tempus Incarnationis, cùm tamen plures Angeli dentur Gabriele superiores, plures item inferiores: ergo nulla est necessitas talis consecutionis, vt omnis reuelatio fiat priùs natura superioribus; & deinceps inferioribus. Quis enim Deum cogere potuit ad sic reuelandũ? Quare si inter Angelos nõ est ordo causalitatis moralis in illuminationibus, quas recipiũt à Deo, nullus verus ordo prioris, & posterioris inueniri potest. Etenim quamuis ordo dignitatis inter modos prioris ab Aristotele numeretur, illud tenet in ordine ad esse, vel quando maior dignitas per se postular, vt inde incipiat actio: in præsenti vero seclusa causalitate magisterij, maior, vel minor dignitas nihil per se refert ad reuelationem recipiendam, si quidem non confertur propter dignitatẽ, sed propter ministeriũ, vel propter speciale meritum, vel conditionem status, sicut etiã inter animas beatas continget sæpiùs, illuminari de multis inferiorem, & non superiorem, vel è cõtrà.

7. Ad fundamentum Durandi respondetur in primis nullum esse inconueniens, quòd Angeli superiores aliquo modo cooperentur ad beatitudinem accidentalem inferiorum, cùm in via possit cooperari ad sãctificationem alterius, quæ maior est quàm accidentalis beatitudo. Semper enim Deus est principalis Author talis beneficij; & ad maiestatem, sapientiam, ac bonitatem illius pertinet, vt per ministros suos id faciat, quando cõmodè fieri potest. Rursus dici posset, has illuminationes per se non fieri semper propter augmentum accidentale beatitudinis Angelorum, sed propter ministeria necessaria ad humanam salutem; ideóque fieri secundùm ordinem diuinæ prouidẽtiæ, influendo in inferiores per superiores, & his cooperantibus ad perficiendos illos.

8. Qualis autem sit illa cooperatio Angeli circa illuminationem alterius, quod altera ratio Durandi postulabat c. 2. dicetur. Nunc aduerto Dionysium non solùm illuminationem aliorum, sed etiam purgationem, & perfectionem Angelis tribuisse; sed vt S. Thomas 1. p. q. 106. art. 2. ad 1. & S. Thomas. eius expositores notant, per illa tria verba *purgare, illuminare, perficere* non significãtur tres actiones distinctę, sed vnica sub triplici habitudine: dicitur enim illuminatio, quatenùs aliquo modo lumen confert, Purgatio, quatenùs excludit ignorantiam non erroris, aut priuationis propriæ, sed negationis, seu nescientiæ; Perfectio verò vocatur, quatenùs mentem perducit ad veritatem, quæ illius perfectio est.

CAPVT II.

Quid sit illuminatio Angelorum.

1. IVxta varias opiniones de locutione Angelorum variæ sunt etiam de illuminatione sententiæ, quarum plures destructo fundamento per supra dicta d. 12. facilè corruent. Sic facilè refelluntur, qui dicunt illuminationem, sicut & locutionem fieri per nutus, vel signa instrumẽtalia, sic etiam, qui volunt fieri productione physica, ita vt loquens, vel illuminans producat conceptum, seu cognitionẽ ipsam illuminati, siue hæc terminetur immediatè ad obiectũ dictum, siue ad conceptum loquẽtis. Specialiter autem addunt nonnulli vnum Angelum illuminare alium vel efficiendo in illo lumen quoddam intellectuale, quo in actu primo informetur, & confortetur, fiatque potens ad percipiendam rem, de qua illuminatur, vel intendendo lumen præexistens, vt ita reddatur fortius ad cognoscẽdam talem rem: & hoc posterius tradit Heruæus in 2. dist. 9. q. 1. art. 2. Heruæus.

2. Sed istum dicendi modum impugnant rectè Durandus in 2. d. 12. q. 3. Ægid. Rom. in 2. dist. 9. Durand. q. 1. art. 5. quoniam Angelus non potest efficere in Ægid Rom. intellectu alterius Angeli lumẽ ordinis naturalis, nec supernaturalis: ergo nõ potest illuminare aliũ producendo, vel intendendo lumen. Prior pars de naturali lumine probatur, quia vel lumen illud esset ipsemet intellectus Angeli; & hoc nõ, quippe cùm intellectus sit propria passio Angeli, manare debet ab ipsiusmet substantia immediatè, non ab alio Angelo produci, vel est intensio eiusdem intellectus, & hoc etiam non; tum quia potentiæ vitales, præsertim spirituales, qualis est intellectus, non sunt qualitates insensibiles; tum quia si Angelus illuminans alium posset naturale lumen intellectus illius augere, posset etiam omninò producere, quod est absurdum.

3. Respondet Heruæus, posse contingere, vt aliquod agens augeat formam aliquam iam productam, quã non potest à principio producere: nam aliquod agens per rarefactionem potest efficere maiorem quantitatem, quam à principio producere non potest. Sed contrà, nam in rarefactione non augetur quantitas, sed per nouum modum superadditum magis extenditur; & raritas, quæ qualitas quædam est, intenditur per additionem noui gradus. Quòd si daretur corpus sine vlla raritate, certè agens illud, quod raritatem intendit, posset ipsam à principio producere.

4. Vel lumen illud esset aliquis habitus naturalis, aut illius intensio; & hoc etiã dici non potest,

tum quoniam isti habitus ordinis naturalis, si dantur in Angelis, adquiruntur per proprios actus eius, qui per illos redditur habilior; & hunc modū productionis naturalis sibi determinãt; tum etiam quia non potest Angelus producere qualitatem vllam in alieno intellectu, vt visum est disp. 11.

5. Altera pars de lumine supernaturali probatur, quia tale lumen natura sua est per se infusum respectu omnis naturæ creatæ; ideoque fieri potest à solo Deo per eductionem de potentia obedientiali intellectus creati. Propter eandem rationem non poterit Angelus intendere supernaturale lumen alterius, cùm actio intensiua formæ sit eiusdem ordinis cum productiua; & quamuis posset Deus vti quodam Angelo, vt instrumento ad infundendum supernaturale lumen alteri Angelo; tamen hoc esset miraculosum, & præter ordinariū prouidentiæ modum. Quare non est hoc asserendum sine maiori fundamento; sicut nec audebit quispiam affirmare, Deum infundere lumen fidei hominibus per Angelos, vt per instrumenta physica. Quippe solus Deus dicitur sic illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, siue creaturas omnes intellectuales tam lumine gratiæ, quàm lumine naturæ, vel gloriæ sine medijs physicis instrumentis, de quo S. Thomas 1. p. quæst. 106. art. 1. ad 2. & quæst. 111. art. 1. ad 1.

S. Thom.

6. Alij dicunt vnum Angelum illuminari per deriuationem cuiusdam radij spiritualis ab alio Angelo superiore, per quem radium Angelus inferior excitatur, & format in se similitudinem obiecti, de quo ab illuminante instruitur. Ceterùm hanc emissionem radiorum, quam in locutione Richardus confinxit, refellimus suprà disp. 11. cap. 3. num. 20. Capreolus autem in 2. dist. 11. q. 3. art. 3. ad primum Durandi contra secundam conclusionem, docet corroborari Angelum illuminatum ab illuminante, quatenùs superior influit in intellectum inferioris participationem sui luminis, & virtutem quandam, quam ipse vocat intentionalem, eo modo quo intellectus agens influit in phantasmata.

Capreolus.

7. Contra hanc sententiam militant argumenta suprà facta: nam illa qualitas quantumuis intentionalis, vel transiens dicatur, non potest non esse lumen quoddam intellectuale, siquidem ponitur perficere formaliter, & augere virtutem intelligendi. Tunc autem vel illa qualitas est ordinis naturalis, & sic non deseruiet illuminationi supernaturali, nec effici potest ab illuminante, quia potentia intellectiua, siue Angelica, siue humana non est immediatè actiua actione transeunte; imò nec actus illius quidquam agunt ad extra. Vel est ordinis supernaturalis, & sic à solo Deo debet infundi, non ab Angelo illuminante produci. Henricus quodlibet. 5. q. 15. art. 1. ponit dispositionem quandam effici ab illuminante in illuminato, sed non explicat quid illa sit.

Henricus.

8. Suarius lib. 1. de Angelis cap. 13. docet Angelum illuminantē imprimere illuminato speciem illius actus, quem per talem locutionem ei manifestat, & consequenter rem ipsam actu illo repræsentatam de qua vult alterum illuminare. Probatur primò, quia locutio fit per impressionē speciei, vt docuerat ipse Suarius, sed illuminatio est quædam locutio: ergo debet cum proportione fieri speciem aliquam imprimendo. Probatur secundò, & declaratur hæc sententia: nam intellectus Angeli beati sicut in naturalibus ex parte potentiæ constitutus est in actu primo ad intelligendas veritates naturales, ita etiam in supernaturalibus est constitutus in actu primo ad cognoscendas veritates supernaturales; quia sicut istud pertinet ad talis naturæ perfectionem, ita hoc ad complementum status beatifici. Quare sicut intellectus Angeli spectatus in pura natura habet naturale lumen ex parte potentiæ sufficiens ad intelligenda naturalia, sic intellectus eiusdem Angeli in statu beatifico cōstitutus habet lumen supernaturale infusum habituale sufficiens ex parte potentiæ ad cognoscenda supernaturalia; indiget tamen in vtroque ordine coniunctione cum obiecto, quæ fit per species intelligibiles; & ideò in vtroque ordine habet illas inditas de rebus alijs præterquam de cognitionibus cordium, siue liberis actibus: ergo sicut in ordine naturæ manifestantur actus isti per impressionem speciei naturalis, ita etiam in ordine supernaturali, ad quem pertinet illuminatio.

Suarius.

9. Confirmatur, quoniam in eodem ordine naturæ non obstante perfecta scientia Angelorum in actu primo non potest Angelus per illam cognoscere futura contingentia in seipsis infallibiliter, quia non habet immediatam virtutem, nec etiam medium naturale, quo veritas illorum determinatè manifestetur; & ideò necesse est vt per locutionem, seu manifestationem alterius illa præcognoscat: ergo similiter in ordine supernaturali non potest Angelus beatus per scientiam habitualem infusam cognoscere per seipsum futura contingentia, vel quæ pendent ex voluntate Dei, nisi per alium illa cognoscentem conuenienti modo proponantur. At hæc propositio sufficienter fit per species intelligibiles, quæ repræsentent conceptum Angeli docentis has veritates alterum Angelum modo ipsi accommodato: ergo per has species fit talis illuminatio.

10. Hæc sententia consequenter procedit ad opinionem illam de locutione per impressionem specierum, quam suprà reiecimus disp. 11. cap. 3. & specialem etiam ingerit difficultatem, quod obiectum supernaturale, qualis est cōceptus Angeli supernaturaliter illuminantis alterum, producat sui speciem in alio intellectu, educendo consequenter illam de potentia obedientiali recipientis, & hoc iuxta liberam volitionem illuminantis, quæ quasi subditos habeat suos cōceptus supernaturales in ordine ad operandū transeuntes, & alienos item intellectus in ordine ad recipiendum etiam per potentiam obediētialem, quas voluerit illis species cogitationum imprimere: Cùm tamen obedientialis potentia solam Dei voluntatem tanquam Domini supremi, & agentis principalis supernaturalis respicere videatur: licèt enim habitibus etiā supernaturalibus vtamur, cùm volumus, tamen tales habitus sunt instrumenta Dei supernaturaliter, & principaliter operātis per illos; conceptus verò mētis, qui sunt actus vitales Angeli, dici nequeūt instrumēta Dei, sed potiùs creaturæ rationalis operantis per illos, vel intētionaliter circa obiectum, vel etiam physicè circa effectum per tales actus productum, si detur aliquis reuerà sic productus; quippe per actus supernaturales elicitos nihil videtur posse produci ad extra.

11 Igitur dicendum est illuminationem non esse actionem per quam fiat aliquid in illuminato, sed per solam extrinsecam obiecti propositionem fieri. Ita S. Thomas 1. part. quæst. 106. art. 1. vbi

docet

docet superiorem Angelum illuminare inferiorem per hoc, quod adiuuat illũ ad intelligendum, tum ex parte ipsius intellectricis potentiæ illam confortando, tum ex parte speciei intelligibilis Angeli inferioris, quatenus accommodatè ad eius perfectionem manifestat ei superior veritatem. Quæ duo ratione tantùm differũt, & simul quoad rem attinet, fiunt ab Angelo superiori per hoc, quod artificialiter, & extrinsecè manuducit inferiorē ad intelligentiam rei, de qua fit illuminatio. Sicut enim Magister ostendens discipulo veritatē à se per pauciores actus intellectam, & eam particulatim accommodatè ad discipuli captum exponens, corroborat, & per consequens illuminat intellectum discipuli ad eandem veritatem rectè percipiendam, idque non physicè ac naturaliter imprimendo vel speciem, vel cognitionem in intellectu discipuli, vel lumen, & perfectionē naturalem eius augendo, sed ab extrinseco, & artificialiter intellectum eius ad id mouendo, & adiuuando; sic superior Angelus manifestans inferiori veritatem aliquã vt à se clarè cognitam dearticulatè quidem, & accommodatè ad species intelligibiles inferioris, quæ sunt minùs vniuersales, quàm species Angeli superioris, intellectum inferioris ad eandem veritatem intelligendam confortat non physicè imprimendo ei speciem, aut augendo naturale lumen intellectus, sed ab extrinseco quasi artificialiter adiuuando ad eandem veritatem clarè similiter & perfectè cognoscendam secundùm perfectionem & modum specierum intelligibilium, per quas inferior Angelus intelligit.

12\. Caietan. Valentia. Alensis. Bonauent. Ægid Rom. Argent. Vasquius. August. Sic intelligũt, & sequuntur S. Thomam Caietanus ea q.106. art.1. Valentia tom.1. disp.8. q.4. punct.1. Sic etiam sentiunt Alensis 2. part. q.38. memb.3. iunctis his, quæ de locutione dixerat q.27. memb.6. Bonauenturã in 2. dist.10. art.3. q.2. Ægidius Rom. ibi dist.9. q.1. art.5. Argentinas eadem dist.9. q.1. art.3. Vasquius 1. p. d.216. c.5. Probatur primò ex Patribus: nam Augustinus in Psal.118. conc.18. circa finem cùm docuisset à Deo dari nobis intellectum, inquit, *Sed si ad hoc ministro vtitur Angelo, potest quidem aliquid agere Angelus in mentem hominis, vt capiat lucem Dei, & per hanc intelligat; sed ita dicitur intellectum dari homini, & quasi (vt ita dicamus) intellectuare hominem, quemadmodum quisque dicitur lucem dare domui, vel domum illuminare, cui fenestram fecit,* & infrà: *Deus autem & mentem hominis rationalem, atque intellectualem fecit, qua posset capere lumen eius, & Angelum talem fecit, qui operari posset aliquid, vnde ad capiendum lumen Dei mens adiuuaretur humana.* Ergo secundùm Augustinum, sicut qui fenestram aperit, vt domus illuminetur, nihil operatur interius in domo, nec lumen producit, sed aperit viam, & externa tollit impedimẽta; sic Angelus hominem illuminat extrinsecè doctrinam proponendo, & nihil in intellectum humanum operando: quare nec in Angelicũ operabitur, sed vt doctor proponens exterius veritatē, ipsum illuminabit, & quasi discipulum edocebit.

13\. Cyril. Alex. Accedit Cyrillus Alexandr. lib.1. in Ioann. c.9. Vbi quærit, quomodo verum sit illuminari à Deo omnem hominem venientem in hunc mundum, siquidem vnus Angelus ab alio, & homines etiam ab Angelis illuminantur, iuxta Scripturam; & respondet his verbis; *Sic igitur etiã lucem esse sanctos fatemur, & illud addimus, quòd rationalis creatura omnis illuminata illuminat, traditionéque à mente sua in mentem alterius doctrinam infundit, quandoquidem illuminationem discendi vim potius, quàm reuelationem nominamus. Det autem verbum omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat non docendo, vt homines, aut forsan Angeli, sed potius creãdo, vt Deus, vnicuique semen sapientiæ, id est, pietatis ac intelligẽtiæ radices inserit.* Hæc Cyrillus, qui particulam *forsan* non dubitanter vsurpauit, sed affirmanter modestiæ gratia, vt mos Græcorum est, apud quos vox ἰσῶς, qua Cyrillus vsus est, significat etiam *æqualiter*, aut *pariter*, in quo sensu contextus, & sententia Cyrilli meliùs sibi constat.

Probatur 2. ratione, nã quæuis efficientia physica vnius Angeli in alium habet manifestam repugnantiam, eam præcipuè, quòd daretur actio immediatè in distans, aut solùm fieret illuminatio inter propinquos & immediatos Angelos, quod non est dicendum. Confirmatur ex supradictis: nam iste modus proponendi veritatem per extrinsecam manifestationẽ obiecti sufficit ad illuminationem, quia per illam sufficienter excitatur, iuuatur, & quasi confortatur Angelus inferior ad cognoscendam rem sibi propositam, quam antea non cognoscebat, sicut vnus homo docendo illuminat alium, non imprimendo aliquid eius intellectui, sed ex parte obiecti veritatem proponendo, & explicando. 14.

Probatur 3. quia conueniunt omnes, illuminationem esse locutionem quandam: sed locutionem Angelorum diximus disp.11. cap.4. fieri sine loquentis efficientia per solam extrinsecam propositionem obiecti: ergo similiter fit illuminatio, vel iuxta sextam opinionem eo cap.4. probatã, dirigente Angelo superiore suum conceptum vniuersalem in plures magis particulares iuxta capacitatem inferioris, & hos per voluntatem ordinando ad illum Angelum, quem vult illuminare: nam iste sicut habet species actuum aliorũ naturalium connaturaliter inditas iuxta exigentiam suæ naturæ; sic etiam quando est Angelus beatus iuxta exigentiam scientiæ supernaturalis sibi per se infusæ habet etiam infusas species actuum supernaturalium, per quas positas ordinatione elicientis possit illos cognoscere. Vel iuxta septimam opinionem etiam probabilem eliciente Angelo superiore illas intellectiones secundi generis, quæ ordinantur ad illum inferiorem, quem illuminat, aut certè proportionantur cum tali scientia supernaturali, & speciebus per se infusis, quales in Angelo illuminando reperiuntur. 15.

Obiicit Suarius primò, Angelus illuminans aliũ non solùm vult, vt ille percipiat, sed etiam facit aliquo modo vt intelligat: ergo non solùm affert veritatem, vt alius illam cognoscat, si possit, sed etiam illã explicat, & quasi docet, & instruit aliũ, vt illam possit cognoscere: sed hoc non fit per solum consensum Angeli ordinantis conceptum suum ad alium, quia per solum consensum nullo modo iuuat alium ad intelligendum: ergo requiritur efficientia illuminãtis in illuminatum. Confirmatur, nã dato quòd cogitatio naturalis per solam ordinationem cogitantis manifestetur, quia supponitur in audiente quidquid requiritur ad eliciendum auditionẽ, solùmque desideratur consensus cogitantis tanquam cõditio sine qua non; attamē hoc dici non potest in illuminatione, quæ fit de veritatibus supernaturalibus: nã ad has percipiendas non habet Angelus ante illuminationē omnia principia requisita: ergo non sufficit con- 16.

sensus illuminantis, nisi ponat aliquid in illuminato; sicut nec Deus posset mysterium reuelare solùm volendo, vt alius cognosceret, nisi per illam volitionem efficeret aliquid in Angelo, quo redderet illum potentem ad tale mysterium percipiendum.

17. Respondetur ad argumentum, aliquid facere superiorem Angelum vt illuminet inferiorem, nō quidem producendo aliquid in inferiori, sed in seipso scilicet conceptus proportionatos speciebus inferioris, per quos sufficienter iuuat, instruit, & docet illuminatum, & in hoc sensu his terminis vtuntur Dionysius cap. 5. de cælest. hierarch. S. Thomas 1. p. q. 106. art. 1. Ægid. Rom. Argentinas & alij. Ad confirmationem respondetur ex dictis, sicut habet Angelus connaturaliter potentiam intellectricem, & species congenitas obiectorum naturalium, sic per scientiam infusam habere supernaturaliter vim intelligēdi, speciésque infusas obiectorum, & actuum supernaturalium, pendentes tamen quoad repræsentationem conceptuum existentium à voluntate concipientis, iuxta sextam opinionem, vel ab existentia conceptuum sibi proportionatorum iuxta septimam. Nec Deus postquam habitum scientiæ per se infusæ, speciésque necessarias infudit Angelis beatis, indiget noua productione ad illos illuminandos, sed sola excitatione specierum.

Dionys. S.Thom. Ægid. Rom. Argent.

18. Obiicit secundò, Angelus illuminans alium excitat illum ad intelligendam rem illuminatam, quam excitationē declarat Scriptura per modum clamoris, & imperij. Dan. 8. Ezech. 9. Zachar. 1. & 2. Apocal. 5. 7. & 14. Sed non potest intelligi talis excitatio, nisi ponatur aliquid intrinsecum in eo, qui excitatur, quo moueatur ad attendendum: ergo nec illuminatio potest intelligi, nisi ponat aliquid efficienter in illuminato. Confirmatur, nam in eisdem locis ita dicitur clamare vnus Angelus ad alium; sicut Angelus ad hominem, vel ad Prophetam: sed non potest Angelus vocare Prophetam, vel eidem imperare, nisi Prophetam excitet ad audiendum: ergo nec Angelus potest Angelum vocare, nisi excitet illum: nō potest autem Angelus excitare, vel illuminare Prophetam, nisi operetur aliquid circa illum, saltem incipiendo à sensibus: ergo nec Angelus potest excitare, vel illuminare Angelum, nisi agendo aliquid in ipsum.

Dan. 8. Ezech 9. Zach. 1. & 2. Apoc. 5. 7. & 14.

19. Respondetur, in illuminatione dari excitationem, sicut in locutione diximus disp. 11. cap. 4. quia posito conceptu illuminantis ordinato ad illum, quem illuminat, excitatur in isto species, sicut in nobis audito, vel viso quopiam obiecto excitatur species intelligibilis illius, vel alterius cum illo connexi per solam sympathiam: talis autem excitatio rectè potest appellari clamor, vel imperium. Ad confirmationem respondetur, non tenere similitudinem in omnibus: nos enim cùm intellectionem auspicemur à sensibus frequenter per illos excitamur; sensus autem efficienter mouentur ab obiectis, etsi nonnunquam per solam sympathiam, vel ab humoribus, vel à Deo, vel ab aliis obiectis aliorum species excitantur.

* * *

CAPVT III.

Corollaria quædam.

EX dictis colligimus primò omnem illuminationem esse locutionē, vt docet S. Thomas 1. p. q. 107. art. 2. & communiter Doctores, nam siue Deus illuminet Angelos, siue homines, loquendo illuminat, vt docet Gregorius lib. 2. Moral. c. 4. aliàs 5. Homo etiam illuminat, vel docet hominem loquendo: ergo similiter Angelus Angelum. Ratio est, quia non potest vnus Angelus illuminare alium nisi manifestando ipsi conceptus suos modo dicto: sed hæc manifestatio est ipsamet locutio: ergo non potest vnus Angelus alium illuminare, nisi loquendo cum illo. At non omnis locutio est illuminatio: nam inter homines non omnis qui loquitur cum alio etiam manifestando secreta cordis dicitur alium docere, vel illuminare: ergo nec Angelus quotiescunque loquitur cum alio, vel secretas cogitationes aperit, dicetur illuminare audientem, quod docent S. Thomas suprà, & Richardus in 2. dist. 9. art. 2. q. 3. ad 2. Vnde locutio, & illuminatio se habent sicut genus, & species. Restat vero differentiam illuminationis ab aliis locutionibus explicare. 1.

S.Thom. Gregor. S. Thom. Richard.

Ex obiecto distinguunt aliqui, quia locutio de se indifferens est ad veram, & falsam; illuminatio verò tantùm est de veritate, cùm sit perfectiua intellectus, qui non nisi veritate perficitur. Sed certè inter Angelos sanctos omnis etiā locutio est vera, & inter homines, imo & inter dæmones datur locutio vera, quæ non sit illuminatio, Gabriel, & Ægidius Rom. dicunt locutionē esse indifferentē ad materiā naturalem, & supernaturalem, illuminationem verò solùm circa materiā supernaturalem, sed contrà, quia potest dari locutio circa materiam supernaturalem inter Angelos, quæ nō sit adhuc illuminatio: potest enim Angelus inferior narrare superiori supernaturalem effectum, quem præsentem videt, & ad quem superior tunc non attendit; ideóque nescit illū, & tamen non illuminat superiorem; sicut inter homines quāuis aliquis magistro, vel prælato internos affectus supernaturales aperiat, vel supernaturale factū narret, nō dicitur illuminare vel docere illum, atq; è contrà in materia naturali potest vnus Angelus illuminare alium, saltem si supernaturaliter illā cognoscat, vt si futura contingentia, vel cogitationes etiā naturales alterius sine consensu elicientis manifestet. 2.

Itaque licèt illuminatio differat à locutione ex parte materiæ aliquo modo, quatenùs materia, vel obiectum illuminationis debet esse quid verum & nouum, aut ignotum prius alteri; contingens etiā, & singulare, quia veritates vniuersales, seu necessariæ, tam in naturalibus, quàm in supernaturalibus per naturalem vim intellectricem, vel per scientiā Angelis beatis per se infusam omnes Angeli sancti possūt sine illuminatione percipere; imò frequentius erit effectus futurus, vel secreta cogitatio præsens, aut præterita: nam ceteros effectus supernaturales, dum extra causas positi sunt, poterit Angelus beatus cognoscere per species infusas; tamen circa materiam istā potest etiam simplex locutio nonnūquam versari. Quare potissima differentia illuminationis à locutione sumitur ex peculiari modo proponendi veritatē proportionatam audientibus, sc. per modum Magisterij, seu doctrinæ, per quā audiens ad veritatē concipiendam manuducatur, & roboretur iuxta suprà dict. c. 2. 3.

Colligi

4. Colligimus secundò, propriam illuminationem esse de rebus supernaturalibus, vel saltem supernaturaliter cognoscibilibus: nam obiecta naturalia nullus Angelus ignorat, nec denuò cognoscit, nisi fortasse quoad exercitium actus, quem sua virtute, ac voluntate sine doctrina, vel extrinseca illuminatione potest elicere. Quamuis enim Angelus superior elicere possit vnam cognitionem multorum obiectorum, quam Angelus inferior etiam de consensu elicientis non possit distinctè percipere, quia nō potest simul distinctè complecti tot obiecta, & per consequens superior diuidat notitiam suam in plures conceptus, quos possit sigillatim inferior percipere, tamen ista non videtur illuminatio propria, quia reuerà nullū manifestat obiectum, quod non possit Angelus per seipsum, vel saltem per simplicem locutionem alterius cognoscere. Quare quod dixit S. Thomas 1. p. q. 106. art. 1. ad 2. scilicet illuminationē fieri manifestando veritatem de his, quæ pertinent ad statum naturæ, gratiæ, & gloriæ, & quod dixit Aureolus in 2. dist. 9. q. 1. art. 3. superiorem Angelum posse in naturalibus aliquid scire, quod ignoret inferior, & ita de illo dari posse illuminationem, intelligo de obiectis naturalibus quoad substantiam, sed supernaturalibus quoad cognoscibilitatem, quatenùs non possunt sine diuinæ reuelatione certò præsciri; qualia sunt futura contingentia, & cogitationes cordis sine consensu cogitantis.

S. Thom.

Aureolus.

5. Colligimus tertiò talem illuminationis Angelicæ descriptionem. *Illuminatio est locutio per quā veritas antea ignota modo quopiam supernaturali sub lumine diuino, & modo proportionato ad veritatem percipiendam Angelo manifestatur.* Cùm enim debeat esse de obiecto supernaturaliter cognito, & quatenùs supernaturaliter cognoscibili, & per iudicium certū, & infallibile, quia falsum, vel fallibile non est perfectiuū simpliciter intellectus, nec reperitur in Angelis beatis, debet quidē illuminatio niti motiuo supernaturali, & consequēter sub lumine diuino manifestare obiectum.

6. Colligimus quartò, non dari propriam illuminationem inter Dæmones, quia vel loquuntur inter se de rebus naturalibus naturaliter cognitis, circa quas non contingit illuminatio propria, vt diximus, vel si nonnunquam loquantur de mysteriis supernaturalibus, & vnus narret alteri, quod ipse cognoscit, & alter ignorat. Id certè sub motiuo duntaxat naturali cognoscunt, & manifestant.

CAPVT IV.

Quo progressu, vel modo fit illuminatio.

1. SVPPONIMVS Deum esse primā originem illuminationum omnium: nam cùm bē sint de rebus supernaturaliter cognoscibilibus, prima talium veritatū reuelatio à solo Deo potest manare, ac per consequens omnis illuminatio immediatè fit ab ipso Deo alicui Angelo; sub Deo tamen comprehendimus Christum Dominum, à quo post incarnationem credibile fit illuminari omnes Angelos etiam supremos tanquam à capite, & principali Auctore salutis, cùm tales illuminationes ad salutem hominum ordinentur plerumque, cæterùm nec Deus, nec Christus illuminat immediatè cunctos Angelos, vt contra Durandum ostendimus suprà cap. 1.

2. His suppositis, potest circa modum illuminationis dubitari primò; an Angelus superior illuminans inferiorem ostendat illi, quæ ipse videt in verbo, & alter non videt? Ratio dubitandi sumitur ex S. Thoma 1. p. q. 106. art. 1. ad 1. Vbi dicit, illuminationes Angelorum non esse de ipsa Dei essentia. *Sed de rationibus diuinorum operum, quæ in Deo cognoscuntur sicut in causa*, & infrà sic ait. *Vnde superior Angelus plura in Deo de rationibus diuinorum operum cognoscit, quàm inferior*, refertque Dionysium de diuin. nom. cap. 4. Consentiunt cum S. Thoma Ægidius Rom. in 2. dist. 9. q. 1. art. 5. & Argentinas ibi q. 1. art. 3. in fine.

S. Thom.

Ægid. Rom. Argent.

3. Pro decisione recolenda est distinctio data superiùs lib. 1. disp. 24. c. 1. circa visionem creaturarum in verbo, vel formaliter quando eadem visio beata repræsentans diuinas perfectiones ob istarum connexionem cum creaturis, repræsentat etiam creaturarum entitatē; vel causaliter quando ratione visionis beatæ reuelatur aliquid beatis per distinctam cognitionem. De his ergo quæ videntur in Deo causaliter certum est dari illuminationem, quia cùm cognoscantur per actus diuersos à visione beata, potest Angelus superior diuidere, seu multiplicare conceptus, ordinaréque illos ad inferiorem; & si legatur attente Dionysius lib. de cælest. hierarch. cap. 10. 13. & 15. deprehenditur potissimùm loqui de reuelationibus extra visionem Dei.

Dionysius.

4. Quòd si Angelus superior velit inferiorem de his illuminare, quæ per visionem beatam cognoscit, nō poterit per eundem actum beatificum illuminare, quia non potest alter cognoscere visionem beatorum alienam, nisi videat simul obiectū beatificum; non potest autem istud cernere nisi concurrat essentia diuina per modum speciei, qui concursus non datur nisi proportionatus visioni beatæ singulorum. Itaque debebit illuminans per alios conceptus idem obiectum repræsentantes, & ab infusa scientia elicitos inferiorum captui sese accommodare; quod solùm videtur sensisse S. Thomas, nisi forsan loquatur de rationibus diuinorum operum, quæ videntur causaliter in Deo. At Ægidius & Argentinas apertè videntur loqui de mysteriis, & effectibus visis in Deo formaliter, quare de illuminatione per alios cōceptus repræsentantes idem obiectum creatum, quod visione beata cernitur, capiendi sunt vel reiiciendi. Quòd autem addunt Doctores isti, scilicet superiorem Angelum nunquā docere inferiorem de re, quam in Deo non videat, sustinendum non est.

5. Dubitatur secundò, an Angeli dum illuminantur, cognoscant mysteria illa, de quibus edocētur per visionem illorum in verbo? Videntur affirmare Ægidius & Argentina suprà, sed tamen si sermo sit de proprio modo videndi aliquid in Deo formaliter, omninò est falsa sententia, quia visio Dei est inuariabilis in sua totali repræsentatione, ac independens ab illuminatione creaturarum, vt docent Capreolus in 2. dist. 11. quæst. 2. art. 3. in fine, Heruæus disp. 9. q. 1. art. 2. ad 3. & alij, de quo diximus lib. 1. disp. 24. c. 4. Si verò sermo sit de altero modo videndi tam in verbo causaliter Vasquius 1. p. disp. 117. c. 2. negat Angelos per illuminationē percipere, quæ ex vi visionis, vel ratione status illius reuelantur: nam omnia, quæ videt Angelus ex vi visionis beatæ, licèt per distinctam reuelationem, cognoscit immediatè ab ipso Deo, & non ab alio Angelo. Mihi tamen videtur verisimilius, inferiorem Angelum posse percipere per reuelationem superioris ea, quæ videntur in verbo tantum

Capreol. Heruæus.

Vasquez.

tantùm causaliter, id est, per notitiam distinctam à visione beata. Sic docet Caietanus 1. part. q. 57. art. 5. iuxta cuius doctrinam ea dicuntur videri causaliter in Verbo, quæ cognoscuntur ex diuinis illuminationibus, quæ se habent ad visionem beatam sicut accidentia quædam comitantia successiuè secundùm congruentem dispositionem ad exequenda munera sua: sed hæ reuelationes fieri possunt inferioribus mediante superiore: nam adhuc erit reuelatio diuina, siquidem Deus est principalis reuelans, & à quo prouenit principaliter certitudo reuelationis: ergo etiam illa, qua inferioribus Angelis per superiorem illuminantem traduntur, videntur causaliter in verbo, quando ratione status beatifici tales reuelationes fiunt. Videatur Suarius lib. de Angelis cap. 14. num. 18.

Caietan. Suar.

6. Dubitatur tertiò. Vtrùm Angelus ex vi illuminationis, qua docetur ab alio cognoscat veritatem sibi propositam quidditatiuè, an ii. sola reuelantis auctoritate. Scotus, & Bassolis in 2. dist. 9. & Suarius supra n. 24. respondent Angelum ex vi talis illuminationis solùm videre clarè, & in se conceptum Angeli illuminantis, veritatem autem de qua docetur, solum cognoscere per iudicium, & assensum fundatum in veracitate illuminantis. Probatur, quia cùm illuminatio fit de aliquo futuro contingenti, licèt Angelus illuminatus habeat species infusas extremorum repræsentatiuas quoad possibilitatem, tamen futuritionem non poterit per illas videre, solùm ergo videt conceptum illuminantis, exindéque deducit veritatem obiectiuam propositionis de futuro.

Scotus. Bassolis.

7. Quòd si obiicias hoc totum reduci ad fidem Angelicam, quæ non meretur illuminationis nomen: nam si magister inter homines non faciat vt discipulus rem intelligat serédo iudicium de illa per propriam rationem, vel medium ipsi rei aliquo modo intrinsecum, sed solùm vt rem propositam credat propter Doctoris auctoritatem, non illuminabit illum, quia reuera non facit cognoscere veritatem, sed humano modo credere: ita ergo esset inter Angelos. Respondet Suarius rectè dici cognitionem illam illuminationem, quia fit euidens in attestante, cùm euidenter sciat Angelus illuminatus Angelum sibi loquentem esse beatum, nec mentiri posse, nec veritatem illam aliunde quàm à Deo recepisse, sufficit autem ad beatitudinem accidentalem & ad rationem illuminationis cognitio euidens in attestante.

8. Potest tamen vrgeri: nam ille conceptus illuminantis est interdum intuitiuus obiecti sui etiam futuri, quia scientia infusa nonnunquam intuetur obiectum suum etiam futurum: sed conceptus intuitiuus non potest videri in seipso, nisi videatur etiam obiectum: ergo Angelus illuminatus cognoscit veritatem de qua illuminatur quidditatiuè in se ipsa. Respondeo conceptus illuminantis sæpè non esse intuitiuos, sed per diuinam reuelationem cognoscere obiectum euidenter in attestante, & nunc eodé modo cognoscit illud illuminatus. Quando tamen Angelus beatus per scientiam infusam cognoscit futurum contingens in seipso, quod posse cognosci fatemur: Certè dum loquitur per talem actu ad alios, vel excitat in illis speciem obiecti propriam, ita vt etiam prout futurum possint illud percipere; quatenus species, quam habet infusam repræsentatiuam extremorum quoad possibilitatem posita cognitione conceptus illuminantis in illuminato iam possit ex coëxigentia respectus & termini quoad cognosci repræsentare quoque existentiam rei pro sua temporis differentia.

9. Vel dici potest, illuminatum tunc clarè percipere conceptum illuminãtis, & respectum, quem dicit ad obiectum materiale, respectum tamen quem dicit ad obiectum formale, non intueri clarè in seipso, subindeque neque connexionem obiectiuam extremorum immediatam: sicut enim in visione corporea, qua videmus venientem à longè, imò in visione beata sanctorum contingit videri clarè formalitatem vnam, & non aliam, ita vt videns venientem, vel etiam videns Deum possit euidenter iudicare circa formalitatem vnam, & non circa aliam; sic etiam Angelus illuminans poterit in conceptu illuminãtis vnum respectum videre clarè, iudicans talem actum circa tale obiectum materiale versari, & alium respectum ad motiuum non videre, dubitans quo moueatur illuminans ad sic iudicandum. Quare propter auctoritatem dicẽtis assentiet, & non propter ipsam existentiam futuri visam in se.

10. Dubitatur quartò. An vnicum Angelum, an etiam plures illuminet Deus immediatè. Nam si iuxta doctrinam Dionysij Deus illuminat Angelos inferiores per superiores, cùm non dentur duo Angeli eiusdem speciei, vnicus erit omnium supremus, quem immediatè Deus illuminet, & per hunc alium, & sic deinceps. Dicendum tamen est omnes Angelos primæ Hierarchiæ secundùm legem ordinariam immediatè quidem illuminari à Deo, vt docet S. Thomas 1. part. q. 112. art. 3. ex Dionysio 7. de cælesti hierarch. & Athanasio lib. de communi essentia. Ratio est, nam omnes Angeli illius hierarchiæ, quamuis diuersorum ordinum sint, dicuntur assistentes, quatenus habent immediatam habitudinem ad Deum, vt immediatè recipiant ab illo secreta mysteria. Nonnunquam tamen intra eandem primam hierarchiam Deum illuminare quosdam Angelos per alios docet idem S. Thomas 1. part. q. 112. art. 3. ad 4. & quæst. 113. art. 2. ad 2. Albertus super Dionysium c. 7. de cælesti hierarch. Carthusianus ibi art. 35. quia licèt omnes Angeli primæ hierarchiæ conueniant in assistẽtia, & illuminatione immediata, non tamen cum omnimoda æqualitate: ergo quãuis interdum omnes immediatè recipiant a Deo diuina secreta, non est necesse vt semper & in omnibus ita doceantur. Quod explicat S. Thomas exemplo morali: nam inter Principes, qui Regi assistunt, vnus plura negotia quàm alius audit à Rege, quamuis non omnia vni soleant immediatè communicari: sic etiam in Angelis talis ordo seruatur, vt inferiores mediis superioribus illuminentur, vt tradit S. Thomas suprà, & q. 106. art. 3. ex regula Dionysij cap. 3. de cælest. hierarc. quia Deus per superiora gubernat inferiora, quam legem in cælesti republica, quæ ordinatissima est, oportuit obseruari.

S. Thom. Dionys. Athanas. S. Thom. Albert. Carthus. S. Thom. Dionys.

11. Quamuis ergo Deus de multis rebus omnes assistentes illuminet, nihilominùs quando vult vnum ex illis per alium illuminare, semper vtitur superiori tanquam ministro ad illuminationem. Vnde supremus Seraphim à solo Deo, vel Christo Domino semper illuminatur secundùm legem ordinariam, quia non habet superiorem, quo mediante illuminetur; cæteros vero Seraphinos, Cherubinos, & Thronos nunc illuminat Deus immediatè hos, vel illos solum pro libito, nec opus est vt illuminatio quibusdam facta cunctis

vel

vel superioribus, vel inferioribus communicetur, sed solùm illis, quos Deus voluerit immediatè, vel mediatè illuminare.

12. Vnde fit, inter Angelos primæ hierarchiæ contingere posse, vt quidam etiam secundi, vel tertij ordinis recipiant immediatam illuminationem, quæ nec inferioribus, nec superioribus communicetur, nec esse per consequens necessarium, vt illuminatio perueniens ad Angelum secundæ hierarchiæ descendat per omnes species, imò nec per ordines primæ, sed contingere posse, vt Seraphim, v.g. immediatè illuminatus, illuminet immediatè Dominationem, vel Potestatem, vel Virtutem, vel etiam plures, & sic de ceteris. Addit tamen Suarius probabile sibi videri tertiam hierarchiam non illuminari nisi mediante saltem aliquo Angelo secundæ, nec secundam nisi mediante aliquo primæ, vt seruetur proportio, & regula Dionysij cap. 13. de cælesti hierarc. dicentis, Deum illuminare supremos Angelos immediatè, & per medios illuminare postremos; quod de tribus hierarchiis sufficienter, & facilè percipitur, nec oportet ad singulas species, vel ordines applicari, cùm nulla conueniens ratio id conuincat.

13. Fit etiam contingere posse, vt per illuminationem aliqua mysteria manifestentur Angelis, v.g. quæ nec Archangelis, nec Principatibus nota sint, quia possunt ad infimorum statum, vel ministerium pertinere, non sic ad munus ceterorum, & possunt Angelis infimis per aliquem Angelum secundæ hierarchiæ immediatè reuelari, ac eadem est ratio secundæ hierarchiæ respectu primæ: semper enim poterunt inferioribus aliqua per illuminationem innotescere, quæ sint superioribus ignota.

14. Hæc secundùm legem ordinariam prouidentiæ diuinæ dicta sunt; certum est tamen de potentia absoluta posse Deum illuminare immediatè Angelum inferiorem etiam infimæ hierarchiæ, vel ordinis. An autem aliquando id faciat Deus, incertum quidem est. S. Thomas negare videtur 1. part. quæst. 106. art. 3. quæst. 112. art. 2. & 3. quæst. 9. de veritate artic. 2. rationemque reddit, quoniam ordo conueniens spiritualibus substantiis nunquam à Deo prætermittitur, non enim solet Deus præscriptum ordinem causarum, vel prouidentiæ rerum naturis consentaneæ mutare, nisi propter homines, vt ad fidem confirmandam, vel ad ordinandos homines commodius in amorem vel cognitionem Dei. At verò ad hunc finem nihil conducit prætermissio ordinis Angelici; siquidem nos sicut operationes Angelorum non intuemur, sic nec valemus percipere talem ordinis mutationem.

15. Bernard. Contrarium interdum contingere supponit Bernardus sermone 1. in *Missus est*, dum ait mysterium Incarnationis, priusreuelatum fuit Gabrieli Archangelo, quando mittebatur ad Virginem, fuisse ceteris Angelis occultum vtique quoad illas particulares circumstantias, quæ soli Gabrieli manifestatæ sunt, vt ipsemet exponit, & confirmat epist. 77. ad Hugonem in fine: ergo sicut Deus immediatè misit Gabrielem ex sententia eiusdem Bernardi, sic etiam immediatè illum illuminauit. Quod si propterea dicas, Gabrielem fuisse supremum, vel ex supremo ordine, vel hierarchia, difficilius hoc est, magisque repugnat doctrinæ S. Thomæ dicentis Angelos assistentes nunquam mitti, nec in hoc dispensari.

Certum etiam videtur posse Deum de potentia absoluta illuminare superiorem per inferiorem, vt docent Scotus in 1. d. ft. 9. quæst. 2. Bassolis ibi quæst. 1. art. 1. fine, Richardus art. 2. quæst. 2. & 3. posset enim Deus vniuersaliores species supernaturales circa genus aliquod obiecti conferre Angelo inferiori, quàm superiori, subindeque inferior illuminatus immediatè à Deo posset se speciebus superioris Angeli accommodans illum illuminare. De facto verò sic contingere negant S. Thomas, & Thomistæ locis adductis num. 4. & Doctores communiter in 2. dist. 9. vbi Ægidius Rom. quæst. 1. art. 4. dub. 2. Maior quæst. 2. Gabriel quæst. 2. art. 4. Marsilius quæst. 2. artic. 4. Malonius dist. 10. Scotus, Richardus, & Bassolis suprà. Ratio est quia Deus lumen scientiæ per se infusæ, & species ipsi proportionatas infundit Angelis iuxta proportionem naturæ, gratiæ, & gloriæ, cumque superiores natura, sint etiam superiores gratia, & gloria, habent vtique superius lumē, & vniuersaliores species per se infusas, ideóque nequeunt propriè ab inferioribus illuminari: solùm enim animæ Christi concessum esse scimus, vt quamuis sit in naturali modo intelligendi inferior, ob excellentiam dignitatis illuminet omnes Angelos. 16. Scotus. Bassolis. Richard. Æg. d. Rom. Maior. Gabriel. Marsilius. Scotus.

Posset quidem inferior illuminatus de te quapiam ignota superioribus illam istis manifestare vt reuelatam à Deo, sed cùm talis manifestatio non fiat per diuisionem conceptuum, quæ necessaria non est respectu superiorum, sed per solam ordinationem actuum, non est propria illuminatio, sed locutio; imò nec ista continget secundùm communem prouidentiam: vel enim Deus reuelat aliquid inferioribus sub secreto, & tunc licèt isti nouerint quod superiores ignorant non possunt per illuminationem, nec per locutionem illud aperire. Vel reuelat Deus sine obligatione secreti imposita; & tunc verisimile fit, non fieri talem reuelationem immediatè cuipiam Angelo primæ hierarchiæ, quin fiat simul omnibus illi superioribus, per quos statim illuminētur inferiores ceteri eiusdem hierarchiæ, proportionaliterque in secunda, & in tertia hierarchia progrediendum erit, comparando inferiores ad superiores tam in diuersis hierarchiis, & ordinibus, quàm intra eundem, quia nihil est quod impediat, & hoc pertinet ad summam amicitiam, & communicationem bonorum Angelorum inter se. 17.

Quare nunquam datur occasio, in qua inferiores Angeli illuminent Angelos superiores, vel cum illis de mysterio superioribus ignoto loquantur. Quo sensu forsan loquuntur Theologi quando dicunt absolutè, nihil inferiorem Angelum scire, quod superior ignoret; intellige, nisi sub secreto sit inferiori commissum, non enim intendunt excludere secretum: Vnde quando id quod Deus occultè reuelauerat, vult aliis prodi, verisimile fit, id eodem ordine manifestari, scilicet inferioribus per superiores, & supremis immediatè ab ipso Deo, quia nulla necessitas tunc apparet ordinem præscriptum inuertendi. 18.

* * *

QVÆSTIO LVIII. S.Thomæ.

De modo cognitionis Angelorum.

ARTIC. I.

Vtrùm intellectus Angeli quandoque sit in potentia quandoque in actu.

PRIMA conclusio, Angelus nunquam est in potentia ad actum primum respectu eorum, quæ potest naturaliter intelligere. Patet, quoniam habet ab initio congenitas sibi species eorum, quæ naturaliter potest cognoscere; respectu tamen eorum, quæ diuinitùs ei reuelantur nihil prohibet esse in potentia ad actum primum, vt ad speciem huius, vel illius obiecti supernaturalis, quam Deus infundat, prout voluerit. Secunda conclusio. Potest Angelus esse in potentia ad actum secundum, qui est intellectio, quia non omnia, quorum habet species, semper actu considerat. Tertia conclusio ad visionem Verbi, & eorum, quæ videntur in Verbo, nunquam Angelus beatus est in potentia, quia visio beata simul tota inuariabilis perseuerat.

ARTIC. II.

Vtrùm Angelus possit multa intelligere.

CONclusio. Potest Angelus plura cognoscere per modum vnius, id est, quæ per vnam speciem repræsentantur, non tamen plura, vt plura, id est, per diuersas species, quia species expressæ correspondent impressis.

ARTIC. III.

Vtrùm Angelus cognoscat discurrendo.

COnclusio negat, nam in ipsis principiis, & causis illico cognoscunt eodem actu quidquid ex illis posset deduci.

ARTIC. IV.

Vtrùm Angeli intelligant componendo, & diuidendo.

COnclusio negat, quia statim in ipsa subiecti apprehensione cognoscit Angelus, quidquid potest tribui subiecto, vel remoueri ab ipso.

ARTIC. V.

Vtrùm in intellectu Angeli possit esse falsitas.

COnclusio per se non potest esse, id est, in cognitione propria, & quidditatiua, quia per hanc cognoscitur res sicuti est, in quo non potest falsitas contingere. Potest verò dari per accidens, id est, in cognitione illarum rerum, quas Angelus non cognoscit proprio, & quidditatiuo conceptu, sed per coniecturam.

ARTIC. VI.

Vtrùm in Angelis sit cognitio matutina, & vespertina.

COnclusio affirmat, quia secundùm Augustinum per cognitionem matutinam cognoscunt Angeli res in Verbo; per vespertinam verò cognoscunt illas in seipsis: Sicut autem manè est principium diei, & vespere terminus illius, sic Verbum est principium productionis, quæ terminatur ad creaturas in seipsis.

ARTIC. VIII.

Vtrùm vna cognitio sit matutina, & vespertina.

COnclusio. Cognitio vespertina, qua cognoscuntur creaturæ secundum proprias rationes formales in Verbo, est eadem visio beata, quæ respectu obiecti increati dicetur matutina, & respectu obiecti creati dicetur vespertina. Cæterùm vespertina cognitio creaturarum in seipsis per proprias illarum species distinguitur realiter à visione Verbi, quæ est matutina; quod videtur Augustinus intendere, cùm ponat vnam imperfectam respectu alterius.

DISPVT. XIV.

De modo cognitionis Angelicæ.

DE actu primo intelligendi, nimirùm de speciebus intentionalibus Angelorum diximus disp. 8. de habitibus dicemus infrà disput. 15. cap. 3. nunc de solo actu secundo intelligendi, qualis sit, disputandum est.

CAPVT I.

Vtrùm Angelus semper aliquid, vel omnia cognoscat.

PRima sententia sit, Angelum omnia quæ potest naturaliter cognoscere simpliciter actu & simul, & necessariò cogitare. Ita videtur sentire Durandus in 2. dist. 3. q. 8. dum asserit Angelum omnia obiecta cognoscibilia semper actu cognoscere; quippe nisi putaret necessarium esse tale exercitium, non posset affirmare, semper dari, siquidem non constaret, an liberè suspenderetur ab Angelo. Probatur primò, nam Angelus potest simul omnia cognoscere, quæ per omnes species, quas simul habet inditas, repræsentantur, vt docet Gregorius in 2. dist. 11. quæst. 1. secutus Aureolum ibi quæst. 3. art. 3. sed ad perfectionem Angeli pertinet semper in omnium cognitione perseuerare sine vicissitudine: ergo verisimilius est semper illa omnia actu percipere. Consequentia probatur, quia maior perfectio erit in hoc non pendere à voluntate, sed à natura esse determinatum ad huiusmodi actum secundum completum, siue sit vnicus, vt dicit Durandus, siue plures, vt sentit Gregorius, sicut ad Dei

1.
Durand.
Gregor. Aureolus

Dei perfectionem pertinet, vt necessariò semper actu cognoscat quæcunque potest cognoscere, quia simul cognoscere potest illa omnia.

2. Probatur secundò, quia species intelligibilis est agens necessarium: ergo posita in intellectu Angelico, vbi nullum datur impedimentum, determinat illum, vt necessario cognoscat; quare collectio specierum determinabit ad omnium rerum cognitionem simul habendam. Probatur tertiò, quia si cessaret Angelus ab alicuius obiecti cognitione, non posset iterùm voluntariè se applicare ad cognitionem illius: hæc autem est magna imperfectio: ergo dicendum est nunquam cessare. Minor, & consequentia patent, sequela probatur: nam Angelus non potest se ad aliquid applicare nisi per voluntatem; per hanc autem non posset se applicare ad cogitandum de Roma, v.g. postquam ab eius consideratione cessauit, quia nihil volitum quin præcognitū, quare dum non cognoscit Romam nihil potest Angelus velle circa illam: ergo nec potest velle cōsiderare Romam, ac subinde nec ad talem considerationē poterit se directè, siue per semet applicare.

3. Probatur quartò, quia licèt voluntas Angeli potestatem haberet cessandi ab alicuius obiecti cognitione, non potest tamen habere rationabilem causam cessandi ab hac actuali consideratione tetnm omnium adæquata ipsius intellectus, siquidem in se non lassatur, nec cessare cogitur ab vno actu, vt alium eliciat: ergo non est cur Angelus non semper omnia obiecta sibi connaturaliter proportionata simul consideret, nec cur priuet seipsum illa vltima perfectione.

4. Secunda sententia docet, Angelum semper & necessariò seipsum intelligere. Insinuat S.Thomas quæst.8.de veritate art.6. ad 7. quatenùs dicit intellectum Angeli non esse in potentia respectu potentiæ suæ, sed semper esse in actu: at respectu aliorum intelligibilium esse posse in potentia, art. autem 14. ad 6. expressè dicit, quòd *mens Angeli semper se actualiter intelligit*. & in 2. dist.11.pun.2.quæst.1.art.3.ad 4. asserit Angelum semper esse in consideratione sui ipsius. Sequuntur Capreolus in 2.dist.3. quæst.2. artic.3. ad 2. Aureoli contra nonam conclusionem, Caietanus 1.part. quæst.58. artic.2. Ferrara 2. contra Gent.cap.97. Heruæus in 2.dist.3. quæst.4.ad 1. Ægidius Rom. ibi part.2. distinctionis quæst.2. art.1.dub.1. ad 2. vbi dicit, posse Angelum intensiùs & remissiùs se cognoscere, nunquam tamen à sui cognitione cessare. Sequitur etiam Suarius lib.2. de Angelis cap.3.& Moderniores communiter.

S.Thomas. Capreolus. Caietan. Ferrara. Suarius.

5. Probatur primò, nam Angelus intelligit se per suam essentiam quam semper habet præsentem, & semper informatur eadem in esse intelligibili: ergo semper seipsum intelligit. Probatur secundò, quoniam illa cognitio est perfectio Angeli, & non impedit alias: ergo non est cur Angelus ab illa velit cessare: ergo nunquam cessat. Probatur tertiò, nam alioquin Angelus cessare posset ab omni actu secundo vitali; quippe si cessare potest à cognitione sui, cur non etiam à qualibet alia? Consequens autem videtur absurdum: nam omne viuens habet aliquam operationem vitæ naturalem, & necessariam, à qua nunquam cessat: ergo viuens etiam intellectuale, cùm sit perfectius, habere debet aliquam operationem vitæ necessariam à qua nunquam cesset: ergo maximè cognitionem sui.

Probatur quartò, Suarius, quia si cessaret Angelus à cognitione sui, postea non posset liberè se ad aliquid cogitandum applicare. Consequens 6. est absurdum: ergo & antecedens. Sequela probatur, quia vel Angelus cessando à sui cognitione cessat simul ab omni alia, vel non: Si dicatur primum, consequenter cessabit ab omni volitione, quia nihil volitum, quin præcognitum, ac subinde non poterit postea incipere per voluntatem operari, sed excitari debet per actum intellectus necessarium. Si verò dicatur secundum, redit idem argumentum quoad alia omnia, quæ actu nun considerat: nam quomodo voluntariè ad illa omnia, vel ad hoc, aut illud considerandum se applicabit, cùm non habeat actum intellectus, in quo talem voluntatem fundare possit: ergo saltem ad hunc finem necessarium est, vt Angelus in sui consideratione semper immobilis perseueret, vt illa sui cognitio possit aliarum esse fundamentum quoad liberum illarum exercitium.

Addunt aliqui, (& sit tertia sententia) cum substantia sua simul Angelum cognoscere omnia, 7. quæ ad se pertinent. Sic insinuat S.Thomas in 2. S. Thom. dist.11.punct.2.quæst.1.art.3. ad 4. indeque deducit Angelum per suam substantiam cognoscere locutionem alterius. Idem tradit Ferrara 2. Ferrara. contra Gent. cap.101. circa finem ad quoddam dubium 2.& inde colligit, Angelum mouentem cælum per suam substantiam illud, eiusque motum cognoscere, semperque de illo cogitare. Suarius Suarez. verò lib.2. de Angelis cap.35. num.2 *&*. censet Angelum cum sua substantia simul necessariò videre species, quas in se habet, & in illis confusè saltem, & imperfectè cognoscere quarum rerum sint, quod sufficit, vt stante hac cognitione necessaria velit Angelus liberè hac, vel illa specie intentionali vti, & consequenter de hac, vel illa re distinctè cogitare.

Quarta sententia sit, Angelum non necessitari 8. ad aliquem actum extra sui cognitionem, vel ad vtendum aliqua specie indita, siue determinatè, siue confusè, quoniam est simpliciter liber, & nulla est causa necessitans, siue ad vnum singularem actum, siue ad hunc, vel illum, aut alium indefinitè, seu confusè; nec talis necessitas ratione quapiam cogente conuincitur. Ita censent nonnulli, possentque vti argumentis, quibus Gregorius in 2.distinct.11.quæst.1.art.2. probat, Gregorius. quod licèt Angelus possit simul omnia cognoscere, non tamen necessariò considerat semper omnia, sed potest pro libito suspendere, quos voluerit actus, quamuis ad alios intellectum non applicet: nam eadem ratio est de quolibet actu.

Quinta sententia docet Angelum præter seipsum 9. necessariò quoque cognoscere Deum. Ita Ferrara 2. contra Gent. cap.97. & 101. Caietanus Ferrara. Caietan. in hac quæst.58. articulo 2. quos aliqui Moderni sequuntur. Probatur, quia cognitio Dei est quasi vltima beatitudo naturalis Angeli, & illam habere potest Angelus simul cum cognitione sui, vel alterius obiecti, quantum conueniens, & sufficiens fuerit Angelo: ergo non cessat vnquam à tali cognitione: vel enim cessaret sua voluntate, vel propter extrinsecum impedimentum; hoc posterius non potest probabiliter excogitari, & illud prius non est verisimile: cur enim Angelus volet se sua naturali beatitudine priuare? Imò licèt actualis Dei cognitio non esset beatitudo naturalis, saltem est magna Angelorum perfectio, nec vtilitas vlla potest

potest Angelo ex eius carentia prouenire: ergo intellectus Angeli quoad talem cognitionem non subest imperio voluntatis, siquidem talis subiectio non est conueniens, nec consentanea perfectioni naturæ Angelicæ.

10. Vasquez. Vasquius 1.part.disp.219.cap.3.sentit, si semel admittatur, Angelum in sui consideratione necessariò versari, rectè deduci Deum etiam ab Angelo necessariò cognosci: cùm enim entitas Angeli dicat intrinsecam habitudinem ad Deum, vt ad sui creatorem, nec talis habitudo distinguatur realiter ab ipsamet Angeli substantia, non potest ista cognosci per notitiam intuitiuam, quin simul cognoscatur habitudo: ergo si Angelus necessariò cognoscit seipsum non solùm intuitiuè, sed etiam comprehensiuè, necessariò quidem cognoscet habitudinem illam, & consequenter Deum, qui est terminus illius.

11. Sexta sententia sit eorum, qui negant Angelum necessariò cognoscere vel seipsum, vel Deum, vel obiectum quodlibet aliud. Probatur primò, quia nihil est quod necessariò moueat Angelum ad cognoscendum hoc, vel illud obiectum determinatè; imò cùm sit ab intrinseco liber, & per consequens Dominus suarum operationum ad perfectionem naturæ purè intellectualis pertinere videtur; vt cessare possit à qualibet operatione sua, vel etiam ab omnibus collectiuè, siquidem perfectio talis naturæ postulat, vt omnis operatio vitalis sit illi voluntaria liberè.

12. Probatur secundò, quia speciebus intentionalibus, sicut habitibus vtimur, cùm volumus: ergo licèt Angelus habeat obiectorum sibi proportionatorum species inditas, vel suammet substantiam loco speciei concurrentem, poterit tamen vti talibus speciebus ad libitum, & licèt cesset à cognitione Dei, vel etiam sui, poterit sic attendere ad cõsiderationem aliorum, vt quamuis cessare possit à quouis actu designato, confusè tamen, seu collectiuè, non possit ab omni actu cessare.

13. Dico primò, non omnes Angelos posse cognoscere simul omnia, quæ sigillatim, seu successiuè considerare possunt, etiam ex rebus naturalibus. Ita S. Thomas in hac quæst.58. art. 1. Caietanus ibi Molina artic.2. disput. 2. Vasquez disp. 221. cap.3. Suarius lib.2. de Angelis cap.34. num.6. ceterique Moderni. Præterea Capreolus in 2. dist.3. quæst.2. art.1. conclus.9. Ferrara 2. contra Gent. cap. 101. Maior in 2. dist.3. quæst. 8. vbi Bonauentura, Richardus, Ægidius Rom. Scotus, & alij. Ratio potissima sumitur ex limitatione virtutis intellectricis Angelicæ, quæ cùm finita sit, debet habere terminum quoad multitudinem, vel numerum, siue actuum, quos simul potest elicere, siue obiectorum, quæ simul possit cognoscere.

S.Thom. Molina. Vasquez. Suarez. Capreolus. Ferrara. Maior. Bonauent. Richard. Ægid.Rom. Scotus.

14. Declaratur, quia maior virtus intelligendi requiritur ad multa simul consideranda, quàm ad vnum tantùm ex illis contemplandum ceteris paribus quoad perfectionem, aliasque circumstantias ex parte obiecti necessarias: nam ad perfectiorem & difficiliorem effectum maior, & perfectior causa requiritur: at cognoscere simul multa sine dubio perfectius & difficilius est quàm vnum illorum tantum: ergo proportionaliter maior virtus intelligendi requiritur ad cognoscendum plura simul, quàm pauciora ceteris etiam paribus: ergo virtus intellectiua sufficiens ad contemplanda simul omnia obiecta naturalia debet esse maxima respectu illius intellectus, qui paucas res vniuersi, vel vnam tantùm possit actu considerare. Quare non fit verisimile omnes Angelos habere maximam istam virtutem intelligendi, quæ tot obiectis simul possit attendere. Quod ampliùs constabit solutione argumentorum primæ sententiæ.

Circa primum occurrit illa sententia Gregorij docentis, Angelum posse simul cognoscere omnia obiecta naturaliter cognoscibilia, quamuis nec necessariò, nec semper sit in omnium actuali consideratione. Probatur primò ex Augustino lib.4. de Genesi ad litteram cap.29. & sequentibus. Vbi ait Angelos primùm posse contemplari creatoris æternitatem, & creaturæ mutabilitatem, & hac cognitione laudare creatorem; ac subdit. *Hoc totum possunt, simul hoc totum faciunt.* Quod magis explicans cap.32. ait. *Secundùm potentiam spiritualem mentis Angelica cuncta, quæ voluerit, simul notitia facillima comprehendit*, & cap.33. addit. *Omnia mens simul Angelica potest, quæ sigillatim per ordinem connexarum causarum sermo distinguit.* 15. August.

Probat secundò Gregorius ratione, quia tot actus intelligendi potest Angelus simul elicere, quot habet species intelligibiles: ergo potest omnia, quorum habet species simul intelligere. Consequentia patet: antecedens probatur: nam intellectus duobus modis concurrit ad actum, scilicet agendo, & recipiendo; sed vt recipiens æquè potest recipere plures actus, ac pauciores; aut vnicum, quia non habent inter se repugnantiam, & in potentia est capacitas, vt ipse latiùs probat in 1. dist.1. quæst.1. art.3. Item vt principium actiuum idem potest: nam intellectus Angeli tantùm efficit intellectionem cum specie, vt causa partialis: ergo quot habet species, tot actus intelligendi potest efficere simul; ac subinde poterit multis actibus simul omnia considerare. Probat consequentiam: nam omne agens partiale cum alio & alio partiali comprincipio coadiuuante potest æquè plures operationes cum pluribus comprincipiis efficere, sicut pauciores, cum paucioribus, vel vnam cum vnico comprincipio, nisi agendo debilitetur, aut ab alio principio pendeat, quod causet debilitationem in intelligendo, vt contingit in nobis, qui dependemus à phantasmatibus, & organis corporeis: sed intellectus Angelicus nec in se debilitatur, nec pendet ab aliquo, quod ingerat lassitudinem: ergo potest etiam actiuè quoslibet actus simul elicere. Maiorem probat Gregorius exemplo luminosi, quod partialiter efficit speciem intentionalem cum obiectis visus, in qua productione non debilitatur, ideóque potest tot species producere, quot obiecta concurrent, quamuis in infinitum multiplicentur. 16.

Ceterùm hæc etiam sententia Gregorij refellitur ex dictis, & prætereà impugnatur: nam species infusæ dantur Angelis proportionatæ singulorum virtuti: ergo si virtus intellectiua cuiuslibet Angeli foret tam efficax & vniuersalis, vt simul posset omnia obiecta naturaliter à se cognoscibilia contemplari distinctè ac perfectè, profectò daretur etiam cuilibet vna species, per quam omnia illa cognosceret. Probatur consequentia, quia supponimus ex suprà dictis disp.8. cap.4. talem speciem esse possibilem, & ex parte intellectus Angelici, quatenùs receptiui specierum erit maxima proportio ad talem speciem, si prout actiuus, esset proportionatus ad intelligẽda simul 17.

simul omnia, quæ per talem speciem repræsentantur: ergo supposita tali capacitate intellectus profectò talis species esset illi proportionata, & connaturalis: ergo à contrario cùm constet non omnes Angelos tales species habere, magnum argumentum est vnicuique dari speciem proportionatam virtuti, quam habet ad tot vel tot obiecta complectéda, nec posse singulos omnia obiecta sibi proportionata simul capere. An autem detur aliquis Angelus supremus, qui per vnicam speciem omnia intelligat, dubium est. Videantur quæ diximus ea disp.8.cap.4.num.35.

18. Ad testimonia Augustini, quæ Gregorius Ariminensis affert, respondet Capreolus non esse mentem Augustini, quòd Angelus per cognitionem vespertinam omnia cognouerit in momento nostri temporis, sed breuissimè ac summa velocitate: hoc enim ad eius intentum sufficiebat. Addit Suarius si forsan Augustinus in hoc excedit, plus tribuendo Angelis, quàm oporteat, vt illam suam sententiam de sex diebus in Angelicis mentibus exponat, sicut tali sententiæ non assentimur, sic nec reliqua credere necessarium esse, præsertim cùm idem Augustinus aliis locis fateatur Angelos non omnia simul cognoscere, sed secundùm varias cogitationes per tempora moueri, vt docet lib.8.de Genesi ad litteram cap.20. & 21. & lib.9.cap.14.

19. Ad secundam probationem Gregorij, negatur antecedens, ad cuius probationem dicimus quidquid sit de potentia receptiua, certè potentiam actiuam etiam partialem, cùm limitata sit,& finita, habere quoque terminum sibi connaturaliter præfixum quoad numerum effectuum simul producendorum: eadem enim est huius ratio proportionaliter, & causæ totalis, cùm etiam causa partialis concurrat per virtutem sibimet intrinsecam,& finitam ad productionem effectus. Exemplum sit hominis, qui habeat vires ad portandum pondus vt decem: nam si iuuet alius ad portandum pondus vt viginti, non poterit iuuare simul alium, etiamsi partialiter solùm cum primo concurrat. Nec valet exemplum quod affert Gregorius: nam lumen non est principium partiale speciei visibilis, sed obiectum ipsius est totale principium propriæ speciei, quando verò multiplicantur tales rationes agendi, quid mirùm multiplicari effectus.

20. Hinc ad secundum primæ sententiæ respondetur species de se non agere necessariò, nec liberè, sed in agendo subordinari potentiæ, cui insunt, sicut alij habitus, ideóque tunc agunt, quando intellectus illis vtitur; intellectus autem est natura sua subordinatus voluntati quoad exercitium actus, ac subinde specierum etiam actiuitas pendet à voluntate. Ad tertium respondetur, vt dicemus infrà num. 27. sufficere connexionem vnius obiecti cum aliis, saltem confusè cognitam, vt voluntas excitet speciem saltem illius obiecti, quod vult explicitè considerare, vel Deus etiam per seipsum in prima cogitatione excitabit speciem, quam voluerit, vnde series cogitationum deriuetur. Ad quartum dicimus, rationabilem causam cessandi fore desistere ab vnius cognitione ad cognoscendum aliud obiectum, cùm non possit Angelus omnia simul percipere.

21. Dico secundò, non potest Angelus se omni cognitione priuare, vel omnem intellectionem
S.Thom. suspendere. Ita S.Thomas 2.contra Gent.cap.97. vbi quatuor affert rationes. Potissima est, quoniam esse semper in actu 2. est perfectio simpliciter simplex, quam habet Deus per essentiam, & participant suo modo corpora cælestia, & alia inferiora viuentia, quantum capacia sunt: ergo verisimile fit creaturas purè intellectuales naturâ suâ postulare perfectionem istam, & quoad carentiam talis perfectionis non subdi suæ voluntati, vel libertati. Confirmatur, nam intellectus Angelicus postquam semel fuit applicatus per voluntatem ad intelligendum, non indiget actuali voluntatis applicatione ad perseuerandum in illa cognitione, sed sufficit vt contraria volitio non adsit: agunt enim intellectus & species, vt causæ necessariæ, nec possunt per se suspendere suum actum, nec cessabunt, nisi reuocentur à voluntate: Sed voluntas non potest velle suspendere omnem intellectionem, cùm ipsamet volitio efficax talis suspensionis necessariò supponat cognitionem: ergo talis suspensio non potest esse Angelo voluntaria, & consequenter nec dari potest in Angelo. Dices posse Angelum efficaciter velle cessare ab omni actu immediatè post hunc, & ita etiam ab illa volitione cessare. Sed contrà, quia quod nó operatur efficax volitio, dum adest, non poterit operari postquam cessauit, quia quod non existit, iam non mouet nec impedit, maximè cùm virtutem non relinquat; vnde fit nec homines posse per huiusmodi directam volitionem ab omni intellectione cessare; sed si nonnunquam omninò cessant, id accidit, quia phantasia nec à sensibus externis, nec ab internis imaginibus excitatur, nec disposita est ad cooperandum intellectui.

Dico tertiò, Angelus semper est in actu adæquato suæ virtuti intellectrici, ita vt semper moueatur ab actu ad actum, & non à priuatione ad actum, nec ab actu ad priuationem. Sic significat vbique S. Thomas: nam 1. part. quæst.50. art.1.ad 1. exponendo Damascenum lib.2.cap.3. dicentem, Angelum esse in perpetuo motu, ait, *Angelus dicitur substantia semper mobilis, quia semper est actu intelligens, & non quandoque actu, quandoque in potentia, sicut nos.* Et quæst.56.art.1. ad 3. inquit, *intellectum Angeli non esse in potentia, maximè quantum ad hoc quod intelligit seipsum,* & lib.2.contra Gent.cap.97.absolutè docet substantiam separatam semper actu intelligere,& cap.101.declarat, etiam per species semper actu intelligere, vtendo vna, quam vult, non omnibus simul; *& ideò esse in eo quandam intelligentiarum successionem, in qua non succedit actus potentia, sed actus actui.* Et in 2.dist.3. quæst.1. art.4.ad 4. in fine ait, intellectum Angeli semper in actu esse: nam incessanter ad aliquid considerandum lucet, quamuis non semper eadem specie vtatur, vt vnam in actu intelligat. 22.

Ratione probatur, quia semper esse in actu intelligendi completo per se pertinet ad perfectionem, & Angelus id potest facere sine fatigatione vel impedimento: ergo valde conueniens est Angelorum perfectioni nunquam ab actu adæquato cognitionis desistere. Posse quippe transire de vno actu in alium supposita limitatione, ac impotentia cognoscendi simul omnia, necessarium fuit tali naturæ ad perfectionem suam, desistere tamen ab omni vsu specierum, vel ab adæquata cognitione nullam vtilitatem affert tali naturæ: ergo valdè verosimile est, vel intellectum Angelicum natura sua non esse subordinatum voluntati quoad puram suspensionem actus adæquati, 23.
sed

sed in tantum cogi posse ad relinquendum vnum actum, in quantum applicatur ad alium, quem simul cum priori habere non possit; vel voluntatem ipsam esse natura sua determinatam ad intellectum tali modo, & non alio mouendum, ita vt semper sit in aliquo actu sibi adæquato, licèt liberè possit hunc vel illum elicere, & ab vno ad alium se transferre.

24. Dico quartò, verosimile quidem est Angelum semper cognoscere seipsum. In hoc assentimur secundæ sententiæ, cuius fundamentis hoc saltem suadetur; & præterea quia probabile sit, dum Angelus intelligit aliquod obiectum per eundem realiter actum cognoscere reflexè suam cognitionem, cùm autem cognitio dicat ordinem ad cognoscentem illam, cognoscens Angelus suam cognitionem, cognoscet simul seipsum. Deinde cùm vult Angelus aliquid operari ad intrà, vel ad extrà, debet præcognoscere talem operationem; hæc autem dicit ordinem ad operantem: ergo cognoscet simul seipsum. Quare cùm Angelus semper sit in actu cognoscendi adæquato iuxta proximè dicta num. 22. nunquam moraliter continget in toto obiecto cognitionis adæquatæ nihil esse pertinens ad ipsum Angelum, quod sub tali ordine cognoscatur. Ideoque secunda sententia moraliter accepta, & secundùm communem rerum cursum videtur mihi vera, pluresque Doctores in isto sensu forsan loquuntur.

25. At verò metaphysicè loquendo non video rationem vrgentem, quæ conuincat necessitari prorsus Angelum ad sui cognitionem. Sic censent Molina 1. part. quæst. 56. art. 1. disput. 2. & Vasquius ibi disput. 219. cap. 3. Probatur fundamentis sextæ sententiæ, & solutione argumentorum secundæ. In primisque loca S. Thomæ relata satis intelliguntur de facto, vel ad summum de necessitate morali, non autem inducunt necessitatem simpliciter; præterea 1. p. quæst. 56. art. 1. ad 3. indicat intellectum Angelicum non esse in potentia ad cognitionem sui, non tamen dicit ad hoc necessitari; lib. 2. contra Gent. cap. 97. docet Angelum semper & ex necessitate actu intelligere, non tamen dicit, semper intelligere se, vel idem semper obiectum, aut per eundem actum, & quamuis dicat, *Angeli operationem esse continuam*, non loquitur de continuatione propria, qualis est quantitatis, sed vt opponitur cessationi ab operando; quare sufficit continuitas in continuo transitu ab vno actu ad alium sine interruptione per suspensionem omnis intellectionis. Demum in istà quæst. 58. art. 1. docet indefinitè posse Angelum quoad actum secundum esse in potentia quoad obiecta naturalia; ceterùm addit ad 3. *Nec intellectus Angeli sic est in potentia, quòd sit absque actu*, & quæst. 56. art. 1. ad 3. dicit intellectum Angeli non esse in potentia, *maximè quantum ad hoc quod intelligit seipsum*, significans planè, semper esse in actu cognoscendi adæquato, licèt modò circa hæc, modò circa illa obiecta, circa se tamen semper conseruare cognitionem.

26. Ad primum argumentum primæ sententiæ respondetur, licèt Angelus cognoscat se per suam essentiam, hanc tamen non esse cognitionem, sed habere se per modum speciei; quare sicut Angelus cessare potest ab vsu aliarum specierum, quas habet inditas, sic etiam ab vsu suæmet essentiæ per modum speciei simpliciter poterit cessare. Ad secundum negatur secunda pars antecedentis, quia non potest Angelus dum seipsum considerat, tot alias res considerare, quot posset, si à sui cognitione cessaret, quare per sui cognitionem impeditur nonnihil ab aliorum obiectorum simultanea cognitione. Ad tertium respondetur Angelum esse debere semper in actuali, imò etiam adæquata cognitione, quamuis cessare possit a cognitione sui: Sic enim potest à quouis actu designato cessare, vt confusè, seu collectiuè non possit ab omni actu, vel etiam adæquato feriari.

Ad quartum dicimus, Angelum posse cessare à sui cognitione, ita tamen vt non suspendat intellectionem adæquatam; nec inde sequitur, quòd posteà non possit applicare suam mentem ad considerandum seipsum, vel obiecta illa, quorum intellectionem intermisit: sufficit enim connexio vnius obiecti cum aliis saltem confusè cognita, vt voluntas applicet intellectum ad considerandam distinctiùs talem connexionem, & terminos illius, v. g. cognoscendo Angelus quodlibet obiectum, sufficienter excitatur ad cognoscendam, saltem confusè, denominationem cogniti prouenientem ex tali actu, & formam, seu cognitionem sic denominantem; cognita verò reflexè suâmet intellectione facilè deducitur ad cognitionem suiipsius, & sic de aliis obiectis. Rursus excitatur Angelus per locutionem alterius ad cogitandum de re sibi dicta. Excitatur etiam posita existentia contingentis effectus ad cognoscendum illum iuxta dicta disp. 10. 27.

Denique licèt Angelus cognoscens suam cognitionem, vel operationem vt suam cognoscat simul seipsum, vt terminum habitudinis illius, & hoc contingat frequentiùs, imò semper secundùm communem, & moralem modum operandi, tamen simpliciter, & metaphysicè loquendo posset Angelus suam cognitionem reflexè non cognoscere limitans intellectionem suam ad solum obiectum directum; posset etiam operationem suam cognoscere non comprehensiuè, ac subinde non attendendo ad respectum illum, quem dicit ad operantem: Cur enim cogatur Angelus in singulis obiectis omnes formalitates distinctè considerare, si velit ad vnam attendere, & non ad alias. 28.

Circa cognitionem Dei Suarius sub distinctione respondet lib. 2. de Angelis cap. 36. dicens, indirectam cognitionem Dei, qua scilicet cognoscitur Deus, vt terminus relationis, & dependentiæ creaturarum ab ipso, esse quidem necessariam, quia siue cognoscat seipsum Angelus, siue creaturam aliam, semper cognoscit obiectum creatum pendere à creatore, subindeque debet cognoscere Deum, vt terminum talis habitudinis; quod ego credo moraliter esse verum: at absolutè loquendo forsan posset Angelus se vel aliam creaturam cognoscere non considerando distinctè, nec explicitè habitudinem illam ad creatorem, sicut nos sæpè videmus, & intelligimus creaturas quin attendamus ad ordinem seu dependentiam illarum à Deo; posse autem etiam intuitiua cognitione videri vnam rationem formalem, & non aliam formaliter, & distinctè satis ostendimus suprà lib. 1. disp. 23. 29. Suarius.

Cognitionem verò directam Dei, de qua dixi suprà disp. 9. cap. 5. vocant illam conceptum Dei absolutum, fatetur Suarius, & rectè non esse necessariam in Angelis, sed liberam, quia talis actus cognitionis Dei requirit peculiarem, & magnam attentionem, & applicationem virtutis intelligendi, 30.

gendi, quæ non habet causam necessariam in Angelis, & potest impediri per attentionem ad res alias creatas considerandas; sicut è contrario talis Dei cognitio impedit ne possit Angelus res alias tam plenè ac liberè considerare. Imo de facto Dæmones, cùm habeant deprauatam voluntatem, nec ament talem cognitionem propter honestatem illius, nec propter beatitudinem naturalem, qua priuati sunt, videntur ab illa prorsus abstinere.

31. Argumenta primæ, & secundæ sententiæ iam soluta sunt. Tertia sententia nec firma est, nec fundamentum habet, quod dissoluamus, nec reputo necessariũ quòd Angelus semper cognoscat omnes suas species intẽtionales, nec poterit illas perfectè cognoscere, nisi cognoscat omnia simul obiecta, quorum species sunt, & ad quæ dicunt ordinem intrinsecum, vt semina intentionalia illorum, sed omnia simul obiecta naturalia non potest Angelus cognoscere: ergo nec omnes simul species, quas habet infusas.

32. Quarta sententia metaphysicè loquendo vera est; moraliter tamen communis modus operandi, & inclinatio naturalis Angelorum ad amorẽ sui, & Dei, quiquidẽ amor præsupponit cognitionem sui, & Dei, rapit Angelos ad talem cognitionem. Rationes verò Gregorij ex libertate Angelorum petitæ nihil vrgent cõtra nos, quia moralis necessitas non impedit libertatem absolutam. Quinta sententia de necessitate morali vera est, nec amplius probat eius fundamentum, quia beatitudo naturalis non est ab intrinseco perpetua, vel inuariabilis, nec Dæmones illa potiuntur; Angeli verò beati supernaturali beatitudine satiantur plenè, nec valdè indigent naturali. Falsum etiam quod assumitur, scilicet cognitionẽ Dei non impedire in Angelo considerationem alterius obiecti: nam plura obiecta creata cognoscet Angelus, non cognito Deo, quàm si Deum simul cognoscat, quod posset esse motiuum cessandi a tali cognitione Dei etiam indirecta. Sexta sententia moraliter est vera, non autem metaphysicè loquendo, sicut de quarta dictum est.

CAPVT II.

Vtrùm Angelus possit simul plura cognoscere.

1. SVppono 1. posse Angelum plura etiã vt sic cognoscere per species, & actus diuersorũ ordinum, v.g. beati cognoscũt per visionem beatificam, & per scientiam infusam pleraque obiecta diuersa prorsus ab obiectis naturalibus, quæ naturali simul cognitione percipiũt. Ita S. Th. quodl. 9. q. 4. a. 7. Caiet. in hac q. 58. a. 2. & alij Thomistæ.

S. Thom. Caietan.

2. Suppono 2. posse Angelũ per suam substantiam cognoscere seipsum, & simul per inditas species alia obiecta. Sic supponunt S. Thomas, & omnes, patétque, nam cùm Angelus semper cognoscat seipsum, vt dictum est cap. 1. si non posset simul alia cognoscere, nunquam alia obiecta præter semetipsum consideraret, quod non est admittendum: certum est enim Angelũ simul cognoscere semet per suam substantiam, & alium Angelum, v.g. per speciem illius, cùm virtus Angeli cognoscitiua nõ exhauriatur sola cognitione sui, sed præterea possit vti specieb. infusis; quod est profecto cõsentaneum, imò necessariũ ad perfectionẽ talis naturæ.

3. Restat igitur difficultas de iis, quæ Angelus per species innatas considerat, an possit simul plura cognoscere. S. Thomas in hac q. 58. art. 1. & de anima quæst. 58. art. 4. & lib. 1. contra Gent. c. 55. & lib. 2. cap. 101. & de verit. quæst. 8. art. 14. docet Angelum non posse cognoscere plura vt plura, sed solùm vnum vel plura per modum vnius. Sequuntur Capreolus in 2. dist. 3. quæst. 2. conclus. 9. & ad argumenta contra illam, Ægidius Rom. ibi p. 2. q. 2. art. 3. Ferrara, Caietanus, & alij Thomistæ; imò Scotus in 2. dist. 3. q. 9. § *Dico igitur*, quem sequitur Herrera in 2. dist. 2. q. 4.

S. Thomas. Capreolus. Ægid. Rom. Ferrara. Caietan. Scotus. Herrera.

Probatur primò ex Aristotele 2. Topic. cap. 4. vbi in hoc distinguit scire & cogitare, quia *contingit* (ait) *plura scire, cogitare autem non*, id est, non contingit cogitare plura; quare communiter refertur, quod dixerit, *cogitare non nisi vnum*. Item allegatur 4. Metaphys. cap. 4. text. 10. in fine dicens, Nihil contingit intelligere, nisi intelligenti vnum, quibus verbis significare videtur, omnem intelligentem semper intelligere vnum, vel saltem per modum vnius. 4.

Aristot.

Probatur secundò, quia non potest idem corpus pluribus figuris simul affici, nec pluribus motibus localibus moueri, nec pluribus coloribus specie diuersis informari: ergo nec pluribus intellectionibus simul intelligere. Conseq. probatur: nam ex illis exemplis fit inductio, quòd duæ formæ eiusdem generis non possunt simul eandem potentiam informare; sed actus intelligendi sunt formæ eiusdem generis: ergo non possunt informare simul eundem intellectũ, & per consequens nec cognoscere plura, vt plura. Confirmatur, quoniã idem motus non potest tendere simul ad duos terminos: ergo nec idem intellectus ad duo obiecta omninò distincta: sunt enim quasi termini, ad quos tendit intellectus per intellectiones. 5.

Per oppositum Maior in 2. dist. 3. q. 5. Sotus lib. 1. Poster. q. 1. ad 4. Molina 1. p. q. 58. art. 2. d. 1. Vasquius 1. p. disp. 220. Valentia com. 1. disp. 4. quæst. 9. punct. 3. dicunt Angelum posse cognoscere plura etiam vt plura. Probatur primò, nam inferiores etiam Angeli possunt simul cognoscere differentiam rerum, quæ repræsentantur per diuersas species: possunt enim iudicare hominem non esse lapidem, nec qualitatem, Angelum non esse corpus, nec quantitatem: sed hæc extrema non repræsentantur illis per eandem speciem, nec consequenter per eundem actum: ergo cognoscunt illa per distinctas species, & actus, & subinde cognoscunt Angeli plura, vt plura. 6.

Maior. Sotus. Molina. Vasquez. Valentia.

Probatur 2. visus, vt experientia testatur simul percipit album, & nigrum, vt hos characteres nigros, & hanc papyrum albam, quorum non potest esse eadem species visiua, vel eadem visio; similitérque sensus communis simul percipit obiecta diuersa diuersis equidem actibus: ergo intellectus etiã poterit cognoscere plura, vt plura; nec apparet vlla repugnãtia in hoc quòd intellectus Angelicus eliciat simul diuersas intellectiones circa diuersa obiecta, & per cõsequẽs circa plura vt plura. 7.

Dico primò, Angelus potest cognoscere simul omnia, quæ per vnam speciem repræsentantur. In hoc videntur conuenire S. Thomas & omnes illi Doctores, qui species vniuersales admittunt: nam ideò dantur in Angelis species magis, vel minùs vniuersales, quia dantur proportionatæ lumini, eiúsque efficacitati, quam in vsu libero suarum specierũ habere quilibet potest: ergo potest Angelus vti vna specie secundùm totam suã vniuersalitatem, & actiuitatem adæquatè, & plenè: ergo potest cognoscere omnia, & singula, quæ per illã repræsentantur. Confirmatur, quia non magis 8.

repugnat repræsentari plura per vnam speciem expressam, quàm per impressam: ergo si datur vniuersalitas in specie impressa, danda similiter est in intellectione, siquidem ex parte intellectus Angelici non potest esse defectus virtutis ad attendendum, cùm species intentionalis indita sit iuxta mensuram luminis; alioqui superflua videtur species vniuersalis impressa, si expressa ei nequeat illi correspondere.

9. Vasquez. Hoc limitat Vasquius 1.p.d.221.c.3.n.14. ad obiecta solùm specie diuersa: nam indiuidua cùm sint infinita, vel innumera, putat non posse simul ab Angelo cognosci, licèt per eandem speciē repræsententur. Sed in primis limitatio non est necessaria, quando per vnicam speciē intentionalem repræsentantur indiuidua solùm finita: non enim est opus vt omnia indiuidua futura vnius speciei naturæ per vnicam speciem intentionalem repræsentētur, ne dum omnia possibilia, iuxta suprà dicta disp.8.c.4. Quare dum species intentionalis repræsentat indiuidua solùm finita, quamuis omnia videantur simul vnica cognitione, nō cognoscetur multitudo singularium superans capacitatem luminis, & intellectionis. Ceterùm quoniam Angelus cognoscere potest omnes actus, & motus futuros per totam æternitatē proprios, vel alienos, habere debet species repræsentatiuas ipsorum. Quòd si quæras species repræsentent solùm actus, vel motus finitos, cùm omnes isti collectiuè sint infiniti, requirētur species infinitæ, quas simul in Angelo ponere non congruit naturali rerum ordini: ergo ponendæ sunt species numero finitæ, quarum singulæ repræsentent collectionem aliquam actuum, vel motuum infinitorum, qui licèt nunquam existant, vel extiterint infiniti, subindéque non possint intuitiuè repræsentari motus, vel actus infiniti, tamen sub ratione possibilium infiniti sunt repræsentabiles per vnicam speciem; quare nō poterit Angelus simul cognoscere omnia, quæ per vnam speciem repræsentantur, quin actu cognoscat infinita, quod non est admittendum. Loquimur igitur in nostra conclusione de illis solùm speciebus intentionalibus, quæ repræsentant obiecta finita, siue differentia specificè, siue numericè; non verò de illis speciebus, quæ repræsentant obiecta infinita quomodolibet diuersa; ne concedamus vel in Angelo dari connaturaliter infinitas numero species intelligibiles, vel cognitionem [illegible] finitorum obiectorum actualem, quæ videtur superare finitam capacitatem intellectus creati, vel intellectionis naturalis.

10. Dico secundò, si Angelus habeat vnum actum adæquatum vni speciei vniuersali sibi connaturali, non potest aliquid aliud per distinctam speciem cognoscere. Sequitur ex prima conclusione: nam vna species vniuersalis est adæquata virtuti ac lumini mentis Angelicæ quoad actualem vsum illius: connaturaliter enim commensuratur vniuersalitas specierum cum actiuitate intellectus Angelici: ergo si secundùm talem speciem adæquatè operetur, absolutè habet actionem suæ actiuitati adæquatam, & per consequens non potest aliam actionem simul elicere, quia quod plenum [illegible], vltra capere non potest.

11. D[illegible]es, inde sequi, quod non possit Angelus habere [illegible]dæquatos actus suarum specierum, quoties ali[illegible] [illegible]ecta considerat actu, sicut omnes Angeli semper [illegible]ntelligunt ipsos, & Angelus mouens cælum sem[illegible] considerat illud, siquidem semper habet [illegible] volitionem mouendi talē orbem, Item Angelus custos semper attēdit ad personam sibi commissā, & Dæmon semper cogitat de igne Inferni, & sic de aliis. Respondetur in primis, cùm Angelus intelligat seipsum per suam substātiam, hoc non impedire quin vtatur specie alterius adæquatè, imò vniuersalitas specierū sic videtur Angelico intellectui proportionati, vt simul cum sui cognitione moraliter necessaria possit liberè vti specie vniuersali adæquatè. Deinde cognitio cæli in motore, vel hominis in custode sufficit supernaturalis in Verbo, vel per scientiam infusam, quę non impedit vsum adæquatum specierum naturalium. Quòd si habeatur etiam naturaliter, concedi potest argumenti sequela, quia species dantur Angelo secundùm naturæ capacitatem: accidentarium autem est quod propter specialem occupationem mentis non possit Angelus vti liberè aliis speciebus adæquatè. Similiter non est inconueniens quòd Dæmones impediantur, licèt possit Deus illis necessitare, si velit, ad actualem considerationem sui status, & relinquere illos expeditos ad alia intelligenda.

12. Dico tertiò, potest Angelus vti suis speciebus inadæquatè si velit, ita vt non cognoscat simul omnia, quæ per vnicam speciem repræsentantur. Ita Ferrara 2. cōtra Gent. c.101. & allegat S. Thomam q.8. de verit. art.13. ad 2. & 8. vbi dicit, ab vna specie habituali posse varias cogitationes prodire; & quamuis S. Thomas ibi de hominibus loquatur, tamen inde Ferrara sumit argumentum; quippe si potest homo habere actum non adæquatum suæ speciei intētionali, sed per speciem hominis, v.g. nunc considerare, quòd sit animal, nunc quòd sit rationalis, cur non poterit Angelus in ordine suo per speciem repræsentantem plura, nunc quædam illorum, nunc vnicum obiectum contemplari? Ferrara. S. Thom.

13. Probatur ratione, quia species non est per se determinata ad agendum per modum formæ, vel agentis necessarij, sed subordinatur potentiæ cui inest, vt iuxta modum suum vtatur potentia suis speciebus; intellectus item Angeli non fertur naturaliter ad considerandā obiecta intelligibilia, siue per plures, siue per vnicam speciem repræsententur, sed subditur motioni voluntatis: ergo potest pro libito voluntas applicare intellectum ad cogitandū de hoc, vel illo obiecto per eandem speciem, nec est cur ad adæquatū vsum talis speciei necessitetur, etiam si velit illa specie vti. Confirmatur, nam eadem est ratio partis & totius: ergo si totus vsus speciei est liber, etiā liberum erit vti tali specie partialiter, & non adæquatè: sicut enim liberum est Angelo applicare se loco adæquato, vel inadæquato, sic etiam talis vsus specierum intelligibilium adæquatus, vel inadæquatus erit in Angeli potestate.

14. Si opponas, quoniam actus inadæquatus non erit eiusdem speciei cum adæquato: species autem intelligibilis determinata videtur ad eliciendos actus eiusdem speciei. Respondetur, non esse inconueniens quòd eadem potentia eliciat actus specie diuersos per idem principium intentionale, vel per eandem speciem intelligibilem eminenter continentem illos, quando tali specie vtitur pro sua voluntate inadæquatè.

15. Dico 4. si velit Angelus vti suis speciebus inadæquatè, vt potest, iuxta præcedentem assertionē, poterit sanè simul intelligere multa pluribus, & distinctis actibus per plures, & distinctas species elicitis. Sic docent Maior, Sotus, Molina, Vasquius, Maior. Scotus. Molina.

Vasquez. Valentia. Suar. Vasquius, Valentia suprà relati num. 6. Suarius lib. 2. de Angelis cap. 37. num. 14. & præter argumenta superiùs adducta num. 6. & 7. Probatur, quia cognoscere simul res istas non excedit virtutem Angeli: ergo non repugnat ipsi ex hac parte habere simul tales intellectiones. Consequentia patet, & antecedens probatur: nam idem Angelus vtendo adæquatè vna ex illis speciebus plures rerum quidditates cognoscere posset, vt supponimus: sed multitudo rerum repræsentatarum per duas species inadæquatè potest esse æqualis intelligibilitatis (vt sic dicam) tam in multitudine rerum, quàm in perfectione, facilitate, vel difficultate obiecti intelligibilis, vt facilè considerari potest, & cum debita proportione comparari: ergo ex parte rerum cognoscituarū, non erit difficilius illam multitudinem rerum simul cognoscere per duas species, inadæquatè sumptas, quàm aliam multitudinem per vnam speciem adæquatè sumptam.

16. Rursus nec ex parte specierum potest istarum distinctio impedire, vel difficiliorem reddere attentionem ad omnia illa obiecta, quia tunc specierum distinctio materialiter se haber, & intellectus per neutram illarum exerit totam virtutem suam, & simul informatur vtraque: ergo æquè potest vti vtraque simul partialiter, ac vna illarum totaliter: ergo ex nulla parte repugnat, imò necessarium est Angelum vti nonnunquam multis huiusmodi speciebus simul ad differentiam aliquarum rerum, vel etiam vnionē cognoscendam.

17. His sic statutis quoad rem ipsam restat quæstio quoad modum loquendi; an sit dicendus Angelus cognoscere plura vt plura, an vt vnum: Nam si cognoscere plura per modum vnius, sit cognoscere illa per vnicam speciem, vt indicat interdum S. Thomas, sic Angelus iuxta supradicta cognoscit plura per modum plurium; si quidem potest vti diuersis simul speciebus; nec hoc negare videtur S. Thomas, siquidem ipsimet Thomistæ fatentur Angelicum Doctorem sub vna specie vsum plurium comprehēdisse per diuersos etiam actus inter se subordinatos, quo pacto posse mentem Angelicam elicere etiam simul plures actus docet S. Thomas 1. part. quæst. 58. art. 7. ad 2. & quæst. 62. art. 7. ad 3. & quæst. 14. de verit. art. 14. ad 6. S. Thom.

18. Si verò cognoscere plura per modum vnius sit cognoscere plura per vnum actum vel simplicem, vel saltem compositum, vel etiam per plures aliquo modo inter se subordinatos, quando scilicet res repræsentatæ per diuersas etiam species cognoscuntur cum aliqua habitudine inter se, id est, vt differentes, vel prout similes, vel prout vnitæ aliquo modo, sic communiter loquendo plerumque cognoscit Angelus plura, vt vnum, siue per modum vnius, quia communiter vtetur diuersis speciebus naturalibus ad cognoscenda varia obiecta propter istorum connexionem, & hoc forsan intendit S. Thomas; absolutè tamen potest Angelus (licèt rarò id faciat) simul plura cognoscere per plures actus, & species, & consequenter per modum plurium in sensu distincto; ita vt nec species coniunguntur ad producendum vnum actum, nec actus ipsi componantur inter se, vel ipsorum obiecta cum aliqua habitudine conferantur inter se; nec vnus actus sub aliqua consideratione sit ratio alterius; sed solùm . . omitanter se habeant ex libera Angeli voluntate. Tunc autem poterit nihilominus Angelus dici cognoscere plura vt vnum, non ex parte obiecti, vel ex compositione, aut subordinatione actuum, sed ex parte potentiæ, quatenus omnes illos actus efficit tanquam æquiualentes vni actui sibi adæquato, vel tanquam vnum effectum adæquatum suæ virtuti. Quo sensu etiam homo dicetur cognoscere plura semper vt vnum, imò nec homo, nec Angelus possunt naturaliter plura cognoscere nisi per modum vnius, scilicet intellectionis, vel effectus adæquati virtuti suæ. An verò S. Thomas locutus fuerit in hoc sensu iudicent alij.

de Lugo in 1. part. D. Thomæ.

19. Ad primum primæ sententiæ respondetur primum Aristotelis testimonium parùm in præsenti probare, tùm quia Philosophus de hominibus loquitur, non de Angelis; tum maximè quia non dicit, *non contingit cogitare nisi vnum,* sed dicit, *contingit, vt qui plura scit, vnum tantùm coguet:* intendebat enim probare hanc propositionem esse falsam, multa scire est multa cogitare, quod rectè conuincit, quia contingit multa scire, & non cogitare multa, nun tamen asserit, nec eius intentioni necessarium erat asserere, nunquam cogitari nisi vnum. In secundo testimonio non dicit Aristoteles oportere illum, qui intelligit, concipere vnum, vel per modum vnius, nec de hoc agebat, sed de nominum significatione, dixeratque necessarium esse, vt nomen significet vnum aliquid; *nam (vt ait) non vnum significare nihil est significare, nominibus autem non significantibus perit disputatio,* & tunc subdit rationem per citata verba, quorum sensus est, quia nisi disputans vnum aliquid per verba concipiat, nihil de tota disputatione intelligit.

20. Ad secundum respondetur in figuris diuersis respectu eiusdem obiecti non solùm pluralitatem, sed etiam repugnantiam inueni, quia plures figuræ non possunt esse simul in eodem corpore, nisi partes eius simul existant in locis distinctis, seu sitibus partialibus, quod naturaliter repugnat; actus verò intellectus, de quibus loquimur, non habent inter se repugnantiam specialem; idem est de motibus: nam si specialiter repugnent ratione terminorum contrariorum ad quos tendunt, consequenter nun possunt simul inesse; si verò non includant specialem repugnantiam, possunt esse simul in eodem subiecto, imò in eadem parte, vt motus localis, & alteratio, & augmentatio, & plures alterationes simul; imò & plures motus locales, si per spatia non opposita fiant, v. g. si vnus fit ab Oriente in Occidentem, & alius à Meridie ad Septentrionem. Idem de coloribus dici potest, quia semper inter se habent aliquam repugnantiam, vel tanquam extremè contraria, vt albedo, & nigredo, vel tanquam magis, vel minùs ad alterum extremum accedentia.

21. Ad confirmationem concedo antecedens, & nego consequentiam: est enim manifestum discrimen, quia motus nihil aliud est, quàm ipse terminus in fieri, quare si fieri est vnum, non possūt res per se primò per illud factæ esse plures; intellectus verò non est ipsa tendentia ad obiectum; vnde meliùs cum mobili, quàm cum motu comparatur; quare licèt idē motus nō terminetur nisi ad vnū terminū, intellectus potest tendere simul ad plura obiecta, nō solùm vt plures res sunt, quod per vnicū actū facere potest, & per vnā speciem; nam species, & actus non sunt fieri obiectorū,

ſed intelligibili modo res ipſas repræſentant, ac ſubinde poteſt vnica ſpecies impreſſa, vel expreſſa repræſentare multas res; ſed etiam vt plura obiecta ſunt, dum illa diuerſis actibus attingit, donec obiectum adæquatum compleatur.

Cumel. Vaſquius.

22. Quæres an poſſit Angelus ſimul, & per eandem ſpeciem cognoſcere plura vt plura ex parte obiectorum & actuum, id eſt, per plures actus realiter diſtinctos, & terminatos ad res abſolutè, vt diſtinctas, & ſine vllo ordine inter ſe. Negant Cumel in hac quæſt.58.art.2.quæſt.3.concl.3.& Vaſquius 1.part.diſp.221. cap.3. fine, quoniam vnitas intellectionis ex vnitate principij ſumi debet: ergo quando datur vnica ſpecies intentionalis, vnicus actus debet illi correſpondere. Affirmat verò Suarius lib. 2. cap. 37. num. 32. quia cùm poſſit Angelus inadæquatè vti ſuis ſpeciebus, poterit elicere ſucceſſiuè per eandem ſpeciem diſtinctos actus intelligendi, v.g. per ſpeciem repræſentantem omnia quadrupedia poterit elicere, nunc cognitionem leonis, poſteà tauri, non relicta priori; ſimiliter nunc vnius equi, poſtmodum alterius: non ſolùm enim actus ſpecificè diuerſi, ſed etiam ſolo numero diſtincti poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu, eo quod ad diuerſos terminos, vel obiecta tendant. Vnde ceſſat ratio deſumpta ex vnitate principij, quia ſi principium ſit eminens, & vſus eius ſit partialis, poterunt ab eodem principio diſtincti effectus, & actiones prodire, ſimulque conſeruari, cùm aliunde termini non repugnent inter ſe.

23. Videtur equidem poſſe ſimpliciter hoc Angelis contingere, rarò tamen eueniet, quia dum Angelus vtitur vnica ſpecie, communiter concipit obiecta illius cum aliqua connexione inter ſe, ac ſubinde ſine nouo actu penitùs diuerſo, ſed per extenſionem prioris poterit poſt leonem, taurum, & poſt vnum equum percipere alium: nam ipſa connexio obiectorum ſufficit, vt nouæ partes intellectionis vniantur cum præexiſtentibus, ſicut de viſione beata diximus lib. 1. diſput.23. Quòd ſi velit Angelus ſine vlla connexione per actum diſtinctum cognoſcere, poterit ſanè, vt dicebam, rarò tamen id faciet, quia magis eſt conforme naturis rerum obiecta quæ ſimul percipiuntur cum aliqua connexione cognoſcere, ac per pauciores actus, quàm per plures.

CAPVT III.

Vtrùm Angeli diſcurrant.

Scotus. Gregorius. Gabriel. Ochamus.

1. PRima ſententia docet Angelos cognoſcere diſcurrendo etiam in his, quæ naturaliter, & euidenter cognoſcunt, ita vt quædam quaſi prima principia cognoſcant immediatè, quædam tamen alia ex primis principijs per aliqua media deducant euidenter. Ita Scotus in prologo quæſt.4.& 5. littera *H*. & in 2.diſt.1. quæſt. vlt. propè initium, & diſt.7. quæſt. vnic. §. *Contra concluſionem*, poſt medium, ait, non videri probabile negare Angelis omnem diſcurſum. Sequitur Gregorius in 2.diſtinct.7.quæſt.5. art.2. Gabriel diſtinct.3.quæſt.2.art.3.concluſ.9. Ochamus in 2.quæſt.16. Probatur primò, quia diſcurſus eſt cognitio vnius per aliud, vnde petit ex parte obiecti, vt diſcurſus ſit de veritate quæ medium, & cauſam veritatis habeat; ex parte verò cognoſcentis tria poteſt ad ſummum poſtulare. Primum eſt, vt cognitio medij ſit cauſa cognitionis concluſionis. Secundum eſt, vt cognitio principij ſit actus diſtinctus à cognitione concluſionis. Tertium, vt ſit prior vel natura, vel forſan etiam tempore. Hæc autem omnia poſſunt in Angelo reperiri: ergo datur in illo diſcurſus.

Minor probatur, nam ex parte obiecti multa cognoſcit Angelus, quæ non ſunt prima principia per ſe nota, cognoſcit enim Angelus veritates, prout in ſe ſunt, non omnes autem veritates ſunt in ſeipſis per ſe notæ, vt patet de his; *Eclipſis ſolis, vel lunæ tali tempore continget. Homo eſt riſibilis*, quæ habent veram, & realem cauſam mediam inter ſubiectum & prædicatum, per quam cognoſcantur. Deinde non omnia etiam naturalia cognoſcit Angelus vno actu, nec ſimul, vnde fieri poteſt, vt per vnum actum, & per vnam ſpeciem videat principium & per alium actum concluſionem, vt quòd per vnum actum videat orbes ſolis, & lunæ, ipſorumque motus, & per alium videat eclipſim futuram ex tali concurſu talium aſtrorum, & ſic etiam prior actus erit cauſa ſecundi, & conſequenter prior ſaltē natura. 2.

Probat ſecundò Gregorius, quia motus cæli perſeuerare poteſt naturaliter in æternum: ergo ſi non diſcurreret Angelus, cognoſceret ſimul omnes eclipſes futuras per totam æternitatem, quæ forent infinitæ, ſubindeque cognoſceret infinita ſimul, quod eſt abſurdum. Tertiò ſi Angelus non diſcurreret, cognoſceret ſimul omnes ſpecies numerorum, & figurarum poſſibiles, omneſque paſſiones earum: hæ verò ſunt infinitæ: ergo haberet notitias infinitas, aut vnam, quæ infinitis æquipolleret, quod eſt abſurdum: ergo Angelus diſcurrit. 3.

Caietan. Capreolus. Alenſis. Valentia. S. Thom.

Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit Angelus omni prorſus diſcurſu carere, nec in vlla materia capaces eſſe diſcurſu. Tenent Caietanus in hac quæſt.58. artic.3.& 5. §. *Ad hanc dubitationem*, Capreolus in 2.diſtinct.3.quæſt.2.art.1. concluſ. 10. Alenſis 2.part. quæſt.20. memb.5. Valentia tom. 1. diſput. 4. quæſt.3. punct. 2. & Thomiſtæ Recentiores. Fauet S.Thomas in hac quæſt.58. art.3. vbi videtur vniuerſaliter loqui: nam abſolutam ponit aſſertionem, & ad 3. ait, Angelum etiam in cognitione per experientiam non diſcurrere, & quæſt. 79. art.8. & quæſt.85. art.5 & 2.2.quæſt.108.art.6. ad 2. & 1.2.q.89. art. 4. vbi dicit, *intellectum Angeli non eſſe diſcurſiuum, ita vt procedat à principiis ad concluſiones ſeorſim vtraque intelligendo*. Item 3.contra Gent. cap.44. & 91. & in quæſt.8. de verit. artic.15. vbi ad 2. indicat Angelum non diſcurrere etiam in ſupernaturalibus, & ad 4. ait quòd *cordis abſcondita in motibus corporis intuentur Angeli, ſicut videntur in ſimilitudinibus ſuorum effectuum abſque omni diſcurſu*. & ad primum idem dicit de cognitione experimentali Dæmonum. 4.

Probatur primò ex Patribus, nam Dionyſius cap.7. de diuin. nomin. etſi non loquatur expreſſè de diſcurſu, ſic autem intelligendi ſimplicitatem in Angelis exaggerat, vt videatur illis diſcurſum denegare: ait enim illos habere *ſimplices, & beatas intelligentias non indiuiſibilibus ſiue diuiſibilibus, ſiue ſenſibus, ſiue verbis latioribus diuinam colligentes ſcientiam*, & infrà, *purè ſpiritualiter & extra materiam vnicè intelligibilia diuina penetrant*. Poſteà verò de anima noſtra ſubdit. *Per diuinam item ſapientiam,* 5.

&

& anima ratiocinandi vim habent, & longè habitu ad rerum veritatem annitentes, atque in eo singularibus illis spiritibus inferiores. Quibus verbis videtur discrimen inter animam & Angelum in hoc constituere, quod anima discurrendo, Angelus simpliciori modo scientiam obtineat, Augustinus lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 29. & 35. dicit Angelos simul habere cognitionem matutinam, & vespertinam creaturarum indicans vno intuitu vtramque contineri. Bernardus sermone 5. in Cant. dicit Angelos non cognoscere spiritualia ex corporalibus, sicut nos, *sed sola sua virtute, ac viuacitate natura summa, & infinita penetrare*, & subdit inferius, quò nos ex consideratione simplicium nitimur peruenire, *eò illi calestium habitator ingenita subtilitate, ac sublimitate sua omni velocitate, facilitateque pertingit.*

Aug. Bernard.

6. Probat secundò, S. Thomas ex quadam proportionali comparatione spirituum ad corpora: nam ita comparantur Angelici spiritus ad humanos, sicut corpora cœlestia ad terrestria; sed in hoc distant à terrenis corpora cœlestia, quòd hæc sine motu suam perfectionem habent, illa verò per motum: sic ergo homines indigent discursu, qui est veluti spiritualis motus, vt ad veritatis cognitionem perueniant, cælestes verò spiritus sine discursu illam intueantur. Tertiò, reddit idem S. Doctor rationem à priori: nam homo discurrit, quia cognoscendo prima principia non statim videt in illis omnia, quæ virtute continentur. *Ac verò Angeli statim in illis, qua primò naturaliter cognoscunt inspiciunt omnia qua in eis cognosci possunt*: ergo non discurrunt. Minorem tacitè probat S. Thomas, quoniam Angeli habent plenitudinem luminis intellectualis. Confirmatur ex eodem S. Thoma in hac q. 58. art. 3. ad 1. nam discursus est progressus ex aliquo priùs noto in cognitionem alterius posteriùs noti, quod priùs erat ignotum: sed hæc progressio, & imperfectio non habet locum in Angelis, quia simul cognoscunt omnia, quæ per speciem qua vtuntur cognosci possunt: ergo Angeli non discurrunt.

7. Pro decisione suppono discursum alium esse virtualem, qui vnico actu attingit vnam veritatem propter aliam, cognoscendo simul vtramque; quando scilicet vnico actu iudicamus hominem esse risibilem, quoniam est rationalis; & Tobiam habuisse canem, quia Deus dixit; & huiusmodi discursum constat reperiri in Angelis, qui cognoscunt interdum connecti extrema inter se, quia connectuntur cum medio, v. g. cognoscunt eclipsim esse futuram, quia talis erit concursus astrorum; obiectum fidei verum esse, quia Deus reuelauit. Nec est quæstio de hoc discursu virtuali.

8. Alius est discursus formalis, in quo dantur actus realiter distincti, & hic rursus diuiditur in successiuum, & causalem iuxta S. Thomam 1. p. quæst. 14. art. 7. & q. 8. de verit. art. 4. ad 14. successiuus dicitur, cùm dantur plures actus intellectus cum reali prioritate, ac successione temporis sine alia connexione illorum inter se, vel voluntariè, vt in Angelis, vel casu, quia varia obiecta successiuè mouent, vt in nobis contingit. Vnde valde quidem impropriùs est iste discursus, nec fit de illo præsens disquisitio; datur enim palam in Angelis, qui non cognoscunt omnia simul, vt vidimus. Sic dixit Augustinus epist. 57.

S. Thomas. August.

Franc. de Lugo in 1. part. D. Thoma.

ad Dardanum, & aliis locis, Deum mouere creaturam spiritualem per tempus vtique consistens in operationum intellectualium successione. Discursus causalis est progressus ab vno actu reali ad alium realiter distinctum propter connexionem, quam habet posterior cum priori, siue fiant successiuè, siue simul tempore cum sola prioritate naturæ, quæ sufficit ad formalem discursum, & de isto procedit difficultas.

In qua dico primò in materia supernaturali, ac in his omnibus, quæ non cognoscit Angelus euidenter, sed iudicat per solam coniecturam, verè discurrit. Sic à fortiori Doctores primæ sententiæ; sed expressè de supernaturalibus, aut de his, quæ non nisi per supernaturalem reuelationem certò cognoscuntur, Angelu concedunt discursum, seu quod idem est coniecturam. Ocha mus q. illa 16. concl. 6. Gabriel illo art. 3. part. 1. conclus. 8. Marsil. in 2. quæst. 6. art. 2. Malonius in 2. dist. 3. disp. 6. Pelantius 1. part. quæst. 58. art. 1. & 3. Suarius lib. 2. de Angelis cap. 33. num. 18. Vasquius 1. part. disp. 222. cap. 3. Molina in hac quæst. 58. art. 3. vbi Bannes refert plures Thomistas ita sentire, dicitque sibi probabile videri. 9.

Ochamus. Gabriel. Marsilius. Malonius. Pelantius. Suarius. Vasquez. Molina. Bannes.

Probatur primò ex S. Thoma, qui conclusionem istam videtur tradidisse: nam 1. p. q. 60. art. 2. in fine corporis, cùm dixisset in Angelis non esse cognitionem ratiocinatiuam, subdit. *Hac autem dicta sunt prætermissis his, qua supra naturam sunt; horum enim non est natura principium sufficiens*, & 3. part. quæst. 44. art. 2. ad 2. secutus Augustinum 9. de ciuit. cap. 22. dicit Christum Dominum innotuisse Dæmonibus quantum oportuit, per quædam temporalia suæ virtutis effecta, *& sic* (ait) *Videntes Christum esurire post ieiunium, æstimauerunt eum non esse Filium Dei*. Vt cum Ambrosio lib. 4. in Luc. circa primam tentationem docent Chrysostomus hom. 13. ex varus in Matthæum, Theophylactus, Euthymius, & alij communiter; deinde addit S. Thomas *Post modum visis miraculis ex quadam suspicatione coniecturauit eum esse Filium Dei*, citatque Chrysostomum dicentem, non certam, nec firmâ aduentus Dei habuisse notitiam, & Bedam Luc. 4. dicentem, magis habuisse suspicionem, quàm certitudinem. 10.

August. Ambros. Chrysost. Theophyl. S. Thom. Euthym. Beda.

Vnde idem S. Thomas q. 16. de malo art. 6. ad 3. expositis secūdo loco dicit, *Dæmonem in iis, qua Deus supernaturaliter facit in creaturis, interdum decipere falsum opinando*, idem docet in ista q. 58. art. 5. dicens posse Dæmonem decipi iudicando de his, quæ supernaturalia sunt, ex his quæ naturaliter nouerit, vt si videndo Christum esse hominem, iudicet non esse Deum, &c. Demum q. 57. art. 3. dicit Angelos posse cognoscere futura contingentia non per certitudinem, sed per coniecturam, sicut Medicus præcognoscit sanitatem infirmi, & art. 4. dicit coniectare posse Angelum actus internos ex indiciis externis, adducēs ad hoc Augustinum in lib. de diuinat. Dæmonum, & 2. Retract. c. 3. & de Eccles. dogmatib. c. 81. & 82. 11.

S. Thom. August.

Probatur secundò ratione: nam quæ Angelus non cognoscit euidenter, videlicet res supernaturales, effectus contingentes futuros, & mentis arcana potest cognoscere per coniecturam: ergo potest circa talia obiecta discurrere. Antecedens constat ex suprà dictis quæst. 56. & 57. consequentia probatur: nam ibi concurrūt ea, quæ sunt ad discursum necessaria, siquidem cognoscitur vnum 12.

vnum per aliud, scilicet Deum esse hominem per testimonium eius talibus signis confirmatum, vel hoc esse futurum, vel Petrum esse consensurum si tentetur in hac materia, quoniam est sic, vel sic affectus, & similia: cognoscitur etiam distinctis actibus, cùm sæpè concurrant ad illos species intelligibiles realiter distinctæ; imò licèt vtrumque obiectum repræsentetur per eandem speciem, possunt actus fieri realiter distincti iuxta supradicta cap. 2. num. 12. & 23. Posita verò reali distinctione actuum, causalitas vnius in alium, quæ requiritur ad discursum ostenditur, quia tota ratio assentiendi vni obiecto est assensus alterius, vt dum Dæmones credunt, & contremiscunt, tota ratio credendi est; quia vident miracula, legunt, & intelligunt Scripturas, audiunt verba, & ex aliquo testimonio sic cognito deducunt rem ita esse. Nihil ergo deest ibi ad proprium discursum.

13. Notandum tamen est in hac coniecturali cognitione duo reperiri; vnum est cognitio causarum vel effectuum, vel signorum, quæ veluti conficiunt antecedens, ex quo aliquid aliud infertur, quod est quasi conclusio discursus; & hæc item conclusio duplex esse potest, scilicet vel modalis propositio, cùm infertur verisimile, vel probabile, vel credibile esse, quod per illa signa indicatur euenire, vel euenturum esse, vel est propositio de inesse, cùm videlicet concluditur hoc vel illud absolutè fore, vel esse. Igitur antecedēs potest interdum ab Angelo cognosci vnico actu, quando talia sunt signa, vel coniecturæ, vt simul occurrant, & per vnam speciem repræsententur. Interdum autem licèt signa simul occurrant, & extrema, mediúmque syllogismi simul repræsententur, tamen possunt esse tam multiplicia vt per distinctas species, & per distinctos actus repræsententur, qui vel concomitanter concurrant, ad eandem maiorem, vel minorē syllogismi constandam, vel per syllogisticam formam copulētur, ita vt alter sit maior propositio; alter verò minor. Interdum etiam dabitur realis successio, si talia signa longo tempore, ac experientia comparētur, in fine tamen quando completur antecedens debet cum vltimo signo concurrere præteritorum memoria saltem confusa, vt inferatur conclusio.

14. Si petas an Angelus circa hæc obiecta non solùm possit, sed etiam teneatur discurrere, ita vt non possit aliter de illis iudicare? Vasquius ea disp. 222. num. 3. dicit rationes primæ sententiæ si sunt alicuius momenti probare non solùm quòd possit Angelus discurrere, verum etiam circa nónulla obiecta necessarium esse ipsi discursum, ita vt non possit illa sine discursu percipere. Molina hîc similiter docet, non posse notitiā intuitiuam, & abstractiuam in vnam, & eādem numero coincidere, ac subinde quando antecedens cognoscitur intuitiuè, & consequens abstractiuè, necessarias fore distinctas realiter cognitiones, quæ constituant discursum formalem. Suarius, cum infertur conclusio modalis euidens, non reputat necessarium discursum, quoniam in ipsomet antecedenti potest Angelus vnico simplici actu videre talem veritatem, vel assertionē ea talibus signis fieri verisimilem. Cùm autem infertur conclusio de inesse, putat necessarium esse discursum, quia si conclusio est probabilis, valde differt ab antecedenti euidenti, & licèt conclusio sit euidens in attestante, non videtur fieri sine nouo actu ex vi prioris elicito: nam est actus longè diuersus in

Vasquez.

specie, & non transcendit quādam rationem fidei. Vnde colligit obiter differentiam inter bonos, & malos Angelos, quia boni etiam in hoc genere coniecturalis cognitionis nunquam decipiuntur: solùm enim inferunt conclusionem modalē iuxta mensuram, & gradum indiciorum, quæ prudentissimè perpendunt; Dæmones verò sæpè decipiuntur, quia facilè iudicant rem ipsam ita esse vel non esse ex coniecturis prout odio, vel alio affectu ducuntur.

Mihi videtur dicendum, communiter Angelum discurrere formaliter circa hæc obiecta, quādo per distinctas realiter species elicit conclusionem, ac præmissas, quia connaturalius erit quòd distinctæ realiter species ad actus realiter distinctos concurrant; & cùm vnus sit ratio assentiendi alteri, dabitur discursus formalis, & causalis. Ceterùm non video cur tam conclusionem de inesse, quàm modalem non possit Angelus per discursum duntaxat virtualem elicere: etenim ad actū compositum etiam in nobis concurrunt species realiter distinctæ, actúsque fidei sæpius elicimus cum discursu duntaxat virtuali. Similiter ergo licèt nō possint distinctæ realiter species ad eundē actum simplicem in Angelo concurrere, tamen ad hypotheticam, vel illatiuam propositionem mentalem, & ad quemlibet actum compositum, quo iudicet Angelus hoc ita esse, quia est illud, & per consequens discursu tantùm virtuali discurrat, poterunt species diuersæ simul cooperari. Nec est inconueniēs in actu sic composito simul dari notitiam intuitiuam, & abstractiuam: dum enim de connexione extremorum iudicamus propter connexionem cum medio, non rarò de obiecto materiali iudicamus abstractiuè, vel etiam probabiliter, cùm tamen iudicium de motiuo sit euidens, vt cùm dico. *Petrus venit, quia Paulus dicit*: euidenter cognosco dictum Pauli mihi loquentis, probabiliter verò aduentum Petri. 15.

Huc etiam existimo pertinere cognitionem effectus necessarij in sua causa: quamuis enim naturam, & possibilitatem effectuum possit Angelus in causis cognoscere sine discursu, & quidditatiuè siue sint effectus contingentes, siue necessarij, tamen futuritionem eorum, quantumuis necessarij sint, non potest nisi abstractiuè, ac per discursum prænoscere: non enim videt existentiam eclipsis, v. g. pro tali differentia temporis, sed ex motu cælorum colligit tali tempore futuram eclipsim, nec hoc iudicat absolutè, sed sub conditione saltem subintellecta, scilicet nisi cesset anteà motus, vel nisi Deus miraculosè impediat euentum: ergo datur hîc saltem discursus virtualis, quem possit Angelus efficere formalem pro libito. Idem est consequenter de aliis obiectis, quorum Angelus non habet propriam speciem, vt quando cognoscit Deum ex creaturis. 16.

Dico secundò, circa obiecta naturalia, quæ cognoscunt Angeli per proprias species euidenter prout sunt in se, non discurrunt. Ita Doctores secundæ sententiæ, & prætereà Molina hîc, Vasquius disp. 222. cap. 2. Suarius lib. 2. de Angelis cap. 33. num. 9. nec forsan amplius intendit S. Thomas, nam 1. part. quæst. 79. art. 8. dicit, *Angelos, qui perfectè possident secundum modum suæ naturæ cognitionem intelligibilis veritatis, non habere necesse procedere ab vno ad aliud, sed simpliciter sine discursu veritatem apprehendere*, quibus verbis negationem discursus in Angelis 17.

Molina. Vasquez. Suarius, S. Thom.

videtur

videtur limitare ad ea, quæ perfectè cognoſcuntur, Capreolus verò in 2.diſt.2.quæſt.2.artic.3. ad 1. Gregorius contra decimam concluſionem aſſerit S.Thomam, cùm negat Angelis diſcurſum, de illo diſcurſu loqui, qui cum vera temporis ſucceſſione ſit, quem certè non eſt opus in Angelis confiteri.

Capreol. Gregorius.

18. Probatur concluſio, quia ſpecies propria repræſentat rem, vt eſt in ſe: ergo quãdo cognoſcit Angelus cauſam, & effectum per ſpeciem propriam vtriuſque, tam effectus, quàm cauſa cognoſcuntur ſimul & immediatè in ſeipſis, & vnico actu, ac ſubinde ſine diſcurſu formali, vel virtuali. Conſequentia probatur, quia communiter cognoſcit Angelus cauſam & effectum per eandem ſpeciem, vt conſtat ex dictis diſp.8. ergo etiam cognoſcit per eundem actum; tum quia lumen intellectus Angelici eſt perfectum, & adæquatum ſuæ ſpeciei, & ita vnico actu elicito per talem ſpeciem cognoſcit omnem effectum, qui per talem cauſam cognoſci poteſt; tum etiam, nam Angelus cognoſcit rem, quæ eſt cauſa, vel cognoſcit rem, quæ eſt effectus per propriam ſpeciem comprehenſiuè, vel ſaltem quidditatiuè, quapropter eodem actu cognuſcit eſſentiam, & proprietates eius, & conſequenter effectus poſſibiles emanare à tali cauſa, vel cauſas connaturales talis effectus: ergo ſine diſcurſu.

19. Imò licèt cognoſcat interdum Angelus duo obiecta inter ſe connexa per ſpecies diſtinctas realiter, & conſequenter per diſtinctos realiter actus, dum vtrumque perſpiciat per ſpeciem propriam, vtrumque cognoſcit immediatè, ac ſubinde ſine diſcurſu. Probatur: nam ſpecies propria rei repræſentat illam, prout eſt in ſe, ac per conſequens repræſentat immediatam connexionem extremorum, qua copulantur immediatè per identitatem: ergo aſſentitur Angelus aſſenſu immediato, ſicut nos primis principiis, ac ſubinde ſine diſcurſu. Confirmatur, quia cùm Angelus cognoſcit rem per propriam ſpeciem, videt illam intuitiuè; ſed intuitio fit ex genere ſuo ſine diſcurſu, quoniam in intellectu, in quo eſt perfecta, includit iudicium de re viſa, & habet euidentiam veritatis, non ex cauſa, vel ex effectu, ſed ex eo quòd per lumen clarum, & per ſpeciem propriam res ipſa videtur in ſe: ergo cùm in intellectu Angelico intuitio ſit valde perfecta & clara, rem ipſam cognitam attinget in ſe ſine diſcurſu. Item quando cognoſcit Angelus rem abſtractiue per ſpeciem propriam, hæc repræſentat immediatam connexionem prædicatorum in ſe: ergo iudicat Angelus non inductus aliquo medio, quo copulentur extrema, ſed quia videt ipſam vnitatem extremorum immediatè, prout eſt in re: ergo dum cognoſcit Angelus obiecta per ſpecies proprias, ſiue iudicet intuitiuè, ſiue abſtractiue, ſemper aſſentitur immediatè, ac ſine diſcurſu.

20. Vnde fit Angelum non poſſe cognoſcere per diſcurſum obiecta, quando cognoſcit illa per ſpecies proprias ipſorum: quamuis enim id quod eſt cauſa alterius reuerà cognoſcat Angelus vt cauſam alterius, & rurſus id, quod eſt ab alio, vt à cauſa, cognoſcat vt effectum illius, tamen cognitio vnius non eſt cauſa cognitionis alterius, dum cognoſcitur vtrumque per ſpeciem propriam, ſiue ſit vnica notitia vtriuſque, ſiue ſit diuerſa, ſiue ſit vtraque intuitiua, ſiue abſtractiua, ſiue ſit vna intuitiua, & altera abſtractiua.

Obiicies. Sequeretur inde, reſpectu Angelorum nullam eſſe propoſitionem mediatam, ſed omnes eſſe per ſe notas, & immediatas, ſiquidem Angelus omnem propoſitionem naturalem neceſſariam videt per ſpeciem propriam: conſequens autem eſt falſum, quia ſicut dantur propoſitiones immediatæ ſecundùm ſe, quæ reſpectu cuiuſlibet intellectus cognoſcentis illas, prout ſunt in ſe, ſunt immediatæ, ſic dantur propoſitiones mediatæ ſecundùm ſe, quæ reſpectu cuiuſlibet intellectus ſunt mediatæ, quamuis cognoſcantur prout ſunt in ſe: ergò tales propoſitiones etiamſi per propriam ſpeciem cognoſcantur ab Angelo, cognoſcuntur vt mediatæ, ſubindeque per diſcurſum ſaltem virtualem. 21.

Vaſquius 1.part.diſp.222.cap.2.docet, reſpectu intellectus cognoſcentis res prout in ſe ſunt, nullam dari propoſitionem mediatam; ſed omnes eſſe per ſe, ac ex ipſis terminis notas: nam omnes habent ſuas formales entitates, per quas immediatè obiiciuntur intellectui videnti res, prout in ſe ſunt, quidditatiuè; ideoque non per deductionem ex aliis, ſed immediatè cognoſcuntur, quare cùm Logici dicunt inter propoſitiones quaſdam eſſe per ſe notas, quas vocamus immediatas, quaſdam mediatas, aut habentes medium, per quod cognoſcantur, hoc debet intelligi, non reſpectu cognoſcentis rem, ſicut eſt, proprio, & quidditatiuo conceptu, ſed reſpectu cognoſcentis rem per alienos conceptus, ſicut nos cognoſcimus ſpiritualia per corporea, & ſubſtantiam per accidentia, & quamuis re ipſa vnum ſit cauſa alterius, ſicut ſubſtantia ignis eſt cauſa caloris, tamen quilibet effectus in ſe habet ſuam entitatem propriam formaliter, qua formaliter eſt per ſe obiectum intellectus; & color, qui habet cauſam ſui eſſe, habet in ſe rationem talis entis, qua ſit obiectum per ſe viſus, non per aliud prius viſum videatur, aut eius viſio deducatur ex alia priori. Quare cùm intellectus Angeli inſtar oculi clarè ac diſtinctè intueatur res naturales, quas virtute naturali poteſt euidenter cognoſcere, non dicetur diſcurrere, nec ex notitia vnius in notitiam alterius deuenire, tametſi cognoſcat rem vnam ex alia naſci. 22.

Vaſquez.

Suarius lib.2. de Angelis cap.33. num.13. & ſequentibus admittit reſpectu cognitionis intuitiuæ, quæ terminatur ad rem prout exiſtentẽ, nullam dari propoſitionem mediatam, ſed omnes eſſe immediatas, & per ſe notas, quia licet habeant in re cauſam ſuæ veritatis, nihilominùs viſio intuitiua per ſe non reſpicit talem cauſam, ſed ad effectum ipſum, vt exiſtentem terminatur, v.g. ſi quis per intellectum intuitiuè videat aquam eſſe calidam, non per aliquod medium, ſed per ipſam intuitionem, qui eſt peculiaris modus experimentalis euidentiæ; per quam etiam iudicat ignem exiſtere calidum. Quòd ſi videat vlteriùs etiam intuitiuè in igne exiſtente emanationem caloris à forma ignis, quam in aqua non videt, adhuc non ideò videt intuitiuè ignem eſſe calidum per medium: nam intuitio illius emanationis eſt veluti per accidens ad euidentiam propriam cognitionis intuitiuæ, cùm hæc ſine illa æqualiter eſſe poſſit: eſt ergo illa noua intuitio alterius veritatis, ſcilicet iſtum calorem intrinſecè manare à ſubiecto in quo eſt, quod non habet in aqua, & hæc etiam veritas intuitiuè videtur vt immediata. 23.

Suar.

At reſpectu cognitionis abſtractiuæ quantumuis 24.

tuiuis euidens sit, & per conceptum proprium, censet dari quasdam propositiones immediatas, quarum prædicata coueniunt immediatè subiectis; alias verò mediatas, quæ non possunt nisi per medium cognosci, quamuis sine discursu cognoscantur. Rationem reddit, quia cognitio abstractiua, licet sit per proprium conceptum, non terminatur ad rem in seipsa existentem; & ideò per illam cognitionem non videntur extrema propositionis, vt re ipsa immediatè vnita, sed vt vnibilia, seu coonexa connaturaliter, quare si tantùm sint vnibilia per aliquod medium, vel causam, veritas ex illorum vnione consurgens, videri non poterit euidenter, nisi per tale medium, vel in tali causa. Ponit exemplum in anima, cui conuenit intellectus immediatè, voluntas verò ratione intellectus; ideò hæc veritas, *anima rationalis habet intellectum*, est immediata, & per se nota secundùm se: hæc autem propositio: *anima rationalis habet voluntatem*, est mediata, & demonstrabilis secundùm se; vnde fit, vt prior non sit cognoscibilis vt mediata per intellectum cognoscentem obiectum, prout est in se, posterior verò semper cognoscatur vt mediata etiam ab intellectu cognoscente rem, prout est in se: nam etiam Angelus non videt connexionem inter animam, & volūtatem esse necessariam, nisi quia videt animam esse per se intellectiuam, & ex intellectu sequi necessariò voluntatem, & ita videt etiam euidenter, non esse tam immediatam connexionem inter animam, & voluntatem, sicut inter eandem animam, & intellectum.

25. Ego in primis existimo quoties prædicatum identificatur cum subiecto proportionem esse realiter immediatam tam respectu cognitionis abstractiuæ, quàm intuitiuæ, dum vtraque fiat per speciem propriam; nam dum hæc repræsentat identitatem extremorum, nullum est medium reale necessarium, vel ex parte obiecti, vel ex parte cognoscentis ad connectendum extrema. Quapropter omnes istæ proportiones, *Homo est rationalis & admiratiuus, est risibilis, est volitiuus*, quando prædicata sumuntur radicaliter, & identificantur cum essentia hominis, sunt realiter immediata, siue cognoscatur homo, vt existens, siue vt possibilis. Præterea si prædicatum distinctum realiter à subiecto immediatè ipsi vnitur, vt quantitas cum materia, intellectus cum anima, imo etiam voluntas, quæ licèt conueniat animæ ratione intellectus, non tamen vnitur immediatè cum intellectu, sed cum anima; propositio erit immediata realiter secundùm se, quoniam extrema ipsius dicunt immediatam vicissim habitudinem partium vnibilium, vel formæ, & subiecti, qua habitudine per speciem propriam repræsentata, vel intuitiuè, vel abstractiuè, intellectus assentitur immediatè, nec in his refert, quòd in ratione efficientis detur medium, si non datur in ratione recipientis, vel vnibilis: ista enim habitudo, sine alia sufficit ad assensum immediatum.

26. Quòd si prædicatum sit realiter distinctum à subiecto, & vniatur cum illo solùm mediatè, vel in al[illegible] sicut duo rami vniuntur in trunco, figura cum materia media quantitate, propositio dici potest mediata realiter in se, poterit tamen immediatè cognosci per propriam speciem, vel intuitiuè, quod fatetur Suarius suprà num. 15. visis duabus vnionibus intuitiuè, scilicet vnione quantitatis cum materia, & vnione figuræ cum quantitate vel abstractiuè cognita per propriam speciem conoexione intrinseca, quam habet substantia hominis cum tali, vel tanta quantitate, & cum figura humana talis quantitatis: Sicut enim cùm intuitiuè video per visum corporeum aquam in vase, & vas existere in mensa, immediatè sine discursu iudico aquam existere in mensa mediatè, sic cùm abstractiuè cognoscit Angelus per speciem propriam ordinem intrinsecum, quem dicit corpus humanum ad tantam quantitatem cum tali figura, immediatè indicat homini deberi talem figuram mediante quantitate: nam ipsamet vnio mediata extremorum potest immediatè cognosci, cùm per speciem propriam repræsentatur habitudo vnius extremi immediata ad immediatum, & mediata ad mediatum.

Requiritur autem discursus saltem, quando connexio, vel habitudo extremorum siue mediata, siue immediata non videtur in se, quia non repræsentatur per propriam speciem, sed ex aliis principiis vel materialibus, vel efficientibus colligitur, v. g. si Angelus vita substantia Petri, & ordine quem dicit ad suam quantitatem immediatè, non videret ordinem, quem mediatè dicit ad figuram, tunc ex quantitate, ac ex aliis proprietatibus induidualibus colligeret, talem vel talem figuram deberi connaturaliter illi, quia similes proprietates similis figura consequitur in aliis. Similiter si videret Angelus ordinem, quem dicit ignis immediatè ad calorem, non vrò quem mediatè dicit ad raritatem in ratione efficientis, immediatè verò in ratione recipientis, colligeret ex calore, & siccitate raritatem, quia videt in aliis corporibus calidis conoaturaliter reperiri. 27.

Dicetur igitur immediata in se realiter propositio, cuius prædicatum identificatur cum subiecto, vel immediatè vnitur cum illo, immediata verò quoad se virtualiter, & ratione nostra dicetur, quando nec virtualiter, nec ratione nostra datur aliud prædicatum, quod prius conueniat subiecto, & sit quasi ratio alterius, sic istæ sunt immediatæ propositiones etiam virtualiter, vel ratione. *Homo est rationalis, Deus est ens à se, est omnipotens*, &c. mediatæ realiter dicentur, quæ mediatè tantùm habent vnita prædicata cum subiectis; ac subinde demonstrari possunt per aliquod medium reale; imò nonnunquam dicuntur mediatæ quoad se, scilicet in genere efficientis; quarum connexio demonstrari potest per aliquid prius natura, vel causalitate, vt raritas per calorem, voluntas per intellectum. Sic dicemus prima principia medio vacare secundùm se, quia non habent natura sua aliquid prius, per quod cognoscantur, sed solùm probari possunt ab effectibus, & per aliquid posterius: at alias propositiones esse mediatas secundùm se, quia suapte natura habent aliquid prius, quod assumi possit vt medium ad earum demonstrationem. 28.

Argumenta primæ sententiæ probant nostram primam conclusionem, sed quatenùs pugnant contra secundam. Respondetur ad primum negando minorem: nam propositiones in se mediatas, quarum connexionem percipit Angelus per speciem propriam, sine discursu cognoscit, vt diximus: assentitur enim propter connexionem extremorum mediatam quidem secundùm se, sed tamen immediatè repræsentatam per speciem propriam, vnde non eget discursu. Exemplum autem eclipsis futuræ potiùs spectat ad primam conclusio- 29.

conclusionem, quia licèt Angelus habeat speciem propriam eclipsis quoad possibilitatem illius, non tamen quoad existentiam futuram, quia talis species non repræsentat eclipsim, vt existentem pro tali differentia temporis, donec existat reipsa. Quare ad secundum argumentum fatemur eclipses futuras cognosci ab Angelo per discursum. Ad tertium respondetur si Angelus habeat species proprias omnium numerorum, & figurarum, poterit omnes sine discursu cognoscere, non tamen simul, sed plures, aut pauciores iuxta mensuram virtutis intellectricis, recolantur supradicta cap. 2.

30. Ad fundamenta secundæ sententiæ iam diximus quomodo possit exponi S. Thomas, scilicet quòd neget reperiri discursum in Angelis cum reali successione, vel etiam causalem respectu naturalium obiectorum. Ceteri Patres non loquuntur de discursu in particulari, sed vel agunt de visione beata Angelorum, vel generaliter commendant Angelorum perspicacitatem, & excellentiam respectu nostræ mentis, quæ satis apparet, quatenùs Angeli habent rerum naturalium ferè omnium proprias species, per quas cognoscunt obiecta sine discursu, cùm nos in plerisque discurramus: Ideò Angeli vocantur intelligentiæ, quamuis etiam interdum à Patribus dicantur rationales, vt patet ex Gregorio homilia 10. de Epiphania, Damasceno, Bernardo, & aliis. Vnde soluitur primum argumentum. Gregor. Damasc. Bernard.

31. Ad secundum dicimus proportionem illam nimium posse probare, si seruanda foret ad vnguem: sequeretur enim Angelum omnia simul intelligibilia cognoscere, sicut cæli simul omnem suam perfectionem sunt adepti: sufficit ergo vt talis proportio quodammodo seruetur, quatenus scilicet Angeli habent naturale lumen intellectuale perfectum, & species proprias plurium obiectorum, circa quæ non discurrunt. Nec plus probat tertium argumentum: nam Angeli quæ naturaliter percipiunt per species proprias, statim possunt sine discursu cognoscere; ceterùm ea, quorum non habent propriam speciem, non nisi per discursum assequentur. Sicut enim affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis. Vnde ad confirmationem similiter respondetur in his, quæ Angelus per speciem propriam cognoscit, non dari quidem progressionem ab vno cognito ad aliud ignotum; attamen in his, quæ Angelus tantùm assequitur coniectura fieri progressionem à nobis ad ignota: Dæmones enim ex his quæ videbant, inquirebant, quod ignorabant, scilicet Christum esse Deum, & sic de aliis.

CAPVT IV.

Vtrùm Angeli componendo, ac diuidendo cognoscant.

1. Communis sententia negat, ita S. Thomas in hac quæst. 58. artic. 4. Caietanus ibi, & communiter Thomistæ, & in 2. distinct. 3. vbi Ægidius Romanus 3. part. distinctionis quæst. 2. artic. 3. Durandus quæst. 3. & alij. Probat S. Thomas, quòd compositio prouenit ex imperfectione luminis intellectus non manifestantis omnia, quæ subiecto connectere possunt. Ex quo prouenit, vt vnico conceptu prædicatum, alio verò subiectum concipiat, & inuicem comparans affirmando vnum de alio componat. Cùm igitur intellectus Angelicus quamcumque rem videns eodem conceptu cognoscat quidquid ei conuenire potest, fit vt intelligendo non componat. S. Thom. Caietan. Ægid Rom. Durand.

Suarius lib. 2. de Angelis cap. 32. limitat hanc sententiam ad illa obiecta, quæ cognoscit Angelus euidenter, & in his existimat, quamuis Angelus per diuersas species cognoscat prædicatum, & subiectum adhuc non dari compositionem; quia vel per speciem prædicati repræsentatur subiectum obliquè, licèt non repræsentetur directè, vel duplex species potest ad vnicum simplicem actum concurrere, quod contingere putat in propositionibus negatiuis: cùm enim Angelus duas diuersissimas res cognoscit conceptu comparatiuo conferendo vnam cum alia, ratione talis habitudinis cognoscit illas per modum vnius obiecti, quod non excedit virtutem sui luminis, & consequenter potest vti speciebus distinctis per modum vnius principij, & talem actum simplicem elicere. 2. Suarez.

Ego suppono, quod docui in libris de anima; & tradit Vasquius 1. part. disp. 223. cap. 3. compositionem, & diuisionem mentalem in nobis fieri per duos conceptus, alterum prædicati, alterum subiecti, quibus non concipiantur extrema absolutè, sed ita relatè, vt vnum alteri conueniens, vel dissentaneum repræsentetur. Conuenientia verò extremorum denotatur à nobis per copulam *est* affirmatam; disconuenientia verò per eandem copulam negatam; ita vt in mente nostra non correspondeat copulæ peculiaris conceptus rei, licèt aliquem conceptum vocis respondentem copulæ habeamus; sed compositio, & diuisio fit duorum conceptuum repræsentantium res sic relatè, propptereaque dicatur compositio conceptuum, quoniam extrema repræsentantur inconuenientia, diuisio verò quoniam extrema diuisa, id est, secum repugnantia concipiuntur. 3. Vasquius.

Dico primò, quoties Angelus per eandem speciem cognoscit prædicatum, & subiectum non componit, nec diuidit, sed per simplex iudicium affirmat, vel negat vnum de alio, sic S. Thomas, & communis Doctorum, & hic habet vim ratio S. Thomæ: nam species proportionantur intellectuali lumini, quare quæ per vnicam speciem repræsentantur, vnico simplici conceptu, seu iudicio possunt attingi; ergo quoad hæc non indiget Angelus compositione, imò nec illam potest exercere, quia si cognoscit rem perfectè, connaturaliter etiam illam cognoscit, quare sic præuenit compositionem per actum simplicem vt illi locum non relinquat. Declaratur exemplo visionis beatæ, in qua non potest dari compositio, quoniam vnico actu pandit omnia, quæ diuina essentia per modum speciei vult beato repræsentare; sicut tamen non ideò secluditur à visione beata compositio ex partibus extensionis ad diuersas formalitates terminatis, vt docet Salas 1. 2. quæst. 3. tractat. 2. disp. 3. sect. 3. & nos lib. 1. disp. 23. cap. 4. sic nec ab his Angelorum iudiciis excludimus compositionem extensiuam, sed solam illam compositionem, seu diuisionem quæ reperitur in nostris iudiciis per complexionem actuum realiter distinctorum repræsentantium subiectum, & prædicatum relatè. 4. Salas.

Iuxta conclusionem istam quandocunque prædicatum identificatur realiter cum subiecto, v. g. genera, 5.

genera, species, aut differentiæ dum prædicantur de suis indiuiduis, vbi nos componimus, quia res prout sunt in se non cognoscimus, Angelus non componit, quia species repræsentans perfectè rem communiter extéditur ad hæc prædicata identificata cũ ipsa re. Idem est in proprietatibus, & rebus distinctis, si per vnicam speciem repræsentantur, quia tunc nulla est ratio multiplicandi actus, vt dictum est, Quare si species Angelica repræsentat, v. g. genus terrestrium animalium cum suis speciebus, per illam vnico intuitu simplici videt Angelus quid sit equus, & quas proprietates habeat, idemque de leone cognoscit, ac per consequens etiam videt equum non esse leonem, & sic de ceteris, quæ per eandem speciem repræsentantur; quoniam Angelus per vnam speciem vnum actum ipsi adæquatum elicere potest: ergo per illum absque compositione cognoscit quidquid per talem speciem repræsentatur.

6. Dico secundò, cùm Angelus cognoscit per distinctas realiter species subiectum, & prædicatum, verè iudicat per compositionem, & diuisionem complexam. Ita docet Vasquius 1. part. disput. 223. Molina in hac quæst. 58. artic. 4. & partim consentit Suarius, scilicet quoad ea, quæ Angelus non cognoscit euidenter: tunc enim cognoscit subiectum per speciem propriam illius, prædicatum autem non nisi per alienam; talis verò diuersitas specierum inducit distinctionem realem actuum. Quare sicut diximus cap. 3. circa hæc obiecta Angelos discurrere, potiori iure censendum erit circa ipsamet diuidendo, vel componendo iudicare. Probatur ratione S. Thomæ hîc à contrario inducta; quoniam ideò componit, & diuidit homo, quia noster intellectus non statim per speciem obiecti potest inspicere quidquid illi conuenit, vel repugnat, quod contingit in nobis ex debilitate luminis, & ex imperfectione specierum, sed similiter comparatur intellectus Angelicus ad ea quæ non potest euidenter cognoscere: ergo respectu illorum est capax compositionis, & æquè indiget illa, ac intellectus humanus. Consequentia tenet à paritate rationis. Vasquez.

7. Minor apparet primò in supernaturalibus: nam quandiu per supernaturale lumen non reuelantur euidenter ad talia prædicata cognoscenda, lumen Angelicum naturale valde debile est; imò licèt reuelentur euidenter, requiritur species supernaturalis longè diuersa à specie subiecti naturalis, de quo prædicantur, videlicet in his iudiciis, *Petrus est fidelis, est iustus, & insignitus charactere baptismi.* Cùm ergo naturalis species subiecti determinet ad naturalem notitiam illius, species verò supernaturalis prædicati ad notitiam illius supernaturalem, diuersæ realiter notitiæ constituent iudicium illud.

8. Apparet secundò, in futuris contingentibus: nam licèt Angelus habeat speciem propriam illorum, tamen hæc repræsentat effectum vt possibilem, non secundùm existentiam pro tali tempore, donec ponatur extra causas; quare dum per coniecturas iudicat Angelus de tali existentia, debet vti alienis speciebus, & consequenter distinctam notitiam prædicati formare, quæ simul cum notitia propria subiecti constituat iudicium complexum. Quando verò iam existit effectus, si sit eadem species repræsentans subiectum, & prædicatum, v.g. Petrum & motum illius, poterit Angelus per simplicem actum iudicare, *Petrus mouetur*, iuxta primam conclusionem positam num. 4. si verò sit species diuersa, indigebit compositione, iuxta dicenda. Idemque proportionaliter asserendum est in internis actibus mentis iam factis, vel dum non manifestantur, sed cognoscuntur per coniecturam; vel dum manifestantur, & cognoscuntur euidenter.

Rursus in his etiam, quæ cognoscit Angelus euidenter, dum vtitur distinctis speciebus dari distinctos actus per compositionem, & diuisionem coeuntes ad iudicium complexum, probat Vasquius: nam quoties de diuersitate cóceptuum formalium disputamus, non aliunde colligere possumus esse plures conceptus formales expressos, quam ex diuersitate specierum impressarum, & frustrà quidem comminiscimur vnum conceptum formalem non tantum ordine vnum, sed simpliciter vnum, si fit ab intellectu virtute plurium specierum. Quod enim intellectus per varias species plura ordinatè intelligat, non est sufficiens causa, vt eliciat vnam simplicem qualitatem conceptus formalis, sed varios conceptus de variis rebus, cum ordine tamen vnius ad alium; alioquin homo etiam per diuersas species necessariò exprimeret vnum simplicem conceptum diuisionis, & compositionis, aut si ordinatè concipere per distinctas species non sufficit in nobis ad simplicem conceptum, nec sufficiet in Angelis. 9.

Respondet Suarius tunc Angelum non cognoscere plura simul, & vnico actu, nisi per vnicam speciem, quando illa cognoscit perfectè quantum potest: at verò quando plura simul considerat secundùm quid, id est, solùm quantum opus est ad cognoscendam distinctionem, & negationem vnius ab alia, potest vti simul pluribus speciebus ad actum simplicem eliciendum; nec censet distingui conceptus formales ex speciebus, vel saltem non semper, nec adæquatè, sed ex obiectis propriis formalibus, etsi plures species, vt principia partialia concurrant ad eundem actum. Ceterùm meo iudicio si posset intellectus vnicam intellectionem talium obiectorum elicere connaturaliter, postularet etiam vnicam speciem illorum repræsentatiuam, & sicut nunquam duæ potentiæ vitales coniunguntur ad producendum eundem actum; sic nec duæ species, quæ sunt principia necessaria simpliciter ad cognitiones eliciendas, coniungentur connaturaliter ad eundem actum producendum. Vnde sicut ex parte principij per distinctas potentias colligimus elici diuersos actus, sic etiam per species intentionales distinctas dicemus determinari cognitiones distinctas. 10.

Alij Thomistæ respondent apud Vasquium suprà num. 10. si extrema propositionis apprehendantur distinctè, non posse Angelum sine compositione, vel diuisione iudicare de illis extremis, quorum habet diuersas species; non tamen indigere tali compositione, vel diuisione, dum extrema non apprehendit distinctè, sed alterum duntaxat apprehendit confusè; & hoc solùm intendisse S. Thomam, ita vt cùm Angelus iudicat hominem, non esse quidquam eorum, quæ non ratiocinantur; simplex vtique iudicium eliciat. Quam doctrinam amplectitur Vasquius, & admittit etiam Suarius, nec ego quidem respuo, si dicamus ex vi solius speciei repræsentantis hominem posse distinctè cognosci, seu iudicari, quidquid non habet differentiam 11 Vasquez.

vltimam

vltimam hominis non esse hominem; & ita speciem intelligibilem hominis sufficere ad illum actum, & consequenter actum adæquatum tali species claudere cognitionem explicitam illius negationis, seu diuisionis ab omni alia re, quæ tali differentia caret.

12. Ratio S.Thomæ posita suprà num.1. probat nostram primam conclusionem, nec impugnat secundam: nam obiecta repræsentata per plures species pluribus etiam actibus concipiunt Angeli. Quod autem dicit Suarius per eandem speciem prædicati repræsentari subiectum obliquè, supponit aliam eiusdem doctrinam, quam non probo, scilicet relationem & terminum videri semper eodem actu, ideoque volitionem Angeli, & ipsum Angelum videri per eundem conceptum, ac per consequens speciem volitionis repræsentare Angelum simul obliquè. Sed certè si repræsentaret entitatem Angeli prout est in se principium talis volitionis, non capio quid sit illud obliquè, vel cur non etiam directè repræsentet; itaque censeo relationem, & terminum ipsius sæpè distinctis speciebus repræsentari, subindeque si species repræsentatiua substantiæ Angelicæ non repræsentat etiam volitionem illius, nec speciem repræsentatiuam volitionis repræsentare quidem Angelum ipsum directè, vel obliquè.



DISPVT. XV.

De proprietatibus cognitionis Angelicæ.



VOMODO cognitio Angelica circa obiecta nonnulla sit necessaria moraliter, non verò simpliciter, dictum est disput.14. cap.1. Nunc restat examinandum an semper sit vera, an generet habitum.

CAPVT I.

Vtrùm cognitio Angelica semper sit vera.

1. Aristot. Aristoteles lib.3. de anima cap.6.& 1. Perì herm. cap.1.& 3. docet veritatem, & falsitatem in compositione, ac diuisione mentis reperiri non in simplici conceptione; quare cùm Angeli circa pleraque obiecta non componant, aut diuidant, non videntur talia iudicia esse capacia veritatis, aut falsitatis: Nihilominùs dicendum est primò cum S. Thoma in hac quæst.58. art.5.& communi Doctorum in omnibus iudiciis Angelorum dari propriam veritatem, vel falsitatem; quod in iudiciis cum compositione, vel diuisione factis facilè cernitur. In simplicibus autem ostenditur, quia simplex iudicium Angelicum enunciat quidem vnum de alio, eminentérque modo continet quidquid compositio, vel diuisio nostrorum iudiciorum formaliter importat; quapropter in intellectione quoque seu scientia diuina, quæ simplicissima est in iudicando, reperitur proprissima veritas formalis: ergo perfectionem hanc ab illa participant Angeli; multo magis quàm homo. S. Thom.

2. Nec obstat Aristoteles in contrarium adductus, quia de intellectu humano locutus est; quando verò simplex notitia talis est, vt per simplicem actum clarè distinctéque diiudicet hanc rem esse talem, vt talem, non minùs quam per plures conceptus componendo vel diuidendo fieret, in tali iudicio simplici dabitur propria veritas, imò altiori, ac perfectiori modo, quàm sit in cognitione nostra complexa; quoniam eandem conformitatem habet ad obiectum meliùs, & clariùs cognitum, in qua conformitate veritas formalis consistit; sic Caietanus in hac quæst.58. artic.5. & sequuntur alij. Caietan.

3. Dicendum est secundò intellectum Angeli capacem esse non solùm veritatis, sed etiam falsitatis, in his scilicet quæ non cognoscit euidenter, sed per coniecturas, vel fidem fundatam in auctoritate creata potest assequi, & iudicare. Ita cum S. Thoma suprà Molina Vasquius, & alij. Probatur, nam Angelus in pura natura spectatus, si de rebus, quas non cognoscit euidenter haberet probabiles coniecturas, vel testimonium sufficiens, iudicare posset non solùm hoc esse credibile, seu probabile, sed etiam absolutè sic esse. Cur enim non posset voluntas Angeli libera hunc assensum imperare, intellectusque sic imperatus elicere? Ergo tale iudicium posset interdum esse falsum.

4. Nunc autem Angeli sancti, vt notat S.Thomas ita prudenter se gerunt in his coniecturis, vt non ferant absolutum iudicium de re ipsa, sed de probabilitate, vel credibilitate duntaxat, quam vident euidenter. Mali tamen operantur modo sibi connaturali, & per malam voluntatem illo abutuntur; ideò falluntur sæpe; idem verò posset illis in statu puræ naturæ contingere; forsan verò rarius, quia non sic ferrent tam facile præceps iudicium de re incerta; sufficit autem quòd id facere possint, vt sint falsitatis capaces.

CAPVT II.

De cognitione Angelorum matutina, & vespertina.

1. S.Thom. August. Sanctus Thomas in hac quæst.58. artic.6. & 7. totus est in explicanda mente Augustini, qui cognitionem matutinam, & vespertinam distinguit in SS. Angelis lib.11. de Ciuit. cap.7.& 29.& lib.4.de Genes.ad litteram cap.22. & deinceps ac sæpè alibi, Circa cuius intelligentiam nonnullum est Scholasticorum dissidium, & sit prima sententia Scoti in 2. dist.3. quæst.9. §. *Ad quæstionem* versic. *Tertiò persuadetur*, existimantis Augustinum intellexisse nomine cognitionis matutinæ non solùm visionem Dei, & creaturarum in ipso, sed aliquando etiam cognitionem quandam quidditatiuam Dei per propriam diuinitatis speciem habitam inferiorem quidem intuitiua cognitione, superiorem tamen quauis cognitione abstractiua habita per alienas species.

2. Probatur primò, nam Augustinus lib.4. de Genesi ad litteram cap.32.& lib.65. quæstionum quæst.26. plane docet priorem fuisse in Angelis visionem matutinam, quam vespertinam, & visio beata non fuit prior, quàm visio creaturarum in seipsis, cùm Angeli non fuerint creati cum supernaturali beatitudine, sed viatores: ergo visio beata non est matutina. Probatur secundò, nam ex sententia Augustini lib.4. de Gen. ad

litteram cap.32. 34.& 35.lib. 5.cap.5. septem dies Genesis extiterunt simul à principio in vnico durationis instanti; & ex sententia eiusdem Augustini singuli dies illi constant cognitione matutina, & vespertina in mentibus Angelicis: Vnde fit vtramque cognitionem illam in mente Angeli fuisse à primo instanti durationis suæ: sed cognitio in Verbo non fuit à primo instanti, cùm Angeli creati non fuerint in beatitudine: ergo secundùm Augustinum cognitio matutina non est sola visio beata. Probatur tertiò, nam ex mente Augustini lib. 11. de Ciuit. cap. 7. & lib.4. de Genes. ad literam cap. 30. ac alibij cognitioni vespertinæ singularum creaturarum succedit cognitio matutina illarum, cùm cognitio creaturæ refertur in laudem, dilectionemque creatoris: ergo matutina non est sola visio beata.

3. Vasquius. Secunda sententia fit Vasquij 1.part. disp.51. cap.3.dicentis, Augustinum appellare cognitionem matutinam eam, qua videntur creaturæ non secundùm proprias, & formales earum rationes in Deo; sed quia videtur essentia creatrix continens virtualiter creaturas, ac subinde solum ipsum esse Dei videri per matutinam cognitionem. Probat primò, nam Augustinus 11. de Ciuit. cap. 7. mane vocat scientiam Dei creatoris, sic enim scribit. *Fit autem vespera huius diei, & mane aliquatenùs, quoniam scientia creaturæ in comparatione scientiæ creatoris quodammodo vesperascit.* Ex quibus verbis colligit, mane & vespere distingui ab Augustino, non ex diuerso modo cognoscendi creaturam, sed ex parte rei cognitæ, ita vt cognitio, quæ habetur de Deo, sit mane, siue matutina; cognitio verò quæ habetur de creatura sit vespere, id est, vespertina.

4. Probatur secundò, quoniam Augustinus lib.11.de Ciuit.cap.29. ostendens quomodo aliter videantur res in Verbo, quàm in seipsis, (ex quo loco communiter colligimus duas cognitiones, vnam matutinam, & alteram vespertinam) sic ait. *Sicut aliter scitur rectitudo linearum, seu veritas figurarum, cùm in intellectu conspicitur, aliter cùm in puluere scribitur*, ac si dicat, in intellectu est vndequaque perfecta; ceterùm cùm describitur præsertim in puluere, non potest sine aliquo defectu esse: Sic igitur res in intellectu Dei sunt quid incorruptibile: at in seipsis corruptioni subduntur. Quem sensum magis declarat, cùm addit, *& aliter iustitia describitur in veritate incommutabili, aliter in anima iusti.* Quæ verba (vt ait Vasquius) satis indicant Augustinum non agere de rebus in Deo tantùm obiectiuè existentibus secundùm proprias rationes formales: nec enim diceret, eas alio modo esse in Deo, quàm in seipsis, cùm à Deo cognoscantur, sicut sunt à parte rei mutationi, & corruptioni subiectæ. Loquitur igitur de ipsis, prout in Deo sunt ipse Deus, nimirum de idea, & arte illarum, quæ reuerà est ipse Deus.

5. Augustinus Probat tertiò, nam Augustinus lib.63. quæstionum quæst.26. vt probet melius videri creaturam in Deo, & in arte sua, quàm in seipsa, adducit id Ioan.1. *Quod factum est in ipso, vita erat*, & subdit, *omnia ergo quæ facta sunt in ipso, & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt in seipsis vita non sunt*, & inde colligitur. *Ac per hoc plus videntur ab Angelis sanctis in Verbo Dei, vbi sunt vita, quàm in seipsis.* Quod si secundùm Augustinum res in Verbo viderentur quoad proprias rationes, fieri non posset, vt non viuentia sicut lapis, viderentur viuere. Signum ergo est loqui Augustinum de ipsamet essentia diuina, quatenùs dicitur idea, & ars creaturarum, quæ est ipse Deus: Vnde melius creaturæ videntur in Deo, quàm in seipsis. Confirmat ex Augustino tractat. 1. in Ioann. præcitata verba, vbi contra Manichæum probat, lapidem non viuere, sed viuere ideam lapidis, quæ est ipse Deus. In eodem igitur sensu dicit res in Deo multo meliùs esse, quia scilicet earum idea, quæ est Deus, melius esse habet.

6. Probat quartò ex Augustino lib.4. de Genesi ad litteram cap.32. post medium dicente. *Facta est vespera, quia necessaria erat, & ista cognitio, qua distingueretur à creatore creatura aliter in se cognita, quam in ipso*: ergo secundùm Augustinum per cognitionem matutinam non cognoscuntur creaturæ secundùm proprias rationes creaturarum, per quas distinguuntur à creatore: sed requiritur vespertina cognitio repræsentans proprias rationes creaturarum, vt per istam discernantur à creatore: ergo cognitio matutina solùm repræsentat essentiam diuinam, quæ est ars omnium creaturarum.

7. Probat quintò ex Augustino lib.5. de Genesi ad litteram cap.34. vbi loquens de Angelo cognoscente creaturas notitia vespertina, & matutina, sic ait, *Cum simul vniuersam creaturam, sicut simul facta est, & in primis atque incommutabilibus rationibus, per quas condita est, contemplaretur propter diem; & in eius ipsius natura cognosceretur propter vesperam, & creatorem ex ipsa etiam inferiore cognitione propter mane laudaretur.* His verbis distinguit Augustinus (inquit Vasquius) matutinam, & vespertinam cognitionem circa creaturas ipsas diuerso modo cognitas: matutinam enim vocat, quam habet Angelus de creaturis prout sunt in ipsis rationibus æternis Dei; sic autem sunt ipse Deus, vespertinam verò quatenùs eas cognoscit secundum proprias ipsarum naturas.

8. In primis certum est Augustinum per cognitionem matutinam intellexisse visionem beatificam Angelorum, quam sæpè vocat sanctam, & piam Verbi contemplationem, cognitionem Verbi, & in Verbo Dei, in sapientia Dei; & lib.4. de Genesi ad litteram cap.32. inquit, *Post Verbum Dei* (scilicet quo dixit, vt fieret lux Angelica) *facta est lux, adhæsitque creanti lux creata videns illam, & se in illa.* Per cognitionem verò vespertinam intellexisse cognitionem creaturarum extra Verbum, scilicet in genere proprio per proprias ipsarum species.

9. In hac conclusione conueniunt ferè omnes; solus discrepat nonnihil Scotus, cuius sententiam refellimus suprà lib.2.disp.12. ostendentes non esse possibilem quidditatiuam Dei notitiam, quæ non sit intuitiua: non ergo docturus erat Augustinus rem impossibilem, nec id colligitur ex testimoniis inductis ab Scoto. Ad cuius primam probationem, Respondet Augustinum ibi non loqui de prioritate durationis: ait enim eo cap.32. *Ac per hoc etiamsi nulla hìc morarum temporalium sint interualla*, & cap.30. dixerat, hanc esse differentiam inter diem nostrum temporalem ex sole visibili & intellectualem secundùm Angelicæ cognitionis lucem, quod non simul adest mane, & vespere nostræ diei, sic autem diei Angelicæ, & cap.34. de eodem die cognitionis

matutinæ,

matutinæ,& vespertinæ inquit, *Sed in his diebus quid prius sit, & posterius interualla temporum non demonstrant.* Igitur loquitur de prioritate tum dignitatis, quod asserit Vasquius suprà cap. 2. tum etiam naturæ & causalitatis,nõ inter cognitionem matutinam, & vespertinam quoad proprias entitates:nec enim vna est causa alterius,sed inter obiecta primaria talium cognitionum:nam obiectum primarium cognitionis matutinæ est ipsamet essentia diuina provt ars, & idea creaturarum : obiectum verò primarium cognitionis vespertinæ sunt ipsæ creaturæ,provt in se.Et quidem essentia Dei sub illa consideratione prior est prioritate naturæ,& causalitatis,quam ipsæ creaturæ. Ita dicit expressè Augustinus eo c.32. his verbis. *Præcessit tamen ratio condenda creaturæ in verbo Dei,cùm dixit fiat lux,& secuta est ipsa lux.*

10. Hanc antecessionem significat Augustinus repetens passim locis adductis,cognitionem matutinam habere pro obiecto creaturas,vt faciendas, vespertinam verò creaturas vt factas;quæ doctrina videtur difficilis,cùm beati non minùs videant in verbo factas fuisse creaturas , quæ factæ fuerunt , quàm faciendas fore , quæ faciendæ sunt, sensus tamen Augustini est,obiectum primarium cognitionis matutinæ, scilicet diuinam essentiam provt ideam creaturarum semper antecedere prioritate naturæ creaturas , siue vt præteritas, siue vt præsentes, siue vt futuras.

11. Ex hoc principio colligit Augustinus ea q.26. duplicem rationem ob quam cognitio verbi , & creaturarum in illo dicatur manè , cognitio verò creaturarum in seipsis vocetur vespere.Prima ratio est,quia manè præcedit , vespere subsequitur. August. Verba Augustini sunt. *Omnis creatura antequam in suo tempore fieret,in ipso verbo prius ab Angelis cognoscenda,& sic suo tempore facienda;quapropter cognitio creaturæ in semetipsa vespera , in Deo erat mane.* Secunda ratio est,quia manè est clarius,vespere obscurius, verba Augustini sunt, *quia prius videtur ipsa creatura in verbo , quàm in seipsa videatur;ideò plus videtur in arte,qua facta est,quàm in seipsa*,id est, quoniam in Deo videtur à priori, & per causam,ideò plus,& clariùs videtur.

12. S. Thom. Secundam probationem dissoluens S.Thomas 1.p.q.62.art.1.ad 3.videtur concedere cognitionem quandam matutinam,licèt impropriam Angelis viatoribus , eam scilicet , qua cognoscunt Deum à posteriori;& Valentia. Valentia tom.1.disp.4.q.9. punct.5.distinguit duplicē cognitionem matutinam,alteram supernaturalem,quæ est visio beata, alteram naturalem,qua cognoscit Angelus naturaliter Deum,& huius dicit meminisse Augustinum lib.4.de Gen.c.22.23.& 24.cùm docet omnes Angelus fuisse creatos in cognitione matutina.Sed equidē,vt ipse S.Thomas satis innuit,hæc cognitio nunquam ab Augustino dicta fuit matutina. Quare respondetur , quòd cùm Augustini sententia dies illi metaphoricè solùm intelligantur,idémque sit sex diebus creatum fuisse vniuersum , ac genera illa rerum, quæ Deus sex diebus creasse dicitur , cognita fuisse ab Angelis illa duplici cognitione, nihil obstat quòd assignentur secundùm cognitionem Patriæ,quæ fuit tempore posterior, sic Vasquius suprà.

13. Ad tertiam probationem negatur consequentia: licèt enim visio beata iuxta suprà dicta ex parte obiecti primarij antecedat dignitate ac causalitate cognitionem vespertinam ; ceterum vespertina præcedit duratione visionem beatam, immò & causalitate non physica, sed morali, quatenùs Angeli referendo in laudem,& gloriam Dei creaturas cognitas per cognitionem vespertinam meruerunt beatitudinem. Quòd si petas quomodo ex Augustini sententia numerentur hi dies, & vnde sumatur ordo prioris , & posterioris intèr illos.

Respondetur,desumi ex connexione , causalitate, vel dependentia quapiam, quam illa genera rerum habent inter se,*non quidem quoad esse virtuale , quod habent in Deo: cùm enim sit increatum , vnum,ac simplex respectu creaturarum omnium , implicat quoad illud pendere realiter alias creaturas ab aliis:Sed quoad esse formale ipsarum in seipsis,secundùm quod esse sunt obiecta secundaria cognitionis matutinæ, & primaria vespertinæ.Sic ex professo Augustinus lib.4.de Genesi ad litteram cap. 32. sed præsertim cap.35. vbi quæ fusiùs disputarat in summam redigens, inquit de scientia Angeli , *qua in verbo Dei facienda prænosceret,& in creatura facta cognosceret, non per interuallorum temporalium moras,sed prius & posterius habens in connexione creaturarum ; in efficientia vero creatoris omnia simul* Expendantur ea priora verba, *in verbo Dei facienda prænosceret* , quibus significatur cognitio matutina creaturarum, & sequentia, *& in creatura facta cognosceret* , quibus significatur cognitio vespertina; vnde facilè constat Augustinum constituere ordinem prioris , & posterioris secundùm cõnexionem , aut causalitatem inter creaturas, tum quatenùs cognitas cognitione vespertina, tum etiam quatenùs cognitas cognitione matutina , de qua dixerat cap.34.ad finem. *In his ergo quæ simul* facta sunt, nemo videt,quid prius,posteriúsue fieri debuerit , nisi in illa sapientia , per quam facta sunt omnia per ordinem simul. 14.

Igitur ex doctrina Augustini locis adductis, præsertim illa q.26.& lib.11. de Ciuit. cap.7. & lib.4.de Gen. cap.22. in primo die facta est lux, id est, Angelica natura. Hunc diem præcesserunt tenebræ , ita vt post tenebras secutum fuerit mane illius diei : nam Angelorum creatio non priùs facta fuit in cognitione ipsorum Angelorū, quoniam antequam existerent Angeli , non poterant cognoscere seipsos, nec in seipsis , nec in verbo; quapropter illorum cognitio præcessit in sola verbi Dei cognitione, vt idem Augustinus insinuat 4.de Gen.cap.22.sed clariùs lib.2. cap.8.dicens. *Non primò cognouit rationalis creatura conformationem suam , ac deinde formata est , sed in ipsa sua conformatione cognouit , hoc est illustratione veritatis, ad quam conuersa est ; cetera verò quæ infrà sunt , ita creantur, vt priùs fiant in cognitione rationalis creaturæ , ac deinde in genere suo. Quapropter lucis conditio prius est in verbo Dei secundum rationem , qua condita est, hoc est in coæterna Patris sapientia, ac deinde in ipsa lucis conditione secundum naturam , qua condita est.* 15.

Itaque prima dies,in qua natura Angelica prōducta fuit , incepit à vespera , in qua iam Angeli creati cognouerūt se in sua formatione ; habitaq; hac sui ipsorum vespertina notitia cōuersi fuerunt ad laudandum Deum propter sui ipsorum creationem,& ita factum est mane illius diei,quo Angeli in verbo Dei cognoscunt seipsos cognitione quadam superiori , & clariori ; simulque cognouerunt in verbo creaturam,quæ secundo die condenda erat ; ita vt in mane primi diei,in quo laudauerunt Angeli Deum propter suam ipsorum 16.

creationem in ipso verbo acceperunt cognitionem firmamenti condendi in secundo die.

17. In secunda vespera, qua secundus dies incepit, creato iam firmamento Angeli nouerunt illud in ipsa firmamenti entitate, quæ vespera terminata est ad suum mane, quo Angeli conuersi sunt ad laudandum Deum, quia firmamentum ereatit, & simul in eodem verbo acceperunt cognitionem matutinam creaturæ condendæ die tertio, nempe congregationis aquarum, & apparitionis aridæ, & ita terminatus est dies secundus. In vespera verò vnde cœpit dies tertius viderunt Angeli congregationem aquarum in eius existentia propria iam producta, & post hanc vesperam factum est manè huius diei tertij. Dum Angeli conuersi sunt ad laudes Dei, quoniam aquas congregarit, & in hoc manè viderunt in verbo diuino creaturam condendam die quarto, & sic consequenter de ceteris diebus. Videatur Augustinus lib. 2. de Gen. cap. 8. & lib. 4. cap. 22. 29. & 32. & multis alijs locis.

18. Hinc existimo prætereà colligendum esse, Augustinum vocare cognitionem matutinam ea, qua non solùm videtur clarè Deus, sed etiam videntur creaturæ quoad proprias formalitates in verbo, vespertinam verò, qua creaturæ videntur in seipsis, vt in obiecto primario, seu per proprias species. In hac conclusione conueniunt omnes contra Vasquium, præsertim ex Recentioribus Suarius lib. 2. de Attrib. cap. 25. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 4. n. 40. Balthassar Nauarrete tom. 1. contr. 45. & alij communiter. Probatur 1. nam in prædictis locis manifestè distinguit Augustinus illos dies per distincta genera rerum, quatenus in Angelorum mentibus distinguuntur secundùm priorem, & posteriorem cognitionem, videlicet matutinam in verbo, vespertinã in propria rerum existentia; ita vt vna res ideò dicatur cõdita priùs quàm alia, quoniam in verbo Dei prior fuit matutina eius cognitio, quàm cognitio alterius. At si cognitio in Angelo matutina solùm est visio diuinæ naturæ continẽtis eminenter res creatas, intelligi non potest, quo modo per visionem matutinam distinguantur diuersa manè sex dierum, vt doctè contra Vasquiũ expendit Suarius eo c. 25. n. 13. nam iuxta Vasquij sententiam creaturæ non videntur per illam visionem, qua videtur Diuinitas; quare si talis visio est matutina, non possunt vtique creaturæ nec dies illarum secundùm diuersa mane distingui per cognitionẽ matutinam earum; Si verò cognitio matutina distinguit creaturas in verbo, terminari non potest ad solam diuinam essentiam secundùm se, sed prout continet rationes diuinæ sapientiæ, & artis, in quibus visis & ipsæ creaturæ videntur secundùm propriam cuiusque rationem & essentiam obiectiuè repræsentatam tali notitia.

Suarez.
Nauarrete.
Vasquez.

19. Probatur 2. nam Augustinus docet cognitionem matutinam esse, qua creaturæ prout faciendæ videntur in verbo; vespertinam verò, qua prout factæ videntur in semetipsis. Ita lib. 4. de Gen. ad litteram c. 32. postquàm ostendit mentem humanam (intellige mẽtem viatoris) cognoscere ideas, ac rationes æternas rerum existentium in verbo Dei solùm à posteriori, & per effectus subdit, *Mens vero Angelica* (intelligit mentem comprehensoris) *pura charitate inhærẽs verbo Dei, posteaquam illo ordine creata est, vt præcederet cetera, prius ea vidit in verbo Dei facienda, quàm facta sunt, ac si prius fiebant in eius cognitione, cum Deus dicebat, vt fieret, quàm in sua propria natura; quæ iisdem facta in eis ipsis etiam cognouit, minore vtique cognitione, quæ vespera dicta est.* Idem omninò, sed breuiùs docuerat cap. 24. vbi loquens de verbo Dei, ait, *in quo nondum factam esse, sed faciendum fuisse cognoscitur.* Certè cognitio creaturæ prout faciendæ est cognitio creaturæ quoad esse proprium, & formale, quod habet in se, non præcisè quoad esse virtuale, quod habet in Deo. Etenim creatura quoad illud esse non est facienda, cùm illud esse sit increatum, & ipsum esse Dei.

20. Probatur tertiò: nam Augustinus docet, per cognitionem matutinam creaturarum in verbo videri creaturas clariùs, per cognitionem verò creaturarum in seipsis videri minùs clarè: dicit enim lib. 11. de Ciuitat. cap. 7. *cognitio quippe creaturæ in seipsa decoloratior est, quàm cùm in Dei sapientia cognoscitur, veluti in arte, qua facta est*, & cap. 29. cùm dixisset. Deum vnum & Trinum magis notum esse Angelis beatis, quàm nos ipsi nobis cogniti sumus, subdit, *Ipsam quoque creaturam melius ibi, hoc est in sapientia Dei, tanquam in arte, qua facta est, quàm in ea ipsa sciunt, ac per hoc & seipsos ibi melius, quàm in seipsis*, & lib. 65. quæstionum quæst. 26. *Ideò creatura plus videtur in arte, qua facta est, quàm in seipsa, quæ facta est.* Certè si Augustinus non putaret videri creaturas in verbo quoad esse proprium, & formale, non diceret Angelos magis notos esse sibimetipsis in Deo, quàm in seipsis, nec creaturam videri clariùs in verbo, quàm in se: nam ego magis notus sum mihi, quàm illi beato, qui quantumcunque clarè videat Deum, non videt, an Deus possit producere, vel producat me in particulari.

21. Augustinus. Quæ retulimus in secundo, & tertio argumento, coniunxit Augustinus lib. 4. de Genes. cap. 26. loquens de creatura his verbis. *Quæ cùm per dies ceteros conderetur, aliter in seipsa facta cognoscebatur, quàm in illo, in cuius veritate facienda videbatur* (ecce secundum argumentum) & subdit, *huius cognitionis quasi decolor species vesperam faciebat* (ecce tertium) repetit hæc sæpius Augustinus, quem ita vt nos, interpretatur S. Thomas in hac quæst. 58. art. 6. & 7. tam apertis verbis, vt mirum sit, Vasquium ea disput. 51. cap. 1. citare S. Thomam pro sua interpretatione: sic enim ait Angelicus Doctor artic. 7. *Non enim videndo verbum cognoscunt solùm illud esse rerum, quod habent in verbo, sed illud esse, quod habent in propria natura, sicuti Deus per hoc quod videt se cognoscit esse rerum, quod habent, in propria natura: si ergo dicatur cognitio vespertina, secundùm quod cognoscunt esse rerum, quod habent in propria natura videndo verbum, sic vna & eadem secundùm essentiam est cognitio matutina, & vespertina differens solùm secundùm cognita; si verò cognitio vespertina dicatur, secundùm quod Angeli cognoscunt esse rerum, quod habent in propria natura per formas innatas, sic alia est cognitio vespertina, & matutina; & ita in verbo intelligere videtur Augustinus, cum vnam ponat imperfectam respectu alterius.* Ecce S. Thomas expressè constituit duplicem cognitionem creaturarum quoad proprium ac formale ipsarum esse, alteram in verbo, alteram in seipsis, & hanc secundam dicit ex mente Augustini esse vespertinam; primam matutinam.

22. Probatur quartò, quia sæpè docet Augustinus Angelos cognoscere creaturas in ipsis rationibus, & causis, secundùm quas factæ sunt, sic habet lib. 9. de Ciuit. cap. 22. lib. 4. de Genes. ad litteram cap. 24. & 34. & sæpè alibi: sed quis dicet creaturas visas ab Angelis secundùm esse increatum, secundùm quod sunt ipsa sapientia, videri secundùm rationes æternas, leges, & causas rerum condendarum? Etenim illæ rationes æternæ, vel causæ sunt ipsæmet ideæ, quæ in diuina sapientia continentur, ex eodem Augustino lib. 83. quæstionum quæst. 46. Iam verò illud esse increatum, quod eminenter continet creaturas, sicut non subiicitur legibus illis, vel rationibus æternis, ita non videtur secundùm illas, sed illæ potiùs leges videntur in ipso esse increato diuinæ naturæ, in quo formaliter est ipsa diuina sapientia, & ars, vt attributum illius. Quare si cognitio matutina rerum est visio illarum secundùm esse quod cognoscitur per illas leges, ideas, rationésque rerum; vtique illa formaliter non est visio solius esse increati, quo creaturæ in Deo sunt Deus, sed visio simul proprij esse, propriæque entitatis creatæ, qua res ipsæ obiiciuntur intellectui diuino.

23. Verus igitur Augustini sensus est, vt cognitio matutina sit, qua vident Angeli res in Verbo, & intra Verbum ipsum secundùm illud esse, quo diuinis decretis obiiciuntur, & respondent diuinæ omnipotentiæ; & ne liberum sit ad sensum causalem recurrere per cognitionem à Verbo causatam extra Verbum, notentur verba, quæ suprà citauimus ex lib. 2. de Genes. cap. 8. ibi. *Secundum id, quod intus vident*, & lib. 4. cap. 32. *Adhæsitque creanti lux increata videns illam, & se in illa.* Item lib. 13. Confessionum cap. 15. agens de sanctis Angelis ait. *Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua*, ibi, inquam, id est, in tua facie, in re ipso; quod
Ioan. 1. etiam expressit tractatu 1. super id Ioann. 1. *Quæ facta sunt, in ipso vita erant.* Vbi ait. *Quare ratio ipsa creatura, qua creatura est facta, non distinguitur à substantia Dei, quæ substantialis est vita, & ipsa arte resplendet, vt in ipsa intelligatur.* Quæ verba sensum causalem & interpretationem Vasquij satis expugnant: nam ex illis colligitur, creaturas in ipsamet arte diuina resplendere, id est, obiectiuè repræsentari, non quidè secundùm esse increatum, sed secundùm esse proprium entitatis suæ, cùm repræsententur secundùm quod artificiata sunt, & vt sic repræsentantur per diuinas ideas. Quòd si creaturæ videntur in ipsamet arte diuina secundùm esse proprium, quod in ea resplendet, profectò intùs cognoscuntur, non extrà per reuelationem extra Verbum factam.

24. Salas. Ad primum fundamentum Vasquij respondet Salas suprà pag. 262. volum. 1. in principio, alios codices non habere, *Fit autem vespera*, &c. Sed ita, *si tamen vespera diei visus, & manè congruenter distinguere valeamus.* Quam litteram refert
Lud. Viues. Ludouicus Viues ad eundem locum Augustini. Sed non est quòd ad aliam litteram recurramus, cùm ex illa non tollatur vis argumenti, quæ posita est in verbis sequentibus, vt ex argumento patet;
Nauarrete. Nauarrete tom. 1. controu. 45. §. vnico, respondet Augustinum ibi comparare scientiam creatam Angelorum cum scientia increata Dei, quasi dicat; ex eo quòd scientia Dei est clarior, quam scientia creaturarum, consequenter res cognitæ clariùs videntur per scientiam diuinam, quàm per scientiam creatam; ac subinde qui cognoscit istas creaturas secundùm quod repræsentantur in mente creatoris, sicut in arte, qua per sapientiam diuinam fabricantur, perfectiùs eas cognoscit, quàm per scientiam creatam, vnde cognoscit illas non secundùm aliquam rationem communem, & vt identificantur cum essentia diuina, sed secundùm rationes particulares & proprias.

Ceterùm hanc explicationem non esse recipiendam satis conuincunt illa verba, *quodammodo vesperascit*: Etenim scientia creata respectu increatæ non quodammodo, sed modis omnibus vesperascit, imò nox obscurissima potest nominari, cùm finiti ad infinitum nulla sit proportio. Rursus posita illa expositione cognitio creaturæ non posset diuidi in matutinam & vespertinam: nam in illo sensu omnis esset vespertina, siue haberetur in Verbo, sine in proprio genere ipsius creaturæ. Sensus igitur Augustini est, vt scientia creaturæ, id est, quæ habetur de creatura respectu scientiæ creatoris, id est, scientiæ: quæ habetur de eadem creatura in creatore, quodammodo vesperascat. Nec mirum quòd cognitionem creaturæ in seipsa appellet simpliciter scientiam creaturæ, ad quam primariò terminatur, cognitionem verò creaturarum in Deo vocet scientiam Dei, cùm hæc sit simul visio Dei, ad quem terminatur primariò, sed quia videt illum vt artificem, & creatorem rerum, videt simul in illo res creandas. 25.

In cuius confirmationem expendo, quòd in eodem lib. 11. de Ciuit. cap. 7. subdit Augustinus, scilicet cognitionem creaturarum in Deo esse manè, cognitionem verò creaturarum in seipsis esse vesperum, quasi dicat, eadem creatura aliter cognita in Deo, aliter in seipsa distinguit cognitionem matutinam, & vespertinam, non ex parte diuersi obiecti cogniti, sed ex parte solius diuersi modi cognoscendi idem obiectum, scilicet creaturas in Deo, vel in seipsis. Ibidem etiam ait. *Itémque lucescit & mane fit, cum & ipsa refertur ad laudem, dilectionémque creatoris.* Vnde colligitur ex mẽte Augustini, cognitionem creaturæ, quæ dicitur vespertina, recurrere in mane, id est, ad cognitionem matutinam, cùm ex cognitione creaturæ in seipsa refert Angelus ipsam creaturam ac laudandum, & amandum Deum quatenùs factorem creaturarum. 26.

Ad secundam probationem respondetur potius ex eo loco Augustini colligi nostram sententiam: sensus enim illius est, vt cognitio creaturarum in Verbo sit, sicut cognitio linearum, & figurarum in mente artificis, vel iustitiæ creatæ in diuina dispositione. Iam verò res in mente artificis cognoscuntur secundùm proprias rationes expressas in ipsa arte non solùm secundùm esse virtuale: ergo cognitio creaturarum in Verbo est cognitio illarum secundùm proprias rationes ipsarum formales, & sicut videns artem, in qua linea habet esse virtuale multò excellentius, quàm esse formale, quod habet in seipsa nempe descripta in puluere, statim ex visione artis descendit ad cognitionem lineæ quoad esse formale proprium magis penetratiuè, & à priori, quam si cognosceret ipsas solùm in seipsis quoad esse formale illius; ita videns verbum in quo 27.

quo velut in arte habent creaturæ esse virtuale multò excellentius quam esse formale, quod habent in seipsis, statim descendit ad cognoscendas creaturas magis penetratiuè, quàm si cognosceret ipsas solum in seipsis quoad esse formale. Nec obstat quòd creaturæ etiam obiectiuè existentes in arte diuina sint corruptibiles, & vt tales cognoscantur, sic enim cognoscuntur vt corruptibiles in actu signato, vt tamen secundùm illud esse quoad conformationem cum diuinis rationibus non sint tales in actu exercito: nam ipsæ corruptibilitatis leges, prout in arte diuina repræsentantur, sunt inuariabiles, & incorruptibiles, vnde prout sic sunt æternæ veritatis, quod solùm intendit Augustinus.

28. Ad tertiam probationem respondetur forsan illum librum non esse Augustini, vt colligitur ex censura illius, sed quisquis eius sit author, intendit sanè, creaturam etiam, quæ in se non est viuens, in Verbo esse vitam diuinam, quatenùs æternæ rationes, ac ideæ, quibus repræsentatur, sunt realiter ipsamet essentia diuina. Quare dicimus ad argumentum, creaturam in se ipsa non viuentem videri quidem in verbo, & in arte diuina secundùm suam rationem formalem non viuentis, adhuc tamen ratione artis diuinæ, in qua repræsentatur, dicitur esse Dei vita, scilicet secundùm esse virtuale, quod simul videtur cum formali. Hunc sensum explicat Augustinus tractatu 1. in Ioann. quatenus contra Manichæum concludit, lapidem in Deo non viuere (nec enim obiectiuè concipitur vt viuens) sed viuere ipsam ideam lapidis, quæ realiter est idem cum essentia diuina. Itaque secundùm Augustinum creatura secundùm propriam rationem formalem repræsentata in Idea diuina dicitur viuere, non ratione sui, vel entitatis propriæ, secundùm quam obiicitur intellectui diuino, sed ratione diuinæ ideæ, quæ creaturam repræsentat: sicut enim in illa idea dicitur creatura habere esse virtuale, quod non distinguitur ab essentia diuina, sic etiam dicitur ibi viuere. Et quod patet ad confirmationem.

Augustinus.

29. Ad quartam probationem respondet Nauarrete. supra fol. 288. colum. 4. ideò cognitionem vespertinam ab Augustino poni necessariam, vt creator distinguatur à creatura; nam hæc cognoscebatur anteà solùm prout in creatore erat ipse creator, & habebat esse increatum ipsius, quæ cognitio non satis erat, vt creator cognosceretur distinctus à creatura. Sed equidem Augustinus ibi non agit de cognitione creaturæ, prout in Deo est ipse Deus, sed de cognitione vespertina, & matutina creaturæ secundùm esse formale illius, & tamen docet vespertinam esse necessariam, vt creator cognoscatur distinctus à creatura. Suarius respondet illud non fuisse dictum ab Augustino, quoniam per visionem Dei non distinguatur creator à creatura obiectiuè cognita in Deo, sed quia cùm cognitio creaturarum in Deo sit altioris ordinis, & primariò terminetur ad creatorem; ideò necessaria fuit alia cognitio commensurata creaturæ, & quasi propria illius, vt creatura discerneretur à creatore aliter in seipsa cognita, quàm in illo. Sed certè non apparet, quomodo ad talem distinctionem sit necessaria cognitio minùs nobilis, si eamet distinctio notitia nobiliori perfectiùs cognoscatur.

Nauarrete.

30. Quare Salas aliter exponit Augustinum, vt scilicet cognitio vespertina dicatur necessaria, quia per experientiam debet cognosci distinctio creatoris à creatura, quæ anteà per cognitionem matutinam in verbo non ita cognoscebatur. Sed nec ista interpretatio videtur ad mentem Augustini, iuxta quem experimentalis cognitio creaturæ nihil conducit ad distinguendum vesperum à mane, ac per consequens nec ad distinguendam vespertinam cognitionem à matutina.

31. Respondendum igitur erit, cognitionem vespertinam dici necessariam ab Augustino, non quidem ad discernendum creatorem a creatura, vt malè supponitur (nec id vnquam dixit Augustinus) sed vt distinctio creatoris à creatura posset ad mane tendere, seu recurrere ad matutinam cognitionem. Etenim ex Augustino ideò vespera fit mane, quia cognito creatore in suis creaturis, sicut in suis operibus Angelica mens erigitur ad laudandum creatorem, qui a se communicarit creaturis; quo pacto vespera secundùm Augustinum fit manè, quæ tamen non fieret, nisi in tali vespera creator à creatura distingueretur. Hunc sensum satis explicuit Augustinus in eo cap. 22. vbi agens de vespera, & mane primæ diei ante præcitata verba, sic ait. *Post hæc si eo modo sibi placeret* (scilicet Angelica natura) *vt amplius seipsa, quàm suo creatore delectaretur, non fieret mane, id est, de sua cognitione in laudem creatoris non assurgeret.* Consonat lib. 4. de Genes. ad litteram cap. 24. 29. & 31. lib. 2. cap. 8. & lib. 11. de ciuit. cap. 7.

32. Quinta probatio potiùs est pro nobis, vt notat Salas supra: nam ex illis verbis Augustini colligitur etiam ipso Vasquio teste, Augustinum distinguere vespertinam cognitionem, & matutinam ex diuerso modo cognoscendi creaturas, cùm tamen in prima probatione Vasquius contendat Augustinum non ita distinguere cognitiones istas, sed ex parte rei cognitæ. Quod verò dicit Vasquius creaturas cognitas in rationibus æternis Dei esse Deum ipsum, falsum est: quamuis enim ipsæ rationes æternæ, quæ creaturas repræsentant intellectui tam diuino, quàm humano, sint ipse Deus, creaturæ tamen in illis rationibus repræsentatæ non sunt Deus, sed creaturæ conceptæ secundùm proprias rationes formales, quæ licèt cognoscantur ibi secundum proprias entitates creatas, vel creabiles, dicuntur non cognosci in seipsis, sed in verbo, quatenùs cognoscuntur eadem cognitione, quæ primariò terminatur ad Deum, & ex vi respectus, quem Deus dicit transcendentaliter ad ipsas, vt diximus lib. 1. disp. 24. & 28. Et ex his omnibus satis videtur mens Augustini circa cognitionem Angelorum matutinam, & vespertinam expediri.

CAPVT III.

An dentur habitus in Angelis.

1. SAnctus Thomas hîc art. 1. docet, respectu supernaturalium obiectorum posse Angelum esse in potentia, non solùm quia non semper considerat actu talia obiecta, sed etiam quia non habet habitum respectu illorum, sicut dicitur esse in potentia respectu cognitionis scientificæ, qui nondum didicit, nec adquisiuit habitum illius, nec loquitur ibi sanctus Doctor de speciebus supernaturalibus: nam Angelus in via mysteria

superna

supernaturalia per species rerum naturalium cognoscit: ergo loquitur de proprio habitu per se infuso. Quare reiiciendi sunt nonulli Thomistæ, qui probabile reputant, habitum infusum ad credendum in Angelis non fuisse distinctum ab speciebus intelligibilibus, aut saltem nihil referre hoc, vel illo modo loqui, aut sentire de habitibus infusis Angelorum.

2. Itaque dico primò cum communi sententia, ponendi sunt in Angelis habitus infusi fidei, & spei, dum fuerunt in via, & charitatis atque gratiæ perseuerantes adhuc in sanctis Angelis. Ita Molina in hac q.58.art.1. Vasquius 1.p.disp.219. cap.1. Suarius lib.5. de Angelis; nec oppositum docuit Caietanus, vt falsò refertur à nonnullis, imò verò 1.2.quæst.50.art.6. sic interpretatur S. Thomam in eo art. cùm ait, in Angelis esse habitus, vt intelligatur tam de naturalibus, quàm de supernaturalibus, & infusis, nam in via habuerut habitum fidei, in patria verò habitum luminis; quare de aliis etiam habitibus infusis in voluntate similiter sentiendum est.

Molina. Vasquez. Caietan.

3. Probatur, quoniam Angeli per solas naturæ vires non possunt elicere actus supernaturales, quibus dum erant viatores, adepti sunt gratiã, & gloriam, aut quos nunc exercent in patria: ergo indigent ad sic operandum habitibus per se infusis; sicut enim in homine requirũtur tales habitus, vt eliciat actus supernaturales magis connaturaliter per formam intrinsecam, & principium inhærens sibi, quam per auxilium Dei assistẽtis eliceret, sic etiam in Angelis tales habitus constituendi sunt: nam eodem modo potentia naturalis Angelica cum actibus supernaturalibus comparatur.

4. De habitibus naturalibus, quibus intellectus Angelicus perficiatur in actu primo, non eodem modo sentiunt Doctores. Prima sententia absolute docet, præter species intelligibiles esse concedendos in Angelis habitus adquisitos per actus tam in intellectu, quàm in voluntate, non secùs ac in nobis. Ita Molina in hac q.58.art.1.conclus.6. Probatur, quia par est ratio de habitibus primorum principiorum in nobis, & de habitibus tam intellectualibus, quàm moralibus in Angelis: sed opinio probabilior in Philosophia constituit in nobis habitus primorum principiorum: ergo & in Angelis sunt eiusmodi habitus concedẽdi, qui scilicet ex actibus intellectus, & voluntatis generentur.

Molina.

5. Secunda sententia per oppositum præter habitus supernaturales per se infusos nullos alios admittit in intellectibus Angelicis distinctos realiter ab speciebus intelligibilibus. Ita Durandus in 3.dist.23.q.1.ad 1. vbi ait, naturam intellectualem non coniunctam sensitiuæ non indigere habitibus, & ideò in Angelis non dari habitus adquisitos. Idem sentit Scotus in dist.3. quæst. 11. §. *Contra istam* vers. *Ad aliud dicendum*, dicens si habitus sumatur pro habilitate potentiæ, sic non est opus ponere in intellectu Angeli aliquem habitũ, eo quod natura sua satis habilis sit. Sequitur Maironus in 3. dist.33.q.1.a.5. in fine. Malonius in 2.dist.3.disp.12. Fonseca 9.metaph.cap.5.q.2. sect.1.circa fin. Vasquius 1.p.disp.43.c.7. d.219. cap.2.& 1.2.disp.78.cap.3.& 4.

Durand. Scotus. Mairon. Malonius. Fonseca. Vasquez.

6. Probatur, nam Angelis vel necessarius erit talis habitus ad simpliciter operandum, vel solùm ad facilius: sed neutro modo sunt Angelis necessarij naturales habitus: ergo frustrà ponuntur. Minor probatur, quia non sunt necessarij simpliciter ad producendam substantiam actus, siquidem ad cognitionem rerũ, quas Angelus naturaliter potest cognoscere sufficiẽs, & integrum principium habet in se, scilicet intellectum ipsum, & species intentionales, quæ duo nobis sufficiũt ad producendos quoslibet actus intelligẽdi naturales; priùs enim intelligimus, quàm adquiramus habitũ. Nec item sunt necessarij ad faciliùs intelligendũ: nam intellectus Angeli ex se tam perspicax est, & ab omni impedimento liber, vt summa facilitate feratur in obiectum sibi quocunque modo naturaliter cognoscibile, siue sit euidens, siue credibile, vel opinabile appareat, siquidem sibi summa facilitate repræsentatur vt tale: ergo non indiget habitu quopiam adquisito, quo sibi facilitatem ad hanc cognitionem adquirat.

7. Tertia sententia media distinguit inter ea, quæ cognoscit Angelus euidenter, & quæ solùm per coniecturam, vel per auctoritatem creatam assequitur, eisque fidei, vel opinionis assensum præbet. Circa veritates euidentes non ponit habitus in Angelis, at per actus fidei, vel opinionis admittit habitus adquiri. Sic insinuat S.Thomas 1. 2. q.50.art.6. vbi concedit in Angelis habitus naturales. Pesantius in hac q.58.art.1. Suarius in Metaphys.disp.35.sect.4.n.23.& 24.disp.44.sect.3. n.8.& licèt 3.p.tom.1.disp.29.sect.2. in fine generaliter loquatur, tamen id limitat lib.2. de Angelis c.38. Quoad primam partem probatur argumento secundæ sententiæ; quoad secundã probatur: nam habitus adquisitus locum habet vbicunque potentia non est satis ad alterutram partem perpensa, vel determinata: sed intellectus Angeli ex se non est determinatus ad assensus opinatiuos, vel fidei naturalis: ergo verisimile est per hos actus adquiri habitum, per quem intellectus Angelicus ad similes actus magis propensus maneat.

S.Thom. Pesantius. Suarius.

8. Sit quarta sententia Medinæ 1.2. q.51. art.1. circa conclusionem vltimã dicentis omnes Theologos constituere in Angelis habitus scientiæ naturaliter inditos, & q.54.art.4. pugnando contra Caietanum, qui docet contrarium, ait Angelis in primordio creationis præter species intelligibiles infusos fuisse habitus scientiæ ad rectè iudicandũ. Videtur sequi Bannes in hac q.58.& Clarius Cumelis art.1. ponens in Angelis vnum habitum naturalem distinctum ab speciebus ad rectè iudicãdum de omnibus scibilibus. Probant, nam iuxta S.Thomam (vt ipsi putant) habitus principiorum in nobis est à natura inditus distinctus realiter ab speciebus; sed perinde se habet Angelus ad omnia scibilia, sicut nos ad prima principia: ergo similiter Angelis datur habitus inditus naturaliter.

Medina. Bannes. Cumel.

9. Si distinguamus cum S.Thoma 1.2.q.49.a.1. & 3. quosdam habitus disponentes subiectum in ordine ad suum esse, alios in ordine ad operationes, certum in primis est, priores in Angelis non reperiri, vt idem S. Thomas subiunxit 1. 2. quæst.50. artic. 6. nullus enim datur habitus in Angelis, qui disponat ad esse, qualis est in nobis habitudo sanitatis, aut valetudinis. Ratio est manifesta, quia cùm Angelus sit essentia simplex secundùm rem, & hoc genus habituum tantum sit necessarium ad conciliandam vnionem partium, ac substantiæ, vel animæ, & corporis, nulla ratione videntur tales habitus in Angelis necessarij.

10. Deinde certum etiam existimo contra quartam sententiam nullum inesse Angelis habitum

intellectualem per modum naturalis proprietatis emanantem ab essentia Angeli, vel ab eius intellectu. Sic communiter Doctores, & probatur, quia superfluum est fingere in Angelo talem habitum, qui sit qualitas distincta realiter ab eius intellectu, & naturaliter ab illo dimanat, vt ipsum potentiorem, aut habiliorem, aut faciliorem ad operandum reddat: quia si talis perfectio est naturalis, & intrinseca intellectui Angelico, meliùs intelligitur conuenire lumini mentis Angelicæ per seipsum, & per suam simplicem qualitatem, ita vt intellectus Angeli totam illam perfectionem habeat sibi essentialem, & cùm tota illa dimanet ab Angeli substantia: ergo talis est intellectus Angelicus, & alia multiplicatio entitatum, & compositio superflua esset, & consequenter gratis conficta.

11 Vnde fit consequenter non habere Angelos aliquem habitum proprium ab auctore naturæ inditum, & intellectui superadditum: nam ad substantiam actus sufficit intellectus Angelicus cum specie intentionali; alioquin intellectus non esset integra potentia intellectiua, sed tantùm dimidiata, & inchoata in illo genere etiam respectu obiectorum naturalium, quod est contra perfectionem non solùm intellectus Angelici, sed etiam humani, qui quidem per sese cum specie intentionali potest sine habitu superaddito semper elicere cognitionem obiectorum naturalium. Præterea lumen Angelicum si possit maiorem facilitatem in intelligendo comparare, non ideò habebit habitus ab initio inditos, sed per proprios actus adquiret illos, sicut homo: Connaturalis enim modus habendi naturales habitus est per adquisitionem, non per infusionem à Deo.

12. Præterea fit mihi verosimilius, circa obiecta, quæ per species proprias cognoscit Angelus non adquiri habitus ab illo. In hoc conueniunt secunda, & tertia sententia, nec amplius forsan intendit Caietanus 1.2.q.50.art.6. solùm enim agit de cognitionibus euidentibus Angelorum, scilicet per proprias species elicitis, possuntque in eodem sensu capi Durandus, & Scotus, imò S. Thomas in hac quæst.58.art.1. dum asserit potentiam intellectiuam Angelorum totaliter esse completam per species intelligibiles ipsis connaturales, ideoque non esse in potentia quasi indigentem habitu respectu eorum ad quæ (scilicet per illas species proprias cognoscenda) eius cognitio naturalis se extendit. Præter fundamentum secundæ sententiæ probatur: nam Angestus, Maior, Ochamus, & alij apud Salam 1. 2. tractat. 10. disp. 2. sect. 2. generaliter docent, & ipsa experientia confirmat, per intuitiuas notitias nullum habitum produci; si enim video papyrum esse candidum, facillimè id iudico primo aspectu, nec facilior vnquam reddar actibus repetitis ad iudicandum: sed Angelus dum vtitur speciebus obiectorum propriis, videt res existentes intuitiuè, possibiles verò ita perfectè cognoscit, vt sunt in se, ac si præsentes intueretur: ergo per huiusmodi notitias verosimile fit non adquiri habitum ab Angelo.

Caietan.

Salas.

13. Ceterùm per intellectiones fidei naturalis, siue probabiles, vel etiam euidentes, quas per alienas species eliciunt Angeli, probabilius reputo produci habitus adquisitos. In hoc conuenio cum prima, & tertia sententia. Fauent Rubius tracta. 1. de hab. tious quæst. 1. num. 36. & S. Thomas 1. 2. quæst. 50. artic. 6. nam licèt habitus, quos ibi constituit in Angelis denotet esse species intelligibiles, tamen sicut sæpe similiter habitus nostræ scientiæ dicit esse species ordinatas, & adhuc Sotus, Caietanus, Suarius, Rubius, & alij apud Salam suprà in fine sectionis tertiæ capiunt S. Thomam de habitu non formaliter sumpto, sed fundamentaliter, quomodo Ferrara 1. contra Gent. cap. 56. in fine, loquitur de speciebus Angelicis præter quas admittit habitus in Angelis; sic posset in præsenti capi Doctor Angelicus; imò titulo articuli, & contextui quæstionis; vbi agitur de propriis habitibus, non videtur aliter satisfieri. Probatur, nam quoad hos actus per alienas species idem ferè fundamentum habituum datur in Angelis, quod in nobis inuenitur: in nobis enim indifferentia potentiæ videtur esse sufficiens ad capacitatem habituum, vt ad alteram partem magis propensa sit; hæc autem indifferentia etiam in intellectu Angeli quoad hos actus reperitur, nec tam facilis erit ex sese ad iudicandum per alienas species, sicut per proprias: ergo dum vtitur alienis per vsum ipsum reddetur facilior. Item necessitas discursus arguit etiam capacitatem habituum; sed in his rebus, quas Angelus per alienas species cognoscit, iam diximus disput. 14. cap. 3. necessarium illis esse discursum: ergo possunt adquirere habitum discurrendi.

Rubius.

S. Thom.

Ferrara.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur in nobis dari quidem habitum principiorum non inditum à natura, sed adquisitum nostris actibus, quia prima etiam principia per alienas species cognoscimus; & ideò in illis percipiendis & dignoscendis sæpe difficultatem patimur, & indifferentiam sentimus, vnde post repetitos actus experimur facilitatem; Angeli verò quando speciebus propriis obiectorum vtuntur non est cur difficultatem sentiant in intelligendo, vel iudicando; indifferentiam autem quoad exercitium facillimè voluntatis imperium determinat. 14.

Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur circa obiecta, quæ per alienas species cognoscuntur, adquiri habitus ab Angelis, non ad substantiam actuum simpliciter necessarios, sed ad faciliùs assentiendum: Vt enim ad hos assensus per alienas species sit Angelus magis propensus, non sufficiunt species, sed necessarius est habitus, tum quoniam etiam in principio licèt Angelus magna perspicacitate, & facilitate videat conclusionem probabilem per talia signa, vel præmissas verisimiliter inferri; nihilominùs manebat quasi anceps, & indeterminatus an ita esset, necne; & in hac indeterminatione ex natura rei difficultas aliqua inest, quæ sine dubio minuitur ex consuetudine assentiendi alteri parti, quod etiam in Angelo locum habet. Hæc autem diminutio difficultatis non potest nisi ab habitu prouenire. Tum etiamsi sit euidens conclusio, quia potest hæc ex pluribus aliis obiectis cognitis, tanquam ab antecedenti, vel à demonstrationibus subordinatis pendere. Quòd si nolit Angelus omnia illa motiua sigillatim, & distinctè considerare, sed vel memorari confusè, vel recordari solùm quòd habuerit euidentia motiua talis assensus, iuuabit non parùm habitus, vt propositæ tali conclusioni præbeat assensum sine mora, propendeàtque magis ad assentiendum. 15.

Sic

Sic enim Dæmones audito nomine Christi cognoscunt illum esse Deum, etiamsi non actu considerent omnia signa diuinitatis eius, quæ conuincunt euidenter intellectum: ergo illa determinatio prouenit ex habitu: Quamuis enim accedat imperium voluntatis determinatis quoad exercitium, sicut in nobis, tamen in ipso intellectu requiritur habitus, vt ipsum per se inclinet, & promptiorem ad parendum voluntati reddat.

16. Fundamentum tertiæ sententiæ probat nostram vltimam conclusionem, nec solum ad conclusiones opinabiles, sed etiam ad euidentes extendendum est propter proximè dicta num. 15. fundamentum quartæ sententiæ solutum est num. 14. nec in nobis habitus principiorum est à natura inditus, sed propriis actibus adquisitus; nec in Angelo requiritur circa obiecta, quæ cognoscit per species proprias propter suprà dicta.



QVÆSTIO LIX. S.Thomæ.

De voluntate Angelorum.

POst intellectum sequitur voluntas; quam incipit Angelicus Doctor explicare.

ARTIC. I.

Vtrum in Angelis sit voluntas.

COnclusio affirmat, nam inclinatio sequens cognitionem intellectiuam, quæ repræsentat vniuersale bonum, dicitur voluntas; sed Angeli pollent intellectu, quo cognoscunt vniuersale bonum: ergo consequenter habent voluntatem.

ARTIC. II.

Vtrùm in Angelis voluntas differat ab intellectu.

PRima conclusio; Voluntas in Angelis distinguitur ab ipsorum natura. Probatur, quia non est de essentia rei quidquid se extendit ad id quod est extra rem; sed Angeli voluntas extendit se ad volendum bonum infinitum, quod est extra se: ergo solius Dei essentia, in qua totaliter bonum continetur, & nihil vult extra se, nisi ratione suæ bonitatis, est sua voluntas, quod in creaturis esse non potest. Secunda conclusio; Voluntas Angelorum distinguitur ab ipsorum intellectu. Probatur, nam intellectus habet in se quod est extra se, & per ipsum perficitur. Voluntas verò tendit in illud: diuersæ verò virtutes sunt habere, & tendere in aliud: ergo diuersæ potentiæ sunt in creaturis.

ARTIC. III.

Vtrùm in Angelis sit liberum arbitrium.

COnclusio affirmat: nam Angeli habent perfectiorem intellectum, quàm homines, per quem apprehendunt, & iudicant circa vniuersalem rationem boni cum indifferentia: ergo habent liberum arbitrium.

ARTIC. IV.

Vtrùm in Angelis sit irascibilis, & concupiscibilis.

COnclusio. Appetitus intellectiuus in Angelis non diuiditur per irascibilem, & concupiscibilem, sicut per duas potentias: Sed eadem est facultas indiuidua, quia potentiæ distinguuntur per rationem formalem obiecti: Obiectum autem voluntatis est bonum secundùm communem rationem boni: ergo in parte intellectiua non distinguitur appetitus secundùm distinctionem obiectorum seu bonorum particularium, ac per consequens non diuiditur in irascibilem, & concupiscibilem.



DISPVT. XVI.

De voluntate Angelica.



MVlta habet Angelorum voluntas cum nostra voluntate communia, quæ in libris de Anima solent expediri. Nos in præsenti, quæ propria sunt Angelis breuiter expediemus.

CAPVT I.

An sit, & qualis sit voluntas Angelica.

CErtum est primò, dari voluntatem in Angelis, quòd constat ex fide: nam in Scriptura tribuuntur Angelis opera voluntaria. Sic Apoc. 7. Vnus Angelus ad alios tanquam ad habentes voluntatem clamabat, *Nolite nocere terræ & mari.* Sic illis tribuitur desiderium, 1. Petri 1. *in quem desiderant Angeli prospicere*, & peccatum 2. Pet. 2. quæ sunt opera voluntatis; vbi autem sunt actus, potentiam etiam inesse necesse est. A priori probat S. Thomas in hac quæst. 59. art. 1. quoniam ad omnem finem sequitur inclinatio, & appetitus; vnde ad formam naturalem sequitur appetitus naturalis; ad formam apprehensam per sensum sequitur appetitus sensitiuus; ad apprehensam per intellectum sequitur appetitus intellectiuus, qui est voluntas. Confirmatur, quia constat intelligentias non solùm mouendo cæelestes orbes (quod agnouerũt Philosophi) sed etiam per seipsas mediatè vel immediatè ista inferiora gubernare. *Omnes enim sunt administratorij spiritus in ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis*, vt dicitur Heb. 1. Gubernare autem, & alios ad finem dirigere non conuenit nisi agentibus per voluntatem: ergo datur voluntas in Angelis. 1. Apoc. 7. 1. Petr. 1. 2. Petr. 2. S. Thom.

2. Quòd ista voluntas Angelorum sit potentia distincta realiter ab illorum substantia, constat ex suprà dictis disp. 3. cap. 2. à num. 4. vbi generaliter ostendimus potentias operatiuas etiam in Angelis distingui realiter ab illorum substantia. Quòd item voluntatis actus à volentis substantia distinguatur, constat ex dictis in simili de intellectione disp. 7. cap. 1. Quòd autem voluntas distinguatur realiter ab intellectu constat satis ex

differentia obiectorum, & actuum, quod est fundamentum commune nostris etiam potentiis rationalibus.

3. Secundò certum est, voluntatem in vno quoque Angelo esse vnam tantùm, sicut etiam in nobis. Probatur, quia potentia intellectiua est vna: ergo & volitiua. Probatur consequentia. Tum quia voluntas sequitur intellectum, ideóque seruat proportionem ad illum, estque eam vniuersalis potentia in suo genere, sicut intellectus in suo; quare sicut non multiplicantur intellectus, ita nec voluntas. Tum etiam quia sicut intellectus Angeli habet vnum obiectum vniuersale, sub quo omnia intelligibilia ab ipso continentur, ita voluntas habet vnum adæquatum obiectum adeò vniuersale, vt sub illo cuncta ab Angelo amabilia comprehendantur: ergo sicut intellectus est vnus tantùm ratione sui obiecti, sic etiam voluntas, quam iuxta diuersitatem specificam Angelorum censeo specie distingui, quia passiones à diuersis naturis dimanantes oportet esse diuersas.

4. Tertiò circa irascibilem, & concupiscibilem certum est non dari affectum iræ, vel concupiscentiæ in Angelis cum passione sensibili & corporea, vt in nobis fiunt, cùm non habeant corpora; & in hoc sensu dicit S. Thomas hîc art. 4. ad 1. furorem, & concupiscentiam metaphoricè tribui Dæmonibus à Dionysio cap. 4. de diuinit. nomin. punct. 4. *Sicut ira* (inquit) *interdum Deo tribuitur propter similitudinem affectus.* Ceterùm omnes actus harum potentiarum formaliter sumpti præscindendo à modo materiali, & inuoluente cooperationem corporis propriè reperiuntur in Angelica voluntate, scilicet amor, seu dilectio, vel charitas, concupiscentia, seu desiderium boni non habiti, delectatio, seu gaudium de bono possesso. Similiter odium mali, fuga imminentis, & dolor seu tristitia de malo præsenti, vt patet in Dæmonibus. Ecce sex actus, qui dicuntur ad concupiscibilem pertinere.

Dionys.

5. Item est proportionaliter de actibus irascibilis, qui numerantur quinque: nam spes, desperatio, audacia, & timor, licèt in Deo esse non possint, quatenus supponunt imperfectionem impotentiæ, ac ignorantiæ, seu nescientiæ; tamen in Angelis vtraque imperfectio potest inueniri: nam habent limitatam potentiam, & futuros euentus sæpè ignorant, ideóque ex natura sua possunt sperare, timere, audere, desperare. Iram insinuat S. Thomas in hac quæst. 59. art. 4. ad 1. solùm Angelis tribui metaphoricè, docet expressiùs quæst. 63. art. 2. ad 2. Aliis verò locis definit iram esse appetitum vindictæ, quæ pertinet ad iustitiam, sic habet 1. 2. quæst. 46. art. 2. in argumento, sed contrà ex Augustino 24. de Ciuit. cap. 15. & lib. 2. Confess. cap. 6. idemque repetit in eadem quæst. 46. artic. 4. & 6. in corpore. Vbi concludit ad eosdem pertinere iram, ad quos pertinet iustitia; in quo sensu non est dubium quin Angeli sint capaces iræ, sicut iniuriæ, & vindictæ. Quatenùs verò communiter ira, seu furor denotat passionem corpoream cum commotione sanguinis, & bilis circa cor, non conuenit Angelis nisi metaphoricè.

* * *

CAPVT II.

Vtrùm voluntas Angeli semper sit in actu.

Quærimus, an voluntas Angeli saltem in confuso necessitetur ad exercitium alicuius actus, huius vel illius indeterminatè. An potiùs sit libera circa totam etiam actuum collectionem, ita vt possit ab omni actu cessare? Suprà disp. 14. cap. 1. num. 20. & 22. diximus non posse Angelum se omni cognitione priuare, vel omnem intellectionem suspendere, idemque videtur consequenter dicendum esse circa volitiones, quia S. Thomas quæst. 16. de malo artic. 2. ad 2. idem in hoc puncto de voluntate, ac de intellectu sentit, & 2. contra Gent. cap. 97. sub intellectu videtur comprehendere voluntatem, quantum ex eius rationibus colligitur. Consentiunt Ferrara 3. contra Gent. cap. 109. §. *Sed circa.* Bannes 1. part. quæst. 60. dub. vltimo post primam conclusionem, Suarius lib. 3. de Angelis cap. 3. 1.

Ferrara. Bannes.

Probatur primò a simili cognitionis, licèt enim actus intellectus liberi sint solùm imperatiue, & actus voluntatis elicitiuè; nihilominùs sicut voluntas necessariò applicat intellectum ad aliquem vsum specierum, ita potest se necessariò applicare ad aliquid volendum, & sicut non potest suspendere intellectum ab omni actu cognoscendi, ita nec se poterit omni actu volendi priuare. Ratio verò à priori videtur esse vtriusque eadem, quia scilicet perfectionem Angelicam maximè decet, vt eius internæ potentiæ semper sint in actu secundo, siquidem talis status est de se perfectior, & Angelo possibilis, nec in eo lassatur, aut defatigatur. 2.

Probatur secundò, quia si esset aliqua volitio particularis in qua nulla ratio mali appareret, nec in eius carentia, ratio boni, non posset voluntas à tali volitione cessare, vt de amore beatifico fatentur Theologi: Sed in carentia omnis volitionis nulla quidem apparet ratio boni, nec in actuali exercitio volitionis alicuius indefinitè sumptæ reperiri potest ratio mali, cùm in tota latitudine actuum non possint non esse multi conuenientes; atqui melius est actu operari, quàm ab operatione prorsùs cessare; imò illud est de se bonum & perfectum, ac subinde reperitur in Deo, etiam quoad obiecta libera terminatio, vel determinatio actualis, cessatio verò totalis potiùs est quid imperfectum, ideóque non admittitur in Deo: ergo non potest voluntas talem cessationem omnimodam formaliter, aut virtualiter velle, ac per consequens ad volendum aliquid, saltem indefinitè, necessitatur. Hanc sententiam obiter tangit Vasquius 1. part. quæst. 60. artic. 3. in Notatione circa finem, & non audet reiicere, licet dicat sibi non satis esse certam. Mihi verosimile valdè fit, nunquam de facto aliquem Angelorum ab omni actu voluntatis cessare, nec posse moraliter cessare: nam hoc saltem conuincunt adducta fundamenta, imò nec physicè, vel metaphysicè posse naturaliter omni volitione priuari: cùm enim semper aliquid actu cognoscat, & natura voluntatis, & sympathia naturalis eiusdem cum intellectu postulat, vt circa obiectum intellectum aliquam positiuam volitionem eliciat. 3.

Vasquius.

Obiicies primò, quia libertas non exercetur in confuso, sed in particulari: sed contrariorum 4.

eadem

eadem est ratio: ergo etiam necessitas quoad exercitium, quæ libertati opponitur, non potest esse circa obiectum confusum, sed circa particulare. Quare si nullus actus in particulari necessarius est, nec totum disiunctum necessarium erit. Respondetur hanc necessitatem non opponi libertati simpliciter alicuius actus: nam tali necessitate non obstante quilibet actus, quo huic necessitati satisfit, est simpliciter liber: sed opponi potestati carendi omni actu, quæ non habet pro obiecto vnum, vel alium actum, sed collectionem omnium disiunctim, seu carentiam omnium simul, quod obiectum vniuersale, seu confusum est; & ideò illa necessitas etiam habet obiectum commune, & confusum, sed diuerso modo, quia potestas carendi omni actu complectitur totam collectionem actuum, siue omnes copulatim; necessitas verò solùm respicit omnes disiunctim; quia non contrariè, sed contradictoriè, vt sic dicam, opponitur dictæ potestati, vnde fit, vt illa necessitas in particulari per singulos actus liberè factos expleatur.

5. Obiicies secundò, nam eadem ratio videtur esse libertatis circa totam collectionem, ac circa singulos actus, quia sicut nullus particularis actus est Angelo necessarius ad bonum suum, ita nec vnus vel alius, & sic de reliquis disiunctim sumptis. Respondetur maiorem necessitatem circa totum disiunctum quàm circa singulos actus inueniri, vt patet ex rationibus suprà factis, quia nullus actus determinatus est necessarius ad constituendam potentiam in actu secundo; aliquis verò est necessarius, & in quolibet particulari potest aliqua ratio disconuenientiæ reperiri, propter quam ab illo cessare libeat, in tota verò collectione nequaquam.

6. Obiicies tertiò, quoniam ad libertatem quoad exercitium sufficit potestas suspendendi actum per puram omissionem, seu negationem influxus: Sed voluntas Angelica est absolutè domina sui concursus: ergo non necessitatur quoad exercitium etiam ad totum disiunctum actuum sibi possibilium. Respondetur in primis quidquid sit de maiori, distinguendo minorem, est domina sui concursus in particulari ita vt possit hunc in particulari præstare, vel non præstare; concedo minorem, & nego consequentiam; est domina sui concursus quoad totam collectionem actuum, ita vt possit omninò cessare, nego minorem, quia non habet dominium ad priuandum se perfectione naturali, qualis est operatio actualis saltem disiunctim.

7 Deinde minorem illam, loquendo de naturali Angelorum statu, reor esse falsam, non solùm respectu totius collectionis actuum, sed etiam respectu cuiuslibet obiecti particularis propositi per intellectum Angelicum cum indifferentia: Sicut enim in nobis, ita etiam in Angelis secundùm connaturalem modum operandi non posse dari puram omissionem omnino eadem fundamenta conuincunt, scilicet experientia in nobis, & ipsa natura voluntatis, quæ vtpote inclinatio consecuta ad cognitionem intellectualem obiectum à ratione propositum vel amplectitur, vel respuit formaliter, aut saltem virtualiter, dum afficitur ad illud obiectum, vel vult distrahere se ad alia; nec ista naturalis sympathia voluntatis cum intellectu in operando simul potest naturaliter impediri, vel moraliter loquendo, vel etiam physicè. Aliud est de Angelis beatis, qui vtendo scientia supernaturali possent per volitionem supernaturalem circa obiecta supernaturalia operari, circa naturalia obiecta omnem actum voluntatis suspendere, vt dicunt de Christo Domino viri docti.

CAPVT III.

Vtrùm voluntas Angeli sit capax habituum naturalium.

Doctores secundæ sententiæ relati suprà disp. 15. cap. 3. quatenùs generaliter negant 1.
habitus naturales in Angelis, videntur etiam illos in Angelicis voluntatibus non admittere: generaliter enim loquitur Durandus in 3. dist. 23. quæst. 1. ad 1. Maironus ibi dist. 33. quæst. 1. art. 5. Caietanus 1. part. quæst. 54. artic. 1. & 4. & quæst. 63. art. 1. Vasquius & alij. Durand. Mairon. Caietan. Vasquius. Probatur, quia tales habitus non sunt necessarij simpliciter ad substantiam volitionis efficiendam, cùm voluntas sit ex se sufficiens principium suorum actuum naturalium, etiam in nobis dum operamur sine habitu. Nec ad maiorem facilitatem operandi videntur conferre, quia voluntas Angeli ex sua natura est prompta & facilis ad suos actus naturales efficiendos, nec habet impedimentum intrinsecum, nec est coniuncta inferiori appetitui, à quo retardari possit.

Dicendum tamen est voluntatem Angeli capacem esse habituum; ac subinde posse per re- 2.
petitos actus adquirere habitum. Ita docet Scotus in 3. dist. 33. quæst. vnica. §. *Ad vltimum*, nec Scotus. contradicit his, quæ dixerat in 2. dist. 3. quæst. 10. ad 2. primæ opinionis: nam potius ibi docet potentiam Angeli, si sit indeterminata, posse habitum adquirere: Voluntas autem Angeli eo ipso quòd libera est, indeterminata est: ergo secundum Scotum est capax habitus. Sequitur Maior in 3. dist. 33. tractat. de iustitia quæst. 3. ad vltimum, Angestus in Moralibus cap. 8. Molina 1. part. quæst. 58. art. 1. fine. Nec dissentit Azor tom. 1. lib. 2. cap. 25. quæst. 4. Maior. Angestus. Molina. Azor.

Probatur primò, quia potentia indifferens, & 3.
naturaliter indeterminata potest per habitum ad vnam partem magis quàm ad aliam inclinari, vt sumitur ex S. Thoma 1. 2. quæst. 50. art. 5. & notauit Durandus in 2. distinct. 29. quæst. 2. num. 5. & 6. Fonseca 9. metaphys. cap. 5. quæst. 3. & Suarius disput. 44. metaphys. sect. 1. num. 9. S. Thom. Durand. Fonseca. Suarez. nam eo ipso quod potentia est indifferens, non est omninò ad alteram partem inclinata, & per consequens est capax, vt per habitum amplius inclinetur. Sed voluntas Angeli secundùm se est indifferens ad actus bonos, vel ad malos, ad virtutes, & vitia, & per consequens ad hanc, vel illam speciem virtutis, aut peccati, siquidem de facto quidam Angeli peccauerunt, & in statu damnationis non cessant iugiter iam in vno genere, iam in alio prauitatis peccare. Alij verò virtutem sectati sunt, & in statu beatitudinis varios actus virtutum exercent: ergo naturalis voluntas Angelorum est capax habituum adquisitorum.

Confirmatur primò, quoniam indifferentia 4.
semper est inter opposita inter quæ sit aliquo modo diuisa naturalis inclinatio voluntatis, vnde connaturaliter oritur aliqua difficultas in electione determinatæ partis; sed voluntas Angelorum est indifferens: ergo est capax habituum, per quos

quos illa difficultas leniatur, & potentia reddatur facilior ad operandum. Confirmatur secundò quia nunc voluntas Dæmonum propensior est ad superbiam,& multò faciliùs, maiorique inclinatione, & impetu illam elicit, quàm in primo instanti, in quo peccauit; Similiter ex consuetudine decipiendi, & mentiendi, & odio habendi, aliisque huiusmodi maiorem propensionem habet in his actibus exercendis: ergo signum est adquisiuisse habitum, vel habitus per hos actus: nam ex sola naturali conditione non est determinata prorsus, aut propensa nimis ad hos actus: ergo potest per illos magis inclinari, & propendere.

5. Hinc verò sumitur argumentum ad habitus bonos, seu virtutum, tum quia contraria nata sunt fieri circa idem; vnde etiam è contrario potentia susceptiua vnius contrarij est etiam receptiua alterius; tum quia malus habitus de se potest expelli à voluntate, nec expellitur formaliter nisi per habitum contrarium. Tum maxime quia eo ipso quòd voluntas est capax vitij, non est omninò determinata ad actus contrarios bonos, ac subinde capax erit habituum, qui ad tales actus bonos vitiis contrarios inclinent. Vnde vlteriùs concluditur Angeli voluntatem esse capacem habituum bonorum circa illos actus, quos perfectè potest exercere, & in quibus aliqua potest esse difficultas, vel indeterminatio potentiæ propter oppositionem aliquam inter diuersas rationes bonorum, quæ sub naturalem inclinationem Angelicæ voluntatis cadere possunt.

6. Probatur secundò, quia supposita imperfectione, qua voluntas Angeli non est semper in actu secundo circa omnia amabilia, sicut Deus, adquirere habitum de se pertinet ad perfectionem: auget enim vim, & efficaciam agendi: ergo non est cur Angelis hæc perfectio denegetur. Probatur tertiò, nam intellectus Angelicus circa obiecta, quæ per species alienas cognoscit, adquirit habitus, vt vidimus disput. 15. cap. 3. ergo similiter voluntas circa obiecta respectu quorum est indifferens.

7. Ex his colligitur virtutes intellectuales, quæ numerantur in nobis intellectus, sapientia, scientia, prudentia, & ars, in Angelis quatenus versantur circa obiecta repræsentata per species proprias non distingui realiter ab ipsorum intellectibus; at quatenùs aliqua scientia, vel etiam prudentia possunt versari circa obiecta nonnulla repræsentata per alienas species, possunt esse habitus distincti realiter ab Angelorum intellectibus. Similiter in Angelorum voluntate dari potest habitus adquisitus charitatis naturalis: nam in primis in amore naturali Dei propter seipsum, & super omnia non parua difficultas apparet etiam in Angelis, ratione cuius talis habitus, & possibilis, & vtilissimus sit, quippe natura etiam Angelica valdè propendet ad amorem sui: quare non caret difficultate diligere alium naturali dilectione, volendo alteri bonum propter ipsum, nec ordinando illud ad se, præsertim si diligat alterum magis, quàm seipsum. Nec obstat quòd Angeli voluntas magis propensa sit ad Deum, quàm ad se: nam illa met inclinatio est coniuncta cum alia, & cum indifferentia; & ideò in actuali determinatione maiorem, vel minorem difficultatem pati potest.

8. Deinde potest in Angelis reperiri habitus amicitiæ naturalis ad alterum. Difficultas enim est volendi alteri bonum propter ipsum, & indifferentia voluntatis ad talem amorem est causa sufficiens, vt per actus beneuolentiæ talis habitus adquiratur. Similiter inesse potest Angelis habitus obedientiæ, vel subiectionis ad Deum, & ad alios sibi superiores. Item habitus religionis, & habitus iustitiæ propriæ iuxta suprà dicta lib. 1. disp. 57. cap. 4. virtutes verò, quæ ordinant habentem ab seipsum, non videntur ita habere locum in Angelis. Forsan habere possunt habitum frænantem, & moderantem amorem sui, scilicet proprij commodi, vel excellentiæ, vel delectationis spiritualis postulantis mediocritatem, qualis esse potest vel in exequenda propria voluntate, vel in curiositate cognoscendi futura contingentia, vel alienas cogitationes, vel obiecta supernaturalia, similesque habitus adquirere de quibus circa singulas virtutes posset disputari.

Ad fundamentum oppositum respondetur habitus adquisitos in voluntate Angelica non esse propter substantiam actuum, sed propter facilitatem, & inclinationis argumentum: licet enim voluntas Angelica sit perfecta, nec coniungatur cum appetitu sensitiuo, non est tamen summè perfecta, habetque indifferentiam inter varia obiecta, ad quæ potest magis propendere, & faciliùs, quod sufficit, vt per habitus adquisitos ad quosdam actus facilior, ad alios difficilior reddi possit. 9.



QVÆSTIO LX. S. Thomæ.

De amore, seu dilectione Angelorum.

CVm præcipuus voluntatis actus sit amor, de illo instituit specialem quæstionem Angelicus Doctor.

ARTIC. I.

Vtrùm in Angelis sit amor, seu dilectio naturalis.

COnclusio affirmat, quia conuenit omni naturæ, vt aliquam habeat inclinationem, quæ dicitur appetitus naturalis, vel amor. Quare cùm Angelis sit intellectualis natura, oportet quòd in eius voluntate sit naturalis dilectio.

ARTIC. II.

Vtrùm in Angelis sit dilectio electiua.

COnclusio in Angelis alia est dilectio naturalis, scilicet boni, quod volunt, vt finem, alia electiua, quæ deriuatur à prima, scilicet boni, quod volunt propter finem; vnde Angelus & homo naturaliter appetunt suam perfectionem, & aliquod bonum per dilectionem optant.

ARTIC. III.

Vtrùm Angelus diligat seipsum dilectione naturali, & electiua.

COnclusio. Tam Angelus, quàm homo diligit seipsum naturaliter in quantum aliquod bonum scilicet beatitudinem naturali appetitu sibi

sibi desiderat; in quantum verò sibi desiderat aliquod bonum (scilicet particulare) per electionem in tantù amat seipsum dilectione.

ARTIC. IV.

Vtrùm Angelus naturali dilectione diligat alium Angelum.

CONclusio. Naturali dilectione vnus diligit alium, prout cum eo conuenit in natura. In quantum verò conuenit in aliquibus aliis, vel differt ab eo secundùm quædam talia, non diligit naturali dilectione. Nam vnumquodque diligit naturali dilectione id quod est secum vnum vnione naturali. Si verò sit vnum vnione non naturali, diligit ipsum dilectione non naturali, sicut homo diligit ciuem suum dilectione politicæ virtutis, consanguineum autem suum dilectione naturali.

ARTIC. V.

Vtrùm Angelus naturali dilectione diligat Deum plusquàm seipsum.

CONclusio. Naturali dilectione Angelus, & homo plus, & principaliùs diligit Deum quàm seipsum, quia Deus est vniuersale bonum, & vnum quodque hoc habet in naturalibus, vt in quantum alterius est, principaliùs inclinetur in id, cuius est, quàm in seipsum. Pars enim exponit se naturaliter ad conseruationem totius corporis; & quia ratio imitatur naturam, hoc etiam videmus in Politicis, quòd bonus ciuis exponit se periculo mortis pro conseruatione ciuitatis.

DISPVT. XVII.

De libertate voluntatis Angelicæ.



VOLVNTATIS, seu rationalis appetitus propria est libertas, quæ circa singula obiecta debet examinari; hæc autem obiecta possunt in tria membra distingui: nam omnis amor Angelicus vel terminatur ad ipsum Angelum, vel ad Deum, vel ad aliam creaturam.

CAPVT I.

Vtrùm voluntas Angeli sit libera in dilectione sui.

1. SVppono primò in Angelis dari veram, & propriam libertatem scilicet indifferentiæ, seu quod idem est inesse Angelis liberum arbitrium. Hoc est de fide, quia colligitur ex Scripturis docentibus, Angelos esse intellectuales, esse capaces præcepti, & peccati propter quod pœnam incurrant, esse capaces sanctitatis, & meriti Gen. 18. & 19. Tob. 12. Luc. 1. 2. Petr. 1. sæpeque alibi. Imò etiam Philosophi agnouerunt, Angelos esse substantias intellectiuas: sed in omni natura intellectiua est libertas propria, quæ est fundamentum meriti, & demeriti: nam radix libertatis formaliter existentis in voluntate est intellectio proponens obiectum cum indifferentia: ergo à priori colligemus libertatem Angelorum, quia sunt intellectualis naturæ; à posteriori verò, quia merentur, vel demerentur.

Confirmatur primò inductione, quia suprema intellectualis natura, quæ est diuina, eo ipso 2.
quod intellectualis est, habet veram, & propriam libertatem, infima etiam rationalis natura, quæ est humana, pollet libertate; cuius radix est intellectus, seu ratio: ergo idem erit de omni natura media intellectuali, tum quia participat eandem radicem libertatis, tum etiam quia vel libertas pertinet ad perfectionem intellectualis naturæ, vel non; si non pertinet, non inesset Deo, si verò pertinet, quò fuerit natura perfectior, eò magis libera erit. Vnde colligit Suarius Suarius.
lib. 3. de Angelis cap. 2. non posse Deum facere naturam intellectualem, quæ libera non sit, quia sicut necesse est intellectum esse potentiam vniuersalem attingentem ipsum ens, & omnes rationes entis, ac boni, & differentias, ac gradus illius, ita est etiam necesse, vt appetitus consequens rationem sit potentia vniuersalis habent pro obiecto adæquato bonum, & tendens in singula bona secundum gradus illorum, in qua vniuersalitate, & indifferentia libertas formaliter consistit.

Confirmatur secundò, authoritate Patrum: 3.
nam ita docent Leo Papa epist. 93. ad Turibium Leo Papa.
cap. 6. Gelasius Papa disputat. contra Pelagium Gelasius P.
ante medium, quæ habetur tom. 1. epistolarum Basilius.
Decretalium post eius epistolam quintam, Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 16. vbi de sanctis Angelis, inquit, *Habentes in eligendo liberum arbitrium, nunquam ab eo, qui verè bonus est, consortio excidentes.* Et de malis ait. *Quorum defectio comprobat quod dicimus, virtutes inuisibiles esse sui arbitrij.* Ex eodem effectu colligit Nazianzenus orat. 38. in Christi natiuitatem, Angelos non esse prorsus immobiles, sed ægrè mobiles ad malum. Damascenus lib. 2. cap. 3. Angelum definit Damasc.
dicens. *Est Angelus natura sua intelligens arbitrij libertate præditus, voluntatis, ac sententia ratione mutabilis, &c. hoc est liberam in vtramque partem libertatem habens,* rationemque subdit inquiens, *Id omne quod ratione vtitur, libertate quoque præditum est*, quod latiùs prosequitur cap. 27. dicens ex virtute consultandi in intellectu sequi potestatem eligendi in voluntate, ideóque communem esse Angelo, & homini eo ipso quòd in intellectu, seu ratione conueniunt. Idem ferè docuerat Nyssenus lib. de oratione Dominica Nyssenus.
p. 4. similiaque tradunt Augustinus 22. de Ciuitat. cap. 1. lib. 11. cap. 32. lib. 12. à principio. August.
Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. Gregorius Fulgentius.
hom. 7. in Ezechielem, Isidorus lib. de summo Gregorius.
bono cap. 10. Anselmus lib. de casu Diaboli Isidorus.
cap. 3. & sequentibus Prosper lib. 1. de vita con- Prosper.
templatina cap. 3. Rupertus lib. 1. de operibus Rupert.
Spiritus sancti cap. 7. Hugo Victorinus in summa Hugo Vict.
eruditionis; Theodoretus tract. 2. cap. 2. S. Tho- Theodoret.
mas quæst. 59. artic. 3. & reliqui Theologi hoc S. Thom.
idem supponunt in 2. dist. 7. 22. & 23.

Suppono secundò, voluntatem Angelicam non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem esse liberam, saltem respectu aliquorum obiectorum. Prior pars constat ex dictis: sic enim Angelus habet liberum arbitrium: ergo saltem quoad exercitium aliquorum actuum est

liber,

liber: nam si necessitaretur ad omnium volitionum exercitium, nullam retineret libertatem. Posterior pars ostenditur, quia non solùm potest Angelus velle, vel non velle obiectum aliquod, sed etiam potest velle hoc, vel oppositum eius, v.g. potest velle quiescere, aut moueri, loqui, vel tacere, & similia: possunt enim in his particularibus obiectis inueniri, & repræsentari variæ rationes boni, & mali, conuenientis, & disconuenientis, vnde possit pro libito voluntas hæc in particulari complecti, vel respuere hæc, vel illa præferre, quem vocat S. Thomas in hac q. 60. art. 2. amorem electiuum.

5. Suppono tertiò, cùm amare sit velle alicui bonum, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 26. art. 4. cum Aristotele 2. Rhetoricorum cap. 4. necessarium esse, vt Angelus amando se velit sibi bonum, siue hoc sit intrinsecum, in quo complaceat possesso, siue sit extrinsecum, & absens, quod sibi desideret; bonum ipsum amari dicitur amore concupiscentiæ, persona verò, cui bonum amatur, amari dicitur amore amicitiæ, quæ latè sic vocatur in præsenti, prout distinguitur à concupiscentia: nam amicitia propria est ad alterum, vt docuit Aristoteles, vterque verò respectus amicitiæ, & concupiscentiç reperitur simul in eodem amoris actu, quia concupiscentia boni refertur ad aliquam personam, cui volumus illud bonum; nec item datur respectus amicitiæ, seu beneuolentiæ ad personam, nisi volendo ipsi bonum aliquod.

Aristot.

6. His suppositis conueniunt omnes, amorem Angeli erga seipsum, quatenus concupiscentia est, necessarium esse quoad specificationem saltem respectu quorundam bonorum, scilicet boni in communi, aut beatitudinis naturalis, quam nemo potest odisse; item quatenùs amicitia est, necessarium esse simul quoad specificationem saltem: nam Angelus ita se diligit, vt non possit seipsum odisse: Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, vt inquit Paulus ad Ephes. 5. Quòd si nonnulli sibimet mortem consciscunt, quod videtur indicium odij erga seipsos, non id faciunt ex displicentia sui, nec ideò persequuntur seipsos odio inimicitiæ, sed potiùs amore beneuolentiæ, desiderantes vno malo seipsos ab alio maiore liberare. An autem talis amor sit etiam necessarius quoad exercitium, variant Doctores.

Ephes. 5.

7. S. Thomas hic amorem Angelorum erga seipsos vòcat naturalem, quæ vox tripliciter potest accipi iuxta subiectam materiam: nam amor potest dici naturalis, primò, vt distinguitur contra supernaturalē, in quo sensu loquitur S. Thomas; siquidem art. 1. ad 3. distinguit dilectionem naturalem à Charitate, & de priori doctrinam articuli defendit, ostendendo esse in illa dilectione propriam rectitudinem, & art. 2. in fine corporis concludit. *Hæc autem dicta sunt prætermissis his, quæ supra naturam sunt*, & certè nunc consideratur Angelus in pura natura; & ideò de amore naturalis ordinis dicendum erat.

8. Secundò, dicitur amor naturalis, quatenùs ex inclinatione naturali proximè nascitur, licèt non sit omninò necessarius, in quo etiam sensu loquitur S. Thomas, dum art. 1. probat dari naturalem amorem in Angelis, quia voluntas supponit naturam; & ideo debet aliquid appetere ex inclinatione naturali. Circa quam rationem multa dicit Caietanus, & alij Moderni, vt explicent, quomodo probet de appetitu elicito, & non tantùm de naturali. Sed res est facilis: nam ipsa voluntas connaturaliter inclinatur ad amanda illa bona, in quæ naturaliter perpendet tam ipsa natura, quàm intellectus, & aliæ facultates illius: Sic appetitus elicitus viuendi vel sciendi est naturalis in hoc sensu. Tertiò, dicitur amor naturalis, vt distinguitur à libero quocunque modo, & est idem ac necessarius simpliciter; quem sensum non videtur vsurpasse S. Thomas in tota ista quæst. 60. vt rectè notauit Caietanus, & ex omnibus rationibus Angelici Doctoris facilè colligitur. Imò art. 1. ad 2. expressè declarat, in hoc amore naturali non sic Angelum agi à Deo per inclinationem naturalem, quin ipsemet Angelus agat, *Cum habeat* (inquit) *liberum arbitrium.*

Nihilominus prima sententia docet Angelum amare seipsum necessariò, ita vt à quodam actu determinato amādi seipsum cessare non possit. Ita Bannes hîc dubio vltimo inclinat Cumel art. 3. licèt in art. 1. probabilius iudicarit oppositū. Fundamentū est, quoniam Angelus se necessariò cognoscit: ergo etiam necessariò se amat. Consequentia probatur, primò quia cognoscendo se cognoscit, & iudicat cum eadem necessitate bonū, ac conueniens sibi esse se semper diligere. Probatur secundò, quia sicut cognitio sui est fundamentum aliarum cognitionum, sic amor sui est fundamentum aliorum amorum. Probatur tertiò, quia sicut cognitio sui habetur sine labore, defatigatione, vel impedimento aliorum actuum, sic amor sui non solùm non defatigat, verùm delectat, & non impedit alias actiones. Probatur quartò, quia sicut in cessatione à cognitione sui nullam rationem boni potest Angelus apprehendere, sic nec in cessatione ab amore sui. 9.

Bannes. Cumel.

Secunda sententia generaliter negat, extra visionem beatam in Angelis aliquem actum voluntatis dari necessarium quoad exercitium; ac subinde nec amorem sui sic esse necessarium. Ita tenet Ferrara 3. contra Gent. cap. 109. §. *Ad euidentiam*, & §. *Circa ea.* Sequitur Vasquius 1. part. quæst. 60. artic. 3. in Notationibus circa illum. Probatur primò, quia licèt intellectus Angeli semper ac necessariò habeat speculatiuam sui cognitionem, non tamen eadem necessitate iudicat practicè se fore diligendum sibi: ergo nec voluntas necessariò elicit talem amorem, quia voluntas sequitur iudicium practicū intellectus, non speculatiuum. Sic arguit Ferrara. 10.

Ferrara. Vasquez.

Probatur secundò, quia tunc voluntas non potest ab aliquo actu cessare, sed necessariò fertur quoad exercitium, quoties in ipsa operatione, vel exercitio non potest apprehendi ratio mali: Angelus autem potest apprehendere rationem mali, vel minoris boni in ipso actu amandi seipsum, nimirum vt Deum toto conatu diligat oblitus etiam sui. Confirmatur: nam in alijs obiectis, quæ sibi amat Angelus vt bona, non inuenitur aliquod præter Deum clarè visum, à cuius amore non possit cessare; ac subinde cùm amor amicitiæ, quo se diligit Angelus, non distinguatur ab amore concupiscentiæ, quo rem aliquam, vt bonam sibi concupiscit, fit, vt nullus sit actus amoris sui necessarius quoad exercitium, nisi amor, quo Deum clarè visum amat sibi, sic arguit Vasquius. 11

Tertia sententia media fit Valentiæ tom. 1. disp. 4. qui licèt quæst. 9. punct. 1. dicat esse valdè probabile quòd Angeli sint semper in actu amoris respectu naturalis amoris erga se, qui ex naturali 12.

Valent.

sui

sui cognitione dimanat, & sic putat innuisse S. Thomam q.8. de verit. art. 6. ad 7. & art. 14. ad 6. Tamen q.11. punct. 2. vtitur distinctione dicens, Angelum tum necessariò quoad specificationem, & quoad exercitium diligere seipsum amore amicitiæ: tum etiam liberè quoad vtrumque amore concupiscentiæ; quam credit esse S.Thom. sententiam S. Thomæ in hac q.60. art. 3. Priorem partem probat; nam vnaquæque res modo conuenienti suæ naturæ inclinatur naturaliter & necessariò in suam naturalē perfectionem: ergo etiam Angelus inclinatione quadam voluntatis, quæ est secundùm modum naturæ suæ intellectualis fertur ad se amandum amicabiliter. Quòd autem hæc necessitas non sit solùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium, probat, quia necessitatur quoad exercitium ad cognitionem sui: ergo etiam ad sui dilectionem. Posteriorem partem ostēdit, quia varia bona sunt, quæ potest Angelus sibimet velle liberè, & cum indifferentia quadā, vt hoc vel illud facere, huc vel illuc ire, &c.

13. Aliter distinguit quarta sententia docens Angelum necessitari etiam quoad exercitium ad aliquem amorem sui disiunctim, & in confuso; nullum tamen actum particularem amoris sui habere, qui sit absolutè necessarius quoad exercitium. Ita Suarius lib. 3. de Angelis cap. 4. Suarius. Priorem partem probat. Nam Angelus semper est in aliquo actu amandi: per omnem autem dilectionem amat se aliquo modo amore naturali: nam hic est primus amor, & quasi imbibitus in omni amore ordinis naturalis: ergo semper est in aliquo amore sui. Declaratur maior, quia iuxtà dicta disput. 16. cap. 2. Voluntas Angeli necessitatur ad exercitium alicuius actus huius, vel illius indeterminatè; sed amor est radix omnium volitionum, & virtute clauditur in omnibus: ergo si semper operatur Angeli voluntas, semper tendit in aliquod obiectum per amorem, vel formaliter, quando desiderat, aut delectatur de aliquo bono, vel virtualiter saltem, dum odit aut fugit malum contrarium: sed dum amat obiectum, etiam amat suum amorem, qui voluntarius etiam est: ergo semper amat etiam suam perfectionem; nam amor est amantis perfectio, & consequenter amat seipsum.

14. Confirmatur; nam ipsemet amor alterius obiecti catenùs amabilis est, quatenùs est honestus: Est autem honestus, inquantum secundùm se, ac per se est consentaneus rationi, seu rationali naturæ, vel intellectuali, prout talis est: ergo talis amor intrinsecè claudit conuenientiam cum intellectuali natura ipsius amantis: ergo vt sic amatur, eo ipso quòd voluntariè ac honestè exercetur: ergo necessariò amatur etiam vt bonum ipsius amantis, & consequenter qui sic amat, etiam seipsum naturaliter, & necessariò amat.

15. Posteriorem partem probat, quia nō potest volitio esse in Angelo necessaria per inaduertentiam, aut subreptionem, vt contingunt in nobis motus primò primi, quia semper operatur cum aduertentia perfecta, cum qua certè nō potest aliquis actus voluntatis naturalis esse necessarius quoad exercitium in Angelis. Quod patet ex differentia inter intellectum & voluntatem: nam intellectus non est potētia formaliter libera, voluntas autem est libera formaliter, vnde non par causa necessitatis requiritur quoad exercitium in intellectu, & voluntate. Deinde intellectus est natura sua prior facultas, quam voluntas tam in esse, quàm in operari, necessarium est enim vt operando præcedat, vnde etiam necesse est, vt aliquam habeat operationem non liberam quoad exercitium, quia nunquam operatur liberè, nisi vt motus à voluntate, & per denominationem ab illa; in prima autem operatione non potest à voluntate moueri. At voluntas ex vi sui modi operandi non habet illam necessitatem, quia semper illam præcedit cognitio obiecti, quæ in Angelo semper est perfecta, & per consequens ad vsum libertatis sufficiens; vnde oporteret ex parte obiecti, vel actus reperiri peculiarem causam necessitantem quoad exercitium: sed nulla talis occurrit: ergo non datur talis necessitas.

Minor ista probatur, quia quidquid boni videt Angelus in se finitum est, & licèt sit proprium, potest actu possideri, quamuis actu non ametur: Bona verò alia, quæ sibi potest amare, multò minus possunt in particulari necessitare voluntatem, quia non possunt omnia simul amari distinctè, ac in particulari; vnde liberum est circa hoc, vel illud versari: ergo ex parte obiecti nulla necessitas apparet alicuius amoris in particulari. Nec item dari potest ex parte ipsius actus propter eandem rationem, quia nullus in particulari est necessarius ad proprium commodum, vel ad naturalem facultatem: ergo in nullo actu determinato talis necessitas inuenitur. 16.

Confirmatur; nam vel amor Angelo necessarius quoad exercitium est amor alicuius boni naturalis ab ipsomet Angelo separati; & hoc non, quoniam in amore istorum bonorum, quæ ab intrinseco, & naturali necessitate non habentur, versatur maximè libertas Angeli, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem, & ideò nunc habet affectum huius rei, nunc alterius, & in nullo particulari affectu cogitur iugiter permanere. Vel est complacentia naturalis, quam habet in sua naturali perfectione, seu bonitate naturali, quam in se videt cum affectu, & quasi desiderio conseruandi illam, siue quod idem est existendi cum ea dispositione, seu perfectione: Et hoc etiam non, quia nec obiectum tantam necessitatem inducere potest, nec ipse actus propter alias operationes est necessarius, nec item propter seipsum. Potest enim Angelus in aliis actibus cum æquali perfectione, vel voluptate, vel honestate versari, tantoque conatu ferri ad alia obiecta, & in tanta varietate, vt non possit Angelus simul circa seipsum per alium actum particularem occupari. 17.

Rursus potest hoc ipsum ostendi; nam ille actus complacentiæ in suis bonis non est ita intrinsecè honestus, quin possit haberi inordinatè; quare licèt obiectum sit idem, potest in modo, vel motiuo actus ipse variari, quod satis est vt nullus actus in particulari sit quoad exercitium necessarius. Consequentia patet; antecedens probatur in Dæmonibus, qui sine dubio diligunt suum commodum nimis inordinatè; vnde fit non fuisse talem amorē datum ipsis ab Auctore naturæ, qualis futurus fuisset amor necessarius. 18.

Ego iuxta superiùs dicta disp. 14. cap. 1. n. 24. & 25. censeo in præsenti necessitari moraliter Angelum ad aliquem amorem sui disiunctum & indeterminatè, vt docet Suarius quod eius fundamenta conuincunt, & præsertim quia vt ibi 19.

diximus,

diximus moraliter cogitur Angelus ad cognoſcendum ſemper ſeipſum: valde autem coniuncta eſt cum ſui cognitione dilectio ſui: ergo moraliter non poteſt Angelus ab aliqua, ſaltem in confuſo ceſſare. Adde quòd ſicut Angelus ſemper eſt in actu cognoſcendi adæquato, vt ibi quoque dixi n. 22. ſic etiam ſemper erit in actu adæquato volendi obiecta cognita: ſed inter obiecta cognita eſt ipſemet: ergo etiam inter obiecta volita ſemper eſt ipſe Angelus aliquo modo dilectus: in quo conuenio cum prima ſententia, & cum priori parte tertiæ. Non tamen loquor ſolùm de actu amicitiæ, ſed etiam aliqualis concupiſcentiæ, quæ nunquam ſeparatur ab amicitia; nam etiam dum Angelus amat ſibi bona eſſentialia prout actualiter exiſtentia, ſaltem diſtinguitur virtualiter, aut ratione noſtra obiectum concupiſcentiæ, & amicitiæ, quod ſufficit, vt in amore duos illos reſpectus, & denominationes ratione noſtra diſtinguamus.

20. Ceterùm metaphyſicè loquendo non video rationem cogentem ad ponendum in Angelis neceſſarium amorem ſui, etiam in confuſo, vel indeterminatè, in quo conuenio cum ſecunda ſententia. Patet ex dictis diſp. 14. c. 1. num. 15. quia ſi poteſt metaphyſicè loquendo ceſſare prorſus Angelus à cognitione ſui, vt ibi oſtenſum eſt, conſequenter poterit à ſui dilectione vacare: dum enim non cognoſceret ſe, nō poſſet ſemetipſum amare, ſed circa res à ſe diuerſas cognoſcendas; & amandas totus & adæquatè verſaretur. Vnde fit, multò minùs neceſſitari Angelum quoad exercitium ad aliquem particularem actum amoris erga ſe, vel amicitiæ, vel concupiſcentiæ, in quo conuenio cum ſecunda, & quarta ſententia.

21. Ad fundamentum primæ ſententiæ dicimus Angelum ſe cognoſcere neceſſitate morali, non metaphyſica, & ſic omnes illæ probationes conſequentiæ probant ad ſummum eadem morali neceſſitate ſemetipſum diligere. Sed nec in hoc eſt omnimoda paritas, cùm non ſint pares in libertate potentiæ; nam intellectus neceſſitatur ad cognitionem ſuæ ſubſtantiæ, quæ ferè ſemper inuariabilis perſeuerat; at voluntas cùm ſit libera formaliter minùs neceſſitatur, ſcilicet ad amandum ſibi bonum aliquod diſiunctum hoc, vel illud, quod variis actibus inuicem ſuccedentibus præſtabit.

22. Primum fundamentum ſecundæ ſententiæ non vrget, quia per cognitionem qua ſe cognoſcit Angelus veriſimile ſit repræſentari formaliter quidquid in actu primo repræſentat ipſamet Angeli ſubſtantia per modum ſpeciei intelligibilis: ſed Angeli ſubſtantia concurrit per modum ſpeciei ad cognitionē ſuarum quoque perfectionum, ſiue ſint idem realiter cum eſſentia, ſiue dimanent realiter ab illa, vt diximus diſp. 8. cap. 2. num. 18. ergo concurrit etiam ad cognitionem ſuæ bonitatis tam eſſentialis, quàm accidentalis per modum proprietatis: atqui cognitio bonitatis ſufficienter mouere poteſt ad amorem illius: ergo cognitio ſui Angelis neceſſaria ſufficit ad inferendum amorem ſui neceſſarium etiam aliquo modo. Secundum fundamentum probat, nullum actum amoris particularem eſſe neceſſarium quoad exercitium, quod fatemur.

23. S. Thom. Tertia ſententia quoad poſteriorem partem nobis fauet loquendo de particularibus actibus. Quoad priorem partem S. Thomas q. 8. de veritate loquitur tantùm de cognitione ſui, in hac quæſt. 60. iam explicuimus eius mentē ſupra n. 7. & fundamentum illius, quod adducit Valentia, ſolum probat, amorem ſui eſſe Angelo naturalem in 2. ſenſu ibi adducto, & ad ſummum neceſſarium eſſe moraliter quoad actus diſiunctim, vt diximus, ſicut oculus eſt neceſſarius ad videndum. Argumentum autem quo probat neceſſitatem quoad exercitium ex parte cognitionis, iam ſuprà dictum eſt num. 21. Quarta ſententia nobis probatur omninò quoad poſteriorem partem: Quoad priorem etiam placet, ſi intelligatur de neceſſitate morali, nec amplius coniungunt eius fundamenta.

CAPVT II.

Vtrùm voluntas Angeli ſit libera circa res alias.

1. Caietan. Vaſquez. SVppono primò cum Caietano in hac q. 60. art. 3. & Vaſquio ibidem, non ſolùm amari poſſe amore concupiſcentiæ aliquod accidēs alicui ſubſiſtenti, ſicut amamus nobis, aut amicis ſanitatem, ſed etiam res ſubſiſtentes, vt animalia, pecunias, vel homines poſſe nobis, vel alteri amari, quia licèt vna ſubſtantia, vel ſuppoſitum nō ſit bonum inhærens alteri, poteſt eſſe bonum alteri benefaciens, adiuuans, aut perficiens, & ita poteſt concupiſci. Quare cùm S. Thomas hîc art. 3. ex doctrina Ariſtotelis 1. Ethic. cap. 6. docet dupliciter aliquid amari poſſe, nimirum & vt rem ſubſiſtentem, cui volumus bonum aliquod, & vt bonum accidentarium, quod alicui volumus, intelligit ſanè per bonum accidentarium etiam rem ſuppoſito diſtinctam, coniungendam tamen accidentariè media quapiam operatione. Ariſtot.

2. Hinc ſuppono ſecundò, Deum ipſum poſſe à nobis, vel ab Angelis amari, vel amore amicitiæ, vel concupiſcentiæ, ſcilicet, vel quatenus eſt bonum in ſe, vel quatenus eſt bonum noſtrum. Et quidem amorem amicitiæ naturalem erga Deum aliqui negant eſſe poſſibilem; ego verò, cum communi Doctorum, exiſtimo talem amorem ordinis naturalis diſtinctum eſſentialiter à charitate ſupernaturali dari poſſe; imò dari de facto in Angelis, quod lib. 6. probandum erit. Deinde licèt Deus ſit ſupremum bonum, poteſt honeſtè diligi amore concupiſcentiæ naturali, vt ſuppono ex materia de ſpe, minùs tamen perfectè, quàm amore amicitiæ, quia per hunc amatur ſuper omnia; per concupiſcentiam verò præcisè minus videtur amari, quàm creatura, cui amatur.

3. Suppono tertiò, vtrumque Dei amorem eſſe in Angelis naturalem in primo ſenſu poſito cap. 1. num. 7. vt patet ex dictis. Rurſus amorem concupiſcentiæ ſimul eſſe naturalem in ſecundo ſenſu, quia Deus eſt ſummum vniuerſale bonum, à quo totum bonum ipſiuſmet Angeli pendet: ſed Angelus naturaliter amat bonum ſuum: ergo & Deum ſibi naturaliter amat. De amore beneuolentiæ, vel amicitiæ Gabriel in 3. diſtinct. 29. quæſt. 1. art. 1. notabili 3. dixit voluntatem creatam ex inclinatione naturali magis diligere ſe, quàm Deum, quia ſecundùm inclinationem naturæ amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium, & amicabilia ad alterum ſunt ex amicabilibus ad ſe, teſte Ariſtotele 9. Ethic. cap. 8. Gabriel.

Oppo

4\. Oppositum docet S.Thomas 1.2. quæst. 109. & 2.2. quæst. 26. art. 3. & quodlibeto 1. artic. 8. & in hac quæst. 60. art. 3. Tum etiam quoniam alioqui natura esset malè instituta, eiúsque dilectio, & inclinatio esset peruersa; tum etiam quoniam aliàs charitas supernaturalis non perficeret, sed destrueret naturam, siquidem esset contra inclinationem illius. Tum demum quia pars naturaliter plus diligit totum, quàm seipsum, siquidem manus naturaliter exponitur ictui propter conseruationem totius. Vnde fit Angelum amare Deum amore naturali amicitiæ, plus equidem quàm seipsum, hoc etiam secundo modo connaturalitatis, orto scilicet ex inclinatione naturali. In quo conueniunt cum Thomistis Scotus & ferè omnes alij Theologi in 2. dist. 3.6. 26. 27. & 28. & in 3. dist. 27. & 29. Alensis 2. part. quæst. 30. memb. 1. & 2. Licèt interdum obscurè loquatur. Id tamen confirmat quæst. 31. memb. 3. Henricus quodlib. 4. quæst. 11. Altisiodorensis lib. 2. summæ tractatu 1. cap. 4. & fauet Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3.

Scotus. Alens. Henricus. Altisiod. Fulgentius.

5\. Circa necessitatem huius amoris Bannes hic art. 5. docet amorem Dei in Angelis necessarium esse quoad specificationem, & exercitium, indifferentérque loquitur de amore Dei, nec de solo amore concupiscentiæ, sed etiam amicitiæ, videntur eius rationes procedere. Probat num. 1. nam Angelus necessariò quoad exercitium diligit seipsum: ergo multò magis Deum. Consequentia probatur, tum quoniam amor proprius fundatur in amore boni vniuersalis, quod est Deus, & ad ipsum reducitur, aliàs esset inordinatus: tum etiā quia maior est inclinatio ad amorem Dei, quàm ad proprium: ergo est magis necessarius: necessitas enim oritur ex maiori inclinatione. Probat secundò: nam Angelus eodem actu cognoscit se, & Deum: ergo similiter eodem actu diligit se, & Deum, & consequenter pari necessitate. Consequentia patet ex debita proportione, & quia sicut Angelus cognoscit conclusionem in principiis, sic amat medium in fine, seque diligit vt medium, & Deum vt finem.

6\. Valentia tom. 1. disp. 11. punct. 2. dicit primò, Angelum amore amicitiæ diligere Deum necessariò quoad specificationem. Probat, quia cùm Deus sit causa prima, & vltimus finis omnium creaturarum, quælibet creatura modo consentaneo naturæ suæ prorsus naturaliter, & necessariò propendet in Deum tanquam in id, à quo multo magis dependet naturaliter, quàm ab vlla alia perfectione sua, quam amat vtique necessariò, saltem quoad specificationem. Nec obstat quòd Dæmones, & homines interdum odio prosequuntur Deum: non enim oderunt Deum secundùm se, sed vt aliquid facit, quod nimis auersantur. Videtur consentire Vasquius hic art. 5. dum negat necessitatem huius amoris quoad exercitium solum, & nihil dicit de necessitate quoad specificationem.

Valentia. Vasquez.

7\. Dicit Valentia secundò, non esse quidem explotatum, vtrùm dilectione quoque naturali diligant omnes Angeli Deum necessariò, etiam quoad exercitium, & probabiliter forsan id affirmari posse; quia fieri posset, ve Deum secundùm se semper actu diligerent etiam Dæmones, & tamen eundem sub alia quadam ratione, nimirum vt eos punit, etiam odio haberent. Ab hac conclusione dissentit Vasquius suprà, quoniam in exercitio talis amoris non potest apparere ratio totalis boni, quod necessarium erat, vt Angelus Deum amaret necessariò quoad exercitium.

Valentia.

Ego dico primò cum Vasquio suprà, Suario lib. 3. de Angelis cap. 5. & aliis, Angelum nec per amicitiam, nec per concupiscentiam diligere Deum necessariò quoad exercitium. Probatur primò quoad amorem amicitiæ argumento proximè relato ex Vasquio. Probatur secundò, quia licèt moraliter loquendo semper Angelus cognoscat Deum dum cognoscit se, vel creaturam aliam, vt dependētem à Deo iuxta dicta disp. 14. cap. 1. n. 29. tamen absolutè potest talem cognitionem non habere, sicut & illam dependentiam creaturæ non agnoscere, posita etiam tali cognitione voluntas Angeli non necessitatur quoad exercitium ad talem amorem, quia non videt clarè Deum in se: Deus autem non clarè visus non est cur rapiat voluntatem ad necessarium exercitium amoris. Probatur tertiò, quia naturalia manserunt in Dæmonibus integra, & tamen non mansit talis amor, siquidem odio habent Deum: ergo talis amor non est necessarius quoad exercitium. 8. Suarez.

Vnde S.Thomas hîc art. 4. ad 5. dum ait, quod licèt aliqui Deum odio habeant, quatenùs eorum voluntati est contrarius, nihilominùs naturaliter eum plus diligunt, quàm se, quatenùs est bonum commune omnium, non intelligit ipsum actum elicitum amandi Deum plus quàm se simul manere cum odio Dei; nam hoc planè repugnat, sed intelligit naturam, quantumuis ex accidenti prauè afficiatur, semper inclinare Angelum ad amandum Deum plusquam se, nec posse illum odisse secundùm se, quamuis tunc propter rationem extrinsecam illum odio habeat, & consequenter impediatur, ne Deū diligat actu elicito. 9. S.Thom.

Quoad amorem concupiscentiæ probatur, quia iam capite præcedenti vidimus, Angelum non se diligere quopiam actu determinato necessario quoad exercitium: ergo nullam rem particularem amat sibi necessariò quoad exercitium, alioquin necessitaretur ad amandum se per talem actum determinatum: nam amor illius rei particularis determinatus est: ergo nec Deum amat sibi tali necessitate, quia licèt Deus sit vniuersale bonum eminenter, vel causaliter, nihilominus est obiectum particulare in ordine ad particularem amorem: ergo nec amore concupiscentiæ amat Deum Angelus necessariò quoad exercitium. 10.

Dico secundò, nec quoad specificationem amat Deum Angelus necessariò. Ita Suarius suprà, & probatur, quia necessitas quoad specificationem ita determinat potentiam ad hanc speciem actus, vt nullo modo contrarium admittat; sed Angelus simpliciter loquendo potest odisse Deum sub aliqua ratione, vt patet in Dæmonibus, qui reuerà Deum odio habent absolutè loquendo; ergo amor Dei, qui huic odio sine dubio est contrarius, non est necessarius quoad specificationem. Nec valet euasio Valentiæ: nec enim etiam sub diuersis rationibus possumus simpliciter, & efficaciter aliquid odisse simul & amare; siquidem efficax & absoluta volitio, & nolitio simul eiusdem obiecti etiam materialis repugnant, sicut & assensus, & dissensus simul circa idem obiectū etiam materiale, licèt sub diuersis motiuis non compatiuntur. Idem est in amore proximi, quem nō possumus odisse secundum se, nec in quantum nobiscum conuenit in 11.

natura, sed propter rationes alias accidentales, & tamen amor proximi non dicitur necessarius simpliciter quoad specificationem, quia possumus absolutè proximum odisse: ergo similiter amor Dei non dicetur necessarius quoad specificationem, licèt non possimus odisse Deum secundùm se, vel sub ratione benefactoris nostri, si possumus absolutè propter alias rationes accidentales odisse Deum. Quod non solùm procedit de amore amicitiæ, sed etiam concupiscentiæ, quatenùs ex adiunctis quispiam velle potest non existere: tunc enim simul poterit odio habere Deum, siue nolle Deum sibi, quia qui simpliciter vult non esse, nullum positiuum bonum sibi vult, sed solùm carere maiori malo.

12 Ad primum argumentum Magistri Bannes, dato antecedenti de amore sui disiunctim sumpto, negatur consequentia, ad cuius primam probationem negamus omnem amorem, quo se diligit Angelus ordinatè fundari in amore Dei, sed in commoditate, seu bonitate obiecti, & in inclinatione naturali ad proprium commodum. Nec ideò talis amor est inordinatus, quia nulla ratio, vel lex cogit ad fundandum omnem actum amoris erga bonum creatum in amore boni increati; sed satis est illud non excludere, & quod aptus sit de se referri ad illud. Ad secundum dicimus nec amorem sui esse necessarium in Angelo quoad exercitium, nisi disiunctim, & moraliter solùm; nec item illationem valere, quia licèt inclinatio naturalis ad Deum sit maior, vsus eius potest esse magis liber, quia necessitas actus non nascitur ex sola inclinatione naturali, sed etiam ex propinquitate, & cognatione, aliisque conditionibus. Vnde difficiliùs remouetur à dilectione sui, quàm à dilectione Dei, & quadam maiori necessitate quoad specificationem amat se, quàm Deum: quia Deum potest odisse, saltem ob rationes extrinsecas, se verò nullo modo.

13. Ad secundum argumentum negatur antecedens vniuersaliter sumptum iuxta dicta disput. 9. cap. 5. à numer. 16. & licèt aliquando sit verum, distinguitur consequens: nam amore concupiscentiæ dum Angelus amat Deum, sibi clarum est simul Deum, & seipsum amari, tamen quia talis determinatus amor sui non est necessarius; ideò nec amor ille Dei est simpliciter necessarius; amore verò amicitiæ potest Angelus amare seipsum, & non Deum. Vnde iam non sequitur esse necessarium amorem Dei; potest etiam amare Deum, quin eodem actu diligat seipsum. Denique potest vnico actu diligere seipsum & Deum; scilicet Deum propter se, & se propter Deum, & tunc se diligit amore concupiscentiæ, & Deum amore amicitiæ, tamen hoc modo sicut se liberè amat, ita & Deum: ergo nullus amor Dei naturalis est simpliciter necessarius. Fundamentum Valentiæ solùm probat amorem erga Deum in Angelis esse naturalem in secundo sensu, id est, ex inclinatione naturæ, non autem in tertio sensu, id est, necessarium simpliciter.

14. Restat dicere de Angelorum amore circa res alias, inter quas quædam sunt rationis expertes, de quibus in particulari nihil quæsiuit S. Thomas, quasi supponens non amari ab Angelo necessariò, sed liberè prorsus: aliæ sunt intellectuales, de quibus egit S. Thomas art. 4. nam sub Angelis etiam homines comprehendit, siquidem sic inquit in corpore. *Respondeo quòd, sicut dictum est, Angelus & homo naturaliter seipsum diligit.* Vnde colligit Angelum naturali dilectione amare alios Angelos, nec posse talem amorem etiam à malis Angelis remoueri, *quin dilectionem naturalem habeant ad alios Angelos in quantum cum eis communicant in natura.* Quare videtur sentire talem amorem necessarium esse.

Dicendum tamen est, vnum Angelum non diligere alios necessariò, vel quoad exercitium, vel quoad specificationem. Prior pars patet, quia nec Angelus cogitur semper alios, vel aliquem illorum cognoscere: cur enim ad talem cognitionem necessitetur, nec etiam dum alios considerat rapitur necessariò ad illorum amorem, quia tale obiectum non est summè bonum, nec per se beatificans Angelum, nec ad bonum eius est simpliciter necessarium, nec in tali amore reperitur summa perfectio, in qua non possit aliqua ratio incommodi deprehendi, vnde libeat intermittere. Non est ergo talis dilectio necessaria quoad exercitium. 15.

Posterior pars ostenditur, quia licèt Angelus per se, ac ratione suæ naturæ spectatus non sit dignus odio, nec sub ea ratione possit odio haberi, tamen vt S. Thomas in eodem artic. 4. docet, propter extrinsecas, & accidentales rationes potest odio haberi; sic nos, & boni Angeli odio prosequimur malos, & hi bonos, & homines; atque possunt velle illos non esse, vel ipsorum destructionem ex displicentia, & affectu mali ad illos: ergo non diligunt illos necessariò quoad specificationem, sed amore naturali in secundo sensu, id est, orto ex inclinatione naturali specialiter fundata in vnitate, & conuenientia in gradu intellectuali. 16.

Quare cùm S. Thomas distinguit dilectionem electiuam à naturali, vt membra sint conuenienter opposita, cum per naturalem intelligat eam, quæ nascitur ex inclinatione naturæ, per electiuam quidem intelligit illam, quæ prorsus libera sit, ita vt nec ex naturæ propensione specialiter deriuetur. Nec verba suprà relata numero 14. sunt capienda de amore elicito, sed de inclinatione naturali: hæc enim sola non potest ab Angelis remoueri, actus autem eliciens potest non haberi, imò & contrarius adesse potest, vt diximus, vel si capiantur de actu elicito, non absolutè capienda sunt, sed conditionaliter, vt indicant verba illa, *in quantum communicant in natura*, quia si velit vnus Angelus habere volitionem circa alium quatenùs in natura conuenit secum, hanc præcisam rationem spectando non potest versari circa illum nisi diligendo, tamen absolutè potest odisse, quia potest obiectum illud non ita præcisum, sed vt in re habet alias conditiones adiunctas, considerare. 17.

Circa creaturas rationis expertes non datur nisi amor concupiscentiæ, teste Aristotele 8. Ethic. cap. 2. & S. Thomas 1. contra Gent. c. 91. & hic non est Angelo necessarius, aut naturalis etiam in secundo sensu, nam extra Deum nihil sibi naturali propensione concupiscit, cùm à solo Deo pendeat, & cum illo solo possit esse beatus. Vnde tales creaturas amore prorsus electiuo 18.

electiuo prosequitur. Imò quatenus alios Angelos amore concupiscentiæ diligere potest, non naturali amore, sed electiuo diligit ob eandem rationem.

CAPVT III.

Vtrùm Angelus in pura natura sit peccabilis.

1. QVoniam peccabilitas, vel impeccabilitas pariter se habent respectu Angelorum, ac respectu omnium voluntatum possibilium, quærimus hic generaliter, An possit creari natura rationalis impeccabilis ab intrinseco, & connaturaliter. In quo prima sententia simpliciter affirmat, posse voluntatem creari, quæ necessariò velit bonum honestum, ac subinde per suam naturam peccare nequeat. Ita sentit Ochamus in 1. dist. 44. q. vnica art. 1. Vbi non solùm loquitur de creatura purè spirituali, sed etiam de natura composita ex corpore, & anima spirituali distincta specificè ab humana natura, & ab anima nostra rationali: supponit enim dari posse animal compositum ex corpore, & anima rationali, distinctum essentialiter ab homine, qui nunc creatus est, & perfectiùs specificè quàm nos, ac subinde potuisse produci connaturaliter impeccabile. Quod confirmat ex verbis Augustini lib. 13. de Gen. ad litteram cap. 7. quem refert Magister in 1. dist. 44. cap. 2. dicentis. *Talem potuit Deus hominem fecisse, qui nec peccare posset, nec vellet; & si sic fecisset, quis dubitat eum meliorem fuisse?*

Ochamus. Augus. Magister.

2. Hanc sententiam secutus est Maior in 2. distinct. 23. quæst. 2. conclusione 4. & 5. Malonius in 2. dist. 6. disp. 1. ita tamen vt homo, vel Angelus alterius speciei foret impeccabilis, quia sine libertate crearetur. Idem tradidit Gabriel in 2. dist. 23. art. 1. & 2. qui docet duplicem dari posse voluntatem rationalem, vnam quæ liberè moueatur ab obiecto, & sic non posse impeccabilem fieri: tum id esset contra rationem libertatis, quæ flecti potest in vtramque partem; alteram quæ necessariò moueatur ab obiecto, licet hoc per rationem, & intellectum proponatur; & sic produci posse creaturam rationalem impeccabilem, quia nulla creatura sine libertate peccare potest.

Maior. Malon. Gabriel.

3. Probatur hæc sententia primò, quia sicut intellectus circa prima principia tum speculatiua, tum practica non potest errare, sic etiam posset Deus voluntatem creare, quæ ex naturæ necessitate semper bonum virtutis appeteret, & prosequeretur. Secundò, sicut non possumus velle, vel nolle esse beati, sic posset creari voluntas, quæ semper vellet ex naturæ suæ conditione bonum honestum, & malum peccati respueret. Tertiò, nam appetitus sensitiuus naturaliter sequitur sensum: ergo fieri posset appetitus rationalis, qui semper iuxta suam naturam ratione duceretur, ita vt semper operetur bene iuxta rectã rationem.

4. Secunda sententia distinguit asserens, posse creari voluntatem, quæ suaptè natura peccare nequeat circa materiam virtutis, & finis naturalis, saltem primariò, ac per se; non tamen posse creari voluntatem ab intrinseco impeccabilem circa materiam virtutis, & finis supernaturalis. Ita Durandus in 2. dist. 23. quæst. 1. imò Angelos forsan esse tales de facto pronunciat, quod ex illius ratione manifestè deducitur, & in 2. dist. 6. quæst. 1. num. 16. apertè docuit hoc ipsum sequitur Capreolus in 2. dist. 22. quæst. 1. art. 3. Caietanus 1. part. q. 63. art. 1. §. *Circa consequentiam.* Indicat Ferrara 3. contra Gent. c. 109. §. 1. tenet Cumelis 1. p. quæst. 63. art. 1. q. 1. & probabilem censet Salas de Angelis viatoribus, sed probabiliorem de iis, qui in termino naturalis beatitudinis existerent.

Durand. Capreolus. Caietan. Ferrara. Cumel. Salas.

Probatur primò, quia voluntas non potest deficere peccando, nisi præcedat in intellectu defectus erroris, vel ignorantiæ: sed in intellectu Angeli nullus talis defectus contingit circa res naturales: ergo nec in eius voluntate potest esse peccatum in tali materia. Maior supponitur, minor colligitur ex supradictis d. 14. & 15. nam Angelus siue cõtempletur obiectum in ordine ad cognitionem tantùm, siue in ordine simul ad operationem, semper illud perfectè considerat cum omnibus eius proprietatibus, & circumstantiis: ergo quoties appetit rem naturalem sine defectu erroris, vel inconsiderationis fertur in obiectum, ac subinde sine peccato. 5.

Probatur secundò, nam Angelus naturaliter amat Deum super omnia necessario quoad exercitium: ergo non potest in materia naturali peccare. Patet consequentia, quoniam omne peccatum est contrarium amori diuino: ergo constante amore Dei super omnia, non potest simul adesse peccati. Probat tertiò Durandus, quia sicut dantur gradus inter corporea, sic dari debent inter spiritualia: sed inter corporea datur aliquod, quod in sua operatione non deficit, nec deficere potest, nempe cælum: ergo debet in spiritualibus dari aliqua natura nempè purè spiritualis, vt Angelus, qui deficere nequeat in suis operationibus. 6. Durand.

Cæterùm quamcunque creaturam rationalem etiam purè spiritualem circa virtutes, & finem supernaturalem deficere posse cõtraria ratione probat; quia circa res supernaturales potest præcedere defectus in intellectu Angeli, vel per errorem, vel per inconsiderationem: Cùm enim has intelligat Angelus lumine supernaturali ex altioribus principiis, quàm naturalibus, facilè circa illas deficere potest. Quippe circa res supernaturales non alio modo se habet intellectus Angelicus, quàm se habet noster circa res spirituales naturalis ordinis, circa quas mille patimur defectus quotidie. Fauet S. Thomas, nam lib. 3. contra Gent. c. 110. proposito argumento ad probandum Angelos non potuisse peccare, quoniam in illorum intellectu non poterat existere defectus, respondet eos peccasse ex inconsiderantia superioris boni, intelligens sanè bonũ supernaturale, quod est ordinis superioris, & 1. p. q. 63. art. 1. ad 3. cùm obiecisset Angelum non posse peccare, quia naturaliter diligit Deum, respondet naturale quidem esse Angelo diligere Deum, vt authorem naturæ, supernaturaliter autem conuerti ad Deum, secundùm quod est obiectum beatitudinis, *a qua auerti potuit peccando*, & sic art. 3. peccatum Angeli declarat per hoc quod appetit vltimum finem, ad quem virtute suæ naturæ poterat peruenire auertens suum appetitum à beatitudine supernaturali. 7.

Tertia sententia dicit, Angelos in naturalibus non solum peccare posse, sed etiam non posse non peccare intra naturalem statum, & in ordine ad suum finem naturalem, si solis arbitrij viribus sine speciali auxilio gratiæ sinatur operari. Hanc Suarius lib. 3. de Angelis cap. 7. num. 5. tribuit Gr[illegible] orio in 2. dist. 29. quæst. 1. art. 1. [illegible] onclus. 2. in secunda probatione conclusion[illegible] & Vasquez hic 8.

hic artic. 5. in Commentario, & 1. 2. disp. 193. cap. 3. num. 28. & 29. Sed equidem hi Doctores non dicunt, non posse non peccare Angelum sine auxilio speciali; sed non posse operari benè moraliter, quod diuersum est. Fatetur enim Vasquius ibi puram naturam rationalem etiam Angelicam sine vllo dono bonæ cogitationis relictam mansuram vtique vel cum mala cogitatione, cui consentiet, vel cum indifferenti solum, cum qua licèt non peccet, non poterit tamen aut tentationem vincere secundùm virtutem aut bonum aliquod operari, quamuis hæc impossibilitas solùm sit consequens nostram libertatem. Iam itaque censet posse Angelum sine dono gratiæ indifferenter operari (nam admittit opera in indiuiduo indifferentia.) Vnde poterit per vires naturæ non peccare, licèt non possit operari bene.

9. Probatur primò ex Augustino 12. de Ciuit. cap. 9. dicente non posse Angelos à Deo creatos se efficere bonos sine auxilio Dei. Fulgentius item lib. 2. ad Trasimundum cap. 2. & 3. eodem modo quoad hoc loquitur de Angelis, & hominibus in quibus talem necessitatem agnoscunt plerique Doctores. Probatur secundò, quia voluntas Angelica, cùm sit indifferens, pendet in sua operatione à cogitatione, ac excitatione intellectus congrua ad sic volendum. Hæc autem cogitatio quòd sit congrua vel non sit ad operandum bene, non est in manu eius, sed à Deo præueniente dependet. Deus autem non tenetur dare congruam, ideòque specialem gratiam facit, cùm illam suppeditat: ergo sine tali dono gratiæ non posset Angelus operari bene. Vnde colligit Vasquius eo num. 29. perinde fore asserere, creaturam aliquam posse produci, quæ solo arbitrio suo sine peculiari gratia Dei possit seruare totam legem naturalem, aut vincere tentationes omnes, aut vitare cuncta peccata, vel singula istorum, vel aliqua saltem præstare, ac asserere possibilem esse rationalem creaturam, quæ sic arbitrio suo gubernetur in suis operationibus, vt nullo modo subdatur scientiæ, vel prouidentiæ Dei, qui rectè nouit, qua cogitatione quæque rationalis creatura peccatura sit, qua verò benè sit operatura.

10. Quarta sententia posset excogitari dicens, voluntatem creatam non posse quidem ex vi naturæ solius ita esse impeccabilem, vt si relinqueretur in pura natura suis viribus solis non posset peccare. Ceterùm per solam gratiam à gloria separatam fieri posse quasi connaturaliter impeccabilem in omni materia. Probari potest, quia hoc non repugnat imperfectioni naturæ creatæ, nec principiis fidei, siquidem simpliciter loquendo, impeccabilitas illa non esset per vires naturæ, sed gratiæ, sicut est impeccabilitas gloriæ, licèt ista sit connaturalis visioni creatæ. Quòd si talis impeccabilitas possibilis sit, consequenter erit probabile nonnullos Angelos e[illegible]e sic ab intrinseco impeccabiles, nimirùm per intrinseca dona gratiæ.

11. In hac re suppono primò naturam Angelicam, sicut & quamlibet aliam rationalem reddi poss[e] impeccabilem per visionem beatam, de quo 1. 2. quæst. 4. vel per vnionem hypostaticam, de quo 3. part. quæst. 15. vel etiam per [illegible]stractionem diuini concursus ad actus peccaminosos, quod in B. Virgine minùs benè credunt contigisse nonnulli. Suppono secundò de facto quo[illegible] Angelorùm peccasse, vt constat ex Scriptura Iob. 4. *In Angelis suis reperit prauitatem.* 1. Ioan. 3. *Diabolus ab initio peccat.* Ioan. 8. *Mendax est, & pater mendacij ille homicida erat ab initio.* Vnde sequitur, aliquos saltem creatos fuisse capaces peccati voluntariè, libereque commissi, cùm nulli sint connaturaliter mali, vt ostendetur infrà disp. 23. cap. 1. Quòd autem hæc potestas peccandi communis fuerit omnibus Angelis creatis, licèt non sit tam manifestè de fide, nihilominùs est satis certum ex doctrina Patrum, quos retulimus cap. 1. num. 3.

Iob. 4. 1. Ioan. 3. & 8.

Dico primò non potest creari voluntas, quæ non sit libera, ita communiter Doctores contra primam sententiam, docetque Suarius lib. 3. de Angelis cap. 7. num. 15. & lib. 7. cap. 3. num. 18. Vasquius 1. part. disp. 231. cap. 3. Probatur primò authoritate Damasceni 2. de fide cap. 3. dicentis. *Rursùmque id omne, quod ratione vtitur arbitrij, quodque libertate præditum est, Angelus itaque vt rationis, & intelligentiæ particeps liberi arbitrij est, vt autem creatus in ea conditione erat, vt mutationem recipere posset, liberùmque ei esset vel in bonum, vel in malum manere*, loquitur autem, vt manifestè constat de mutatione peccati, & cap. 27. eiusdem libri, postquam dixit bruta libertate carere, & à natura potiùs duci, quàm eam ducere, subdit. *Homo contrà vtpotè rationis particeps naturam potiùs ducit, quàm ab ea ducatur*, & inferiùs ait. *Ad hæc sciendum, Angelos vtpotè ratione præditos liberi esse arbitrij, tum vt creatos, tum vt mutationi obnoxios.* Collìgit igitur Damascenus in hominibus & Angelis libertatem ex ratione, non quia tali genere rationis, sed quia ratione, vt ratio est, præditi sunt; ex eo verò quòd sunt creati de nihilo colligit mutari posse per peccatum. Quòd autem Damascenus non probet Angelos, & homines esse liberos, quia peculiari genere rationis, sed qui simplici ratione præditi sint, patet ex ratione, quam affert illo cap. 27. quæ talis est. *Vbi est ratio, vis illa, & facultas rationalis, partim in contemplatione, partim in actione versatur, ea verò in actione posita, quæ consultat, & rebus agendis modum præscribit; qui autem consultat, perinde consultat tanquam rerum agendarum electio in ipsius sit potestate*: ergo qui habet rationem eo ipso pollet libertate. Quæ ratio in omni creatura rationali quocunque genere rationis prædita sit locum habet, & vim quia nulla est, quæ non possit duo bona inter se conferre, de illisque consultare, quodnam illorum magis expediat. 12.

Suarius. Vasquez. Damascen.

13. Hinc probatur secundò ratione, quia si creatura verè sit rationalis, & intellectualis, voluntas eius essentialiter debet esse libera; quare licèt Deus diuinitùs possit illam ab extrinseco determinare ad vnum, non potest facere, vt ex natura sua, & ab intrinseco sit ita determinata: nam adæquata radix libertatis est intellectus, seu rationalis cognitio: ergo appetitus, qui sequitur rationem essentialiter est vniuersalis, & indifferens ad omne bonum, ac subinde liber. Confirmatur, quia cùm nihil sit præter Deum clarè visum, quod appareat bonum, vt in illo, vel in eius dilectione non possit apparere ratio mali, fit vt natura ratio[illegible] considerans illam rationem mali libera sit, tum vt eam diligere, vel non diligere; tum etiam vt eam amare, vel odisse possit: ex hac enim indifferentia cognitionis oritur in voluntate libertas. Quòd si bonum aliquod peculiare, quod non est Deus, ita natum est ab aliqua

natura

natura cognosci, vt non possit non mouere affectum, signum euidens est, talem naturam, non habere rationem, sed solum sensum, quia si rationalis esset, posset vtique discernere varias rationes boni, & mali in obiectis, quæ vt diligenda, vel fugienda apprehendit. Quippe talis est essentia creaturarum rationalium, nec aliam licebit sine fundamento confingere. Quare si creatura non habet facultatem discernendi rationes istas obiectorum, rationalis non est.

14. Hinc fit non posse creari voluntatem, quæ sit impeccabilis ab intrinseco circa totam materiam, in qua possit operari, hoc est, non posse fieri creaturam rationalem ita impeccabilem connaturaliter, vt in aliqua saltem materia saltem supernaturali peccare non possit. In quo conueniunt Durandus supra S. Thomas 1.p. quæst.63. art.1.& Thomistæ ibi, quod præter argumentum adductum supra num.7. constat, quia voluntas creata solùm potest reddi prorsus impeccabilis per visionem beatam, vel lumen gloriæ, vel vnionem hypostaticam. Sed hæc nulli creaturæ possunt esse connaturalia, vt ostensum est lib. 1. disput.-8. & 22. ergo nulla potest creari voluntas, sic omninò impeccabilis. Minor ostenditur, quia nec connaturaliter, nec supernaturaliter potest aliter reddi omninò impeccabilis voluntas: ergo nullo modo. Prior pars antecedentis probatur: nam qua ratione pugnat creari voluntatem, quæ non sit libera, iuxta dicta num.13. Eadem planè ratione repugnat, creaturam rationalem apprehendere solam rationem boni honesti, nec posse simul alias considerare, ac proponere: ergo non potest esse determinata ab bonum honestum ex vi facultatis naturalis, ac subinde non potest esse impeccabilis ratione talis determinationis.

15. Posterior pars antecedentis probatur, quia charitas, & gratia, ceteraque dona supernaturalia viatoribus communia non determinant necessariò ad considerandum actu omnia, quæ pertinent ad Deum, vel ad rectam rationem spectant, vel quæ requiruntur ad honestè operandum secundùm regulam naturalem, & supernaturalem; nec cognunt ad diligendum Deum necessariò super omnia, sed solùm sunt habitus, quibus vtimur, cùm volumus, vt experiuntur viatores iusti: ergo nec ex gratia, nec ex charitate, nec ex aliis donis supernaturalibus viatorum communibus sequitur connaturaliter impeccabilitas in ordine supernaturali vel etiam naturali. Confirmatur, quia de facto Angeli creati fuerunt omnes in gratia, & cum ceteris huiusmodi donis supernaturalibus, vt dicemus disp.19. & tamen quidam peccarunt: ergo non erant per illa dona impeccabiles. Vnde pariter alij, qui non peccarunt, poterant quidem peccare. Non ergo possunt Angeli reddi ab intrinseco, seu connaturaliter impeccabiles per sola dona gratiæ nondum includentia visionem beatam.

16. Dico secundò, non potest creari voluntas, quæ non sit ex natura sua peccabilis tam in materia naturali, quam supernaturali. Sic sentiunt quotquot dicunt nullam esse posse voluntatem creatam, quæ naturæ suæ relicta intra ordinem etiam naturalem peccare non possit: nam inde sequitur, multò magis posse peccare in materia supernaturali, si ad illam eleuatur extra visionem beatam, & in illo ordine relinquatur naturæ suæ, vt cooperanti cum diuina gratia. Sic docet S. Thomas in 3.dist.2. quæst.1.artic.1.& quæst.24. de S.Thom.

veritat.artic.7.& 3.contra Gent.cap.109. idemque reuerà sentit 1.part. quæst.63. artic.1. & 2. quia rationes, quibus probat Angelos potuisse peccare, procedunt simpliciter de natura Angelica secundùm se spectata, & ex vi suæ naturalis imperfectionis, & licèt aliquando explicet. S. Thomas hanc potentiam peccandi Angelorum per ordinem ad finem supernaturalem, quia specialiter loquitur de Angelis, prout de facto procreati sunt, & à fine suo defecerunt, nunquam tamen hanc Angelorum mutabilitatem limitat ad illum statum, seu finem supernaturalem. Idem docet Alensis 2.part.quæst.91.memb.1.art.2.§.3. nam Alensis. etsi dicat, posse per diuinam potentiam fieri creaturam rationalem impeccabilem, intelligit per gratiam, non per naturam. Tenet Scotus in 2. Scotus. distinct.23. quæst.1. dicens expressè, non posse fieri creaturam rationalem, quæ circa finem etiam naturalem peccare non possit. Ceteri generaliter loquuntur. Bassolis in 2.dist.23.quæst.1. art.3. Bassolis. Ægidius Rom. ibi q.1.a.1. Carthusianus quæst.1. Ægid.Rom. circa finem, Richardus art.1. quæst.1. & dist.6. Carthusian. quæst.1. Argentinas ibi quæst.1.art.1. Malonius Richard. disp.3. Suarius lib.3. de Angelis cap.7. & lib.7. Argent. cap.5. Vasquius 1.part.disp.231. Valentia tom.1. Malonius. disp.4.quæst.14. punct.1. Azorius tom.1. lib.3. Suarez. cap.35.quæst.4. Ludouicus de Torres 2.2.q.24. Vasquius. disp.67.dub.& alij plures. Lud.de Tor.

17. Probatur primò authoritate: nam 1.ad Tim.6. dicitur *Solus Deus habere immortalitatem*, quæ 1.Tim.6. verba non solùm de immortalitate opposita morti, vel corruptioni naturali, seu physicæ, sed etiam de illa, quæ opponitur morali morti peccati, intelligunt Patres, & dicunt illam, vt excludit capacitatem peccandi, propriam esse Dei. Sic Ambrosius lib.2.de fide c.3. concludit. *Ergo corruptionis, & mortis, etiamsi non moriatur, aut peccet, capax est omnis creatura*. Vbi loquitur specialiter de Angelis, & lib.5. cap.2. post medium probat, soli Deo conuenire immortalitatem, quia solus non potest peccare, creaturæ verò immortalitatem non conuenire, quia mori potest per peccatum; idem habet lib.5.cap.6.& lib.1.in Luc.cap.1.ait. *Ita nec ab initio immaculata, (humana enim hoc impossibile est natura) sed per Dei gratiam est*. Idem docet Elias Cretensis in orationem 3. Nazianzeni, quæ est prima Apologia in Iulianum, ad illa verba. *Ad hæc quomodo*, &c. Hieronymus Dialogo 1. aduersus Pelagianos, inquit, *Sine peccato esse perpetuò diuinæ solius est potestatis*. Et epist. 146. ad Damasum de Filio prodigo prope finem expendens illa verba Psal.142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*, ait. *Non dicit omnis homo, sed omnis viuens, id est, non Euangelista, non Apostolus, non Propheta, ad maiora conscendo, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Potestates, ceteraque Virtutes, solus Deus est in quem peccatum non cadit. Cetera cùm sint liberi arbitrij, iuxta quod homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus est, in vtramque partem suam potest flectere voluntatem*, & postmodum ad hoc confirmandum inducit dictum Apostoli testimonium, & in magnis Commentariis Epistolæ ad Gal.cap.6. statim à principio inquit, Galat.6. *Sciens Paulus excepta Trinitate omnem creaturam licèt non peccet, tamen peccare posse*. Nec refert quòd Hieronymus solùm loquatur de hominibus, & Angelis, qui creati sunt: nam ex ipsius ratione planè sequitur, nullam posse creari creaturam rationalem, quæ secundùm non [illegible] veram

Ambrosius. Elias Cret. Hieronym.

vtramque partem virtutis, & vitij, siquidem omnis creatura rationalis ad imaginem & similitudinem Dei creari debet, hoc ipso quod rationalis est, ac subinde libera debet esse. Quare cùm Hieronymus inquit, solum Deum esse in quem non cadit peccatum, non solùm excludit creaturas productas, sed etiam possibiles, tribuens Deo cum Paulo sicut immortalitatem physicam, quatenùs independens est ab omni causa, sic etiam impeccabilitatem ab intrinseco, vt peculiare Dei attributum.

18. Augus. Eandem sententiam, & interpretationem habet Augustinus lib. 3. contra Maximum cap. 12. Vbi immortalitatem intelligit absolutam immutabilitatem, quæ soli Deo conuenit: nam homines, & Angeli peccando moriuntur aliquo modo, *& omnes* (inquit) *qui non peccauerunt, peccare potuerunt, & cuicunque creaturæ rationali præstatur, vt peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratia*, & cap. 25. eodem ferè modo exponit verba Christi Matth. 19. & Luc. 18. *Nemo bonus nisi solus Deus.* Vtique quia de se ita bonus est vt non possit esse malus, quod non potest creaturæ conuenire, & lib. 12. de Ciuit. cap. 1. ita scribit. Dicimus itaque immutabile bonum non esse nisi vnum Deum verè beatum, ea verò quæ fecit, bona quidem esse, quod ab illo, verumtamen mutabilia, quòd non de illo, sed de nihilo facta sunt, videatur etiam cap. 6.

Matth 19. Luc. 18.

19. Iob. 4. Præterea Iob. 4. dicitur. *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, quanto magis, qui habitant domos luteas.* Vbi Hieronymus intelligit omnem creaturam dici peccare posse. Et postquam luciferi casum enarrasset, adiungit. *Si altissima illa sublimitas cecidit, quis cadere non possit?* Gregorius lib. 5. Moralium cap. 27. alias 28. inquit. *Natura Angelica etiamsi contemplatione Authoris sui inhærendo in statu suo immobiliter permanet, eo tamen ipso quo creatura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet.* Idque probat ab effectu, quia multi Angeli peccarunt, vnde colligit etiam reliquos omnes peccare potuisse, sentiens eandem esse radicem mutabilitatis in omnibus, quod in omnibus possibilibus æquè procedit. Idem docent Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. & 23. Nyssenus lib. 7. Philosophiæ, qui est de lib. arb. cap. 3. seu Nemesius lib. de homine cap. 41. Damascenus lib. 2. cap. 3. & 27. Basilius in Psal. 32. explicans illa verba. *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Nazianzenus oratione 44. quæ est in Pentecostem, Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 12. & alij.

Gregorius. Fulgentius. Nyssenus. Nemesius. Damasc. Basilius. Nazianz. Isidorus.

20. In reddenda ratione non consentiunt Doctores. Valentia postquam diruit aliorum fundamenta, concludit authoritate magis probari talem implicationem, quàm ratione aliqua conuincatur. Vasquius recurrit ad magis, vel minùs efficacem propositionem obiecti, quam existimat, debere præcedere ad hoc, vt voluntas eligat, vel non eligat, quæ repræsentantur. Sed hoc reiecimus libris de anima. Suarius lib. 7. de Angelis cap. 3. probat ex facto: nam Angeli creati partim peccarunt, partim saltem peccare potuerunt, vt vidimus num. 11. Ergo idem est dicendum de omnibus possibilibus quoad possibilitatem peccandi. Gradus enim perfectionis simpliciter, qui non est communicatus aliquibus speciebus in hoc vniuerso existentibus, non est communicabilis creaturis: Sed incapacitas peccandi ex vi propriæ naturæ magna foret perfectio: ergo si non est communicata speciebus creatis, signum est non esse communicabilem alicui creaturæ; quoniam oporteret talem creaturam distingui non solùm specie, sed etiam genere, & gradu ab omnibus creatis, quod est contra perfectionem vniuersi, ad quam spectat, vt ex omnibus rerum, seu graduum ordinibus coalescat, vt arguit S. Thomas in hac quæst. 60. art. 1. & in 2. dist. 23. art. 1. in primo argumento. *Sed contrà.* S. Thom.

Suarez.

Vrgentiùs tamen omnem creaturam rationalem esse, suapte natura peccabilem, sic probat S. Thomas 1. part. quæst. 63. artic. 1. Peccare est declinare à rectitudine actus, quam debet habere; solùm autem illum actum à rectitudine declinare non contingit, cuius regula est ipsa virtus agentis, qualis est diuina voluntas duntaxat, omnis quippe voluntas cuiuslibet creaturæ rectitudinem in suo actu non habet, nisi secundùm quod regulatur à voluntate diuina. Sic igitur in sola voluntate diuina peccatum esse non potest; in qualibet autem voluntate creaturæ potest esse peccatum secundùm conditionem suæ naturæ. 21.

Hanc rationem S. Thomæ alij oppugnant, alij propugnant: Ego reor esse quidem efficacem, si sic exponatur. Rectitudo voluntatis, sicut eius libertas radicatur in cognitione intellectus, quæ si repræsentat obiectum cum indifferentia, non necessitat ad electionem boni, si verò repræsentat bonum honestum sine indifferentia, necessitat prorsus ad honestam volitionem illius. At dum ratio vigilat, nullum obiectum repræsentat intellectus sine aliqua indifferentia, nisi Deum clarè visum: ergo cui non fuerit connaturalis visio Dei, non poterit esse connaturalis impeccabilitas. Hanc consequentiam admittunt Cumelis, & Vasquius suprà, licèt eam diuersimodè confirment; nos iam habemus ex supradictis lib. 1. disp. 22. visionem Dei nulli substantiæ creabili posse connaturaliter conuenire: Ceterùm Deo sic est connaturalis & essentialis in summa actualitate, vt ex sua natura petat amorem necessarium talis obiecti secum identificatum realiter: Et sicut intellectio diuina, eo ipso quòd repræsentat diuinam essentiam, vt est in se, repræsentat etiam clarissimè quidquid talem naturam decet, aut dedecet, sic volitio ad talem cognitionem secuta cum identitate operationis, & substantiæ naturali pondere fertur ad amandum omnia bona Deo intrinseca, & ex extrinsecis nihil amplectendum, quod dedeceat Diuinitatem, quæ est prima regula obiectiua totius honestatis moralis; sicut visio diuina est prima regula formalis, & consequenter volitio diuina cum tali visione identificata est realiter eadem prima regula rectitudinis, vt assumit S. Thomas, vnde rectè concludit non posse peccare voluntatem diuinam, quia non potest à semetipsa deflectere, nec à regula superiori, quam non habet. 22.

At verò præter Deum clarè visum nihil potest proponi creaturæ rationali cum omnimoda ratione boni, siquidem omne bonum creatum est limitatum, & imperfectionibus admistum; quapropter in quouis obiecto creato potest rationalis mens eo ipso quòd sit intellectiua, rationem boni, & mali circa prosecutionem illius repræsentare. Idem est de Deo non clarè viso, sed cognitione naturali cognito: nam hic imperfectus modus 23.

modus cognoscendi relinquit locum alicui rationi boni apparentis in prosecutione oppositi, vel saltem in cessatione ab amore Dei, dum animus diuertitur ad alia. Sic diximus in libris de anima, nec beatitudinem in communi, nec in particulari, nec Deum ipsum naturaliter cognitum determinare volunratem nostram quoad exercitium amoris; cessante autem exercitio amoris circa finem, aut regulam, potest sine dubio circa bona particularia, in quibus apparet ratio mali molesti, vel circa mala moralia; in quibus apparet ratio boni delectabilis, voluntas rationalis à regula rationis deflectere; vt tenet communis sententia, de qua Vasquius 1.2.disp.39.cap.4. Vasquez. Suarius. Salas. Suarius disp.19.Metaph.sect.9.Salas 1.2.tract.5. disp.4.sect.2.& 3. ipsaque experientia testatur in nobis, qui de beatitudine loquimur, & de Deo, & tamen non elicimus actum amoris circa illum, sed interdum actum peccaminosum contra eundem. Quare Suarius suprà, Salas, Valentia, Vasquius cum multis, quos refert Ægidius Lusitanus Ægid. Lusit. lib.11. de beatitudine quæst.12. artic.6. docent, Deum clarè visum sic adæquare capacitatem voluntatis, vt hæc per modum naturæ feratur in ipsum; cetera verò particularia bona vel repræsentantur cum aliqua ratione mali admista, vel ita imperfectè vt modicam vim habeant ad rapiendam vnlunratem rationalem, quæ subinde eo ipso quòd rationalis est, semper manebit cum tali propositione intellectus indifferens ad peccandum, vel non peccandum.

24. Discursum istum subindicant Patres, dum dicunt ideò Angelos peccare potuisse, quia facti sunt ex nihilo; quæ ratio pariter militat in omni creatura rationali possibili. Sic Damascenus lib.2. Damasc. de fide cap.3.& 27. probat omnem creaturam eo ipso quòd ex nihilo creata sit, fore vertibilem de bono in malum ex natura sua. Sic Nyssenus 2. Nyssenus. S. Thom. Philosophiæ, & ex vtroque S. Thomas de verit. quæst.24.art.1. ad 16. docet non posse dari creaturá, quæ voluntate immobili adhæreat Deo per naturam propriam, eo quòd cùm ex nihilo sit, flexibilis est. Sic etiam Gregorius 5. Moral. & Gregorius. Augustinus. Augustinus 12.de Ciuitat. cap.6. & 1. quorum verba dedimus num. 18. & 19. sensus autem est quasi dicant. Quia solus Deus est natura sua beatus visione Deitatis, solus est immutabilis in bono; creaturæ autem eo ipso quòd non sint de substantia Dei, sicut Filius & Spiritus sanctus, nec participent connaturaliter diuinam naturam secundùm gradum eius quasi specificum, non possunt non esse connaturaliter mutabiles.

25. Anselm. Sic Anselmus lib. 2. Cur Deus homo cap.10. Quærit cur Deus Angelos, & duos primos homines non fecit impeccabiles? & respondet, *quoniam non potuit, nec debuit fieri, vt vnusquisque eorum esset idem ipse qui Deus.* Bassolis in 1. Bassolis. dist.23. quæst.1. dicit, Anselmum loqui de impeccabilitate, quæ per vnionem hypostaticam fuit in Christo, & esse non potuit, nec decuit in Angelis, & in primis parentibus. Sed certè si notentur verba Anselmi, plus significant: nam de impeccabilitate per vnionem hypostaticam non diceret Anselmus, *non potuit*, nec posita impossibilitate subdendum erat, *nec debuit*: ergo diuersa significata, seu terminos respiciunt ea duo verba, & talis videtur fore congruus Anselmi sensus. Non potuit Deus facere Angelos impeccabiles ab intrinseco, nisi ipsos faceret Deos; Deos autem potuit efficere per naturam, sed solùm per vnionem hypostaticam, quam non debuit omnibus communicare. Censet igitur Anselmus neminem esse posse impeccabilem ab intrinseco, nisi claudat diuinitatem, quæ consistit in visione Dei, vel per essentiam vt Deus, vel per vnionem, vt Christus Dominus.

26. Sic etiam Athanasius in compendio de Spiritu sancto ex eo quòd Christus est immutabilis, scilicet Athanas. à bono in malum, probat esse Deum, afferétque Scripturas dicentes. *Ego Deus & non mutor,* & *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Sic Augustinus 3. contra Maximum cap. 12. August. præter verba suprà relata num. 18. hæc habet. *Solus Deus habet immortalitatem, qui non cuiusquam gratia, sed natura sua nec potuit, nec poterit aliqua mutatione peccare.* Igitur quia Deus viuit essentialiter intellectione sui, habet etiam connaturalem vitam iustitiæ, & sanctitatis, nec magis potest peccare, quàm mori; durante quippe actualissima vita visionis beatæ, non potest mors peccatorum obrepere. Creaturæ etiam possibiles cùm non habeant, nec possint habere connaturaliter visionem Dei, consequenter esse non possunt impeccabiles ab intrinseco.

27. Ad primam sententiam dicimus; falsò confingi possibilem esse speciem creaturæ rationalis mediam inter Angelicam, & humanam: tum quia si est purè spiritualis, est Angelus, si verò componitur ex corpore, ac spiritu est animal rationale, subindéque homo: nam hæc est definitio hominis; tum etiam quia non potest dari forma spiritualis, & intellectualis informans corpus, nisi illomet vtatur ad cognitionem mentis, vt disp. 1. visum est. Modus autem intelligendi adquirendo cognitionem per corpus non potest concipi, nisi mediis sensibus, ac subinde modo humano, nec est facile confingere intra modum istum plures specie distinctos. Imò licèt talis natura rationalis media inter hominem & Angelum cogitetur, multò magis libera esse debet, quàm homo, quia si est perfectior, multò meliùs cognoscet omnes rationes boni & mali repertas in obiectis appetibilibus, quàm homo; ex qua rationis indifferentia nascitur libertas voluntatis: ergo ex hac parte dabitur in tali natura vniuersalitas voluntatis necessaria ad potestatem peccandi; aliundéque inesset tali naturæ imperfectio complens potestatem peccandi, scilicet capacitas inconsiderationis actualis, & carentia visionis, ac dilectionis Dei: ergo connaturaliter esset peccabilis.

28. Nec Augustinus ibi citatus visus illis verbis. *Vt peccare non possit,* sed cautissimè dixit, potuisse Deum facere naturam, *qua nunquam velit peccare, & qua posset non peccare, & nihilominus peccare velit,* priori modo dicit fecisse illam in Angelis sanctis, posteriori verò in homine, & in aliis Angelis, nunquam tamen condistinxit naturam, quæ peccare non possit ab illa quæ potest; & quando sic distinxisset, vt citat Magister, intelligendus esset de natura, quæ per gratiam non posset peccare, vel suspendente Deo concursum suum ad actus prauos, vel cómunicando creaturæ visionem beatam, aut vnionem hypostaticam.

29. Ad primam probationem respondetur exemplum illud esse potentiæ necessariæ, vnde ad facultatem formaliter liberam non valet consecutio: & hinc patet ad tertiam probationem, quæ laborat eodem vitio. Ad secundam respondetur respectu illorum obiectorum, in quibus nulla mali ratio relucet, necessitari quidem voluntatem

quoad

quoad specificationem;& talis est beatitudo nostra sub ratione beatitudinis repræsentata. Ceterùm in obiectis particularibus honestis sæpiùs apparet ratio mali molesti, vel incommodi propter quam possint odio haberi.

30. Ad primum argumentum secundæ sententiæ negari potest maior: nam,vt diximus in libris de anima,sine vllo defectu intellectus,dum appareat in obiecto ratio boni, & mali,secundùm diuersos respectus potest voluntas peccare; sed quia moraliter loquendo non contingit peccatum in voluntate sine defectu saltem considerationis in intellectu, data illa maiori, negatur minor, quoniam Angelus non omnia quæ potest considerare, semper actu considerat: vnde non est necesse vt quoties aliquid vult, vel operatur actu, consideret omnes rationes boni, & mali, commodi, & incommodi, quæ in illo affectu vel opere possunt inueniri. Quare potiùs retorquetur argumentum: nam Angelus considerata potentialitate sui intellectus in ordine ad actum secundum, & dependentia, quam in applicatione illius habet à voluntate libera, potest inconsideratè operari: ergo potest etiam peccare sola eius naturali conditione spectata.

31. Ad secundum negatur antecedens iuxta suprà dicta cap. 2. Ad tertium respondet S. Thomas, dissimilem esse rationem: nam corpora cælestia non habent dominium suarum operationum; & ideò ab intrinseco non possunt deficere in suis operationibus, sicut possunt Angeli. De mente S.Thomæ iam diximus num. 16.

32. Circa tertiam sententiam fatemur Angelos ita esse natura sua indifferentes inter bonum & malum morale, vt facilè possint eligere, quod honestum est; ac subinde in materia naturali facilè quoque possint cauere peccatum. Nam (vt ex Nazianzeno oratione 3. contra Iulianum Elias Cretensis ait.) *Angelus ægrè vertitur in vitium,* cùm in pura natura spectatus non ducatur passione, nec habeat internam pugnam diuersorum appetituum, nec decipiatur errore, facileque possit omnia considerare, quæ ad rectè agendum conducant. Ceterùm hoc non tollit, quin illa cogitatio, quam Deus præuiderat etiam in ordine naturali fore congruam, sit Angelis indebita, subindeque prauis Angelis,si contra finem etiam naturalem peccarunt, sine iniuria denegata, de quo diximus lib. 1. disp. 41. cap. 6. & latiùs dicetur in materia de gratia. Quarta sententia ex dictis num. 15. refellitur: repugnat enim per illa sola dona reddi voluntatem impeccabilem. Nazian.

CAPVT IV.

An possit Angelus venialiter peccare.

1. Quadrupliciter potest Angelus considerari. Primò in statu beatitudinis. Secundò in statu damnationis. Tertiò in statu, quo creatus est de facto, scilicet in gratia, & in via. Quartò in puris omninò naturalibus. In primo statu certum est Angelos beatos non posse peccare venialiter, sicut nec mortaliter, quia beatitudo supernaturalis nullum secum admittit peccatum,vt ostendemus lib. 4. In secundo statu verisimilius sit Angelos damnatos raro, vel nunquam committere peccatum, quod sit veniale tantùm, quia peccant ex odio, quo si possent, priuarent Deum omnibus bonis intrinsecis, & extrinsecis, & ex superbia qua vellent non subiici Deo, nec esse illo inferiores Psal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper.* Psal. 37.

2. An autem possint peccare venialiter Dæmones, Negare videtur S. Thomas 1. 2. quæst. 89. art. 4. & sic illum exponunt, & sequuntur Cumelis, & alij Recentiores. At Vasquius 1. part. disp. 242. num. 16. & 17. docet Angelos damnatos posse bonum aliquod opus efficere naturale, morale, licèt nunquam illud efficiant, quoniam habent auxilium sufficiens ad illud, non verò congruum. Vnde colligit Salas 1. 2. tractat. 13. disp. 17. sect. 4. posse similiter efficere actum malum, qui non sit mortalis ex fine, subindeque sit venialis tantum. Fauent Valentia tom. 2. disp. 6. quæst. 19. punct. 1. quatenùs docet illos non posse saltem moraliter loquendo peccare venialiter tantùm, insinuans equidem absolutè posse. Nec ego inuenio intrinsecam repugnantiam, cur non possint Dæmones peccatum veniale committere, v.g. mentiri, vel illudere leuiter, finem malum solum venialiter sibi præstituentes: sicut enim non coguntur semper elicere actum odij Dei, sic non est cur cogantur operari semper ex tali fine. S.Thom. Cumel. Vasquius. Salas. Valentia.

3. Maior est controuersia circa tertium, & quartum statum. S.Thomas 1. 2. quest. 89. art. 4. absolutè docet, Angelum non posse peccare venialiter. Probat, quia sicut Angeli non intelligunt conclusiones nisi in primis principiis, ita nec amant media nisi actualiter intendendo per illa finem vltimum; qui si bonus sit, Angelus non errabit in media, & ita non peccabit, si verò vltimus finis sit malus, actus erit mortale peccatum ex intentione finis, etiamsi forsan obiectum proximum, seu materia eius sit leuis. Confirmatur, nam omnis actio debet habere finem aliquem vltimum etiam ex formali relatione operantis, quia necessarium est, vt eius intentio sistat in aliquo, quod sit vltimus finis ipsius: ergo multò magis est hoc necessarium in Angelo siue benè, siue malè operante: Sed cùm operatur malè, non potest sistere in Deo, vt in vltimo fine, vel in hoc ipso peccaret mortaliter, faciendo Deum finem prauitatis: ergo sistit in creatura, vel in seipso tanquam in vltimo fine; & hoc etiam sufficit ad peccandum mortaliter. Hanc sententiam docuerat Alensis 2. part. quæst. 98. memb. 4. art. 3. qui loquitur de statu viæ. Sequitur Caietanus, Medina, Cumelis, aliique Thomistæ, quorum nonnulli loquuntur de omni statu. S.Thom. Alensis. Caietan. Medina. Cumel.

4. Secunda sententia distinguit, asserens Angelos posse committere veniale peccatum ex genere, vel paruitate materiæ, non tamen ex subreptione, vel indeliberatione. Ita Vasquius 1. 2. quæst. 89. art. 4. in Commentar. Suarius lib. 3. de Angelis cap. 8. Prior pars probatur, quoniam Angelica natura, siue in tertio statu, siue in quarto erat omninò libera etiam ad peccandum mortaliter, quod est maius: ergo etiam ad id quod est minus, scilicet veniale; nec habitus studiosi determinant intrinsecè voluntatem, sed suauiter inclinant, vt vtatur illis scilicet pro libito. Idem est de gratia, & quouis alio bono supernaturali viatoribus communi. Probatur, & explicatur consequentia, quippe si potest Angelus eligere malè in materia graui, poterit etiam in materia leui, vel ex suo genere, vt est mendacium, vel ex paruitate materiæ, qualis est detractio leuis. Vasquius.

Quod

5. Quòd poſſit Angelus peccare grauiter, oſtenſum eſt cap.3. & ibi adducta probant etiam de peccato veniali, ſiquidem indifferenter procedunt de praua electione; nec eſt ratio cur locum habeant in materia graui, & non in leui, quin à fortiori concluditur ex maiori minus. Et ita qui negant Angelum poſſe venialiter peccare, non negant poſſe Angelum eligere praue in materia leui, ſed dicunt adiungere neceſſariò circumſtantiam mortaliter aggrauantem. Contra quos probatur Angelum poſſe habere hanc electionem prauam in materia leui ſine circumſtantia mortaliter aggrauante, ac ſubinde poſſe venialiter tantùm peccare.

6. Tres enim excogitari poſſunt circumſtantiæ duntaxat, ſcilicet conditio perſonæ, modus peccandi, & finis; quia circumſtantia quid, aut quantum, quæ quidem ex parte materiæ ſatis intrinſeca eſt, ſupponitur leuis, ceteræ verò valde ſunt extrinſecæ, ſcilicet auxiliator, inſtrumentum, locus, tempus, quæ in Angelis ſecundùm ſe ſpectatis vix locum habent, præſertim in ordine ad moralem modum operandi. Ex primis autem tribus circunſtantiis in perſona Angeli, nihil inuenitur, vnde peccatum de ſe veniale reddatur mortale, quia nec perfectio Angeli naturalis, nec gratiæ dignitas ad hoc ſufficit, nec talis conditio perſonæ quidquam aliud inuoluit. Rurſus in modo peccandi Angelorum nihil poteſt conſiderari niſi perfecta cognitio, & libertas, vnde prouenit, quòd ſine paſſione, vel ignorantia peccent. Sed hoc non ita malitiam aggrauat, vt actus ex veniali fiat mortalis. Quare ſine fundamento dicunt nonnulli, Angelum peccare ſemper ex contemptu, vel ſine incentiuo peccandi, vnde reſultet peccatum mortale: nam incentiuum peccandi poteſt eſſe ſola bonitas inferior in obiecto reperta; carentia verò alterius incentiui non ſolùm non aggrauat, ſed etiam eſt impertinens; contemptus autem fruſtrà fingitur, ſiquidem nihil eſt quod neceſſitet Angelum ad contemnendum formaliter & propriè.

7. Ideò S. Thomas recurrit ad circumſtantiam finis, vt vidimus num.3. Sed contrà poteſt inſtari primò, quoniam æquiparatio voluntatis, & intellectus non videtur adæquata: maiorem enim connexionem habet concluſio cum principiis, quàm particularis finis cum vltimo, cùm illa prior ſit ab intrinſeco neceſſaria, hæc vero poſterior ſit voluntaria pendens ex operantis libertate; nec item id; quod in exemplo aſſumitur, ſemper eſt neceſſarium, quia non cogitur Angelus ſemper cogitare de primis principiis quoad vltimam reſolutionem, quoties veritatem alicuius propoſitionis videt, præſertim ſi videat illam intuitiuè, vt dictum eſt diſp.14. cap.3. ergo quando cogitat de aliquo particulari bono ſub aliqua ratione per ſe amabili, non opus eſt, vt cogitet de vltimo fine ſuo, nec de ordine vnius ad aliud: ergo poteſt hoc modo velle bonum aliquod ordinis inferioris, vt propriæ dilectionis, vel commodi ſine alia relatione ad vltimum finem.

8. Secundò quia dupliciter poteſt Angelus vel homo conſtituere finem vltimum in obiecto volito, vno modo formaliter iudicando illud eſſe ſummum bonum ſuum, & verum finem vltimum, & ita illud volendo, ſeque, ac omnia ſua in illud referendo; & ſic non conſtituit Angelus finem vltimum in creatura, quando primò mortaliter peccauit; aliàs per errorem contra rationem ipſam naturalem peccaſſet. Alio modo dicitur aliquid amari, vt vltimus finis virtualiter, & implicitè, quatenùs amatur contra præceptum Dei, & propter illud amicitia Dei contemnitur, quod fit peccando mortaliter; attamen formaliter tunc amatur obiectum illud, vt finis particularis, ſine formali relatione ad vltimum finem, & ita peccant Angeli mortaliter: ergo ſimiliter poterant peccare venialiter in materia leui: licèt enim per peccatum etiam veniale conſtituatur partialis finis vltimus in creatura; vt dicemus lib.4. tamen hoc non impedit, quin peccatum in materia leui maneat adhuc veniale tantùm.

9. Tertiò, quia poteſt Angelus in pura natura ſpectatus, imò etiam in ſtatu eleuationis, dum erat viator, facere opus honeſtum miſericordiæ vel alterius virtutis moralis, non referendo illud actualiter in Deum, vt in vltimum finem formaliter dilectum ſuper omnia, quia non eſt neceſſe vt talem eliciat dilectionem, quoties bonum aliquod operatur: ergo etiam è contrario poteſt aliquod malum facere non referendo illud actualiter, & formaliter in aliquid amatum, vt vltimum finem adæquatum, & conſequenter poterit illud eſſe peccatum veniale tantùm, ſi ſit in materia leui.

10. Poſterior pars huius ſententiæ, ſcilicet non poſſe Angelum ex ſubreptione, vel indeliberatione peccare venialiter, probatur: nam ſubreptio poſt primum motum, & cogitationem omninò naturalem, quæ reperitur etiam in Angelis, prouenit in nobis ex coniunctione animæ cum ſenſibus: ergo nec in Angelo, nec in anima ſeparata poteſt ſubreptio contingere. Probatur conſequentia, quoniam in nobis motus ſubreptitiæ voluntatis oritur à ſenſibus, qui media phantaſia excitant intellectum ad cognoſcendum aliquid quod ſubitò mouet voluntatem priuſquam deliberare poſſit, vel rationem ad hoc applicare: Sed intellectus Angeli non poteſt ab obiectis immutari, & ad cognitionem aliquam neceſſitari: ergo non poteſt in intellectu Angelico excitari cognitio ſubreptitia, & per conſequens nec in Angeli voluntate poteſt inſurgere ſubreptitius motus, qui non oritur, niſi ex cogitatione præuia non volita. Minor probatur, nam ad cogitandum de obiectis indifferentibus voluntas Angeli plena libertate applicat intellectum, ideóque cùm eadem plena libertate vult, oon vult, quidquid poſtcà intellectus cogitando repræſentat: ergo non ſit ibi locus ſubreptioni. Confirmatur, quia motus voluntatis in nobis tunc ſolùm eſt indeliberatus, id eſt, imperfectè liber, quando perfecta cogitatio, & animaduerſio non eſt in noſtra poteſtate: Sed Angelus ſemper habet in poteſtate ſua perfectè conſiderare obiectum, nec indiget tempore, vt perfectè cogitet quando velit: ergo non poteſt peccare venialiter ex ſubreptione, vel indeliberatione.

11. Dico primò Angelus nec in tertio, nec in quarto ſtatu quidquam habebat intrinſecum quo penitùs prohiberetur à peccato veniali, ſaltem ex genere, vel ex paruitate materiæ. In hoc conueniunt Doctores ſecundæ ſententiæ, præterea docet Valentia tom.2. diſp.6. quæſt.19. punct.1. & probabile dicit Salas 1. 2. tractat.13. diſp.17. ſect.4. Probatur argumentis ſuprà factis à num.4. ad 9. & plena libertas Angelonun ad bene vel malè operandum ſatis conuincit, poſſe illos leuiter etiam delinquere, creaturam aliquam inordinatè

Valentia.
Salas.

ordinatè

ordinatè diligendo. Nec S.Thomas docuit oppositum: nam 1.2.quæst.89. artic.4. in corpore apertè loquitur de Angelis bonis, & malis prout nunc sunt in primo, vel secundo statu; in argumento *Sed contra*, planè loquitur de tertio statu, sed non de principiis intrinsecis solùm, sed excludendo simul extrinsecam Dei prouidentiam, sicut in statu innocentiæ claudenda est.

12. Dico secundò verisimile valde sit posse Angelos, quantum est ex principiis suis intrinsecis, etiam ex indeliberatione peccare venialiter. Ita videtur sentire Valentia suprà, dum loquitur generaliter. Probatur, quia iuxta suprà dicta disp.14. intellectus Angelicus non potest omnia simul cognoscere, sed determinatum numerum obiectorum, & formalitatum in illis explicitè perceptarum: ergo posset Angelus tot alia obiecta simul considerare, vt in aliquo non perciperet distinctè omnes rationes conuenientiæ, vel honestatis, quæ illum ad non peccandum incitarent, vel non attenderet ad moralem malitiam in tali obiecto contentam. Confirmatur, nam interdum Angelus applicatur ad cogitandum per locutionem alterius, vt diximus disput.11. cap.4. Ita vt excitetur, & præueniatur ab extrinseco: ergo poterit ex alterius locutione motus aliquis subreptitius prauus in audiente suboriri, priusquam perfectè deliberare possit, v.g. si vnus Angelus tentet alium per suggestionem, & suasionem directam ad malum, ad quod audiens sine plena aduertentia protinùs afficiatur. Vel etiam per occasionem tantùm supposita locutione de re non mala, si vnus Angelus alteri dicat rem bonam, aut indifferentem, & in audiente suboriatur suspicio, quod loquens mentiatur ad decipiendum, vel insurgat aliquis motus odij, vel quid simile.

13. Dico tertiò nihilominus Angelus in tertio statu non potuit peccare venialiter tantùm necessitate scilicet consequenti. Sic tenent Doctores
S. Thom. primæ sententiæ cum S. Thoma 1.2. quæst.89. art.4. qui in argumento *Sed contrà*, probat hanc conclusionem, quia maior est perfectio Angeli, quam hominis in statu innocentiæ: Sed homo in statu innocentiæ non potuit peccare venialiter: ergo nec Angelus. Quæ ratio vt vim habeat, sic debet formari. Sicut homo in statu innocentiæ, licèt ab intrinseco posset venialiter peccare, tamen ob decentiam, & dignitatem illius status extrinseca Dei prouidentia retrahebatur à tali defectu, & imperfectione, dum manet status, suppeditante Deo auxilia congrua per singulas occasiones ad euitanda peccata venialia; sic Angelus viator creatus in gratia congruenter ad dignitatem illius status seruaretur a Deo immunis à veniali peccato, licet ab intrinseco posset illud committere. Quare manente tali statu felicitatis naturalis, & amicitiæ cum Deo, nec peccaret Angelus venialiter, nec posset sic peccare impossibilitate consequenti, non antecedenti.

14. Confirmatur hæc congruentia, quia si Angeli viatores potuissent peccare venialiter tantùm ex tanta multitudine aliqui sic peccassent, sicut multi peccarunt mortaliter: Sed sine fundamento diceretur, aliquos Angelos bonos in via peccasse venialiter: ergo speciali prouidentia continuit illos Deus, ne venialiter tantùm peccarent in illo statu. Postquam autem Angeli mali per peccatum mortale decidissent à gratia Dei, si manerent adhuc viatores, non est cur ab illa speciali prouidentia non forent deserendi sicut homo lapsus relictus est; quia vero probabile sit, statim post mortale recidisse in statum damnationis, probabiliter dici potest, nunquam in via peccasse venialiter tantùm. Probant etiam Salas & alij, quia si Angelus in tertio statu peccaret venialiter tantùm, vel bearetur cum tali peccato, vel priuaretur beatitudine propter solum veniale, quando ceteri ad illam peruenirent; vtrumque autem est inconueniens; sed hoc certè parum vrget, plures enim vias nosset Deus ad expiandam talem culpam ante retributionem gloriæ.

Dico quartò, in quarto statu simpliciter possent Angeli peccare venialiter. Probatur, quia nullum est principium intrinsecum in eorum natura, quod impediat venialem lapsum omninò, & alioquin in pura natura non est cur afferatur ea specialis manutenentia Dei circa venialia: ergo non est cur non possint Angeli peccare venialiter in eo statu. In hanc conclusionem magis inclinat Suarius suprà, videnturque propendere Vasquius, & alij, licèt S.Thomas, & eius fundamentum de modo cognitionis, & volitionis Angelicæ videatur oppositum intendere; fortè tamen Angelicus Doctor solùm voluit naturali modo operandi Angelorum consentaneum fuisse talem prouidentiam, per quam efficaciter à venialibus retraherentur, quod ad tertium statum potest restringi: nam in quarto minùs apparet talis prouidentia necessaria, si quidem possent Angeli satisfacere pro venialibus in via, vel post viam purgari aliquo modo. 15.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondimus num.7. Ad confirmationem dicimus idem argumentum in nobis fieri posse, & vtrobique respondetur alium esse finem vltimum simpliciter ad quem omnia sua referat operans; alium esse vltimum secundum quid, siue in ea serie, quatenùs talis volitio tendit in aliquod obiectum propter bonitatem illius, & vltrà non refertur formaliter ab operante. Itaque antecedens de primo fine falsum est, de secundo verum; sed hoc non sufficit ad peccatum mortale, quia talis defectus operationis stare potest cum amore Dei simpliciter super omnia: solùm enim inde fit, vt aliquod opus non referatur, nec sit aptum referri ad Deum, sed in aliquod bonum creatum, vt in finem vltimum partialem ordinetur, quæ non est semper grauis iniuria Dei, & sic homines peccant venialiter; rationésque factæ probant eodem modo posse Angelum peccare venialiter, nec fore omne peccatum Angelorum mortale. 16.

Argumenta secundæ sententiæ pro parte priori probant nostram conclusionem primam. Ad fundamentum posterioris respondetur, non contingere subreptionem Angelis per sensus externos, aut phantasiam, posse tamen prouenire per locutionem alterius modo dicto num. 12. & indeliberationem posse contingere per attentionem Angeli ad multa alia obiecta: quapropter rationes omnes conuenientiæ, vel disconuenientiæ circa obiectum aliquod amatum vel odio habitum consideret. Vnde ad confirmationem dicimus, non esse in Angeli potestate semper plenè comprehendere in obiecto, quod per locutionem alterius cognouit, vel quod ad pleraque distractus contemplatur omnes rationes bonitatis, & malitiæ, nisi prius ab aliorum cognitione desistat, & per discursum, aut coniecturas rem ipsam 17.

ipsam magis perpendat; nec semper aduertet illico necessarium esse talem discursum, vel tantam attentionem ad plenam voluntatis determinationem, seu deliberationem.

CAPVT V.

An possit peccare Angelus in primo creationis instanti.

1. Non sit sermo de instanti Angelico permanenti pro aliquo tempore nostro; quippe si loquamur de instanti extrinseco, id est, existenti, nimirum in Angelo superiori tanquam in altiori mensura operationum inferioris Angeli, sic poterit inferior Angelus habere successiuè plures actus vnum bonum, & alium malum; & sic poterit in primo instanti non suo, vel intrinseco, sed alieno, vel extrinseco peccare. Si verò supponatur peccare per mutationem suæ voluntatis ab actu bono in malum oppositum, sic intrinsecè, ac in se non poterit peccare in primo instanti suo: nam actus bonus, & malus oppositi necessariò cum intrinseca successione fiunt, & ita intrinsecè primum & secundum instans conficiunt. Est ergo quæstio de primo instanti prorsus indiuisibili, & in se, & secundùm coëxistentiam ad nostrum tempus verum, aut imaginarium, ac subinde sermo est de primo instanti creationis præcisè, vt creatio est, & nondum in conseruationem transit.

2. Prima sententia affimat, posse Angelum in tali primo instanti peccare, Tenet Scotus in 2. distinct. 5. quæst. 3. conclus. 2. Maioric. quæst. 3. conclus. 2. Gabriel in 2. distinct. 4. quæst. 1. artic. 3. dub. 1. Marsil. in 2. quæst. 3. artic. 2. in conclusione responsali. Ochamus quodlibeto 2. quæst. 1. & 6. Palacios in 2. disput. 5. ad finem, Pesantius & Molina 1. part. quæst. 63. artic. 5. Valentia tom. 1. disput. 4. quæst. 14. puncto 4. Vasquius 1. part. disput. 236. cap. 3. Becanus 1. part. tractat. 3. de Angelis cap. 4. quæst. 10. Fauet Augustinus lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 9. & sequentibus, vbi pro vtraque parte disputat, Verùm aliqui Angeli mali fuerint in primo creationis instanti, sempérque supponit id fuisse possibile, cùm etiam de facto probabile putet, & lib. 11. de Ciuit. cap. 13. dicit, non sentire cum Mani hæris, qui dicunt Angelos in primo instanti fuisse malos, si tamen dicat à se, & à prauo sui libertatis, non à Deo factos esse malos, in quo supponit, hoc fuisse possibile, & licèt postea decernat oppositum, nunquam tamen id reducit ad impossibilitatem, sed ad alia principia, quæ nituntur authoritate, vel ad summum congruentia.

Scotus. Maioric. Gabriel. Marsilius. Ochamus. Palacius. Pesantius. Molina. Valentia. Vasquius. Becanus. Augustinus.

3. Probatur primò: nam Angeli peccare possunt in quolibet instanti præter primum: ergo etiam in primo. Consequentia probatur, quia nulla causa, vel impedimentum in primo instanti potest assignari quod inducat talem impotentiam. Quia non ex parte voluntatis: eandem enim vim actiuam habet in primo instanti, & consequenter eandem potestatem operandi liberè, si obiectum sufficienter proponatur ab intellectu cum indifferentia. Nec ex parte intellectus: nam Angelus à primo creationis instanti habet perfectum vsum rationis, cùm intelligat sine discursu, vel dependentia à sensibus: ergo in eo-

dem instanti habet quidquid necessarium est, vt voluntas liberè velit, & eligat: ergo poterit in illo instanti cogitare Angelus de obiecto non conformi rectæ rationi, delectabili tamen, vel aliter commodo naturæ, vel de obiecto bono de se, quod amet inordinatè, ac subinde potest peccare.

Probatur secundò quia Lucif. r in primo instanti se disposuit ad gratiam per actum liberum, & meritorium: ergo potuit etiam resistere gratiæ, ac demereri. Consequentia probatur: nam illa dispositio gratiæ cùm fuerit meritoria, fuit vtique libera: ergo potuit non elici, sed actus contrarius, qui foret peccatum. Dices, fuisse liberam quoad exercitium, non quoad specificationem. Sed contrà, primò, quoniam in via nihil est quod necessitet voluntatem quoad specificationem, nisi bonum, vel beatitudo in communi, vel simile obiectum, in quo nihil mali cogitari possit; at verò in primo instanti non solùm bonum in communi propositum est Angelicæ voluntati, sed aliquod obiectum particulare, quod sub aliqua ratione potuit displicere, quamuis sub alia placere debuisset, vel è contrario: ergo habuit tunc Angelus libertatem quoad specificationem. 4.

Contrà secundò, quia sola libertas quoad exercitium sufficiebat ad peccandum in primo instanti, saltem per omissionem, quia præceptum amandi Deum, vel credendi res reuelatas potuit pro tunc obligare: ergo si dilectio vel fides fuit libera quoad exercitium, potuit Angelus non habere illas, ac subinde saltem per omissionem peccare. 5.

Probatur tertiò: nam homo in primo instanti, quo peruenit ad vsum rationis peccare potest etiam mortaliter, vt supponit S. Thomas 1. 2. quæst. 89. art. 6. Quare Adamus etiam creatus cum vsu rationis potuit in primo suæ creationis instanti peccare: ergo à fortiori poterit Angelus in primo instanti peccare, quia cum maiori vsu rationis, & pleniori libertate creatur. Probatur quarto, quia nunc homo generatur in statu peccati quasi habitualis, ita vt licèt in eodem instanti incipiant esse natura & culpa, nihilominùs natura sit opus Dei, & non culpa, potestque in naturam à Deo factam simul tempore indnci culpa ab alia causa, quæ proportionata, & parata sit ad talem effectum illico producendum: ergo similiter in Angelo poterit pro primo creationis instanti simul inesse culpa cum natura, licèt non ab eadem causa, nec à Deo, sed à voluntate ipsius Angeli, quæ est causa proportionata talis culpæ, ac in illomet instanti potest esse satis expedita ad illam patrandam si velit. 6. S. Thom.

Probatur quinto: nam Angelus creatus sine peccato, vel in gratia habituali sine actu bono, vel malo per primum actum elicitum post instans creationis posset peccare: ergo etiam si talis actus primò elicitus coëxistat creationi, potest esse peccaminosus. Antecedens patet, quia tota ratio dubitandi de potestate peccandi in primo instanti est, quia tunc effectus Dei nunquam fuisset bonus, & purus à peccati macula in duratione reali, sed ad summum in prioritate naturæ, quod videtur in ipsius creatoris defectum redundare. Quæ difficultas cessat, si primum peccatum pon. tur esse posterius, quàm creatio duratione * 21, quamuis alioquin sit primum. Nihilominus probatur consequentia, quia voluntas 7.

Angeli posteà potuit primò exire in actum peccaminosum, etiam in principio simul ac esse incœpit, potuit illum elicere, siquidem eandem habuit potestatem, & libertatem, & quòd anteà fuerit in solo actu primò per instans, vel per multum tempus, impertinens est ad potestatem peccandi: ergo si hanc habuit post multum tempus in quo ab operatione vacauit, etiam potuit illam habere suæ creationi coæuam.

8. Secunda sententia distinguit, dicens posse Angelum in primo instanti habere volũtatis actum defectuosum, non tamen imputabilem ad culpam. Sic Aureolus in 2. dist. 4. quæst. 1. art. 2. & probat: nam vt actus sit imputabilis oportet vt præcedant in intellectu diuersæ existimationes de oppositis obiectis, vel actibus, vel de actu, & omissione, ac per consequens, vt præcedat consilium, quia nullus actus est imputabilis, nisi sit electio: sed electio est appetitus præconciliati: ergo ante actum imputabilem præcedit consilium: at consilium non potest esse in primo instanti: ergo nec tunc potest dari actus imputabilis, licèt possit esse defectuosus ex imperfectione naturali, & ex impotentia deliberandi, & consiliãdi. Quare talis actus defectuosus non imputatur Deo, quia non inducit ad talem actum, nec tenetur illum impedire. Nec imputatur Angelo moraliter, quia non potest consiliari pro tunc, sed imputatur defectui, & impotentiæ naturali, quam creatura non habet propriè à Deo, sed ex eo quòd sit ex nihilo.

Aureolus.

9. Aliter distinguit Malonius in 2. dist. 6. disp. 7. §. *Dices adhuc*: fatetur enim Angelum posse peccare in primo instanti de potentia absoluta, non verò de potentia ordinaria. Probat, quia licèt Angelus in primo instanti habeat voluntatem de se liberam, præcedit tamen pro tunc in intellectu iudicium practicè practicum de omnibus, quæ Angelus pro tunc velle debet: sed ab illo iudicio necessitatur voluntas quoad exercitium volitionis honestæ: ergo non potest pro tunc cum defectu operari, quia refunderetur defectus in Deum. Minorem non probat Malonius, maiorem ostendit: nam ante secũdum actum præcedit primus completus, sed ad volendum aliquid in actu secundo constituitur Angelus in actu primo completo inter alia per illud dictamen practicum circa obiectum volendum, & circa volitionem ipsam: ergo tale dictamen præcedit saltem prioritate naturæ secundùm actum voluntatis Angelicæ. Quòd si hoc dictamen dictaret hîc & nunc hoc esse volendum, vel agendum, quod sine morali malitia fieri, vel amari non potest, refunderetur defectus in Deum, quia tale dictamen haberet Angelus à Deo, cùm non possit habere illud à seipso: ergo ratione illius tribueretur Deo peccatum, quod ex illo sequitur necessariò.

Malonius.

10. Tertia sententia negat omninò, tenet S. Thomas 1. part. q. 63. art. 5. & q. 16. de malo art. 4. & in 2. dist. 5. Capreolus in 2. dist. 4. quæst. 1. art. 1. conclus. 4. Heruæus dist. 5. quæst. 2. art. 2. Ferrara 3. contra Gent. cap. 109. §. *Circa prædicta*, Alensis 2. part. quæst. 29. memb. 1. art. 7. Albertinus in 2. dist. 3. art. 14. Richardus ibi art. 2. quæst. 2. Bonauentura in 2. p. distinctionis artic. 1. quæst. 2. ad 3. Durandus distinct. 5. quæst. 2. Argentinas distinct. 6. quæst. 1. art. 2. Holcat in 2. quæst. 3. ad 9. Adamus in 1. distinct. 1. quæst. 8. Henricus quodlibeto 8. quæst. 10. Caietanus, & alij Thomistæ 1. p. quæst. 63. art. 5. Tribuitur Hugoni de S. Victore in summa sententiarum tractatu 2. cap. 2. & sumitur ex alio eius principio 1. part. de Sacramentis part. 5. cap. 22. Tribuitur etiam Anselmo lib. de casu Diaboli cap. 12. & sequentibus, cuius sit

S. Thom. Capreolus. Heruæus. Ferrara. Alensis. Albertinus. Richard. Bonauent. Durand. Argent. Holcat. Adamus. Henricus. Caietan. Hugo Vict. Anselm.

Prima ratio pro hac sententia, quia voluntas non potest peccare, nisi se voluntariè applicet ad eliciendum actum peccati: non potest autem ita se applicare in primo creationis instanti: ergo nec peccare tunc potest. Maior constat ex illo principio, quòd nemo peccat nisi volens vtique peccare, quia peccatum non nisi voluntariè fit: ergo fieri non potest, nisi voluntas se voluntariè applicet ad volendum, vel ad eliciendum talem actum. Minorẽ latè probat Anselmus: Summa discursus est: nam ante primum actum voluntas non potest se applicare ad volendum aliquid: ergo non potest per se applicari: sed debet priùs ab alio recipere actum, quo velit aliud velle: ergo in primo actu suo non potest peccare, siquidem in illo non se applicat volũtariè. Præterea, quia cùm illam primam volitionem non habeat Angelus à se, debet illam habere à Deo, vt in cap. 13. subiungit Anselmus; & ideò in ea peccatum esse non potest. Imò addit Argentinas suprà *primum actum voluntatis non posse esse ab illa elicitiuè actiuè, sed debere recipi à creatore*: nam aliàs voluntas se moueret ad primum suum velle, quod est impossibile, quia voluntas non se mouet nisi volendo, & non vult nisi per actum, & sic ante primum velle haberet aliud velle, quod repugnat. 11.

Secunda ratio sit, quam refert, & vltimo loco ponit Scotus, scilicet quoniam actio creaturæ non potest esse in instanti: ergo nec in primo instanti potuit Angelus peccare. Tertia ratio sit Alensis, quoniam in eodem instanti, quo res producitur, non potest operari, sed priùs duratione debet esse terminata productio rei, quàm detur operatio ipsius, quia duæ operationes (quales sunt generatio rei, & operatio illius) quarum vna consequitur aliam, non possunt esse simul: ergo creatio Angeli priùs duratione terminata esse debuit ad esse ipsius Angeli, quàm Angelus operaretur: sed peccatum consistit in operatione, vel in omissione operationis: ergo non potuit Angelus peccáre in primo instanti, in quo non potuit operari. 12.

Quarta ratio sit limitatio præcedentis; quia saltem actio libera dari non potest in primo instanti creationis causæ: sed peccatum debet esse actio libera: ergo non potest in primo creationis instanti committi. Minor, & consequentia constant. Maiorem asserunt multi, licèt non probent eodem modo: Hugo Victorinus, Holcot, & Bonauentura probant primò, quia libertas solùm est respectu futuri, vt futurum est: nam circa præsens non potest esse. Sicut etiam sensit Magister in 2. distinct. 25. cap. 2. libertas enim dicit indifferentiam: sed voluntas dum operatur, iam non est indifferens, sed determinata per suam operationem: ergo priùs quàm operetur debet esse indifferens, & libera, vtique in actu primo: ergo non potest in primo instanti liberè operari, alioqui nunqnam fuisset indifferens. 13.

Quinta ratio potest addi probando secundò illam maiorem: nam operatio naturalis debet præcedere liberam: In operatione autem naturali, quæ datur in primo instanti, non potest esse peccatum, quod oportet esse liberum: ergo non potuit 14.

tuit Angelus peccare in primo instanti,in quo naturalis operatio debuit præcedere. Sic arguunt Capreolus,Caietanus,Ferrara,& Richardus. Sexta ratio,quæ fit tertia probatio illius Maioris talis est. Ad rationem peccati requiritur libertas. Hæc autem esse non potest in operatione, nisi præcedat deliberatio, quæ sine tempore dari nequit:ergo non potuit Angelus in primo instãti deliberare,nec per consequens operari liberè, nec à fortiori peccare. Sic arguunt Albertus,Henricus, & Bonauentura;rationem autem cur deliberatio non possit in instanti fieri, reddunt ex parte intellectus, quoniam indiget tempore ad deliberandum,& cogitandum de obiecto.

15. Septima ratio,cuius meminit Durandus suprà num.5. sic formari potest. Actio honesta versatur circa verum bonum, mala verò circa bonum apparens: In primo autem instanti potuit Angelus cognoscere verum bonum,& illud proponere voluntati, & hæc potuit illud amare liberè, saltem quoad exercitium, vel etiam quoad specificationẽ inter varia bona honesta;atque ita potuit tunc operari,& mereri: non potuit autem Angelus in illo instanti proponere voluntati bonum apparens:nam hoc non apprehenditur nisi per relationem, & comparationem ad verum bonum prius apprehensum, & ideò cognitio eius non potest esse in primo instanti,siquidem supponit cognitionem veri boni. Quare nec potuit voluntas in primo instanti peccare, bonum apparens appetendo.

16. Octaua ratio est Durandi sic arguentis,aut Angelus creatur in gratia,aut in pura natura;si creatur in gratia,non potest in primo instanti peccare cùm non possit simul esse in gratia, & peccare;si creatur in pura natura, vel cum sola cognitione naturali,& tunc nequit peccare, quoniam Angelus circa legem omninò naturalem peccare non potest; vel cum cognitione supernaturali; & sic tamen cognitio non sineret illum peccare contra eundem ordinem, quia tolleret in consideratione, sine qua non peccat Angelus,vt docet ipse Durandus in 2.dist.23.quæst.1.& hęc ratio,quæ probat non posse Angelum in primo instanti peccare contra naturalia, amando illa sine debito ordine ad supernaturalia, quia si considerauit illum ordinem,non potuit contra eum peccare; si non considerauit, non poruit ad illum ordinem obligari, & consequenter nec contra illum peccare. Aliter dilemma conficiunt alij, & sumitur ex Argentina,quia peccatum Angeli destruit gratiam: sed non potest illam destruere in primo instanti: ergo nec potuit dari peccatum in primo instanti. Minor probatur, quia vel Angelo fuit infusa gratia in primo instanti; & sic non potuit in primo instanti destrui, vel non fuit infusa,& sic etiam destrui non potest, quia non destruitur,nisi quod iam supponitur esse.

Durand.

17. Nona ratio sit sancti Thomæ 1.part.quæst.63. artic. 5. vbi sic arguit; Prima operatio voluntatis debet esse à Deo, nec ad illam potest se voluntas determinare: ergo illa non potest esse peccatum, alioqui peccatum tribueretur Deo, vel saltem non posset Angelo imputari. Antecedens probat, quoniam operatio, quæ simul incipit cum esse rei, prouenit ipsi ab agente, à quo habet esse, sicut moueri sursum est igni à generante; quod principium non amplius explicat, vel confirmat sanctus Thomas: ideò Capreolus, & multi Thomistæ censent Angelicum Doctorem in hoc fundari, quod prima operatio Angeli in primo instanti est naturalis, & non libera, sed falluntur, quia sanctus Thomas non solùm loquitur de prima operatione, sed etiam de primo instanti, cùm tamen in illo dari possit aliqua operatio libera, licèt prioritate naturæ præcederet operatio naturalis. Præterea in solutione ad tertium admittit sanctus Thomas Angeli meritum in primo instanti, cùm tamen ad meritum operatio libera requiratur. Alij putant S.Thomam in hoc fundari, quòd Angelus in primo instanti non potest se determinare, ideoque debet determinari à Deo, sicut ignis dicitur moueri sursum à generante, quatenùs ab illo recipit inclinationem, & determinationem ad talem motum.

Dico primò Angelus in pura natura creatus, & suæ libertati relictus posset in primo creationis instanti peccare. Sic Doctores primæ sententiæ, & expresse Suarius lib. 3. de Angelis cap. 9. Probatur, quia voluntas Angeli ex sua natura est libera quoad exercitium, & quoad specificationem respectu boni, vel mali moralis, vt cap. 3. visum est: sed nihil est quod in primo instanti necessitet illam quoad exercitium, vel quoad specificationem: ergo non necessitatur ad eligendum bonum honestum cum omnibus debitis circunstantiis, & per consequens etiam pro illo instanti libera manet ad peccandum. Minor probatur: nam in primo instanti potest Angelus operari liberè, vt ferè omnes Doctores etiam secundæ, ac tertiæ sententiæ vno vel altero excepto consentire videntur: ergo saltem libertate quoad exercitium, quia hæc est prima, quæ in actu libero prærequiritur. Quòd autem retineat etiam tunc libertatem quoad specificationem, probatur, quia sine Angelus cognoscat, & diligat seipsum necessariò, sine non; tamen potest in primo instanti simul alia obiecta considerare actu, & practicè, quantum necesse est, & sufficit, vt voluntas moueatur, si velit, in vtramlibet partem: potest enim tunc intellectus simul in illis obiectis contemplari rationes varias boni,scilicet honesti, delectabilis, conuenientis naturæ propter excellentiam aliquam, vel commoditatem, & rationem disconuenientiæ,quod sufficit ad libertatem quoad specificationem: ergo talis libertas reperitur in primo instanti. 18.

Quòd si ad tollendam ab Angelo secundùm se libertatem quoad specificationem inter bonum,& malum actum pro primo instanti recurras ad opinionem dicentem Angelos diligere Deum super omnia dilectione necessaria quoad exercitium, quæ non patitur simul elici prauum actum, consequenter procedis: sed opinionem illam reiecimus cap.2. quia Deus non clarè visus non rapit voluntatem ad exercitium amoris. Præterea talis necessitas non esset specialis pro primo instanti, sed absolutè necessitaret Angelum in puris naturalibus ad non peccandum, siquidem talis amor Dei non habet maiorem causam sua necessitatis, nec maiorem vim ad rectificandas operationes voluntatis in primo instanti,quàm in aliis sequentibus. Sicut ergò in tempore sequenti potest Angelus peccare, sic etiam in primo creationis instanti. 19.

Dico secundò,simpliciter,& absolutè loquendo, etiam in statu eleuationis potest Angelus peccare in primo creationis instanti. Sic Doctores 20.

primæ sententiæ, & Suarius lib. 7. de Angelis cap. 20. num. 47. vbi citat pro illa Malonium, & Herreram. Probant, quia status eleuationis ex se non tollit potestatem peccandi, nec repugnat bonitati Dei non vti circa Angelos in tali statu, & instanti speciali manutenentia, seu prouidentia, sed posset illos sinere cum communibus auxiliis, & indifferentia ipsorum naturali: sic autem potestas peccandi, quæ est in Angelis connaturalis, vt vidimus, non impeditur in primo instanti, vt probant fundamenta primæ sententiæ: ergo possent simpliciter peccare.

21. Dico tertiò, in sensu composito cum tali modo creationis, & cum tali decreto sic creandi Angelos, sicut de facto conditi sunt, non potuerunt Angeli peccare in primo creationis instanti. In hoc conuenimus cum tertia sententia, conueniunt etiam Malonius, & Suarius suprà, & in primis supposito quòd Deus decreuerit Angelos in gratia & innocentia creare, talitérque protegere cunctos in primo instanti, vt disponerentur ad gratiæ receptionem, impossibile quidem fuit eos peccare in eodem instanti primo, quia repugnabat absolutum Dei decretum non impleri, vel efficax eius auxilium frustrari.

22. Deinde talè diuinum decretum non permittendi lapsum Angelorum in primo creationis instanti dicimus esse consentaneum legibus prouidentiæ communis, & secundùm potentiam ordinariam Dei, quæ se accommodat conuenienti rerum statui, & exigentiæ. Hoc videntur supponere Patres, cùm absolutè dicunt omnes Angelos malos aliquando fuisse bonos, quia Deus illos bonos fecit. Sic enim loquuntur Leo Magnus epistola 93. ad Turibium cap. 6. Origenes homilia 1. in Ezechielem, Concilium Braccarense primum cap. 7. & valdè insinuat Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 15. & lib. 12. cap. 9.

Leo Mag.
Origenes.
Cōc. Brac. I.

23. Probatur primò à signo: nam quod Deus hactenus non permisit in tanta multitudine Angelorum, nec permissurus est vnquam, signum est, non esse consentaneum legibus diuinæ prouidentiæ, vel tali rerum statui, & exigentiæ. Probatur secundò, quia consentaneum est diuinæ bonitati, & sapientiæ, vt peculiarem curam, & protectionem habeat suæ creaturæ, saltem in eo momento, quo producit illam, nec sinat statim degenerare; ipseque status eleuationis postulare videtur, vt in omnibus Angelis eleuatis, saltem pro primo instanti sortiatur iustificationis effectum qui quasi primarius eleuationis fructus prodat illius status dignitatem. Vnde potest tertiò accommodari nostræ conclusioni ratio sancti Thomæ: licèt enim in rigore Deus non esset author peccati, quamuis creaturam suam in primo instanti peccare permitteret, nihilominùs occasionem præberet, vt in Deum refunderetur peccatum, quasi malum Angelum cum sua malitia procreasset. Vt igitur opus Dei ab opere Dæmonis, & status eleuationis beneficio diuinæ largitatis concessus ab statu peccati per Angelorum culpam inducto manifestè discerneretur, oportuit, vt nullus Angelus peccare sineretur in primo instanti.

24. Dices his coniecturis ad summum probari, Angelum non peccasse in primo instanti, non tamen quòd peccare non potuerit, quia permissio non requiritur ad potentiam peccandi, sed ad peccandum. Respondetur sicut ad peccandum requiritur permissio, sic ad potentiam peccandi necessarium esse vt permissio sit possibilis: quia ergo permissio pro illo instanti reputatur impossibilis secundùm potentiam ordinariam, & communem prouidentiæ modum; ideò dici possunt Angeli non solùm non peccasse, sed etiam non potuisse peccare in primo instanti, non ex natura sua, sed ex exigentia talis status, & ex necessitate quadam communis prouidentiæ conuenientis pro tali momento. In quo sensu tuemur sententiam sancti Thomæ, nec amplius conuincunt eius fundamenta. Nec tamen argumenta primæ sententiæ nostram istam conclusionem expugnant.

Ad primum enim concesso antecedenti, negatur consequentia, ratio disparitatis est, nam in primo instanti peculiari ratione voluntas Angelica protegitur a Deo; quod significauit Albertus supra, ad primum, quod erat fundamentum in hoc principio, quod creatura de se tendit in non esse, cui respondet ipse, dico quòd hoc verum est, nisi manu omnipotentis teneretur, vnde supponit hanc manutenentiam esse quodammodo debitam in illo instanti, quamuis eam magis sibi debeat Deus, quàm creaturæ suæ. 25.

Ad secundum concesso similiter antecedenti negatur consequentia de potentia ordinaria, & in sensu composito cum tali statu, & prouidentia Dei conuenienti, licèt potuerit in sensu diuiso, & absolutè: Deus enim volens naturam Angelorum ad ordinem supernaturalem eleuare, vt talis dignitas eluceret in omnibus pro primo saltem instanti creationis, dedit omnibus vocationem congruam, cui certissimè non resisterent. Qui modus vocationis pro illo instanti debitus erat, & ideò non potuerunt Angeli tali vocatione carere in sensu dicto, & in eodem dicuntur non potuisse pro tunc contra gratiæ motionem peccare. 26.

Tangitur etiam in illo secundo argomento difficultas de peccato omissionis, quod nonnulli fatentur potuisse ab Angelo committi in primo instanti, licet negent potuisse committi peccatum commissionis. Caietanus autem 1. part. quæst. 63. art. 5. inquit. *Omissionem actus quamuis potuisset Angelus incurrere, alioquin libertas nulla foret, non tamen potuit omissionis peccatum incurrere, quoniam peccatum omissionis rationem voluntariæ declinationis præcludit, ac per hoc actum voluntatis non rectum habet necessario annexum.* Equidem ego fateor in omissione pura peccatum non dari. Ceterùm ad præsens institutum non videtur talis euasio necessaria: nam simpliciter & absolutè loquendo Angelus posset per omissionem peccare volendo per actum positiuum directè vel indirectè non adimplere præceptum affirmatiuum; de potentia verò ordinaria, & in sensu composito cum tali statu, vel efficacibus auxiliis non solùm fit, vt primo instanti non peccet Angelus peccato commissionis, vel omissionis, sed etiam vt reipsa faciat actum præceptum, & omnes illos, qui pro primo instanti requiruntur ad congruam gratiæ dispositionem; vnde in sensu composito cum talibus auxiliis nec omissio pura dari potest. 27.

Caietan.

Ad tertium respondetur disparem esse rationem in puero peruenienti ad vsum rationis, quia in pueris opus Dei perficitur in puncto crea- 28.

tionis

tionis, & infusionis animæ rationalis quoad perfectionem connaturalem, & quoad statum eleuationis, seu reparationis supernaturalis parata sunt sacramenta, quibus iustificari possint. Vnde licèt posteà peccent in primo instanti vsus rationis (quamuis hoc sumi non possit indiuisibiliter, sed moraliter, & cum deliberatione in tempore facta) nihilominùs satis distinguitur opus Dei ab opere hominis; nec datur occasio, vel apparentia tribuendi Deo peccatum ab homine commissum: Adamus verò forsan in primo creationis instanti peccare non potuit, quia rationes, quæ ex parte diuinæ prouidentiæ reperiuntur in Angelis, videntur in primis parentibus pro statu iustitiæ originalis eandem habere congruentiam.

29. Ad quartum respondetur diuersam item rationem esse de homine concepto in originali peccato: nam istud non prouenit à voluntate, quam Deus tunc creat, cùm homo concipitur, sed à voluntate priùs creata, quæ post suam creationem peccauit virtute continens omnes voluntates in posterum creandas, & ex vi culpæ tunc commissæ fluit postmodum originale peccatum in Adæ posteros, vbi primùm generantur. Nec pertinuit ad communem Dei prouidentiam singulis hominibus debitam hunc influxum impedire; tum quia sufficienter prouidit hoc Deus ex parte in ipso Adamo; tum etiam quoniam Adamus ipse peccando cùm esset caput omnium, omnibus demeruit tale prouidentiæ genus: Christus autem, qui contrariam prouidentiam, & gratiam mereri potuisset, non ordinauit ad hoc merita sua (excepta sanctissima Virgine) nam aliud prouidentiæ genus pro reliqua communitate non fuit minus expediens; tum vt peccatum Adæ condigniùs puniretur, tum vt totius naturæ corruptio, & necessitas, ac gratia redemptionis euidentiùs innotesceret, & propter infinitas alias rationes prouidentiæ diuinæ.

30. Ad quintum, admittimus potuisse Deum creare Angelum nihil operantem, qui consequenter esset vel iustus, si Deus vellet illi gratiam habitualem infundere, vel saltem innocens pro primo instanti, post quod eliceret primum actum, & hic iam posset esse peccaminosus, quia non subesset illi speciali prouidentiæ Dei: quamuis enim immediatè post creationem fiat, satis iam discernitur opus Dei ab opere ipsius Angeli, non tantùm ordine naturæ, sed inceptionis, ac durationis, vnde non valet consequentia de potentia ordinaria.

31. Ad fundamentum Aureoli respondetur repugnare quidem hæc duo, scilicet actum Angeli defectuosum esse liberum, & simul non imputabilem moraliter, quia quantum habet actus libertatis: tantum habet imputabilitatis moralis; nec ad peccandum imputabiliter requiritur, vt formaliter & propriè fiat electio, quatenùs est de medio in ordine ad finem: potest enim quispiam peccare circa obiectum propter se volitum per modum finis proximi, quæ volitio latè dicatur electio, quatenùs ille finis præfertur aliis; cæterùm vt actus sit peccatum, non est opus, vt comparatio sit formalis, & cum aduertentia expressa ad vtrumque, sed sufficit quòd sit in morali potestate operantis, non determinari per voluntatem ad hoc obiectum, nisi adhibita priùs debita deliberatione. Hæc autem fuit in potestate Angeli, etiam in primo instanti circa pleraque obiecta, imò plenè deliberans potuit pro libito velle simpliciter proprium commodum honesto prætermisso.

Distinctionem Malonij recipimus, non tamen eius fundamentum, licèt enim dictamen practicum intellectus, quod supponit priorem volitionem, in qua fundetur, possit cogere voluntatem ad exercitium actus subsequentis, v. g. cùm voluntas intendit efficaciter finem, & intellectus dictat, hoc esse medium omninò necessarium ad consecutionem finis, cogitur voluntas ad electionem talis medij, quod non est necessitari à dictamine secundùm se spectato, sed à semetipsa: Cæterùm dictamen præcedens omnem volitionem liberam non necessitat voluntatem, vt diximus in libris de anima; sed mouet solùm sufficienter voluntatem, vt possit operari si velit. Quare principium quod Malonius sumit, scilicet, Omnis actus secundus supponit primum, qui determinet potentiam ad agendum, licèt in potentiis naturaliter agentibus sit verum, in liberis falsum est; ideóque malè colligit Angelum, vt in actu secundo fiat malus, debere priùs esse malum in actu primo, quia nulla malitia præsupponitur in illo, sed potentia libera ad peccandum, cum illo quidem defectu, quem natura libera creata præ se fert, scilicet potestatis peccandi, quæ non est propria malitia, sed defectus naturalis, sicut corruptibilitas in homine. Denique si quidquam probaret Malonius, certè conuinceret, nec de potentia absoluta posse Angelum in primo instanti peccare; siquidem per nullam potentiam potest Deus esse auctor peccati quoad malitiam illius, quod ipse putat sequi ex Angelorum peccato in primo instanti. 32.

Ad fundamenta tertiæ sententiæ, quatenus contra primam & secundam conclusionem pugnare videntur, dicimus sanctum Thomam locutum fuisse de Angelis prout de facto creati sunt sub tali modo prouidentiæ diuinæ, quæ fortasse non esset debita in pura natura. Quare iuxta tertiam conclusionem capi potest. Anselmum interpretatur Scotus, vt per primam voluntatem non intelligat primum actum voluntatis, sed ipsam potentiam voluntatis: nam in principio illius capitis fingere videtur Angelum secundùm nudam substantiam suam, & de illo sic apprehenso ait, nihil posse velle à se, nisi priùs voluntatem, quam à se non habet, ab alio recipiat, iuxta quem sensum cetera persequitur. Addit probabiliter Suarius Anselmum loqui de appetitu boni, vel commodi, seu beatitudinis in communi, non quidem elicito, sed innato, qui à solo Deo potuit Angelo tribui, & necessarius fuit, vt possit Angelus ad particulares volitiones eliciendas se determinare; quem sensum indicat Henricus dicens, Anselmum loqui de prima voluntate habituali, non de primo velle actuali, & forsan idem sensit Scotus. 33.

Prima ratio multa continet falsa: nam in primis falsum est, non posse Angelum per potentiam liberam voluntatis, quam habet innatam supposita cognitione sufficienti ex parte intellectus applicare se ad primum actum volendi. Deinde falsum etiam est non posse Angelum in primo creationis instanti applicare se ad volen- 34.

volendum liberè. Vnde falsum erit similiter voluntatem applicari, seu determinari ab alio, seu per actum ab alio receptum, quia si hic necessarius sit, tollit omninò libertatem à subsequentibus; si verò sit liber, non potest esse ab alio receptus, sed elicitus ab ipsa voluntate se determinante, & cùm non supponat alium, & hic alium in infinitum, dabitur certè primus actus elicitus à voluntate liberè, qui possit esse peccaminosus, & multò magis falsum est quod dicit Argentinas: nam actus non elicitus à voluntate nec est liber, nec vitalis.

35. Secunda ratio est improbabilis, quia multæ sunt actiones creatæ, quæ non indigent successione, sed fiunt in instanti, vt passim docetur in Philosophia. Nec est cur hoc excedat vires creaturæ, cùm virtutem infinitam non requirat, & actio fieri possit sine resistentia ex parte recipientis, vel termini, vel effectus. Tertiam rationem meritò reiicit S. Thomas, quia si res fit in instanti, eius operatio poterit fieri simul in eodem instanti, in quo fit causa: nam ex parte modi inceptionis vtriusque non repugnat esse simul, & alioqui non esset necesse, vt causa tempore præcedat effectum, sed solùm natura; sic in eodem instanti producitur corpus luminosum, & hoc producit lucem, & sunt pleraque huiusmodi.

36. Quarta ratio falso nititur fundamento: nam vt voluntas sit libera, satis est quòd sit indifferens prius natura, quàm operetur, & pro eodem instanti determinetur; imò si tunc non esset prius natura libera, nunquam operaretur liberè: nam operatio non est libera, nisi cùm fit. Vnde quamuis priùs tempore determinata fuisset voluntas ad vnum, & in præsenti momento tollatur determinatio priùs natura, quàm operetur iam in eodem instanti habere poterit actum liberum. Vt si D. Paulus vidit essentiam diuinam ad tempus, dum vidit, necessario dilexit, in primo verò instanti, in quo desiit videre, iam non ex necessitate, sed liberè dilexit Deum abstractiuè cognitum in eodem instanti. Demùm aliàs Deus non posset velle liberè, cùm non antecedat diuina voluntas prioritate temporis suam liberam volitionem.

37. Quinta ratio falsum principium assumit, & malè colligit ex illo; nulla quippe datur operatio Angeli viatoris necessaria simpliciter quoad exercitium, vt cap. 1. & 2. visum est, sed solùm cognitio, & amor sui, cognitioque Dei sunt operationes moraliter necessariæ. Rursus operationes istæ non debent præcedere tempore alias omninò liberas, sed ad summum prioritate naturæ, ex qua non colligitur prioritas temporis, nec est vnde colligatur in præsenti. Cùm ergo operatio naturalis, & libera fiant in instanti, licèt naturalis præcedat prioritate naturæ, poterunt in eodem instanti ambæ simul incipere, v.g. cognitio sui, vel etiam Dei non impedit in intellectu Angelico alias simul cognitiones voluntarias aliorum obiectorum vel ordinis naturalis, vel supernaturalis, vel vtriusque, simul donec adæquetur virtus cognoscitiua iuxta dicta disput. 14. Similiter in voluntate naturalis amor sui plures alios actus liberos secum admittit, sicut in posterioribus instantibus etiam in primo: ergo propter actus naturales non impeditur Angelus, quin possit in primo instanti, sicut in subsequentibus peccare: nam eosdem actus naturales habet semper: sufficit autem ad peccatum libertas vnius actus concomitantis, qui potest absolutè in primo instanti, sicut in reliquis reperiri.

Sexta ratio non vrget, quia licèt in nobis, qui per discursum tantùm intelligimus, requiratur tempus, vt consultemus de medijs facta collatione inter ipsa, tamen Angelus plerumque sine discursu cognoscit, & multa simul intelligit, ac subinde potest in momento deliberare considerans simul finem, & media vtilia cum formali, vel virtuali collatione ipsorum. Rursus ad peccandum non semper est necessaria propria electio inter varia media, quorum consultatio, & collatio præcedat in intellectu, sed peccari potest per simplicem affectum obiecti sufficienter cogniti, vel consideratis sufficienter rationibus boni, & mali, quæ in illo sunt, & volendo sub aliqua ratione proprij commodi, quamuis desit ratio honesti: vel voluntariè non considerando rationem mali, seu turpitudinis, & liberè, rationem delectabilis appetendo: sed huiusmodi cognitionem, vel voluntariam inaduertentiam potest Angelus habere in instanti: ergo ex hac parte non deficit illi potestas ad peccandum pro primo creationis momento. Adde per supradictas rationes ita tolli libertatem Angelorum pro primo instanti, vt nec pro tunc mereri potuissent, quod non est dicendum. 38.

Septimam rationem reiicit Durandus, & benè, quoniam Angelus non peccat per errorem, ideóque non est opus vt peccet appetendo bonum apparens, sed appetendo bonum verum sub aliqua ratione inferiori, scilicet boni delectabilis, etiamsi non apprehendatur vt honestum apparenter, nec opus est priùs apprehendi bonum honestum, quàm delectabile, sed primùm occurrere potest delectabile, & ex illo moueri affectus; potest etiam peccare Angelus appetendo veram excellentiam inordinatè, id est, sibi non conuenientem, seu decentem secundùm rectam rationem: cur ergo non potest Angelus in primo instanti talem cognitionem habere, ac obiectum sic existimatum voluntati proponere? 39.

Octaua ratio facilè infringitur: nam licèt Angelus creatus in gratia non posset componere cum illa peccatum, posset tamen gratiam impedire peccando; nec est de ratione peccati, vt sic, quòd gratiam destruat in sensu rigoroso ibi insinuato ab Argentina; sed quòd vel illam destruat, si anteà erat; vel illi ponat obicem, si non erat. Prætereà licèt Angelus crearetur in pura natura, peccare posset contra rationem naturalem, vt constat ex suprà dictis cap. 3. & tunc procedit argumentum, quòd etiam posset sic peccare in primo instanti, nec illo discursu contrarium probatur, sed supponitur. Deinde licèt sit creatus cum ordine ad supernaturalia, & cum actuali cognitione supernaturali, posset Angelus nihilominùs peccare, non per ignorantiam, sed per malitiam ex libertate voluntatis. Quòd si posteà peccauit, vel peccare potuit ex inconsiderantia rationis alicuius, quam per cognitionem supernaturalem non penetrauit, aut noluit simul perpendere, cur in primo instanti eandem inconsiderationem habere non potuit? 40.

Nona ratio, quatenùs primam determinationem voluntatis Angelicæ refundit in Deum, difficillima est: nam illud principium intelligi potest vel de determinatione quasi impulsiua ex parte potentiæ 41.

potentiæ ſuperaddita voluntati, quæ dicitur prædeterminatio phyſica, & hæc tollit libertatem; nec magis neceſſaria ponitur à Thomiſtis Iunioribus pro primo inſtanti, quàm pro ſequentibus, quare ſi in primo impedit peccatum, etiam impedıet in omnibus: vel poteſt intelligi de determinatione ex parte obiecti, quod magis indicat S.Thomas, quatenùs voluntas creata non poteſt applicare intellectum ad primam cognitionem; ideoque prima cogitatio debet eſſe à Deo determinante, vel excitante; quod non ſolùm eſt verum in operatione voluntatis, quæ fuerit duratione omnium prima, ſed etiam in quacunque prima, quæ circa genus aliquod negotij, vel obiecti in homine, vel in Angelo incipit; hoc tamen non obſtat quin Angelus in primo inſtanti peccare poſſit conſenſu voluntatis in tale obiectum cognitum, ſicut in prima voluntate circa nouum obiectum, quod primò ſe offert, peccare poteſt, quia talis obiecti propoſitio licet fiat à Deo talem cognitionem excitante, nihilominùs liberam relinquit voluntatem, vt conſentire poſſit, vel diſſentire: ergo poterat Angelus propoſito obiecto, quod ex præcepto proſequendum erat, illud non proſequi; ac ſubinde peccare. Potuit etiam intellectus ſic à Deo determinari, vt proponeret voluntati ſimul eadem cogitatione obiectum aliquod, in cuius proſecutione peccaretur, & in fuga, vel diſplicentia daretur meritum, & voluntas primo actu poſſet proſequi tale obiectum. In neutro verò caſu Deo tribueretur peccatum, quia cogitatio, quam Deus excitauit, quamuis præuideretur illatura conſenſum peccaminoſum, relinquit tamen voluntatem liberam, vt ſequeretur quam vellet contradictionis partem. Quòd ſi in inſtantibus ſequentibus poteſt Angelus vel à ſeipſo, vel aliunde excitari ad cogitandum de nouo aliquod obiectum, poterit etiam in primo. Vel ſaltem poterit Deus in alijs inſtantibus ſic excitare voluntatem Angeli, & hæc nihilominùs peccare: ergo etiam in primo. Nec peccatum Angeli in primo inſtanti videtur habere maiorem dependentiam à Deo, quàm in reliquis. Debet igitur ratio S. Thomæ reduci ad congruentias, quibus noſtra tertia concluſio nitıtur.

CAPVT VI.

Vtrùm voluntas Angelica naturaliter ſit in libera volitione immutabilis.

1\. PRima ſententia docet Angelum eſſe immutabilem in ſuis electionibus plena cognitione, ac deliberatione factis, ita vt non poſſit illas retractare, nec contrarias amplecti. Sic docuit Alenſis 3.part.quæſt.1. memb.2.& 4. parte quæſt.12.memb.2.art.1. §.1. quem refert & ſequitur Arboreus lib.1.Theoſophiæ cap.5. Continentur Henricus quodlib.8.quæſt.11.Capreolus in 2.diſt.7. quæſt.1. artic.1.concluſ.2. & ad argumenta contra illam. Ferrara 4.contra Gent. cap.95. §. *Aduertendum* 2. Caietanus 1. part. quæſt.64. art.2. & alij Thomiſtæ putantes hanc eſſe mentem S. Thomæ illo artic. 2. dum dixit Angelum ab homine differre, quoniam Angelus per intellectum apprehendit immobiliter, & per voluntatem adhæret fixè, & immobiliter. Et ideò (inquit) *ſi conſideretur ante adhæſionem, poteſt liberè adhærere huic, & oppoſito, in his ſcilicet, quæ non naturaliter* (id eſt, neceſſariò) *vult; ſed poſtquam iam adhæſit, immobiliter adhæret.* Et inferiùs ait, liberum arbitrium Angeli non eſſe flexibile poſt electionem, idemque tradit.4. contra Gent.cap.9. dum de Angelis inquit. *Statim quòd debito fini, vel indebito adhæſerunt, immobiliter in eo permanſerunt.* Conſonat quæſt.14.de verit. art.10.& quæſt.16. de Malo art.2. fauet Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 3. dicens, *Pœnitentia porrò ea ratione minimè capax eſt* (ſcilicet Angelus) *quia corpore vacat.*

[Margin: Alenſis. Arboreus. Henricus. Capreol. Ferrara. Caietan. S.Thom. Damaſc.]

Probatur primò, nam intellectus Angeli apprehendit immobiliter quæ iudicat, ſicut homo immobiliter adhæret primis principijs: nam Angelus percipit concluſionem in principijs ſine diſcurſu, ſicut homo cognoſcit prima principia: ergo & voluntas Angeli adhæret vni parti fixè, & immobiliter, poſtquam illam elegerit. Conſequentia probatur, quia voluntas eſt proportionata intellectui, ſicut mobile ſuo motori; & ideò modum eius operandi participat. Quapropter homo qui per diſcurſum procedit, & mutabiliter iudicat, etiam per voluntatem mutabiliter eligit. Igitur Angelus è contrario qui apprehendit immutabiliter, etiam immutabiliter eligit. 2.

Probatur ſecundò, nam intentio finis vlrimi eſt principium omnium aliarum electionum: Sed Angelus immobiliter adhæret vltimo fini, quem ſibi deſtinauit: ergo etiam immobiliter adhæret omnibus alijs, quatenus ad illum finem ordinantur. Maior, & conſequentia ſupponuntur, vt notæ, Minor probatur, quia voluntas naturaliter appetit beatitudinem in communi: quod autem in hoc, vel illo bono ſuum vltimum finem, & beatitudinem ponat, prouenit ex diſpoſitione ſubiecti, iuxta illud Ariſtotelis 3. Ethic. cap.8. *Qualis vnuſquiſque eſt, talis ſibi finis videtur:* ergo dum Angelus aliquid ſibi determinat appetendum, vt vltimum finem, ducitur in illum ex aliqua peculiari diſpoſitione: Sed hæc eſt in illo immutabilis, quoniam eſt illa diſpoſitio mentis, qua ſtatim ab intrinſeco peruenit in contemplationem boni: ergo in fine, cui primum adhæret, immutabiliter permanet, & conſequenter ſemper eligit in ordine ad illum, & ita habet immutabilitatem in electionibus ſuis. Sic arguit S.Thomas 4.contra Gent.cap.49. 3

[Margin: Ariſtot.]

Tertiò probat Henricus, quia voluntas quo perfectior eſt, & liberiùs eligit, eo vehementiùs, & maiori effectu adhæret rei electæ: Sed voluntas Angeli eſt perfectiſſima, & liberrimè eligit, quia non ducitur paſſione; ſed ex ſe ſola ſe determinat: ergo dum eligit, ſic afficitur, atque affigitur rei electæ, vt ab illa non poſſit ampliùs dimoueri. Confirmatur, quia ſi Angelus eſſet mutabilis in electione ſua, foret capax pœnitentiæ. Conſequens autem eſt contra Damaſcenum ſuprà, & alios Patres communiter id negantes, quod etiam colligitur à poſteriori: nam ſi Angeli natura ſua flexibiles eſſent, vix credibile fieret, quin Deus pro ſua miſericordia ſaltem aliquos, vel aliquem ex illis adiuuiſſet ad agendam ſalutarem pœnitentiam, nec protinùs poſt peccatum omnes, qui peccarunt, nullo conceſſo ſpatio pœnitendi damnaſſet. At nullum vnquam ad pœnitentiam adduxit, vel expectauit, vt indicat Petrus 2.epiſtola cap. 2. cùm dixit. *Angelis peccantibus non pepercit:* ergo non ſunt natura ſua flexibiles. 4.

[Margin: 2. Petr. 2.]

Secunda ſententia probabilior cenſet voluntatem Aogeli ex vi ſuæ naturæ tantùm non eſſe ſimpliciter immutabilem in electionibus ſuis, ſed ſicut liberè eligit, ità etiam poſſe liberè mutare ſuam electionem, vel volitionem: vtimur enim electionis oomine latè, prout omnem liberam volitionem comprehendit: de omnibus enim quoad mutabilitatem, vel immutabilitatem eadem eſt ratio, ac de propria electione. Sic ſentiunt Scotus in 2.diſt.7. quæſt.1.& in Reportatis eadem diſt.7. quæſt. 3. Ægidius Romanus quæſt.1. artic. 2. Durandus quæſt. 2. Gregorius quæſt.1. art.2. Gabriel ibidem, Ochaoius in 2. quæſt.19. Marſilius in 2.quæſt.5.artic.5. Bonauentura in 2.diſt.7. punct.1. art.1. quæſt.1. Richardus artic.2.quæſt.1.Maior quæſt.1.Valentia tom.1. diſp. 4. quæſt.15. punct.2. Suarius lib.3. de Angelis cap. 10. Molina 1. part. quæſt. 64. art. 2. diſp.2. Vaſquez ibi diſp.239.

Scotus. Ægid. Rom. Durand. Gregorius. Gabriel. Ochamus. Marſilius. Bonauent. Richard. Maior. Valentia. Suarez. Molina. Vaſquez.

6. Hieronym.

Probatur primò authoritate: nam Hieronymus epiſtola 146. ad Damaſum de filio prodigo in fine, ait, *Deus ſolus eſt in quem peccatum non cadit, cetera cùm ſint liberi arbitrij, iuxta quod & homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt, in vtramque partem ſuam poſſunt flectere voluntatem.* Damaſcenus lib.2. de fide cap. 3. ſic naturam definit. *Eſt igitur Angelus natura rationis particeps intelligens perpetuo motu, arbitriique libertate praditus, voluntatis, ac ſententiæ ratione mutabilis, hoc eſt liberam in vtramque partem habens voluntatem.* Vbi videtur ſignificari Angelum ſic eſſe liberi arbitrij, vt non ſolùm ante electionem poſſit quamlibet partem amplecti, ſed etiam poſt electionem poſſit in contrariam partem mutari. Quod ſonant illa verba, *perpetuo motu praditus, voluntatis, ac ſententia ratione mutabilis*, quaſi oon perpetuò adhæreat vni parti, ſed poſſit voluntatem, & ſententiam, quam ſemel habuit, mutare, vt ex contextu Græco expendit Vaſquius cap.3. & indicat Damaſcenus ſubiungens. *Angelus itaque vt rationis, & intelligentia particeps liberi arbitrij eſt, vt autem creatus in ea conditione erat, vt mutationem recipere poſſet, liberúmque ei eſſet vel in bono manere, ac progreſſum facere, vel in malum inflecti.* Mutationem igitur voluntatis Angeli conſtituit in eo, vt in incœpto bono manere poſſit, & in malum declinare; relinquere verò bonum incœptum, eſt voluntatem boni mutare: ſimiliter ergo poterat voluntatem malam relinquere, ab illaque per retractionem mutari.

Damaſc.

7. Præterea videntur Patres in hac mutabilitate hominem, & Angelum æquiparare, illamque vertibilitatem ad vtramque partem ponere vt effectum adæquatum libertatis creatæ, prout hominibus, & Angelis communis eſt. Sic Gregorius homilia 7. in Ezech. æqualiter dicit vtrique naturæ, Angelicæ ſcilicet, & humanæ fuiſſe libertatem conceſſam, ſic Hieronymus loquitur ſuprà, ſic Damaſcenus ſuprà ſuam ſententiam coofirmat dicens. *Quidquid enim creatum eſt, mutationi quoque ſubſit neceſſe eſt; id enim vnum extra mutationis aleam eſt, quod nihil habet, à quo ſit creatum.* Cùm igitur voluntas Angeli creata ſit, talem mutationis modum participat.

Gregor.

8. Fulgentius.

Quin Auguſtinus, vel potiùs Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. ſentit Angelum de ſe magis poſſe mutare voluntatem, quàm homo; cùm enim dixiſſet, Angelis, & hominibus facultatem à Deo ſic eſſe conceſſam cognoſcendi ac diligendi Deum, vt eam quiſque habere poſſet, & perdere, ſubiungit. *Si quis tamen ſponte eam perderet, ſuo deinceps arbitrio reſumere non valeret,* quod ſic probat inferiùs. *Bona voluntatis, & cognitionis initium non homini ex ipſo naſci, ſed diuinitùs & preparari & tribui, in eo Deus euidenter oſtendit, quia nec Diabolus, nec aliquis Angelorum eius, ex quo ruina illius merito in hanc inferiorem ſunt detruſi caliginem, bonam potuit, aut poteſt reſumere voluntatem. Quòd ſi poſſibile eſſet, vt humana natura poſtquam à Deo auerſa bonitatem perdidit voluntatis, ex ſeipſa rurſum eam habere potuiſſet, multò probabilius hoc haberet Angelica, quæ quantò minus grauatur terreni corporis pondere, tantò magis hac eſſet pradita facultate.* 9.

Vnde dupliciter colligit Vaſquius Angelum non eſſe apud Fulgentium inflexibilem. Primò, quia ſi Angelus volitionem ſemel habitam retractare non poſſet, non rectè probaret Fulgentius, diuini muneris eſſe amiſſam bonam voluntatem recuperare, ex eoque Dæmon illam non recuperauit: nam reſponderet aduerſarius, ideò Angelum non recuperaſſe per pœnitentiam priuatum ſtatum, quia ſemel facti per electionem ipſius Angelum pœnitere non poteſt, cùm ſit inflexibilis; hominem autem poſſe per pœnitentiam reparari, quia ſuapte natura poteſt ipſum facti pœnitere. Et ab eo quod ſemel elegit flexibilis eſt. Secundò, quia non rectè colligeret Fulgentius ex eo quòd homo poſſet propriis viribus priorem bonam voluntatem reſumere, faciliùs id poſſe ſupremum Angelum efficere, ſi non poſſet iſte ab eo, quod ſemel voluit, poſteà mutari, ſicut homo. Supponit ergo Fulgentius Angelum etiam mutari poſſe, vt inde colligat, non ſolam mutabilitatem voluntatis ſufficere ad reſipiſcendum, ſed diuinam gratiam requiri. 10.

Accedit idem Fulgentius ibi cap. 23. Vbi docet Angelos bonos non habere natura ſua immutabilitatem ex bono in malum, ſed ex ſola gratia, qui tamen cum plena deliberatiooe bonum elegerunt, Verba ſunt hæc. *Hoc ipſum quòd Angeli ab illo ſtatu beatitudinis mutari in deterius nullatenus poſſunt, non eſt eis naturaliter inſitum, ſed poſtquam creati ſunt, gratia diuina largitate collatum. Si enim Angeli incommutabiles fierent, nunquam de eorum conſortio Diabolus, & eius Angeli cecidiſſent.* Similiter Damaſcenus ſuprà ioquit. *Nunc verò* (hoc eſt in beatitudine) *ea iam conditione ſunt, vt nec vix quidem flecti queant, quod tamen non eorum natura, ſed gratia tribuendum eſt.* Igitur proportionaliter mali non habent natura ſua immutabilitatem ex malo in bonum, ſed ex ſola priuatione gratiæ. 11.

Probatur ſecundò ratione, quia voluntas Angeli poſtquam aliquid elegit liberè, manet æquè libera circa tale obiectum, ac priuſquam elegiſſet: ergo ſicut antequam aliquid eligat, poteſt Angelica voluntas illud eligere vel oppoſitum, ſic etiam poſtquam elegit. Conſequentia videtur bona; antecedens probatur, quia poſt factam electionem nihil eſt quod neceſſitet Angelum, vt retractare non poſſit electionem, ſeu volitionem: ergo etiam poſt electionem factam poteſt illam mutare. Conſequentia patet, antecedens probatur: nam illa neceſſitas, aut immutabilitas in electione facta vel prouenit ab ipſomet actu ſemel facto, vel ab aliquo habitu, qui relinquatur ex actu, vel à naturali propenſione voluntatis, vel ab intellectu: Sed nihil

horum

hotum est sufficiens immutabilitatis causa: ergo nulla datur sic necessitans. Maior, & consequentia tenent, quia præter ibi numerata nihil intrinsecum in ipsomet Angelo potest excogitari, extrinseca verò causa nihil ad præsens institutum conducit, vbi rei naturam inquirimus: potest enim Deus ita firmare hominem in sua volitione, vt illam nequeat retractare, non tamen ideò homo est inflexibilis natura sua.

12. Iam illam minorem per singula membra probemus: nam in primis actus ipse voluntatis liberè factus non potest voluntatem ipsam cogere seu immutabilem reddere in ipso, quoniam actus ille formaliter est liber, quia taliter procedit à principio indifferenti per potestatem agendi, vt possit etiam non fieri per intrinsecam potestatem non agendi, vel etiam oppositus produci: Sed actus semel factus non aufert à voluntate potentiam illam non influendi in talem actum, vel potestatem producendi oppositum: ergo non cogit ad permanendum in electione iam facta, & per consequens poterit illam retractare. Consequentia probatur, quia nullus effectus necessitat causam ad sui conseruationem, si causa ex se talem necessitatem non habet: nam illa necessitas opponitur potentiæ non influendi in actum, quam effectus ipse tollere non potest à sua causa, si priùs illam habebat: poterit ergo voluntas cessare ab actu semel facto, sed quod non est, non potest aliquid agere, vel resistere per seipsum: ergo actus ille transactus iam non existens non poterit per seipsum impedire voluntatem, quominùs contrariam eliciat volitionem, si velit.

13. Rursùs nec ab habitu prouenire talem immutabilitatem probatur, quoniam in Angelis ante primam electionem dari possunt habitus per se infusi, non verò adquisiti. Quinimo qualiscunque præcedat habitus, non necessitat voluntatem: nam habitibus etiam supernaturalibus vtimur, cùm volumus; & sicut ad primam electionem liberam non necessitat voluntatem, sed subditur illi; sic nec ad perseuerandum in illa necessitare potest: nam talis habitus non potest fortiùs influere in conseruationem actus, quàm in primam productionem illius, nec potest priuare voluntatem sua naturali potestate suspendendi suum influxum. Potest ergo ab illo cessare non obstante habitu, & per consequens contrarium volitionem elicere iuxta argumentum suprà factum: post electionem verò potest ad summum habitus adquisitus relinqui, quo vritur etiam voluntas pro libito, & quantumuis sit intensus, non tollit, nec minuit internam potestatem voluntatis ad eliciendum actum oppositum.

14. Deinde nec ab ipsamet natura voluntatis Angelicæ prouenire probatur, quia sola voluntas diuina, cùm increata sit, & infinita, sic est natura sua immutabilis, vt non possit nolle, quod anteà voluit, vel è contrario. Voluntas verò Angelica cùm sit per se finita, simpliciterque mutabilis, quatenùs ex volente fit non volens, & è contrario, erit etiam mutabilis quoad retractationem prioris volitionis per actum contrarium; quod videtur significasse Damascenus suprà, dum vniuersaliter inquit. *Quidquid enim creatum est, mutationi quoque subsit, necesse est.*

15. Dices, quò res sunt perfectiores, eò magis participant perfectionem diuinam: sed substantiæ separatæ (vt dicit S. Thomas 4. contra Gent. cap. 95.) propinquiores sunt perfectioni diuinæ: ergo voluntates illarum possunt naturaliter participare non solùm libertatem, sed etiam immutabilitatem diuinæ voluntatis. Sed contrà primò, nam maior perfectio naturalis voluntatis Angelicæ potest aliter concipi penès maiorem propensionem ad bonum, & penès maiorem multitudinem obiectorum, quæ potest simul amplecti, quin perueniat ad participandam immutabilitatem diuinæ voluntatis. Secundò quamuis in voluntate, quæ non potest à bono deflectere, immutabilitas volitionis sit magna perfectio; at in voluntate, quæ potest deficere, non esset perfectio, sed maximum malum: Cùm ergo voluntas Angelica possit deficere, quantumuis sit aliàs perfecta, non pertinet ad ipsius perfectionem immutabilitas, si quidem non potest esse tam nobilis, quin habeat illam imperfectionem admistam, ratione cuius non esset illi conueniens talis immutabilitas.

Præterea probatur, voluntatem Angeli non habere ab intellectu, vel à modo intelligendi talem immutabilitatem supponendo sententiam mihi probabiliorem, quæ docet cum eadem aduertentia, consideratione, ac iudicio vtriusque partis posse voluntatem pro suo libito, quod maluerit, eligere, ac subinde sine defectu, qui præcedat in intellectu, peccare. Tunc sic argumentor, in eodem instanti, & cum eadem intellectus dispositione sine vllo ipsius defectu potest voluntas Angeli velle hoc vel contrarium huius: ergo licet vnum eligat, adhuc stante aduertentia mentis eadem poterit in alio posteriori instanti non velle istud, sed oppositum. Probatur consequentia: nam in instanti priori eadem erat intellectus dispositio, & cognitio, quæ datur in posteriori, vt supponimus, & in priori sufficiens erat obiecti propositio tam ad volendum, & non volendum illud, quam ad volendum istud, vel oppositum: ergo etiam in secundo instanti sufficiens est ad hæc omnia, & per consequens intellectus non dat Angelo immutabilitatem in prima electione. Confirmatur, quia iudicium illud intellectus non necessitat voluntatem quoad exercitium actus, cùm primum elicuit illud: ergo nec posteà necessitat ad conseruationem illius: ergo potest ab illo cessare, licèt intellectus non mutetur: At cessando ab vno actu potest habere oppositum, sicut in principio potuisset, quia permanet intellectus in eadem apprehensione, ac iudicio vtriusque partis, & per illud sufficienter proponit obiectum ad vtrumque actum, vt supponimus. 16.

Quin in opposita quoque sententia dicente non posse peccari, nisi præcedat defectus in intellectu, possumus sic arguere. Defectuosa consideratio mentis mutari potest in plenam, vel efficaciorem cognitionem honesti boni, vel minui, vel augeri in ordine ad obiecta diuersa, vel ad diuersas rationes bonitatis, aut malitiæ repertas in illis, quorum actualis consideratio Angelica non est necessaria quoad exercitium, siquidem potest Angelus nunc vnum, nunc aliud obiectum, nunc magis, nunc minus attentè considerare: ergo quantum est ex parte intellectus etiam in volitione poterit mutatio contingere, quatenus ablato mentis defectu corrigatur etiam defectus voluntatis ex priori prouenicns; & è conuerso recta voluntatis electio supponit perfectum iudicium, & attentionem intellectus: ergo si amittat intellectus, vt potest, illam attentio- 17.

nem,

nem, & aliam rationem boni fortiùs apprehendat, poterit etiam voluntas deficere.

18. Probatur tertiò exemplis: nam in primis Angeli mali mutarunt in secundo instanti propositum, & amorem erga Deum, quem priùs habuerant. Respondent Caietanus, & Ferrara in primo instanti Angelum non elegisse plenè, ideóque primam electionem mutasse, à plena verò, seu perfecta electione, quæ fit cum indifferentia, & libertate ad malum, & ad bonum, non posse Angelum dimoueri. Sed contrà, nam Angelus etiam in primo instanti potuit absolutè peccare, vt vidimus cap. 5. ac subinde ex hac parte plena fuit electio prima; nec est cur in primo instanti non potuerit Angelus habere plenum iudicium de bonitate, ac malitia obiecti, vt eligeret plenè alterutram partem, sicut in instantibus sequentibus. Prætereà licet non posset Angelus in primo instanti peccare, posset tamen habere plenam electionem ex perfecto iudicio perfectam, cui nihil obstat impotentia peccandi: Deus enim non potest peccare, tamen iudicat perfectissimè, decernitque plenissimè. Virgo quoque sanctissima peccare non poterat, & nihilominùs inter bonum, & malum cum perfectissima deliberatione eligebat.

19 Vasquius, & Molina proferunt illud Ioan. 13. Vbi Dæmon priùs instigabat Iudæos ad occidendum Christum, & Iudam ad illius proditionem, posteà verò conabatur liberare Christum Dominum per vxorem Pilati, vt dicitur Matth. 27. licet enim Origenes, Hilarius, Hieronymus, Cyrillus, Theophylactus ibi, Ambrosius, Luc. 23. & Augustinus sermone 121. de tempore somnium illud vxoris Pilati putent non à Dæmone, sed à Deo fuisse; tamen Bernardus sermone 1. de Resurrectione, Anselmus, Lyra, Caietanus, Petrus Comestor in Historia Euangelica cap. 166. censent, Dæmonem iam tunc cœpisse Christi diuinitatem suspicari, propterea que voluisse mortem illius impedire. Atque Athanasius sermone de passione, & cruce Domini fatetur, Dæmonem in morte Christi fuisse sollicitum de proditione sua, ideoque suasisse Iudæis, vt dicerent illa verba. *Si Filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei, quia Domini mortem* (inquit) *euitare cupiebat, ne alius saluus efficeretur.*

Vasquius. Molina. Origenes. Hilarius. Hieron. Cyrillus. Theophyl. Ambrosius. August. Bernard. Anselm. Lyranus. Caietan. Petr. Com. Athanasius.

20. Sed quidquid sit de facto, dubitari non debet quin Dæmon, quando procedit tantùm ex coniecturis, possit nunc vnum medium, vel obiectum eligere, nunc oppositum, dum nouæ coniecturæ nonnunquam occurrunt, quæ cogunt mutare volitionem: nam variato iudicio potest mutari electio; sed facta mutatione in obiecto, vel in medio, vel in ratione assentiendi, variatur etiam iudicium, quæ mutatio locum etiam habet in Angelis bonis, quia non cognoscunt omnia futura, nec internas alterius cogitationes clarè; ideò per experientiam, vel per nouam reuelationem multa denuò cognoscunt, quæ priùs non assequebantur, sicut de Angelis custodibus Iudæorum, & Persarum colligitur ex Dan. 10. Sic Dæmones experientia conuicti *credunt, & contremiscunt*, quasi iam aduertant, se aliter operari debuisse: ergo habent fundamentum in ipso iudicio rationis, vt prauam illam electionem vtcunque reuocarent, imò fructuosa quoque pœnitentia retractarent, si gratia diuina non deesset.

21. Respondet Caietanus, Angelum ex inconsiderantia peccasse, ac posteà cùm aduertit, cessasse quidem illius inconsiderantiam speculatiuè, sed non effectiuè (sic ille loquitur) hoc est, non fuisse suppletam inconsiderantiam fructuosa consideratione, quæ moueret affectum in contrarium. Sed contra, nam cur non poterit ex iudicio speculatiuo transire ad practicum ex sola rei natura loquendo? Quia vel iudicium practicum addit aliquid super speculatiuum, quod antecedat vsum libertatis; & sic necessariò sequetur ex iudicio speculatiuo, vel est ex libera voluntatis applicatione; & sic poterit applicare voluntas intellectum ad practicam considerationem, & per illam mutari. Vel voluntas non potest applicare intellectum ad practicam considerationem post electionem, cùm anteà posset; & tunc reddenda est ratio talis impotentiæ nunc potius, quàm ante factam electionem. Nam vel sumitur ex ipsa voluntate; & sic tota radix eius immutabilitatis tribuitur voluntati, quod impugnatum est; vel sumitur ex intellectu; & hoc dici non potest, quia supposito iudicio speculatiuo facilè mens iudicabit practicè si volútas velit illam applicare.

Dices, Angelum posse quasi materialiter mutare priorem volitionem in aliam, quæ secundùm nouas occurrentes circumstantias conueniens iudicatur, id est, retractando illam, vt imprudenter factam, sed semper in eadem intentione manere quatenus semper iudicat priorem electioné iuxta circumstantias rectè fuisse factam. Sed contrà, nam ideò Angelus potest electionem priori modo mutare, quia de nouo cognitum est aliquid, vnde coniectat prius medium non fuisse conueniens, sed aliud, aut contrarium expedire: potest autem contingere quòd Angelus potuerit prius illud motiuum cognoscere, ac ex inconsiderantia peccauerit: ergo poterit retractare priorem electionem non solùm ex mutatione obiecti, sed etiam ex reflexione supra suum considerationis defectum, & consequenter iudicare priorem electionem non fuisse rectè factam. 22.

Nec videtur posse negari, quin damnati sic iudicent de suis electionibus in hac vita factis iuxta id Sapient. 5. *Ergo errauimus à via veritatis.* Igitur etiam Dæmones similem cognitionem, & iudicium habent conuicti saltem experientia tot malorum, & miseriarum, quas propter illam electionem patiuntur, nec possunt dubitare, quin iustè puniantur, cùm euidenter sciant, Deum esse iustum. Et quidem siue Angelus eligat cum defectu considerationis, vel sine illo, non est cur postmodum non possit vel variata cognitione, vel inuariata contrariam electionem, vt meliorem elicere: Vnde formaliter etiam retractet priorem. 23.

Fatendum tamen est Angelos ab electionibus semel cum plena deliberatione factis difficillimè posse dimoueri, quia cum perfectè cognouerint cunctas pro vtraque parte rationes, nulla potest occurrere cogitatio, quæ de nouo moueat ad talem mutationem; sine nouo autem apparenti motiuo difficile quidem est retractare decretum, maximè cùm nulla interna dispositio vel sympathia humorum, vel appetitus inferioris commotio, vel corporis alteratio, quæ mouent nos ad volitiones retractandas, dentur in Angelis. Et forsan in hoc sensu loquitur S. Thomas in contrarium adductus sic tribuens Angelis naturalem inflexibilitatem, vt non dicat impossibilitatem absolutam in electione semel facta, sed quandam moralem difficultatem, seu proprietatem naturalem 24.

Richard. Durand. Cassian. talem ex se se incongruam ad pœnitendum; sicut in eodem sensu loquuntur Richardus in 2. dist. 7. art. 2. quæst. 1. Durandus q. 2. & alij Scholastici, ac Patres, Cassianus collat. 4. cap. 13. Augustinus siue Auctor de Mirabilibus sacræ Scripturæ lib. 1. Damascen. cap. 2. Damascenus lib. 2. cap. 3. qui nomine pœnitentiæ non intelligit quamcunque retractationem prioris volitionis: hanc enim plenè concedit Angelo, vt vidimus, sed intelligit donum pœnitentiæ, quod denegatum fuit Angelo, quia corpore vacat, id est, sine carnis incentiuis peccauit.

25. Ad primum primæ sententiæ negatur in primis antecedens vniuersaliter sumptum, tum quia multa non cognoscit Angelus euidenter etiam in naturalibus, vt futura contingentia, secretaque cordis, ex quorum cognitione sæpè procedit electio circa res agendas; tum quia non semper actu considerat, quæ posset euidenter cognoscere; quare potest in his & iudicium practicum, & electio mutari. Deinde, licèt demus absolutè antecedens, sicut non obstante tota illa determinatione intellectus voluntas quoad primam electionem libera manebit ad relinquendam illam, & aliam eliciendam: nam intellectus in vtraque sufficientem ostendit rationem appetendi rem talem, & voluntas est liberior potentia quàm intellectus, poteståque stante iudicio mentis eodem, vel manere pro libito in electione facta, vel illam retractare.

26. Ad secundum respondetur non posse quidem Angelum adhærere formaliter creaturæ tanquam vltimo fini, quia non potest iudicare creaturam esse summum bonum, in quo felicitas Angelorum consistat, cùm euidenter cognoscat oppositum, posse tamen virtualiter adhærere bene, vel malè alicui rei, vt vltimo fini, quia potest operari benè, vel malè iuxta superiùs dicta cap. 3. & hoc modo mutare potest electionem semel factam, quia si elegit benè tendens in finem vltimum verum, potest ab isto actu postea cessare, ac aliud obiectum malè diligere virtualiter vt vltimum finem: nam vt sic amet non requiritur error positiuus in intellectu, sed sufficit quòd tale obiectum proponatur, vt amabile, seu conueniens sub aliqua ratione, quam persequatur voluntas. S. Thomas eo cap. 49. potest intelligi solùm velle quòd Angelus plenè considerans obiectum difficillimè moueatur tali consideratione permanente ad retractandam volitionem.

27. Ad tertium respondetur non esse necessarium vt voluntas liberior maiori affectu feratur, quin potiùs quo liberior est, eo magis poterit affectum moderari, vel intendere pro libito; nec si summo conatu feratur, in eo semper cogitur permanere: tota enim intensio talis operationis est libera. Quare poterit Angelus eadem libertate, qua talem actum elicuit, ab illo cessare, oppositumque post modum efficere. Ad confirmationem respondetur Angelum simpliciter esse capacem pœnitentiæ, quatenus dicit retractionem prioris volitionis, vel ex prauo, vel ex honesto motiuo factam; quo pacto tam electionem bonam, nisi confirmetur in bono, quàm malam præcedentem poterit Angelus retractare. At respectu pœnitentiæ fructiferæ apud Deum datur capacitas remota, siue obedientialis in Angelis, quia possent tale donum recipere, si Deus voluisset infundere; capacitas verò proxima, quæ præter potentiam obedientialem requirit ex parte Dei voluntatem, vel legem offerendi sufficiens auxilium ad talem pœnitentiam ex parte creaturæ sufficientem conditionem congruentiæ cum tali lege, non reperitur in Angelis iuxta superiùs dicta num. 24.



QVÆSTIO LXI. S. Thomæ.

De productione Angelorum in esse naturæ.

Absolvta tractatione de his, quæ pertinebant ad potentiam Angelorum, differt S. Thomas de ipsorum creatione: intendens enim simul explicare, quales emanauerint à Deo non solùm secundùm esse naturæ, sed etiam gratiæ, & quales posteà seipsos per suum liberum arbitrium effecerint, ad quod necessaria erat præcognitio potentiarum Angelicarum, distulit hucusque disputationem istam, quæ videbatur alioquin præmittenda.

ARTIC. I.

Vtrùm Angeli habeant causam sui esse.

Conclusio affirmat, quia solus Deus est suum esse, cetera verò entia per participationem procedere debent ab eo, quod est suum esse per essentiam.

ARTIC. II.

Vtrùm Angelus sit productus à Deo ab æterno?

Conclusio negatina est de fide, Prou. 8. Sic enim Deus creaturas produxit, vt eas ex nihilo fecerit, id est, postquàm per aliquam durationem realem nihil fuerint.

ARTIC. III.

Vtrùm Angeli sint creati ante mundum corporeum.

Conclusio negat, quoniam ordo & perfectio vniuersi postulat, vt omnia simul crearentur, cùm Dei perfecta sint opera.

ARTIC. IV.

Vtrùm Angeli sint creati in cælo empyreo?

Conclusio affirmat, quia conueniens fuit vt Angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti naturæ corporeæ præsidentes.



DISPVT. XVIII.

De creatione Angelorum.

Circa productionem Angelorum varia possunt dubia disquiri; sed quia minus controuersa, duobus capitibus comprehendemus.

CAPVT

CAPVT I.

An & quando fuerint Angeli creati.

1\. DVbitatur primò. An Angeli sint creati? Quidam ex antiquis Philosophis senserunt, intelligentias esse entia per se necessaria, & à nullo fuisse productas, quam sententiam Gregorius in 2.dist.1.quæst.1.art.1. & alij tribuunt Aristoteli & Auerroi. Iauellus 12. Metaphys. quæst. 28. putat Auerroem in hoc errasse, diuersimque ab Aristotele sensisse. Fuerunt etiam hæretici, qui nominabantur Angelici, quoniam Angelos diuino cultu afficiebant, vt refert Augustinus lib. de hæresibus cap.39. quasi putarent Angelos non esse creaturas, sed numina quædam: Epiphanius tamen hæresi 60. tradit, non satis constare quinam fuerint errores horum hæreticorum circa Angelos, & cur Angelici dicti sint. Fuit item Romæ combustus anno 1512.quidam Hermanus Risvvich Batauus, qui dicebat inter cetera, Angelos non fuisse creatos à Deo, vt refert Bernardus de Luzemburgo in catalogo Hæreticorum.

(Gregor. Iauellus. August. Epiphan. Bernard. & Luzemb.)

2\. Certum tamen est, Angelos fuisse creatos. Probatur ex fide, quæ docet, omnia, quæ non sunt Deus, facta fuisse à Deo, vt patet Eccles.18. Ioan.1.Rom.11.&c. specialiter autem de Angelis constat ex Psal.148. vbi postquam Angelos & alias creaturas Dauid rex inuitauit ad laudandum Deum, pariter de illis omnibus subiunxit. *Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Quo testimonio id probant Athanasius quæst. 1. ad Antiochum, Chrysostomus homil.de ieiunio,& Augustinus lib.11.de Ciuit. cap.9. Rursus Dan.3.cùm dictum esset. *Benedicite omnia opera Domini Domino*, in his Dei operibus Angeli posteà numerantur illis verbis. *Benedicite Angeli Domini Domino.* Et ad Coloss.1. dicitur. *In ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Idem probat D. Gregorius lib. 32. Moralium cap.9. ex illo Iob.40. *Ecce Behemot, quem feci tecum.* Deinum in Symbolo Niceno credimus, *Deum creatorem cæli, & terræ visibilium omnium, & inuisibilium.* Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. definitur, *Deus ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem.*

(Athanas. Chrysost. August. Daniel. 3. Coloss. 1. Gregor. Iob. 40. Concil. Lat.)

3\. Probatur secundò ratione, quia rationibus naturalibus demonstratur ens increatum, & à se non posse dari nisi vnicum, vt diximus lib. 1. disput.18.cap.7. Ergo quidquid est in rebus distinctum ab illo vnico ente à se, non potest existere nisi per efficientiam talis entis à se. Rursus eo modo, quo possunt Angeli ex effectibus inuestigari, cognoscuntur certè non vt existentes à se, sed à prima causa, quæ totum vniuersum produxit: nam motus cælorum, qui maximè manifestat intelligentias separatas, eadem certitudine, vel coniecturis indicat eas, vt subordinatas, ac subinde vt productas ab eodem vniuersi creatore: nam intelligentia mouens cælum, ita mouet, sicut ad bonum expedit vniuersi, & propter hunc finem in ea motione iugiter, & sine variatione perseuerat: ergo signum est ab eodem conditore fuisse ad finem istum procreatum, & ad hoc munus destinatum, quem discursum indicat Aristoteles 12.Metaphys. text. 36. Quare sic sensisse Aristotelem indicat S.Thomas in 2. dist.1.quæst.1.& lib.8. Physic.& 12.Metaphys. probantque ex professo Soncinas 12.Metaphys. quæst.16. Iauellus quæst.28. Caietanus de ente, & essentia cap.5. quæst. 10. Vbi nihilominus directè contendit, hanc fuisse sententiam Auerrois. Auicenna quoque lib.9. Metaphys. cap.4. docet expressè, manasse cunctas intelligentias à Deo saltem mediatè, licèt erraurit dicens primam immediatè manasse à Deo, secundam à prima, & ceteras eodem ordine; quod alibi reprobatur.

(Aristot. S.Thom. Soncinas. Iauellus. Caietan. Auicenna.)

Dubitatur secundò. Vtrum Angeli creati sint ab æterno. Veteres Philosophi, & cum illis Aristoteles 8. Physic. cap. 1. lib.1. de cælo cap.19. lib. 10. Metaphys. cap. 6. dum aiunt, extitisse mundum ab æterno, pariter existimarunt, Angelos ab æterno conditos fuisse; quod iuuare videtur Basilius hom.1. Exameron, dicens credi posse aliquid ante huius mundi constitutionem fuisse productum, quod explicans subdit. *Erat quidam status mundi generatione superior, abstractis illis à concretione materiæ potentius mundo præstantioribus pro decoro accommodatus temporis etiam conditione anterior, æternus nimirum, ac perpes.* 4

(Basilius.)

De fide tamen constat, nec Angelos, nec creaturam aliam fuisse productam ab æterno. Probatur Prou. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Vbi apertè dicitur Deum, diuinamque sapientiam extitisse, antequam aliquid crearet, & consequenter etiam ante Angelos: nam illi etiam sunt aliquid factum. Consonant eiusdem sapientiæ verba Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Id est, antequam quidquam crearet. Similiter cùm Christus Ioan. 17. dicit se habuisse claritatem apud Patrem *priusquam mundus fieret*, & Apostolus ad Ephes.1. dicit. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, nomine mundi comprehenduntur Angeli: nam ad vniuersi constitutionem, & complementum pertinent. Demùm in Lateranensi cap. *Firmiter*, dicitur vnus solus esse Deus verus æternus, qui sua omnipotenti virtute in principio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem. 5.

(Prouerb. 8. Eccles. 24. Ioan. 17. Ephes. 1.)

Ratio à priori sola est voluntas Dei nobis sufficienter reuelata: Cùm enim potuerit Deus Angelos ab æterno creare, vt ostendimus lib.8. Physic. quod non ab æterno, sed in tempore crearit, ex sola pronenit voluntate creatoris. Congruentia verò reddi potest, quoniam vt Dei excellentia, & eminentia super omnem creaturam manifestaretur, & euidentiùs constaret, quàm liberè se communicarit ad extrà, conueniens fuit, Angelorum productionem non esse æternam, sed infinito interuallo à diuina duratione distare. 6.

Basilius in contrarium adductus solùm intendit Angelos ante mundum corporeum fuisse creatos, æternum autem vocat statum illum non à parte ante, sed à parte post; expenditque Suarius non dixisse Basilium fuisse viuere ante tempus, sed dixisse *anteriorem temporis conditione fuisse*, quasi diceret, statum spiritualium creaturarum, ideo duratione tempus hoc materiale præcessisse, quia in conditione quoque naturali est illi superior. Vasquius 1.part.disp.224.num.4. censet, 7.

(Vasquez.)

Basilius. cesset Basiliũ solùm docuisse, Angelos fuisse creatos ante motum cœli, quem appellamus tempus.

8. Dubitatur tertiò. An Angeli creati fuerint ante mundum corporeum? licèt enim Gennadius & Rupertus significent, Angelos post aliqua saltem corpora fuisse creatos, conueniunt tamen ceteri Doctores, mundum istum corporeum nec per momentum sine Angelis fuisse. Sic Behemot, id est, Dæmon, seu Lucifer Iob 40. *dicitur initium viarum Domini*, quia vel ipse ante omnia, vel saltem nihil ante ipsum creatum est, itaquippe de creationis initio communiter capitur locus iste, & optimè de temporis, seu durationis initio exponit S. Thomas ibi.

9. Origenes. Prima sententia docet Angelos fuisse creatos ante cælum, & terram. Sic ex Græcis tradit Origenes hom. 4. in Isaiam, vbi confusè dicit, fuisse quædam ante mundum: at tractatu 9. in Matth. circa finem apertè docet *Angelos esse antiquiores non solùm homine postea creato propter eum creata.* Vnde quod in prœmio Periarchon in fine dixit, non constare, quando Angeli creati sint, intelligi potest, quia non constat, quanto fuerint anteriores mundo, clarius docuit Basilius suprà, & homil. 2. Basilius. Hexameron in medio, vbi sub côditione loquitur dicens, quòd si Angeli fuerint ante hũc mundum, non fuerunt in tenebris, sed in diuina, & spirituali Anast. Syn. luce. Basilius refert & sequitur Anastasius Sinayta Nazian. lib. 1. Hexamerõ in principio. Consentit Nazianzenus oratione Panegyrica in Natale Domini, quæ est 38. ante mediũ §. *Sic nimirum*, & sequenti. Nicetas ibidem, & in orat. 39. ad illa verba, *At verò nobis*. Idem Nazianzenus orat. 42. §. Quoniam autem repetit, quæ dixerat orat. 38. sententiam verò Nazianzeni veriorem existimat Damasc. Damascenus lib. 2. cap. 5. in eadem sententia videtur fuisse Chrysostomus lib. 1. de prouidẽtia dicens. *Post Angelorum creationem fecit* (scilicet Deus) *hominem, mundúmque omnem.* Et idem indicat hom. 22. in Gen. quatenus non solùm ait, peccasse Angelos antequam homo conderetur, sed etiam quod *Diabolus, & eius cohors olima gloria illa exciderant, & ignominiosi facti erant*, per quem loquendi modum magnam antecessionem indicat. eandem sententiam tenuit B. Maximus in Centuriis Theologicis, quem refert, & sequitur Ioannes Ioan. Cypar. Cyparissiotus decade 8. rerum Theologicarum c. 3. & 4. tanquè cõmunis fuit inter Græcos hæc Cassian. doctrina, vt Cassianus collat. 8. c. referat ex Abbate Sereno, neminem fidelium dubitare ante côditionem huius visibilis creaturæ spirituales, cælestésque virtutes beneficio creatoris ex nihilo fuisse productas; quibus verbis videtur inductus S. Thomas, vt in hac q. 61. art. 3. ad 1. fateretur Græcos omnes concorditer sentire, Angelos ante mundum corporeum fuisse creatos. Accedit Moses. Moses Episcopus Syrus in commentariis de Paradiso p. 2. c. 7. quamuis dicat Syros contrarium tenuisse negando Angelos ante mundũ corporeũ extitisse.

10. Clem. Rom. Ex Latinis Patribus significat Clemens Romanus lib. 8. Constitutionum c. 12. dicens, *Deus, qui ante omnia Seraphim, & Cherubim fecisti sæcula, & exercitus, Virtutésque & Potestates, Principatus, & Thronos, Archangelos, & Angelos, & qui fabricatus es post hæc omnia hunc mundum, qui cernitur, & omnia, quæ in eo continentur.* Expressiùs Ambrosius Ambros. lib. 1. Hexam. cap. 5. dicens. *Factus est mundus, & cæpit esse, qui non erat; sed Angeli, etsi aliquando esse cæperint, erant tamen quando hic mundus est factus.* Et præfatione in Psalmos ait. *Laudant Angeli Dominum, & ante ipsum mundi initium Cherubim & Seraphim cum suauitate canora vocis dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Hilarius lib. 12. Hilarius. de Trinit. post medium, & lib. contra Auxentium Arrianum inquit, *Angelorum origo terræ creatione reperitur antiquior*, Hieronymus in epistolam ad Hieron. Titum c. 1. ad illa verba, *Ante tempora sæcularia*, inquit, *sex millia nondum nostri temporis complentur annorum, & quanta tempora, quantásque sæculorum origines arbitrandum est fuisse, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæterique ordines Deo seruierunt.* Beda lib. separatarum quæstionum q. 9. Beda. ait. *Angeli ante creationem mundi creati sunt, & ante omnem creationem Angelorum Diabolus est conditus*; Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 11. Isidor. & 12. sententia 4. inquit. Ante omnem creaturam mundi creati sunt Angeli. Gregorius lib. 28. Moralium cap. 7. dicit. *Prima in tempore condita est natura rationalium spirituum.* Gregorius.

Probatur primò ex Scriptura Iob 38. *Vbi eras, quando ponebant fundamenta terræ*, & infrà, *cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei*, id est, Angeli, vt habet alia littera, quem locum exponunt Patres de sanctis Angelis, qui dum fabricabat Deus hunc visibilem mundum, laudabant artificem, iubilabantque diuinæ sapientiæ & omnipotentiæ: ergo antequam iacerentur prima fundamenta terræ, fuerant Angeli procreati. Secundus locus Scripturæ sit Iob. 40. vbi de Behemot dicitur, *ipse est principiũ viarum Dei*, id est creaturarum: ergo Lucifer, qui posteà per peccatum factus est Behemot, fuit principium creaturarum, ac subinde creatus ante mundum corporeum, & eadem est ratio de cæteris Angelis: totus enim illorum exercitus à capite nominatus est. Tertius locus est Ecclesiast. 1. *Prior omnium creaturarũ est sapientia*, quod intelligi nequit de Filio, cùm sit sapientia increata: ergo capiendum est de Angelis, qui fuerint ante ceteras creaturas producti. Quartus locus est ad Tit. & 2. ad Timot. 1. vbi docet Apostolus Deum promisisse, donasseque nobis gratiam in Christo IESV *ante tempora sæcularia*. Fuit ergo sæculum non sæculare, nimirum Angelorum æuum ante sæcula huius mundi, in quo æuo Deus Angelis promisit gratiã per Christum hominibus communicandam. 11. Iob. 38. Iob. 40. Ecclesi. 1.

12. Probatur secundò ratione, qua Cassianus vtitur suprà, quia non est credendum, Deum tot sæculis ante creationem naturæ corporeæ fuisse otiosum: ergo fateri debemus, Deum suam bonitatẽ communicasse spiritualibus creaturis, antequam corporeas produceret. Confirmatur primò, quia congruũ videtur, vt sicut Angeli præcedũt dignitate res corporeas, sic etiam antecederent duratione. Confirmatur 2. quia si Angeli creati fuissent cum mundo corporeo, mentionem aliquam illorum creationis fecisset Moyses; atqui nullam mentionem ipsorum fecit, cum de creatione mundi corporei loqueretur: ergo non fuerunt Angeli cum mundo isto creati.

13. Secunda sententia communior, & verior docet, Angelos non fuisse creatos ante mundum corporeum, sed simul duratione cum ipso, videlicet in illo momento, de quo dicitur, *in principio creauit Deus cælum, & terram.* Tenent S. Thomas in hac quæst. 61. artic. 2. vbi Caietanus, & omnes Moderni. Item Scholastici cum Magistro in 2. dist. 2. Alensis, Altisiodorẽsis, & alij. Ex Patribus Græcis tradidẽrunt Epiphanius hæresi 65. dicens, *Cum cælo, & terra simul Angeli facti sunt*, & infrà, Magister. Alensis Altisiodor. Epiphan.

clarè indicat Scriptura, quòd nec post sydera facti sunt Angeli, nec ante cælum, & terram, cùm palam intransmutabile sit verbum hoc, quod ante cælum & Theodoret. *terram nihil erat ex creatis.* Theodoretus quæst. 3. in Genes. Procopius præfatione in Genes. vtramque sententiam referens istam profert, dicitque Moysem nomine cæli comprehendisse Angelos, cùm dixit. *In principio creauit Deus cælum, & terram,* quasi continens ponatur pro contento.

14. August. Gregor. Ex Latinis primùm Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 6. 9. & 33. & lib. 22. contra Faustum cap. 10. & de Genes. ad litteram cap. 8. Gregorius lib. 32. Moralium cap. 9. aliàs 10. dicit Deum simul spiritualia, & corporalia condidisse; idem significat in cap. 18. alias 24. & lib. 27. cap. 24. aliàs 25. Exponens illa verba Ioh 27. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos,* per cælos intelligit Angelos, & addit, Moysem etiam Genes. 1. per Beda. cælum Angelos intellexisse. Beda tom. 4. in Hexam. dicens Angelos in principio cum cælo, & terra cōditos esse, notat ideò Moysem dixisse, terram tūc fuisse inanem, & vacuam, quia fructibus, & habitatoribus carebat; non verò dixisse cælum fuisse vacuum, *quia mox creatum suis incolis, hoc est beatissimis Angelorum spiritibus repletum est,* & lib. quæstionum in Gen. tom. 8. ait. *In ipso quidem principio conditionis facta sunt cælum & terra, An-* Hugo Vict. *geli, aer, & aqua.* Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 1. cap. 5. & p. 3. per quinque prima capita latè confirmat sententiam istam.

15. Gen. 1. August. Probatur primò ex Genes. 1. in principio creauit Deus cælum, & terram, quod testimonium sic inducit Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 6. *Si litera sacra, maximéque veraces ita dicunt, in principio fecisse Deum cælum, & terram, vt nihil anteà fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur. Si quid fecisset ante cetera cuncta, quæ fecit, procul dubio, non est factus mundus in tempore, sed cum tempore,* & virtualiter deducit, nihil anteà fuisse factum; licèt enim illa particula *in principio* multas habeat explicationes, principaliter tamen capitur de principio rerum creatarum, id est, ante omnia, vt Augustinus, & Epiphanius argumentantur; verisimiléque fit, Moysem non omninò prætermisisse rerum spiritualium creationem, sed illam sub cælis comprehendisse, vt dicūt Procopius, & Gregorius suprà relati, quia cum in illo libro, & sequentibus sæpiùs Angelorum mentionem facturus esset, oportebat eos aliquo modo sub mundi creatione comprehendere, ne putarentur esse res increatæ. Confirmatur ex Eccles. 18. Gregor. S. Thom. Eccles. 18. *Qui viuit in æternū, creauit omnia simul.* vbi de simultate durationis capiūt Gregorius 32. Moral. cap. & S. Thomas 1. p. q. 74. art. 2. ad 2. vel quia omnia, quæ per propriam creationem fiunt per se, id est, non ad complemētum alterius, simul facta sunt in illo primo instanti. Quare cùm Angeli propriissimè creentur, tunc etiam erunt producti. Vel quia virtualiter omnia dicuntur creata fuisse simul, quatenùs simul facti sunt cæli, terra, & aqua, ex quibus cetera dimanarunt aliquo modo: Et quia res spirituales non fiunt aliæ ex aliis, non habet in illis locum ista virtualis simultas, sed formaliter intelligenda est de omnibus Angelis siue genere, siue specie distinctis, ita vt omnes, & singuli simul cum mundo corporeo creati sint.

16. Gen. 2. Accedit quòd Genes. 2. dicitur. *Requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere suo, quod patrarat.* Fit ergo vt sex præcedentibus diebus vniuersa opera sua patrarit, ac subinde vt Angelos etiam illis diebus cōdiderit, vt infert Augustinus lib. 11. August. de Ciuit. cap. 9. Demùm Apostolus ad Coloss. 1. dicit. *In ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes,* &c. Vbi inter illa, quæ condita sunt in cælis, numerat Angelorum choros: ergo conditi sunt in cælo, ac subinde non ante cælum, vel mundum corporeum.

Probatur secundò, ex Lateranensi in c. *Firmi-* 17.
Conc. Lat. *ter* dicente de Deo, *Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corpoream, Angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam,* &c. per quæ verba non solùm prædictam veritatem docere, sed etiam supradicta Scripturæ testimonia in dicto sensu videtur interpretari. Nam cùm priùs dicat, *simul*; & post modum addat, *deinde humanam*, indicat sanè particulam *simul* excludere successionem, & opponi voci *deinde*: dicendo verò *ab initio temporis* significat sic esse capiendum locum Genesis, & in illo initio Angelos fuisse creatos.

Ratione probat Theodoretus, primò, quia si 18.
Angeli crearentur ante cælum, non haberent loca, in quibus reciperentur; quasi egeant Angeli loco corporali ad existendum, aut sine illo esse non possint. Probat secundò, quia si Angeli crearentur ante corpora, non essent administratorij spiritus, vt inquit Paulus, cùm nondum existerent res corporeæ, quas administrarent. Sed hæc secunda probatio non est minùs inualida, quàm prima, quoniam actuale ministerium non pertinet ad naturam Angelorum, sed ad munus ipsorum, quod potuerit posteà demandari; sicut etiam creati sunt ante hominem, cuius curam posteà susceperunt. Possunt verò dici administratores aptitudine, quatenùs sunt intellectuales, Deo subditi, aptique ad curandas res inferiores, quo sensu dixit Chrysostomus homil. 8. in Gen. Chrysost. omnes Angelos esse ministros, & homil. 28. in Matth. addit, hanc esse proprietatem Angelicæ naturæ, scilicet aptitudine.

Meliùs probat S. Thomas, quia Deus crea- 19.
uit hoc vniuersum per modum vnius perfecti artificij constantis ex variis partibus, hoc autem vniuersum, vt perfectum sit, ex corporalibus, & spiritualibus rebus constare debet: ergo Deus vtrasque produxit, vt partes vniuersi, quare non produxit vnam partem ante aliam, sed simul vniuersum perfectum ex vtraque constitutum: Et hæc est ratio quasi à priori ex parte motiui, vel intentionis diuinæ. A posteriori probatur, quia si Angeli creati sunt ante mundum corporeum, aut multis antè sæculis, aut breui antè spatio sunt producti. Hoc posterius sine fundamento diceretur: cur enim paulò ante crearentur, qui cum vniuerso corporeo creari possent? Vel, qua ratione id poterit persuaderi? si multis ante sæculis dicantur producti, vt dixerunt Hieronymus, & Cassianus, innuitque Basilius, aut peccarunt antequam fieret orbis, aut postquam creatus est mundus corporeus. Hoc posterius dici non potest, quia sequeretur per multa sæcula malos Angelos in gratia Dei perseuerasse, quod non fit credibile: magis enim est rationi consentaneum viam Angelorum breuiori spatio finiri, quàm hominum: cùm Angeli promptiores sint in operatione, quàm homines.

Nec item dici potest, Angelos peccasse, prius- 20.
quàm mundus corporeus crearetur, quia statim

ac

ac Angeli peccarunt, Michaël & Angeli boni præliabantur in cælo cum Lucifero, vt dicitur Apoc. 12. Sic enim plures Scholastici exponunt prælium illud, donec Angeli mali pulsi fuerunt de cælis ad inferum: Sic Luc. 10. dixit Christus Dominus. *Videbam Satanam, quasi fulgur de cælo cadentem*, quem locum de Angelorum ruina, cùm peccarunt, & de cælo corporeo, à quo ceciderunt exponit Hieronymus Isai. 3. in principio; estque communis sententia Patrum, Angelos statim ac peccarunt, cecidisse de cælo. Ita Cyprianus de cardinalibus Christi operibus, cap. de ieiunio, & tentat. Christi. Gregorius 22. Moral. cap. 4. aliàs 7. Origenes lib. 1. Periarch. cap. 5. Prosper in lib. de dimidio temporis cap. 3. Theodoretus lib. 5. hæreticarum fabularum cap. de Diabolo. Fauet Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 10. dicens de Diabolo. *Mox vt creatus est, in superbiam erupit, & præcipitatus est de cælo*, locus, in quem detrusi sunt significatur 2. Petr. cap. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, quod aliis verbis dixit Iudas, Vinculis æternis sub caligine reseruauit. Vbi corporalem locum tormentorum in hoc inferiori mundo constitutum Patres intelligunt, pœna verò declaratur Matth. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Vnde constat statim punitos fuisse pœna ignis; immò innuit Christus à principio fuisse paratum ignem illum pro his, qui peccarent. Sic exponit Augustinus loca ista lib. 11. de Ciuit. cap. 33. & lib. 21. cap. 23. dicens peccasse Angelos, & in mundi huius ima fuisse detrusos: ergo quando Angeli peccarunt, iam erant cælum, infernus, & ignis, & consequenter non fuerunt ante mundum istum creati, siquidem paulò post creationem peccarunt.

Hieron. Cyprian. Gregorius. Origenes. Prosper. Theodoret. Isidorus. 2. Petr. 2. Matth. 25. August.

21. Quod etiam tenet in Angelis bonis; tum quia simul omnes creati sunt, nec est probabilis ratio ponendi successionem inter illos in productione; tum quia primus Angelus inter peccantes creditur fuisse primus, & perfectissimus in natura inter omnes creatos, quare si fuissent alij ante alios producti, non esset verisimile quempiam alium fuisse productum ante primum Angelum peccantem; siquidem iste dicitur *initium viarum Dei* Iob 40. tum denique quia dum mali Angeli peccarunt, iam existebant boni, siquidem illis restiterunt, & bellum intulerunt iuxta suprà dicta. Ex Patribus in oppositum adductis Gregorius potiùs est pro nobis, vt vidimus, dum autem dicit, primam in tempore conditam fuisse naturam Angelorum, vocat primam vel dignitate, vel negatiuè, quia nulla prior creata est. Eodem modo tempore ipsos exponunt Isidorus, & Beda, cùm aiunt Angelos fuisse priùs creatos ordine prælationis, non temporis quãtitate; vnde potiùs nostræ sententiæ fauent. Chrysostomus forsan solùm intendit Angelos creatos fuisse, ac peccasse, priùs quàm homo conderetur, & mundus perficeretur.

Iob. 40.

22. Ad primum primæ sententiæ respondetur probari satis inde, creatos fuisse Angelos simul cum mundo corporeo, non verò ante ipsum: nam ad hoc vt laudarent Deum in prima rerum molitione, satis est vt simul cum orbe fuerint creati, quippe laudatio fieri potest in instanti. Quare sicut verè dicitur sol illuminasse, quando productus fuit, ita etiam est verum Angelos laudasse Deum, quando creata sunt cælum & terra; quin ob suam ipsorum creationem laudauerunt Deum. In secundo loco Lucifer dicitur initium viarum Dei ordine durationis, & dignitatis simul, ita vt respectu durationis dicatur principium negatiuè, quatenùs nihil ante illum fuit productum; & ordine dignitatis dicatur positiuè, quatenùs cæteris creaturis antecellit, vt explicat Gregorius 32. Moral. cap. 18. aliàs 24. Gregor. In tertio loco, licèt sapientia Angelorum dici posset creata priùs in sensu proximè dicto, tamen ibi fit sermo de sapientia diuina personali, quæ generatur ab æterno: nam creari sæpè sumitur pro produci. In quarto loco illa promissio, vel donatio significat æternam Dei promissionem, sed decretum, quod propter suam firmitatem, & certitudinem vim promissionis, vel donationis habere censetur, ita exponunt ibi Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, & Augustinus 12. de Ciuitat. cap. 16. Æterna verò prædestinatio seu promissio, quatenùs decreta in mente diuina, non supponit creatam rem, cui benè facere decernit, vel cui promissionem huiusmodi manifestet.

Ad secundum respondetur cum Augustino lib. 11. de Ciuitat. cap. 5. in primis eadem ratione probari posse ante productionem Angelorum infinitos mundos à Deo fuisse productos, vt dicebat Epicurus, ne Deus esset otiosus per infinita illa sæcula imaginaria. Deinde Deo nihil accedere perfectionis ex eo quod extra se aliquid operetur, & consequenter nihil deesse perfectionis, dum nihil operatur, ac subinde parum referre per infinitam durationem nihil extra se produxisse. Ad primam confirmationem respondetur, si quidquam probaret, probaturam etiam hominem conditum esse ante ceteras res corporeas, quod tamen constat esse falsum: pulcritudo autem vniuersi postulabat, vt omnia simul conderentur, nisi Deus sua sapientia, & arbitrio elegisset res corporeas sex primis diebus fabricare propter rationes meliùs sibi, quàm nobis perspectas. 23. Augustinus

Ad secundam confirmationem Athanasius & Theodoretus quæst. 2. in Gen. dicunt, Angelorum creationem fuisse prætermissam à Moyse, ne populus ille nimium ad idololatriam propensus Angelos tanquam Deos adoraret. Vasquius existimat eadem ratione debuisse Moysem nusquam Angelorum mentionem facere, cùm tamen sæpiùs de illis loquatur, ac subinde reddit rationem aliam ex Hieronymo epistola 139. scilicet, quia solùm voluit Moyses ordinem creationis rerum corporalium describere: solùm enim in corporibus creandis fuit illa series, & varietas dierum, quæ requirebat explicationem; Angelos verò fuisse productos à Deo satis constabat. Augustinus, & Beda putarunt creationem Angelorum non fuisse prætermissam à Moyse, sed illam significasse nomine lucis; verosimilius tamen sit nomine cæli fuisse comprehensam, vt suprà notabamus. 24. Athanas. Theodoret. Hieronym.

25. Sed dubitatur quartò, an sententia ponens Angelorum creationem ante mundum corporeum sit aliqua nota digna? Ferrara 2. contra Gent. cap. 83. §. *Sed circa hoc*, existimat prædictam sententiam fuisse damnatam in Concilio Lateranensi, & oppositam planè definitam, ita vt iam sine peccato hæresis defendi non possit. Alij Theologi putant ex Scriptura manifestè cõfutari. Molina suprà damnat erroris; tum quia testimonia Scripturæ, Ferrara.

quibus ostenditur Angelos simul cum mundo corporeo fuisse conditos, (si rectè perpendantur) sufficientissima videntur, vt Ecclesia id definiuet, tum quia Lateranense damnat errorem Origenis ex eo capite quòd Angeli nō fuerint conditi ante mundum corporeum. Vnde per accidens effectum est, vt sententia Nazianzeni error esset in fide. Valentia tom. 1. disp. 4. punct. 2. Bannes 1. p. quæst. 61. art. 3. Suarius lib. 1. de Angelis cap. 3. solum dicunt esse temerariam, quia contradicit communi Doctorum consensui.

Valentia. Bannes. Suarius.

26\. Ceterùm Vasquius ea disp. 224. cap. 2. 3. & 4. contendit præfatam sententiam nulla nota dignam esse, nec dum temeritatis nomine fore censendam, quia nec in Scriptura, nec ab Ecclesia damnatur, imò addit, nec potuisse ab Ecclesia oppositum definiri, quoniam vt Ecclesia, vel Concilium Lateranense definiret hanc veritatem niti deberet, vel Scriptura, vel traditione, vel ratione petita ex Fidei principiis: nullo autem istorum niti potuit, quia loca Scripturæ suprà relata habent alios probabiles sensus; traditio per communem Patrum consensum deriuatur, & in hac controuersia Patres non consentiunt, imò Cassianus dixit nullum fidelium de sua sententia dubitare; atque Augustinus lib. de Incarnatione Verbi c. 6. (si tamen ipse author est eius libri) fatetur tem esse incertam, & lib. imperfecto super Gen. cap. 3. dicit, coniecturis impenetrabilem esse lib. 11. de Ciuit. cap. 32. postquam nostram sententiam docuit, addidit; Si quis aliter sentiat, non esse cum illo contendendum, dummodo Angelos Deo coæternos esse nō dicat. Theodoretus etiam subiungit; *concesso Angelos habuisse initium, si quis dixerit anteà fuisse, non offendet verbum pietatis.* Ratio denique non apparet ex Scriptura, vel traditione firmiter deducta, quæ posset Ecclesiam ad definiendam nostram sententiam inducere.

Vasquez. Concil. Lat. August.

27\. Videtur mihi dicendum esse primò, sententiam illam non esse hæreticam, nec erroneam, ita Caietanus in hac quæst. 61, art. 3. Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothecæ annotat. 5. Valentia, Bannes, Suarius, Vasquius, & communiter Theologi, quod tandem concedit Molina dicens, propter authoritatem quamplurium Doctorū negantium talem sententiam esse erroneam, condemnandum non esse vel hæresis, vel erroris illum, qui asseruerit, Angelos ante mūdum corporeum fuisse creatos. Sic planè sentit S. Thomas in hac q. 61. art. 3. qui postquam docuit nostram sententiam, addit. *Quamuis contrarium non sit reputandum erroneum, præsertim propter sententiam Gregorij Nazianzeni, cuius tanta est in doctrina Christiana authoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit.*

Caietan. Sixt. Senensis & alij. S. Thom.

28\. Probatur primò: nam Scriptura loquitur apertè, quia Genes. 1. particula *in principio* varias habet, & probabiles explicationes, nec est omninò certum significare principium ordinis respectu creaturarum omnium, sed aliqui censent significare initium temporis, quod in motu corporeo consistit, ac si dicat initio temporis creauit Deus cælum, & terram, cùm anteà tale tempus non extiterit. Ecclesiast. 18. Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 28. intelligit creasse Deum res omnes simul, non in propriis ipsarum naturis, sed in suamet sapientia, vt deinceps illas omnes ad extra produceret. Iansenius ibi fatetur illa particula *simul* posse rectè significari collectionem, seu communitatem: nam vox Græca nostræ correspondens hoc significat, & verò posset *pariter*, quasi dicat, Deus creauit omnia nulla re præter ipsum excepta, in quo sensu dicitur etiam Psal. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*, & Psal. 48. *Simul insipiens, & stultus peribunt.* Cetera loca minùs vrgent: non enim exprimunt Angelos simul duratione cum mundo corporeo fuisse factos.

Rupert. Iansenius.

Circa Concilium Lateranense multi multa dicunt; sed quidquid sit, an potuerit Ecclesia veritatem istam definire, de facto non videtur illam definisse, licèt per particulam *simul*, non solùm collectionem, vt contendit Vasquius, sed etiam durationis simultatem significaret. Quod enim ex instituto ibi definitur, solum est, vtramque creaturam fuisse productam à Deo ex tempore; & quidem ita vt creatura corporalis non fuerit creata quasi per accidens in ergastulum, & punitionem aliquorum spirituum, sicut existimauit Origenes, sed per se ad constitutionem vniuersi, siquidem hoc per se se coalescit ex corporalibus, & spiritualibus creaturis; Obiter autē insinuat Concilium simul fuisse conditam vtramque creaturam, quoniam ita docet communior, & verior sententia: Quòd autem in Conciliis sic obiter asseritur, non propterea definitur quasi certum de fide, sed id, quod ex instituto decernitur aduersus aliquos errores contrarios, vt rectè tradunt Caietanus, & Valentia suprà, Suarius, & alij. Et quidem decretalem illam sic exponit S. Thomas in opusc. 23. licèt ibi fauere sibi putet Molina; sic etiam recepit communis sensus Ecclesiæ. 29.

Dicendum est secundò præfatam Antiquorum sententiam iam nunc sine temeritatis nota defendi non posse. Sic Molina suprà §. *Verum nunc*, Valentia, Bannes, Suarius, & alij Moderni communiter; tum quia iam communis Doctorum consensus oppositum tradit vnanimiter; tum etiam quia Concilium Lateranense licèt veritatem istam non definierit expressè, tamen amplectitur illam, vt doctrinam communem Ecclesiæ, cui certè contradicere non careat nota temeritatis, cùm præsertim accesserit posteà concors sententia Scholasticorum, & posteriorum Patrum. Nec per hoc Antiquioribus fit iniuria: nam illis temporibus res erat magis controuersa, minusque patefacta, & potest vno tempore propositio quædam non esse temeraria, posteaque temeraria censeri, succedēte vel Ecclesiæ auctoritate, vel communi Doctorum conspiratione, vel potius vtroq; simul. 30. Molina.

CAPVT II.

Vbi fuerint Angeli creati.

PRima sententia docet Angelos in aëris regione fuisse creatos, deinde per gratiam fuisse translatos ad cælū, vnde mali per peccatum ceciderunt. Ita Rupertus lib. 1. in Genes. cap. 11. quem sequitur Eugubinus lib. 7. de perenni Philosophia c. 38. Ducuntur primò, quia putant Angelis indita fuisse corpora ex aëre formata, quare conueniens fuerit in aëris regione formari corpus, & Angelum ibi produci. Secundò, quia putant Adamum fuisse creatum extra paradisum, & posteà translatum illuc: ergo similiter Angeli fuerunt extra cælum producti, & posteà translati ad cælum. 1.

Rupert. Eugubinus.

Secunda sententia distinguit: nam Angelos bonos in cælo, malos in aëre credit productos; quam 2.

August. quam existimationem refert Augustinus lib. 3. de Genes. ad litteram, & improbat, sed tantùm sub conditione dicit, si ita est, intelligendum id esse de suprema regione aeris, ad quam exhalationes terræ non ascendunt, & quæ nomine cæli significatur in Scriptura; consequentérque dicendum esse, malos Angelos ab illa regione fuisse pulsos, & in inferiorem dilapsos. Aliter distinguit tertia sententia dicens Angelos superiores in cælo empyreo fuisse creatos, at inferiores, qui vel motores sunt orbium, vel elementis præsunt in locis inferioribus singulorum propriis fuisse productos, quam doctrinam sustineri posse dicit sanctus Thomas in hac quæst. 61. art. 4. ad 1.

3. Quarta sententia docet Angelos omnes fuisse creatos in cælo sydereo, vel in eo, quod Empyreo proximum est, vnde boni propter merita fuerint ad Empyreum translati, mali verò ad infima deiecti. Sic sensit Lorinus in 2. Petr. 2. & Suarius lib. 1. de Angelis cap. 4. Fauet Hieronymus lib. 6. in Isaiam cap. 14. circa illa verba *In cælum ascendam*, quæ priùs dicit posse referri ad primum Angelorum lapsum, & deinde rogat, *si adhuc in cælo positus, quomodo dicit, ascendam in cælum?* Respondétque, *sed quia legimus cælum cæli Domino, id est, in firmamento, in cælum, vbi solium Domini est, cupiebat ascendere.* Sentit ergo Hieronymus, non peccasse Angelos in Empyreo; quod etiam tradit Innocentius III. super Psalm. 5. pœnitentiæ, circa id; *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* dicens Angelos peccasse in cælis, in quibus sunt sydera, & luminaria. Sed verisimile fit, vbi peccarunt, ibi fuisse creatos, propter breuissimam viæ moram: ergo in cælo sydereo fuerunt creati.

Lorinus. Suarius. Hieronym. Innoc. III.

4. Probatur ex congruentiis: nam ad empyrei cæli dignitatem, & excellentiam pertinet, vt semper fuerit ab omni labe peccati purissimum, quare non debuerunt Angeli ibi creari, vel constitui, dum erant viatores, sed quando iam impeccabiles redditi fruebantur perpetua felicitate: sic enim conuenienter factum esse concipitur, vt Angeli prius locum naturæ suæ contentaneum habitarint, posteà verò suis meritis condignum receperint. Deinum iuxta hanc sententiam cum omni proprietate capiuntur Scripturæ; dum dicunt, & Luciferum appetiisse cælum conscendere, & cecidi[illegible] de [illegible]lo.

5. Quinta communior, & verior sententia est omnes Angelos fuisse creatos in cælo empyreo. Ita communiter Scholastici cum Magistro in 2. distinct. 2. Alensis 2. part. quæst. 19. memb. 3. art. 2. S. Thomas in hac quæst. 61. art. 4. Molina ibi, Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 12. punc. 3. Vasquius 1. part. disp. 225. Glossa in principio Genesis, Hugo Victorinus in summa sententiarum tract. 2. cap. 1. Beda tom. 4. in principio Hexameron, aliique permulti. Probatur primò ex Scriptura Luc. 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem*, quem locum multi capiunt de casu Dæmonis ex empyreo cælo, nimirum Origenes 1. Periarch cap. 5. Ambrosius de fuga sæculi cap. 7. ante medium, Chrysostomus tom. 5. homil. 10. de Pœnitentia ante medium, Gregorius 23. Moral. cap. 6. aliàs 7. Theodoretus lib. 5 hæreticarum fabularum cap. de Diabolo. Prosper lib. de dimidio temporis cap. 3. Bernardu[illegible] [illegible] ad Fratres. Accedit Apocal. 12. prælium Michaelis in cælo cum Dracone, vnde fit Luciferum de cælo cecidisse (scilicet empyreo) per peccatum, ac subinde fuisse commoratum in illo ante peccatum: Ex quo probabiliter colligitur ibi fuisse productum, & licet hæc loca sensus alios probabiles capiant, non minùs certè probabiliter in hoc sensu capiuntur.

Magister. Alens. S. Thom. Molina. Valentia. Vasquius. Glossa. Hugo Vict. Beda. Luc. 10. Origenes. Ambros. Chrysost. Gregor. Theodoret. Prosper. Bernard. Apoc. 12.

Probatur secundò, à sufficienti partium enumeratione ceteras opiniones excludendo: nam in primis iuxta dicta cap. 1. qua ratione debuerunt Angeli simul cum mundo corporeo produci, debuerunt etiam intra mundum produci, tum vt ostenderetur vnitas, & perfectio vniuersi, tum quia cum quodam ordine præsidentiæ, vel causalitatis ad corpora creabantur. Deinde verisimilius est omnes fuisse creatos in eodem loco, siquidem creati sunt per modum vnius Reipub. & corporis mystici, & cum subordinatione inter se; nec inter bonos, & malos Angelos ante commissum peccatum debuit in hoc fieri discretio. Nec item oportuit Angelos, qui præsunt cælis inferioribus, aut elementis, in ipsis creari, quia secundum propriam dignitatem, & naturam creari debuerunt, & postea distribui, quando reciperent ministeria, maximè cum nec motus cælorum, nec formatio elementorum omnium simul cum Angelis incœperit. 6.

Rursùs non debuerunt in aëre creari vel omnes, vel aliqui spiritus, siquidem non habent vlla corpora, vt suprà diximus disput. 1. imò cùm sint nobilissimæ substantiæ, in loco nobilissimo, quale est cælum, erant producendi. Quare Theophylus Alexandrinus in epistola 1. Paschal. circa medium, pro certo statuit Principatus, & Potestates in cælorum regione conditas esse; non potuerunt autem in alio cælo præter empyreum produci, quia iuxta superiùs dicta cap. 1. conditi sunt in eo primo momento, *in quo creauit Deus cælum, & terram.* Genes. 1. sed tunc solùm creauit Deus cælum empyreum, quippe reliquos cælos creauit secunda die, vt latè ostendit Molina de opere sex dierum disp. 2. & 3. ergo in cælo empyreo, & non in alio creati sunt Angeli. 7.

Theophyl. Molina.

Ad primum primæ sententiæ iam constat illud fundamentum esse falsum. Ad secundum, concesso antecedenti negatur consequentia: non enim sic erat connaturaliter proportionatus homini locus paradisi, sicut Angelis nobilissimus locus cælestis. Secunda, & tertia nullo firmo nituntur fundamento. Congruentiæ, seu coniecturæ, quas adducit quarta sententia, reddunt illam probabilem, non tamen cogunt, vt à communiori recedamus: nec enim cælum empyreum contaminatur peccato Dæmonis, nec est improportionatus locus nobilissimorum spirituum; & aliunde documento nobis erit, nullum locum etiam supremum esse securum à lapsu, dum creatura rationalis fuerit in via. Quin ipse Hieronymus videtur etiam nobiscum sentire, dum ait. *Vide ille descendit per superbiam, posse nos ascendere per humilitatem.* Nos verò non contendimus ad firmamentum solum, sed ad empyreum ascendere: ergo inde cecidit Lucifer, ac subinde fuit ibi creatus. 8.



QVÆSTIO LXII. S. Thomæ.

De perfectione Angelorum in esse gratiæ & gloriæ.

VIAM & terminum bonorum Angelorum comprehendit S. Thomas hic. Via quidem omnibus communis fuit, etsi cum diuersis operationibus, quarum merito, vel demerito diuersum exitum sortiti sunt.

ARTIC. I.

Vtrùm Angeli fuerint in sua creatione beati.

PRima conclusio. Creati sunt in beatitudine naturali, scilicet perfectissima cognitione Dei, quam naturaliter possunt habere, quoniam hanc non adquirunt per motum discursiuum (intellige successiuum) sicut homo, sed statim eis adest. Secunda conclusio. Angeli [illegible] non sunt in beatitudine supernaturali, quoniam hæc non est aliquid naturæ, sed naturæ finis.

ARTIC. II.

Vtrùm Angelus indiguerit gratia ad hoc, vt conuerteretur in Deum.

COnclusio affirmat, quia nulla creatura potest habere motum volútatis ordinatum ad beatitudinem supernaturalem, vel ad Deum prout est obiectú talis beatitudinis, nisi moueatur ab agente supernaturali, & hoc dicimus auxilium gratiæ.

ARTIC. III.

Vtrùm Angeli creati sint in gratia.

COnclusio affirmat, quæ condita sunt processu temporis, in prima rerum creatione fuerunt producta secundùm quasdam seminales rationes: sed gratia est semen gloriæ: ergo Angeli creati sunt in gratia, per quã obtinerent gloriam.

ARTIC. IV.

Vtrum Angelus creatus suam beatitudinem meruerit.

COnclusio affirmat, quia quælibet res ad vltimum finem per suam operationem pertingit, quæ operatio, vel est factiua finis, quando hic est connaturalis intendenti, vel est meritoria finis, quando hic est supra naturam intendentis, sicut se habet beatitudo supernaturalis respectu Angelorum.

ARTIC. V.

Vtrùm Angelus statim post vnum actum meriti beatitudinem habuerit.

COnclusio affirmat, quia gratia perficit naturam secundùm modum naturæ: est autem proprium A[illegible]æ [illegible]æ, quod [illegible] perfectionem statim habeat, & non per [illegible].

ARTIC. VI.

Vtrùm Angeli sint consecuti gratiam, & gloriam secundùm quantitatem suorum naturalium.

COnclusio affirmat, quia Deus diuersos gradus Angelicæ perfectionis, ad diuersos gloriæ gradus ordinauit, & euexit, ipsisq; Angeli iuxta mensuram omnem auxilij fuerunt cooperati.

ARTIC. VII.

Vtrùm in Angelis beatis remaneat cognitio, & dilectió naturalis.

COnclusio affirmat, quia gratia non destruit naturam: ergo nec operationes gratiæ tollunt operationes naturæ.

ARTIC. VIII.

Vtrùm Angelus beatus possit peccare.

COnclusio negat, quoniam Angeli beati vident Deum, & visio Dei non sinit voluntatem peccare, de quo lib. 4.

ARTIC. IX.

Vtrùm Angeli beati in beatitudine possint proficere.

COnclusio negat, quoniam oportet quòd aliquid sit determinatum, ad quod creatura rationalis dirigatur, tanquam ad vltimum finem, & in quo quiescat omninò.



DISPVT. XIX.

De Angelorum via.



EST quidem Angelus, sicut homo, capax beatitudinis non solùm naturalis proportionatæ sibi, sed etiam supernaturalis, ad quam donis diuinæ gratiæ possit ordinari. Datur itaque respectu huius huius in Angelis tendentia, quæ dicitur via; datur etiam in bonis terminus, scilicet præmium felicitatis æternũ. Prius agemus de via, Deinde de termino.

CAPVT I.

Vtrùm Angeli viatores fuerint simul beati.

DVbitatur primò, An Angeli fuerint creati 1.
cum beatitudine naturali. Prima senten-
tia affirmat: ita Sanctus Thomas hîc artic. 1. Vbi
omnes Thomistæ Caietanus, Molina, Ban- Caietan.
nez, & ceteri interpretes. Viguerius in Institu- Molina.
tionibus T[illegible] cap. 14. vers. 1 Scotus Bannez.
in 2. dist. 3. quæst. 9. §. *Adquæstionem*, & dist. 4. Viguerius.
quæst. 1. Durandus ibi quæst. 1. Malonius [illegible] Scotus.
dem disp. t. 1. conclus. 1. Consentiunt P[illegible] Durand.
gustinus [illegible] in locis lib. 11 de [illegible] Malon.
August.

cap

cap. 26. & 1[illegible] de Ciuit. cap. 1[illegible]. Vbi dicit, Angelos ita fuisse creatos, *vt statim sapienter, beateque viuerent, licet non statim excellentiam sapientiæ, beateque vitæ acceperint*, quam inferius vocat *plenitudinem beatitudi*[illegible] sentiens cum aliqua beatitudine non ita perfecta, seu completa fuisse creatos. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. ait. *Pars Angelorum, quæ à suo creatore Deo, quo solo beata fuit, voluntaria prorsus auersione discessit, initium suæ damnationis inuenit.* Vbi concedit in malis etiam Angelis aliquam beatitudinem. Similia habet Gennadius de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 59. & sequentibus.

Fulgentius.

2\. Hanc sententiam ita nonnulli Thomistæ defendunt, vt velint Angelos esse necessariò beatos beatitudine naturali, quia Deum actu necessariò contemplantur, & amant, vt authorem, finemque naturæ, nec ab illo possunt auerti, vel naturalem rectitudinem voluntatis amittere, cùm non possint contra legem naturalem peccare. Quare necessariò fuerunt creati, cum tota perfectione sufficienti ad naturalem beatitudinem, & sine imperfectionibus eidem repugnantibus. Imò licèt peccauerint Dæmones contra finem supernaturalem, dicunt nihilominùs retinere, quidquid est perfectionis in beatitudine naturali secundùm se spectata, quia naturalia manent integra post peccatum.

3\. Secunda sententia negat, quam ita Vasquius amplectitur, vt neget Angelum esse secundum suam naturam alicuius naturalis beatitudinis capacem. Probat 1. part. disput. 226. tum quia non potest Angelus solis naturæ viribus diligere Deum super omnia dilectione naturali amicitiæ, seu beneuolentiæ sine speciali dono gratiæ citra donum creationis, tum etiam quia de ratione beatitudinis est perpetua, vel saltem diuturna duratio in possessione summi boni sine metu habendi: Sed Angelus etsi naturaliter cognosceret Deum, & diligeret eundem, posset tamen decidere per peccatum in summam miseriam: ergo non potest naturaliter obtinere veram aliquam beatitudinem.

4\. Ego quoad possibilitatem beatitudinis naturalis amplector partem affirmatiuam, & consequenter censeo, naturam etiam Angelicam naturaliter ordinari tanquam ad suum finem vltimum, & connaturalem felicitatem ad principales mentis operationes, [illegible] licet ad cognitionem, & amorem authoris sui, quia naturalis beatitudo vtramque simul operationem essentialiter requirit, quippe sine rectitudine voluntatis circa finem, vltimum beatitudo esse non potest, sola vero cognitio naturalis Dei per se non sufficeret ad continendam semper voluntatem in officio, præbendamque rectitudinem in omnibus, nisi amor accedat, & rectificet voluntatem. Vnde potuit Angelus in pura natura cum naturali beatitudine creari, si in primo creationis instanti eliceret cognitionem & amorem creatoris; videturque ad diuinam prouidentiam suo modo tali naturæ consentaneam pertinere, post aliquantulam vi[illegible]m designare terminum, in quo per donum aliquod, vel per specialem manutenentiam Angeli confirmarentur in bono, ne possent deficere, vt docet Suarius lib. 3. de Angelis cap. 12.

Suarius.

5\. Quare de facto tenendum est Angelos fuisse creatos cum cognitione [illegible] ac amore naturali Dei iuxta singulorum capacitatem perfectissi[illegible]o. An autem operationes istæ dicendæ sint beatitudo naturalis; necne; quæstio videtur esse de nomine; perpendendo tamen in partem affirmatiuam cum communi Doctorum. Etenim cum non sit in rebus omnibus æqualis perfectio ad beatitudinem exigenda, non est cur dubitemus [illegible]lam vocare beatitudinem naturalem: nam per hoc additum satis significatur non esse summam [illegible] nec omninò perfectam, sed qualem natura creata connaturaliter potest postulare quæ quidem beatitudo in via non requirit firmitatem, vel omnimodam securitatem; imò licèt in termino naturæ puræ foret stabilis, hoc esset donum superadditum, sed intra ordinem naturæ, ideoque absolutè diceretur beatitudo naturalis.

6\. Itaque defendimus primam sententiam prout à S. Thoma, & ab illis Patribus traditur; Thomistæ verò, quorum memini num. 2. multa falsa supponunt: iam enim disput. 17. diximus Angelum posse peccare contra legem naturalem, nec amare Deum necessariò. Falsum etiam est in Dæmonibus manere beatitudinem naturalem, quoad omnem positiuam perfectionem illius: non enim amant Deum amicabiliter, imò maximo quidem odio prosequuntur, atqui sine dilectione Dei non stat essentialiter beatitudo naturalis: Et quando dicuntur naturalia mansisse integra in Dæmonibus, sensus est de integritate quoad essentiam, & potentias, non quoad omnes actus ordinis naturalis, nec quoad naturalem rectitudinem, quæ pendet ab illis: cùm enim voluntas Dæmonum maneat auersa per peccatum à Deo, potiùs est summè misera quàm beata.

7\. Ad primum fundamentum secundæ sententiæ dicimus, eo ipso quod Angelus habet intellectum, & voluntatem potentes tendere naturaliter in Deum, deberi quidem ipsi auxilia sufficientia per quæ posset talem beatitudinem adipisci, sed non obtineret de facto sine aliqua gratia speciali vocationis, aut excitationis congruæ ad actus illos naturales prærequisitæ: nam ordinari ad finem naturalem per principia, vel media sufficientia ex vi creationis, & conseruationis est debitum Angelicæ naturæ at ordinari per media congrua ad efficacem tendentiam in illum, est speciale donum, & gratuitum; tamen tota illa gratia maneret intra ordinem naturæ, ac subinde naturalis quoad substantiam. Quare de facto dicere possumus cum S. Thoma, & aliis, Angelos fuisse creatos in beatitudine naturali, quia creati sunt cum illo naturali bono, ac perfectione, quæ in ordine naturali est vltimum bonum, & vltimus finis Angelicæ naturæ, quamuis in illis non habuerit rationem beatitudinis completæ, vel etiam simpliciter dictæ, eo quòd natura Angelorum non complacuerit, nec quieuerit in illo bono, tanquam in summo bono propter se, & non propter aliud diligibili: nam illustrati lumine fidei sciebant Angeli se fuisse ordinatos in beatitudinem longe superiorem, ac subinde se non posse ordinatè diligere bonum naturale, nisi cum subordinatione ad bonum supernaturale, quod est illis vltimus finis simpliciter.

8\. Ad secundum fundamentum respondetur illam perpetuam durationem cum securitate non esse de essentia cuiuslibet beatitudinis etiam imperfectæ, præsertim dum est beatitudo quasi viatorum ergo creati sunt Angeli quo ad naturalem perfectionem, [illegible] op[illegible] nem cō uncti quidem [illegible] mo[illegible] suo pe[illegible] cognitionem & amore[illegible] do, quo possunt naturaliter coniungi [illegible] naturali

naturaliter beati, licèt illis deesset intrinseca perpetuitas, vel perpetuitatis certitudo, & impotentia cadendi ab illo statu: hæc enim conditio licèt in summa, & excellenti beatitudine requiratur, nihilominùs sine illa consistere poterit essentialis felicitas ordinis naturalis maximè per modū viæ, & cum imperfectionibus annexis tali statui.

9. Dubitatur secundò. Verùm Angeli creati fuerint cum beatitudine supernaturali? De beatitudine supernaturali viæ eadem est quæstio ac de gratia, de qua quæremus cap. 2. restat nunc de beatitudine supernaturali patriæ disputare. Prima sententia sit affirmans, pro qua referunt nonnulli Recentiores Alexandrum, Hugonem, Gabrielem, sed nihil tale reperitur in illis; solum

Lud. Viues. Ludouicus Viues super Augustinum 11. de Ciuitat. cap. 9. sensit bonos Angelos ab initio creationis vidisse Deum, & in tali visione perseuerasse.

10. August. Probatur primò ex Augustino, qui sæpè asserit Angelos sanctos ab initio suæ creationis cognitionem matutinam habuisse, per cognitionem autem matutinam intelligit visionem beatam, vt patet 4. de Gen. ad litteram cap. 24. & aliis locis, vbi etiam tradit Angelos sanctos à principio fuisse beatos. Videatur lib. 11. cap. 26. & lib. 12. Confess. cap. 9. exponic verba illa. *In principio creauit Deus cælum*, de cælo intellectuali, id est, de Angelica natura, quam dicit *esse factam principem æternitatis, & inhærentem Deo, ex quo facta est, & ex dulcedine felicissima contemplationis supra omnem volubilem vicissitudinem temporum fuisse*. Prætereà videtur interdum docere, sanctos Angelos nunquam fuisse viatores, sed semper beatos: ait enim 11. de Ciuitat. cap. 9. *Et magna pars est, & eò beatior, quò nunquam peregrinata*, peregrinari verò idem sonat, ac ambulare per fidem, vt colligitur ex 2. Corinth. 5.

11. Demùm lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 59. expressè dicuntur Angeli sancti in ea, in qua creati sunt beatitudine perseuerare. Imò de omnibus tam bonis, quam malis dicitur cap. 28. *Tales creati sunt Angeli, vt si vellent, in beatitudinis luce persisterent, si autem vellent, etiam labi potuissent, vnde & Satan cum sequentibus se legionibus cecidit*, & lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 26. in ea videtur esse sententia, vt si non dicatur, Angelum malum ab initio peccasse, quod non videtur dicendum, fuerit ab initio socius beatitudinis cum Angelis bonis, siue Dæmon fuerit ignarus sui casus, Angeli verò boni fuerint certi suæ perpetuæ felicitatis, siue cuncti pariter incerti fuerint eius quod in ipsis futurum erat, antequam Dæmon peccaret, ex quo sequi videtur omnes Angelos etiam malos priùs Deum clarè vidisse. Quare lib. 11. de Ciuit. cap. 13. docet, malos Angelos habuisse beatitudinem aliquam, licèt sine præscientia perpetuitatis, si fuerunt aliquādo sine peccato, & lib. de Corrept. & Gratia cap. 10. de malis Angelis sic loquitur. *Refugientes tamen eius* (scilicet Dei) *bonitatem*, qua beati fuerunt, non potuerunt eius euadere iudicium.

12. Probatur secundò ratione, nam Angeli non indigent successione vt beatitudinem mereantur, illamque consequantur: ergo [illegible] Angeli sancti potuerunt in primo instanti beatitudinem mereri, & [illegible] præmium recipere. Verisimilius igitur [illegible] ita fuisse de facto cum hoc [illegible] gis consentaneum, & eorum naturæ, & [illegible] ctioni operum Dei.

Dicendum tamen est nullos Angelos fuisse creatos in statu supernaturalis beatitudinis, seu cum visione clara Dei. Sic S. Thomas hîc art. 1. ceterique Doctores cum illo. Magister in 2. dist. 4. & sequentibus, Scholastici cum eo. Probatur primò de Angelis malis, quia beati peccare non possunt: Sed Angeli mali peccarunt, postquam creati sunt, vt est certum de fide: ergo non fuerunt beati à principio creationis. Maior est de fide, & consequentia tenet. Nisi dicas à principio vidisse Deum & postmodum à visione cessantes potuisse peccare. Sed contrà in primis obstat Augustinus 11. de Genes. ad litteram cap. 23. & 11. de Ciuit. cap. 11. dicens Dæmonem nunquam gustasse gaudium beatæ vitæ. Deinde quia Deus vel nulli concessit priuilegium videndi diuinam essentiam ad tempus, vel nonnisi rarissime, personisque selectissimis, & sanctissimis, atque ad æternam salutem prædestinatis, & propter magnum Ecclesiæ bonum; nihil autem horum in malis Angelis inuenitur. Denique talis modus videndi Deum miraculosus est, & præter naturam illius visionis, quæ ex sua natura perpetua est; asserere autem tale miraculum, vel extraordinarium beneficium sine fundamento rationis, vel authoritatis vanum equidem esset: ergo cùm nulla suppetat vrgens ratio, nec Patrum authoritas in præsenti (vt constabit ex solutione argumentorum) non est temerè dicendum, Deum paruo, vel multo tempore seipsum Angelis ostendisse, deindeque absque vllo demerito se illis occultasse. 13. S. Thom. Magister.

De sanctis Angelis probatur secundò, quia si creati fuissent cum beatitudine supernaturali ab initio, nunquam illam amisissent, vt ex natura visionis beatæ suprà deducebam, & per consequens nunquam potuissent peccare: Sed Angeli sancti ita fuerunt aliquando viatores, & in statu merendi, vt simul haberent potestatem, & libertatem peccandi: ergo fuerunt ab initio non beati. Minor ostenditur primò ratione, quia lex illa Dei *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit* non solùm pro hominibus, sed etiam pro Angelis lata est, & quidem ad perfectionem diuinæ prouidentiæ sic expedit, cùm sint opera Dei *misericordia & veritas*, Imò teste Paulo etiam Angeli iudicandi sunt: ergo fuerunt aliquando in statu merendi, & demerendi: nam licèt de potentia absoluta posset quispiam beatus mereri, tamen de lege ordinaria status merendi non coniungitur cum visione Dei, sed cum indifferentia ad bonum, & malum, ad vitam, & mortem. 14.

Ostenditur secundo eadem minor ex Patribus, Gelasius Papa in disput. contra Pelagium ait, *Angelos ad perfectum conditos promerenda vita æterna illa res indicat, quoniam si sic facti essent, vt alterius nihil egerent, nulla pars eorum vdum potuisset incurrere defectum non enim in eis diuersam naturam fuisse dicendum est.* Quod testimonium [illegible] nit, sicut Angeli non fuerunt diuersæ naturæ, scilicet quoad gradum essendi, ita nec in diuerso statu gratiæ fuisse creatos. Quare sicut Dæmones non sunt creati cum beatitudine supernaturali, ita nec Angeli boni, nec in primo creationis instanti fuit ratio discernendi, ideòque subiungit; *Vnde ergo beati Angeli de percepta grati, pia deuotionis officio, & non [illegible], seu potius [illegible] um præferendo co[illegible] ter [illegible]*, 15. Gelas. Papa.

ad

ad eius perpetuitatem proficere, prouehique merentur; inde isti, qui reprobi sunt, de perceptis grati, debitúmque negantes retracti sunt.

16. Gregorius. Gregorius homil. 7. in Ezechielem inquit; *Natura Angelica quando creata est, liberum arbitrium accepit, virum vellet in humilitate persistere, & in omnipotentis Dei conspectu permanere; an ad superbiam laberetur, & abeatitudine caderet; sed quia cadentibus aliis sancti Angeli in sua beatitudine perstiterunt, hoc acceperunt in munere, vt iam cadere omninò non possunt.* Vbi dum dicit *perstiterunt in beatitudine*, intelligit inchoatam, vel in spe, quæ dicitur beatitudo viæ, dicunturque in illa sancti Angeli perstitisse, quoniam in illa consummati fuerunt, vel quoniam in illa beatitudine viæ, & amore Dei pro tota viæ duratione perseuerarunt; sicut è contrario mali dicuntur à beatitudine cecidisse, quarenùs illa, quam habere potuissent, perpetuò priuati sunt. Similia habet lib. 5. Moral. cap. 27. vel 28. & lib. 25. cap. 4. & lib. 27. cap. 23. vel 25.

17. Damasc. Nyssenus. Prosper. Idem indicant Damascenus lib. 2. cap. 3. Nazianzenus orat. 38. de Christi natiuitate, Nyssenus orat. 4. in orationem Dominicam, magis expressè Prosper de vita contemplatiua cap. 3. inquit, *voluntatis sanctorum Angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus ipsi in sua dignitate manserunt, & diuino, iustoque iudicio actum est, vt qua fuit eum Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria, felixque necessitas.* Consonant Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 10. Anselmus de casu Diaboli cap. 6. 13. 14. 15. & 24. Rupertus lib. de timore Domini cap. 7. vbi ait omnes Angelos ita fuisse constitutos, vt in meliùs proficere haberent, & profecisse, qui bonam voluntatem habuerunt, & infrà subdit, factum esse inter eos iudicium, & quia cùm peccare possent, peccare noluerunt, in remunerationem accepisse, vt iam peccare non possent.

Fulgentius. Isidorus. Anselm. Rupert.

18. Augustinus. Accedit Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 10. dicens, *Deum sic ordinasse Angelorum, & hominum viam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset liberum arbitrium, Deinde quid posset sua gratiæ beneficium.* Vbi æquales facit omnes Angelos quoad viam non solum inter se, sed etiam cum primo. Quare sicut ex sententia Augustini homo, & Angeli, qui ceciderunt, creati fuerunt sine visione Dei, & suæ libertati ad vtrumlibet relicti, sic & ceteri Angeli sancti, de quibus cap. 11. ait, sicut mali Angeli per liberum arbitrium ceciderunt, & beatitudinem amiserunt, *ita sanctos Angelos per liberum arbitrium stetisse, & huius mansionis debitam mercedem meruisse.* Similia fere habet lib. 22. de Ciuit. cap. 1.

19. Ad primum in oppositum respondetur iam suprà disp. 15. cap. 2. à num. 9. dictum esse, quo sensu Augustinus vocet cognitionem matutinam priorem, & si fuerit tempore posterior; ceterùm quando dicit Augustinus Angelos à principio fuisse beatos, loquitur in beatitudine supernaturali viæ, præsertim adiuncta innocentia viæ, ac potestate facili permanendi, si vellent, & hanc beatitudinem concedit primo homini, & malis Angelis ante peccatum, & sanctis Angelis in sua creatione maiorem non tribuit, vt satis explicuit in lib. de corrept. & gratia cap. 10. & 11. qui liber est posterior ceteris, magisque elaboratus; & ideò per illum cætera sunt exponenda.

20. Et quidem lib. 4. de Genes. ad litteram cap. 24. vbi docet Angelos habuisse à principio beatitudinem, quam nos speramus, non loquitur de primo creationis instanti, sed absolutè de principio rerum, satisque de primo creationis die vetificari potest. Quod docet 12. Confess. cap. 9. debito modo, & ordine capiendum est: Nam creari Angeli sancti adhærentes Deo per amorem, vt alibi docet Augustinus, & ex tunc participes æternitatis vel fuerunt, vel esse potuerunt, quoniam in illa dilectione potuerunt & perpetuò manere, & in ea proficere. Atque ita profecerunt vsque ad visionem Dei, per quam æternitatis participes perfectè facti sunt; non tamen dicit Augustinus hoc totum vnico instanti fuisse factum, sed quia breuissima mora, & quasi continenti factum fuit; ideo per modum vnius commemoratur.

Quod autem 11. de Ciuit. cap. 9. docet Augustinus benè explicant Suarius & Vasquius, sanctos Angelos nunquam fuisse peregrinatos, id est, elongatos à Deo per peccatum, ita vt peregrinari non sit idem apud Augustinum, & apud Paulum: cùm enim peregrinari significet alienum esse, vel extraneum, Paulus refert ad visionem, Augustinus ad gratiam: nam vterque sensus est metaphoricus, & potest metaphora multipliciter applicari; quippe cùm filius prodigus dicatur peregrè profectus à Patre, Matth. 12. & Luc. 15. & quando ab illo peccando recessit, & Petrus epistola 1. cap. 4. dicat. *Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit,* id est, nolite percelli tanquam re noua, & peregrina in feruore, vel igne tentationis, quo probamini existimantes tentationem extraneam, & peregrinam à vobis, & ipse Augustinus cap. 11. videtur seipsum exponere, dum ait sanctos Angelos nunquam fuisse tenebras, sed simul vt facti sunt, *lucem fuisse factos; illuminati,* (inquit) *vt sapienter beatéque viuerent*, sed qualis illuminatio fuerit, statim declarat dicens, *ab hac illuminatione auersi quidam Angeli.* Fuit ergo illa illuminatio communis omnibus Angelis, & talis vt multi potuerint ab illamet auerti, non ergo erat visio beata. 21.

Math. 12. Luc. 15.

Similiter Augustinus, seu potiùs Gennadius in lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus capiendus est de beatitudine imperfecta; dicit autem Angelos sanctos perseuerare in beatitudine, in qua creati sunt, quia fuit vna beatitudo per modum viæ & termini, ad quem breuissimè peruenerunt; & ideò dicitur eadem, diuersa solum tanquam perfectum, & imperfectum, quatenùs gratia, & charitas habitualis viæ, & patriæ eadem est, licèt cognitio Dei sit diuersa. Ad cetera loca respondetur, nunquam Augustinum definitè affirmasse sanctos Angelos à principio de sua perseuerantia fuisse certos, & securos, sed ad summum in libris de Ciuit. & super Genes. dubium in ea quæstione mansisse, tamen in lib. de correpr. & gratia docuisse planè sanctos Angelos non habuisse certitudinem de sua perseuerantia, sed tantùm spem firmam, & in aliis locis ad hoc magis propendet docens omnes Angelos tam bonos, quàm malos in principio fuisse æquales in modo beatitudinis imperfectæ, quæ sanè nihil aliud est, quàm iustitia, & sanctitas huius vitæ, seu viæ, qua supernam felicitatem speramus. Quo sensu idem Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 1[illegible]. docuit primos homines in Paradiso fuisse b[illegible] ab id tamen non putauit Deum ab illis fi[illegible]e clarè 22. August.

visum,

visum, *& hodie* (inquit) *non imprudenter beatos vocamus, quos videmus iustè, ac piè cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine*, & cap. 11. de malis Angelis apertè dicit. *Non obtinuerunt excellentiam sapientiæ beataque vita.*

23. Ad secundum quidquid sit de possibili, certè congruentius videtur naturæ rationali, vt per aliquam realem durationem sit prius in via, quàm perueniat ad terminum, priusque ambulet per fidem, quàm visione clara Deitatis potiatur, præsertim cùm vellet Deus Angelos omnes in gratia creare; nec tamen omnes prædestinasset ad beatitudinem perfectam.

CAPVT II.

Vtrùm omnes Angeli viatores habuerint gratiam habitualem.

1. Præter illos qui censent Angelos malos in primo instanti creationis peccasse, de quo dicemus infra disp. 23. cap. 3. Sit prima sententia docens Angelos non accepisse gratiam habitualem in primo creationis instanti, sed priùs fuisse creatos in pura natura, postea verò iustificatos per gratiam indicat Rupertus lib. 1. in Gen. cap. 14. 15. & 16. refertur Magister in 2. dist. 3. & 4. sed magis id expressit dist. 5. cap. 2. dicens non fuisse creatos Angelos in conuersione ad Deum, sed in potentia tantùm, vt conuerti possent. Clarè docet Hugo Victorinus in summa sententiarum tractatu 2. cap. 2. & lib. 1. de Sacramentis p. 5. cap. 19. Sequuntur ex Scholasticis Altisiodorensis lib. 2. summæ tract. 1. cap. 1. & tract. 2. in principio, Alensis 2. part. quæst. 29. memb. 2. Bonauentura in 2. dist. 4. art. 1. quæst. 2. Ægidius Rom. quæst. 1. art. 4. Richardus art. 2. quæst. 2. Argentina quæst. 1. artic. 2. Bassolis quæst. 1. art. 3. Gabriel art. 2. problematice defendit vtramque partem, Scotus in 2. dist. 5. quæst. 1. tandem propendere magis videtur in hanc partem: eodem modo sensit Henricus quodlib. 8. quæst. 10. dicit enim rem esse incertam; hanc tamen partem esse rationabiliorem; eandem defendit Marsilius in 2. quæst. 4. art. 1.

(Marginalia: Rupert. Magister. Hugo Vict. Altisiod. Alensis. Bonauent. Ægid Alens. Argent. Bassolis. Gabriel. Henricus. Marsilius.)

2. Probatur primo authoritate Scripturæ negatiua, quia nullibi legimus Angelos fuisse creatos in gratia: ergo cùm sit omninò supernaturalis, eam sine reuelatione diuina, vel firmo fundamento non debemus asserere. Accedit Augustinus lib. 1. de Genes. ad litteram cap. 3. & 17. & lib. 2. cap. 8. & lib. 4. cap. 21. & 22. & lib. 12. Confess. nam explicans illa verba Genes. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, nomine cæli significari putat Angelos quoad eorum substantiam informem, quando verò dicitur *fiat lux*, intelligit eosdem Angelos, vt per gratiam formatos: ergo sentit non fuisse à principio productos in gratia, & lib. de corrept. & gratia cap. 10. ait. *Sic ordinasse Deum Angelorum, & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum arbitrium, deinde quid posset sua gratiæ beneficium*: ergo prius fuerunt in statu puræ naturæ.

(Marginalia: August.)

3. Probatur secundò ratione, quia si fuissent omnes in gratia creati, nullus postmodum cecidisset, quod constat esse falsum. Sequela probatur, quia si fuissent in gratia creati, fuissent quoque supernaturaliter in Deum conuersi, cùm Deus non soleat gratiam conferre personis, quæ propria voluntate possunt vti, nisi volentibus ipsis, & consentientibus, quin ipsa gratia statim sui possessorem conuertit ad Deum, si sit proprię rationis; & voluntatis capax, vt Angeli ab initio fuerunt; ergo non possent Angeli deinceps auerti à Deo, tum quia voluntas Angelorum, vel omninò mutari non potest ab eo, quod semel elegit, vel difficillimè mutatur, & ideò postulat statim confirmari; tum etiam, quia si in primo instanti conuersi fuissent ad Deum per gratiam, meruissent beatitudinem: ergo in secundo instanti recepissent illam, & sic cadere non potuissent.

4. Tertiò arguit Henricus, quia frustrà data fuisset Angelis gratia in primo instanti, cùm in illo nondum possent deliberare: ergo rationabilius creditur seruatam esse vsque ad illud instans, in quo primum deliberare potuerunt. Confirmatur, quia cùm gratia sit media inter naturam & gloriam, videtur congruum vt potiùs fuerint Angeli conditi in pura natura, postea gratiam, & tandem gloriam obtinuerint; alioqui si gratia simul daretur cum natura, putaretur forsan connaturalis esse, vel debita naturæ, quod non decet existimari.

5. Nonnulli prædictorum Doctorum videntur vlteriùs affirmare malos Angelos nunquam fuisse Deo gratos. Sic Magister in 2. dist. 5. cap. 4. & 6. dicit bonis Angelis datam fuisse gratiam cooperantem, vt ad Deum conuerterentur, qua perstiterunt sine peccato per liberum arbitrium, malis autem nunquam fuisse concessam, quia per peccatum ea carere meruerunt. Probatur primo testimonio Ioannis Papæ in cap. *Visis litteris* 16. quæst. 2. vbi de Diabolo inquit. *Dolet enim satis & erubescit charitatem, quam in cælo nequiuit habere, homines constantes ex lutea natura tenere in terris*: Sed homines in terris habent charitatem, qua iustificantur apud Deum; ergo illam Diabolus in cælo non habuit. Secundò Augustinus lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 3. sentit Dæmonem nunquam beatæ, atque Angelicæ vitæ dulcedinem gustasse, quam non vtique acceptam fastidiuit, sed nolendo accipere deseruit, & amisit; cùmque beatitudinis nomine denotet ibi Augustinus beatitudinem viæ supernaturalem, planè sentit Angelum malum nunquam in Dei gratia fuisse.

(Marginalia: Magister. Ioan. Pap. August.)

6. Tertiò, Gregorius lib. 32. Moral. cap. 38. aliàs 35. intelligens de Lucifero verba Ezechielis 28. *Tu signaculum similitudinis Dei*, omnia priora verba de perfectione naturali interpretatur, posteà verò addens illa capitis 23. *Aurum decoris tui, & foramina in die qua creatus es præparata sunt*; per aurum intelligit sapientiam, per foramina verò capacitatem charitatis, qua si repleri voluisset, stantibus Angelis tanquam positis in tegis ornamentorum lapidibus potuisset inhærere. Vnde concludit; *habuit ergo foramina, sed per superbia virium charitatis auro non sunt repleta*; & ita intellexit, & sequitur Gregorium Rupertus supra, & Altisiodorensis n. 1. relatus. Accedit quarto, nam Iob cap. 4. vbi vulgata habet, *& in Angelis suis reperit prauitatem*. Hebraicus textus dicit; *& in Angelis suis non posuit laudem, vel lucem*, lucis autem nomine significari videtur gratia, seu iustitia apud Deum.

(Marginalia: Gregor. Rupert. Altisiodor.)

7. Probatur quintò ratione quasi negatiua, quia nulla est ratio conuincens Luciferum fuisse sine peccato aliquando: cùm enim semper fuerit liber,

1. Ioan. 3.

liber, semper potuit peccare; imò videtur ab initio peccasse, iuxta id 1. Ioan. 3. *ab initio Diabolus peccat*. Quòd si demus in primo instanti non peccasse, adhuc non sequitur fuisse in gratia, sed in sola rectitudine naturali, vt multi volunt. In secundo autem instanti peccauit, & in tertio damnatus fuit, vt videbimus: ergo nunquam fuit in gratia. Confirmatur, quia si Dæmon fuisset in gratia creatus, optimè nosset se esse in gratia, & illam esse sibi necessarium medium ad beatitudinem consequendam, ac subinde non superbiret corruptus delectatione propriæ potestatis, vt docuit Augustinus lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 28.

S. Thom. Caietan. Ferrara. Sotus. Capreolus. Durand. Gregor. Maior. Albert. Mag. Holcot. Ioan. Arbor. Ioan. à Bon. Vasquez. Molina. Suarez.

8. Secunda tamen & probabilior sententia tenet, Angelos omnes in gratia fuisse cōditos, ac subinde Dæmones etiam aliquando fuisse Deo gratos. Ita S. Thomas hîc art. 3. & 2. 2. quæst. 5. art. 1. & quodlib. 9. art. 8. quem sequuntur Thomistæ cum Caietano ibi, Ferrara 3. contra Gent. cap. 110. Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 5. Capreolus in 2. distinct. 4. quæst. 1. art. 3. ad argumenta contra quintam conclusionem. Durandus ibi quæst. 1. Gregorius quæst. 1. artic. 3. Maior quæst. 1. Albertus Magnus art. 1. & sequentibus. Holcot in 2. quæst. 3. Ioannes Arboreus lib. 1. Theosophiæ cap. 1. Ioannes à Bononia lib. de prædestinatione, Gerson 4. part. in sermone de Angelis, Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 13. puncto 1. Vasquius 1. parte disp. 227. Molina hic art. 3. Suarius lib. 5. de Angelis cap. 3. & 4.

9. Et in primis omnes Angelos habuisse aliquando gratiam contra Doctores adductos num. 5. probatur ex aliquod Scripturæ locis. Vbi tanta dignitas Angelis tribuitur, quanta non videtur consistere posse, sine gratia supernaturali. Primum est Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* vsque ad illud *similis ero Altissimo*; quod dictum esse de Diabolo in persona Regis Babylonis sensit Hieronymus ibi, & illa interrogatio emphasim habet, quasi denotans casum à quadam eminenti dignitate, nec solum à corporeo cælo, sed ab excellentia gratiæ, & sanctitatis.

10. Ezech. 28.

Secundum est Ezech. 28. *In signaculum similitudinis plenus sapientia, & decore in delicijs Paradisi fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum*; & infrà. *Posui te in monte sancto meo in medio lapidum ignitorum ambulasti*, quod in persona regis Tyrij dictum fuisse de Lucifero docent Tertullianus lib. 2. contra Marcionem ante medium, Hieronymus ibi, aliique Patres, & quidem Gregorius hom. 34. in Euang. Damascenus lib. 2. cap. 3. Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 10. per signaculum similitudinis intelliguot imaginem Dei cum magna excellentia in Angelis impressam. Qua interpretatione supposita cetera verba propria sapientiæ, decoris; & perfectionis in vijs suis non solent in Scriptura propter solam naturalem perfectionem, sed maximè propter supernaturalem commendari, & sic videntur ibi à Hieronymo capi. Demum *per lapides ignitos* sancti Angeli significantur, qui non nisi charitatis igne dicuntur ardere. Quapropter hoc & præcedenti testimonio vtitur Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 15.

Tertullian. Hieronym. Gregorius. Damascen. Isidorus. August.

11. Ioan. 8.

Tertium est Ioan. 8. vbi Dominus de Diabolo dicit, *ille in veritate non stetit*, vocabulum enim veritatis, & verbum standi in Scriptura significare solent rectitudinem gratiæ, ac iustitiæ, & sic interpretantur locum istum Origenes tractatu 24. in Ioannem, Augustinus 11. de Ciuit. cap. 13. 14. & 15. Chrysostomus ibi homil. 53. & Leo Papa epistola 63. cap. 2. & 3. & in sermone 10. Quadrag. atque licèt Doctores Moderni veritatem illam de propria virtute veracitatis interpretentur cum Irenæo lib. 15. contra hæreses cap. 25. non tamen ideò excluditur prior expositio, sed virtualiter ibi continetur, vt doctè notat Maldonatus.

Origenes. August. Chrysost. Leo Papa. Irenæus.

Quartum est Iudæ in epistola sua dicentis; *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in iudicium magni Dei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Vbi dignitas gratiæ videtur significari: constat enim Angelos Apostatas non amisisse principatum, qui suapte natura ipsis conueniebat, siquidem manserunt in illis integra naturalia: Per domicilium igitur, & principatum intellexit Iudas gratiæ dignitatem, & excellentiam adoptionis. Sic exposuit Theodoretus lib. 5. hæreticarum fabularum cap. de Diabolo, & lib. 3. de prouidentia, qui est de Dijs, & Angelis, dicit excidisse Dæmones à dignitate, qua fuerant priùs honestati, quæ refert, & sequitur Theodoretus, Athanasius, Nicenus in quæstionibus Scripturæ quæst. 61. tom. 1. Bibliothecæ. 12.

Epist. Iudæ. Theodor. Athanas. Nycenus.

Accedunt alia Patrum testimonia, Hieronymus Oseæ 3. circa illa verba, *& diligunt vinacia vuarum*, addit, *quæ vina non habent, & pristinam gratiam perdiderunt, sicut Dæmones, qui lapsi de propria dignitate aridi sunt.* Atque id Iob 4. *In Angelis suis reperit prauitatem*, de Diabolo exponit, *qui (ait) quodammodo sanctus Angelus fuit, & in veritate non stetit.* Gregorius etiam lib. 32. Moral. cap 18. satis hoc significat dicens. *Quid boni non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit?* Idem ferè expendit Isidorus suprà dicto cap. 10. & inter alia dicit. *Præuaricatores Angelos etiam sanctitate amissâ vinaces natura Angelica sensus retinuisse.* Cyprianus lib. de zelo, & liuore, in principio, inquit Dæmonem aliquando fuisse Deo acceptum, & charum; & Petrus Cellensis in mystica expositione tabernaculi lib. 1. in fine ait Diabolum peccando *rupto fœdere societatis Angelicæ in altum se tendens, venas gratiæ in se rupisse.* 13.

Hieron. Iob. 4. Gregor. Cyprian. Petr. Cellen.

Confirmatur ratione, nam primus homo priusquàm peccaret habuit gratiam, vt docent Patres; Dionysius de Ecclesiast. hierarch. cap. 3. par. 3. Irenæus 3. contra hæres. cap. 37. & lib. 5. cap. 20. Chrysostomus homil. 8. & 9. in Genes. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 9. & lib. 11. cap. 25. & lib. 12. cap. 56. Cyprianus sermone 3. de potentia. Ambrosius lib. 6. Hexameron cap. 7. Augustinus 14. de Ciuit. Dei cap. 11. & 17. & lib. 13. cap. 19. Prosper responsione 8. ad Capitula Gallorum, & palam Tridentinum sess. 5. in principio. Vbi (inquit Vasquius suprà num. 13.) vt certum definitur Adamum antequam peccaret, iustitiam, & sanctitatem habuisse: ergo idem dicendum est de Angelis etiam malis antequam peccassent. Probatur consequentia, tum quia ex parte finis eadem est vtrorumque ratio, cùm omnes ad supernaturalem finem procrearētur; tum etiam quia ex parte Dei non minùs perfecta debuerunt esse eius opera in Angelis, quàm in hominibus; tum denique quia ex parte Angelorum erat maior congruitas propter excellentiam naturæ: nam in Angelis inter se comparatis data est gratia secundùm proportionem naturalium, potiori iure 14.

Dionys. Chrysost. Cyrillus. Cyprian. Ambros. August. Prosper. Trident. Vasquez.

comparando

comparando totam naturam Angelicam ad humanam, debuit illa in sua conditione non tardiùs iustificari, quàm humana.

15. Dices licèt in humana natura esset minor excellentia, tamen erat maior necessitas gratiæ propter corporis repugnantiam. Respondetur huic carnis rebellioni subuentum esse dono iustitiæ originalis, quod erat aliquo modo distinctum à gratia sanctificante. Quare si præter integritatem naturæ data fuit gratia primo homini viatori, multo magis debuit dari Angelis, etiamsi peccaturi fuissent. Ex his fundamentis colligit Valentia, ita certum esse, omnes Angelos fuisse in gratia aliquando, vt oppositum censeatur esse planè temerarium propter auctoritatem Patrum, & testimonia Scripturæ, quæ licèt fortè possint intelligi de quadam perfectione, vel beatitudine naturali, tamen non ità commode, nec ita conuenienter sanctorum Patrum sententiæ, Vasquius probabiliorem dicit esse sententiam nostram, & quarto illo testimonio Scripturæ solo fulcit, sed equidem æquale probabilitatis fundamentum cetera videntur adferre.

16. Basilius. Fuisse verò creatos Angelos omnes in gratia docent Patres tum Græci, tum Latini, Basilius in id Psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt*, &c. Vbi inter alia inquit. *Nihil sanctum est sine Spiritus sancti præsentia, Angelos enim initio, vt essent, verbum opifex omnium condidit, sanctificationem verò simul illis impendit Spiritus sanctus; non enim in infantili statura sunt creati, deinde paulatim exercitati, atque perfecti, sic spiritus susceptione digni sunt habiti; sed in ipsa constitutione, & quasi conspersione suæ substantiæ simul infusam habuerunt sanctitatem*, & statim addit, sanctitatem illam etiam malos Angelos fuisse adeptos, potuisseque facillimè in illa perseuerare. Eadem Damasc. ferè verba habet Damascenus lib. 2. cap. 3. & cap. 4. dicit, Diabolum amisisse splendorem, & honorem, quo creatus est à Deo: cùm enim splendorem naturalem non amiserit, vt omnes fatentur, planè sequitur loqui Damascenum de Theodoret. splendore gratiæ. Idem tradunt Theodoretus lib. de Dei cultu, & lib. 5. hæreticarum fabular. cap. Athanasius. de Diabolo, Athanasius in quæstionibus Scripturæ quæst. 61. tom. 6. Biblioth. referuntur etiam Nazianz. Nazianzenus oratione 12. & Nyssenus lib. 1. Nyssenus. Philosophiæ cap. 3.

17. Gregor. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 27. aliàs 28. sic ait. *Si Angelorum substantia à mutabilitate fuisset aliena, benè ab Auctore suo condita nequaquam in reprobis spiritibus à beatitudinis suæ arce cecidisset*, & lib. 23. cap. 23. alias 25. ait. *Virtutes Angelicæ, quæ in diuino amore fixæ perstiterunt, hoc in munere retributionis acceperunt, vt in contemplatione conditoris sine felicitatis fine permaneant, & in hoc quod sunt condita æterna stabilitate subsistant*, & lib. 32. cap. 18. aliàs 25. de Lucifero inquit. *Quia inter Angelorum corda charitatis igne succensa clarus gloria conditionis exstitit.*

18. Isidorus. Accedit Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 10. dicens, Angelos quantò subtiliores sunt in natura, tantò fuisse ad similitudinem diuinæ veritatis magis expressos, solent autem Patres per similitudinem Dei perfectionem gratiæ imagini Dei superadditam intelligere, & subdit *Luciferum* Prosper. *in veritate esse conditum*. Idem significat Prosper lib. 1. de vita contemplat. cap. 3. dum ait, Angelos sine peccato fuisse creatos, *& ad fermendum Deo suo feliciter institutos*, quod certe sine statu gratiæ habere non potuerunt. Anselmus etiam de casu Anselm. Diaboli cap. 1. 2. 6. 17. & 27. apertè supponit omnes Angelos fuisse in iustitia creatos, & manifestè loquitur de iustitia supernaturali. Demum Petrus Cellensis Abbas tom. 9. Biblioth. lib. 1. de Petr. Cellen. Tabernaculo, circa finem, dicit Angelos accepisse in sua creatione gratiam operantem, sic enim multi vocant gratiam habitualem.

19. August. Augustinus licèt de hac re nonnunquam hæsitauerit, tamen 12. de Ciuit. cap. 9. agens de bona voluntate quæ Deo per motum charitatis adhæret, sic concludit. *Et istam quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhæret creauit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam, vnde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est.* De malis verò subdit. *Illi autem, qui cùm boni creati essent, mali sunt, &c. aut minorem acceperunt diuini amoris gratiam, quam illi, qui in eadem perstiterunt, aut si vtrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde se nunquam casuros, certissimi fierent peruenerunt.*

20. Altisiod. Respondet Altisiodorensis, largitum esse Deum gratiam ibi, *quia ipsam naturam gratis dabat*. Sed est planè contra phrasim, & intentionem Augustini, vbicunque de gratia simpliciter loquitur, & specialiter in illo capite vbi loquitur expressè de gratia, quæ ad adhærendum Deo ex charitate necessaria est. Alij volunt non gratiam gratum facientem, sed gratis datam ibi capiendam esse, sed falluntur, cùm Augustinus loquatur de gratia, quæ hominem simpliciter bonum, & adhærentem Deo facit. Quòd si per gratiam gratis datam intelligunt auxilium supernaturale ad diligendum Deum, necessariò fateri debent Augustinum loqui de auxilio efficaci, quod Angelos fecit adhærentes Deo: ergo secundùm Augustinum habuerunt actum charitatis, & consequenter gratiam habitualem: nam Deus diligentes se diligit. Vnde concludit, quòd *charitas Dei diffusa est in eos per spiritum sanctum, qui datus est eis*. Idem colligitur ex lib. 11. in Genes. cap. 3. & sequentibus, & lib. de corrept. & gratia cap. 10. & aliis locis.

21. Probari potest ex adductis Scripturæ testimonijs, & præsertim ex illo Isaiæ 14. *Qui manè oriebaris*, &c. vnde colligitur Angelos initio fuisse Isaiæ 14. præditos decore illo gratiæ, vt Ezech. 28. *Perfectus in viis tuis fuisti à die conditionis tuæ, donec* Ezech. 28. *inuenta est iniquitas in te.* Accedunt congruentiæ. Primò, nam primus homo conditus fuit in gratia, vt docent Patres adducti num. 14. & videtur significare Scriptura Ecclesiast. 7. *Deus fecit hominem rectum*: rectitudo enim in Scriptura est Eccles. 7. sanctitas, & iustitia apud Deum: nam licèt facere rectum coram Deo dicatur etiam in Scriptura de peccatoribus nonnullis, qui fecerunt aliqua opera virtutum, tamen rectum esse complectitur non vnum, aut aliud opus, sed omne opus; factores autem legis iusti sunt apud Deum Rom. 2. ergo Angeli omnes conditi sunt etiam in gratia. Consequentia constat ex suprà dictis n. 14.

22. Secunda congruentia, quia Deus facilè potuit à principio simul cùm natura gratiam infundere, & opera eius sunt perfecta. Tertia, quia Deus ab initio condidit omnes Angelos ad finem supernaturalem, & sub conuenientissima prouidentia ad consequendum illum, sed optima prouidentia

videtur

videtur postulare, vt eleuatis ad finem supernaturalem, dum non impediuntur per peccatum, infundatur gratia, nec detur creatura rationalis in statu neutro, id est, sine peccato, & gratia; quod in hominibus nunc seruatur, & in statu innocentiæ seruaretur, vt docent Theologi: ergo Angeli qui in primo creationis instanti fuerunt omnes sine peccato, illico receperunt gratiam, nec fuit vlla ratio differendi ipsam; cùm Angeli (vt ait Basilius) non facti fuerint infantes, id est, non egeant temporis decursu ad sanctificationem, & illuminationem recipiendam: ergo credibilius est non distulisse Deum Angelorum sanctificationem.

23. Vnde fit, habuisse consequenter Angelos cum gratia in primo instanti creationis omnes habitus per se infusos, qui comitantur gratiam, scilicet virtutes supernaturales, theologales, & *Malonius. Suarez.* morales, & dona Spiritus sancti, vt docet Malunius in 2. distinct. 10. disput. 13. in quinta ratione, latiúsque Suarius lib. 5. de Angelis cap. 4. nec est cur Angelis denegentur tales habitus, si hominibus infunduntur: licèt enim aliqui eorum non habeant in Angelis propriam materiam actuum externorum, vt sunt temperantia, castitas, & fortitudo, possunt tamen Angeli elicere supernaturales actus istorum habituum, vel conditionatos ex obiecto, vel simplicis complacentiæ, vel inductiuos hominum ad exercitium talium virtutum ex affectu ad honestatem illarum.

24. Ad primum primæ sententiæ iam constat, quantum fundamentum habeat in Scriptura nostra sententia, quid etiam senserit Augustinus. In prioribus autem locis, etsi dubium fuerit de malis Angelis, de bonis semper censuit, aliquo modo beatos semper fuisse. Quare cùm indicat priùs fuisse informes, quàm formatos, intelligit vel de sola prioritate naturæ, vel certè de informitate per carentiam beatæ visionis, ac luminis gloriæ, quæ duratione præcessit. At in lib. de corrept. & gratia cap. 10. verbis ibi citatis non loquitur de puro arbitrio, quod careat gratia, sed de arbitrio instructo gratia: nam Deus Angelos à se iam sanctificatos, & libertate, ac integritate naturæ donatos voluit probare, quinam essent gratiæ obedientes, qui verò per libertatem rebelles, vt in illis gratiæ beneficium, in istis iustitiæ iudicium elucerer.

25. Ad secundum negatur sequela, ad cuius probationem dicimus etiam post liberam conuersionem in Deum potuisse Angelos relabi iuxta superiùs dicta disput. 17. cap. 6. nec fuit expediens vnico indiuisibili momento viam Angelorum finiri, nec etiam longam temporis moram expectari. Quare post primam illam conuersionem locus nouæ deliberationis fuit concessus, non verò post secundam deliberationem completam. Ad tertium negatur fundamentum Henrici: potuerunt enim Angeli etiam in primo instanti deliberare. Ad confirmationem respondetur nullum fuisse periculum confundendi gratiam cum natura, quamuis simul fierent, quia satis erat per se nota distinctio, nec ab Angelis ignorabatur saltem per fidem, quod ad eorum constantiam, & humilitatem probandam pertinere potuit; & aliunde cùm Angelus ex quo creatus est cœperit esse beatus, tendens ad patriam ob quam creabatur, ex tunc etiam gratiam viatoris habere debuit, multóque melius est recipienti semper esse in gratia Dei, quamuis non sit statim accepturus gloriam, quàm esse priùs in pura natura.

26. Ad primum secundæ sententiæ respondet ibi Glossa vers. *Constantes*, verba Ioannis intelligenda esse de perseuerantia charitatis, quasi dicat charitatem iam receptam retinere non potuit; Alij accipiunt de charitate consummata, & perfecta, scilicet patriæ, quam nec recipere valuit: vtrouis tamen sensu impotentia debet intelligi consequens, quæ non tollit libertatem arbitrij; non potuit videlicet, quia non habuit auxilium congruum ad perseuerandum; non fuit autem congruum, quia noluit cum illo cooperari. Vasquius dicit in nonnullis codicibus pro *nequiuit*, legi, *nequit*, & sic clariorem esse sensum, quia nunc non potest habere Dæmon charitatem, cùm sit omni auxilio gratiæ destitutus. Ad secundum iam diximus Augustinum aliquando de hac re dubium fuisse; potuit etiam nomine beatitudinis indifferenter vti nunc pro beatitudine viæ, nunc pro beatitudine patriæ.

27. Ad tertium verbà Gregorij exponit Glossa *Glossa.* in cap. *principium* de pœn. distinct. 2. *verbo charitatis*, quòd non receperit charitatem perseuerantem, aut plenam. Quare potius nobis fauet Gregorius, quatenùs dicit Dæmonem habuisse foramina præparata, id est, fuisse capacem charitatis consummatæ, præparatione vtique, seu capacitate proxima, quæ non est per solam naturam, sed per charitatem viatoris, noluisse tamen hoc auro charitatis repleri, vt perpetuò cum alijs Angelis connecteretur, id est, noluisse in charitate confirmari, vt iam deinceps separari ab alijs non possit, quod solum conceditur beatis. Ad quartum respondetur iuxta Vulgatam, cui tanquam regulæ standum est, nihil haberi contra nos; in Hebræo verò dicit Vasquius sic potiùs legendum. *Seruis suis non credet, & in Angelis suis ponet lumen, vel stultitiam*, id est, non credet hominibus omnia mysteria, vel arcana, imò in ipsis Angelis deprehendit stultitiam: nam omnes creaturæ sunt imbecilles ad capienda diuina consilia, vel *in Angelis ponet lucem*, quoniam omnis illorum scientia supernaturalis est à Deo reuelante, Quòd si legatur cum negatione, sensus erit, Angelus non reuelauit abscondita cuncta consilij sui; quod est non ponere in illis lumen reuelationis.

28. Ad quintum respondetur sufficientes esse coniecturas, vnde colligamus Angelos aliquando fuisse innocentes, & consequenter in gratia, quia Deus de se paratus est illam dare omnibus non ponentibus obicem per peccatum, & licèt potuerint in primo instanti peccare, potuit etiam Deus prouidere, nec peccarent pro aliquo instanti viæ: nam hoc ad perfectiorem prouidentiam spectabat; dicitur autem ab initio peccare, sicut & homicida esse, non propter primum instans creationis, sed quia iam à prima mundi origine percitus odio Dei primos parentes spiritualiter occidit. Ad confirmationem respondetur, licèt Angelus certissimè cognouerit, vel per fidem, vel per euidentiam scientiæ infusæ, se esse in gratia, tamen cùm non habuerit dilectionem ex clara Dei visione profectam, non ita firmum in charitate fuisse, vel dimoueri non potuerit

amore contrario; quoniam efficaciùs illi poterat repræsentari propria excellentia, quàm per fidem reuelabatur diuina bonitas. Vnde potuit corruptus delectatione propriæ potestatis superbire.

CAPVT III.

Vtrùm Angeli in primo creationis instanti supernaturaliter operati sint.

1. NEgant non pauci, sed non omnes nituntur eodem fundamento. Quidam enim putant Angelos primò creatos fuisse in pura natura, quod reiecimus cap. 2. Alij negant posse Angelum simul ac est operari, quod etiam retudimus disp. 17. cap. 3. & 4. Alij censent Angelum non posse in primo instanti operari cum sufficienti deliberatione: Vnde colligunt non potuisse operari supernaturaliter: nam actus supernaturalis esset meritorius, ac subinde plenè deliberatus, quòd etiam refellimus ea disput. 17. Demum

Capreolus. Capreolus in 2. distinct. 4. quæst. 1. art. 3. ad 1. contra 4. conclusionem docet non potuisse Angelum habere in primo instanti actum super-

S.Thom. naturalem, citat sanctum Thomam quæst. 16. de malo artic. 4. ad 3. ad 14. ad 15. & ad 22. & 1. part. quæst. 63. artic. 6. ad argumenta, quibus locis sentit Angelicus Doctor, Angelos in primo instanti dilexisse Deum amore naturali, non supernaturali; & ideò non cœpisse mereri vsque ad secundum instans, ac subinde malos Angelos nunquam meruisse, quod videtur secu-

Petr. Cellen. tus Petrus Cellensis lib. 1. de Tabernaculo circa finem in tom. 9. Biblioth. Probatur, quia rectus ordo postulabat, vt inciperet Angelus priùs exercere naturales operationes, & postmodum eleuaretur ad supernaturales: ergo si Angelus operabatur in primo instanti suos actus naturales secundùm totum conatum potentiarum, non poterat simul in supernaturalibus operando versari.

2. Suppono primò Angelos simul cum gratia non solùm habuisse fidem habitualem in primo creationis instanti (vt diximus cap. 2. num. 23.) sed etiam reuelationem mysteriorum, & auxilium gratiæ necessarium ad credendum fide diuina: cùm enim iam ex tunc potuerint operari, non erat cur habitus sine ceteris requisitis daretur, vel cur differretur omnis reuelatio, & auxilium in aliud tempus; & quidem suprà disput. 12. cap. 3. diximus Angelos in via cognouisse per diuinam reuelationem pleraque supernaturalia mysteria, non est autem cur illorum reuelationem distulerit Deus ad secundum instans, siquidem in primo poterant Angeli tam perfectè operari.

3. Quòd si Angeli à primo creationis instanti habuerunt Dei reuelationem, & auxilium necessarium ad credendum, verosimilius multo est, habuisse quoque in primo instanti simul cum gratia fidem actualem, & alios actus liberos, & supernaturales, quibus gratiæ consenserunt, & iuxta illius inclinationem operati sunt. Ita sup-

S.Thom. ponit S. Thomas in hac quæst. 62. artic. 2. ad 3. & artic. 3. vbi docet Angelos fuisse creatos in gratia à primo instanti, & in argumento *Sed*

August. *contrà* declarat id ex Augustino 12. de Ciuit. cap. 9. dicente: *Quis in Angelis fecit bonam voluntatem, nisi ille, qui eos cum amore casto creauit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Vbi per bonam voluntatem & amorem castum non habitum tantùm, sed actum intelligit, vt ex proprietate verborum, & ex discursu Augustini manifestum est, & quæst. 63. art. 5. ad 4. concedit omnes Angelos in primo instanti habuisse operationem rectam, & meruisse, quod repetit art. 6. in corpore. Nec in solutionibus argumentorum aliquid dicit contrarium, vt falsò Capreolus allegat. S. Thomam se-

quuntur Caietanus 2. 2. quæst. 24. art. 3. ad 3. Ferrara 3. contra Gent. cap. 110. Bannes 1. part. quæst. 62. art. 3. Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 13. punct. 1, Malonius in 2. dist. 4. disp. 3. Suarius lib. 5. de Angelis cap. 7. & quotquot dicunt Angelos in primo instanti per propriam dispositionem recepisse gratiam. Caietan. Ferrara. Bannes. Valentia. Malon. Suarez.

Probatur, nam Angeli mali habuerunt in primo instanti motum aliquem bonum erga Deum, vt authorem salutis, & gratiæ: ergo etiam boni, ac consequenter omnes. Consequentia tenet non solùm à paritate rationis, sed etiam quia credibilius est benè inchoasse illos, qui perseuerarunt, quàm eos, qui retrocesserunt: nam ex parte ipsorum erat vniformitas quædam in libertate, & in modo operandi: Ex parte verò Dei, vel eadem vniformitas seruata est pro tunc, vel si maius aliquod auxilium quibusdam datum censetur, potiùs bonis, quàm malis donandum esse. Antecedens probatur ex locis Scripturæ relatis c. 2. non enim solùm de habitu, sed etiam de actibus loqui videntur, vt cùm Ezech. 28. dicitur: *Plenus sapientia in delicijs paradisi Dei fuisti*, quia non diceretur propriè fuisse in deliciis, nisi fuisset illas expertus aliquando, & infrà *in medio lapidum ignitorum ambulasti*, quod etiam motum animi per amorem significat, vt notat S. Thomas 1. part. quæst. 63. artic. 6. ad 1. Et iterum *perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ*. Hæc enim omnia significant actum. Idem indicatur Ioann. 8. *in veritate non stetit*: nam verbum standi, seu perseuerandi supponit aliquando ambulasse in veritate. Fauet Basilius homil. in Psalm. 32. dicens Angelos non fuisse creatos in infantili statura, deinde paulatim exercitatos, atque perfectos; quippe sanctificatio sine actu proprio est infantium; adulti verò, & qui ratione vti possunt, per proprios actus sanctificantur, vt docuit S. Thomas 3. part. quæst. 34. artic. 3. 4. Ezech. 28. S. Thom. Ioan. 8. Basilius.

Confirmatur ex congruentia primò, quia dispositio non tantùm habitualis, sed actualis simul perfectior est, quàm per solam infusionem habituum: ergo quantum est ex parte Dei congruum fuit hoc modo Angelos sanctificari, nec ex parte Angelorum erat incapacitas, aut difficultas, ob quam non sic disponerentur ad sanctificationem: ergo elicuerunt actus supernaturales. Confirmatur secundò, quia congruum etiam fuit, vt in primo instanti haberent actum fidei, & non solùm habitum, tum quia fides ex natura sua debet esse voluntaria, ideòque habenti capacitatem ad vtendum sua voluntate sine proprio consensu non debet infundi; tum etiam quoniam Angelus statim ac creatur, est capax diuinæ illuminationis, & reuelationis, & cognitionis illius finis, ob quem creatur: ergo valde consentaneum rationi est, vt sine vlla mora talem reuelationem, & cognitionem acceperit: ergo eadem ratione in eodem instanti dilexit Deum vt cognitum per fidem, & intédit 5.

superna

supernaturalem finem sibi propositum; nam isti actus non sunt incompossibiles cum illa fidei cognitione, imò sunt valdè consentanei, & conuenientes ad perfectionem fidei; tum etiam ad ineundam cum Deo amicitiam, de cuius ratione est, vt sit voluntaria; tum demum ad rectè vitam moralem inchoandam: nam à perfecta finis intentione debet inchoari. Sanctus Thomas quæst. 16. de Malo artic. 4. secutus fuit partem negatiuam, sed illam retractauit 1. part. quæst. 62. & 63. docens Angelos se conuertisse in Deum in primo instanti conuersione vtique gratuita, & supernaturali, quæ cognitionem eiusdem ordinis supponit.

6. Ad fundamentum contrarium respondetur actus naturales, siue necessarij sint, siue liberi, non sic oppleuisse capacitatem intellectus, & voluntatis Angelicæ in primo creationis instanti, vt supernaturalium actuum fidei, spei, & charitatis pro eodem instanti capax non fuerit; cùm enim Deus in illo primo instanti per gratiam operantem principaliter Angelos ad supernaturales functiones excitaret, facilè potuit sic illos præuenire, vt ab actibus naturalibus abstraherent potentias, quantum opus esset, vt intellectus Angeli à diuina reuelatione recipienda non impediretur, & similiter voluntas efficaciter moueretur ad fidem recipiendam, & ad Deum supernaturaliter diligendum. Qui quidem ordo magis erat diuinæ prouidentiæ supernaturali consentaneus, & ad ipsorum Angelorum perfectionem magis spectabat.

7. Dices, prius est apprehendere reuelationem diuinam, & iudicare de credibilitate illius, deinde opus est, vt voluntas per piam affectionem velit credere, postea sequitur assensus fidei, quo mouetur voluntas ad diligendum obiectum per fidem propositum; omnes autem hi actus videntur successionem exigere, nec posse in vnico primo instanti coniungi, vt enim dixit Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum cap. 2. *Quis enim videat prius esse cogitare, quam credere? nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitauerit esse credendum.* Respondetur nos quidem communiter, & connaturaliter indigere tempore, ac discursu, vt fidei propositionem, & credibilitatem apprehendamus sufficienter, & prudenter iudicemus; & de nobis loquitur Augustinus: at Angelus simul & in momento totum hoc facere potest, & fidem voluntariè præstare. Quare totum hoc nihil obstat, quominùs Angelus in primo instanti fidem habere potuerit. August.

8. Dices iterum cum Capreolo, Si Angelus in primo instanti actus supernaturales elicuisset per illos meruisset beatitudinem, & tunc omnes fuissent illam adepti, quoniam vt docet S. Thomas in hac quæst. 62. artic. 5. Angeli post vnum actum meritorium obtinuerunt beatitudinem, quia perfectum meritum non indiget successione, sed in instanti perfici potest. At hoc est absurdum, quia tunc nulli cecidissent, si semel omnes fuissent beati: ergo nullum talem actum elicuerunt. Solutio huius constabit ex disputatione sequenti.

* * *

DISPVT. XX.

De merito Angelorum.

De necessitate gratiæ ad opera bona videtur eadem esse ratio in Angelis, ac in hominibus, de quo diximus lib. 6. Nec est dubium quin ad opera supernaturalia quoad substantiam indigeant Angeli gratia, & auxiliis supernaturalibus, quod docet omnes Theologi cum S. Thoma in hac quæst. 62. art. 2. sequitur Richardus art. 8. & Suarius lib. 5. de Angelis c. 1. referes Basilium, Cyrillum, Damascenum, Ambrosiũ, Augustinum, Fulgentium, Isidorum, Anselmum, Bernardum; qui quidem Patres testimonia Scripturarum, quibus gratiæ necessitas in hominibus comprobatur, de Angelis censent pariter intelligenda. Ad opera bona naturalis ordinis nec in hominibus, nec in Angelis putat Suarius requiri gratiam, & in Angelis specialem rationem assignat, quia putat Angelos necessariò cognoscere seipsos, & consequenter species intentionales, quas habent: Vnde voluntatiè se applicant ad hanc vel illã cognitionem per voluntarium vsum huius, vel illius speciei, nec specialis Dei gratia potest ibi elucere. Ceterùm id mihi non probatur: nec enim posset Angelus cognoscere, ac discernere omnes suas species, quin cognosceret omnia illarum obiecta simul, cùm dicant species ordinem transcendentalem ad obiecta; non potest autem Angelus omnia illa obiecta simul percipere, vt ostendimus d. 14. c. 1. Quapropter ad primam cognitionem opinor Angelum excitari etiam à Deo, qui ex tot speciebus Angelo inditis hanc vel illã applicat tali modo, vel tali, quo nouit Angelum promouendũ ad rectam volitionem, vel ad prauã, ita vt in quibusdam sit efficax auxilium ad bonum, in aliis sufficiens tantùm: licèt enim admittamus omnes Angelos viatores cognouisse seipsos, simul tamẽ alia perceperunt obiecta, nec ad eadem forsan attenderunt omnes, nec eodem modo. Vidit igitur Deus plures alias cogitationes eo tempore possibiles, quibus Angeli boni ducerẽtur in ruinam, & Angeli mali manerent in bono, quando prolapsi sunt. Itaque suppono eandem esse rationem in Angelis, ac in hominibus, videantur supradicta lib. 1. disp. 41. cap. 6. Richard. Suarez.

CAPVT I.

Vtrùm Angelus potuerit mereri in primo instanti.

Ex Doctoribus, qui negant Angelum in primo instanti peccare potuisse, quidam asserunt consequenter, nec in illo instãti potuisse mereri. Sic docent Hugo Victorinus in summa sent. tit. 2. c. 2. Alexander 2. part. q. 19. memb. 1. art. 7. Holcot. in 2. q. 5. ad 9. Capreolus in 2. dist. 4. q. 1. art. 1. concl. 4. & art. 3. Probant Holcot & Hugo, quia putant in primo instanti nõ fuisse Angelum liberum pro eodem, sed pro futuro tempore. Probat Alexander, quia nihil operatur, dum primò existit, Probat Capreolus, quia prima Angelorum operatio debet esse naturalis, seu necessaria, quæ non est capax meriti. Sed hæc omnia fundamenta diruimus disp. 17. c. 5. docentes, Angelum posse in primo instanti peccare. 1. Hugo Vict. Alexand. Holcot. Capreolus.

2. Consequenter nunc dicimus, posse pariter in primo creationis instanti Angelos mereri. Sic tenent quotquot pro prima sententia citauimus ibi num. 2. & prætereà Ferrara 3. contra Gent. c. 110. Caietanus 1. p. q. 63. art. 5. Durandus in 2. dist. 5. q. 2. Becanus 1. p. tractatu 3. cap. 2. quæst. 2. n. 2. & planè S. Thomas, dum 1. p. quæst. 63. art. 5. ait. *Quidquid est in merito, est à Deo, & ideò in primo instanti suæ creationis Angelus mereri potuit, sed non est similis ratio de peccato*, & art. 6. inquit. *Cum enim Angeli per vnum actum meritorium ad beatitudinem perueniant, si Diabolus in primo instanti suæ creationis meruit, statim post primum instans beatitudinem accepisset, nisi statim impedimentum præstitisset peccando*. Dixerat autem eo articulo, & quæst. 62. art. 3. Angelum in gratia creatum habuisse motum liberi arbitrij.

Ferrara. Caietan. Durand. Becanus.

3. Respondet ad hæc testimonia Capreolus in eo artic. 3. ad 1. contra quintam conclusionem, sanctum Thomam solum dixisse Dæmones in primo instanti dignos fuisse gloria per gratiam, in qua creati sunt, non per meritum aliquod. Sed contrà, quia S. Thomas fatetur in Angelis fuisse motum liberi arbitrij in primo instanti, & ipsos etiam iustos per gratiam stetisse: Opus autem factum in statu gratiæ, præsertim si sit dilectio Dei, qualem tribuit Angelis S. Thomas, meritum est æternæ vitæ: ergo tale meritum adscribit Angelis Doctor Angelicus.

4. Ratio sumitur ex dictis disput. 19. cap. 3. nam si potuerunt Angeli operari supernaturaliter, imò de facto in primo creationis instanti elicuerunt actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, sufficiens habebant fundamentum ex parte sua, vt accedente diuina promissione (quæ non est cur repugnet) mererentur per tales actus præmium à Deo sibi propositum. Nec apparet ratio discriminis quoad hoc inter homines adultos, & Angelos in primo instanti; nec excogitari potest ratio conuincens non potuisse tunc Angelos mereri: ergo non est cur potentiam ad merendum in eo instanti Angelis denegemus.

CAPVT II.

Vtrùm Angeli sanctificati fuerint per propriam dispositionem.

1. Notandum est propriam dispositionem siue physicam, siue moralem ad formam, vel ad gratiam dici, quæ præparat subiectum ad talem formam, & est vera causa illius in genere causæ materialis, ad quam dispositiua reducitur. Diximus disp. 19. Angelos in primo instanti elicuisse supernaturales actus, hi autem vel possunt esse quasi dispositiones (scilicet morales) ad infusionem habituum, si sint actus priores natura, quàm habitus, ad quos disponunt; vel possunt esse quasi fructus, & effectus illius, si sint posteriores natura, quàm habitus, & de hoc quærimus in præsenti, quonam istorum modorum habiti sint tales actus.

2. Quapropter omittimus Doctores illos, qui negant Angelos in primo instanti supernaturaliter operatos fuisse, ac per cõsequens dicturi sunt, non fuisse sanctificatos in primo creationis instanti per propriam dispositionem: Sunt tamen alij, qui licet admittant actus supernaturales in Angelis pro illo primo instanti, negant dispositionem in illis ad sanctificationem. Ita sentit Sotus lib. 1. de natura, & gratia cap. 5. Citatur Victoria, & sequitur Molina in hac quæst. 62. art. 3. ad 1. dicens actus supernaturales Angelorum in illo primo instanti non fuisse dispositiones ad habitus, sed effectus potius, & fructus habituum infusorum. Probatur primò, quia perfectius est operari ex habitu, quàm sine concursu habitus: Angelis autem tribuendum est, quod perfectius est, quoniam & diuinæ operationi, & Angelicæ excellentiæ consentaneum est. Maximè cum alias nulla repugnantia, nec aliquid præter ordinem naturis rerum conuenientem inuoluitur, vt in præsenti contingit; potiùs enim operari ex habitu in actibus supernaturalibus, & in habitibus per se infusis est connaturalis modus operandi, & quodammodo præternaturalis.

Sotus. Victoria. Molina.

Probatur secundò quia Christus Dominus ita fuit in primo instanti suæ conceptionis sanctificatus secundùm proprium actum, non qui disponeret ad gratiam, sed qui ex habituali gratia effectiuè prodiret: ergo signum est modum illum sanctificationis esse ex genere suo perfectiorem: ergo cùm non repugnet Angelis, tribuendus est ipsis. Tertiò probatur, nam hoc modo fit sanctificatio aliquo pacto secundùm proprium actum, & aliunde superadditur perfectio non solùm operandi pro primo instanti, sed etiam operandi connaturaliter ad exigendum effectus: ergo ita credendum est, Angelos in primo instanti fuisse operatos, præsertim quia sic creauit Deus res alias perfectas, & cum fructibus, quos sibi concreatos habere possunt. 3.

Verosimilius tamen est, Angelos se disposuisse per proprium actum liberum ad infusionem gratiæ habitualis. Sic docent Ferrara 3. contra Gent. cap. 110. quatenùs ait, Angelos in primo instanti meruisse, magis apertè Caietanus 2. 2. quæst. 24. art. 3. Vasquius 1. part. disput. 228. cap. 1. Valentia tom. 1. disput. 4. quæst. 13. puncto 1. Malonius in 2. distinct. 4. disput. 3. Suarius lib. 5. cap. 8. Becanus 1. part. tractatu 3. cap. 2. quæst. 2. num. 9. Concinit S. Thomas in hac quæst. 62. art. 2. Vbi quærit, Vtrum Angelus indiguerit gratia ad hoc vt conuerteretur in Deum; & licèt non loquatur specialiter de prima conuersione, sine dubio illam includit in quocunque tempore, vel instanti fiat, vnde concludit generaliter Angelum vt conuertatur in Deum authorem supernaturalem indigere speciali motione diuina, quæ auxilium gratiæ nuncupatur, & cùm obiecisset in 3. quia saltem ad eam conuersionem, qua præparatur Angelus ad gratiam, non indiget gratia, ne procedatur in infinitum; quæ obiectio procedit de prima conuersione in Deum, quam supponit esse dispositionem præparantem Angelum ad gratiam recipiendam: respondet distinguendo triplicem conuersionem in Deum, vnam perfectam in gloria, quæ est gratia consummata, aliã, quæ procedit à gratia tanquam meritum beatitudinis; *& tertiam per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam*, & ad hanc dicit, *non esse necessariam gratiam habitualem, sed operationem Dei ad se animam conuertentis*, talemque supponit esse primam Angeli conuersionem; & sic vitari processum in infinitum: nam ad illam operationem Dei non requiritur alia dispositio, sed cum illa cooperatur arbitrium creatum. 4.

Ferrara. Vasquius. Valentia. Malonius. Suarius. Becanus. S. Thom.

creatum. Docet ergo S. Thomas, Angelum per primam conuersionem in Deum, quam dicit esse motum voluntatis in ipsum Deum, se ad gratiam præparasse.

5. Probatur ex congruentia, primò, nam consequi gratiam habitualem cum aliqua cooperatione propria perfectius est, quàm omninò ab extrinseco illam recipere: semper enim ex suo genere, ac ceteris paribus perfectius est habere aliquid à se, quàm ab alio tantùm, & esse aliquo modo sibi causam suæ perfectionis, quàm non esse; at qui se præparat, & disponit ad gratiam per actum proprium, aliquo modo est causa suæ gratiæ per prius auxilium gratiæ: nam qui disponit subiectum ad formam, aliquo modo est causa formæ. Probatur secundò, nam qui se disponit ad gratiam, impetrat illam à Deo, imò illam meretur saltem de congruo, & sic aliquo modo ad illam cooperatur, & trahit Deum, vt illam infundat: ergo hoc maioris perfectionis est.

6. Probatur tertiò, quia per gratiam habitualem contrahitur peculiare vinculum amicitiæ inter creaturam, & Deum, & quasi celebratur spirituale matrimonium inter ipsos: sed de ratione matrimonij, & amicitiæ est, vt per consensum voluntatis vinculum illud contrahatur; qua forsan ratione de lege ordinaria non datur hominibus gratia, nisi præparauerint se ad illam, iuxta id, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, & iux-
Trident. ta doctrinam Tridentini sess. 6. ergo valdè consentaneum est ipsi gratiæ, communique prouidentiæ supernaturali, vt eadem lex seruetur in Angelis, qui per supernaturalem motum voluntatis natura præcedentem disponant se ad gratiam habitualem recipiendam. Probatur quartò, quia natura etiam Angelica comparatur ad gratiam vt materia ad formam, & vt quid imperfectum, & inferioris ordinis ad perfectum, & superioris ordinis: Est autem consentaneum naturæ imperfectæ, vt ad superiorem gradum non ascendat, quin ad superiorem formam recipiendam conuenienter præparetur, quantum subiecti capacitas, & conditio talis formæ perfectioris patiatur: ergo hic ordo seruatus est in præsenti.

7. Ad primum in oppositum Bannes 1. p. quæst.
Bannes. 62. art. 3. Vasquius 1. 2. quæst. 113. & alij di-
Vasquius. centes Angelos simul operari ex habitu, & per talem operationem se disponere ad receptionem habitus: putant enim in iustificatione peccatoris contritionem, quæ disponit ad gratiam, & ad charitatem elici quidem ab ipso habitu charitatis ad quem disponit. Istam tamen opinionem communiter reiiciunt Nostrates, quia talis mutua causalitas intelligi non potest, nec contritio præparare subiectum ad recipiendum habitum, quem iam præsupponit operantem, ac per consequens inhærentem in tali subiecto. Videatur
Suarius. Suarius lib. 8. de gratia cap. 11. & sequentibus. Quare omissa ista opinione, respondetur ad argumentum operari ex habitu ceteris paribus melius, & connaturalius esse; secùs si cetera paria non sint, vt contingit in præsenti: melius enim est sanctificare se aliquo modo cum auxilio Dei, & esse sibi caussam suæ gratiæ, saltem se disponendo, & per proprium consensum Dei amicitiam, & coniugium acceptare, quàm operari supernaturaliter ex habitu.

8. Ad secundum respondetur non esse similem rationem: nam Christus supponebatur altiori modo gratus per gratiam vnionis, ratione cuius habuit gratiam habitualem, vt proprietatem connaturalem à gratia vnionis dimanantem, & ita habuit illam à se nobiliori modo, quàm per dispositionem propriam. Item quia gratia Christi fuit à principio consummata, & primi actus ipsius fuerunt visio, & charitas beatificæ, quæ non possunt esse dispositiones ad gratiam. Ad tertium patet ex dictis: perfectior enim modus sanctificationis est per proprium actum tanquam per propriam dispositionem; nec est simile de rebus, quæ non possunt per proprias morales dispositiones recipere perfectiones altiores.

CAPVT III.

Vtrùm Angeli gratiam inæqualem in prima sanctificatione cum proportione ad naturam receperint.

PRima sententia potest esse negatiua, & probatur primò quoniam inferius non potest esse mensura superioris; sed natura est inferior, quàm gratia: ergo non potest esse illius mensura. Probatur secundò, nam alioquin data fuisset Angelis gratia iuxta proportionem naturalium dilectionum, quas erga Deum elicuerunt, tum quia non est maior ratio de perfectione naturalis essentiæ, vel potentiæ, quàm de perfectione naturalis actus; tum quia vnum sequitur ex alio: nam si gratia datur iuxta capacitatem naturalem, cùm amor naturalis etiam iuxta vires naturales vniuscuiusque eliciatur, consequenter etiam dabitur gratia iuxta proportionem naturalis dilectionis; tum demum quia si aliqua congruitas est in naturali capacitate puta, (vt sic dicam) maior erit in tali natura prout actuata per actum secundum dilectionis naturalis: ergo etiam gratia dabitur iuxta perfectionem dilectionum naturalium. Hoc autem non esse admittendum ostenditur: nam aliàs Angelus quisque se quodammodo disponeret suis viribus ad talem gradum gratiæ; quod non est dicendum. 1.

Probatur tertiò, quia non seruat Deus illam proportionem in hominibus, qui saltem indiuidualiter sunt inæquales: ergo ex parte Dei non est cur præsumamus illam in Angelis obseruare. Consequentia patet, quia ratio sancti Thomæ in hac quæst. 62. artic. 6. sumpta ex parte Dei, pariter suo modo locum habet inter homines: ait enim Deum condidisse naturam Angelicam ad gratiam, & gloriam consequendam, ideóque debuisse Angelum in natura perfectiorem in altiori gradu gratiæ constituere; sicut artifex lapides, quos pulchrius & decentius aptat, ad honorificentiorem partem ædificij ordinat. Quod de hominibus etiam dicere possumus, quatenus vnus alio excellentius habet ingenium, vel ad supernaturale munus aptior est alio; & tamen videmus interdum homines de se minùs aptos ad altiorem gradum, vel ministerium assumi à Deo, qui propterea non deficit ab illa congruentia prudentis artificis pulchriùs aptantis lapides in loco nobiliori collocandos: nam hoc verum est de perfectione per se pertinente ad ædificij compagem, quæ in præsenti est perfectio gratiæ, non 2.

naturæ: ergo similiter in Angelis si Deus ornaret ampliori gratia Angelum minùs perfectum in natura, prudentissimè illum in sublimiori gloria collocaret; sicut nunc humanitatem Christi Domini, Virginem Deiparam, & multos forsan homines super Angelos glorificauit in cælis: ergo ratio illa sancti Thomæ nihil obstat quominùs inter Angelos ipsos, qui sunt inferiores in natura, fuerint superiores in gratia.

3. Probatur quartò, quoniam altera ratio sancti Thomæ, quæ sumitur ex parte ipsorum Angelorum, scilicet quia perfectiores Angeli magis conati sunt, vt se ad gratiam disponerent, non videtur vrgere, siquidem actus supernaturales non crescunt iuxta perfectiorem virtutem naturalem, sed iuxta maius auxilium, seu melius, principium supernaturale; quare conatus Angelorum ad se disponendos per supernaturalem operationem non iuxta perfectionem naturæ, sed auxilij metiendi sunt, sicut suprà quæst. 12. dicitur, visionem Dei non elici meliorem à meliori intellectu, si lumen gloriæ sit inæquale. Accedit quòd hic conatus dispositiuus (vt ita dicam) in Angelis est liber: ergo licèt Angelus sit perfectior, potest minùs conari, quam inferior: Vnde si inferior pro libertate sua cum auxilio gratiæ plus conetur, meliùs disponetur, & maiorem gratiam recipiet, & per consequens sicut forsan aliqui Angeli inferiores voluerunt pro sua libertate magis conari, quàm superiores, maiorem subinde gratiam receperunt.

4. Secunda sententia fit quorundam Theologorum existimantium Angelos fuisse iustificatos ex dispositione solius liberi arbitrij sine dono Dei, quia putarunt gratiam recipere, ac retinere non esse in Angelis donum Dei, quod idem de gratia donata primo homini in statu naturæ integræ opinati sunt. Quare mensuram iustificationis & charitatis habitualis ex mensura dispositionis à solo libero arbitrio procedentis desumendam esse dixerunt. Probant ex Augustino lib. de corrept. & gratia cap. 11. vbi de primo homine, (& eadem ratio videtur esse de Angelis) inquit, *Dederas & adiutorium, sine quo in ea* (scilicet iustitia) *non posset permanere, & quo posset, si vellet: Vt autem vellet, in eius reliquit arbitrio*. Censet igitur Augustinus retinere gratiam opus esse solius arbitrij. August.

5. Præterea in eodem cap. 11. circa finem ait Augustinus, *Quid autem erit liberius libero arbitrio, quando non poterit seruire peccato? quæ futura erat homini, sicut facta est Angelis sanctis merces meriti; nunc autem per peccatum perdito bono merito in iis, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Vnde sic licet argumentari, non posse peccare solùm contingit in beatitudine: ergo de beatitudine dicit Augustinus, futuram illam fuisse homini mercedem in natura integra, sicut etiam Angelis si perseuerassent; nunc autem hominibus post naturam lapsam dicit esse gratiam, scilicet pro gratia, quatenùs licèt oriatur ex gratia, habet etiam rationem præmij, & retributionis: ergo si in natura integra, & in Angelis futura erat merces, & non gratia, tunc non erat futura gratia pro gratia, & tamen retribuenda erat perseuerantibus: ergo perseuerantia in gratia non erat tunc futura gratia. Imò docet in eodem cap. 11. Augustinus primum hominem non indiguisse auxilio, vt reciperet bonum nempè sanctitatis. Cùm igitur eiusdem virtutis sit Angelus, nec ille debuit egere auxilio gratiæ ad hunc effectum.

Suppono in primis non solùm Deum absque vllo debito donasse gratiam Angelis, verùm etiam ex parte ipsorum nihil dignum, nihil congruum præcessisse, quod fuerit causa donationis gratiæ. Nam ita Deus dona illa contulit, vt non respexerit donum creationis, nec perfectionem naturæ tanquam causam: sic enim gratia iustificationis à primo auxilio vsque ad vltimum haberet rationem retributionis, non autem misericordiæ, vel liberalis omninò donationis, quod est contra rationem diuinæ gratiæ, vt notauimus lib. 1. disputat. 41. Quare maiori perfectioni Angelicæ non debebatur maior gratia, vel gloria; nec Deus propter illum excessum tanquam propter causam contulit maiorem gratiam Angelis perfectioribus, & qui contrarium assereret, saperet errorem Pelagianum, vt dicit Valentia tom. 1. disputat. 4. quæst. 13. puncto 3. Vasquius verò 1. part. disput. 228. cap. 2. putat non esse minùs de fide, dignitatem Angelorum naturalem non fuisse causam gratiæ ipsis collatæ quàm bonam indolem, & ingenium hominum non fuisse causam gratiæ ipsorum. 6. Valentia. Vasquez.

Suppono secundò, licèt omnes Angeli fuerint in primo instanti sanctificati, non tamen omnes æqualem gratiam accepisse, quod videntur supponere Theologi, & sic potest ostendi. Sancti Angeli non sunt in patria æqualis beatitudinis, vt sumitur ex Dionysio toto lib. de cælesti hierarch. & ex communi sensu Patrum sic intelligentium Scripturam loquentem de ordinibus Angelorum, quibus non solùm in natura vel ministeriis, sed etiam in sanctitate, ac gloria inæquales Angelorum gradus, & perfectiones significantur: ergo nec in via fuerunt æquales in sanctitate, ac meritis, quia gradus gloriæ respondent meritis, & charitati viæ. Vnde fit verosimile nec in primo instanti gratiam æqualem recepisse: licet enim illa inæqualitas ex secundo instanti potuerit oriri, tamen sicut inæqualitas gratiæ fuit in Angelis ex primaria intentione, ac prædestinatione Dei, ita fit verosimile ab initio Deum inchoasse sanctificationem Angelorum cum varietate, & inæqualitate proportionata illi termino. 7. Dionysius.

Suppono tertiò, potuisse Deum inæqualitatem gratiæ accommodare naturalis perfectionis inæqualitati, siquidem nulla in hoc apparet implicatio, & aliunde suppetit congruentia, quam S. Thomas assignat, tum ex parte Dei, quia videtur consentaneum illius sapientiæ, vt quos meliores in natura condebat, in altioribus sedibus gloriæ collocaret, & consequenter etiam maioribus auxilius præueniret; tum ex parte ipsorum Angelorum, quia quò sunt natura perfectiores, eò vehementiùs, seu intensiùs per gratiam operantur, & ad illam se disponunt. Potuit etiam Deus hanc inæqualem distributionem gratiæ aliter facere iuxta voluntatem consilij sui, quod suadent fundamenta primæ sententiæ. 8.

An

9\. An sic, vel aliter fecerit, ad quæstionem pertinet de facto, in qua communis sententia docet, Deum distribuisse gratiam Angelis iuxta proportionem perfectionis naturalis. Sic tradit Magister. S.Thom. Magister in 2. dist. 3. sequitur S. Thomas in hac quæst. 62. art. 6. vbi non vt certum, sed vt rationabile id docet. Idem habet 2. 2. quæst. 24. art. 3. ad 3. Quibus locis Caietanus, & omnes expositores id amplectuntur, Vasquius. Vasquius 1. part. disp. 228. cap. 2. dicit, se neminem legisse, qui oppositum defenderet. Valentia. Valentia tom. 1. disput. 4. quæst. 13. puncto 3. existimat esse sententiam istam verissimam. Molina. Molina in hac quæst. 62. artic. 6. censet de hac re nihil certum haberi, tametsi probabilitate non careant fundamenta S. Thomæ. Suarius. Suarius lib. 5. de Angelis cap. 10. num. 7. sentit sententiam istam non esse certam, sed rationabiliorem, quoniam est consentanea prouidentiæ Dei, & naturæ Angelicæ, ideoque dum aliud per reuelationem nobis non constiterit, non habere nos fundamentum, aut motiuum ad negandam dictam proportionem, nec ad asserendum in omnibus, vel aliquibus Angelis immutatam fuisse. Becanus. Becanus tractatu 3. cap. 2. quæst. 3. dicit esse probabile, sed non certum.

10\. Dionys. Probatur ex Dionysio lib. de cæl. hierarch. vbi Angelos perfectiores in natura dicit esse propinquiores Deo tum in officio, tum in splendoribus gloriæ, & gratiæ, quod à præceptore Paulo didicisse in cap. 6. profitetur, & ita consequenter ibidem ait, *Primam hierarchiam, sicut est perfectior reliquis, ita primoribus Dei splendoribus maiori propinquitate coniunctam esse*, & cap. 7. *Meritò prima illa cælestis functio ab altissimis spiritibus agitur, cum sit ordo omnibus celsior, atque sacratior.* Atque in hunc modum de cæteris in sequentibus philosophatur. Inde videtur sumpsisse Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 16. dicens, *Cælorum virtutes in suapte natura sancta sunt, sed iuxta proportionem, qua se inuicem superant, a Spiritu habent sanctificationis mensuram*, Damascen. & Damascenus lib. 2. cap. 3. sic scribens. *Per Verbum omnes Angeli creati sunt, ac per sancti Spiritus sanctificationem omnis perfectionis numeros acceperunt, ita tamen vt pro sua quisque dignitate, & classe luminis, gratiaque participes sint*; & quamuis isti Patres expresse non loquantur de primo creationis instanti, tamen idem videntur de illo cum proportione sentire. nam indefinitè loquuntur: Dionysius quidem, & Basilius de Angelis, qui permanserunt loqui videntur, Damascenus verò de omnibus vniuersim, vnde Vasquius eandem inæqualitatis proportionem in illis etiam qui ceciderunt, fuisse seruatam arbitratur; nec videtur maior esse ratio de his, quàm de illis quoad primum instans creationis, in quo omnes iusti fuerunt. Itaque in quæstione de facto standum erit communi consensui Theologorum, & Patrum.

11\. Ad primum primæ sententiæ concedimus perfectionem Angelicæ naturæ non esse mensuram gratiæ, vel distributionis eius inter Angelos, sicut nec inter homines, sed propria, & primaria regula est voluntas diuina, iuxta id 1. Corinth. 12. 1.Cor. 12. *diuidens singulis prout vult*; tamen ex parte naturæ Angelicæ potest considerari velut fundamentum remotum, aut occasio, ob quam Deus ex mera liberalitate distributurus gratiam Angelis sapienter voluerit iuxta inæqualitatem perfectionis naturalis inæquales gradus auxiliorum & gratiæ distribuere.

Ad secundum negatur sequela, quia nulli Angelo data est gratia intuitu suæ bonæ operationis naturalis tanquam dispositionis proximæ vel proportionatæ cum forma iustificante: nam ad hoc requiritur actus intrinsecè supernaturalis quoad substantiam. Vnde ad primam probationem nego paritatem rationis, quoniam in naturali perfectione substantiali solùm consideratur aptitudo quædam, & capacitas data ab ipso auctore naturæ; ideoque ex parte illius nulla procedit causalitas respectu gratiæ, nisi fortè materialis secundùm potentiam obedientialem, quæ nihil rationem gratiæ diminuit. At verò si gratia daretur iuxta proportionem actus naturalis proximè ac immediate consideraretur in illo meritum de congruo proximum, & vltima dispositio ad iustificationem, quod in actum intrinsecè naturalem non cadit. Hæc autem & secunda probatio conuincunt ad summum dilectionem illam naturalem fuisse dispositionem remotam, & quasi quoddam initium iustificationis, quod in hominibus libenter concedimus; nec est cui negemus in Angelis iuxta doctrinam in principio huius disputationis traditam. 12.

Ad tertium respondetur rationem illam sancti Thomæ solùm esse congruentiam quandam, quæ magis apparet in Angelis, tum quia in eorum gradu maior distinctio, & ordo per se quoad naturalem perfectionem inuenitur, quàm in hominibus; tum quia iustificatio, perseuerantia, via, & meritum paucissimis quidem actibus breuissima mora, & simpliciori modo, magisque vniformi in Angelis consummata sunt; in hominibus autem magna est varietas vocationum, conuersionum, & mediorum, quibus longo tempore, diuersissimisque viis ad æternam vitam disponuntur; & ideò vel non tam commodè potuit iuxta communem modum prouidentiæ, vel non ita oportuit in eis seruari proportionem, nec haberi respectum ad varias indiuiduas proprietates, & perfectiones; tum quia inter homines voluit Deus eligere, *quæ stulta sunt mundi, vt confundat sapientes*, &c. *vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* 1. Corinth. 1. Angelos verò pro eadem sua libertate voluit ad ordinem gratiæ seruata proportione ad ordinem naturæ eleuare, vt docent Patres, & insinuat Scriptura. 13. 1. Cor. 1.

Ad quartum respondetur hæc duo non repugnare, sed optimè cohærere, quòd Angeli fuerint sanctificati vniformiter difformiter iuxta proportionem naturalium, & quod fuerint sanctificati magis, vel minùs iuxta propriam vniuscuiusque dispositionem, & cooperationem cum auxilio gratiæ; quò pertinet coniectura S. Thomæ: nam Angeli quò perfectiores, eò magis conari possunt ad suos actus: Vnde verisimile fit recepisse singulos auxilia proportionata, vt iuxta maiorem, perfectionem naturalem magis etiam conari cum auxilio, meliusque possent se disponere ad gratiam. Ad vltimam replicam respondetur, licèt conatus iste fuerit Angelis liber, tamen in primo instanti Deum omnibus & singulis auxilia efficacia contulisse, vt vnusquisque iuxta mensuram suam toto conatu operaretur. 14.

Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur Augustinum in primo testimonio non dixisse, retinere gratiam esse solius arbitrij sine auxilio gratiæ, sed relictum esse in libertate arbitrij, quod quidem rectè dicitur, etiamsi hoc fiat ex auxilio gratiæ: nam consensus, quem 15.

gratiæ præstamus ex auxilio ipsius, in libertate nostra positus est; siquidem ipsi gratiæ resistere possumus. Ad secundum testimonium dicimus, in natura integra gloriam futuram esse & mercedem & gratiam pro gratia, ac in Angelis etiam eodem modo: nam in vtrisque futura erat gloria ex perseuerantia, quæ prouenit ex gratia, vt constat ex 1.2. quæst. 109. post lapsum quoque beatitudinem futuram fuisse perseuerantibus & mercedem & gratiã; nihilominus peculiari ratione dixisse Augustinum beatitudinem, quæ primo parenti, & Angelis futura erat merces, nobis post naturam lapsam fuisse gratiam, quia cùm Angeli, & homo in natura integra habuissent iam gratiam, solùm videbatur superesse beatitudo tanquam merces: At verò quia homini post lapsum restituta fuit gratia, quæ fuerat amissa, & ex qua tanquam ex radice pendebat gloria, data opera Augustinus gloriam vocauit gratiam ratione gratuitæ restitutionis, & nouæ gratiæ, quæ hominibus facta est. Ideò quoque dixit Augustinus primum hominem non indiguisse auxilio gratiæ, vt reciperet bonum sanctitatis, qui iam à primo ortu illud habebat, & ita solùm restabat, vt egeret auxilio ad retinendum, & perseuerandum; nos verò quia illud perdidimus, indiguisse simul auxilio, vt illud bonum restitutum reciperemus.

16. Ex his colligitur primò primum actum siue voluntatis credendi, siue spei, siue charitatis, vel quemlibet alium similem, quem Angelus elicuit in primo instanti, non fuisse elicitum ab habitu infuso, quia non potest præparare ad illum, & procedere ab illo, vt diximus, & consequenter ex speciali motione, & auxilio Dei processisse, siue fuerit auxilium extrinsecum, siue intrinseca qualitas per modum transeuntis infusa iuxta proportionem naturalis perfectionis, ita vt quò Angeli perfectiores sunt, eò vberiora receperint auxilia efficacia, quibus actus quàm intensos potuerunt, elicerent, & his actibus correspondentem mensuræ dispositionum gratiam habitualem mererentur de congruo, sicut homines cùm primam gratiam iuxta mensuram contritionis recipiunt.

17. Colligitur secundò, meruisse Angelos in primo instanti primam gloriam suam. Sic indicat S. Thomas in hac quæst. 62. art. 4. ad 2. & q. 63. artic. 5. ad 4. & art. 6. si enim in primo instanti meruerunt gratiam, de congruo consequenter meruerunt etiam gloriam illi gratiæ correspondentem. Sic docent cum S. Thoma communiter Thomistæ, & Theologi, qui sentiunt Angelos fuisse in primo instanti per actum proprium sanctificatos; pro cuius probatione suppono Angelos per proprium meritum ad beatitudinem peruenisse; quod supponunt etiam S. Thomas suprà, præsertim art. 1. Vasquius 1. part. disp. 229. cap. 1. Caietanus & Recentiores communiter. Adducit autem sanctus Doctor art. 4. in argumento *Sed contra*, ad confirmandam hanc veritatem illud Apoc. 21. *Mensura hominis, quæ est Angeli*. Ita vt sensus sit, in cælesti beatitudine eandem esse mensuram hominis, & Angeli, scilicet meritum. Vasquius dicit hunc sensum esse prorsus alienum à contextu capitis, & varias refert Doctorum expositiones. Sed Viegas ibi sect. 2. per mensuram intelligit merita, & infra subdit, hanc esse vnam ex communibus expositionibus illorum verborum. Quod si talis expositio non acceptetur, vt

S. Thom.

Vasquez. Caietan. & alij.

Viegas.

litteralis, nihilominùs est congruentissima accommodatio, vel etiam æquiparatio, vt notat Suarius lib. 5. de Angelis cap. 9. num. 9. Suarez.

Accedunt congruentiæ, quia si Angeli non essent beatitudinem suis meritis consecuturi, nulla esset ratio cur à principio non crearentur beati. Cùm ergo sit ostensum, non fuisse creatos in beatitudine consummata, signum est creatos fuisse viatores, ita vt suis meritis beatitudinem obtinere possent. Prætereà sic Angeli creati sunt, vt demereri possent beatitudinem, sicut exemplum malorum ostendit: ergo etiam creati sunt apti ad eandem beatitudinem promerendam: Iustus enim & misericors Deus neminem creat in statu demerendi, cui non etiam locum, & potestatem merendi concedat. Demum homines per merita beatitudinem consequuntur: ergo etiam Angeli, qui ceteris paribus aptiores sunt ad merendum, quàm homines. 18.

Hinc autem deducitur, omnes Angelos in primo creationis instanti meruisse primam gloriam, non solùm de congruo, quatenus meruerunt dispositiuè primam gratiam, quæ semen est gloriæ, sed etiam de condigno: sicut enim primum instans iustificationis nostræ diuidimus in duo signa rationis, in quorum primo consideratur contritio vt procedens ab auxilio, & præcedens infusionem gratiæ, quo pacto non est meritoria de condigno, sed solùm de congruo; in secundo verò consideratur eadem contritio vt coëxistens cum gratia habituali in subiecto grato, quo pacto in sententia probabiliori dicitur esse meritoria primæ gloriæ de condigno; sic proportionaliter debemus in Angelis philosophari: nam Scripturæ loquentes de gratia, & charitate Dei communicata hominibus ad Angelos debent extendi, cùm respectu eleuationis eadem sit omnium intellectualium creaturarum ratio. Vnde fit etiam, vt non potuerint Angeli in primo instanti augmentum gratiæ mereri, quia prima gratia datur ratione talis actus, & eidem respondet gloria tali gratiæ proportionata. Quare non habet talis actus valorem ad nouum gradum gratiæ promerendum. 19.

CAPVT IV.

An, & quomodo Angeli in secundo instanti meruerint, & perseuerauerint.

SVppono primò non omnes Angelos in gratia perseuerasse, vt videbimus disp. 23. hic autem de solis illis agimus, qui permanserunt in gratia, & beatitudinem obtinuerunt, qui quidem non in primo, sed in secundo instanti discerni cœperunt. Et licèt Augustinus sæpè mouerit quæstionem, dubiusque permansit, an in primo instanti præuouerint Angeli, qui persistiti, qui verò forent casuri, tamen lib. de corrept. & gratia cap. 10. & sequentibus, veritatem partis negantis constanter docuit, & meritò, quia talis præscientia nisi per specialem reuelationem haberi non potest; talis autem reuelatio non est consentanea statui viatoris; nec prædestinaris sit, nisi ex specialissimo priuilegio; quod in Angelis non est sine fundamento fingendum; in reprobis verò reuelatio sui casus viam sperandi præcluderet, vt dicitur in materia de spe. 1.

Vnde

2. Vnde reiicitur prima sententia illorum, qui dixerunt sanctos Angelos in primo creationis instanti fuisse perfectè beatos: nam eo modo vel omninò negant viam Angelorũ,& per consequẽs vel omne meritũ illis denegant,vel dicunt in patria mereri beatitudinem iam obtentam, & propter merita præmissa collatam, vel si aliquo modo viam admittunt, dicunt non duratione, sed ordine naturæ tantùm vltimum præmium antecessisse,quare necessitatem perseuerantiæ tollunt. Sed iam ex disp.19.cap.1.constat, nullum Angelum in primo creationis instanti fuisse perfectè beatum; & ex supradictis in hac disputatione constat tribuendum esse meritum Angelis. Quod autem non sit meritum posterius præmio, nec prius sola natura, dicemus disputatione sequenti.

3. Suppono secundò, certam aliquam viæ durationem fuisse cunctis Angelis ex diuina ordinatione præscriptam: tempus enim viæ in pura creatura intellectuali vocatur illud in quo nondum ad Dei visionem peruenit, & ad illam suis actibus magis ac magis accedere potest. Vnde cùm, ostensum sit Angelos in primo creationis instanti non vidisse Deum, & certum aliàs sit, posteà vidisse diuinam essentiam, totum illud spatium durationis ab initio creationis vsque ad initium visionis beatificæ vocatur via, quæ incepit intrinsecè per primum sui esse in primo creationis instanti, ac in primo visionis desiit extrinsecè per primum sui non esse; quantitas verò huius durationis non potuit aliunde, quàm ordinatione diuina designari longior aut breuior, iuxta consilium diuinæ voluntatis.

4. Et licet nobis in particulari non constet quantum spatij Deus Angelorum viæ concesserit, videtur tamen primum instans creationis, quo Angeli omnes meruerunt de congruo primam gratiam, & de condigno primam gloriam, & quo fuerunt vniformiter dissonmiter sanctificati, soli instanti nostri têporis coëxtitisse:nam & homines per propriam dispositionem iustificantur, & merentur simultet in vnico instanti. Fit autem consequenter vt ista prima mora, vel instans Angelicum durauerit etiam coexistendo tempori nostro; quia non dantur duo instantia indiuisibilia immediata, sed secundum instans Angelicum incepit per nouum actum elicitum in instanti indiuisibili, cum hi actus connaturaliter incipiant per primum sui esse: ergo primum instans Angelicum, licèt quoad primam sanctificationem fuerit prorsus indiuisibile, quoad conseruationem verò primi actus, & gratiæ iustificantis in omnibus Angelis etiam malis debuit durare aliquo tempore nostro. Sed quantum hoc fuerit incertum nobis est. Conueniunt tamen Doctores moram illam fuisse breuissimam: nam Ioan.8.dicitur Angelus peccasse ab initio, id est, paulò post suam creationem, vt colligit inde Augustinus 11. de Genes.ad litteram cap. 16. Secunda etiam mora breuis fuit: nec enim egebant Angeli longo spatio viæ, cùm sint promptissimi, & velocissimi in operando. Conueniunt etiam Theologi cunctos Angelos habuisse viam æqualem quoad durationem: omnis enim discretio Angelorum facta est post peccatum, & meritum ipsorum in termino viæ. Vnde æque talem terminum æqualis concessa est mora merendi, vel demerendi.

Ioan.8. August.

5. Suppono tertiò, legem illam: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, non solùm hominibus, sed etiam Angelis positam esse; tum quia totam viam opus est peragere, vt perueniatur ad terminum; tum etiam quia lex illa, *si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes iustitiæ eius non recordabuntur*, etiam Angelos comprehendit, siquidem eandem rationem æquitatis & iustitiæ in illis habet. Tum denique quoniam ob istam causam Diabolus fuit damnatus, quia in veritate non stetit: ergo necessarium fuit Angelis, vt cum gratia peruenirent ad viæ finem ad hoc vt immediatè pòst in beatitudinis statum tanquam in vltimum terminum transferrentur.

Iam potest esse secunda sententia dicens Angelos creatos fuisse in pura natura, ideòque in primo instanti non meruisse, sed in secundo, & tunc non augmentum gratiæ, sed asserunt fuisse primum,& forsan vnicum meritum Angelorum, non tam gratiæ, quàm gloriæ. Hæc tamen sententia refellitur ex dictis disp.19.cap.2.siquidem ostendimus omnes Angelos fuisse creatos in gratia. Quare destructo fundamento facilè ruit opinio; illa verò quæ docet Angelos in secundo instanti nouum habuisse meritum gloriæ, quam simul receperint, disputatione sequenti tractanda erit. 6.

Tertia sententia fatetur Angelos in gratia fuisse conditos,& in primo instanti gloriam meruisse, negat tamen in secundo instanti nouum meritum Angelorum. Ita Ferrara 3.contra Gent. cap.110. §. *Hæc dicta sunt*, videntur consentire Valentia tom.1.disput.4. quæst.13.puncto 2. & Vasquius 1.part.disp.229.cap.11.quatenùs asserunt Angelos in vnico instanti meruisse;fatentur tamen toto tempore quo Angeli mali priùs meruerunt, & posteà peccarunt sanctos Angelos meruisse, & merendo perseuerasse; quare solùm quoad numerum instantium conueniunt cum Ferrara, non verò quoad rationem merendi in decursu viæ. 7.

Ferrara. Valentia. Vasquez.

Probat Ferrara primò authoritate S. Thomæ, qui 1.part. quæst.62. art.5. docuit sanctos Angelos per vnicum actum meritorium ad terminum æternæ beatitudinis peruenisse: sed instans Angelicum est vnica eius operatio: ergo in vnico instanti meruerunt; sed illud fuit primum instans: nam in illo meruerunt gloriam, vt idem S. Thomas affirmat quæst.63.art.5.ad argumenta: ergo in secundo instanti non meruerunt. Probat secundò, nam in ea quæst. 63. artic.6. dicit S.Thomas malos Angelos per meritum primi instantis consecuturos fuisse beatitudinem, nisi posuissent impedimentum peccando: ergo similiter Angeli sancti per illud solum primum meritum obtinuerunt beatitudinem, addita solùm illa conditione, quòd non posuerunt impedimentum ad quam nullum requiritur meritum. 8.

S.Thom.

Vnde arguit Ferrara: nam in secundo instanti priùs natura quàm beatificarentur Angeli sancti solùm se habuerunt negatiuè non ponendo impedimentum, & hoc satis est,vt præmium prioris meriti receperint: ergo non fuit in illis nouum meritum. Valentia verò colligit, quamuis in illo puncto, in quo mali peccabant, Angeli sancti non essent otiosi, nihilominus non habuisse nouum actum, nec instans distinctum, quia solùm in primo Dei amore perseuerabant: ergo sine nouo merito per vnicum actum peruenerunt ad terminum, quod sanè Dei prouidentiæ naturæque Angelicæ magis consentaneum est. 9.

Cæterùm contra sententiam istam dicendum 10.

est sanctos Angelos prout coëxriterunt peccato Dæmonum fuisse viatores, & aliquam gratiam, vel augmentum gratiæ, gloriæque meruisse. Sic fatentur communiter Theologi, licèt in modo philosophandi dissideant: nam qui dicunt Angelos non habuisse gratiam simul cum natura, vel si habuerunt illam pro primo instanti, nihil meruisse pro tunc, consequenter asserunt in secundo instanti meruisse saltem totam suam gloriam; & quidam illorum putant statim in eodem secundo instanti eam recepisse. Alij verò id negant. Prætereà qui sentiunt omnes Angelos meruisse in primo instanri, dicunt nihilominùs consummasse meritum sunm, quando mali demereri cœperunt. Qui variant etiam circa receptionem præmij, videlicet an in eodem instanri, an immediatè post illud receperint. Sic verò possunt pro ista conclusione citari Bonauentura in 2. dist. 5. art. 3. quæst. 2. Richardus art. 2. quæst. 1. Argentina quæst. 1. art. 4. Scotus quæst. 1. Gabriel quæst. 1. art. 2. Bassolis quæst. 1. artic. 3. Gregorius quæst. 1. artic. 3. Maior quæst. 2. Marsilins in 2. quæst. 4. artic. 2. conclus. 4. Maironus in 3. dist. 17. quæst. 1. Capreolus in 2. dist. 4. quæst. 1. art. 1. conclus. 5. Caietanus hic quæst. 63. art. 6. Molina ibi, Vasquius & Valentia suprà, Suarius lib. 5. de Angelis cap. 11. Becanus 1. part. tractatu 3. cap. 3. quæst. 2. & 3.

Bonauent. Richard. Argent. Scotus. Gabriel. Bassolis. Gregorius. Maior. Marsilius. Mairon. Capreolus. Caietan. Molina. Vasquez. Valentia. Suarez. Becanus.

11. Probatur primò ex Patribus qui dicunt Luciferum primum omnium peccasse, aliosque prouocasse, cui quidem consenserunt, alij verò restiterunt. Vbi supponitur omnes tunc temporis viatores fuisse, siquidem alij peccarunt, & ceteri potuerunt saltem peccare, subindeque erant in statu merendi per resistentiam, vel demerendi per consensum. Quòd autem hanc potestatem peccandi, consentiendique Lucifero cuncti sancti Angeli habuerint in illomet instanti, quod fuit secundum existentiæ Luciferi, & primum peccati eius, tam ordine temporis, quàm naturæ, probatur ex Patrum testimoniis suprà relatis disp. 19. cap. 1. dubitat. 2.

12. Gregor. Præsertim expendo illa verba Gregorij homil. 7. in Ezech. *quia cadentibus aliis sancti Angeli in sua beatitudine perstiterunt, hoc acceperunt in munere, vt iam cadere omninò non possent.* Vbi satis significat pro tunc in vtrorumque libera potestate tam casum, quàm permanentiam fuisse, ac per istam meruisse sanctos Angelos beatitudinis præmium. Idem aduerti potest in verbis Gelasij relatis ibidem, Prosperi, Damasceni, Fulgentij, & Anselmi. Declarat Rupertus lib. de timore Domini cap. 7. quatenùs docuit Angelos sanctos, quia peccare noluerunt cùm possent peccare, remuneratos fuisse. Consonat Augustinus de corrept. & gratia cap. 10. & 11. cuius verba dedimus ea dubitat. 2.

Rupert. August.

13. Probatur secundò ratione, Deus ex parte sua vniformiter se gessit cum omnibus Angelis quoad statum, donec illi per sua opera inæquales in Dei beneficientia recipienda se fecerunt, vt communiter docent Patres; nec est ratio, vel auctoritas ad præsumendum Deum tale discrimen, præsertim in beatitudine conferenda ex se solo fecisse, sed in illa secunda mora, vel duratione, ac in illo priori naturæ, in quo debent omnes considerari priusquàm inæqualiter operentur, nulla disparitas in actuali operatione illorum inuenitur: ergo in primo illo signo naturæ omnes ex parte Dei erant æquales, vel vniformiter se habebant quoad rationem status; nec magis sunt boni per visionem beatam præuenti quàm mali: ergo omnes habuerunt in illo instanti saltem naturæ eandem libertatem, ac potestatem benè, vel malè operandi, ac per consequens fuerunt æquè viatores, & in statu merendi, ac demerendi. Quare sicut mali demeruerunt, ita boni meruerunt.

Quòd autem sancti Angeli in ea mora, qua Dæmones peccarunt, meruerint de nouo, scilicet nouum augmentum gratiæ, ac gloriæ, probatur: nam illi erant viatores & in statu merendi, habebantque conditiones omnes necessarias ad meritum, & non erant otiosi, sed actualiter operantes, quia præter cognitionem supernaturalem abstractiuam, & volitionem, vel volitiones supernaturales elicitas in primo instanti nouos actus liberos habuerunt supernaturales, vt videbimus: Imò licèt nullum actum elicuerint tunc de nouo saltem conseruarunt actus elicitos in primo instanti, quod sufficit ad nouum meritum, seu maius, scilicet augmenti gratiæ & gloriæ; siquidem perseuerantia in eodem opere bono licèt physicè nihil ei addat, moraliter auget meritum propter difficultatem perseuerandi, & maiorem valorem moralem operis, vt dicitur 1. 2. quæst. 114. 14.

Ad primum tertiæ sententiæ respondetur, cùm S. Thomas ait Angelos recepisse præmium beatitudinis post vnum actum meritorium, vel vocare vnicum instans Angelicum totam illam moram ab instanti creationis vsque ad adeptionem beatitudinis propter vnum aliquem actum amoris Dei, vel similem quem credit in bonis Angelis per totam illam durationem perseuerasse, vel loqui de instanti Angelico quoad actum meritorium de condigno non solùm gloriæ, sed etiam gratiæ scalicet nouæ, superadditæque, illi quam in primo creationis instanti meruerat Angelus solùm de congruo. 15.

Ad secundum testimonium potiùs probare contrarium, nostræque sententiæ fauere: docet enim S. Thomas Angelos non recepisse præmium statim propter meritum primi instantis, sed priùs relictos esse suæ libertati, & probatos an perseuerarent, vel obicem ponerent, quod tam de bonis quàm de malis intelligendum est, siquidem omnibus vniformiter prouidit Deus, & propterea docet S. Thomas Angelos sanctos non posuisse obicem cùm possent, quod quidem fuit liberè resistere suggestioni peruersæ, ac per actum positiuum adhærere Deo: ergo fuit meritorium vtique nouæ gratiæ ac gloriæ. 16.

Vnde non rectè colligit Ferrara sanctos Angelos in secundo instanti priusquam beatificarentur merè negatiuè se habuisse non ponendo obicem: nam si hoc accipiatur de proprietate durationis credibile fit sanctos Angelos per aliquã durationem realem ab omni actu bono penitùs cessasse; si capiatur de prioritate naturæ supponit in illo secundo instanti sanctos Angelos præuentos esse per visionem beatam priusquàm aliquid possent operari, quod est tollere iam statum viæ, inæqualemque facere Deum in reddendo beatitudinis præmio nondum præsupposita inæqualitate meritorum, vel operum: deliberatio ergo tam bonorum quàm malorum expectata fuit, vt iuxta diuersitatem operum diuersa forent illorum stipendia. Ad illationem Valentiæ iam constat solam perseuerantiam in bono actu sufficere ad nouum meritum, vel ad augmentum illius. 17.

CAPVT

CAPVT V.

Minores quæſtiunculæ expediuntur.

1\. QVæritur primò quomodo Angelorum inſtantia quoad viam, & terminum diſtinguenda, numerandáue ſint? pro quo ſuppono inſtantia Angelica in actibus Angelorum collocari: nam quilibet actus intellectus vel voluntatis habet ſuam durationem de ſe indiuiſibilem, ac permanentem ſine ſucceſſione, quamuis mutabiliter, quæ duratio dicitur inſtans. Vnde generatim loquendo de durationibus intrinſecis actuum intellectus, aut voluntatis Angelicæ, quot ſunt actus, tot ſunt durationes, ac ſubinde tot inſtantia; ſi verò plures actus coëxiſtant ſimul tanquam vnum inſtans reputantur, quia nec ſucceſſionem habent, nec tempus componunt; ſi tamen vnus ſit poſt alium, tunc componunt tempus diſcretum, & habent ſucceſſionem, ideóque propriè ſunt plura inſtantia. Quòd ſi Angelus habens plures actus ſimul, dum in vno perſeuerat per aliquam moram, in aliis habeat ſucceſſionem, & variationem, ad quæſtionem de nomine pertinebit, an abſolutè dicendum ſit vnicum inſtans Angelicum propter permanentiam vnius actus, an verò plura inſtantia propter ſucceſſionem aliorum.

2\. Suarius. Mihi videtur cum Suario lib. 5. de Angelis cap. 11. num. 14. Becano, & aliis talis ſucceſſio ſufficere ad conſtituendum ex ea parte tempus diſcretum, & plura inſtantia, quamuis aliunde reſpectu alterius actus ſit vnum inſtans quoad intrinſecam durationem illius: ſicut enim vnum inſtans Angelicum coëxiſtere poteſt tempori noſtro per longam moram ſucceſſiuam ipſius, ita poteſt coëxiſtere tempori diſcreto, ſeu pluribus inſtantibus Angelicis habentibus inter ſe ſucceſſionem, eadem ſcilicet Angelica mente aliunde perſeuerante in alio actu, v.g. Angelus perſeuerans in cognitione dilectionéque ſui, vel etiam alterius obiecti poteſt ſimul conſiderare modò cælum, modò terram vnum poſt aliud cognoſcendo. Tunc ergo in hac varietate ſunt plura inſtantia, tempuſque diſcretum, licet huic coëxiſtat alia indiuiſibilis duratio ſecundùm alium actum.

3\. Itaque prima ſententia poteſt eſſe; vnicum ſolum inſtans ſanctis Angelis fore aſſignandum, quo fuerint creati, ſanctificati, & glorificati, vel ſine merito, vel cum merito, non tempore, ſed natura præcedente, vel certè nullatenùs antecedente, ſed ſubſequente, & præuiſo. Sic innuit Lud. Viues. Ludouicus Viues in Scholio ad Auguſtinum 11. de Ciuit. cap. 9. dicens Angelos fuiſſe beatos in primo creationis inſtanti, non tamen explicat, an in illo inſtanti fuerint etiam viatores, vel an poſteà fuerint vnquam in ſtatu merendi, licèt Deum viderent. Fundamentum huius ſententiæ iam ſuprà dirutum eſt diſput. 19. cap. 1. nec opus eſt amplius circa illam immorari.

4\. S. Thom. Bonauent. Ægid. Rom. Richard. Argent. Marſilius Albert. Mairon. Secunda ſententia duo aſſignat inſtantia, primum, quo creati ſunt Angeli in pura natura; ſecundum quo fuerunt ſimul ſanctificati, & glorificati; ſic ſenſit olim S. Thomas quodlibeto 9. art. 8. & in 2. diſt. 5. quæſt. 2. art. 2. Bonauentura, Ægidius Rom. Richardus, Argentinas, & Marſilius 2. quæſt. 3. artic. 2. Albertus in ſum. 2. part. tractatu 4. art. 19. Maironus in 2. diſt. 17. quæſt. 1. Hæc tamen ſententia iam manet impugnata ſuprà cap. 2. dum oſtendimus omnes Angelos in primo inſtanti gratiam habitualem recepiſſe.

Tertia ſententia duo quoque ponit inſtantia, 5.
primum viæ, ſecundum termini, quam ſic defendit Caietanus, vt primum fuerit ſolius viæ, ac meriti, ſecundum viæ ſimul & termini; ſubindéque hoc poſterius fuerit ſecundum viæ, & primum termini; quam opinionem quoad hanc ſecundam partem diſputatione ſequenti reiiciemus, oſtendendo viam, & terminum non fuiſſe ſimul duratione. At Ferrara ſolùm vnum inſtans viæ, ac meriti, aliudque termini admittit. Sed hanc ſententiam refellimus capite præcedenti, quatenùs aſſerit in ſecundo inſtanti, priuſquam Angeli ſancti beatificarentur ſolùm ſe habuiſſe negatiuè, quaſi pro tunc poſſent peccare, nec tamen peccarint, nec meruerint, quod diximus perfectionem Angelicam non decere.

Alij verò Thomiſtæ, Vaſquius, ac Valentia, 6.
qui toto tempore viæ fatentur Angelos meruiſſe, ac nihilominùs tribuunt bonis Angelis duo ſolum inſtantia, cùm malis concedant tria; vnde fit primum inſtans bonorum duobus malorum coëxtitiſſe, magis in modo loquendi, quàm in teipſa diſcordant à veritate. Niſi velis controuerſiam mouere de re, ſcilicet an ille dilectionis actus, quem Angeli elicuerunt in primo creationis inſtanti manſerit immutatus tota illa mora, quam mali Angeli peccando conſumpſerunt; in qua quæſtione cùm ſit de facto, probabiliter poteſt pars affirmatiua defendi, quia cùm talis actus ab initio fuerit perfectiſſimus, & plenitudine deliberatus, non apparet an eſſet interrumpendus, aut variandus à ſanctis Angelis. Poteſt item excogitari nouum aliquod motiuum per nouam reuelationem Angelis innotuiſſe. Vnde feruentiùs in ſecundo inſtanti diligerent Deum.

Quarta ſententia quatuor numerat inſtantia, 7.
primum creationis puræ, ſecundum primæ ſanctificationis eiuſdem naturæ, tertium proprij meriti, perſeuerantiæ, & augmenti gratiæ, quartum glorificationis. Hanc opinionem refert Scotus in 2. diſt. 5. quæſt. 1. §. *Ad primam quæſtionem*, nec omninò refellit; refert etiam alios aliter numerantes ponendo primum creationis ſolius naturæ ſine vlla bona, vel mala operatione, ſecundum bonæ operationis moralis intra ordinem naturæ, tertium ſanctificationis ac meriti, quartum glorificationis. Sed contra vtrumque modum dicendi monſtraui cap. 2. omnes Angelos in primo inſtanti meritum ſupernaturale, gratiamque habitualem habuiſſe. Scotus.

Dicendum igitur eſt Angelorum ſanctorum 8.
viam vſque ad terminum eius incluſiuè tribus inſtantibus, ſeu morulis fuiſſe peractam, totidem malorum reſpondentibus. Primum inſtans fuit creationis, & ſanctificationis cum diſpoſitione ad illam, & conſequenter cum merito condigno gloriæ; quod inſtanti noſtro indiuiſibili reſpondiſſe diximus cap. 4. num. 4. Secundum inſtans fuit perſeuerantiæ in gratia cum merito de condigno gratiæ, ac gloriæ; quod per tempus noſtrum, etſi breue, duraſſe diximus ibidem. Tertium inſtans fuit receptionis gloriæ, quod dicitur inſtans loco modo, id eſt, indiuiſibilis duratio, in re tamen eſt quædam æternitatis participata, vel æuum quo beatifica viſio menſuratur durans cum initio, ſed ſine fine.

Hanc ſententiam docent Capreolus in 2. diſt. 4. 9.
quæſt. Capreol.

Molina. Scotus. Gregor. Maior. Gabriel. quæst. 1. conclus. 4. & 5. Molina 1. part. quæst. 63. art. 6. conclus. 1. Vbi refert pro illa Scotum in 2. dist. 9. quæst. 1. & 2. Gregorium ibidem quæst. 1. art. 3. Maiorem quæst. 3. Gabrielem quæst. 1. qui quidem in numero trium instantium conueniunt, licèt in statu, vel actionibus, quas Angeli habuerunt in singulis instantibus discrepent inter se; tenent etiam Suarius. Becanus. Suarius lib. de Angelis 6. cap. 3. & Becanus 1. part. tractatu 3. cap. 3. quæst. 2. & 3. Probatur quoniam in sanctis Angelis tres veluti status considerandi sunt, primus cunctis Angelis vniformis, dum in primo creationis instanti omnes vniformiter difformiter se disposuerunt, & gratiam receperunt. Secundus difformis in merito, vel demerito; fortasséque nouam adduxit illuminationem, aut promulgationem præcepti noui, quod boni acceptarunt, mali verò transgressi sunt. Tertius in bonis fuit beatificus, in malis autem damnationis: Sed hi tres status ita sunt diuersi, vt nullus cum aliquo aliorum simul duratione coëxistere potuerit: ergo illis statibus tres morulæ, vel instantia necessariò respondent.

10. Minor est sigillatim probanda, & in primis quoad distinctionem primi & secundi instantis ostenditur: nam Angeli sancti post cognitionem, & amorem Dei, quem habuerunt in primo instanti, exercuerunt varios actus liberos bonos, & supernaturales, quos in primo creationis instanti elicuerunt simul cum primo actu cognitionis, vel amoris Dei; atque actus isti fuerunt viæ, & non termini: ergo tales actus verè cõstituerunt secundam moram, in qua boni Angeli nouum meritum habuerunt, siquidem iuxtà dicta num. 1. & 2. distincti actus, quorum vnus sequitur post alium, constituunt Angelica instantia distincta, nec potuerunt Angeli nouos actus intellectus, seu voluntatis elicere, quin ab aliis actibus desisterent, cùm iuxta superiùs dicta disp. 14. cap. 1. num. 22. semper sint in actu adæquato suæ virtuti cognoscendi, & consequenter volendi.

11. Antecedens probatur, primò verisimillimum est mysterium Incarnationis non fuisse reuelatum Angelis in primo instanti, quia non possent tot, & tanta mysteria capere simul; vnde fit habuisse posteà nouam cognitionem, & nouum actum voluntatis, vel amoris singularis erga Christum; vel adorationis eidem exhibitæ. Secundò, quia iuxta doctrinam Patrum Lucifer in secunda mora peccauit, & alios ad peccandum induxit, cui boni restiterunt: Hoc autem fieri non potuit sine nouis actibus intellectus & voluntatis sanctorum Angelorum: oportuit enim eos audire Luciferi excitationem; siue per verbum, siue per exemplum factam, & ipsi per nouos actus resistere. Verisimile quoque fit, cognito periculo cadendi elicuisse actus orationis, quibus auxilium diuinum implorarunt, exercuisse quoque peculiares actus humilitatis, & subiectionis ad Deum. Hæc autem omnia tam diuersa sunt ab actibus primi instantis, vt secundum constituant.

12. Quod autem hæc secunda mora etiam in sanctis Angelis fuerit intra tempus viæ, constat, quia sancti Angeli non sunt præueniti visione beatifica ad resistendum Lucifero, & perseuerandum in obedientia Dei, sed in hoc etiam suæ libertati relicti sunt, vt manifestè conuincitur exemplo malorum Angelorum qui Luciferum secuti sunt: non enim est cur intelligatur Deus hos potiùs Angelos, quàm illos præuenisse per visionem beatam, priusquam istorum constantiam, & illorum defectionem probaret: ergo boni Angeli non idcò restiterunt, quia beati iam erant, sed potiùs quia restiterunt, & fideles inuenti sunt, & beatificati fuerunt: ergo sancti Angeli tales actus operabantur adhuc vt viatores, ac per consequens illa secunda mora pertinebat ad ipsorum viam. Confirmatur quia cùm nondum essent beati, debebant ambulare per fidem, ac subinde per cognitionem viatorum propriam: Vnde tandem concluditur illos actus fuisse meritorios nouæ gratiæ, ac gloriæ, quoniam in illis concurrebant omnes aliæ conditiones necessariæ ad meritum simul cum statu viæ, & cum sufficienti antecessione ad præmium.

Quoad distinctionem tertij instantis à secundo probatur illa minor, tum quia in nobis primum esse præmij, seu visionis beatæ distinguitur à via, ita vt in eo instanti, nec mereri, nec peccare possimus, alioquin in primo non esse hominis in quo primò anima separatur à corpore, & in quo si nihil differat expiandum, primò videt diuinam essentiam, posset peccare, quod non est dicendum: ergo rationi consentaneum est Angelos etiam in primo instanti visionis beatæ nec mereri, nec peccare potuisse, ac per consequens nec viatores fuisse; tum etiam quia status viatoris, & comprehensoris suapte natura pugnant inter se, nec est vlla necessitas coniungendi primum instans beatitudinis cum instanti, quo erat viator, & peccare poterat, ac amittere beatitudinem; tum denique quia in viatore, qui non sit simul comprehensor, vt erat Christus Dominus, meritum procedit ex fide: sed Angelus in primo beatitudinis instanti non habuit fidem, quoniam hæc repugnat cum visione clara, vt ipsi Thomistæ fatentur: ergo Angeli in illo tertio statu cessarunt ab actu fidei, & elicuerunt actum visionis, quod sufficit ad discernenda illa duo instantia Angelica; nec est cur vnum cum alio tam diuerso confundatur. 13.

Eòdem discursu potest concludi non fuisse plura instantia, quàm tria, quia non fuerunt in Angelis plures status inter se successionem postulantes: licèt enim Angelus considerari possit in statu naturæ & gratiæ, & in statu actualis operationis, vel solius actus primi, hi status non petunt inter se successionem, sed possunt esse simul, & quod à principio ita fuerint perfectius est, & ipsorum naturæ, ac diuinæ prouidentiæ magis consonum. 14.

Quæritur secundò, an in secundo instanti omnes Angeli boni semper boni fuerint, & omnes Angeli mali semper fuerint mali? Duplex enim distingui potest perseuerantia in bono, vel pertinacia in malo; prima continua, quando qui sanctificatur ab initio sine vlla interruptione peccati commissi sanctus ad finem vsque viæ perseuerat, vel qui semel peccat, sine vlla per resipiscentiam interruptione vsque ad finem viæ peccator existit; secunda est per varias interruptiones, quibus cadendo, & resurgendo quispiam ad viæ terminum peruenit in gratia, vel in peccato. Inquirimus igitur, vtrùm Angeli, qui semel peccarunt, per pœnitentiam resipuerint; & an omnes, qui semel in secunda mora benè deliberarunt, & Lucifero resistere cœperunt perseuerantes fuerint in bono vsque ad finem suæ viæ considerandò illam, vt successiuam per coëxistentiam ad nostrum tempus. 15.

Dicendum,

16. Dicendum est primò in sanctis Angelis de facto solam esse repertam perseuerantiam continuam cum innocentia coniunctam, quoniam *Angelis peccantibus Deus non pepercit*, vt inquit Petrus, & sæpè repetunt Patres referendi disput. 26. cap. 1. Ratio potissima fuit, quia noluit Deus pœnitentiam Angelis concedere.

17. Dicendum est secundò, omnes Angelos, qui post primum instans creationis, & iustificationis suæ primam conuersionem ad Deum confirmarunt, siue per conseruationem eiusdem, siue per additionem noui actus obedientiæ, & amoris erga Deum, in gratia perseuerasse vsque in finem, & vitam æternam obtinuisse. Sic videtur sentire sanctus Thomas in hac quæst. 62. & 63. vbi sæpè docet omnes Angelos, qui in secundo instanti non posuerunt obicem beatitudini, consecutos illam fuisse. Videtur etiam communis sententia Theologorum sic tenentium, tum quia hoc est magis conforme modo loquendi Scripturæ, & Patrum, tum quia per se est valde credibile: nam illa secunda mora fuit breuissima, & alioquin illa bona conuersio ab vno quoque Angelo cum magna luce, & consideratione facta est in iudicio (vt sic dicam) contradictorio, & in actuali prælio aduersariorum spirituum: ergo verisimillimum est omnes, qui benè elegerunt, séque malis opposuerunt in incepto bono perseuerasse.

S. Thom.

18. Dices in illa secunda mora potuerunt Angeli varios actus elicere, non tantùm simul, sed etiam vnum post alium successiuè, vt Scotus, & Gabriel in 2. distinct. 5. & 6. docuerunt: ergo etiam post actum bonum initio illius moræ elicitum potuit aliquis Angelus retrocedere, facerèque malum actum ob quem damnaretur. Probatur consequentia, quia per totam illam moram omnes fuerunt plenè liberi, atque peccabiles, siquidem nec amiserant potestatem peccandi per visionem beatam, quam nondum receperant, nec per confirmationem in gratiam, quia hoc donum extraordinarium est, & non sine fundamento generaliter pro statu viæ tribuendum erit omnibus Angelis, qui bonam electionem inchoarunt in secunda mora: ergo simpliciter habuerunt Angeli potestatem malè operandi post plenam deliberationem bonam: ergo verisimile fit ex tanta multitudine aliquos retrocessisse, & corruisse.

Scotus. Gabriel.

19. Respondetur voluisse Deum omnibus Angelis, quibus dedit in secundo instanti auxilium efficax ad benè operandum, tribuere simul omnia auxilia congrua necessaria ad perseuerandum, quod suadet authoritas, & coniecturæ suprà factæ. Vnde fit, licèt omnibus Angelis in secundo instanti data fuerint auxilia præuenientia physicè loquendo vniformiter æqualia, sicut in primo instanti, fuisse tamen moraliter inæqualia, quatenùs Angeli boni habuerunt auxilium efficax, mali verò solùm sufficiens, & per consequens boni receperunt auxilium adiuuans, & donum perseuerantiæ, non mali. An autem Angeli ad perseuerandum per moram illam indiguerint maiori auxilio etiam physicè? Affirmat Suarius lib. 5. de Angelis cap. 12. n. 19. quoniam homines etiam ad diu perseuerandum in bono indigent maiori physicè auxilio; eadémque ratio, & eadem maior difficultas videtur esse in Angelis viatoribus. Alij negant, quoniam illa mora fuit breuissima, & Angeli promptiores sunt ad benè operandum quàm homines. Vtrumque probabile.

Addendum est sicut in primo instanti receperunt Angeli primam gratiam cum proportione ad perfectionem naturæ iuxta dicta cap. 3. sic etiam in secundo instanti cum eadem proportione meruisse sanctos Angelos augmentum illius, & in tertio subinde recepisse mensuram gloriæ, quia sanctus Dionysius de cælesti hierarch. cap. 6. & 7. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 15. & sanctus Thomas in hac quæst. 62. artic. 6. eodem modo loquuntur de distributione gloriæ, quo distributionem gratiæ factam Angelis describunt; eadémque ratio militat in vtraque, tum ex parte Dei, qui voluit seruare proportionem istam, vt pulchritudo Regni cælestis magis eluceret, ac subinde sicut in primo instanti contulit omnibus auxilia efficacia vniformiter difformiter ad primam sanctificationem, sic in secundo instanti credendus est dedisse bonis Angelis auxilia efficacia cum eadem proportione ad augendam gratiam receptam; tum ex parte Angelorum, qui sicut in primo instanti toto conatu se disposuerunt pro mensura gratiæ præuenientis, sic etiam in secundo censendi sunt ad augendam gratiam adhibuisse conatum vniformiter difformiter pro mensura diuinorum auxiliorum, quæ naturali perfectioni singulorum respondebat. 20.

S. Dionys. Basilius. S. Thom.



DISPVT. XXI.

De beatitudine Angelorum.



POst viam Angelorum, quia duas morulas, siue duo instantia diximus contineri, sequitur terminus, seu tertium instans beatitudinis explicandum in ista disputatione.

CAPVT I.

Vtrùm Angeli statim post meritum receperint beatitudinem.

PRima sententia, potiùs error, antiquorum negabat Angelos, vel homines posse clarè videre Deum. Vnde colligebant nec Angelos, nec homines posse beatitudinem consequi; sic refert Gregorius Magnus lib. 18. moral. cap. penultimo. Eundem errorem forsan habuerunt Iudæi, qui teste Hieronymo in cap. 1. Isaiæ, idcò peremerunt Isaiam, quòd dixerit, se vidisse Deum. Sed errorem istum refellimus suprà lib. 1. disput. 19. vbi Scripturas & Patres in contrarium adductos exposuimus; & certè dum Angelis videntur claram Dei visionem negare, de sola comprehensione loquuntur: nam aliis locis talem visionem illis apertè concedunt. Nullus enim luculentiùs docuit Angelos videre clarè Deum, & omnia in ipso, quàm Augustinus, & tamen lib. 4. de Genes. ad litteram cap. 8. ait, *non esse notam Angelis Dei substantiam, sicut ipsa est sibi*, & S. Martialis in epistola ad Tolosanos cap. 27. dixit, *visionem* 1.

Gregor. Hieron. Augustinus. S. Martialis.

Dei esse, qua soli Angeli perfruuntur, & omnes perfecti in dilectione eius, ad quam peruenire desideramus, & tamen in epistola ad Burdegalenses cap. 10. ait. *Trinitatem solam seipsam nosse, quia vltra omnem sensum Angelicarum virtutum, & Potestatum vera diuinitas excellit*, quod tamen exponens subdit; *quam impossibile est etiam ab spiritibus Angelicis comprehendi*. Idem est de alijs Patribus.

2. Secunda sententia potest esse, Angelos non immediatè post secundum instans consummati meriti beatitudinem recepisse. Probatur primò ex 1. Petri 1. vbi dicitur, *in quem desiderant Angeli prospicere*. Quod enim desideratur nondum habetur: ergo Angeli nondum vident Deum, nec per consequens immediatè post meritum receperunt præmium, quod ex illis verbis aliquos collegisse refert Gregorius lib. 18. Moralium cap. 38. aliàs 28. Probatur secundò: nam Angeli consecuti sunt gloriam per Christum, vt probabilior opinio fert: ergo non debuerunt ante Christi animam videre Deum: patet consequentia, tum quia non decet membra ante caput gloriam introire, tum etiam quia proptereà nullus sanctorum hominum, etsi merita sua consummassent, & omni culpa, reatúque pœnæ mundi essent, gloriam recepit, donec Christus Dominus mortuus est; tum denique quia Nazianzenus oratione 42. quæ est 2. de Theologia, in principio ait, diem resurrectionis Christi salutem attulisse mundo *tam visibili, quàm inuisibili*. Vbi Nicetas per mundum inuisibilem sanctos Angelos intelligit, quibus etiam illo die salutem scilicet consummatam contigisse declarat. Probatur tertiò: nam illa secunda mora, quam assignauimus disput. 20. cap. 4. num. 4. breuissima fuit, præmium verò sanctorum Angelorum est magnum, & maius quàm in sanctis hominibus regulariter inueniatur; Quare maximum meritum debuit præcedere, nec potuit tam breui duratione tantum meritum consummari.

1. Petr. 1.

Gregorius.

Nazian.

3. Cæterùm Theologi, licèt in enumerandis instantibus dissentiant, communiter tamen conueniunt in duobus. Primum est viam Angelis ad merendum concessam fuisse breuissimam: nam hoc est maximè consentaneum illorum naturæ, verisimiléque fit Deum vnicuique naturæ prouidere etiam in supernaturalibus modo ipsi accommodato, & cum debita proportione. Secundum est sanctos Angelos immediatè post consummatum meritum accepisse præmium visionis beatæ, quia nihil erat quod ex parte ipsorum receptionem præmij retardaret, & ex parte Dei est hoc diuinæ magnificentiæ, & iustitiæ maximè conforme.

4. Ad primum in oppositum omissis varijs expositionibus, quas referunt moderni, nobis sufficiat illa, quam eodem loco tradit Gregorius, scilicet illud desiderium excludere fastidium, non rem desideratam. Sequuntur Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 10. sent. 22. Beda lib. variarum quæst. 9. sanctus Thomas 1. part. quæst. 58. art. 1. ad 2. & 1. 2. quæst. 67. art. 4. ad 3.

Isidorus. Beda. S. Thom.

5. Ad secundum respondetur in primis Angelos vidisse clarè Deum ante diem resurrectionis Christi, vt ipsemet docuit Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, quod de visione beata capiunt Patres, & dum inferioribus tribuitur, quibus cura pusillorum commissa est, multò magis superioribus, qui iuxta superiùs dicta habuerunt maiora merita; quod significat Hilarius ibi, & Hieronymus Isaiæ 1. Vnde colligitur etiam antequam Christus veniret, fuisse Angelos beatos, quia si ianua videndi Deum ante Incarnationem tam Angelis sanctis, quàm hominibus clausa fuisset; sicut hominibus vsque ad Christi mortem aperta non fuit, ita nec Angelis fuisset aperta; vel si iam Angeli ante Christi passionem fuerunt beati, debuerunt etiam ante incarnationem beatitudine potiri, siquidem ad suam gloriam non magis indiguerunt inchoata redemptione, quàm consummata.

Matth. 18.

Hilarius. Hieronym.

Confirmatur ex alijs locis veteris testamenti Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millium assistebant ei*. Tob. 12. *Ego sum Raphael Angelus vnus ex septem qui astamus ante Dominum*, nam astare, vel assistere ante Deum idem est quòd illum perpetuò videre, & laudare, per antonomasiam autem quibusdam excellentioribus tribuitur, quia non mittuntur ad externa ministeria, vt docet Gregorius lib. 17. Moral. cap. 9. quamuis generalius omnes dicantur assistere, quia licèt mittantur, à diuina visione non recedunt, vt ibidem dicit Gregorius, & latiùs 2. Moral. c. 2. & Bernardus serm. 5. in dedicatione Ecclesiæ. 6.

Dan. 7. Tob. 12.

Gregorius. Bernard.

Addendum est bonos Angelos vidisse clarè Deum, antequam Adamus peccaret, quotuam Angeli mali statim post lapsum in ipso mundi exordio damnati sunt, sed non citius est illis pœna tributa, quàm sanctis Angelis præmium: ergo etiam Angeli sancti receperunt coronam ab initio mundi statim post victoriam. Consequentia patet, & minor etiam constat ex perfectione diuinæ iustitiæ, ac prouidentiæ adiuncta bonitate Dei, quæ pronior est ad benefaciendum, quàm ad puniendum. Maior ex eo colligitur, quod quando Dæmon tentauit Euam, iam erat damnatus, vt videbimus disput. 26. ergo tunc etiam Angeli sancti erant plenè beati, sicque docet planè Augustinus 1. de Gen. ad litteram cap. 17. & sequentibus, & lib. 2. cap. 8. & lib. 4. cap. 24. & lib. 11. de Ciuit. cap. 13. & 14. & 29. aliique Patres. 7.

Ad secundum negatur consequentia, quia licèt Christus fuerit saluator, & glorificator Angelorum, nihilominùs non fuit ipsorum redemptor, idcóque non debuit Angelorum præmium differri, quia non meruerant exclusionem à Regno per aliquod peccatum, pro quo nondùm fuisset plenè satisfactum, sicut contigit hominibus. Nec per Christum pati debuerunt detrimentum illud carendi tanto tempore beatitudine; nec id ad honorem Christi Domini pertinebat. Verba Nazianzeni non sunt intelligenda sicut à Niceta exponuntur: nam inde sequeretur Angelos nó vidisse Deum ante Christi resurrectionem, quod est erroneum; ideóque nec ipse Nicetas in illa expositione persistit, sed alias adhibet, scilicet quòd resurrectio Christi fuerit etiam salus Angelorum, non quia tunc gloriam receperint, sed quia tunc ruinæ lapsorum Angelorum impleri cœptæ sunt, vel quia sanctis Angelis de consummata hominum salute magna gloria accidentalis accessit, vel quia gloriam, quam Angeli sancti iam habebant 8.

habebant per Christum receperant, & ideò resurgenti Christo simul cum hominum salute tribuitur. Addit Suarius per mundum inuisibilem intelligi posse animas sanctorum Patrum, quæ detinebantur in sinu Abrahæ.

9. Ad tertium respondetur, moram illam, licèt fuerit breuissima, tamen pro Angelorum pernicitate fuisse sufficientem ad ipsorum meritum quantumuis maximum, quia potuerunt expeditissimè, ac intensissimè operari, vt infrà num. 36. magis elucidabitur. An autem Angeli sint omnibus hominibus beatiores: Affirmarunt
S.Thom. nonnulli, quorum meminit sanctus Thomas 1. part. quæst. 108. artic. 8. & quidam Eustratius Episcopus ad cap. 6. Ethicorum. Fauet
Hieronym. Hieronymus in id Psalm. 91. *Plantati in domo Domini.* Vbi satis insinuat homines futuros esse Angelis inferiores in beatitudine, quod confirmat ex Matth. 22. *Erunt sicut Angeli Dei*, quod aduerbium non æqualitatem, sed inferiorem gradum denotat.

10. Probatur primò, quoniam Angelis gratia & gloria collatæ sunt iuxta naturæ perfectionem, vt vidimus disput. 20. cap. 3. sed homines sunt inferioris naturæ, quàm quilibet Angelus: ergo inferioris etiam gloriæ. Probatur secundò, nam Angelus inferioris hierarchiæ, vel ordinis ascendere non potest ad superiorem hierarchiam vel ordinem: ergo homines cùm sint Ecclesiasticæ ac inferioris hierarchiæ peruenire non possunt ad hierarchias, vel ordines Angelorum. Probatur tertiò, nam animæ sanctæ nullum habent actum hierarchicum in homines fideles.

11. Communis Theologorum sententia tenet plures beatorum hominum non solùm æquales futuros esse, sed etiam superiores in beatitudine
S.Thomas. pluribus Angelorum. Ita sanctus Thomas 1. p.
Magister. quæst. 108. art. 8. & 1. 2. quæst. 4. artic. 5. ad 6.
Bonauent. & sæpè alibi, Magister in 2. distinct. 9. vbi Bo-
Ægid Rom. nauentura artic. 1. quæst. 5. Ægidius Romanus
Richard. quæst. 3. artic. 1. Richardus art. 2. quæst. 5. Ga-
Gabriel. briel quæst. 5. Argentinas quæst. 1. art. 2. Du-
Argent. randus quæst. 2. & in 3. distinct. 14. quæst. 1.
Durand. num. 8. Caietanus 1. part. quæst. 108. art. 8. Cu-
Caietan. melis ibi quæst. 1. notabili 1. Bannes in fine com-
Cumel. mentarij, Molina disp. 1. fine, Bellarminus lib. 2.
Bannes. Molina. Bellarm. de gratia & lib. arb. cap. 17.

12. Hæc sententia prout Christum, & Deiparam asserit Angelis esse superiores in beatitudine est de fide, quia Christus ab Angelis adoratur, Virgo super omnes Angelorum choros est exaltata, & ab Ecclesia dicitur Angelorum Regina. Quoad alios homines beatos ita certa est, vt oppositum videatur temerarium, imò id negare de Apostolis plus esset quàm temerarium: nam in Ciuitate noua Ierusalem (quam vnam esse cognoscimus) Apostoli sunt duodecim fun-
Apoc. 21. damenta, vt habetur Apoc. 21. primitias etiam
Rom. 8. spiritus habuerunt Rom. 8. nec credendum est minùs vberem fuisse gratiam redemptionis, quàm creationis.

13. Baptistam etiam ad supremam Angelorum
Chrysost. hierarchiam assumptum fuisse significant Chry-
Chrysol. sostomus de opere imperfecto Chrysologus ser-
Canisius. mone 127. & plures apud Canisium lib. 1. de corruptela verbi Dei cap. 10. apud quos Angelis coæquatur non quidem indefinitè, sed omnibus etiam superioribus. Vnde Bernardus in ser-
Bernard. mone de laudibus illius, eum transfert ad Seraphinos; & vt summatim omnia complectamur

ex Augustino sermone 4. de Baptista. *Quisquis* August. *Ioanne plus est, non homo, sed Deus est.* Quod etsi per hyperbolem dictum sit, quia Virgo sanctissima maior est Ioanne, tamen hyperbole illa supremam inter creaturas alias excellentiam, & sanctitatem denotat.

Quoad alios generaliter probatur primò ex 14.
Scriptura Matth. 22. & Marc. 12. *In resurre-* Matth. 22.
ctione erunt sicut Angeli Dei in cælo, clariùs di- Marc. 12.
citur Luc. 20. *æquales enim Angelis sunt*, quæ Luc. 20.
verba licèt capi possint de æqualitate ratione caliditatis, vel immortalitatis, tamen non incongruè capiuntur de æqualitate intensionis in beatitudine. Deinde Paulus ad Ephesios 1. inquit, Ephes. 1.
instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso, quod etsi variè capiatur ab aliis, ad hoc tamen à Patribus adducitur vt Angelorum ruinæ dicantur instaurandæ fore hominibus beatis, ita vt sicut ex singulis singularum hierarchiarum choris plures ceciderunt, ita sedes illæ sint instaurandæ beatis hominibus. Sic colligunt Augustinus in Enchir. August.
cap. 29. & lib. 22. de Ciuit. cap. 1. & 65. Hie- Hieronym.
ronymus lib. 1. Thren. & in vltimo Commentario, Gregorius hom. 34. in Euang. Glossa ordinaria & interlinearis in eo loco Pauli.

Probatur secundò ex Patribus, sic enim do- 15.
cent Augustinus in Enchir. cap. 29. & 63. & August.
in epist. 111. Hieronymus in Ezech. cap. 12. Hieronym.
ad illa verba *in illa die protegat Dominus* tom. 5. Ezech. 12.
& epistola 29. Didymus lib. de Spiritu sancto Didym.
apud Hieronymum tom. 6. Chrysostomus hom. Chrysost.
24. & 32. in Ioann. & homil. 2. de laudibus Ioannis, Gregorius homil. 34. in Euang. Con- Gregor.
sentiunt Scholastici, nec forsan dissentit Eustratius, qui videtur agere de inæqualitate naturali inter naturam Angelicam, & humanam, & suffragatur communis fidelium consensus; nec in quæstione de facto efficax ratio requirenda. Addo verosimilius esse, nec quartam hierarchiam, nec decimum chorum ex hominibus fore constituendum, ac subinde omnes homines ad nouem Angelorum choros esse assumendos iuxta gloriæ varietatem, vt docet sanctus Thomas 1. part. quæst. 108. art. 8. vbi Caieta- S.Thom.
nus, Bannes, Cumelis, & Molina, Magister Caietan.
etiam in 2. distinct. 9. cum sancto Thoma ibi, & Bannes &
aliis suprà relatis, Hieronymus in contrarium alij.
adductus, vel non suam, sed aliorum sententiam refert, vt solet, vel forsan ille liber non est Hieronymi, nec fauet locus Matthæi 22. quia dictio *sicut* interdùm significat æqualitatem ex S. Thoma in cap. 10. Ioannis lectione 4. & in c. 15. lect. 2. sic esse capiendam ibi ostendit locus Lucæ, vbi vocantur æquales.

Ad primum in oppositum respondetur hominibus non fuisse datam gratiam & gloriam se- 16.
cundùm perfectionem naturæ, sed secundùm diuinum beneplacitum; quare licèt homines sint Angelis inferiores, possunt tamen illos æquare, vel excedere in gratia: nam in longiori via possunt homines pluribus actibus mereri, nostraque merita nituntur meritis Christi, & ob id possunt esse longè vberiora, & efficaciora.

Ad secundum respondetur quòd Angeli in- 17.
ferioris hierarchiæ, vel chori non possint ad superiorem ascendere, prouenire quidem ex eo quòd hierarchiæ cælestes inter se sunt essentialiter distinctæ dispositiuè secundùm dispositio-

nem naturalium, completiuè ſecundùm diſpoſitionem gratiæ, iuxta S.Thomam 1 p.quæſt.105. art. 5. ceterùm hierarchia Eccleſiaſtica ſolùm accidentaliter diſtinguitur à cæleſti, quatenùs ſcilicet eſt via ad cæleſtem, vt docet S.Thomas in 2.diſtinct. 9. quæſt.1. art. 8. ad 4. ac ſubinde tandem aſſumetur ad cæleſtem; aſſumpta verò non conſtituet diſtinctam hierarchiam, ſed erit cum cæleſti permiſta, quia ceſſabit ratio, propter quam in via diſtinguebatur ab illa, quando ſcilicet diuinas illuſtrationes (à quibus ſumitur formalis ratio diſtinguendi hierarchias) percipiebat per ſenſibiles ſimilitudines; has enim in patria iam recipiet intelligibili puritate, ſicut eas recipiunt Angeli. Quare non benè colligitur ex illo antecedenti homines, qui ſunt in via inferioris hierarchiæ non poſſe aſcendere ad choros Angelorum.

18. Ad tertium reſpondetur officia Angelorum, & actus hierarchicos circa res humanas adminiſtrandas non conuenire Angelis præcisè ratione hierarchiæ, vel ordinis, ſed ratione naturæ, ſecundùm quam medij ſunt inter homines &
S.Thom. Deum ex S. Thoma in 2. diſt.9. quæſt.1. art.8. ad 5. decet enim, vt qui ſuperioris ſunt naturæ præſtent naturæ inferiori. Quare ſecundùm legem communem non committitur animabus ſanctis humanarum rerum adminiſtratio, benè tamen ſecundùm ſpecialem Dei diſpenſationem: legimus enim plures ſanctorum ad nos ſæpiùs deſcendiſſe, & curam multorum egiſſe, vel eos illuminando, vel patrando miracula, vt do-
Auguſtinus cet Auguſtinus de cura pro mortuis agenda
S.Thom. cap. 16. & S. Thomas 1.part. quæſt.108. art.8. ad 2. aliique Doctores.

19. Tertia ſententia ſit Magiſtri in 2. diſtinct. 5.
Magiſter. cap. vltimo docentis, Angelis ſanctis datam fuiſſe beatitudinem propter præuiſa merita, quæ pòſt in ipſa beatitudine fuerant operaturi, miniſteria ſcilicet in gratiam hominum ex obedientia præſtita, quam ſententiam ſecutus eſt
Præpoſit. Præpoſitiuus, teſte Marſilio in 2. quæſt.4. art.2.
Altiſiodor. ſequitur etiam Altiſiodorenſis in ſumma lib. 2. tract.4. cap.8. & lib.3. tractat. 1. cap. 7. vbi in principio id docet de Christo, & addit ad ſimi-
Albert. litudinem Angelorum, Albertus in 3. diſtinct.8. artic. 4. dicit illam ſententiam non eſſe improbabilem, addit verò *aliam eſſe communem viam, quæ non habet calumniam*, in 2. verò diſtinct. 5. art.7. dixerat: communem viam eſſe, quòd Angeli non habuerint beatitudinem propter ſubſequentia merita.

20. Hæc ſententia dupliciter procedere poteſt: cùm enim Magiſter ſentiat Angelos omnes fuiſſe creatos in pura natura, poſteàque gratiam recepiſſe, cogitur conſequenter aſſerere, vel ſimul gratiam, & gloriam recepiſſe in ſecundo inſtanti, ſubindéque nullum præceſſiſſe meritum ante receptionem beatitudinis, ſed iſtam propter merita ſubſequentia fuiſſe collatam, vel ſi putat priùs habuiſſe gratiam, quàm gloriam, debet etiam fateri aliqua merita ex gratia præceſſiſſe, licèt non ſufficientia ad totum cumulum beatitudinis, quam adepti ſunt, niſi ſimul attenderentur merita ſubſequentia.

21. Probatur hæc opinio primò ratione Alberti, quæ talis eſt; opera quæ ſequuntur ex gratia poſſunt mereri gratiam ipſam à qua proce-
Alenſ. dunt, vt docuit etiam Alenſis 1.part. quæſt.28. memb. 3. art. 3. ſicut militi dari poteſt equus propter bonum vſum futurum equi, quem rex ſperat à milite: ergo ſimiliter opera ſecuta beatitudinem potuerunt in Angelis eſſe merita beatitudinis. Nec obſtat, quòd ſint tempore poſteriora, quàm præmium, nam & merita Chriſti fuerunt poſt gratiam Patribus collatam ex talibus meritis.

Probatur ſecundò, quia Chriſtus, dum in 22.
vita mortali erat comprehenſor, aliquid merebatur per miniſteria, quæ hominum cauſa ſubibat: ergo ſimiliter Angeli licèt comprehenſores iam ſint, aliquid merentur per miniſteria hominibus exhibita ex charitate & obedientia; nec veriſimile fit tot huiuſmodi miniſteria ab initio mundi vſque ad finem ſic fideliter præſtita omni præmio fruſtrari. Sed iſtud præmium non denuò confertur, quia beatitudo eſſentialis non recipit ſucceſſiuum augmentum, ſed habet fixum ſtatum: ergo à principio data eſt cum tali intenſione, quæ meritis etiam futuris, ſed præuiſis reſponderet, ac ſubinde dum operantur, & miniſtrant actu, merentur quidem gloriam iam ſibi datam.

Probatur tertiò, quia meritum vnius, vel 23.
duorum inſtantium non potuit eſſe tantum, vt tantam beatitudinis magnitudinem obtinueret: ergo gloria collata fuit Angelis, non ſolum propter merita præcedentia, ſed etiam ob ſequentia, vnde tantus gloriæ cumulus potuit compleri; alioquin melius fuiſſet Angelis ſanctis non tam citò beatitudinem recipere, ſed in via permanere diutiùs, vt per alia opera maiorem beatitudinem mererentur.

Contra ſententiam iſtam dicendum eſt An- 24.
gelis non fuiſſe datam beatitudinem propter merita ſubſequentia, & præuiſa. Ita ſanctus Thomas in hac quæſt. 63. artic. 5. ibique Doctores communiter, Scholaſtici in 2. diſtinct.5.
quæſt. 2. Scotus quæſt. 1. Richardus artic. 2. Scotus.
quæſt. 2. Vaſquius 1. part. diſput. 229. cap. 3. Richard.
Suarius lib. 6. de Angelis cap. 4. aliique plu- Vaſquius. Suarius.
res. Probant Vaſquius & alij, quia principium meriti non cadit ſub meritum; ſed omnia opera ſubſequentia beatitudinem proueniunt ex ipſa beatitudine tanquam ex principio aliquo modo: nam ex viſione clara Dei prouenit actus charitatis, & ex hoc ceterarum actus virtutum: ergo non poteſt Angelus per opera illa ſequentia promereri beatitudinem ſuam. Ceterùm quamuis maior iſtius ſyllogiſmi valeat apud me plurimùm; minor tamen non eſt certa, quia poſſunt dari plures actus virtutum in beatis prorsùs independentes à viſione, vel amore beatifico conſecuti, ſcilicet ad ſcientiam infuſam, quæ proponat obiecta cum indifferentia, maximè ſi quis eſſet viator, & comprehenſor, ſicut fuit Chriſtus Dominus, quem per opera ſubſequentia potuiſſe mereri gloriam illam, quam accepit à primo conceptionis in-
ſtanti, docet Suarius tom. 1. in 3.part. diſp.40. Suarius.
ſect.1. §. *Secundo modo* ſoluens omnes in contrarium difficultates.

Hinc tamen ſumitur congruentia ex natu- 25.
ris rerum petita, quia meritum eſt via ad præmium tanquam ad terminum; ideoque præter naturam rei eſſet, quòd terminus antecedat viam, & præmium detur ante meritum, ſiue ſit principium illius, ſiue non; nec eſt Angelis tribuendum aliquid miraculoſum, ſeu præternaturale ſine fundamento, licèt Chriſto quoad

gratiam veterum Patrum fuerit conceſſum propter excellentiam ſui meriti, & propter neceſſariam occaſionem iuſtificandi Patres antiquos.

26. Omitto probationem aliam, quam ex Scoto, & Richardo Vaſquius adducit, & Suarius refellit, & probo concluſionem cum eodem, quia meritum de condigno inter alias conditiones requirit ſtatum viatoris in operante: ſed qui iam videt Deum, eo ipſo regulariter deſinit eſſe viator, ſiquidem eſt in termino, & in ſtatu beatitudinis: ergo iam non meretur de condigno præmium eſſentiale, multóque minùs beatitudinem iam acceptam.
Vaſquius. Maiorem ita certam reputat Vaſquius t. 2. diſp. 216. c. 4. vt dicat, nullum beatum, etſi ſit in carne mortali, ſicut Chriſtus, poſſe beatitudinem eſſentialem, vel augmentum illius promereri etiam de potentia abſoluta; reddit rationem
Romæus. ex Romæo lib. de libertate, & neceſſitate operum, veritate 23. quia ſtatus merendi eſt ſtatus viæ, peregrinationis, agonis, & profectus; at verò ſtatus beatitudinis, & patriæ eſt ſtatus, quietis, & fructus. Vnde nec animæ purgatorij, nec Enoch, nec Elias ſunt in ſtatu merendi, quia ſunt extra viam; ſicut nec etiam damnati propter eandem rationem, licèt multiplicent peccata, merentur grauiora ſupplicia.

27. Sed hæc nimia videtur exaggeratio, nec firmo nititur fundamento: nam ſtatus beatitudinis non tollit quin multi beatorum actus ſint plenè liberi honeſtique moraliter, ac ſubinde condigni de ſe quouis præmio, ſi accedat diuina promiſſio, vel pactum, à quo nullo modo pendere meri-
Vaſquez. tum noſtrum malè putauit Vaſquius 1. 2. q. 114. cùm oppoſitum doceant Valentia, Suarius, & communiter Recentiores in materia de Merito. Igitur non implicat de potentia abſoluta mereri beatos; conſentaneum eſt tamen naturis rerum, vt Deus ita tempus meriti, præmiíque diſtribuat, vt viam ſeparet à termino, merendíque ſtatum ab ſtatu beatitudinis, ſeu fruitionis diſcernat.

28. Declaratur amplius: nam ſtatus Angelorum aptus ad merendum de condigno gloriam definitus eſſe debuit quoad durationem; alioquin poſſent merita beatorum Angelorum per totam æternitatem multiplicari, ſi ſtatus merendi perpetuò durat, ac ſubinde vel ſi beatitudo daretur ex præuiſis meritis futuris per totam æternitatem, danda foret infinita; vel ſi non daretur ab initio totum præmium omnium meritorum ſimul præuiſorum, ſed ſucceſſiuè præmiarentur, prout ſucceſſiuè fierent, eſſentialis beatitudo eſſet in continuo motu augmentationis, quod eſt contra naturam viſionis beatæ, & contra rationem ſtatus beatifici: ergo ſtatus merendi definitus fuit in Angelis ad tempus propriæ viæ, id eſt, quo nondum ad terminum patriæ per aſſecutionem viſionis beatificæ peruenerant: ergo in ſtatu beatitudinis iam non poterant illam mereri, vel obtentam, vel obtinendam. Hæc ſecunda conſequentia patet.

29. Prior verò probatur, quia ſi talis terminus ex ſola rei natura præſcribendus eſt, nullus alius cogitari poteſt in Angelis præter viſionem beatam, & ſtatum, quem ſecum ipſa naturaliter affert: nam in Angelis non eſt mors, nec in ſanctis Angelis alia mutatio cogitari poteſt, quæ ſic variet hunc ſtatum præter viſionem Dei, ſiquidem dum Angelus non videt Deum, ſemper eſt capax fidei, ſubindéque meriti. Ceterùm in malis Angelis ex contraria quaſi diſpoſitione ſtatus merendi ceſſauit quatenùs præter peccatum omni principio, ac auxilio neceſſario ad meritum priuati ſunt ſine ſpe recuperandi.

Si tamen vt apparet veroſimilius, ſola viſio non ſufficit ſine voluntate Dei ordinantis tempus præſcriptum ad merendum, cùm de diuino decreto circa talem ordinationem in Angelis non ſit nobis facta ſpecialis reuelatio, non poſſumus de illo iudicare niſi vel ex his, quæ de hominibus reuelata ſunt per ſimilitudinem rationis, aut proportionis, vel ex his, quæ magis ſunt conſentanea naturis rerum. Vtroque verò modo concipimus ſtatum viæ, ac meriti Angelorum eſſe definitum vſque ad viſionem beatam excluſiuè, quoniam ſicut meritum hominum in fide fundatur, ſic & meritum Angelorum: ergo quia viſio beata fidem excludit, ideò ſimul etiam excludit ſtatum merendi tam in Angelis, quàm in hominibus ſaltem ſecundùm ordinarium, & conuenientem prouidentiæ modum. Eſt quoque conſentaneum naturis rerum, vt meritum viſionis fundetur in fide, quæ captiuet intellectum, oportet etiam vt meritum antecedat præmium. Quare fruſtrà fingitur ſpatium durationis ad merendum poſt obtentam viſionem, fuiſſe conceſſum. 30.

Confirmatur primò, quia ſi Deus conceſſiſſet Angelis ſtatum merendi pro aliquo tempore poſt viſionem obtentam; vel conceſſit pro tota æternitate; & tunc foret meritum infinitum, vel continua variatio viſionis, quorum neutrum conſonat communi prouidentiæ; vel pro tempore determinato, & tunc nulla eſſet ratio, cur tantum, vel tantum tempus præſcriberet, ſed dicendum eſſet pro ſolo Dei arbitrio definiri, quod quidem licèt à Deo fieri potuerit, nobis non licet ſine fundamento affirmare. Dices extenſum eſſe illum terminum vſque ad diem iudicij, & non vltrà, quia actus merendi hominum in generali, miniſteriaque Angelorum vſque ad illum diem dumtaxat perdurabant. 31.

Verumtamen hoc valdè quidem extrinſecum eſt Angelis, quibus ſtatus merendi debuit iuxta ſuæ naturæ conditionem præſcribi: nam etiam in hominibus, licèt generalis ſtatus merendi reſpectu totius generis humani vſque ad iudicij diem extendatur; tamen in vno quoque homine via, tempúſque merẽdi præſcriptum eſt iuxta conditionem propriæ naturæ, ac perſonæ vſque ad mortem ipſius: ergo maiori ratione, licet tempus præſcriptum, vt per hominum & Angelorum merita cæleſtium ciuium numerus compleatur, vſque ad diem iudicij ſit protentum, nihilominùs particularis via, & ſtatus omnibus & ſingulis Angelis iuxta conditionem ſuæ naturæ multò anteà debuit præſcribi; nec refert quòd tunc Angelorum miniſteria ceſſabunt; tum quia non oportuit eos mereri ſuam beatitudinem per illa miniſteria, vt dicemus ad argumenta; tum etiam quia ſi beati potuiſſent per illa miniſteria mereri, poſſent etiam per alias actiones, quæ non pertinent ad talia miniſteria, vt ſunt laus Dei, & boni affectus liberi erga Deum, & proximum, vel alias res honeſtas, quæ omnia durabunt etiam poſt diem iudicij. Quare ſine fundamento dicitur tunc eſſe finiendum tempus merendi Angelorum, ſi ſemel in ſtatu beatitudinis admittatur. 32.

33. Confirmatur secundò, nam si Deus Angelis bonis dedisset gloriam propter opera sequentia, nec vllam inter bonos & malos discretionem ex meritis, vel demeritis præcedentibus fecisset, non videretur in gloriæ distributione cunctis æquitatem seruasse, siquidem & mali non minùs eam meruissent per opera bona subsequentia, si fuisset ipsis ante merita beatitudo concessa, quàm Angeli boni: nam vtrique laborassent, quantum opus esset ad tantæ gloriæ compensationem, & licèt gratiam distribuat Deus inæqualiter pro voluntate sua sine vllo intuitu meritorum, vel præcedentium, vel subsequentium, attamen si gloriam quibusdam tribuit propter merita futura, cur non eandem aliis tribuisset, quibus sciebat tanta etiam futura merita si gloriam contulisset? Potuisset sanè Deus sine iniustitia hoc facere, sed non esset id consonum diuinæ prouidentiæ Dei, qui gloriam suam illis promisit, qui se per opera bona iam facta se se distinxerunt à ceteris.

34. Ad primum in oppositum respondetur non posse principium meriti cadere sub meritum, ne detur mutua causalitas, vel prioritas naturæ, nec statum beatitudinis esse aptum secundùm communem prouidentiam ad merendum, vt constat ex dictis num. 28. quando verò donatur equus militi propter bonum vsum illius futurum, non datur in præmium talis vsus, sed verè donatur liberaliter, licèt ad donandum moueat spes boni vsus.

35. Ad secundum respondetur speciale fuisse Christo Domino propter excellentiam suam, & munus redemptoris quod gerebat, vt simul fuerit viator, & comprehensor, & per meritum non in fide fundatum, sed in scientia per se infusa meruerit, non quidem suam beatitudinem essentialem, sed generis humani reparationem, quapropter Angeli nec post beatitudinem adeptam debuerunt illam mereri, siquidem nec Christus Dominus meruit suam, nec item mereri aliis, quod nec eorum excellentia, vel munus exigebant, nec sine firmo fundamento asserendum est.

36. Ad tertium respondetur iuxta dicta num. 10. potuisse sanctos Angelos breui mora, vno, vel paucis actibus magnum gloriæ pondus, & visionem Dei valdè intensam obtinere: nam hoc & Deo fuit facile, & virtutem gratiæ magis ostendit. *Nescit enim tarda molimina gratia Spiritus sancti*. Pro cuius declaratione notandum est cum S. Thoma in hac quæst. 62. art. 9. omnes gradus gloriæ in omnibus beatis tam Angelis, quàm hominibus esse ex primaria intentione, ac electione Dei præordinantis vnumquemque electorum ad certum beatitudinis gradum, & iuxta hunc scopum intentionis suæ Deus incepit, & consummauit sanctificationem singulorũ in via. Quoniam ergo sanctos Angelos ad tam perfectam gloriam elegit; ideò à principio gratiam infudit in primis in se valdè perfectam, & intensam, cùm priùs per auxilia præuenientia eos ad talem, & tam perfectam conuersionem in ipsum efficaciter mouisset, vt ad primam gratiam valdè intensam se disponere, primamque gloriam illi proportionatam promereri possent; ac demum cum eadem proportione talem gratiam infudit, quæ ad promerendum posteà paucis actibus reliquum gratiæ, gloriæque cumulum sufficeret. Sic ergo potuit Angelus paucis actibus pertenire ad maiorem gloriam, quam homo sanctissimus longo tempore vitæ, atque viæ, & multis actibus heroicis, quoniam Angelus ab initio incepit cum multo maiori gratia, quàm talis homo, & vnus actus Angeli potuit plures hominis adæquare, vel etiam superare.

Quarta sententia sit, simul duratione, id est, in eodem instanti nostri temporis meruisse sanctos Angelos beatitudinem essentialem, illamque recepisse. Hanc tenuit S. Thomas in 2. dist. 5. quæst. 2. art. 2. & quodlib. 9. art. 8. Bonauentura in 2. distinct. 5. art. 3. quæst. 1. Richardus artic. 2. quæst. 1. Ægidius Rom. quæst. 1. art. 2. Vbi Argentinas, & Maior probabilem putant. Sequuntur Marsilius in 2. quæst. 4. artic. 20. conclus. 4. Maironis in 3. distinct. 17. quæst. 1. Albertus in sum. 2. p. tractat. 4. quæst. 19. Caietanus 1. part. quæst. 63. art. 6. aliique Moderni; sed non omnes eodem modo defendunt: Plures enim supponunt, Angelos in primo creationis instanti non meruisse, quia non fuerunt in gratia creati, ac subinde totum illorum meritum simul cum præmio in secundo instanti constituunt. 37.

S. Thomas. Bonauent. Richard. Ægid. Rom. Argent. Maior. Marsilius. Mairon. Albert. Caietan.

Quòd sic declarat Ægidius Rom. primò vt beatitudo non consistat in aliqua operatione beati, sed sit ipse Deus, qui cognoscitur, & diligitur à beato, meritum verò beatitudinis sit actus dilectionis, qua Deum prosequitur beatus; simul autem talis amor, & eius obiectum intelliguntur. Secundò, dupliciter considerat ipsum Dei amorem, priori modo quatenùs elicitur priùs natura à gratia, & charitate, & sic dicit esse meritum; posteriori modo quatenùs terminatur in Deum, vt obiectum per quem amorem Deus coniungitur, & habetur vt præmium, & sic dicit ipsum etiam actum amoris habere rationem præmij comparatum sibimet ipsi priori modo. 38.

Tertiò, Richardus sic explicat, vt primò fuerit motus liberi arbitrij in Deum, in quo incepit conuersio Angeli. Secundò, infusa fuerit gratia habitualis. Tertiò, infusus fuerit habitus gloriæ, per quem confirmata fuerit eius conuersio, qua quidem ratione sentire videtur, præmium, quod in patria meruerunt Angeli, fuisse infusionem habituum gratiæ, & gloriæ. Quartò, Maironus docet Angelos sanctos promeruisse habitudinem, non per actum dilectionis erga Deum, sed per alios actus, qui simul duratione fuerunt cum visione, & charitate: tunc enim Angeli potuerunt habere voluntatem obsequendi Deo in salute animarum nostrarum procuranda, & in aliis, quæ Deus imperasset. Demum, vt alios modos omittam, Caietanus concedit Angelos in primo creationis instanti habuisse meritum, non tamen consummatum, sed inchoatum, sicut mali etiam habuerunt; in secundo verò instanti sanctos Angelos consummasse meritum priùs natura, quàm præmium in eodem instanti temporis reciperent. 39.

Fundamentum generale huius sententiæ sumitur ex eo, quòd non repugnat meritum & præmium esse simul duratione, dummodo meritum ordine naturæ præcedat: ergo non est Angelis maior dilatio, vel successio inter meritum & præmium tribuenda. Antecedens probatur primò ratione, quia quando via est indiuisibilis in se, & terminus etiam totus simul fieri potest, non est necessaria prioritas durationis viæ ad terminum, sed prioritas naturæ sufficit; Atqui meritum, & præmium comparantur vt via & terminus, meritumque fit ab Angelis in instanti etiam 40.

nostri

nostri temporis, & præmium totum simul confertur: ergo ex se possunt esse simul duratione. Probatur secundò exemplo, nam in eodem instanti, quo quis meretur augmentum gratiæ, recipit illud, cùm tamen augmentum illud sit præmium meriti: ergo in quocunque alio præmio, quod indiuisibiliter fieri possit, hoc ipsum non repugnat. Consequentia principalis rationis probatur, quoniam ex parte Dei nulla est causa differendi præmium, cùm sit de se promptissimus ad præmiandum, vt constat ex exemplo relato de augmento gratiæ: Nec etiam ex parte Angeli est causa dilationis, quia iam supponitur ad intrinsecum viæ terminum peruenisse benemerendo, & in eo potuit suum meritum consummare.

41. Tenendum tamen est beatitudinis præmium non esse datum sanctis Angelis in eodem instanti, quo meruerunt, vel meritum consummarunt per additionem noui meriti. Sic docet S. Thomas 1. part. quæst. 64. art. 6. vbi communiter Thomistæ; item Capreolus in 2. dist. 4. quæst. 1. art. 1. conclus. 5. Molina 1. p. quæst. 63. art. 6. Vasquius 1. part. disp. 229. Suarius lib. 6. de Angelis cap. 1. & quotquot tria instantia, vel tres morulas in Angelis distinguunt ab initio creationis vsque ad primum instans termini, seu beatitudinis inclusiue. Probat S. Thomas in hac quæst. 62. art. 4. & in corpore, & art. 5. ad 2. nam omne meritum gloriæ supponit gratiam imperfectam, & nondum consummatam tanquam radicem sui; qui autem est in beatitudine, iam habet gratiam consummatam: ergo non potest mereri.

S. Thom.
Capreolus.
Molina.
Vasquez.
Suarez.

42. Hanc rationem impugnat Scotus in 2. dist. 5. quæst. 1. quia fieri potest, vt quis in via habeat tantam gratiam, quantam alius habet in patria: ergo ex illa parte nihil obstat quominùs ille qui est in patria mereri possit, sicut ille qui est in via. Ceterùm S. Thomas non discernit gratiam imperfectam à consummata penes maiorem, aut minorem intensionem, vt videtur Scotus intellexisse, sed gratiam imperfectam vocat quoad statum, quia est gratia viæ cum fide coniuncta, & est mutabilis, & quasi corruptibilis, & amissibilis ex vi status; gratiam verò consummatam vocat illam, quæ coniuncta cum visione beata ex vi status inamissibilis, & stabilis est; sicut eodem sensu dixit 2. 2. quæst. 24. artic. 7. ad 3. & art. 8. charitatem viæ non posse peruenire ad perfectionem charitatis patriæ, quia quantitas charitatis viæ sequitur cognitionem viæ per fidem, & quantitas charitatis patriæ sequitur visionem claram, quod non de quantitate intensionis, sed de perfectionibus aliis ad modum operandi pertinentibus intelligendum est.

Scotus.

43. Potest autem ista ratio sic fundari. Omne meritum gloriæ nititur in cognitione supernaturali, quæ secundum communem legem est diuina fides, vt in nobis est de fide certum; tum quia sine fide impossibile est placere Deo; tum quia fides est fundamentum rerum sperandarum, & per consequens meriti, quo proximè spes beatitudinis innititur; tum denique quia fides est fundamentum iustitiæ apud Deum, ac subinde meriti simul, quod in iustitia fundatur: ergo etiam in Angelis meritum debuit in fide fundari, quia prædictæ regulæ Scripturarum non minùs Angelos quàm homines comprehendunt; siquidem iustitia, sanctitas, & gratia eiusdem rationis est in illis, & in nobis; sed fides connaturaliter non cohæret cum visione beata eiusdem obiecti, vt ostenditur 2. 2. quæst. 1. saltemque de facto non coincidere secundùm communem prouidentiam fatentur omnes Theologi: ergo quandiu durauit meritum, non potuit simul conferri præmium, quòd est visio beata.

Probatur secundò, nam contraria sententia, vel ponit sanctos Angelos in secundo instanti, & priùs natura, quàm mererentur fuisse liberos tantùm ad merendum, & non ad peccandum, vel cum plena libertate ad vtrumque; primum quidem licèt secundùm se non repugnet, imò reperiatur de facto in Christo Domino, tamen in Angelis peculiarem repugnantiam inuoluit: nam illa necessitas non peccandi non fuit in sanctis Angelis nisi ex visione beata, vt sanctus Augustinus & alij Patres suprà relati tradiderunt: ergo si in illo priori naturæ iam habebant necessitatem non peccandi, iam videbant Deum, imò priùs natura oportuit videre Deum, quàm habere necessitatem non peccandi, siquidem talis necessitas est effectus visionis: quare non potuissent habere meritum prius natura quàm visionem. Secundum etiam dici non potest, quia si potuerunt Angeli peccare in secundo instanti, non potuerunt in eodem instanti fieri impeccabiles: ergo nec potuerunt in eodem instanti videre Deum, quia per huiusmodi visionem fit beatus impeccabilis: duo enim opposita priuatiuè non potuerunt inesse Angelo in eodem indiuisibili instanti, vt modò loquimur: nam si in duratione diuisibili ponatur Angelus priùs mereri, & posteà videre Deum, iam erunt duo instantia Angelica, & non vnum. 44.

Ad fundamentum oppositum respondetur, vt sic non repugnare cum merito in eodem instanti, vt rectè probat exemplum de augmento gratiæ; & ratio facta, quia potest vtrumque in instanti produci; ceterùm si meritum aliunde claudat conditiones repugnantes præmio, non quatenùs meritum est, vt sic, sed quatenus tale meritum est, tunc non poterit dari præmium simul cum merito, saltem secundùm legem communem; & sic contingit in præmio beatitudinis essentialis comparato ad præmium puri viatoris, qui per fidem, & cum libertate peccandi meretur. Addit Suarius lib. 6. de Angelis cap. 1. num. 14. licèt de potentia absoluta possit esse meritum vitæ æternæ simul duratione cum vltimo præmio scilicet coniungendo aliam supernaturalem cognitionem abstractiuam Dei simul cum visione beata; nihilominus de potentia ordinaria non fuisse conueniens, quia communis lex est, vt omnes, qui ad illam beatitudinem tendunt vt viatores, & puræ creaturæ, priùs illam sperent, & pro illa laborent, & in eius inquisitione aliquandiu perseuerent. Vnde fit, quod suprà docuimus disp. 20. cap. 5. num. 13. instans meriti distinctum fuisse ab instanti præmij in Angelis sanctis. 45.

Suarius.

CAPVT II.

Vtrùm Angeli proficiant in supernaturali beatitudine.

SVppono primò Angelos beatos ab initio beatitudinis suæ vidisse Deum, & in Deo vidisse cunctos attributa primaria ipsius & creaturas, quæ singulorum curam concernunt, vt de 1.

 homini

hominibus diximus quæst. 12. At ex perfectionibus Dei secundariis, & aliis creaturis videre plures, vel pauciores pro singulorum inæquali lumine, visioneque beata. Suarius lib. 6. de Angelis cap. 5. docet Angelos beatos ab initio beatitudinis vidisse in verbo res omnes creatas, non solùm naturales species, sed etiam mysteria gratiæ, & opera Dei miraculosa, quod pertinet ad quæstionem de facto, & ex communibus principiis, seu congruentiis deducendum est. Suarius.

2. Suppono secundo, sanctos Angelos à principio suæ beatitudinis fuisse confirmatos in gratia, ita vt amplius peccare nullatenùs possint quod de omnibus beatis probandum est lib. 4. de Angelis in speciali hoc tradunt Damascenus lib. 2. cap. 3. Augustinus in Enchiridio cap. 57. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 23. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 4. alias 7. Isidorus lib. 1. sententiarum cap. 10. & alij dicentes Angelos bonos, cùm priùs peccare possent, non peccando in via meruisse, vt amplius peccare non possent. Colligitur ex illis verbis Matth. 6. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*; tunc enim non erant in cælo, nisi Angeli, quos supponit Christus adimplere perfectissimè diuinam voluntatem, siquidem docet nos precari, vt in implenda voluntate diuina illos imitemur. Hinc refellitur antiquus error Origenis hom. 13. & 45. in Lucam, & 20 ac 24. in Numeros dicentis sanctos Angelos interdum peccare negligenter exequendo mandata diuina. Videatur Feuardentius in sua Theomachia Caluinistica lib. 9. cap. 19. vbi refert eundem errorem Caluinum, & eius asseclas arripuisse, vt nos semper peccare quasi à fortiori suaderent. Damascen. Augustinus Fulgentius. Gregor. Isidorus. Origenes. Feuardent.

3. Suppono tertiò, beatitudinem essentialem Angelorum intrinsecè non variari, quia natura sua inuariabilis est, atque terminus vltimus, in quo quiescitur: sicut enim de hominibus, sic etiam de Angelis capiendum est illud Eccles. 11. *Vbi ceciderit lignum, ibi manebit*. Sic docent Scholastici communiter in 2. dist. 11. contra Magistrum ibi dicentem Angelos beatos crescere in merito, & præmio essentiali beatitudinis vsque ad diem iudicij: nam vsque ad illum diem animarum salutem procurant, quod opus videtur noua mercede dignum. Accedit Innocentius III. in cap. *Cum Marthæ*, §. *Tertio loco*, de celebratione Missarum, attingens hanc sententiam, & ipsam non refellens. Eccles. 11.

4. Sed ad hominem redarguitur Magister: nam in dist. 5. dixerat Angelis datam esse beatitudinem propter merita præuisa: sed omnia opera quæ facturi sunt Angeli, sunt à Deo præuisa: ergo propter illa omnia recepissent beatitudinem, quæ foret præmium ipsorum adæquatum; ac subinde non possent per talia opera in beatitudine crescere. Præterea non est cur in die iudicij terminetur augmenti cursus, siquidem etiam post illum diem habebunt Angeli actus bonos, & liberos. Igitur sicut posteà non crescunt, sic nec anteà. Sed visio manet ab initio inuariata. Innocentius III. non loquitur de gloria essentiali, sed de accidentali, quam plerique putarunt augeri, vt ait Pontifex. De essentiali pauci admodum affirmarunt.

5. Suppono quartò, beatitudinem essentialem Angelorum nec extrinsecè crescere, nec in obiecto secundario, quod intendit sine dubio S. Thomas in hac quæst. 62. art. 9. præsertim ad 3. Probatur ex natura visionis creatæ, cuius totum esse est repræsentare obiectum. Vnde non potest sine variatione intrinseca propriæ entitatis alia, & alia obiecta etiam secundaria repræsentare de nouo; quò reducuntur aliæ rationes pro hac veritate reddi solitæ; scilicet quia determinatio actus ad tale obiectum est intrinseca perfectio ipsius actus: nam intellectus videndo rem trahit illam ad se, attendit ad illam, nec potest aliquid percipere nisi per visionem: ergo vt aliquid videat de nouo requiritur noua visio, noua attentio, noua determinatio. Nonnullas euasiones Ægidij Lusitani, & aliorum contendentium per eandem visionem inuariatam intrinsecè nouas creaturas successiuè in verbo videri præcludit Suarius lib. 6. de Angelis cap. 6. Suarez.

Si dicas ex nostra doctrina sequi vel Angelos beatos non videre in verbo cuncta, quæ pertinent ad illorum statum, quod est contra communem doctrinam S. Thomæ, vel videre simul à principio beatitudinis omnia, quæ vsque ad diem iudicij pertinebunt ad eorum statum: vnde fit Angelum custodem videre omnes euentus futuros in cliente, quod est contra Scripturam Dan. 10. Item Angelos ab initio videre diem iudicij, quia vident orationes sibi fundendas in illo tempore, & quia pertinet ad eorum statum scire omnia, quæ per ipsorum ministerium euentura sunt in Ecclesia, quamdiu ista durauerit, & per consequens videbunt vltimum diem durationis Ecclesiæ militantis. 6. Dan. 10.

Respondeo iuxta dicenda lib. 4. secundùm opinionem aliquorum diem iudicij notam esse beatis, ita tamen vt aliis reuelare non possint, quod solùm videtur negare Christus Marc. 13. Quòd si velis cum communiori sententia diem iudicij non esse Angelis notam, quia simpliciter Christus supra denegat illis hanc notitiam, & vbi necessitas non cogit, sensus proprius Scripturæ tenendus est: Vnde Patres de solo filio expositionem adhibent, cùm de Angelis vel taceant, vel palam tribuant ignorantiam Angelis tribuant, vt videre licet in Gregorio lib. 8. epistolarum epist. 42. Responderi potest, ad statum Angelorum pertinere duntaxat illa, quæ propter se, ac propter magnam excellentiam suæ beatitudinis opus est, eos videre in verbo, vel secundùm diuinæ prouidentiæ rationem opus est, eos habere præuisa, vt faciliùs, & meliùs possint esse præparati ad tale ministerium, non tamen omnia facienda per illos, nec omnes circumstantiæ futurorum effectuum ad eorum statum pertinent, præsertim quoad ea, quæ à libera Dei voluntate dependent, cuius decreta omnia per Angelos exequenda non est opus à sanctis Angelis in Deo esse præuisa, sed sufficit videri causaliter in verbo per successiuas reuelationes ad talem statum, & ministerium pertinentes. 7. Gregor.

Suppono quintò, gloriam accidentalem Angelorum crescere vsque ad diem iudicij. Sic docent Scholastici communiter in 2. dist. 11. Bonauentura art. 2. quæst. 2. Gabriel quæst. 1. art. 3. dub. 1. Richardus art. 2. q. 1. ad 4. Argentinas quæst. 1. art. 4. S. Thomas in hac quæst. 62. art. 9. & ceteri cum illo. Colligunt ex Luc. 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*, &c. vbi significatur humano modo nouitas gaudij, vt ex Cypriano lib. de exhortat. ad Martyr. notat Iansenius in Concordia cap. 94. 8. Bonauent. Gabriel. Richard. Argent. S. Thom. Luc. 15.

Et

9\. Et quidem gloria accidentalis in præsenti dicitur quidquid est extra beatitudinem essentialem, vel extra beatitudinem adæquatam: nam sunt etiam quædam accidentia inseparabilia, ipsius, scilicet scientia per se infusa, honor & gloria beatorum inter se, quæ sic sequuntur mensuram beatitudinis, vt nec variari possint, vel erescere beatitudine non variata, sed gloriam accidentalem vocamus quosdam actus intellectus, & voluntatis, qui circa obiecta creata proximè versantur, & non consequuntur necessariò beatitudinem essentialem, nec ab illa sunt inseparabiles, vt sunt reuelationes extra verbum factæ, gaudia, & alij affectus circa res denuo cognitas; nec hoc augmentum vltra diem iudicij protenditur; cùm enim nihil iam noui possit euenire beatis, sed omnia sint in eodem statu permansura, nihil erit quod beatis denuò gaudium possit afferre.

10\. S.Thom. Restat nonnulla quæstio. Vtrùm Angeli beati mereantur illud augmentum? S. Thomas in hac quæst. 62. art. 9. ad 3. duplicem refert sententiam, & ipse negantem amplectitur. Probat, quia gaudium illud est quasi fructus beatitudinis, nec mereri potest aliquis comprehensor, nisi simul sit viator; sicut Christus Dominus: nam qui sunt in termino simpliciter vltimo, iam non sunt in statu merendi. Sequuntur communiter expositores ibi Molina eo art. 9. Vasquius disput. 230. cap. 2. qui dicit propter merita habita in via dari non solùm beatitudinem essentialem, sed etiam accidentalem cum tali augmento decursu temporis obtinendo. Suarius lib. 6. de Angelis cap. 8. distinguit de augmento, quod prouenit solùm ex noua præsentia obiectorum, scilicet pœnitentia actu facta, vel ex noua reuelatione, quæ fiat Angelis in ordine ad opus per illos præstandum, vt quando Gabrieli reuelata fuit Incarnatio cum suis circumstantiis, vt eam Virgini nunciaret, & in his censet nullum præcedere meritum. At verò quando noua reuelatio fit Angelis solùm, quoniam est consentanea ipsorum statui, vel vt orent pro suis, vel vt de bonis eorum specialiter gaudeant, potest esse præmium meritorum, quæ habuerunt in via: nam per illa meruerunt peruenire ad illum beatitudinis gradum, & statum, cui tales accidentales perfectiones beatitudinis essent connaturales.

Molina. Vasquius. Suarius.

11\. Bonauent. Gabriel. Richard. Ceterùm Bonauentura in 2. distinct. 11. art. 2. quæst. 2. Gabriel ibi art. 3. dub 2. & Richardus in 2. distinct. 10. art. 1. quæst. 1. & in 4. distinct. 49. art. 5. quæst. 6. dicunt Angelos benè ministrando hominibus hoc augmentum mereri; probant, quia quantum ad illud gaudium Angeli sancti non sunt in termino, cùm priusquam detur, careant illo; quare sunt in via ad illud: ergo possunt illud mereri, merenturque de facto.

12\. Mihi videtur, Angelos beatos per actiones liberas etiam elicitas in patria, si accedat promissio, & pactum Dei, posse mereri non solùm gloriam accidentalem, sed etiam essentialem, & augmentum illius, de quo dicemus lib. 6. De facto verò constat ex Scriptura tempus merendi beatitudinem essentialem finiri cum vita mortali in hominibus, vt ex 2. Corinth. 5. ad Galat. 6. Ioann. 9. Ecclesiast. 9. & 14. Colligunt Vasquius 1. part. disput. 230. cap. 1. Molina hic, Valentia & alij. Vnde sumitur argumentum ad Angelos, qui subinde solùm in via habuerunt tempus merendi gloriam essentialem: circa præmia tamen accidentalia non mihi constat, quid Deus decreuerit. An scilicet velit illa dare per modum fructus, an per modum mercedis; & si hoc, an in præmium operum viæ; an in præmium operum patriæ.

2\. Cor. 5. Galat. 6. Ioan. 9. Eccl. 9. & 14. Vasquius. Molina. Valent. 2.



DISPVT. XXII.

De Angelis tutelaribus.



DE ministeriis Angelorum erga nos egit S. Thomas infrà quæst. 112. & 113. vbi de missione Angelorum, & de bonorum custodia tractat: Nos tamen statum Angelorum beatorum quasi contemplatiuum præcedenti disputatione scrutati sumus; statum quasi actiuum in præsenti disputatione persequemur.

CAPVT I.

Qui sint assistentes Angeli, qui ministrantes.

SVppono primò ex sanctis Angelis quosdam dici Deo assistere, atque mitti. Sic habetur Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millium assistebant ei.* Apoc. 1. & 5. dicuntur esse in circuitu throni; mitti verò dicuntur Gen. 24. Exod. 23. Luc. 1. Matth. 26. Actorum 12. sæpeque alibi. Et quidem si *assistere* generaliter sumatur pro visione diuinæ essentiæ, sic omnes Angeli sancti verè assistunt Deo, quia semper vident faciem Patris, Matth. 18. Potest secundò *assistere* prærogatiuam quandam significare in ordine ad officium ministrandi ad extra, vt tradit Toletus Luc. 1. Annotatione 31. dicens. *Astare ante Deum non tantùm significat esse in cælis, quod commune est omnibus Angelis, sed significat in ministerio quandam principalitatem, id est* (vt in Commentario dixerat) *esse vnum de primis, qui adstant ante Deum iussa eius executuri.* Quasi ab ordinatiis ministeriis sint expediti vt ad extraordinaria dirigantur; & in hoc sensu certum est, Angelos ministrantes esse simul assistentes, mittique nonnunquam, vt constat Iob. 12. Apoc. 8. 15. & 16. 1.

Dan. 7. Apoc. 1. & 5. Gen. 24. Exod. 23. Luc. 1. Matth. 26. Act. 12. Matth. 18. Tolet.

Tertiò dicuntur assistentes Angeli, qui à Deo illuminantur immediatè de his rebus, quas denuò expedit ab illis cognosci, seu quæ ex imperio, vel ordine diuino fieri præcipiuntur; & in hoc maximè ponit Dionysius de cæl. hierarch. cap. 7. & sequentibus, proprietatem assistentium, quòd immediatè coniunguntur supremo lumini, vt radios eius participent, & per consequens ad hos pertinere dicit, vt alios illuminent, ita vt diuini radij per illos ad inferiora descendant, in quo sensu procedit quæstio, An Angeli etiam assistentes ministrent, & mittantur nec ne? 2.

Prima sententia docet omnes Angelos ab infimo vsque ad supremum ministrare, atque mitti. Sic Alex. Alensis p. 2. memb. 3. quæstionis 36. Argentinas in 2. dist. 10. artic. 1. Molina 1. part. quæst. 112. Malonius in 2. dist. 10. disput. 2. vbi refert alios. Probabilem putant Scotus ibi quæst. 1. Durandus quæst. 1. Marsilius in 2. quæst. 7. art. 3. punct. 2. illius. Fauet Athanasius sermone 2. & 3. contra Arrianos, vbi omnes assistentes 3.

Alensis. Argent. Molina. Malon. Scotus. Durand. Marsilius. Athanas.

vult

vult etiam esse ministrantes, & verba Danielis in hunc sensum tacitè interpretatur.

4. Probatur ex Scriptura, cuius primum testimo-
Gen. 3. nium sumitur ex Gen. 3. vbi postquam Deus primos parentes ex paradiso eiecit, dicitur. *Et collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim.* Et
Ezech. 10. Ezech. 10. alia ministeria leguntur Cherubinorum, qui tamen in secundo ordine supremæ hie-
Isaiæ 6. rarchiæ collocantur. Secundum est Isaiæ 6. Vbi dicitur. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & tetigit os meum.* Ecce mittitur vnus de ordine supre-
Dan. 10. mo. Tertium ex Dan. 10. Vbi dicitur. *Michael vnus ex Principibus primis venit in adiutorium meum* Ecce vnus de primoribus dicitur missus
Dan. 8. & 9. Luc. 1. in adiutorium populo Dei. Quartum ex Danielis 8. & 9. & Luc. 1. Vbi Gabriel dicitur mitti; Gabriel autem est supremus, aut vnus ex supremis
Bernard. Magister. Gregorius. Tobiæ 12. Angelis, teste Bernardo hom. 1. in *Missus est*, & Magistro in 2. dist. 10. cui fauet Gregorius hom. 24. in Euangelia. Quintum ex Tobiæ 12. vbi Raphaël, qui missus fuerat ad Tobiam dicit. *Ego sum vnus ex septem, qui adstamus ante Dominum.* Hi verò septem videntur esse supremi, vel de
Apoc. 1. Hebr. 1. supremis, à quibus Ioannes Apoc. 1. pacem deprecatur, & gratiam. Sextum est Heb. 1. vbi cùm dixisset Paulus; *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando Deus sede à dextris meis?* quibus verbis præferre contendit Christum omnibus Angelis; subiungit. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* quod sanè nisi de omnibus Angelis intelliguntur, non satis Christi Domini super omnes Angelos excellentiam Paulus commendaret.

5. Confirmatur, nam licèt ad communia quæque obeunda, seu denuntianda mittantur Angeli de inferioribus ordinibus, at ad maxima, & ad insignes admodum personas, vt ad nuntiandum Deiparæ mysterium Incarnationis, & ad confortandum Christum in horto, decebat sanè mitti de Seraphinis quempiam: Similiter alicui Seraphinorum vniuersalis totius Ecclesiæ cura videtur demandata. Item ad dandam legem filiis Israël, atque ad ministerium denuntiandi Prophetis præcipua quæque, si non de Seraphinis, certè de superioribus ordinibus videntur delegari iuxta negotij pondus, & qualitatem.

6. Secunda sententia sic distinguit Angelos assistentes, & ministrantes, vt illi nunquam mittantur extra cælestem curiam. Hi verò exeant ad
S. Thom. ministeria, sic S. Thomas 1. part. quæst. 112. art. 2. & 3. vbi vult assistentes nunquam ad actiones externas mitti, etiam per dispensationem Dei, & è contrà ministrantes, licèt semper assistant videndo clarè Deum, tamen extra verbum nunquam immediate doceri à Deo, sed per assistentes Angelos, quorum proprium est in ipsa claritate diuinæ essentiæ diuina mysteria reuelanda conspi-
Caietan. Capreolus. Albert. Bonauent. Ægid. Rom. Richard. cere. Consentiunt Caietanus, & Moderni Thomistæ ibi. Capreolus in 2. dist. 10. Albertus ibi art. 3. Bonauentura art. 1. quæst. 2. Ægidius Rom. quæst. 1. & 2. Richardus artic. 1. quæst. 2. qui censet tres superiores ordines, scilicet Seraphinos, Cherubinos, & Thronos esse assistentes, reliquos sex ministrantes; at S. Thomas suprà art. 4. Ægidius, & alij Thomistæ Dominationem etiam numerant inter assistentes.

7. Probat S. Thomas in argumento *Sed contrà*,
Gregor. authoritate Dionysij, quam refert Gregorius hom. 34. in Euang. dicens. *Fertur verò Dionysius Areopagita dicere, quòd ex minimorum Angelorum agminibus foras ad explendum ministerium vel visibiliter, vel inuisibiliter mittuntur* scilicet *quia ad humana solatia aut Angeli, aut Archangeli veniunt: nam superiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt.* Confirmat ratione S. Thomas, quia Deus secundùm legem communem gubernat inferiora per superiora, licet autem in gradu rerum naturalium sæpè mutet hunc ordinem propter superiorem gradum gratiæ, vt ad confirmandam miraculis fidem, vel quid simile; nihilominus inter Angelos non opus habet legem illam immutare; tum quia super ordinem gratiæ non est alius ordo, propter quem talis immutatio fiat; tum quia nec ad fidei confirmationem conducit, quòd aliquis effectus fiat in his inferioribus per Angelum superiorem potiùs quàm per inferiorem, cùm ista dignitas nobis sit occulta; nec ad effectum ipsum est necessarius Angelus superior, quia numerus ministrantium sufficientissimus est ad omnes eiusmodi effectus. Adducitque S. Thomas exemplum Annunciationis; quippe si ad aliquod negotium mittendus fuisset Angelus superior, maximè ad illud, & tamen non est missus nisi Gabriel, qui secundi ordinis infimæ hierarchiæ supremus Archangelus esse creditur: ergo nunquam fit talis dispensatio.

In primis videtur mihi cum Vasquio 1. part. 8.
disp. 244. cap. 2. vtraque pars probabiliter defen- Vasquez.
di posse, neutra conuinci, quod vtrorumque fundamentorum solutione demonstrat. Tamen in subsequium S. Thomæ secundam sententiam tuebimur, duplex Angelorum ministerium distinguentes, vnum est merè internum, & spirituale, scilicet illuminatio vel locutio Angelorū inter se facta ex ordinatione diuina propter salutem hominum: hoc enim ministerium in solis mentibus Angelicis fit; & licet aliquando remotè tendat ad opus externum, ordinari tamen potest ad solum internum, vt si superior illuminet inferiorem solùm, vt oret, vel gratias agat pro hominibus, & in hoc sensu omnes Angeli etiam specialiter assistentes sunt simul ex officio ministrantes, quo pacto capi potest Apostolus Hebr. 1. dum ait, Hebr. 1.
Omnes sunt administratorij spiritus, & Athanasius Athanasius.
suprà, cùm inquit, *omnes ad ministerium præsto sunt, centena millia ministrorum assistunt*: nam omnes aliquod internum opus exercent circa inferiores ex ordinatione diuina ministrantes Deo in tali opere.

Aliud ministerium Angelorum est externum, 9.
& corporale quodammodo, ad quod pertinent actiones Angelorum in sublunaribus, siue circa res irrationales, mouendo illas, v. g. congregando, vel dissipando nubes, &c. siue circa homines, custodiendo illos, annuntiando, illuminando mentes, quod non fit nisi mediante aliqua mutatione circa opus. Hoc autem vel potest fieri per immediatam executionem, vel per directio-
nem duntaxat. In hoc sensu dicit S. Thomas S. Thom.
1. part. quæst. 112. art. 2. & 4. sex esse ordines ministrantes, qui adæquatè ab assistentibus distinguuntur, quinque verò exequentes: nam Dominationes non ministrant exequendo, sed ordinando, quod ex ipsis nominibus deducit. *Nam proprietates* (inquit) *sanctorum Angelorum ex earum nominibus m[illegible] festantur*, secundùm Dionysium de cæl. hier. ch. [illegible] p. [illegible]. at in nominibus quinque ordinum [illegible], qui sunt Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, Angeli, denotatur

denotatur aliquod ministerium, quod postulat executionem: in nomine autem Dominationum non denotatur executio, sed imperium, & ordinatio; & ideò credimus illos ministrare dirigendo.

10. Missionem distinguit S. Thomas suprà art. 2. ad 1. duplicem in Angelis, visibilem, & inuisibilem, hæc fit per internam solùm operationem, ac subinde per solam operationem illuminatricem omnibus Angelis communem; quo pacto capit S. Thomas illud Apostoli; *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi.* Missio visibilis fit ad corporalem effectum, & solùm quinque ordinibus exequentibus conuenit. Suarius censet missionem illam inuisibilem in Angelis nimis esse latam, & metaphoricam, propriam verò necessariò includere mutationem localem ex imperio Dei factam, quia sic capitur in communi acceptione missio ministrorum; iuxta quem sensum absolutè non dicentur mitti nisi quinque ordines Angelorum inferiorum. Sic intelligendus est Chrysostomus orat. 3. in epistolam ad Heb. dum inquit. *Filius ne fuit quidem missus: non enim à loco in locum transiit, sed carnem suscepit, Angeli verò loca mutant, & prioribus in quibus sunt dimissis ad alia veniunt, in quibus non erant*, quod explicat dicens. *Porrò autem missus quoque est filius, sed non vt minister, sed tanquam vnigenitus, qui eadem vult, quæ Pater.*

Chrysost.

11. Ad primum testimonium primæ sententiæ respondetur Cherubin positum ante paradisum ex quinque inferioribus ordinibus fuisse, scilicet Principatum, vel Potestatem, dici verò Cherubinum, vel quia nomen istud interdum est commune omnibus Angelis, quatenùs scientia pleni sunt, vt notat Caietanus, vel quoniam apparebat in illa figura, qua posteà Cherubini Arcæ formari sunt, vel denique quia in custodia Paradisi subordinabatur Cherubinis, vt minister illorum, & quasi in illorum persona figuram illam assumebat, ideoque nomine Cherubini nuncupatur. Ezech. 10. non dicuntur Cherubini mitti, vel ministrare, sed ferre currum Dei, quod est Deo specialiter assistere, & in interno atrio veluti circa Dei maiestatem occupari.

12. Ad secundum dupliciter respondet Dionysius, & ex illo S. Thomas, scilicet illum dici Seraphinum ab officio purgandi, vel (quod mihi magis arridet) verum Seraphinum visum fuisse ab Isaia volantè ad se, purgantemque labia, non est tamen necesse vt hoc ministerium per seipsum fuerit executus, sed per Angelum sibi subiectum, nempe per illum, qui totam illam visionem ostendebat Prophetæ, quod ex contextu reddit verosimile Suarius lib. 6. de Angelis cap. 10. n. 8.

Suarez.

13. Ad tertium nonnulli teste Magistro in 2. dist. 10. cap. 13: volunt, nomen Michaëlis non esse vnius Angeli tantùm, sed pluribus impositum iuxta varias actiones, ex quibus tale nomen sumptum est; quod habet fundamentum in Hieronymo Dan. 18. & declaratur ab Abulensi Iudic. 13. quæst. 35. iuxta quam doctrinam ille Michaël, qui mittitur ad nos, & dicitur esse custos Synagogæ ac Ecclesiæ, non est ex suprema hierarchia, sed ex aliquo ministrantium ordine, vt tradit Vasquius disp. 244. num. 14. licèt forsan ille Michaël, qui primus iniuit cum Lucifero bellum, sit supremus Seraphinorum, & per alium eiusdem nominis inferiorem quasi per ministrum suum prosequatur idem bellum in Ecclesia militante vsque ad finem sæculi perseuerans. Ecclesia verò præcipuè dicitur colere supremum Michaëlem, cuius nutu regitur, & defenditur, quamuis simul cum illo veneretur etiam specialiter illum Angelum, per quem tot beneficia proximè recipit, & Michaël etiam appellatur.

Magister. Hieron. Abulensis. Vasquez.

14. Ad quartum ex Danielis 8. colligitur, Gabriëlem esse inferiorem Michaële, quia mittitur ab illo, vt ibi notat Hieronymus, & ipse Bernardus 5. de considerat. cap. 4. sensit apertè Gabrielem esse secundi ordinis infimæ hierarchiæ. Nec obstat quòd dicatur *missus a Deo*: nam etiam inferiores Angeli mittuntur à Deo, licèt mediante superiorum illuminatione, vt colligitur ex Exodi 23. & Actorum 21.

Bernard.

15. Ad quintum respondet Vasquius Raphaëlem esse vnum ex septem Principibus, qui adstant ante Deum tanquam præpositi ministerio, vt gerant curam illius, ac subinde ad inferiores ordines spectare. Suarius certum reputat esse ex ordinibus ministrantibus, qui ex officio mittuntur, ac per consequens illos septem spiritus tantùm esse ministrantes, & exequentes, quæ ipsis præcipiuntur, vt colligit ex Apoc. 8. 15. & 16. Quare dicuntur adstare coram Deo in secundo sensu relato suprà num. 1.

Apocal. 15. & 16.

16. Ad sextum respondetur, priorem partem, videlicet *omnes sunt administratorij spiritus* intellectam vt suprà num. 8. sufficere ad colligendum omnes Angelos esse Christo inferiores simpliciter, & absolutè: nam omnes sunt serui, & ministri, & nullus est filius sicut Christus. Quod verò subdit Apostolus, *in ministerium missi*, vel intelligitur de missione latè, iuxta sententiam S. Thomæ relatam num. 10. vel de aptitudine, vt mittantur iuxta opinionem Vasquij in ea disp. 244. num. 16. quia supposita priori propositione vniuersali, quòd omnes sunt ministri destinati à Deo ad procurandam hominum salutem, rectè colligitur, omnes esse talis conditionis, vt si Deus vellet res ita disponere, posset illos omnes mittere, vel demum, vt tradit Suarius, illud non tam additum fuit ad nouam probationem subiectionis Angelorum, & inæqualitatis ad Christum, quàm ad explicandum finem illius ministerij, & notiorem effectum illius.

Vasquez.

17. Confirmatio probat verisimilem esse sententiam oppositam, non tamen esse certam omninò: quamuis enim excellentiæ negotij congrueret supremus Angelus, si à Deo mitteretur, nec ille dedignari posset; incongruens tamen non est, si per aliquem Archangelorum annuntietur: nam vtroque modo potuit à Deo reuelari, nec deessent illi congruentiæ pro vtraque parte. Maneat igitur statutum, Angelos quatuor ordinum superiorum regulariter, & quasi ex officio proprio non mitti ad nos, vt concedit etiam Molina conclus. 2. An autem de facto propter maximi ponderis negotia quandoque Deus miserit quenquam illorum, incertum nobis est, & pars negatiua potest cum Angelico Doctore probabiliter sustineri.

Molina.

* * *

custodiæ? prima sententia docet ab infusione animæ. Indicat Anselmus in Elucidatorio dicens, *Vnaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur*, consentit Tertullianus lib. de anima cap. 37. & Pamelius ibi; S. Thomas in 2. dist. 11. quæst. 1. artic. 3. ad 3. Bonauentura, & Gabriel distinct. 10. Suarius lib. 6. de Angelis cap. 17. Probatur primò, quoniam ex tunc incipit homo esse viator, vnde licèt physicè sit quasi pars matris, tamen in ordine ad salutem animæ est persona distincta capax originalis peccati, & licèt mater sit sancta, filius concipitur peccator, & adhuc in vtero per Dei gratiam est capax meriti, vt contigit Ioanni Baptistæ, interdumque mater non parens Angelo suo potest aliquid tentare filio nocivum, quod Angelus filij custos debeat impedire. Probatur secundò, quia credibile sit statim illi superuenire Dæmonem, qui specialiter nocere procuret: ergo debet etiam ex tunc Angelus pueto deputari, vt Dæmonem arceat, & alia impedimenta tam spiritualia, quàm corporalia præcaueat & remoueat.

8. Secunda sententia docet ab instanti natiuitatis incipere. Sic S. Thomas 1. part. quæst. 113. art. 5. ad 3. Durandus in 2. dist. 11. quæst. 1. Vasquius 1. part. disput. 245. num. 3. Molina dicta quæst. 113. aliique communiter. Probatur, nam etiam ante adultam ætatem indiget puer Angelica custodia, quæ non solùm docendo, & illuminando exercetur, sed etiam auertendo pericula, & cursum educationis dirigendo. Quòd autem ante natiuitatem non sit necessarius specialis custos paruuli, probat S. Thomas, quia puer dum est in vtero censetur esse pars matris, eo modo quo fructus pendens ex arbore vnum quid est cum arbore, Quapropter Angelis Matris custos sufficit ad custodiendum filium in vtero materno, & vtriusque pericula corporalia, vel spiritualia præcauere. Vtraque pars videtur probabilis, sed incerta.

9. Conueniunt tamen communiter Doctores, tempus custodiæ finiri cum vita mortali: tunc enim desinit iam homo esse viator, & custodia solùm requiritur pro tempore vitæ, quo peregrinamur, & periclitamur in hoc sæculo. Videtur tamen annexum custodiæ, vt si custoditus discedat io gratia, habens aliquid expiandum deducatur ab Angelo custode in locum expiationis; sin verò nihil expiandum habuerit, ab eodem deducatur in cælum, vt ex morte Lazari mendici Luc. 16. colligit Molina supra.

10. Quæritur quartò, An singuli homines a diuersis Angelis custodiantur. Magister in 2. dist. 10. cap. 2. & 3. putat omnes homines simul viuentes à distinctis Angelis custodiri, quia numerus Angelorum etiam infimi ordinis excedit numerum hominum in eodem tempore simul existentium; aliunde verò possent duo homines ita loco disiungi; v. g. si maneret vnus in Hispania, & alter migraret ad Indos, vt non posset vnus Angelus vtrique subuenire cùm opus esset, vtrique simul præsentialiter adesse, successiuè tamen censet Magister plures homines ab eodem Angelo custodiri, quia numerus hominum ab initio vsque ad finem mundi existentium reputat maiorem numero Angelorum ordinis infimi. Sed hoc fundamentum est incertum, & Iustinus Martyr in vltimo lib. quæstionum quæst. 30. docet Angelum, qui semel vnum hominem custodiuit, & ad beatitudinem perduxit, nunquam alterum custodire. Ceterùm nec hoc potest certò affirmari.

11. Quæritur quintò. An præter Angelos custodes, qui pro singulis hominibus deputantur, alij pro Communitatibus, Regnis, & Regibus, Ecclesiis, Pastoribus, & similibus destineotur. Communiter respondetur affirmatiuè: nam de Regnis Dan. 10. fit mentio Principis, Persarum, Græcorum, & Iudæorum, per quos Angeli Prouinciarum denotantur, vt ibi Hieronymus, Theodoretus, & omnes. Præterea Origenes lib. 1. Periarch. cap. 8. tradit dati Angelos singularum Ecclesiarum ad custodiendas singulas communitates constitutos, probat ex Apocal. 1. 2. & 3. Sequitur Hieronymus Micheæ 6. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 21. & lib. 2. in Luc. Nazianzenus oratione 32. Hilarius Psal. 129. & S. Thomas quæst. 113. artic. 2. Vnde fit verosimile Pontificibus, Regibus, & aliis Prælatis duos Angelos deputari, nimirum inferiores, vt personis particularibus, & superiores ratione muneris.

12. Addunt insuper Patres & S. Thomas supra, speciebus etiam inanimatis singulos attribui custodes, non ad inducendas formas substantiales, vt somniauit Plato, sed ad earum conseruationem promouendam. Sic docet Origenes hom. 8. in Ieremiam, & hom. 23. in Iosue, Nazianzenus in carmine 6. de substantiis separatis. Quo pacto capiendum est quod dixit Augustinus lib. 83. quæstionum quæstione 79. *Vnaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis Scriptura diuina testatur*: non enim de singulis rebus, sed de speciebus intelligendus est Augustinus, sic Apoc. 14. & 16. alius dicitur Angelus ignis, alius aquarum. Vbi Aretas, & Andreas Cæsariensis videndi.

13. Quæritur sextò, quibus Angelis committatur ista custodia. Respondetur cum communi Doctorum custodiam particularem singulorum hominum Angelis infimi ordinis esse commissam: sumitur ex Dionysio cap. 9. & ex Athanasio lib. de communi essentia, vbi ait. *Postremi omnium sunt Angeli, qui & hominum pædagogi sunt censendi*, docetque S. Thomas ea quæst. 113. art. 3. Ratio est, quia talis ordo Angelorum infimus est proximè super homines, & licèt sint inæquales in specie, nihilominùs quoad munus custodiendi, & illuminandi homines habere possunt ordinem immediatum ad illos: ergo secundùm conuenientem ordinem diuinæ prouidentiæ sunt aptissimi, vt ad particularem hominum custodiam destinentur.

14. Vnde colligunt Patres & S. Thomas suprà duos superiores ordines altiorem, & vniuersaliorem custodiam exercere, probabiliterque dicemus Archangelis committi curam insignium personarum, scilicet Apostolorum, Prophetarum, Regum, Pontificum, & similium: Principatibus verò custodiam Communitatum, scilicet, Regnorum, Ecclesiarum, &c. iuxta regulam Basilij lib. 3. contra Eunomium dicentis. *Quanto gens vni viro præponenda est, tanto maiorem necesse est Angeli, qui gentis principatum habeat esse dignitatem.* Potestates dicuntur à S. Thoma custodire genus humanum, & totum vniuersum coërcendo Dæmones; Virtutes verò habere custodiam super omnes naturas corporeas, & 3. contra Gent. cap. 80. ad eamdem refert motum

Franc. de Lugo in 1. part. D. Thomæ. Yyyy

Gregorius. motum cælorum. Gregorius hom. 34. in Euang.
dicit ad hunc ordinem spectare diuina signa, sci-
Suarius. licet miraculosas actiones. Vnde colligit Suarius
cap. 18. ad hunc ordinem Virtutum pertinuisse
Angelum, qui præcedebat populum Israël, Exod.
31. & 23. & qui signa faciebant ad verbum Mosis
coram Pharaone, & similes.

15. Quæritur septimò, qui sint effectus huiusmo-
Petr. Cellen. di custodiæ. Petrus Cellensis lib. 1. de mystica
expositione tabernaculi propè fin. *Totum offi-
cium Angelorum quantum ad nos est, vt nos à
malo defendant, & in bono conseruent*, quod in-
telligendum est de malo, & bono tam corpo-
ris, quàm animæ, licèt ad spirituale bonum to-
ta custodia dirigatur. Huc pertinet primò auer-
tere pericula exteriora, quod Angeli faciunt inter-
dum auertentes obiecta, vel agentia extrinseca
nobis ignorantibus, & nihil operantibus, inter-
dum immittentes cogitationem, per quam im-
minentis mali vitetur occasio, licèt occasionem
ipsam non præuideamus, nec ex prædicta inten-
tione illam euitemus.

16. Secundò, pertinet animam excitare, seu moue-
te per internas illuminationes, media scilicet im-
mutatione phantasmatum ad operandum bo-
num, & ad præcauendum malum. Sic dicuntur
Gen. 18. Angeli reuelare mysteria, Genes. 18. Iudic. 13.
Iudic. 13. instruere de necessariis ad salutem, Act. 5. & 8.
Act. 5. 8. & 10. mouere ad bonum, Act. 10. succurrere in neces-
Matth. 1. sitantibus, Matth. 1.

17. Tertiò, pertinet coërcere Dæmones, ne tam
grauiter tentent; quamuis enim hoc diximus ad
Potestates vniuersaliter spectare, tamen addit
S. Thom. S. Thomas 1. part. quæst. 113. art. 3. ad 3. *quod
etiam inferiores exercent officia superiorum in quan-
tum aliquid de dono eorum participant, & sunt qua-
si executores virtutis eorum*; vnde subdit, posse
nonnunquam infimos custodes in gratiam suo-
rum clientum miracula facere, quæ possunt dici
beneficia priuata, & extraordinaria.

18. Quartò, pertinet offerre Deo clientum oratio-
Tob. 12. nes, vt constat Tob. 12. & Apoc. 8. Imò Petrus
Apocal. 8. Cellensis suprà, generaliter ait *Angelos custodes
Petr. Cellen. omnia bona opera nostra Deo præsentare*; scilicet
vt suas etiam orationes pro clientibus adiun-
gant, & nouos habeant titulos demerendi diui-
nam pietatem. Quintò, demùm pœnas medi-
cinales clientibus inferre, siue vt resipiscant à
malis, siue vt proficiant in bonis, quod sumitur
ex Hieronymo circa verba Danielis 7. *Millia mil-
lium* &c.

19. Circa res irrationales pertinet ad custodiam
Angelorum procurare conseruationem specie-
rum, sufficientemque propagationem ipsarum,
tum remouendo causas, vel occasiones, quæ no-
cere possunt, tum applicando actiua passiuis, vt
positiuè bonum specierum promoueant; quod
frequenter accidet fortasse per supernaturalem
operationem, quæ præter communem causarum
naturalium cursum, alias causas remoueat, vel
interponat; ideoque S. Thomas rectè tribuit
huiusmodi custodiam Virtutibus, quia cum ali-
quo miraculo coniuncta est.

20. Quæritur octauò, cum S. Thoma quæst. 113.
S. Thom. art. 8. Vtrùm inter Angelos custodes possit esse
Dan. 10. dissensio, & pugna, vt contigisse videtur Dan.
10. Respondetur non fuisse inter illos Angelos
simpliciter discordiam voluntatum, sed in peti-
tionibus oppositionem, petendo contraria, quan-
diu de diuina voluntate ipsis non constabat,
idémque potuit aliis accidisse. Quia tamen
priusquam diuinam voluntatem cognoscant,
semper postulant sub illa conditione, si Deo ma-
gis placuerit, vel alia simili tacita, vel expres-
sa; ideò licèt contraria inter se petant absolutè,
non contrariantur in voluntatibus, sed tantùm
secundùm quid, & quasi obiectiuè: nam co-
gnita voluntate diuina pariter omnes in illa
conueniunt.

CAPVT III.

De cultu debito sanctis Angelis.

QVoniam de adoratione longior est futu- 1.
ra disputatio 3. part. lib. 7. supponimus
adorationem esse actum Religionis, seu volun-
tatem submittendi se alteri, vt honor eius excel-
lentiæ debitus exhibeatur in latriam, quæ est
cultus proprius Dei; duliam, quæ creaturis
impenditur ob aliquam illatam excellentiam, vt
Sanctis; hyperduliam, quæ Virgini Deiparæ &
Christi humanitati præcisè tribuitur. Itaque
sancti Angeli colendi sunt adoratione duliæ: sic
censet Ecclesia Catholica dum sanctis omnibus,
siue sint homines, siue sint Angeli sacram decer-
nit adorationem & multo maiorem quàm Ci-
uilem, minorem tamen quàm latriæ Deo dunta-
xat debitæ: Hanc verò adorationem sanctis de-
bitam Scholastici meritò duliam appellarunt,
vt notat Vasquius lib. 1. de adoratione disp. 1. Vasquius.
cap. 1.

Probatur, quia Genes. 18. & 19. Abraham, & 2.
Loth Angelos adorarunt. Numer. 22. Balaam Gen. 18 & 19.
adorauit Angelum pronus in terram, & Iosua Numer. 22.
cap. 5. similiter Angelum adorauit. Consonant Iosue 5.
Concilia & Patres à Vasquio ibi relati disp. 5.
cap. 2. Ratio sumitur ex sanctorum Angelorum
excellentia, prouenientе scilicet ex donis gratiæ
& gloriæ, quibus decorantur. Sed hæc excellen-
tia, & participatio diuinæ dignitatis vbicun-
que repetiatur digna est honore, cultu, & reue-
rentia plusquam ciuili, cùm sit ordinis superio-
ris, & supernaturalis: ergo sancti Angeli colen-
di sunt tali cultu duliæ.

Obiicies primò, quòd Apocal. 19. dixit Euan- 3.
gelista Ioanni adorare volenti, *Vide ne fece- Apoc. 19.
ris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum,
Deum adora*. Respondetur, non ideò fuisse
Ioannem prohibitum adoratione Angeli, quòd
hæc esset iniqua, vel indebita, sed ob alias ho-
nestas causas tunc occurrentes, & ad myste-
rij significationem pertinentes. Gregorius, Am-
brosius, Rupertus causantur Incarnationis do-
minicæ reuerentiam, vnde tanta dignitas hu-
manæ naturæ accessit, Petrus Damianus vir-
ginitatis excellentiam, Viegas sacerdotij di-
gnitatem, alij munus Angelicæ prædicationis,
Alij Ioannis labores pro Christo fortiter to-
leratos, Alij rationem reddunt, quoniam ho-
mines in cælesti beatitudine Angelis erunt æqua- Baronius.
les. Baronius tom. 1. Annalium dicit id fuisse
scriptum, vt fideles probè essent instructi aduer-
sus errorem Cerinthi, qui tunc temporis plus
dignitatis Angelis tribuebat, quàm illis attribuat
Scriptura. Videantur testimonia Sanctorum
apud Iodocum Coccium tom. 1. Thesauri Iodoc. Coc.
lib. 4. cap. 4. Quod autem Augustinus q. 61. in August.
Genesi, Alanus Copus & alij dixerunt Ioannem Alan. Cop.
credidisse

credidisse hunc Angelum esse Christum Dominum; ideóque latriæ cultum exhibere voluisse, refellitur, quia non est verisimile Ioannem in his reuelationibus decipi, præsertim cùm post primam Angeli prohibitionem iterum cap. 22. illum adorare fuerit aggressus.

4. Obiicies secundò, Concilium Laodicenum can. 35. dicens. *Nam oportet Christianos derelicta Ecclesia abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere*, &c. Respondetur ex ipsomet Concilij contextu constare non ibi damnari venerationem sanctorum Angelorum, sed malorum, quos aliqui magiæ causa solebant inuocare, & venerari, vt testatur Tertullianus in Apologetico cap. 23. nam idem Concilium can. 34. & 51. probat verum cultum Sanctorum. Similiter capiendus est Theodoretus, cùm aliquando cultum Angelorum videtur reprobare: nam aliàs cap. 4. in Danielem, & de diuinis decretis lib. 5. de Angelis docet bonos Angelos esse adorandos, vtpotè nostros apud Deum patronos. Similiter Paulus cùm ad Colossenses 2. dixit, *Nemo vos seducat in religione Angelorum*, non damnat, vt volunt Caluinus, & Beza, cultum Angelorum, quem tradit Ecclesia, sed superstitiosum, vel idololatricum tam bonorum, quàm malorum Angelorum.

Cóc. Laodic. Tertull. Theodoret. Colossens. 2.

5. Ad huiusmodi cultum pertinet vt sanctis Angelis templa dedicentur, in quibus à fidelibus colantur, & rogentur, idque licitè fieri probant Basilicæ quamplures ex consuetudine Ecclesiæ in honorem Angelorum, & sancti Michaelis erectæ. Quod verò dixit Augustinus 5. contra Maximinum fore vt si quis templum Angelis dedicaret, anathematizaretur ab Ecclesia Dei, quoniam eam creaturæ seruitutem exhiberet, quæ est solius Dei, capiendum est de primo fine Basilicas erigendi, scilicet ad sacrificandum Deo, qui est cultus latriæ non exhibendus Angelis: at cùm hoc fine coniungi possunt alij secundarij, nempe cultus Sanctorum, & illorum inuocatio, quo pacto non prohibet Augustinus Angelis dicari templa, vbi ipsi dulià, Deus vero latrià solius Deitatis proprià colantur.

August.

6. Angelorum effigies aut imagines præter omnium imaginum osores specialiter tollendas asserebat Xeneus, vel Xenaias, vt refertur in VII. Synodo act. 5. circa med. quia cùm Angeli sint incorporei, depingi non possunt prout sunt in seipsis. Ceterùm Ecclesiæ praxis, & consuetudo probat licitè pingi Angelorum imagines, & in sacris litteris Cherubinorum statuæ dicuntur in templo fuisse positæ diuino iussu: licèt enim sint incorporei, possunt sub forma corporea delineari, nimirum vt sub corporea similitudine res etiam incorporeas percipiamus. Item sub hominis forma depinguntur, quòd in illa sæpius apparuerint, & multò meliùs instar hominis, quàm alterius rei naturas, & proprietates eorum dignoscamus: iuuenili tamen ætate robur Angelicæ vitæ iugiter vigens alis, & pennis celeritas denotatur, vt tradit Dionysius de cælesti hierarch. cap. 2. & vltimo. Tertullianus lib. contra Gent. cap. 22. Tyræus de apparitionibus spirituum cap. 5.

Dionys. Tertull. Tyræus.

* * *

QVÆSTIO LXIII. S. Thomæ.

De Angelorum malitia quoad culpam.

ARTIC. I.

Vtrùm malum culpæ possit esse in Angelis.

Conclusio affirmat, & probatur, quia sola diuina voluntas est sua regula, subindéque non potest deficere; voluntas verò creata non est sua regula, sed regulatur per voluntatem diuinam à qua potest deficere. Rationem istam expendimus disp. 17. c. 3. n. 21.

ARTIC. II.

Vtrùm in Angelis possit esse tantùm peccatum superbiæ, & inuidiæ.

Prima conclusio; Secundum reatum omnia peccata possunt in Angelis esse, quia dum hominem ad omnia peccata inducunt, omnium reatum incurrunt. Secunda conclusio quoad affectum duo tantùm peccata, scilicet superbia, & inuidia possunt esse in Dæmonibus, quoniam hæc sola sunt purè spiritualia.

ARTIC. III.

Vtrùm Angelus appetierit esse vt Deus.

Conclusio: Angelus non appetiit esse Deus per naturam, quia sciebat id esse impossibile, sed appetiit esse similis Deo in aliqua ratione excedenti modum excellentiæ propriæ, scilicet vltimam suam beatitudinem propriam, quod est proprium Dei.

ARTIC. IV.

Vtrùm aliqui Dæmones sint naturaliter mali.

Conclusio negat, & probatur, quia bono vniuersali nullum malum potest esse admixtum, cùm in ratione boni, vt sic, nihil mali possit relucere: sed natura intellectualis habet ordinem in bonum vniuersale, quod potest apprehendere: ergo non habet inclinationem naturalem in malum.

ARTIC. V.

Vtrùm Diabolus fuerit malus in primo instanti suæ creationis per culpam propria voluntatis.

Conclusio: non solùm non peccauit Angelus in primo instanti, quoniam omnes fuerunt in gratia creati, vt constat ex Scriptura, sed nec peccare potuit, quia prima operatio Angeli est ei à Deo, qui non potest esse causa peccati.

* * *

ARTIC. VI.

Vtrùm aliqua mora fuerit inter creationem, & lapsum.

COnclusio: Statim post primum instans (scilicet Angelicum) suæ creationis Angelus peccauit, quia post primam operationem bonam secuta est actio peccaminosa.

ARTIC. VII.

Vtrùm Angelus supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes.

COnclusio: Probabilius est fuisse supremum, quia cùm peccatum Angeli fuerit superbia, cuius motiuum est excellentia, quæ fuit maior in superioribus, maius motiuum habuit Angelus supremus ad peccandum.

ARTIC. VIII.

Vtrùm peccatum primi Angeli fuerit alijs causa peccandi.

COnclusio affirmat fuisse causam non cogentem, sed hortantem. Probatur à signo: nam omnes Dæmones illi supremo subduntur, ordo quippe diuinæ iustitiæ præscribit, vt cuius suggestioni aliquis consentit in culpa, eius potestati subdatur in pœna.

ARTIC. IX.

Vtrùm tot Angeli peccauerint, quot permanserunt.

COnclusio: Plures Angeli permanserũt quàm peccauerint: nam quæ contra naturam fiunt, in paucioribus accidunt; peccatum verò est contra naturalem inclinationem.



DISPVT. XXIIII.

De malis Angelis.

DIximvs disput. 17. cap. 3. Angelos posse peccare; imò non esse possibilem creaturam rationalem, quæ secundùm naturæ conditionem non sit peccabilis; cap. 5. docuimus etiam in primo instanti peccare potuisse; restat nunc inquirendum an dentur Angeli natura sua proni ad malum; quando peccauerint de facto, & quomodo.

CAPVT I.

An dentur Angeli natura sua mali.

1\. FVit antiquus error quorundam existimantium nullos esse Dæmones, sed tantùm ex opinione vulgi nominari; cuius meminit Origenes tract. 4. in Matth. & S. Thomas in 4. dist. 34. quæst. 1. art. 3. [Origenes. S. Thom.] aliique hæretici, & nonnulli Philosophi in hoc barathrum impegerunt, contra quos omnes est certum de fide dari Angelos malos, quos Scriptura, & Ecclesia vocat Diabolos, vel Dæmones; licèt enim Dæmones iuxta Isidorum dicti sint, quasi Daimones, id est, periti, ac rerum præscij, vnde in bonam etiam partem accipiebantur, rectè tamen Augustinus lib. 8. de Ciuit. à cap. 13. & lib. 9. cap. 19. [Augustinus.] docet secundùm vsum Scripturarum, & Christianorum non esse Dæmones nisi in malam partem accipiendo, quo sensu illorum fit mentio Tob. 3. 6. & 12. Iob 1. & sequentibus Deuteronom. 32. Psal. 77. & 95. Matth. 12. Ioan. 8. [Tob. 3. 6. & 12. Iob. 1. Deuter. 32. Ps. 77 & 95. Matth. 12. Ioan. 8.] & sæpè alibi; atque ipsamet experientia testatur in energumenis malos Angelos versari.

2\. Vnde rectè quidem omnes Angeli diuidi possunt in bonos, & malos, nec alij medij à quibusdam Philosophis conficti debent admitti; quoniam Scriptura solùm Angelorum bonorum, & malorum mentionem facit, & ita de illis loquitur, vt satis ostendat nullum alium ordinem Angelorum inueniri: vel enim peccarunt, & per peccatum perpetuò damnati simpliciter mali sunt, vel non peccarunt, sed beatitudinem adepti iam per visionem Dei redduntur impeccabiles.

3\. Alij hæretici per oppositum existimarunt Dæmones natura sua malos esse. Manichæus enim duo finxit prima principia, & vnum esse summè malum ex se, & non à Deo habens suam substantiam naturaliter malam, vt refert Augustinus [August.] lib. de hæresibus cap. 46. & lib. 8. de Trinitate cap. 12. vbi asserit secundùm Manichæum Luciferum esse à summo malo tanquam à principio, & lib. 12. de Genes. ad litteram cap. 20. quosdam refert asseruisse Diabolum, non libero arbitrio, sed natura sua malum esse, licèt à Deo creatum esse faterentur: Demum lib. 10. de Ciuit. cap. 11. refert Porphyrium posuisse quosdam Dæmones fallaces, & malos. Concilium verò Braccarense I. can. 6. & Leo Papa epistola 91. ad Turibium, aliàs 93. [Côc. Bracc. I. Leo Papa.] referunt Manichæum, & Priscillianistas dixisse Diabolum emersisse ex tenebris, nullúmve sui authorem habuisse, sed ipsum esse à se malum, & principium ac substantiam mali. Addit Theodoretus [Theodoret.] in lib. 5. vel epitome diuinorum officiorum cap. de Diabolo, Marcionem, Cerdonem, & Manichæos dixisse Dæmones omnes esse ingenitos. Alij verò soli Principi malorum hoc tribuunt, alios verò ab illo factos esse significant.

4\. Hæc existimatio hæretica est, & conuincitur ex illis Scripturæ testimonijs, quæ generaliter aiunt, quidquid Deus facit bonum esse, vt legitur Genes. 1. [Gen. 1.] *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, iam verò fecerat Angelos. Conuincitur etiam ex illis locis, quibus ostenditur omnes Angelos initio fuisse bonos, vt diximus disputat. 19. cap. 2. definitur Catholica veritas in Concilio Braccarensi primo, & in Lateranensi cap. *firmiter.* de summa Trinit. [Concil. Lat.] dicente, *Diabolus, & alij Dæmones à Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.* Idem tradunt Concilium Carthag. IV. c. 1. [Côc. Carthag. IV.] Leo Papa suprà, Dionysius 4. de diu. nom. Cyrillus Ierosolym. Catechesi 2. Epiphanius hæresi 64. & 66. Nazianzenus orat. 3. & 4. Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 72. Augustinus suprà, & alij permulti. [Leo Papa. Cyril. Ierosol. Epiphan. Nazian. Irenæus. August.]

5\. Declaratur hæc veritas, quia loquuntur de malitia morali, quæ si dicatur Angelis competere per solam suam substantiam, & potentias absque vlla operatione, facile reiicitur, quia omne ens, quatenùs ens bonum est, nec malitia moralis reperitur formaliter nisi in operatione; si dicatur Angelus esse malus per operationem, quam tameo necessariò habeat quasi fluentem ex vi talis naturæ; contrà, quia de ratione peccati est, vt sit liberum, ac subinde repugnat operationem esse necessariam & malam moraliter: si dicas operationem illam esse necessariam quoad specificationem, non quoad exercitium, contra: nam eo ipso quod obiectum sit malum moraliter, inest ei aliqua ratio, propter quam possit non amari, scilicet malitia moralis honestati contraria: hæc enim sufficit vt obiectum possit non amari, vel etiam odio haberi. Confirmatur quia voluntas est appetitus rationalis, id est, consequens rationem. Bonum autem honestum est quid consentaneum rectæ rationi, seu naturæ rationali, vt rationalis est: ergo implicat voluntatem esse natura sua determinatam ad bonum rectæ rationi repugnans, etiam quoad specificationem.

6\. Accedit ratio S. Thomæ: nam id cuius natura ordinatur ad bonum secundùm communem rationem boni non potest secundùm suam naturam tendere in aliquod malum. Dices, tendere potest in bonum delectabile quod sit simul moraliter malum. Sed contrà in primis: nam inde solùm fit talem naturam esse peccabilem, non tamen esse natura sua malam moraliter, alias etiam Angeli boni, & omnes homines essent secundùm suam naturam mali, quia naturaliter peccare possunt. Rursus explicatur ratio sancti Thomæ. Quando voluntati duo bona occurrunt, quæ simul velle non potest, quoniam vnum repugnat alteri, tunc naturali pondere magis propendit in id quod est suæ naturæ magis consentaneum, excellentiorémque præfefert bonitatem: ergo voluntas Angeli propensioni naturali non potest inclinati magis in bonum illud, quod est rectæ rationi contrarium. Antecedens probatur, quia voluntas naturaliter inclinatur ad bonum secundùm communem rationem boni, vt arguit sanctus Thomas: ergo descendendo ad particularia bona simpliciter inclinatur in id quod melius est, sibique conformius; cùm autem bonum particulare habet malitiam moralem, eo ipso est repugnans maiori bono voluntatis: ergo non refertur voluntas ad illud maiori propensione naturali.

7\. Eccles. 39. Obiicies illud Ecclesiast. 39. *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt.* Respondetur vel ibi nomine *spiritus* significari ventos, seu procellas, quas solet Deus excitare in vindictam peccatorum, iuxta illud Psalm. 10. *Spiritus procellarum pars calicis eorum*, vel si capiatur de malis Angelis, non dicuntur creati vt mali sint, sed postquam arbitrio suo facti sunt mali, deputantur in vindictam suorum peccatorum, vel etiam hostium prædæ conceduntur. Psal. 10.

CAPVT II.

Quomodo peccauerint Angeli.

SVppono ex libris de Anima dari posse in voluntate defectum, seu culpam moralem, siue prævio errore, vel ignorantia propria intellectus siue speculatiui, siue practici, quia iudiciū rationis siue speculatiuum, siue practicum, & omnis actualis consideratio cum quacunque attentione, vel intensione circa obiecta creata in viatore non infert necessitatem voluntati ad amandum id quod intellectus iudicat esse bonum, vel honestum, vel secundum rectam rationem faciēdum: ergo non obstante actuali iudicio, & consideratione actus boni, vel mali in particulari potest peccare voluntas. Antecedens non solùm de iudicio vniuersali, sed etiam de particulari circa hoc obiectum, hic & nunc amplectendum præter Scripturas, & Doctores exaggerātes peccatum ex malitia cuoi plena scientia boni, probatur à posteriori, quoniam aliàs voluntas nunquam libere consentiret, quia sine prævio iudicio ei ca obiectum particulare non potest illud amplecti, & posito tali iudicio iam necessariò vult: ergo nunquam est in illius potestate velle, vel non velle, positis omnibus præ requisitis ad operandum. Quòd si posito iudicio possit talem actum suspendere, poterit talem suspensionem, quæ circa actum præceptum sit peccaminosa, & sic dabitur iam peccatum sine prævio defectu intellectus; videantur Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 14. punct. 3. & tom. 2. disp. 6. quæst. 8. punct. 1. & 2. Molina hic disp. 1. memb. 5. art. 3. Suarius lib. 7. de Angelis cap. 4. 5. & 6. 1. Valentia. Molina. Suarius.

Moraliter, & communiter loquendo fatendum est, aliquam incogitantiam motiuorum retrahentium à peccato præcedere in intellectu, aliquam etiam vehementiorem cognitionem obiecti delectabilis in peccatore, quo sensu capiuntur Scripturæ clamantes cæcitatem, & ignorantiam peccantium, & illud commune dictum Aristotelis; omnis peccans est ignorans. Præterea iudicium illud prævium peccato dictans hoc obiectum malum moraliter esse diligibile sub ratione boni vtilis, vel delectabilis sonat defectum, vel moralem, si talis actus quoad exercitium liber sit, vel physicum, & naturalem, si talis cognitio proueniat ab extrinseco: dum enim agitur de ditigenda voluntate in ordine ad opus, dicere talem actum, qui prodesse non potest ad rectam directionem voluntatis, sed istam peruertere, defectum dicit morali prudentiæ contrarium, sed naturæ de se peccabili annexum, qui, si voluntas succumbat, erit occasio peccati, & in hoc sensu peccatum voluntatis supponit defectum in intellectu practico. 2.

Hinc infero potuisse Angelos peccare sine mētis errore, vel inconsideratione, sed cum illo solùm defectu prævio, qui naturam peccabilem comitatur, cum illo scilicet iudicio defectuoso, quod erroneum in moribus, seu quoad moralem directionem dici potest, & sufficit ad verificandas scripturas, quæ significant errare illos, qui operātur malum. Sic sentiunt Scotus in 3. dist. 36. q. 1. art. 2. quem sequitur ibi Bassolis a. 3. §. *Sed quantū.* Gabriel art. 2. p. 2. concl. 3. idémque insinuat in 2. d. 22. q. 2. a. 3. vbi refert Alensem, qui hoc indicat 2. p. q. 112. memb. 3. & q. 145. a. 1. ad 6. & q. 123. memb. 3. Scotus. Bassolis. Gabriel. Alensis.

Almainus. Henricus. Adrianus. Corduba.

memb. 5. in fine, quatenus ait nunc peccatum esse mendacium lato modo, qua declinat à veritate boni. Consentiunt Almainus tractat 3. Moral. c. 4. Henricus quodlib. 5. q. 17. & quodlib. 10. q. 10. Adrianus quodlib. 4. q. 1. Corduba lib. 2. quæst. 12. & 13. atque alij Doctores.

4 Addimus potuisse quoque Angelos ex aliqua ignorantia, vel inconsideratione peccare: licèt enim haberent scientiam habitualem (vt ita dicã) per quam possent omnia motiua peccãdi, & non peccandi plenè cogitare, potuerunt tamen actualiter non considerare omnia, quæ deterrebant à peccato, dum ad alia obiecta voluissent attendere magis delectabilia, vel quibus magis afficiebãtur. Potuerunt etiam intensiùs attendere, atque vehementiùs cogitare irritamenta, quàm impedimenta peccandi; vt autem dicatur aliquis ex inconsideratione peccare, nõ est necesse, vt in obiecto quòd inordinatè amat, non consideret malitiam, si quam habet, vel non consideret præceptũ prohibẽs, si quod est, vel similia, sed satis est, quod non actu consideret motiua vitandi peccatum, vel aliquod illorum, quod posset voluntatem retrahere, forsanque contineret illam in officio, si actu perpenderetur; sufficit etiam quòd propensiùs cogitet, & vehementiùs consideret voluptatem, vel commoditatem obiecti peccaminosi, quàm moralem malitiam illius, & grauitatem offensæ; nec de possibili credo Doctores discrepare.

Scotus. Gabriel. Valentia. Molina. Isaiæ 14. Ezech. 28.

5. Ceterùm de facto, an scilicet peccauerint Angeli ex inconsideratione duplex inuenitur sententia, vtraque coniecturis innixa. Prima negat, tenent Scotus, Gabriel, & alij suprà. Palacios in 2. dist. 5. disp. 2. Valentia tom. 1. disp. 4. q. 14. punct. 3. Molina 1. p. q. 63. art. 3. disp. 1. memb. 5. cõcl. 3. Probatur primò ex Scriptura Isaiæ 14. vbi de Diabolo dicitur in persona Regis Babylonis *Dixisti in corde tuo in cælum conscendam*; ex quibus verbis colligit Valẽtia Diabolum omnibus consideratis expetiuisse obiectum aliquod contra regulam diuinam. Iuuat illud Ezechielis 28. *Dixisti enim Deus ego sum*, nam in Angelo dictio denotat consideratione actualem, quam vndequaque fuisse perfectam & plenam in Dæmone præter testimonia citata indicat illud, quod additur eo c. 28. *In multitudine negotiationis tuæ impleta sunt interiora tua iniquitate*, verbum enim illud negotiationis indicat Angelum, dum peccaret, omnia quæ ad rem pertinebant mente & cogitatione secum plenè considerasse.

Anselm. Bernard. Gregor. Isidorus.

6. Probatur secundò, auctoritate Patrum: sic enim sentire videntur Anselmus de casu Diaboli cap. 25. Bernardus serm. 1. de Aduentu, vbi ex persona filij Dei sic ait. *Noui in affectum malitiæ, & nequitiæ transijsse Angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua, vel infirmitate peccasse.* Quin cam rationem reddunt Gregorius 4. Moral. c. 12. & Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 12. sententia 10. & 11. atque alij, cur homo fuerit ad pœnitentiam admissus, & non Angelus, scilicet quòd homo peccauerit ex infirmitate, Angelus verò non ita. Quòd si Angelus ex inaduertentia peccasset, cùm hæc non minùs quàm infirmitas imò magis excuset à culpa, sanè ratio, quam reddunt illi Patres nulla esset.

7. Probatur tertiò, tum ex naturali conditione Angelorum, quorum perspicacitas facillimè potuit omnia circumspicere, quæ pertinebant ad negotium salutis æternæ, præsertim eo tempore, quo tanti Angelorum intererat rem tantam toto mentis conatu ponderare; tum ex euentu prioris instantis, quo habuerunt perfectam Dei cognitionem tam naturalem, quàm supernaturalem per fidem, & omnium simul motiuorum, quæ rectam illis operationem suaserunt, & persuaserunt; non videtur autem credibile mox illos in secundo instanti fuisse talis considerationis oblitos, quando præsertim de se, suisque rebus oportebat perfectissimè deliberare, statúmque pro tota æternitate mansurum semel eligere, seu demereri. Verosimilius ergo videtur malos sicut & bonos plenam etiam tunc retinuisse considerationem motiuorum omnium ad perfectissimam illam deliberationem attinentium.

Probatur quartò: nam docent sancti Patres supremum Angelum traxisse secum tertiam partem stellarum, alios ad peccandum inducendo, è contrario verò Michaelem restitisse, ac pro diuino honore pugnasse; licèt illa pugna fieri non potuit nisi rationibus, & considerationibus mentis, aut saltem de facto non aliter fiebat, vt indicant illa Michaelis verba. *Quis vt Deus.* ergo in tali pugna non abfuit consideratio, siquidem vtriusque partis motiua palam à Michaele, & à Lucifero proponebantur. Confirmatur, quia si per incogitantiam peccassent Angeli, non fuisset illorum peccatum tam graue, sicut Scriptura, & Patres vbique significant. 8.

S. Thom. Caietan. Ferrara. Capreolus.

Secunda sententia affirmat Angelos ex aliqua, vel cum aliqua inconsideratione peccasse. Sic docet à fortiori S. Thomas in hac quæst. 63. art. 3. ad 4. & art. 5. & 1. 2. q. 77. art. 2. Caietanus ibi, Ferrara, Capreolus, & alij Thomistæ, qui negant posse voluntatem deficere sine præuio mentis defectu, & loquendo de facto tradit Suarius lib. 7. de Angelis cap. 7. Probat primò, quia licèt non sit absolutè ac physicè impossibile cõsideratis omnibus obiectis, & circunstantiis, quæ ad benè, vel meliùs eligendum considerari possunt, & debent malè eligere, tamen moraliter loquendo id tam est difficile, vt quasi impossibile censeatur: ergo verisimillimum fit Angelos non cõsiderasse actu omnia, quæ possent illos à peccato retrahere, vel infinitatem offensæ diuinæ, damnum irreparabile damnationis æternæ, seueritatem iudicij, & similia, quæ pro varietate peccatorum in singulis possent expendi. Nam si hæc omnia distinctè impenséque attendissent, qui fieri posset vt tot Angelorum millia tam miserè laberentur? 9.

Ezech. 28.

Probat secundò, quia motiua non peccandi, quæ poterant, & debebant considerari, sunt tam multiplicia, vt Angelus non potuerit ad omnia facile attendere, præsertim dum alijs obiectis inferioribus nimium afficiebatur, ad quæ subinde cogitanda valdè propendebat. Ita verò contigisse malis Angelis per sese credibile fit, & colligitur ex Ezech. 28. ibi. *Eleuatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam in decore tuo*, quasi Lucifer multùm attendens ad pulchritudinem excellentiamque suam, & nimio præoccupatus amore sui ad alias superiores rationes rectè eligendi, & amandi non satis attenderit, ideóque dicatur pro eo met instanti suam amisisse sapientiam quoad actualem scilicet considerationem saltémque videtur moraliter necessarium vt ad præeligendũ obiectum peccaminosum vehementior fuerit in Dæmone consideratio motiuorum peccandi, & cum maiori propensione voluntatis, quod sufficit, vt peccatum illud ex aliquo defectu debitæ considerationis dicatur commissum. 10.

Proba

11. Probatur tertiò solutione argumentorum primæ sententiæ. Primum enim conuincit habuisse Luciferum scientiam, & actualem etiam considerationem, quæ reddiderit illum valde culpabilem, non tamen nullam habuisse inconsiderationem superiorum rationum, cum quia potuit stare multiplex negotiatio mentis circa rationes scilicet proprij commodi, vel excellentiæ, vt nomen ipsium negotiationis præsefert, significatque Isaias illis verbis. *Qui dicebas in corde tuo in cælum conscendam*, quasi cogitaret rationes ad elationem inducentes, & per consequens motiua non peccandi, vel non attendebat, vel segniùs ponderabat.

12. Ad secundum respondeti potest. Patres illos negare in Angelis ignorantiam prauæ dispositionis, vel erroris, qualem forsan habuerunt Protoplasti; vt cum multis Patribus tradit Pereyrus Genes. 3. vnde nunc cum hominibus actum est accedente præsertim infirmitate carnis, qua carebant Angeli, licèt inconsiderationem aliquam motiuorum habuerint. (Pereyrus.)

13. Ad tertium respondetur intellectum Angeli limitari, nec posse simul quamcunque multitudinem obiectorum simul distinctè perpendere. Quare si Dæmones ad plures commoditates proprias afficiebantur, illasque volebant distinctissimè cogitare, nihil mirum si omnia simul motiua superiora dispicere non valerent, subindeque remitterent considerationem in primo instanti habitam, partimque omitterent quoad aliquas circumstantias, vel subtiliores rationes obsequendi. Dicuntur autem perfectè deliberasse quoad potestatem omnia necessaria cogitandi, & omnibus perspectis rectè iudicandi; non tamen omnes perfectè deliberarunt quoad actum considerandi, & iudicandi practicè; sed mali defecerunt in actuali consideratione, ac imperfectè deliberarunt, imperfectione scilicet voluntaria, quæ non excusat.

14. Ad quartum respondetur licèt in illa pugna rationes, & motiua sint vtrimque proposita, potuerunt Dæmones ad inferiora propensiùs intendere, aliorum considerationem remittendo, vel partim etiam omittendo, vt dictum est, quia post auditionem necessariam elicitam potest audiens eam cognitionem vel dimittere, vel conseruare pro libito, iuxta superiùs dicta disput. 11. cap. 4. num. 25. Ad confirmationem negatur sequela, quia non obstante prædicta inconsideratione manet Angelorum peccatum grauissimum, tum ex obiecto, & specie sua, tum ex maxima libertate peccantium & voluntariè non considerantium, quæ potuissent, & debuissent cogitare, ab aliis obiectis nociuis mentem auertendo: talis enim inconsideratio parum vel nihil diminuit libertatem, & culpam.

15. Vtraque pars probabilis apparet, Mihi prima arrideret; pro qua respondetem ad primum fundamentum secundæ, priusquam Angeli peccassent, dum erant in gratia, nondum credi ad propria commoda contra voluntatem diuinam sic affectos, vt voluntariè vellent ad motiua peccandi vehementius attendere, contrariaque oblimisci, vel segniter cogitare: nam enim talis affectio videtur peccaminosa; imò si debebant attentiùs dispicere motiua non peccandi, & noluerunt, iam illa nolitio erat peccati: ergo ante peccatum considerant plenè motiua superiora; post peccatum verò sicut gratia, fide, ac sapiẽtia infusa priuati sunt, sic etiam considerationem motiuorum non peccandi

fatemur amisisse, qui est proprius sensus illorum verborum, *perdidisti sapientiam in decore tuo*. Vnde patet ad secundum, nec enim illa intensior motiuorum peccandi cogitatio videtur ante peccatum admittenda. Nihilominùs tamen præponderat authoritas S. Thomæ, qui de facto, & morali modo operandi capi potest, vt secundam etiam sententiam non grauer defendere. Quare resolutio nostra problema sit.

CAPVT III.

Quando peccauerint Angeli.

1. VBi peccauerint Angeli constat ex supradictis disp. 18. cap. 2. nam ibi diximus omnes Angelos simul fuisse conditos in cælo: constat autem in eodem loco, in quo creati fuerunt peccauisse, quia tam breui mora, nec occasionem habuerunt, nec causam mutandi locum, donec propter peccatum eiicerentur, ideò propriè, litteraliterque dicuntur de cælo cecidisse, Lucæ 10. & Isaiæ 14. Quando verò peccauerint de facto; Restat inquirendum.

2. Prima sententia Eugubini lib. 8. de perenni Philosophia cap. 38. dicentis malos Angelos in primo suæ creationis instanti peccasse, citat pro se Theodotum quendam Theologum Latinum, & verba ipsius quibus hoc asseruit expressè: citatur etiam à Vasquio pro hac sententia Alensis 2. part. quæst. 98. memb. 11. sed immeritò: nam oppositum docuerat memb. 9. ad 1. & in illo memb. 11. id supponit, vt iam dictum, aliamque mouet quæstionem; verùm scilicet non solùm peccauerit Angelus in primo instanti, sed etiam inter instans creationis, & lapsus aliqua mora intercesserit; in qua quæstione dicit eam esse dubiam, magis verò propendet in partem affirmatiuam. (Eugubinus.) (Alens.)

3. Probatur primò Engubini sententia ex Augustino lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 23. dicente Angelum cecidisse, non ab eo quod acceperat, sed ab eo quod accepisset, si subdi voluisset, & 11. de Ciuit. cap. 13. affirmat eum, qui putat Angelos ab initio suæ creationis voluntate propria peccasse, non sentire cum Manichæo, quia Manichæus docuit non solùm propria voluntate Angelos malos fuisse, sed ex propria natura. Confirmatur ex Scriptura Ioan. 8. *ille homicida erat ab initio*, & 1. Ioan. 3. *ab initio Diabolus peccat.* Probatur secundò: nam si Angelus in primo instanti non peccasset, benè deliberasset, & elegisset, & iam postea non posset in malum mutari propter inflexibilem voluntatem. (August.) (Ioan. 8.) (1. Ioan. 3.)

4. Ceterùm dico primò contra sententiam istam Dæmonem in primo creationis instanti non peccasse; ita S. Thomas in hac quæst. 63. art. 5. Altisiodorensis lib. 2. summæ tractat. 2. cap. 4. & 5. Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 14. punct. 4. Vasquius 1. part. disp. 236. cap. 1. aliique communiter. Probatur conclusio, quoniam omnes Angeli etiam mali receperunt gratiam in primo instanti iuxta dicta disput. 19. cap. 2. Sed gratia, & peccatum non possunt esse simul, vt ostendemus lib. 6. saltemque de potentia ordinaria conueniunt Doctores: ergo in primo instanti nullus Angelorum peccauit. Accedunt præter Scripturas & Patres eo cap. 2. relatos duo Concilia Lateranensia sub Innocentio III. dicens Dæmones à Deo quidem (S. Thom.) (Altisiodor.) (Valentia.) (Vasquius.) (Conc. Lat.)

quidem naturâ creatos fuisse bonos, & Braccharense primum cap.7. damnans dicentes Diabolum non fuisse priùs Angelum bonum a Deo factum, quod etiam dicit Leo Papa epistola 93. ad Turibium cap.6. vbi licèt principaliter intendat damnare Manichæos, & Priscillianistas, incidenter tamen asserit, vel supponit, non peccasse Diabolum in primo instanti, siquidem simpliciter dicitur bonus factus. Bracchar.I. Leo Papa.

5. Bonauent. Quapropter Bonauentura in 2.dist.4. artic.1. quæst.1. vocat Eugubini sententiam erroneam, & dist.3.art.1. quæst.2. dicit ad hæresim accedere, refertque communi consensu Magistrorum fuisse ab Episcopo Parisiensi damnatam, quod alij etiam Scholastici testantur. Valentia putat nostram conclusionem esse definitam, vt de fide certam in prædictis Concilijs, Vasquius asserit, non leui nota dignum fore, qui cum Eugubino sentiret, Suarius lib.7. de Angelis cap.19. valde temerariam appellat Eugubini sententiam, quia est contra communem Patrum, & Theologorum, atque contra locutiones Scripturæ, prout à sanctis, & Theologis communiter in sensu, quem recipiunt, vt ab Spiritu sancto intentum, siue litterali primario, vel secundario, siue mystico. Sic Augustinus 11. de Ciuit. cap.15. dixit *Scripturam casum Diaboli discerte tradere ex eo statu in quo prius erat sine peccato*, posteaque adducit testimonia in eo cap.12. à nobis relata. Suarius. August.

6. Ad primum respondetur Augustinum in libris de Genes. ad litteram, (quos ante libros de Ciuit. scripsit, vt constat ex lib.11. de Genes. cap.15. fine) dubium fuisse circa statum malorum Angelorum in primo instanti; sed in libris de Ciuit. satis clarè definiuit, vt colligitur ex suprà dictis hic, & in illo cap.2. Prætereà cum dixit Angelum non ab eo, quod acceperat cecidisse, denotauit, Angelum cecidisse ab statu beatitudinis, ad quem peruenisset, si perseuerasset, quod magis expressit infrà cap.26. dicens. *Diabolum a beatitudine, quam accepturus esset, si voluisset impia superbia cecidisse.* Quare non negat cecidisse à gratia, quam iam receperat. Quoad secundum testimonium fatemur sententiam Eugubini non coincidere cum Manichæis, aliunde tamen refellitur. Ad confirmationem respondetur Scripturam dicere quod Angelus ab initio peccauit, quia propè initium, vt est communis modus loquendi. Ad secundum respondemus Angelum non adhærere immobiliter obiecto semel volito, vt diximus disp.17.cap.6. quare potuit in primo instanti esse bonus & in secundo fieri malus.

7. Iustinus. Irenæus. Isidorus. Beda. Secunda sententia fit Iustini in Dialogo cum Tryphone, & Irenæi lib. 4. cap. 78. dicentis Luciferum non peccasse, donec tentauit primos parentes. At oppositum docent Isidorus lib.1. sententiarum cap.10. Beda lib. variar. quæstion. quæst.9. videturque constare ex Scriptura: nam Angelus malus priùs erat serpens, quàm tentaret Euam, id est, iam eiectus è cælo versabatur in terra, & terrena quærebat; ideòque flagrabat inuidia, vt expendunt Cassianus collatione 8. cap.10. & Augustinus lib.11. de Genes. ad litteram cap.16. & in lib.1. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap.2. illius nomine dicitur. *Absit, vt sentiamus Angelum potuisse homini persuadere peccatum in terra, nisi prius ipse peccasset in cælo.* Idemque sentiunt alij Patres, qui negant inuidiam, vel seductionem hominis fuisse primum peccatum Dæmonis, sed aliud affirmant præcessisse; plures refert Feuardentius ad præcitatum locum Irenæi. Feuardent.

Tertia sententia est illorum, qui dixerunt malos Angelos non peccasse in sex primis diebus, quoniam in fine eorum dictum est. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Sed hoc vel intelligitur de rebus corporeis, quarum solùm facta fuerat expressa mentio, vel de operibus proprijs Dei, non de operibus Angelorum peccaminosis; nec est verisimile per sex integros dies perstitisse Angelos immutatos in primo actu. Alij dicunt Angelos peccasse secundo die, ideóque Deum illi non benedixisse, & Ecclesiam dicere Missam de Angelis secunda feria, propter victoriam bonorum; sed coniecturæ sunt debiles, vt certam reddant illam existimationem. 8.

Contra sententias istas dico secundò, Dæmones ante lapsum nostrorum Parentum peccarunt, & cœperunt puniri: cõstat enim ex Genes.3. & Sapientiæ 2. inuidia Diaboli mortem introisse in orbem terrarũ, ac subinde iam Dæmonem esse peccatorem, cum ad tentandum hominem accessit. Addimus peccasse quoque ante sextum diem, vt dicitur in lib. de Mirabilibus sacræ Scripturæ, cuius author eo ducitur argumento, quod carcer, & ignis inferni conditus fuerit intra sex primos dies, paratusque Diabolo, vt Angelis eius post illorum peccatum, iuxta verba Christi Domini Matth.25. 9. Gen.3. Sap.2. Author lib. de Mirabil. sac. Script.

Dico tertiò, móra qua omnes Angeli fuerunt in gratia non correspondit soli instãti nostri temporis, sed tempori successiuo. Sic docent Scotus, Gabriel, Gregorius, Alensis, quos refert, & sequitur Suarius lib.7. de Angelis cap.21. num.3. Iuuant verba Ezechielis 28. *Perfectus in delicijs Paradisi fuisti, in medio lapidum ignitorum ambulasti*, quæ sonant maiorem moram, quàm vnius indiuisibilis instantis. Deinde quamuis admittant aliqui posse Angelum in tempore immediato post instans elicere actum, non commensuratiuè ad tempus, certè magis connaturale est, & forsan moraliter necessarium, vt isti actus indiuisibiles incipiant per primum sui esse: cùm autem non dentur duo instantia nostri temporis immediata, fit vt inter primum instans dispositionis ad gratiam, & secundum peccati datum sit tempus intermedium: Nec tam connaturale foret in instanti diligere Deum, & immediatè pòst odio habere. Verisimile fit etiam non omnes Angelos malos in eodem indiuisibili momento peccasse, sed alios priùs alijs, dum vnus alijs suadebat defectionem, & alij priùs consentiebant, alij posterius. 10. Scotus & alij relati. Ezech.28.

Dico quartò, quanta fuerit mora primi instantis Angelici non potest certò definiri. Communior sensus Doctorum est peccasse malos Angelos in primo die creationis. Sic docent Beda, Rupertus, Petrus Comestor, & Glossa in 1. Genes. ibi *diuisit lucem à tenebris*, vbi fuit celebris Augustini sententia dicentis diuisionem lucis à tenebris prima die factam fuisse separationem bonorum Angelorum à malis. Iuuant verba Isidori lib. 1. de summo bono cap.12. sententia 7. dicentis. *Prius de cælo cecidisse creditur Diabolus, quàm homo formaretur in terra: nam mox vt factus est, in superbiam erupit, & statim, vt factus est cecidit.* Vbi significatur intra breuissimum tempus peccasse: Sed Angeli creati sunt in principio primæ diei: ergo verisimile fit primum instans Angelicum alicui parti duntaxat illius primæ diei coextitisse: Quanta verò fuerit illa pars manet incertum. 11. Beda. Rupert. Petr. Com. Glossa. Isidorus.

DISPVT. XXIV.

De peccato Angelorum.



VCVSQVE quasi circumstantias Angelici peccati prosecuti, iam nunc substantiam, seu quidditatem ipsius ex obiecto potissimum desumptam attingemus, priùs de possibili, postmodum de facto disquirentes.

CAPVT I.

Quæ peccata potuerint Angeli committere.

1. S.Thom. CVm S.Thomas in hac quæstione 63. art. 2. distinguit de peccatis secundùm affectum, & secundùm reatum, non significat affectus generalem modum peccandi per actum voluntatis, nec reatus maculam, vel debitum pœnæ prout communiter accipiuntur, sed affectus significat volitionem efficacem consummandi peccatum aliquod in persona propria; reatus verò significat peccatum alicuius per modum concurrentis moraliter ad hoc vt alius peccet. In hoc sensu docet S.Thomas Angelos committere posse secundum affectum peccata spiritualia, quæ sub inuidia, & superbia comprehendit; secundùm reatum verò etiam carnalia, quatenùs Angeli possunt inducere hominem ad illa perpetranda. Sic videtur
Valentia. intellexisse Doctorem sanctum Valentia tom. 1. disput. 4. quæst. 14. puncto 2. dum ait secundùm S. Thomam non posse Angelos peccare circa corporalia, vt corporalia sunt, etsi possint peccare circa illa secundùm aliquam rationem spiritualem.

2. Igitur in primis possunt Angeli committere peccatum superbiæ, in quo conueniunt omnes: cùm autem superbia sit appetitus excellentiæ indebitæ, vel modo indebito, varias excellentias potuerunt Angeli appetere inordinatè, vt sunt excellentia creatæ beatitudinis vltra mensuram, vel modum ordinatum, vel excellentia potestatis super alias creaturas, vel excellentia diuinitatis saltem existimatæ, vel vnionis hypostaticæ. Cum superbia coniunguntur duodecim illius gradus à Bernardo numerati, scilicet curiositas, leuitas, inepta lætitia, iactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas, peccandi consuetudo, Hieronymus addit ingratitudinem; in his continetur mendacium: nam per arrogantiam, aut iactantiam, falsò sibi quispiam attribuit quod non habet; continetur etiam inobedientia, quæ dicitur rebellio. Videatur S. Thomas 2. 2. quæst. 162. art. 4.

3. Possunt item Angeli committere peccatum inuidiæ, cuius filiæ sunt susurratio, seu detractio, odium eius cui quispiam inuidet, exultatio in aduersis illius, tristitia in prosperis, vt docet S.Thomas 2. 2. quæst. 36. artic. 4. & hæc omnia peccata videtur comprehendisse S.Thomas sub inuidia, & superbia. Ceterùm alia superaddunt Caietanus, Cumelis, Pesantius, hic, Vasquius quæst. 63. annotat. art. 2. Becanus cap. 4. de Angelis quæst. 2. Possunt enim Angeli peccare contra iustitiam, vt ostendimus lib. 1. disp. 37. inferendo iniuriam alteri Angelo in bonis honoris, vel famæ, vel aliter vim inferendo contra ius alterius, vel damnum hominibus inferendo in bonis corporeis. S. Thomas verò locutus est de peccatis, quæ potuerunt Angeli committere in via, & in primo lapsu; tunc autem non videntur potuisse alteri velle nocere, nisi priùs odium, vel inuidiam illius concepissent.

Caietan. Cumel. Pesantius. Vasquius. Becanus.

4. Possunt quoque committere peccatum blasphemiæ, sicut modò committunt in inferno, & in via, tribuit illis hoc delictum Hieronymus in Psal. 109. Hieronym. Potest item in Angelis reperiri peccatum iræ, non cum passione sensibili, seu commotione sanguinis circa cor, quo sensu illam denegat Angelis S.Thomas in hac quæst. 63. artic. 2. ad 2. sed quatenùs dicit appetitum vindictæ, seu excruciationis ob tristitiam ex malo, quod quis ab alio passus est, vel existimat recepisse.

5. Acedia, seu tædium de operibus spiritualibus habet per se coniunctum aliquem laborem corporalem ratione difficultatis adiunctæ in exercitio; quare Angeli, qui non sunt corporei dicuntur à S.Thoma non posse peccatum acediæ propriæ patrare. Similiter auaritia prout communiter vsurpatur tendens ad pecunias, & corporalia bona, meritò denegatur Angelis à S.Thoma, prout autem extenditur ad spiritualia bona, non est cur non possit in Angelis inueniri; sicque debet in aliis peccatorum generibus, vel speciebus discurri; potuerunt enim Angeli, si reuelationem solùm obscuram habuerunt, peccare contra fidem, vel non credendo cùm deberent, vel etiam per hæresim, & positiuâ infidelitatem erroribus assentiendo; potuerunt pariter idololatriam externam committere, diuinum cultum alteri creaturæ exhibentes, vel sibi volentes arrogare.

6. Peccata carnis, scilicet luxuriam, & gulam tribuimus Angelis quoad reatum in sensu suprà posito, non tamen propriè quoad affectum, & effectû ab illis carnaliter consummandum; potest tamen malitia horum peccatorum in Angelis reperiri, quatenùs hominem inducere possunt ad sic peccandum, & cum femina vel viro cooperari per assumpta corpora, vt faciunt Dæmones incubi, & succubi. Possunt item peccare per velleitatem, vel volitionem conditionatam fornicandi, vel nimium helluandi si possent; sed hæc non dicentur in illis peccata carnis, sicut in nobis, quia peccatum carnis connotat quod in peccante sit caro. Videantur Cumelis, & Medina 1. 2. quæst. 72. art. 2. Pereyrus in cap. 6. Genes. Valles in sacra Philosophia cap. 8. Cumel. Medina. Pereyrus. Valles.

CAPVT II.

Quod fuerit primum peccatum Angelorum.

1. POterat numerari prima sententia (potiùs error) Origenis, Tertulliani, & aliorum expositorum in cap. 6. Geneseos, qui dixerunt primum peccatum Angelorum fuisse luxuriam, Origenes. Tertullian. propter illa verba, *videntes filij Dei* (vel Angeli Dei secundùm antiquam lectionem) *filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores.* Sed hoc reiectum est suprà disput. 1. cap. 1. vbi verum sensum illorum verborum attulimus, nec iam posset illa sententia sine graui nota defendi, quã ideò prætermissâ,

Secunda

2. Scotus. Secunda ſententia ſit Scoti in 2.diſt.6.quæſt.2. & in reportatis quæſt.1. in fine docentis primum peccatum Angelorum non fuiſſe propriam ſuperbiam, quæ dicit immoderatum appetitum excellentiæ relatæ ad alios, quibus quiſpiam præeſſe, vel antecellere cupit; ſed luxuriam quandam ſpiritualem nimiam, ſcilicet complacentiam, vel dilectionem ſui, quam aliquis habet cum magna æſtimatione illius perfectionis, quam in ſe videt, & ſibi amat, & dicit hanc vocari ſuperbiam, quatenus ex nimia dilectione ſui, quam vocat amicitiam, ſequitur amor concupiſcentiæ circa excellentiam aliquam inordinatè volitam.

3. Lichetus. Baſſolis. Gabriel. Hanc opinionem ſic expoſitam ferè ſequitur Lichetus ibi, Baſſolis ibidem art.3. vt probabilem defendit, licèt tandem rem dubiam relinquat; eandem in re tenet ibi Gabriel art.2. illum tamen primum amorem amicitiæ reducit ad primam ſpeciem ſuperbiæ, quæ dicitur præſumptio. Holcot. Holcot in 2. q.3. dicit illum nimium amorem ſui ſub diuerſis conſiderationibus vocari poſſe ingratitudinem, libidinem, & ſuperbiam. Quapropter Herrera. Herrera in 2.diſput.17.quæſt.3.concluſ. vlt. quæſtionem eſſe dicit de nomine, an amor concupiſcentiæ reduci debeat ad ſpiritualem luxuriam, vel ſuperbiam.

4. Probat Scotus, quoniam amor amicitiæ prior eſt quàm concupiſcentiæ, ſiquidem ex amore amicitiæ erga aliquem prouenit, vt ei aliquid concupiſcamus: ergo prima deordinatio Angelorum fuit in aliquo amore amicitiæ, non erga Deum, in cuius amore non datur deordinatio per exceſſum, nec erga alium: nam Angelus magis ad ſeipſum naturaliter inclinat, quàm ad aliam creaturam: ergo in amore ſui, ſeu in nimia beneuolentia ſuipſius fuit prima deordinatio Angelorum. Vnde deordinatè quoque amauit ſibi poſteà per concupiſcentiam ſiue beatitudinem cum aliquo exceſſu, ſiue præeminentiam, vel excellentiam reſpectu aliorum.

5. S. Thom. Caietan. Molina. Vaſquius. Magiſter. Bonauent. Argent. Richard. Durand. Alenſ. Altiſiodor. Albert. Valentia. Becanus. Suarius. Iſaiæ 14. Ezech 28. Luc.10. Dicendum tamen eſt primum peccatum Angelorum fuiſſe ſuperbiam. Ita S. Thomas hic art.2.& 3. Caietanus ibi, Molina diſp.1. concluſ. 5. Vaſquius diſput.232. Magiſter in 2.diſt.6. vbi Bonauentura art.1.quæſt.1. Argentinas quæſt.1. art.2. Richardus art.1.quæſt.1. Durandus quæſt. 2. Alenſis 2.part. quæſt.98. memb.2. Altiſiodorenſis 2.p. ſummæ tractat. 2. cap.2. Albertus in ſumm. 2.p. tract.5. quæſt.21. memb.2. Valentia tom.1. diſp.4. quæſt.14. punct.2. & 3. Becanus cap. de Angelis quæſt.4. Suarius lib.7. de Angelis cap.8. 9. & 18. Probatur primò ex Scriptura Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer?* &c. quæ magnam ſuperbiam ſonant. Ezech.28. *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo.* Luc.10. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem*, ſcilicet per ſuperbiam, quo humilitatem diſcipulis Chriſtus perſuaderet. Quæ teſtimonia Patres de Dæmone capiunt, & cùm tantum exaggerent ſuperbiam illius, indicant ſatis hoc fuiſſe primum peccatum Luciferi. Præſertim cùm dicatur Eccleſ. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* & Tob.4. *In ſuperbia initium ſumpſit omnis perditio*, quæ verba de primo peccato Angelorum capiunt Auguſtinus, Ambroſius, Fulgentius, Rupertus, Chryſoſtomus apud Suarium cap.9.num.9. (Eccleſ.10. Tob. 4. Patres à Suario citati.)

6. Leo Pap. Probatur ſecundò ex Patribus, Leo Papa ſermone 4. de Collectis, de Diabolo inquit. *Inuentor ille auctórque peccati primum ſuperbus, vt caderet, deinde inuidus.* Videatur etiam epiſtola 93. ad Turbinum cap.6. Conſentiunt Proſper lib.1. de vita contemplatiua cap.3. Bernardus ſerm.17. in Cant. Petrus Bleſenſis epiſtola 3. Innocentius tertius lib.2. de contemptu mundi cap.30. Nazianzenus orat. 27. & plures alij, qui planè loquuntur de ſuperbia propria; tum quia non eſt veriſimile tam frequenter, & multipliciter explicaſſe principium Angelici peccati per ſuperbiam, & ſemper locutos fuiſſe de ſuperbia impropriè, vel ſecundùm communem aliquam rationem peccati, & non ſecundùm propriam ſpeciem ſuperbiæ; tum etiam quia ſæpè loquuntur de ſuperbia diſtinguentes eam ab inuidia tanquam radicem eius; hæc autem eſt propriſſima ſuperbia, & ſpecialis. Accedit tertiò coniectura, quia Dæmon eſt purè ſpiritualis, & obiectum ſuperbiæ maximè accedit ad ſpiritualitatem, vnde faciliùs potuit in hoc barathrum primò impingere. (Proſper. Bernard. Petr. Bleſ. Innoc. III. Nazianz.)

Ad fundamentum Scoti fatemur primum Angelorum peccatum fuiſſe nimium, & inordinatum amorem ſui, qui tamen ſimul fuit beneuolentiæ erga ſeipſum, & concupiſcentię erga bonũ aliquod, vel excellentiam ſibi inordinatè concupitam: nam, vt benè docet Caietanus in hac quæſt.63.art.2. §. *Ad ſecundum dubium*, aliúque cum illo, non eſt neceſſe amores illos realiter diſtinguere: nam amare ſecundum Ariſtotelem 2. Rhetoric. cap.4. eſt velle alicui bonum, vnde ſimul terminatur ad finem *cui*, & finem *qui*, ſcilicet ad perſonam, cui volumus bonum, & ad bonum illi concupitum, & cùm Angelus poſſit vnico actu plura obiecta complecti quàm homo, cenſendum eſt ſimul cum nimio amore ſui aliquod ſibi bonum inordinatè cupiuiſſe. 7. Caietan. Ariſtot.

Addit Suarius cap.9. etiamſi darentur illi duo amores in Angelo diſtincti, primum amicitiæ, ſeu beneuolentiæ erga ſeipſum, vt ſic præcisè non fore malum, ac ſubinde nec primum peccatum Angelorum, quoniam amare ſeipſum præcisè nullam continet deordinationem, imò eſt valde connaturale, conformeq́ue rationi, vtpote neceſſarium ad perfectionem, & conſeruationem naturæ. Non ergo ex fine *cui*, ſed ex fine, *qui* poteſt contrahere malitiam, ſcilicet ex bono aliquo, vel excellentia, quam ſibi Angelus inordinatè concupiuit, quod latiùs ipſe Suarius proſequitur. 8. Suarius.

Circa obiectum verò huius actus ſuperbiæ, ſcilicet circa bonum illud, quod ſibi voluit Angelus inordinatè, variæ ſunt Doctorum ſententiæ. Prima docet Luciferum peccaſſe per nimium, & inordinatum affectum ſuæ beatitudinis naturalis; ita dicit probabile S. Thomas hîc art.3. & Caietanus ibi dicit eſſe probabilius: Idem habet S. Thomas 3. contra Gent. cap.109. Ferrara ibi §. *Ad euidentiam*, Capreolus in 2.diſt.4.quæſt.1. art.3 ad argumenta contra primam, & ſecundam concluſionem, Marſilius quæſt.2. art.2. in 4. p. illius, & quæſt.5. artic.1. concluſ.6. per totam. Holcot quæſt.3.& in 2.diſt.5. Heruæus quæſt.1. art.3. fine. Richardus art.1.quæſt.1.& 2. Ægidius Rom. quæſt.1.art.2. Baſſolis quæſt.1.art.2. Probatur auctoritate: nam Auguſtinus ſæpe tradit Angelum peccaſſe, quatenùs ad ſe conuerſus ſua naturali perfectione delectatus, & quaſi inebriatus Deum contempſit, & ad eius laudem conuerſus non eſt. Ita loquitur lib.4. de Geneſ. ad litteram cap.24. & 32. & lib.11. cap.15. & 24. vbi 9. S.Thom. Caietan. Ferrara. Capreolus. Marſilius. Holcot. Heruæus. Richard. Ægid. Rom. Baſſolis. Auguſt.

vbi de Lucifero inquit. *Factus continuò se a luce veritatis auertit superbia tumidus, & propria potestatis delectatione corruptus, unde beatæ, atque Angelicæ vitæ dulcedinem non gustauit, quam non vtique acceptam fastidiuit, sed nolendo recipere deseruit, & amisit*, & lib. 22. de Ciuit. cap. 1. ait. *Mali Angeli sua potestate delectati, velut bonum suum sibimetipsi essent, a superiori communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt.* Accedit
Ambros. Ambrosius in epist. 33. dicens. *Diabolum cecidisse, quoniam sua potestate, & dignitate, quam a Deo acceperat sibi placuit.*

10. S. Thomas exponit suam sententiam per positiuam Angelorum auersionem à supernaturali beatitudine, quasi quieuerint in sua naturali perfectione, sicut in vltimo fine nolentes vlterius indigere nouis auxiliis, & meritis, sed suam vltimam felicitatem habere sibi connaturalem, vt
Caietan. Ferrara. Heruæus. Deus. At verò Caietanus, Ferrara, Heruæus, & alij mentem S. Doctoris sic interpretantur, vt Angelus non peccauerit expressa voluntate auertendi se à beatitudine supernaturali, sed quia dilexit suam beatitudinem naturalem, vt illam non retulerit in supernaturalem ad quam debebat illam referre, ac per illam omissionem peccauerit. Richardus intelligit Angelum amasse beatitudinem naturalem super omnia, & per consequens magis, quàm diuinam; quare non solùm peccauit omittendo relationem ad supernaturalem beatitudinem, sed etiam inordinatè diligendo naturalem felicitatem vltra mensuram, & di-
Suarez. gnitatem illius. Suarius lib. 7. de Angelis cap. 10. non solùm de facto, sed etiam de possibili negat huiusmodi peccatum in Angelis.

11. Ego non censuerem hoc peccatum Angelis fuisse possibile, quod præter suprà relatos num. 9.
Bannes. Pesantius. Valentia. Vasquius. tenent Bannes, Cumelis, Pesantius, Valentia punct. 3. Vasquius disp. 235. cap. 5. & alij: cùm enim Angelus videret magnam Dei excellentiam esse, habere sibi connaturalem beatitudinem suam, & quoddam genus subiectionis, & humiliationis esse indigere beatitudine per alterius auxilium adquirenda, potuit naturalem beatitudinem, quam sibi videbat connaturalem, tanquam vltimam suam felicitatem adamare, spreta supernaturali, quam cognoscebat auxiliis diuinis & nouis meritis capessendam; nec videtur difficile propriam rationem superbiæ in hoc actu reperisse, quod ostendam discuttendo per illos tres modos suprà propositos.

12. Primus modus talem sui complacentiam ponit in Angelis, vt positiuè neglexerint aliam beatitudinem superiorem, vbi vrget Suarius duos actus debere distingui, alterum complacentiæ in beatitudine naturali, alterum displicentiæ in supernaturali; priorem autem non potuisse præcise malum esse, nisi præcedat error, quo indicaret Angelus, vel Dei visionem esse sibi simpliciter impossibilem, vel non esse perfectionem excellentiorem beatitudine naturali. Ceterùm licèt demus duos illos actus distingui (forsan enim sunt idem realiter in Angelis) primus certè virtualiter continet secundum: nam qui amat beatitudinem naturalem, vt vltimam felicitatem suam, virtualiter respuit aliam vlteriorem, non quia iudicet esse impossibilem, vel non esse perfectiorem secundùm se, sed quia non vult se habere, quasi egeat indebitis sibi complementis, quod esse
August. proprium peccatum superbiæ significat Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 13. dicens. *Quid est superbia nisi peruersæ celsitudinis appetitus? Peruersa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere principio sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet, cum ab illo bono incommutabili deficit quod ei magis placere debuit, quàm ipse sibi.*

Quod attinet ad errorem, communis videtur 13.
obiectio contra peccata superbiæ, cuius primam, & secundam speciem sic describit Gregorius 23. Gregor.
Moral. cap. 7. & cum illo S. Thomas 2. 2. quæst. S. Thom.
162. art. 4. *Cum bonum, aut à semetipsis habere se æstimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis hoc accepisse meritis putant.* Sed qui crederet aliquod bonum non esse à Deo, vel gratiam hominibus pro meritis dari, foret hæreticus, vel infidelis: ergo non posset dari talis species superbiæ in Catholicis. Respondet egregie S. Thomas ibi ad primum, quando in particulari eligibili corrumpitur vera æstimatio, non præsupponi errorem, vel infidelitatem in intellectu: nam dicere meliorem esse fornicationem castitate, foret hæresis, at verò qui fornicatur hîc & nunc, præfert illam affectiue sine peccato hæresis. Sic ergo dicere, vel putare beatitudinem supernaturalem non esse supernaturaliter possibilem, vel non esse meliorem naturali, error esset: at quod Angelus ex appetitu excellentiæ propriæ sic afficiatur ad beatitudinem naturalem, ac si esset vltima, nec velit vlteriorem intendere, sed de connaturali felicitate, quasi de summa gloriari, superbia est propensissima sine mentis errore, non pusillanimitas, aut acedia, vt vult Suarius.

Hinc facilè colligitur quo pacto secundus ille 14.
modus peccandi per omissionem relationis, sit possibilis: nam quæ Suarius opponit, magis impugnant factum, quam possibilitatem. Potuit igitur dari præceptum, saltem positiuum obligans pro nunc ad illam relationem, quam Angelus voluisset committere ex appetitu excellentiæ propriæ in eo sitæ, quod nollet videri propriam felicitatem mendicare, cumque actus etiam vitiosus specificetur ex fine principaliter, sic enim dixit Aristoteles, qui furatur propter mœchiam, magis esse mœchum, quam furem, dum Angelus per actum positiuum vult omissionem præcepti ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ, superbiam propriissimam potissimum incurreret.

Tertius item modus Richardi non habet re- 15.
pugnantiam: nam in quolibet peccato virtualiter creatura creatori præfertur. Quare si videns Angelus se à Deo dirigi, & sub præcepto obligari ad supernam beatitudinem inquirendam (quod totum possibile fuit) nihilominus rationem aliquam humiliationis in beatitudine supernaturali, & rationem excellentiæ propriæ in naturali conspicatus hanc simpliciter amplexus fuit tanquam felicitatem sibi supremam, peccauit sanè proprio peccato superbiæ, comparationemque practicam cum prælatione connaturalis perfectionis & excellentiæ satis prodidit transgrediendo propterea diuinum præceptum. Maneat igitur statutum omnes istos peccandi modos esse quidem Angelis possibiles.

De facto affirmant Doctores relati num. 9. Ne- 16.
gant vero Suarius lib. 7. de Angelis cap. 1[illegible]. Mo- Suarez.
lina in hac quæst. 63. art. 3. disput. 1. memb. 5. Molina.
conclus. 4. Becanus cap. 4. de Angelis quæst. Becanus
num. 4. probant: nam Anselmus lib. de casu [illegible]
Diaboli cap. 4. late docet Diabolum non peccasse
volendo

volendo quod habebat, sed aliquid quod non habebat, nec tunc velle debebat, quod etiam innuunt illa verba Isaiæ 14. *In cælum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo*, & videtur sentire Hieronymus Ezech. 20. dicens. *Perdidisti sapientiam in decore tuo, vt dum plus vis esse, quàm conditus es, & magis sapere quàm à Deo acceperas, etiam id perderes quod habebas*; tradit expressè Gregorius 25. Moral. cap. 4. aliàs 7. Hieronymus, vel potiùs Beda Iob. 40. circa illa verba. *An extrahere poteris Leuiathan?* Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 15. sed quando peccauit Angelus, habebat beatitudinem naturalem: ergo non peccauit appetendo suam naturalem felicitatem.

Isaiæ 14. Hieron. Gregor. Beda. Isidorus.

17. Vasquez. Ego cum Vasquio disp. 235. cap. 5. sentio non constare certò partem alterutram, quia sola ratione colligi non potest, cùm res in facto consistat: Auctoritas autem non conuincit, nam Augustinus, & Ambrosius num. 9. relati dicunt Luciferum peccasse per amorem nimium pulchritudinis suæ, quod etiam indicant verba Ezechielis. *Eleuatum est cor tuum in decore tuo*: Sed hoc totum pertinere potest ad finem *cui*; nec adhuc explicatur bonum, quod sibi appetiit inordinatè tanquam finem *qui*: Patres verò num. 16. citati dicunt aliquid appetiisse quod non habebat; quid autem illud fuerit, non declarant: potuit enim Angelus in ipsa beatitudine naturali, quam habebat appetere rationem vltimi finis sui simpliciter, & similitudinem cum Deo in hoc quod est habere felicitatem vltimam sibi connaturalem, quam non habebat, vt tradit S. Thomas hîc artic. 3.

Ezechiel.

18. Secunda sententia docet appetiisse Dæmonem beatitudinem supernaturalem, suis tamen viribus, & non auxiliis gratiæ consequendam, sic tradit sub disiunctione S. Thomas suprà, & alij relati num. 9. Præterea verò hanc partem solam docent Albertus in 2. dist. 5. art. 3. Durandus ibi quæst. 1. num. 14. Argentinas distinct. 6. quæst. 1. art. 1. & 4. Insinuantque nonnulli. Probatur auctoritate Ambrosij epistola 84. ante medium. Vbi describens genera superbiæ sic ait. *Nam aliter inflantur, qui cupiditate excellentiæ singularis omnibus appetunt anteferri. Alij verò intumescunt, qui Dei auxilium refutantes, quæ fieri sine ipsius ope non possunt, ex sua perfici virtute contendunt, & speciem suam à Deo auferunt. Hæc superbia à Diabolo sumpsit exordium, qui quoniam sua, quam à creatore acceperat potentia, & dignitate sibi placuit, seque auctoris sui gloriæ comparauit, à cælesti sublimitate deiectus est.* Anselmus relatus à S. Thoma inquit, quòd *Diabolus appetiit illud ad quod peruenisset si stetisset.* Astipulantur alij Patres dicentes peccasse Luciferum, quia sibi sufficere credidit, & voluit ad beatam vitam.

Albert. Durand. Argent. Ambros. Anselm.

19. Dupliciter tamen capi potest prædicta sententia, primò, ità vt obiectum voluntatis Angelicæ fuerit non solùm beatitudo supernaturalis secundùm se, sed etiam illud additum, scilicet quòd habeatur propriis viribus naturalibus sine auxilio gratiæ, vel meritis, & totum hoc expressè ac formaliter attingatur ex parte obiecti. Secundò, ita vt sola beatitudo sit obiectum volitum, modus autem illam habendi, sine negatio gratiæ, vel meriti teneat se solùm ex parte volitionis sic tendentis in obiectum. Priorem modum sequuntur Ægidius Romanus suprà, & Vasquius disput. 235. cap. 3. Ægidius fatetur errorem in Angelo præcessisse indicante se posse naturaliter beatitudinem illam obtinere, pro quo citatur S. Thomas 1. part. quæst. 64. art. 2. & ad 3. quia dicit nunc Dæmonem in eodem appetitu superbo excellentiæ perseuerare quantum ad effectum, licèt *non quantum ad hoc quod credat se posse obtinere illam.* Idem habet Bonauentura in 2. dist. 7. p. 1. art. 1. quæst. 2. Vasquius verò non admittit errorem illum, sed præcessisse simplicem duntaxat apprehensionem prædicti obiecti, sufficientem tamen ad mouendum appetitum Angeli. Posteriorem autem modum tradit planè S. Thomas in hac quæst. 63. art. 1. ad 3. coniungendo doctrinam illius solutionis cum iis, quæ docet art. 3. & sic illum exponunt, & sequuntur Heruæus, Capreolus, Caietanus, Ferrara, & alij Thomistæ.

Ægid Rom. Vasquius. S Thom. Bonauent. S. Thom.

Aliter explicat Scotus huiusmodi peccatum, scilicet quòd appetierit Angelus beatitudinem citiùs habendam, quam Deus dare decreuerat, quasi de meritis prioris instantis insolenter elatus impatiensque moræ longioris sibi mox reddi mercedem concupiuit; fauentque Patres, qui dicunt Dæmonem per insolentiæ, & arrogantiæ morbum corruisse, vt loquitur Theodoretus lib. 5. de diuin. decretis cap. de Diabolo, Tertullianus verò dixit lib. de patient. cap. 5. per impatientiam corruisse. Additur etiam, quòd potuit intensiorem sibi beatitudinem appetere, quàm vlli alteri daretur, forsan etiam Christo Domino, vt cum singularitate supereminetet super omnes beatos, quod indicat Chrysostomus hom. 17. in Gen. dicens Diabolum pulsum fuisse de cælo, quia *plus quàm dignitatis suæ erat sapere voluit*; idemque videntur innuere Hieronymus ad id Ezech. 28. *Perdidisti sapientiam in decore tuo*, & Gregorius 24. Moral. cap. 4. aliàs 7. 20.

Theodor. Tertull. Chrysost. Hieron. Gregor.

Hanc sententiam refellunt Molina in hac quæst. 63. artic. 7. disput. 1. memb. 5. conclus. 4. Valentia suprà punct. 3. Suarius cap. 11. Becanus num. 6. quia supradictos modos peccandi circa beatitudinem supernaturalem vel reputant esse impossibiles, vel saltem non congruere cum Angelica perfectione, vel cum iis, quæ de peccato Angelorum Scriptura, & Patres tradiderunt. Ego verò credo potuisse Angelos sic peccare, non per errorem, vt dicebat Ægidius, quia cùm Angelus in primo instanti omnia plenè cognouerit, quæ pertinebant ad beatitudinem supernaturalem, non potuit tam citò tam turpiter errare, nec S. Thomas, & Bonauentura talem errorem admittunt, sed dicunt Dæmonem in via credidisse beatitudinem supernaturalem simpliciter esse sibi possibilem, nunc verò iam non apprehendunt illam, vt sibi possibilem, quod etiam Catholicis damnatis contingit. 21.

Molina. Valentia. Suarius. Becanus.

Igitur possibilis est ille secundus modus n. 19. relatus, quem verè tradidit S. Thomas; sicut enim secundus gradus superbiæ, quem ex Gregorio refert S. Thomas 2. 2. quæst. 162. art. 4. consistit in eo, quod dona etiam supernaturalia Dei pro suis se meritis accepisse practicè quispiam arbitretur, sine hæresi tamen vel errore præuio, sed quatenùs ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ ita de bonis suis glorietur, ac si ea propriis meritis adquisiisset; sic potuit Angelus sine præuio errore speculatiuo intellectus, sed cum iudicio verò de excellentia beatitudinis (nec enim ad solam apprehensionem recurrimus) ita de sua dignitate, meritisque gloriari, ac si propriis 22.

S. Thom.

viribus,

viribus,& sine speciali gratia Dei brauium illud esset consecuturus.

23. Possibiles quoque fuerunt duo modi peccandi circa beatitudinem istam positi n. 20. nec videtur id Suarius negare,nec apparet in illis repugnantia. An verò hoc genere peccati aliquo ex tribus modis præfatis reipsa peccauerint Angeli, mihi non constat omnino, sicut nec Vasquio;Patres enim generaliter dicunt Angelos ex nimio sui amore aliquam sibi excellentiam indebitam appetuisse , atque aliquam similitudinem cum Deo,non tamen satis exponunt qualis fuerit, nec Ambrosius declarat , in quo se gloriæ conditori compararunt,nec explicat Anselmus,quam inordinationem habuerint in appetendo id , ad quod peruenissent. Indicant tamen nonnihil sententiam S. Thomæ.

24. Tertia sententia putat Angelum peccasse appetendo æqualitatem Dei secundùm naturam, Maior. Ita Ioannes Maior in 2.dist.6. quæst.1. Probatur Isaiæ 14. ex Scriptura, Isaiæ 14. vbi totus contextus capitis perfectam similitudinem cum æqualitate videtur præseferre,quòd magis exprimitur Ezech. Ezech.28. 28. ibi. *Eleuatum est cor tuum , & dixisti , Deus ego sum , & in cathodra Dei sedi in corde maris,* idcoque Michaël dixit.*Quis vt Deus ?* quasi diuinitatis affectioni resistens. Accedunt Patres Nazianz. idem sæpè clamantes , Nazianzenus carmine 6. inquit, *Lucifer (eximio nam quòd frueretur honore, sperabat regale Dei soliúmque, decúsque.)* Et infrà. *Dum Deus esse cupit terra caligine totus obrutus est.*& orat.27.n.8.de Lucifero ait. *Indignum, atque intolerandum dicebat , se , cùm diuinus esset non Deum quoque existimari :* Videntur consen- Gregor. & alij. tire Gregorius, Augustinus, Ambrosius,Chrysostomus , Hieronymus , Isidorus , apud Suarium lib.7.de Angelis cap.12. num.2. Clarissimè Hu- Hug.Vict. go Victorinus in summa tractatu 2. cap. 4. ait *Similis esse voluit Altissimo , non per imitationem,* sed per æqualitatem.

25. Huiusmodi tamen æqualitatem cum Deo nec affectasse,nec appetere potuisse Luciferum,communis est Theologorum sententia, sic docet S. S.Thom. Thomas in hac q.63.art.3.& lib.3. contra Gent. cap.109.& q.16.de malo art.3.& in 2.dist.5.q.1. Albert. art.3.vbi Albertus art.3. Bonauentura, Ægidius, Bonauent. Ægidius. Durandus , Heruæus, Palacios, Malonius dist.6. Durand. disp.5.Marsilius q.5.Capreolus dist.4.q.1.Ferra- Heruæus. ra,Caietanus,aliique Thomistæ super S. Thomã Palacios. locis adductis,Abulensis in c.13.Gen.q.362.Va- Malonius. léria tom.1.disp.4.q.14.p.3.§. *Quinto certum est,* Marsilius. quia nemo potest efficaciter appetere rem impos- Capreolus. sibilem ; sed Angelus euidenter cognoscebat im- Ferrara. possibile prorsus esse veram diuinitatem obtine- Caietan. Abulensis. re:non ergo potuit diuinitatem affectare. Valentia.

26. Dicendum nihilominus est potuisse Angelum affectare veram diuinitatem , non volitione absoluta , sed & efficaci, sed conditionata , seu sim- Scotus. plici velleitate ; sic censent Scotus in 2. dist. 6. Cumel. quæst. 1. Cumelis hic , Vasquius disp.234. c.2. Vasquius. Suarius lib. 7. de Angelis cap. 11. & probabile Suarius. Molina. putat Molina artic.3. disput. 1. memb. 5. Probatur , quia bonum impossibile licèt non possit efficaciter appeti , dum cognoscitur esse impossibile, potest tamen simplici affectu , siue conditionato diligi cum merito , vel demerito , sed excellentia diuinitatis est per se maximũ bonum, licèt Angelis impossibile:ergo potest ab illis amari simplici affectu, vel cõditionato,& deordinato. Aristot. Minor probatur tum auctoritate:nam Aristoteles 3.Ethic.c.2.& Damascenus 2.de fide c.22.docẽt Damascen. impossibilium esse voluntatem,non electionem, id est,non volitionem efficacem , sed simplicem complacentiam,quam alij velleitatem vocant,vel affectum conditionatum;tum experientia,non solùm in impossibilibus per accidens,vt cùm peccator vellet non peccasse,pauper elargiri copiosam eleemosynam cum merito quidem , sed etiam in impossibilibus per se,vt fertur Augustinus dixisse ad Deum,*Si ego essem Deus,& tu Augustinus,vellem potiùs te quàm Augustinum esse Deum;*& Dæmones modò vellent non esse Deũ,ne ipsos affligeret,vellentq;ex odio Dei damnũ eidem inferre si possent:ergo similiter in via potuerunt ex inordinato affectu excellentiæ,ac exemptionis ab alterius imperio velle sibi diuinitatẽ, si possent illã obtinere,vbi summũ apparet peccatũ superbiæ.

De facto verosimilius videtur obiectum primi 27. peccati,seu primæ superbiæ Dæmonum nõ fuisse veram,& propriam diuinitatẽ, in quo verum habet cõmunis sententia,consentiúntque Vasquius Vasquez. supra c.3.Suarius & alij:nam vt tradit S.Thomas Suarez. q.16.de malo art.3.ad 9.peccatum Angeli,de facto non fuit per modum simplicis affectus,qualis circa veram diuinitatem versari posset, sed per modum intentionis , aut electionis ordinatæ ad consecutionem rei concupitæ , quod significant illa verba Isaiæ 14.*Dicebas in corde tuo, In cælum* Isaiæ 14. *conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, ascendam super altitudinem nubium;*& illa Ezech.28.*In multitudine ne-* Ezech 28. *gotiationis tuæ,*&c. vbi conatus efficax denotatur.

Obicies primò,contra resolutionem nostram, 28. Anselmum lib. de casu Diaboli cap. 4. dicen- Anselm. tem. *Si Deus cogitari non potest nisi ita solus , vt nihil illi simile cogitari possit , quomodo potuit Diabolus velle quod non potuit indicare ? non enim ita obtusæ mentis erat , vt nihil aliud simile Deo cogitari posse nesciret.* Respondetur Anselmum ibi loqui de volitione efficaci , quo etiam sensu videtur explicasse suam sententiam S.Tho- S.Thom. mas d.q.16.de malo art.3.ad 9.& in 2.dist.5.q.1. art.2.in argumento 3.cum responsione,& doctrina articuli. Sic possunt Doctores communis opinionis exponi ; nec amplius conuincit Anselmi ratio , quam etsi proponat nomine discipuli , re tamen vera profert vt suam , siquidem respondet Angelum non appetiisse formaliter similitudinem Dei perfectam,tacitè concedens hoc benè probari dicta ratione , sed appetiisse expressè similitudinem imperfectam , implicite verò seu interpretatiuè simul perfectam.

Quo nobis exponit Anselmus obiret Scriptu- 29. ras , & Patres relatos n.24. loqui de similitudine creata,seu participata,inordinatè ab Angelo concupita;sicut enim etiam dicunt hominè peccasse appetendo similitudinem Dei , cùm tamen constet,non naturalem similitudinem,seu per æqualitatem appetiisse. Præterea vbi magis Scriptura declarat obiectũ Angelicæ superbiæ, simul quorundam Regum superbiam carpit:ergo sicut respectu hominum non indicat appetitum æqualitatis cum Deo,sed nimiam cupiditatem imitandi diuinam excellentiam;ita quoque de Angelo intelligendum est.Sic etiã capiendi sunt Patres:diuinum enim apud Nazianzenum significat quandam diuinitatis participationem , quam in se cognoscens Angelus voluit aliquam excellentiam Dei propriam non considerando illius proprietatem,& singularitatem,vel præter ordinẽ diuinum

pro suæ mensura volútatis excellentiam expetiit, quod in solum Deum cadere potest; vbi virtualiter, & secundùm moralem imputationem videtur diuinanæ qualitatem cupiuisse; quo sensu dicit Nazianzenus, voluisse Luciferum esse Deum, & similiter alij Patres dicunt voluisse nulli subiici, quoniam ita se gessit, ac si nulli foret subiectus; idémque de similibus locutionibus sentiendum est; quin omnis peccator dicitur in se constituere finem vltimum, & consequenter semetipsum habere pro Deo, iuxta id ad Philippenses 3. *Quorum Deus venter est*, &c. Philipp 3.

30. Arist. Obiicies secundò, ex Aristotele 3. Ethic. cap. 2, licèt voluntas possit esse impossibilium (scilicet simplex affectus) non tamen electio: sed Angelus non potuit nisi per electionem peccare: nam in sola electione datur libertas necessaria ad peccatum: ergo non potuit peccare per appetitum diuinitatis. Respondetur in simplici quoque volitione grauissimum posse reperiri peccatum, vt patet in odio Dei, & in velleitate se vindicandi, si posset, vel inferendi damnum ipsi Deo. Quare si per electionem intelligas liberam vtcunque volitionem, simplex etiam affectus dicetur electio, quatenus scilicet est actus liber, & respectu sui virtualiter electiuus, siquidem voluntas liberè vult potiùs exercere talem actum, quàm illum non elicere, quod sufficit ad peccatum; tum quia omnis actus liber voluntatis potest esse bonus vel malus ex obiecto; tum quia peccatum velleitatis explicatur affectus voluntatis, in quo ratio boni vel mali consistit: Aristoteles verò locutus est de electione propria, prout dicit actum absolutum voluntatis ex consultatione procedentem, & tendentem ad executionem, qui quidem non potest circa impossibilia versari.

31. Obiicies tertio, cum Bonauentura; Si Angelus appetiisset æqualitatem cum Deo, quam intellectu suo confixerat, solum appetiisset figmentum suæ mentis, non diuinitatem veram: ergo istam non potuit appetere peccando. Confirmatur, quia licet daretur talis appetitus in Angelo, non videtur ad superbiam spectare, cùm sit complacentia in obiecto secundùm se honesto, quod non vult efficaciter sibi per rapinam conquirere. Respondetur potuisse quidem Angelum appetere figmentum illud, quod sciebat esse impossibile, sed tamen sub conditione, scilicet si foret possibile, in quo appetitu grauissimum inesset peccatum; sicut si quis vellet inferre malum Deo si posset, figmentum cogitaret, & vellet sub conditione, sed cum grauissimo peccato odij Dei. Ad confirmationem dicimus varias rationes superbiæ posse in alla velleitate reperiri, vt si diuinitas appeteretur ab Angelo, ne alteri subderetur, vel præesset, vel præemineret omnibus indignè ferendo se habere naturam inferiorem Deo, vel sub eius redigi potestatem.

32. Obiicies quartò, vt inquit S. Thomas, Ægidius, & Marsilius, Vnicuique rei inest naturale desiderium sui esse, si autem Angelus appeteret esse Deum per naturam, appeteret sui non esse, quod pugnat cum naturali desiderio, ac subinde fieri non potuit: ergo nec Angelus appetere potuit æqualitatem per naturā cum Deo. Respondetur, licèt Angelus cognoscat suum esse non compati cum esse Dei per naturam, tamen quia reperit in diuinitate sufficientem rationem excellentis boni, posse illam appetere, si simul cum suo esse compossibilis foret. Quare non appeteret suum non esse potiùs sub conditione suæ permanentiæ simul cum diuinitate per naturam, hanc appeteret, & non aliter. Nec obstat impossibilitas conditionis quin dari possit affectus conditionatus, in quo diximus inesse superbiam.

Quarta sententia docet Luciferum peccasse per superbiam appetendo hypostaticam vnionem. Sic tradunt Catherinus opusculo de gloria bonorum Angelorum, & lapsu malorum, & Genes. 3. in principio, Viguerius in institutionibus cap. 3. §. 2. vers. 15. Iacobus de Valentia in id Psalm. 87. *Exurge Deus*, & in Psalm. 102. Salmeron in 2. Pet. disput. 3. Suarius lib. 7. de Angelis cap. 13. non improbabilem dicit. Molina in hac quæst. 63. art. 3. disp. 1. memb. 5. conclus. 7. sequitur Ruardus art. 8. circa principium, & idem ferè habet Malonius in 2. dist. 6. disp. 2. conclus. 7. Probatur primò ex Scriptura, cuius verba simpliciter & propriè ad hanc sententiam accommodantur, nullus enim (inquit Suarius) præter Christum sine arrogantia, vel rapina dicere cum proprietate potuit *in cælum conscendam*, &c. ergo nullus affectus superbiæ Luciferi melius per illa verba significatur, quàm appetitus dignitatis Christi per hypostaticam vnionem. 33. Catherin. Gen 3. Viguerius. Iac de Val. Salmeron. Suarius. Molina. Ruard. Malonius.

Idem est de verbis illis Ezech. 28. *Dixisti, Deus sum ego, & in cathedra Dei sedi*, quibus sequentia *quasi cor Dei*, sicut enim per vnionem hypostaticam exaltatum est cor hominis, vt sit cor Dei, ita per superbum appetitum illius vnionis eleuatur creata voluntas, vt quasi voluntas Dei esse concupiscat. Inducitur etiam id Ioan. 8. *Vos ex Patre Diabolo estis, & desiderio Patris vestri vultis perficere; ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*; nam Rupertus ibi lib. 8. fine, putat homicidium illud fuisse commissum in Dei filium, quem futurum hominem Lucifer præcognouit, & statim ob superbiam, & tumorem odio habuit. Confirmatur ex contextu: nam Iudæi mortem Christo Domino moliebantur: ergo hanc ab initio Diabolus concupiuit. Accedit illud Hebr. 1. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius* cuius inter alias est pia quidem interpretatio, vt prima Christi introductio fuerit per fidem in mentibus Angelicis, Secunda verò fuerit per realem executionem, & conceptionem. 34. Ezech. 28. Ioan. 8. Rupert. Hebr. 1.

Accedit Bernardus sermone 17. in Cantic. vbi licèt agat de hominum prædestinatione, quam Lucifer inuiderit, non tamen excludit vnionem hypostaticam, imò à fortiori comprehendere videtur, vnde Alensis 3. part. q. 2. memb. 13. tribuit Bernardo, quòd senserit Luciferum prænouisse vnionem Verbi cum humana natura, & proptereà inuidisse. Videtur autem ante inuidiam præcessisse superbia iuxta doctrinam Augustini lib. 11. de Genes. cap. 4. dicentis. *Hæc inuidia sequitur superbiam, non præcedit: non enim causa superbiendi est inuidia, sed causa inuidendi est superbia*; rationémque subnectit, *cùm superbia sit amor excellentiæ propriæ, inuidia verò sit odium felicitatis alienæ, quid inde nascatur satis in promptu est*. Vnde Bernardus suprà dixit. *Ergo in cælo concepit dolorem, & in paradiso peperit iniquitatem prolem malitiæ, matrem mortis, & ærumnarum omnium prima parens superbia, sequitur pedissequa inuidia.* 35. Bernard. Alens. August.

Alij

36. Pesantius, Faber. Vasquius. Becanus. Valentia. Alij per oppositum negant Angelum sic peccasse, Pesantius & Faber hîc, Vasquius d.233. c.2. Becanus suprà, Valentia punct.3. Imò nonnulli addunt, non potuisse sic peccare; quod ad factum attinet, probatur: nam Scriptura id non tradit, imò nonnunquam indicat, aduentum Christi supposuisse malitiam Diaboli, vt cùm 1. Ioann. 3. (Ioan. 3.) dicitur. *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli.* Heb. 2. (Hebr. 2.) *vt destrueret eum, qui habebat mortis imperium*: ergo non Christi aduentus fuit occasio primæ ruinæ Diaboli, sed potiùs è contrà ruina Luciferi præbuit occasionem aduentus Christi. Vnde nec Patres, nec antiqui Theologi peccatum istud Angelis tribuerunt; imò nec de illo quæstionem mouerunt.

37. Quod verò nec possibile fuerit in Angelis huiusmodi peccatum, probatur, quia iuxta probabiliorẽ S. Thomæ sententiam Deus non decreuit incarnationem, nisi post absolutam præuisionem peccati Adami, quod supponit lapsum Angelorũ: ergo peccatum istorum, non potuit habere pro obiecto Incarnationem. Probatur consequentia, quia reuelatio Incarnationis absolutè faciendæ, seu decretum diuinum sic eam reuelandi præsupponit in Deo scientiam absolutam Incarnationis futuræ. Hæc autem Scientia supponit decretum absolutum incarnandi: ergo si priùs ratione præuidit Deus peccatum Angelorum absolutè futurum quàm decerneret absolutè Incarnationẽ, non potuit hæc esse obiectum peccati Angelorum.

38. In hac difficultate dico primò, simpliciter & absolutè, nullaque ordinatione diuina præsupposita potuit Angelus circa Incarnationem ex diuina reuelatione cognitam peccare etiam peccato superbiæ. Conueniunt in hoc communiter Doctores, & patet, quia potuit Deus decernere Incarnationem ante præuisionem alicuius peccati, reuelareque Angelis in via, & isti talem excellentiam sibi appetere ex motiuo superbiæ, vel in contemptum naturæ humanæ, cui nullo titulo subdi voluissent, vel vt alijs omnibus dominarẽtur, ac diuinis honoribus fruerentur: & propter excellentiã vnionis cum hypostasi diuina panci ducerent propria subsistentia denudari.

39. Dico secundò, supposito diuinorum ordine decretorum, quo statuit de facto Incarnationem in remedium peccati, ac subinde post illius præuisionem absolutam, non potuit primum peccatum Angelorum habere pro obiecto Incarnationem. Ita multi Theologi, quos suppresso nomine refert Suarius suprà n. 5. & videtur sentire Molina (Molina.) propter rationẽ suprà factam n. 7. quia Deus non potuit decernere reuelationem Incarnationis absolutam, nisi post decretam absolutè Incarnationem, Sed prius præuidit peccatum Angelorum absolutè futurum, quod antecessit hominum ruinam, quàm decerneret Incarnationem absolutè: ergo illud peccatum Angelorum pro illo signo rationis præuisum habuit certè diuersum obiectum ab Incarnatione. Neque refert scientiam conditionalem præcessisse: nam ista sic videt obiecta sub conditione sicut ponenda sunt absolutè. Igitur si vidisset Deus per talem scientiam, Si ego creauero Angelum, & ipsi reuelauero Incarnationem, peccabit, debebat post decretũ creationis Angelorum immediatè decernere reuelationem Incarnationis, quod non potuit si solum ob reparationem humani generis erat incarnaturus. Nisi dicas, præcessisse saltem decretum conditionatum Incarnationis si homo peccaret, & hoc reuelasse Deum Angelis, illosque indignè tulisse: In quo non reperio repugnantiam, quoad possibilitatem, non video tamen de facto sic affirmari à Doctoribus.

Dico tertiò, etiam posita ista serie decretorum potuit Angelus peccare per superbum appetitum vnionis hypostaticæ, non primo peccato, sed alio distincto. In hoc assentior Doctoribus relatis num. 36. qui licèr factum negent, possibilitatem admittunt, & probatur, quia post præuisum primum peccatum Angelorum, & hominum, & decretam absolutè Incarnationem, potuit Deus decernere reuelationem ipsius Angelis faciendam in via; imò sic decreuit, & reuelauit, vt diximus disput. 12. num. 19. sicut & tunc decreuit dare Angelis gratiam in executione propter merita Christi Domini, factaque reuelatione potuerunt Angeli abuti per inordinatam elationem: ergo potuerunt sic peccare circa Incarnationem nolentes subijci homini, quem videbant caput etiã Angelorum constitui, nec debitum illi cultum exhibere, siue fuisset illis impositum præceptum positiuum circa talem subiectionem, siue solùm naturale, quod ex talis personæ dignitate surgebat. 40.

An verò sic euenerit de facto satis manet incertum, & si probabiles coniecturæ partem affirmatiuam suadeant. Nec obstat fundamentum contrarium: sicut enim Christus decretus est Redemptor generis humani, sic consequenter venit vt dissolueret opera Diaboli, quibus hominem infecerat, & imperium, quod per peccata hominum obtinuerat, destrueret. Vbi supponitur quidem Diabolus iam præuisus peccator, & hominem superans tentatione ante præuisam, seu decretam Incarnationem, non tamen inde tollitur, quin in signis sequentibus præuideatur cum nouo peccato superbiæ circa Incarnationem, nouóque odio concepto contra Christum Dominum, & propter illum contra genus humanum ab illo redimendum. 41.

Quinta sententia sit Luciferum peccasse volendo nulli subesse, sed omnibus præesse: sic Bonauentura in 2. d. 5. a. 1. q. 2. Alensis 2. p. q. 98. memb. 3. in corpore, & ad 2. & §. 1. Gulielmus Parisiensis 1. p. 2. partis principalis de vniuerso c. 109. & 110. Scotus in 2. d. 5. q. 2. eius sectatores ibidem, Lyra Isaiæ 13. & ibi Burgensis, & Replicator, Valentia 1. p. d. 4. q. 14. puncto 3. Molina 1. p. q. 63. a. 3. disp. 1. memb. 5. concl. 5. Iuuãt illa verba Isaiæ 14 *Super astra Dei exaltabo solium meum* solent enim in Scriptura Angeli vocari astra. Vnde etiam apparet quare Genes. 3. Diabolus illis verbis homines tentauerit *cur precepit vobis Deus?* quasi vellet illos inducere ad simile peccatum superbiæ, vt scilicet ipsi quoque Dei præceptũ de pomis non edendis repudiarent. 42. Bonauent. Alens. Guill. Paris. Lyra. Burgens. Replicator. Valentia. Molina. Isaiæ 14. Genes. 3.

Accedunt Patres, Chrysostomus homilia 2. in Genes. & Anastasius Nicænus quæst. 6?. in Scripturam generatim dicunt Dæmonem appetiisse maiorem dignitatem, quàm Deus illi tribuisset, Augustinus in Psalm. 7[illegible]. inquit *Diabolus imitari eum voluit, sed peruersè, non esse sub illius potestate, sed habere contra eum potestatem*, & 11. de Ciuitat. cap. 13: de Diabolo ait, *Suo recusans esse subditus creatori, & superbia sia velut priuata authoritate elatus*, &c. idem habet lib. 14. cap. 11. & lib. 11. cap. 33. & lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 15. Gregorius 34. Moral. cap. [illegible] de 43. Chrysost. Anastas. Nicænus. August. Gregor.

Dæmone inquit. *A quo conditus fuerat subesse despexit*,& infrà, *Ius peruersa libertatis appetiit, vt & praeesset ceteris, & nulli subesset*. Videatur etiam cap. 14. aliàs 17. & lib. 4. epistolarum cap. 8 a.
Bernard. Bernardus sermone 69. In Cantica dicit peccasse Luciferum *altitudinem potentiæ affectando*. Con-
Anselm. sentire videtur Anselmus de casu Diaboli cap. 4.
S.Thom. S. Thomas 3. contra Gent. cap. 109. scribit Dæmonem in eo etiam commisisse peccatum superbiæ, *quod voluit quodammodo non subiici, & voluntatem suam à superiori non regulari*, & in hac quæst. 63. art. 3. ait, quòd appetiit, aliquem principatum super alia habere.

44. Ceterùm qua ratione Angelus appetierit præesse hominibus, vel Angelis, aut in huc appetitu potuerit peccare, plerique Doctorum non satis expediunt; in primis enim in complacentia naturalis excellentiæ, qua supereminebat aliis, non infuisset peccatum superbiæ, nisi de ipsa ita gloriaretur, ac si eam haberet à semetipso, iuxta doctrinā Gregorij, & S. Thomæ 2. 2. q. 162. art. 4. idem est de potestate physica naturali propellendi loco, vel detinendi, vel docēdi inferiores. Potestatem physicam supernaturalem per modum causæ principalis gratiæ ac gloriæ ceterorum non potuit Lucifer appetere nisi per affectum simplicem, vel conditionatam velleitatem, quo pacto capiendum
Abulensis. videtur, quod tradit Abulensis Genes. 13. q. 362. scilicet superbiam Diaboli fuisse, quia concupiuit esse principiū omnium post Deū. Quòd enim Angelus assumeretur à Deo, vt instrumentum per potentiam obedientialē concurrens ad ceterarum rerum productionem, nō videtur magnam præseferre dignitatē ab Angelo inordinatē appetibilē.

45. Potuit etiam Angelus simpliciter appetere potestatem moralem iurisdictionis in inferiores, qui tenerentur obedire, & de hac videtur loqui Gre-
Gregorius. gorius suprà, & in Pastorali 2. p. c. 6. Potuit quoque velle primatum super alios in genere causæ meritoriæ, præsertim vt annexū hypostaticæ vnioni, & muneri Redemptoris, quod respectu hominum appetere potuisse diximus suprà n. 40. Negationem item subiectionis ad alterum, etiam respectu Dei, quoad creationem, cōseruationem, & imperium non potuit magis Angelus appetere quàm diuinitatem ipsam, cuius est proprium nulli prorsus subesse, ac subinde per solum simplicem affectū, quo pacto Vasquius intelligit, & sequitur
Burgens. Burgensem Isaiæ 14. sic explicantem verba Pro-
Replicat. phetæ, sed Replicator ibi, & Lyra dicūt appetiisse
Lyra. Luciferum non subesse Deo quoad regulam operandi tantùm. Quod si intelligatur de exemptione à lege naturali, vel a lege connaturali Fidei, seu gratiæ, quæ supernaturalis est, etiam est impossibile simpliciter, & per solum affectum simplicem vel conditionalem expetibile; si verò intelligatur de præcepto positiuo, quod noluerit Angelus sibi imponi, vel impositum obseruare, indignè ferendo taliter obligari, potuit sic peccare Angelus peccato superbiæ.

46. Alij volunt cupiuisse Luciferum esse vt Deum, non in natura, sed in aliorum mentibus, & voluntatibus, vel quoad existimationē, vel quoad cultū,
Nazianz. & honorē, quod innuunt Nazianzenus illa orat.
Cyrillus. 27. Cyrillus Isai. 14. Theodoretus Ezechiel. 28.
Theodoret. sect. 11. sed hæc insania reperitur quidem in Dæmone post lapsum, & damnationem suam, non respectu sanctorum Angelorum, sed fortasse respectu sociorum, qui labentem secuti sunt; maximè verò respectu hominum, & sic loqui videntur illi Patres. Quomodo enim hoc persuaderet Angelis in via, qui euidenter sciebant illū non esse Deum, nec tali cultu dignum, nec motiuum suppetere ad sic insaniendum? An verò de facto per aliquem prædictorum affectuum, quos possibiles numerauimus, deliquerit, non magis certū, quàm de præcedentibus; Suarius cap. 14. coniecturis conatur Suarius.
ostendere saltem primum Luciferi peccatū in hoc appetitu non constitisse, quo vellet nulli subesse, sed cunctis præesse modis, scilicet suprà positis.

CAPVT III.

De aliis peccatis Angelorum.

SVperbia potuit esse multiplex, vt vidimus, 1.
penes obiecta diuersa cum distinctis deformitatibus obiectiuis, quas in ordine ad rectā rationem sortiuntur, & forsan plures malitias, ille primus actus peccaminosus habuit, pluresque species superbiæ, Theodoretus lib. 5. de diuin. de- Theodor.
cret. c. de Diabolo, & Nazianzenus orat. 12. Luci- Nazianz.
fero tribuunt arrogantiam, & quasi nimiam excellentiam appetendo, meritum eius sibi arrogarit, & vt alios secum consentientes faceret, decorem suum, dignitatémque iactarit.

Ambrosius epistola 33. & Martialis epistola ad 2.
Burdegal. c. 11. tribuunt Lucifero præsumptionē, Ambros.
quæ est species superbiæ, diuersa quidem ab illa, Martialis.
quæ in appetitu excellentiæ singularis consistit, quatenùs præsumptuosus intendit magna cum excessu respectu suarum virium; in quo cōtrariatur magnanimo, qui magna conatur, sed cū proportione, & contrariatur humili, qui sua sorte cōtentus manet. Quòd si præsumptio quærat præmium sine meritis, vel vltra merita, opponitur spei, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 21. art. 2. Ignatius S.Thom.
epistula 8. ad Philipp. Dæmoni tribuit ambitio- Ignatius.
nem, & vanam gloriam, quæ latiùs prosequitur, & expendit Suarius lib. 7. de Angelis cap. 15. Suarius.

Post superbiam tribuunt Lucifero peccatū in- 3.
uidiæ S. Thomas in hac quæst. 63. art. 2. & cum illo Scholastici Doctores, consentiuntque Patres, Anselmus Matth. 12. post medium docet Anselm.
Luciferum inuidisse Deo diuinitatē ipsam. Alij censent Dęmonē inuidisse Adamo, & hominibus imaginem Dei, supernamque felicitatem Suarius probabilius existimat inuidisse Christo Domino naturæque humanæ hypostaticam vnionem, & fuisse distinctum actum inuidiam à superbia, quoniam alter est fuga, alter prosecutio.

Tertullianus lib. de Patien. c. 5. tribuit Dæ- 4.
moni simul cum inuidia impatientiam, quæ licèt Tertull.
non versetur circa passiones inordinatas, vt in nobis, potuit versari circa dolorem & tristitiam spiritualem; Suarius concedit de possibili: de facto verò negat propriam impatientiam in Angelis viatoribus, tribuit tamen illis odium formale, saltem respectu Christi Domini, & humani generis ortum ex inuidia; Ignatius suprà tribuit Dæmonibus auaritiam, sed videtur metaphoricè capienda; tribuit etiam impietatem, quam apostasiam quoque seu desertionem Dei vocat; sed videtur vti generali vocabulo, nec distinctum peccatum à superbia his vocibus significari: hanc enim impietatem, & apostasiam ponit in eo, *quod se auctoris sui gloriæ comparauit*. Hieronymus in Hieron.
Psal. 119. tribuit Lucifero blasphemiam, quæ licèt, in primo peccato solùm metaphoricè reperiatur, posteà verò dum alios ad rebellionem induxit,

duxit, credibile sit propriam blasphemiam commisisse iniuriose loquendo de Deo, simulque mentitum fuisse: Non est autem verisimile per infidelitatem peccasse, quia motiua habuit efficacissima ad credendum.

5. Conueniunt Theologi ceterorũ etiam Angelorum peccatum fuisse superbiam, ita vt nõ solus Lucifer, sed omnes eius sectatores superbierint. S. Thom. Sumitur ex S. Thoma hîc art. 2. vbi generaliter docet in Angelis formaliter, & secundùm affectũ esse posse solum peccatum superbiæ, & inuidiæ, & inter hæc antecedere superbiam. Accedunt Patres suprà relati, qui dum aiunt Angelos per superbiam cecidisse, non de solo primo, sed absolutè loquuntur de omnibus malis, vt specialiter August. videri potest in Augustino lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 2. 15. & 24.

6. Hoc verò genus peccati, vel obiectũ illius non eodem modo declarant Doctores. Alexander, & Bonauentura dicunt inferiores Angelos peccasse appetitu excellentiæ propriæ, quam sine meritis, sicut etiam primus Angelus, appetierunt; Quæ verò fuerit hæc excellentia, non satis exponunt; ideò Molina hîc art. 3. memb. 5. cõcl. 6. dixit alios Angelos peccasse peccatõ superbiæ, appetendo propriam aliquam excellentiam contra Dei ordinationem, quæ forsan illis aliquo diuino præcepto innotuerat, quod putat esse de mente Bonauenturæ. Richardus existimat superbiam illorum fuisse quòd concupierunt Angelo supremo hanc excellentiam, vt ipsi & non Deo cuncti subderentur, quasi dedignarentur Deo subiici, quod ideò peccarunt Angeli peccato superbiæ, quoniam elati contemplatione perfectionis suæ, voluerunt esse exempti ab omni diuino imperio, quoad actualia ministeria, in quibus occupantur à Deo.

7. Ego sentio potuisse ceteros Angelos peccare per inordinatum affectum suæ beatitudinis naturalis, modis propositis cap. 2. num. 12. & sequentibus. Potuerunt etiam peccare circa beatitudinem supernaturalem modis relatis cap. 2. n. 22. & 23. Potuerunt simpliciter affectu peccare volendo sibi diuinitatem, iuxta ibi dicta n. 26. Potuerunt appetere vnionem hypostaticam, licèt non in primo peccato, iuxta ibi dicta n. 39. & 40. Potuerunt diuinum imperium detrectare, mallétque à Lucifero regi immediatè quàm à Deo, iuxta sententiam Maioris, Gabrielis, & Valentiæ, quasi magis ipsis esset decorum ab illo positiua recipere præcepta, quem ipsimet constituissent sibi caput, quàm à Deo. Hæc omnia procedunt de possibili: definire autem hoc, aut illo modo peccatum illorum contigisse, non cogunt alicuius sententiæ fundaméta. Suarius semper propendet in appetitum vnionis hypostaticæ, qui secundùm illius sententiam de prædestinatione Christi ante præuisum Adæ peccatũ potuit esse primus lapsus Angelorum: at in nostra sententia non posse primum esse peccatum ipsorum ostendimus cap. 2. num. 40.

DISPVT. XXV.

De Lucifero.

QVONIAM Lucifer creditur ceteros ad peccandum induxisse, vidẽdum erit quem gradum dignitatis, seu perfectionis naturalis obtineat, & quomodo ceteros potuit secum agere præcipites in ruinam.

CAPVT I.

Vtrùm Lucifer fuerit supremus Angelorum.

1. NEgare videntur nonnulli putantes Luciferum ad Angelos ministrantes pertinuisse, siue fuerit supremus infimi ordinis, siue supremus tertiæ hierarchiæ. Huius opinionis meminit Augustinus lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 10. vbi nullam ei notam inurit, & lib. 11. c. 17. similiter: cap. verò 19. addit se non videre quo Scripturæ loco talis sententia probari possit: demum in cap. 26. sic dicit, *sed hoc nullo modo asseri potest*. Videtur eandem insinuasse Epiphanius tom. 1. lib. 2. contra hæreses hæresi 64. docuit, Damascenus lib. 2. cap. 4. dicens fuisse illum Angelum, *qui terrestris ordinis principatum tenebat, cuique custodiendæ terræ cura à Deo commissa fuerat*. Fauet Theodoretus lib. 5. de diuin. decret. cap. de Diabolo, dicens ideò vocari principẽ potestatis aëris huius, quia fuerat ei credita aëris administratio; quod etiam indicant Rufinus in expositione Symboli, quæ habetur inter opera Cypriani, & Andreas Cæsariensis in Apocal. capite suo 34. Augustinus. Epiphanius. Damasc. Theodor. Rufinus. Andr. Cæs.

2. Probatur primò ex Ezech. 28. vbi Lucifer dicitur *Cherub extentus & protegens*: Seraphini verò sunt perfectiores Cherubinis: ergo Lucifer non fuit in ordine supremo Angelorum. Secũdò, cùm Deus species omnes Angelorum creauerit ad felicitatem æternam, non videtur conueniens vt intentio diuina in suprema specie Angelorum, imò in supremo creaturarũ omnium spiritu fuerit frustrata, ne gloriari posset Infernus aduersus cælestem curiam, quod perfectiorem speciem, vel creaturam contineat. Confirmatur, quoniam ex parte Angeli supremi minor erat occasio peccãdi, quia quò erat Deo similior, eò fuit minùs capax, & quò erat excellentior, eũ habebat minorem occasionem appetendi statum excellentiorem. Ezech. 28.

3. Affirmant tamen communiter Patres, & Scholastici, Tertullianus l. 2. contra Marcionem c. 10. Nazianzenus carm. 6. Chrysostomus tomo 1. homil. de Adam & Eua, Cyrillus in cap. 4. Isaiæ, Origenes tractat. 9. in Matth. Hieronymus ad illa verba Iob. 40. *Ipse est initium viarum Dei*, & Psalm. 23. in fine. Augustinus suprà, & lib. 1. de mirabil. Scriptur. cap. 2. Gregorius 4. Moral. cap. 2. aliàs 13. & lib. 9. cap. 2. & lib. 32. cap. 18. aliàs 24. Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 10. Bernardus lib. de gradibus humilitatis, & serm. 1. aduentus. Hugo Victorinus in summa sent. tract. cap. 4. S. Thomas in hac quæst. 63. art. 7. vbi Molina, & alij Recentiores Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 14. punct. 5. Scholastici communitèr in 2. dist. 6. vbi Richardus art. 1. quæst. 1. Ægidius Rom. quæst. 1. art. 1. Durandus q. 1. Sanderus lib. 4. de visibili Monarchia cap. 1. Tertull. Nazian. Chrysost. Cyril. Origenes. Hieron. August. Gregor. Isidorus. Bernard. Hugo Vict. S. Thom. Molina. Valentia. Richard. Ægid. Rom. Durand. Sanderus.

4. Probatur ex Scriptura: nam Isaiæ 14. vocatur Lucifer, qui mane oriebatur, quasi ita reliquos perfectione antecelleret, sicut Lucifer matutinus inter stellas, vt dixit Ignatius, & Ezech. 28. quasi per antonomasiam vocatur *signaculum similitudinis*, scilicet diuinæ *& plenus sapientia & decore*, & cap. 31. dicitur *Cedri non fuerunt altiores in paradiso Dei, abietes non adæquauerunt summitatem eius, & platani non* Isaiæ 14. Ezech. 28.

fuerunt æquæ frondibus illius; omne lignum paradisi
Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini eius.
Vbi Patres explicant, ad Luciferum fieri allusio-
Iob 40. nem. Item Iob 40. dicitur, *Ipse est principium*
viarum Dei, quod non videtur intelligi de ante-
cessione durationis, cùm omnes Angeli simul
producti fuerint, sed dignitatis, & excellentiæ
super res alias creatas, ac subinde cap. 41. subiun-
gitur. *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Vas-
Vasquez. quius 1. part. disput. 257. contendit ex his testi-
monijs nihil colligi, cùm habeant alios sensus
litterales de quibusdam regibus, aut bestijs. Sed
certè licèt præterea non cogant, tamen iuuant
non parùm, cùm à sanctis inito etiam sensu reci-
piantur, & pro hac opinione referantur, siue sit
sensus litteralis secundarius, siue mysticus à
Spiritu sancto intentus.

5. Accedit coniectura S. Thomæ, quoniam in
primo Dæmone occasio peccandi fuit eius excel-
lentia: ergo in supremo Angelorum omnium
fuit maior occasio superbiendi, quàm in ceteris
propter maiorem excellentiam in natura, scien-
tia, ceterisque donis, ac dotibus naturalibus, &
consequenter in supernaturalibus, quæ in primo
creationis instanti iuxta proportionem natura-
lium fuerunt concessa. Quod magis vrget si iux-
ta quintam sententiam disput. 24. cap. 2. relatam
Lucifer peccauit formaliter appetendo nulli sub-
esse, sed omnibus creaturis præesse singulari ali-
quo modo à se excogitato: nullus enim inferio-
rum Angelorum in tantam audaciam prorumpe-
re sine multo maiori dementia potuisset.

6. Sunt in ista sententia nonnulli, qui putantes
dari de facto plures Angelos eiusdem infimæ
speciei, dicunt, Luciferum fuisse supremum om-
nium negatiuè, quia fuit perfectissimæ speciei,
quare nullus fuit superior illo, licèt multi fuerint
Suarius. æquales in specifica perfectione; ita Suarius lib. 7.
de Angelis cap. 16. inducens pro hac parte non-
nulla Patrum testimonia, quæ vel de prioritate
durationis loquuntur, vel per negationem supe-
rioris explicant excellentiam Luciferi. Nos verò
qui de facto censemus non dari plures Angelos
eiusdem speciei, consequenter asserimus Lucife-
rum etiam positiuè fuisse perfectissimum om-
Dionys. nium, quod non parum indicat Dionysius de diu.
nom. cap. 2. p. t. illis verbis. *Ipsi quoque antiquis-*
simorum Angelorum primati incognita. Vbi sup-
ponit in tota electione Angelorum vnum fuisse
primatem, qui nimirùm in excellentia, & perfe-
ctione naturali ceteris antecelleret, meritòque
Doctores intelligunt Dionysium, per illum Pri-
matem denotasse Luciferum. Primas autem vni-
cus est, non plures.

7. Prima sententia vnum supponit inter alia mi-
nùs consonum veritati, scilicet antequam Angeli
peccarent, Deum illis administrationem orbis
terrarum commisisse, quod non est verisimile:
peccarunt enim Angeli (vt vidimus) prima die,
nondum producto firmamento, & planetis, nec
commissurus fuisset Deus ministeria perpetuò
cum motibus cælorum duratura illis Angelis,
quos præuiderat peccaturos. Non ergo de solis
ministrantibus, sed de prima etiam hierarchia, &
primo ordine, sicut de reliquis ordinibus aliqui
S. Thom. credendi sunt cecidisse, vt docet S. Thomas hîc
Valentia. artic. 9. ad 3. & Valentia supra. Coniectura est,
quia sic vniuersaliùs ostenditur indifferentia, &
fragilitas liberi arbitrij creati, siquidem in omni-
bus ordinibus creaturarum rationalium inuentæ
sunt aliquæ tam in malum, quàm in bonum
vtentes sua libertate. Quando verò Leo VIII. in
cap. *Hi duo*, de consecrat. dist. 1. dicit non ali-
quos Angelos ex nouem ordinibus, sed decimum
ordinem cecidisse, piè debet exponi, quasi multi-
tudinem malorum Angelorum decimum ordi-
nem appellet, quia propter peccatum in infimum
gradum depulsi sunt.

Ad primum primæ sententiæ respondet S. 8.
Thomas hîc art. 7. ad 1. ideò Luciferum vocari
Cherubinum ibi, & non Seraphinum, etiamsi
fuerit Seraphinus, quia Seraphin idem significat
quod ardens, & ardor charitatis non mansit in
Dæmone; Cherubin autem significat idem quod
sciens, & scientia mansit in Dæmone, quia non
repugnat cum peccato. Ad secundum responde-
tur cum S. Thoma hîc art. 7. ad 2. tunc intensio-
nem alicuius dici frustrari à consecutione finis,
quando absolutè hunc intendit, nec præuidit
euentum. Cùm verò Deus sic rationales creatu-
ras in beatitudine creauerit, vt non absolutè, sed
ex hypothesi, si per ipsas non steterit, voluerit
omnium salutem, & antè singularum productio-
nem præuiderit, quænam sua libertate, ac culpa
fuissent damnandæ, sanè in ijs, quæ non asse-
quuntur supernam felicitatem, non dicitur ab in-
tentione sua frustrari.

Nec erit vllatenùs absurdum, quòd suprema 9.
species Angelorum fuerit ad inferos detrusa, imò
inde magis elucet diuina iustitia, quòd supremo
spiritui, & supremæ speciei Angelorum non pe-
percit, sicut ideò magis elucet diuina misericor-
dia, quæ species inferiores & infirmiores ad tan-
tam euexit celsitudinem, simulque declaratur,
longè maiores, & potiores esse vires gratiæ di-
uinæ, quàm naturæ ad quemlibet perducendum
in beatitudinem sempiternam. Nec cedit in glo-
riam, sed potiùs in ignominiam inferni, quod
supremum Angelorum in se contineat adeò per
malitiam inquinatum, diuinisque donis, ac be-
neficijs ingratum, & rebellem. Ad confirmatio-
nem patet ex supradictis num. 5. quò fuerit ex-
cellentior Lucifer, eò maiorem habuisse occasio-
nem superbiendi.

CAPVT II.

An, & quomodo Lucifer alios ad peccandum induxerit.

SVpponimus non vnum solùm, sed multos 1.
Angelos peccasse, non tamen plures, imò
pauciores, quàm remanserunt, vt tradit Hugo Hugo Vict.
Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 5. cap. 3 P. Cyprian.
Cyrillus lib. 1. in Genes. sub finem, & S. Thomas S. Thom.
hic art. 9. cuius ratio solùm est coniectura mora-
lis desumpta ex his, quæ communiter accidunt,
propria tamen ratio fuit voluntas Dei prædesti-
nantis plures Angelos, & pauciores reprobantis.

An verò vnus induxerit alios ad peccandum, 2.
necne; non est eadem Doctorum sententia. Pri-
ma docet singulos Angelos ex se absque alterius
inductione, vel suggestione peccasse, tradit latè
Guillelmus Parisiensis 1. p. 2. partis principalis Guill. Paris.
de Vniuerso cap. 112. Tribuitur etiam Alberto Alphons. de
in 2. dist. 6. art. 3. & Alphonso de Castro contra Castro.
hæreses, verbo *peccatum*, hæresi 3. hic tamen non
loquitur de singulis Angelis, sed de tota Angeli-
ca natura, quæ alterius superioris suasione non
peccauit.

peccauit, citantur etiam Alensis, & Altisiodorensis, sed immerito.

3. Probatur primò, quoniam omnes & singuli Angeli per superbiam peccarunt, vt diximus cum communi sententia disput. 2. cap. 3. num. 5. ergo omnes non ab alio inducti, sed per se, ac propria excellentia, & amore abstracti aliquid superbè appetierunt. Patet consequentia, quia superbus appetit singularitatem aliquam sibi, quam nollet aliis esse communem, ac subinde neutiquam illam ceteris obiiceret appetendam; præsertim si superbia Luciferi fuit appetitus alicuius superioris potestatis, profectò non suasisset aliis, vt singuli dominationē appeterent: sic enim non haberet illos subditos, sed potiùs, conaretur vt se potiùs quàm Deum, vt Dominum, & principem recognoscerent, quo pacto non illos ad superbiam induxisset, sed potiùs ad subiectionem, & vilem seruitutem.

4. Probatur secundò: nam omnes Angeli simul peccarunt cum Lucifero: ergo non sunt ab illo inducti ad peccandum: Antecedens ostenditur, quia Lucifer immediatè post instans in quo peccauit damnatus est, & ceteri simul cum illo: ergo peccarunt simul: nec enim post damnationem suam, quam ceteri Angeli vidissent, persuaderet Lucifer illis similem lapsum. Vnde probatur consequentia, quoniam in illo instanti, quo peccarunt omnes, non potuit Lucifer ceteros inducere: deberet enim per locutionem manifestare ceteris mentem suam, rationesque allicientes ad peccandum; non potuit autem simul peccare, & mentem suam, efficaciaque motiua ceteris explicare, quia tanta multiplicatio actuum non posset simul in eadem indiuisibili duratione fieri: ergo nec alios potuit in eomet instanti pellicere.

5. Secunda sententia censet Luciferum induxisse ceteros, non tamen per suggestionem, aut locutionem, sed tantùm per modum exempli, quod imitantes reliqui corruerunt; sic videtur sentire Albertus in 2. dist. 5. art. 3. dum respondet ad quæstionem *quod alia persuasio ibi non fuit, nisi occasionalis, quia videntes illum esse excellentissimam creaturam, appropinquauerunt per consensum desiderio suo.* Sic Alensis 2. part. q. 99. memb. 2. de sola imitatione loquitur, sic Bonauentura in 2. dist. 5. art. 2. quæst. 2. Richardus ibi art. 2. q. 13. Ægidius dist. 6. quæst. 1. art. 3. Argentinas q. 1. artic. 4. Iuuant Patres dum hanc assignant rationem inter alias ob quam redemptus fuit homo, & non Angelus, scilicet quòd Angeli sine tentatore, vel suasore peccarunt, homo autem ab alio inductus est. Ita Gregorius lib. 4. Moral. cap. 10. Bernardus sermone 85. in Cantic. & sermone 1. de Aduentu, Augustinus lib. 1. de Mirabilibus Scripturæ cap. 2. qui tamen non negant omnem occasionem peccandi per imitationem, sine prauum exemplum alterius, siquidem simul dicunt aliis locis Luciferum traxisse secum alios in ruinam, vnde sumitur probatio huius sententiæ, quia sic conciliantur sanctorum dicta, & argumenta primæ sententiæ facilè diluuntur.

Albert. Alens. Bonauent. Richard. Ægidius. Argent. Gregor. Bernard. August.

6. Tertia sententia docet Luciferum non solùm exemplo, sed etiam suasione ceteros allexisse, sic docet S. Thomas in hac quæst. 63. artic. 8. vbi Caietanus, & Thomistæ communiter, Molina art. 6. conclus. 3. & 4. Maior in 2. dist. 6. quæst. 2. Altisiodorensis lib. 2. summæ tractat. 2. cap. 5. Suarius lib. 7. de Angelis cap. 17. atque alij Recentiores. Probatur primò auctoritate Nazianzeni in carmine 6. de substantiis mente præditis sic loquitur de Lucifero.

S. Thom. Caietan. Molina. Maior. Altisiodor. Suarius. Nazianz.

-----*Haud solus cecidit, verùm agmine septus Ingentisceleris, cui dux fuit atque magister.*

Cæsarius in Dialogo 1. per *ducis suggestionem* dicit mutatos; Origenes lib. 1. Periarch. in proœmio vtitur verbo *persuadendi*, Chrysostomus in Psal. 14. dicit Luciferum mouisse seditionem, Ambrosius in epistola 33. alias 84. dicit traxisse alios in consensum impietatis suæ, quo etiam verbo *trahendi* alij Patres vtuntur, & certè plusquam exemplum significat. Idem denotat verbum *pellexisse*, quo Lactantius vtitur lib. 1. instit. cap. 14. magis expressit Bernardus tractat. de gradibus humilitatis in primo gradu superbiæ 5. *O Lucifer, dicens, voluisse Luciferum dominari omnibus filiis superbia, quos sua malitia actibus studuit inflammare.* Alij generaliter dicunt, Dæmones secutos fuisse Luciferum.

Cæsarius. Origenes. Chrysost. Ambros. Lactant. Bernard.

Accedunt Scripturæ testimonia, quæ licèt alios patiantur sensus, hunc tamen iuxta sanctorum expositiones admittunt, vt Lucifer alios induxerit ad peccandum Isaiæ 14. *Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti.* Vbi Hieronymus sic exponit. *Eos quos tibi Deus in correptionem dederat, tu pennens perdidisti.* Iob 41. *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Vbi per Leuiathan Dæmonem capiunt sancti Patres, quos refert Pineda in cap. 40. Iob. in vltima eius loci expositione num. 1. quasi Dæmones ceteros per prauam suggestionem sibi Lucifer subiugarit, Apoc. 12. dicitur de Dracone, *cauda eius trahebat tertiam partem stellarum*, id est, magnam partem Angelorum, quos non nisi suggestione, & morali modo trahere potuit, statimque subditur. *Prælium magnum factum est in cælo*, quod de Angelorum via capiunt Scholastici cum Magistro in 2. dist. 6. & S. Thomas hic art. 8. Thomas à Kempis in sermonibus ad Nouitios p. 2. serm. 10. Prosper in Dimidio temporis cap. 3. Andreas Cæsariensis, & alij. 7.

Isaiæ 14. Hieronym. Iob. 41. Pineda. Apoc. 12. Magister. S. Thom. Thō. à Kemp. Prosper. Andr. Cæsar.

Ratione, seu coniectura probatur secundò: nam peccatum Luciferi fuit per internum affectum superbiæ, hic autem non potuit aliis innotescere nisi per liberam eius manifestationem, seu locutionem, sicut nec alij actus interni liberi. Nec est verisimile Luciferum narrasse suum decretum aliis per modum historiæ, sed potiùs eo modo, quo suaderet aliis imitationem suam, intendens alios allicere post se; quod videtur indicasse Ezech. cap. 28. per illa verba. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate.* Quare suam aliis mentem aperuit, & rationes, quibus & ipse mouebatur, & ceteros vellet permoueri: ergo non exemplo solùm, sed suasione pellexit. 8.

Ezech.

In hac difficultate dico primò, Lucifer potuit alios Dæmones ad peccandum inducere, non solùm exemplo, simpliciter manifestando superbiam suam, sed etiam suasione proponendo rationes commodi, seu voluptatis. In hoc ferè omnes conueniunt, & docet expressè Vasquius 1. p. disp. 238. cap. 2. sicut enim potuit peccare Lucifer etiam sine errore appetendo inordinatè beatitudinem naturalem ob motiua supra posita disp. 24. cap. 1. à num. 11. potuit aliis eadem motiua proponere, vt ipsis similem inordinatum affectum persuaderet; potuerunt & ipsi motiuis sic propositis allici ad similem superbiam. Idem est proportionaliter de inordinato appetitu ca- 9.

titudinis supernaturalis, vel etiam vnionis hypostaticæ, quam vellent inferiores communicari Lucifero, vt Angelicæ naturæ in supremo Spiritu, non humanæ contingeret dignitas tam sublimis. Idem est de simplici diuinitatis affectu iuxta supra dicta disput. 24. cap. 2. num. 29. & de exemptione à diuinis præceptis iuxta ibi dicta cap. 3. num. 7. sicut enim potuerunt inferiores Dæmones hæc peccata committere ob motiua ibi posita, potuerunt equidem ad eadem peccata induci per Luciferum rationes illas commodi, vel voluptatis singulis ingerentem.

10. Dico secundò quoad factum, quamuis authoritas Scripturæ non cogat; nec signum, quod S. Thomas art. 8. adducit, scilicet quòd omnes Dæmones illi supremo subduntur, & dicuntur, Angeli eius, quasi iuxta ordinem diuinæ iustitiæ illius potestati subdantur in pœna, cuius suggestioni consenserunt in culpa, & per consequens non sit omninò certa pars affirmatiua, vt docent Vasquius suprà, & Durandus in 2. dist. 6. quæst. 2. tamen ex authoritate Sanctorum, & communi Scholasticorum consensu redditur verisimilior; nec in quæstionibus de facto, quæ per diuinam reuelationem expressam non habentur, omnimoda certitudo requirenda est. Quare tertiæ sententiæ simpliciter adhæremus.

Vasquez.
Durand.

11. Ad primum primæ sententiæ concesso antecedenti negatur consequentia, ad cuius probationem dicimus, ad superbiam etiam pertinere, quòd velit superbus habere plures sui consilij sectatores, quorum approbatione, & plausu glorietur, præsertim dum habet alios oppugnatores, & derisores, sicut habuit Lucifer Michaëlem, & eius satellites. Ad appetendam autem supremam potestatem Dominationis non dicimus Luciferum ceteros induxisse, sed ad detrectandum diuinum imperium modo suprà dicto disp. 24. cap. 3. n. 7.

12. Dices, disp. 23. cap. 2. problematice defenditur, Angelos ex inconsideratantia peccasse: sed ad inconsiderantiam non datur suasio; hæc enim proponeret obiectum cum circumstantiis, nec in re tam graui possent inferiores induci ad non considerandum: ergo supposita ista opinione non est dicendum fuisse à Lucifero allectos ad peccatum. Respondetur, etiam posita illa sententia, dicendum esse Luciferum non suasisse ceteris inaduertentiam, sed commoditatem, & voluptatem objecti peccaminosi commendasse; & sic expendisse, vt istius allecti consideratione malitiam peccati minùs aduerterint, & pleraque motiua fugiendi peccatum non perpenderint.

13. Ad secundum primæ sententiæ dicimus, antecedens illud dubium esse, potuit quidem Lucifer in eodem etiam indiuisibili instāti, quo peccauit, aliis suam mentem exponere rationesque sic decernendi suggerere, ita vt audiētes in eodem instanti consentirent: nam omnes isti actus interni simul elici potuerunt, vt probat S. Thomas hîc art. 8. ad 1. Potuit etiam Lucifer non manifestare suam mentem aliis, simul ac peccauit, sed paulò pòst. Potuerunt etiam alij audientes non statim assentiri, sed priùs de re proposita per otium cogitare, posteaque consentire: nam instans secundum Angelicum, quo fuerunt omnes viatores, non respondet, (vt sæpe dixi) instanti nostro, sed tempori diuisibili ferè forsan vnius diei, quod sufficit pro argumenti solutione; Vtrouis enim modo potuit Lucifer esse ceteris author ad peccandū, vel prioritate temporis, vel naturæ.

14. De facto verò S. Thomas suprà, Altisiodorensis, lib. 2. summæ tractat. 2. cap. 5. Alensis dicta q. 99. memb. 6. Ægidius Rom. in 2. dist. 6. quæst. 1. art. 3. Durandus, Richardus, Argentinas suprà. Vasquius hîc disp. 238. cap. 3. & Suarius lib. 7. de Angelis cap. 18. num. 24. censent in eodem instanti nostro simul peccasse cunctos, quia verisimile fit secundum instans viæ Angelorum simul in omnibus incepisse per nouam aliquam deliberationem: ergo simul in primo instanti nostro secundæ moræ Angelicæ Michaël cum suis deliberauit benè, Lucifer & eius asseclæ deliberarunt malè, nec pro illo instanti mansit vllus indifferens; tum quia præceptum Dei, si quod fuit, pro illo momento vrgebat, & ita non statim obedire foret resistere; tum etiam quia tunc omnes nouam aliquam deliberationem inchoarunt, nec Angelica natura longas patitur moras, nec est fundamentum ad illas confingendas.

S. Thom.
Altisiodor.
Alensis.
Ægid. Rom.
Durand.
Argent.
Richard.
Vasquius.
Suarius.

15. Ceterùm Bonauentura in 2. distinct. 5. art. 2. quæst. 2. & Molina hic artic. 6. conclus. 2. & 3. putant priùs tempore peccasse Luciferum, & ceteros, deinceps successione quadam, quia Lucifer commisit plura peccata, quæ simul perpetrari non possunt, aut saltem videntur non simul fuisse perpetrata, præsertim cùm ad alliciendos alios prælium disceptationibus, & locutionibus commissum fuerit magnum in cælo, quod non est credibile per solum instans durasse; quapropter inferiorum Dæmonum peccata non videntur caruisse successione.

Molina.
Bonauent.

16. Iure dubia magis arridet hæc sententia, quia licèt secundum instans Angelicum per nouam aliquam cognitionem vel præcepti à Deo impositi, vel commoditatis, & voluptatis à Lucifero prælatæ sic inchoatum, moraliter loquendo videtur non omnes Dæmones tam citò in re tam graui consensuros, præsertim repugnante Michaele cum aliis, sed tempus aliquid disceptationibus, & cogitationibus impensum, donec boni Michaëli palam, mali Lucifero prorsus adhæserunt, vt suprà dixi disput. 23. cap. 3. Nec est necessarium, vt præceptum pro indiuisibili solùm instanti obligarit, sed pro tempore viæ, vel aliqua determinata parte illius. Fauet Bernardinus referendus infrà disp. 26. cap. 1. num. 3.

Bernard.

17. Patres adducti pro secunda sententia num. 5. differentiam illam constituunt inter naturam humanam, & Angelicam, quippe tota natura humana in capite cecidit per alterius suggestionem, caput verò seu princeps Angelorum à nemine fuit inductus: sub capite autem malorum Angelorum comprehenduntur inferiores, quasi componentes corpus mysticum eius iuxta doctrinam Augustini lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 24. & 25. Quia ergo totum illud corpus cum suo capite cecidit per Dæmonis suggestionem; ideò congruentius fuit humanam naturam redimi, quàm Angelicam: nam iuxta capitis conditionem solet de corpore iudicari; nec decebat naturam Angelicam in inferioribus Angelis redimi, & non in capite, sed potiùs quoniam in capite congruentia redemptionis inuenta non est, ideò nec in aliis debuit concedi.

August.

* * *

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXIV. S.Thomæ.

De pœna Dæmonum.

ARTIC. I.

Vtrùm intellectus Dæmonu sit obtenebratus per priuationem cognitionis omnis veritatis.

PRIMA conclusio. Cognitio naturalis mansit in Dæmonibus: nam ex Dionysio manserunt integra naturalia. Secunda conclusio. Cognitio, quæ est per gratiam in speculatione consistens non est in eis totaliter ablata, sed diminuta; quia de secretis diuinis tantum reuelatur illis, quantum oportet; cognitio verò supernaturalis practica, seu affectiua producens amorem Dei nullatenùs mansit in illis, sicut nec charitas.

ARTIC. II.

Vtrùm voluntas Dæmonum sit obstinata in malo.

COnclusio affirmat, rationem reddit S. Thomas: nam Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, & sic post electionem immobiliter adhæret obiecto semel volito.

ARTIC. III.

Vtrùm dolor sit in Dæmonibus.

COnclusio affirmat, & probatur, quia dolor secundùm quod significat simplicem actum voluntatis, nihil aliud est, quàm renisus voluntatis ad id, quod est, aut non est: Sed Dæmones multa volunt non esse, quæ sunt, & esse, quæ non sunt: ergo patiuntur dolorem.

ARTIC. IV.

Vtrùm aër iste sit locus pœnalis Dæmonum.

COnclusio. Quidam Dæmones sunt in inferno, quidam in aëre; quia Dæmonibus duplex locus pœnalis debetur, vnus ratione suæ culpæ, & hic est infernus, alius autem ratione exercitationis humanæ per impugnationem Dæmonum; & sic debetur eis caliginosus aër vsque ad diem iudicij, posteà verò cessante pugna omnes Angeli mali erunt in inferno.

DISPVT. XXVI.

De damnatione Dæmonum.

QVONIAM supplicium est pœna peccati, post discursa peccata Dæmonum supplicia ipsis inflicta disquirenda proponit sanctus Doctor.

CAPVT I.

Quinam Angelorum damnati fuerint.

DIco primò de facto quotquot peccauerunt, 1.
damnati sunt. Ita communis sententia, à
qua neminem video discrepare. Tradunt S. Tho-
mas hîc art. 2. & Thomistæ ibi communiter, tri- S.Thom.
buentes simpliciter obstinationem Dæmonibus,
rationemque reddunt, quæ tam in via, quàm in
termino videtur procedere, docet expressè Mo- Molina.
lina 1. part. quæst. 63. art. 6. conclus. 5. Suarius Suarez.
lib. 8. de Angelis cap. 1. Becanus cap. 4. quæst. 11. Becanus.
Vasquius disput. 239. cap. 7. num. 28. Valentia Vasquius. Valentia.
disput. 4. quæst. 15. punct. 2. Lorinus 2. Petr. 2. Lorinus.
num. 4. Videantur etiam quæ diximus suprà 2. Pet. 2.
disp. 20. cap. 5. num. 16. Probatur primò ex Scri-
ptura 2. Pet. 2. *Deus Angelis peccantibus non pe-
percit*, quæ propositio indefinita in materia do-
ctrinali, qualis erat sermo Petri, vim habet vni-
uersalis, in epist. Iudæ, *Angelos, qui non serua-* Epist. Iudæ.
uerunt suum principatum, &c. *vinculis æternis sub
caligine reseruauit.* Apoc. 12. *Nec locus inuentus* Apoc. 12.
est eorum amplius in cælo.

Probatur secundò, ex Patribus, Damascenus 2.
2. de fide cap. 4. absolutè docet, *Angelos omnes,* Damascen.
*qui Lucifero consenserunt cum eo corruisse, ac fuisse
damnatos.* Consentiunt Augustinus 12. de Ciuit. Augustinus.
cap. 9. & 11. Gregorius 2. Moralium cap. 3. aliàs Gregor.
4. Isidorus lib. 1. sent. seu de summ. bono cap. 10. Isidorus.
sent. 11. & 12. dicens, *Angelos veniam non habere.*
Bernardus serm. 22. in Cant. aliique inferiùs ad- Bernard.
ducendi. Solus Cyrillus Hierosolym. videtur Cyrill. Ierosol.
sentire contrarium: nam catechesi 2. inquit.
*Nescimus quanta Deus Angelis condonauerit, in-
dulget enim & illis.* Sed piè potest exponi de in-
dulgentia præseruatiua, sicut Augustinus dixit
gratiæ Dei tribuendum esse, quòd multa peccata
non facimus, quæ sine præuia Dei manuductio-
ne faceremus. Hoc autem voluisse Cyrillum in-
dicat ratio, quam adducit, scilicet *quandoquidem
ipse tantùm vnus est, qui peccare non possit*, quod
enim Deus habet per naturam nimirum nun-
quam peccare, communicauit Angelis bonis per
præuenientem gratiam efficacem.

Obiici potest Bernardinus tom. 1. serm. 59. & 3.
2. de Resurrectione art. 2. cap. 3. vbi describens Bernard.
prælium Angelorum ponit quosdam medios
quasi dubitantes in quam partem propenderent,
vbi iam eo ipso videntur peccasse, ideoque addit,
hos videntes lapsum aliorum, deinde per timo-
rem Dei fuisse purgatos, & ad Deum conuersos,
idque significari Iob 41. *Cùm sublatus fuerit, ti-* Iob 41.
mebunt Angeli, & territi purgabuntur, concludit-
que Bernardinus. *Diuinæ voluntati firmiter ad-
hæserunt, & quieuerunt.* Respondetur Bernardi-
num hîc solùm docuisse, quod nos suprà disp. 25.
cap. 2. num. 16. scilicet, non omnes Angelos in
via simul decreuisse de factione ista, vel illa se-
quenda, sed quosdam citiùs, quosdam diutius
deliberasse; nec in hac dubitatione peccatum
apparet, cùm præceptum (vt suprà diximus) non
obligaret pro indiuisibili momento; sicut nec
peccauit Susanna, cum dixit, *Angustiæ sunt mihi
vndique, & quid eligam ignoro.* In decursu verò
viæ quidam magis propendere cœperunt in re-
bellionem; quidam autem magis propendentes
malitiam lapsus, & peccati, quod in aliis videbat,

timore correpti abstinuerunt, nec aliud significat Iob: nam iuxta expositionem S. Thomæ, Dionysij, & Nicolai *purgari* ibi est à nescientia, quatenùs expendere cœperunt, quod anteà non considerabant, quod in sensu allegorico capi potest, licèt alius sit litteralis, de quo Pineda ibi, & Vasquius disp. 216. num. 28.

Pineda. Vasquius.

4. Maior est difficultas, & diuersitas in reddenda ratione conclusionis. Quidam enim Doctores ad impotentiam recurrunt, dicentes nullum Angelum peccati semel commissi pœnituisse, quia post lapsum incapax fuit pœnitentiæ. Sic S. Thomas, Caietanus, Ferrara, Capreolus, & Recentiores Thomistæ, Molinaque suprà, & probant impotentiam istam primo authoritate Patrum, Damascenus 2. de fide cap. 3. dicit *Angelum capacem non esse pœnitentiæ, quia corpore vacat*, & cap. 4. ait, quòd hominibus est mors, Angelis esse casum, quod etiam tradunt Nemesius lib. de natura hominis cap. 1. tom. 1. Bibliothecæ, & Nyssenus lib. 1. Philosophiæ cap. 3. qui paulò antè dixerat, *Nec Dæmones, aut Angeli pœnitentiam agendo veniæ digni effici possunt*. Fulgentius ad Petrum cap. 3. Auctor libri de Mirabilibus Scripturæ lib. 1. cap. 2. Gregorius 2. Moral. cap. 9. & 10. Prosper lib. 1. de vita contemplat. Cassianus collatione 4. cap. 13. & 14. Bernardus sermone 22. in Cantic. irremediabilem vocat lapsum Angelorum.

Damasc. Nemesius. Nyssenus. Fulgentius. Auct. lib. de Mir. Scrip. Gregor. Prosper. Cassianus. Bernard.

5. Probant secundò, ex inflexibilitate voluntatis Angelicæ, quæ toto conatu semel deliberat, & elegit quod postmodum subinde nunquam respuit. Tertiò, ex parte durationis breuissimæ Angelis concessæ ad deliberandum, & merendum, vel demerendum in via. Quartò, ex denegatione diuini auxilij. Quòd si quæras cur denegarit Deus Angelis peccatoribus auxilium necessarium ad pœnitendum, quod offert hominibus lapsis, respondet Molina suprà, quia tale auxilium non confert Deus inimicis, nisi merito redemptoris; quapropter Angeli, quibus Deus noluit parare redemptorem, resurgere non potuerunt à peccato semel commisso.

6. Sed in primis benè posset Deus sine merito redemptoris ex sola benignitate sua necessarium auxilium Angelis peccantibus præbere, quo possent pœnitere si vellent; sicut posset etiam Deus simpliciter humanum genus sine Mediatore reparare: Deinde manet adhuc eadem quæstio, cur voluerit Deus hominibus parare redemptorem, & non Angelis? in qua recurrit Molina ad congruentias quas pariter tradunt Patres, ad explicandum cur Deus Angelis peccantibus auxilia non contulerit ad pœnitendum, sicut hominibus.

7. Prima sit, quia homo habebat carnis fragilitatem adiunctam, quæ licèt in Adamo non fuit incentiuum peccati propter originalem iustitiam, tamen perspicacitatem nonnihil retundebat, ne tam perspicax esset ad vitandum peccatum sicut Angelus: Sic Caietanus, Nyssenus, Damascenus, Gregorius, & Isidorus suprà. Secunda, quoniam Angelus saltem supremus nullo suggerente peccauit; homo autem etiam in paradiso suasione Dæmonis deceptus est. Sic Gregorius 4. Moral. cap. 9. aliàs 10. Prosper in dimidio temporis cap. 2. Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 36. & lib. 4. cap. 19. Alensis 2. p. quæst. 99. memb. 7. Tertia, quia nullum Angelorum peccatum erat naturæ totius, vt erat peccatum Adami, qui subinde sine actuali posteriorum culpa totam perdidit naturam humanam. Sic Augustinus in Enchir. cap. 29. Magister in 2. distinct. 21. cap. penultimo, Richardus in 2. dist. 7. art. 2. quæst. 1. Alensis suprà. Quarta, quoniam Angelus summo conatu, & promptitudine corruit, quasi ex pura malitia, cùm sapientior, & potentior fuerit ad vitandum peccatum, quàm Adamus; sic Cassianus collatione 4. cap. 13. Richardus suprà, Durandus in 2. dist. 7. quæst. 1. num. 12. & Altisiodorensis lib. 2. summ. tract. 2. cap. 6. Quinta, quoniam Angelus creatus fuit in summo honore, quem in via posset habere, & facilè confirmaret si vellet, homo verò in terra positus generationi destinatus, vt inde ad meliorem vitam transiret, in statu magis remoto à beatitudine, quàm Angelus constitutus est. Sic Auctor de Mirabilibus Scripturæ lib. 1. cap. 2 & Bonauentura in 2. dist. 7. par. 1. art. 1. quæst. 1.

Caietan & alij suprà. Gregor. Prosper. Anselm. Alensis. August. Magister. Richard. Alensis. Cassian. Richard. Durand. Altisiodor. Auctor de Mir. Scrip. Bonauent.

8. Ceterùm alij Doctores fatentur potuisse Angelos etiam post lapsum, dum tamen erant in via per pœnitentiam vtilem resipiscere, nullum tamen fuisse conuersum, quia nullus voluit nec habuit subinde auxilium efficax ad pœnitendum, licet sufficiens nulli viatori defuerit. Ita Scotus in 2. distinct. 6. quæst. 2. ad 4. Gabriel ibi quæst. 1. art. 2. Salmeron 2. Pet. 2. disp. 3. dub. 3. Probat primò, quia Scriptura solùm dicit, *Deus Angelis peccantibus non pepercit*, sicut nec originali mundo, quem per diluuium subuertit, nec Ciuitatibus illis, quas vltrix flamma combussit: (exempla sunt Apostoli Petri) sicut ergo mundo, & Sodomitis spatium dedit priùs pœnitendi si vellent, sic etiam Angelis peccantibus spatium, & auxilium sufficiens ad pœnitendum concessisse credendus est.

Scotus. Gabriel. Salmeron.

9. Probatur secundò, quia summa Dei benignitas erga Angelos, quæ in illorum creatione, & iustificatione tantopere eluxit, non debebat pœnitentiæ remedium illis prorsus subtrahere, quos tantis donis ad æternam salutem ordinarat. Probatur tertiò, quia bellum illud factum in cælo non tam vi gerebatur, & armis quam contentiosa disputatione, dum Angeli boni conabantur persuadere malis, vt resipiscerent: ergo poterant isti si vellent. Probatur quartò, quia si statim vt Angelus peccauit, cecidit sine resurgendi remedio, sequitur primò quod nullus Angelus, nisi pro vno tantùm peccato damnatus fuisset, cùm tamen homo post millia peccatorum pœnitere possit, & inuenire misericordiam, sequitur secundò posse meritò minùs dolere Dæmones in inferno videntes Deum non egisse cum illis quod agere poterat, & quod egit cum infinitis hominibus, qui grauiùs peccarunt. Denique si opinio quorundam Doctorum asserentium homines ad eum cumulum peccatorum posse venire, vt denegetur illis pœnitendi facultas, meritò molesta est multis, quia videtur subtrahi viatoribus libertas, & donum pœnitentiæ, quanto magis esse debet molesta sententia, quæ cunctis Angelis omninò subtrahit omne pœnitentiæ remedium?

10. Dico secundò, de potentia absoluta potuit sanè Deus spatium, & facultatem Angelis peccantibus ita concedere, vt non solùm possent, sed etiam resipiscerent. Ita Doctores num. 5. relati, docent etiam expressè Vasquius disp. 239. cap. 1. dicens à nullo posse negari, & Lorinus 2. Pet. 2. num. 4. nec forsan negabit Molina, & alij ex adductis num. 4. Probatur, nam ex parte

Vasquez. Lorinus. Molina.

Angeli

Angeli non datur voluntas in prima electione immutabilis, vt vidimus disp. 17. cap. 6. ex parte Dei datur scientia conditionalis, per quam videt pleraque auxilia, quibus si darentur permouerentur efficaciter Angelicæ voluntates, & conterentur fructuose: cur enim ante peccatum trahi possent efficaciter, & non postea? Ergo absolutè posset Deus tale auxilium Angelo tribuere, quo non solùm posset, sed etiam te ipsa conuerteretur per pœnitentiam salutarem.

11. Dico tertiò, secundùm potentiam etiam ordinariam, & prouidentiam Dei consentaneam Angelicæ naturæ, potuerunt Angeli peccatores, dum erant in via, conuerti; sic docent præter Auctores num. 8. Suarius lib. 8. cap. 1. & hoc probant argumenta Patris Salmeronis, nimirùm quòd non sit pro statu viæ denegatum Angelis auxilium sufficiens, quod est simpliciter necessarium ad potestatem benè operandi; ac subinde velut connaturale statui viæ in ordine ad supernaturalem terminum: Deus enim se nemini præcludit viam salutis, dum non est in termino damnationis. Quare si post primum Angelorum peccatum non illico illos perpetua damnatione mulctauit, sed per aliquod tempus reliquit in via cum potestate multiplicandi peccata, maioresque pœnas incurrendi, coogruum sanè fuit, vt potestatem etiam concederet resipiscendi, si vellent; alioquin essent in statu demerendi sine facultate merendi quod omnium rigorem iustitiæ præ se fert.

Suarius. Salmeron.

12. Si quæras, Cur ergo, si potuerunt Angeli mali pœnitentiam agere in via, inter tot myriades Angelorum, qui peccarunt, nullus pœnituit? Respondet Salmeron hoc esse magnum arcanum diuinæ sapientiæ; nec nos de omnibus posse reddere rationem. Potest præterea dici Deū noluisse cuiquam peccantium efficax auxilium præbere, sine quo in sensu composito non poterant mali conuerti. Cur autem auxilium efficax omnibus denegauerit Deus, recurrere possumus ad congruentias num. 7. adductas, & præsertim ad liberam voluntatem Dei, qui cùm sit Dominus omnium, possitque pro libito dare, vel non dare gratiam efficacem cuicunque; nec desint vtrinque congruentiæ sufficientes ad mouendum diuinam voluntatem, voluit pro arbitratu suo Angelis omnibus, qui peccarunt, auxilium efficax ad conuersionem denegare, sufficiens duntaxat præbere, quo possent conuerti, si vellent, nullus tamen vellet de facto.

13. Dico quartò, intra rationem auxilij sufficientis verisimillimum esse Deum Angelis malis præbuisse minima quædam auxilia debilissimæ quidem entitatis, & efficacitatis, ita vt, licèt Angelus peccator posset simpliciter, seu physicè loquendo cum tali auxilio sibi dato conuerti, moraliter tamen videatur impossibilis conuersio; vt lib. 1. disp. 44. visum est, vbi diximus obduratis, & obcæcatis dari quidem auxilia sufficientia, sed tenuissima, cum quibus valde sit difficilis conuersio; ac subinde moraliter impossibilis, quo nomine vocatur ab Scriptura, & Patribus, vnde sumitur ratio nostræ existimationis: quod enim in homine fit per plures actus, & gradus malitiæ

August. descriptos ab Augustino 8. Confess. cap. 5. illis verbis. *Ex voluntate peruersa fit libido, dum seruitur libidini fit consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, fit necessitas*; credibile est fieri ab Angelo per vnam deliberatam electionem propter summam in intelligendo velocitatem; & magnam in suo decreto efficacitatem: ergo verisimile fit ad eum modum, quo praui homines per multiplicationem malam, quam habuerunt, obduratos, & obcæcatos fuisse per priuationem non solùm auxiliorum efficacium, sed etiam sufficientium vberiorum, quæ nec debebantur ex vi status, vel alicuius generalis legis, nec etiam ipsimet Angeli mali per suos actus illam vbertatem meruerunt.

Accedit quod suprà diximus disp. 17. cap. 6. num. 24. nam licèt Angeli non sint absolutè in semel facta electione immutabiles ex vi suæ naturæ, tamen ab electione semel cum plena deliberatione habita ita est difficile dimoueri, vt moraliter dici possit impossibile. Igitur cùm gratia fuerit Angelis iuxta proportionem naturalium distributa, vt vidimus disp. 20. cap. 3. consonum fuit naturali Angelorum adhæsioni respectu obiecti semel voliti tam minimum auxilium ad conuersionem conferri, vt sicut ex parte naturæ poterat Angelus simpliciter, sed moraliter ferè non poterat retractare; sic ex parte gratiæ præuenientis posset absolutè, sed moraliter non posset pœnitere, & de hac morali impossibilitate videtur capiendus S. Thomas, sicut etiam de illa videntur loqui Richardus, Durandus, Damascenus, Cassianus, & alij. 14

Ex his vltimis conclusionibus talis conficitur ratio primæ, licèt Angeli per peccatū non fuerint redditi physicè, vel simpliciter inflexibiles, fuerunt tamen moraliter obdurati, & consequenter excæcati, vt moraliter loquendo de malo suo prudenter cogitare non possent, quatenus ad proprium commodum, & voluptatem toto mentis conatu, affectuque ardentes motiua recipiendi pensitare nequibant; & licet absolutè non caruerint auxilio sufficiente, nec libertate, vel potestate physica cessandi à peccato, caruerunt tamen peculiari auxilio moraliter necessario, sit certum nullum resipuisse, cùm aliunde euentus ipse de facto maioris auctoritatis fundamento nitatur. Et per hæc vtriusque partis fundamenta sufficienter conciliantur, & expediuntur. 15.

CAPVT II.

Quando fuerint Angeli damnati.

Sicut in enumerandis instantibus bonorum Angelorum variæ sunt Doctorum sententiæ relatæ disp. 2 . cap. 5. sic etiam circa instantia malorum variant Theologi. Prima sententia potest esse vnicum fuisse illorum instans in quo creati fuerint, peccauerint, & simul pœnas dederint delicti. Si coniungas opinionem illorum, qui dixerunt Angelos in primo creationis instanti peccasse relati disput. 23. cap. 3. & sententiam Caietani 1. part. quæst. 63. art. 6. Ferraræ 3. contra Gent. cap. 110. ad quorundam Iuniorum dicentium in eodem instanti, quo peccarunt, fuisse damnatos: nam si peccassent in primo instanti, ac in eodem fuissent damnati, vnico planè momento totum illorum negotium peractum [illegible]. Sed qui docent Angelos malos in eodem instanti primò peccasse, iam eo cap. 3. reiecti sunt, nec simul adiungunt damnationem; quare Caietanus, & Ferrara potiùs annumerandi sunt [illegible] undæ sententiæ, quæ duo constituit instantia, primum 1.

primum creationis, & iuſtificationis, ſecundum peccati, & damnationis. Probatur, quia per peccatum fit peccans dignus pœna: ergo congruum eſt vt ſtatim illam recipiat, ſiquidem non repugnat eſſe ſimul in eodem inſtanti cum peccato, ſaltem pœna damni, quæ in priuatione omnis gratiæ, gloriæque conſiſtit, rectè cohæret cum peccato. Igitur incipiet ex tunc peccans tali ſupplicio affici. Confirmatur primò: nam homo priuatur gratia in eodem inſtanti quo peccat mortaliter, quæ priuatio pœna eſt, & de ſe, vel ex parte hominis eſt perpetua: ergo fieri etiam potuit, vt Deus definita voluntate ſtatim voluerit eam eſſe æternam, & irremiſſibilem, ac ſubinde eſſe vltimam damnationem.

2. Fulgent. Confirmatur ſecundò ex Patribus: nam Auguſtinus aut potiùs Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. ait. *Pars itaque Angelorum a ſuo creatore Deo (quo ſolo bono beata fuit) voluntaria prorſus auerſione diſceſſit, æquitatis ſuperna iudicio initium ſuæ damnationis in ipſa auerſione voluntatis inuenit, vt non aliud ei eſſet incipere iam puniri, quam illius beatifici boni dilectione deſtitui.* Nyſſenus. Damaſc. Accedunt Nyſſenus lib. 1. Philoſophiæ cap. 3. & Damaſcenus 2. de fide cap. 4. dicentes, idem fuiſſe Angelis caſum, quod hominibus eſt mors; ſed in ipſo puncto mortis homines iam ſunt damnati: ergo ſimiliter Angeli in ipſo momento lapſus damnati fuerunt.

3. Tertia ſententia ſit Dæmones vſque modo in ſecundo inſtanti verſari, quia nondum receperūt vltimum demeritorum ſupplicium. Lorinus. Hilarius. Iuſtinus. Irenæus. Euſebius. Niceph. Lactant. Pro hac citat Lorinus 2. Pet. 2. Hilarium can. 8. in Matthæum, Iuſtinum lib. contra Triphonem, Irenæum lib. 5. cap. 33. Euſebium lib. 4. Hiſt. cap. 17. vel 18. Nicephorum lib. 4. Hiſtor. cap. 6. Lactantium lib. 6. cap. 26. & alios. Probatur ex Scriptura, quæ ſignificat nondum factum eſſe iudicium de malis Angelis, Epiſt. Pet. 2. ait enim Petrus epiſtola 2. cap. 2. *Adhuc in iudicium reſeruari cruciandos*, & Iudas dixit, *reſeruari in iudicium magni Dei*. Quare licet è cælo ſint eiecti, nondum videntur in infernum detruſi, ſiquidem in hoc aëre permittuntur vagari, Epheſ. 6. 1. Pet. 5. vt colligitur ex Epheſ. 6. & 1. Pet. 5. vnde nec dum videntur pati pœnam ignis. Matth. 8. Iuuant verba Dæmonum Matth. 8. quærentium de Chriſto, quòd veniſſet ante tempus illos torquere, ſcilicet ante diem iudicij; ideoque rogabant Luc. 8. Luc. 8. ne iuberet ipſos in abyſſum abire.

4. Dicendum tamen eſt, Malorum Angelorum, ſicut & bonorum negotium tribus inſtantibus, ſeu morulis fuiſſe peractum. Ita communis ſententia Scoti in 2. diſt. 4. 5. & 9. Scotus. Gabriel. Maior. Gregor. Molinæ. Vaſquez. Suarez. Gabrielis in 2. diſt. 5. quæſt. 1. Maioris quæſt. 3. Gregorij quæſt. 1. art. 3. Molinæ 1. part. quæſt. 63. art. 6. Vaſquij diſp. 229. cap. 10. Suarij lib. 8. de Angelis cap. 2. & 3. & plurium aliorum. Primum inſtans fuit creationis, & iuſtificationis, quod diximus diſput. 20. cap. 4. num. 4. quoad merendum de congruo primam gratiam, & de condigno primam gloriam ſolo momento indiuiſibili coextitiſſe, quoad conſeruationem verò gratiæ etiam in malis Angelis dicimus reſpondiſſe tempori noſtro, quia peccatum, quo fuit expulſa gratia, connaturaliter debuit incipere per primum ſui eſſe, ac ſubinde in inſtanti determinato, quod non potuit eſſe immediatum poſt primum, ſed tempus aliquod intermedium ponendum eſt.

5. Si petas, an tempus illud ſanctitatis fuerit in omnibus Angelis malis æquale? Reſpondeo negatiuè iuxta ſuperiùs dicta diſput. 25. cap. 2. num. 16. cùm enim non omnes ſimul peccauerint, ſed alij priùs, alij poſteriùs, alij ſubinde citiùs, alij tardiùs gratiam amiſerint. Quare ſi ſecundum inſtans incipiat in iſtis ab ipſo peccato numerari, non incipit ſimul in omnibus; at verò ſi ſecundum inſtans viæ dicatur incipere per nouam aliquam reuelationem omnibus factam, vel per nouum præceptum omnibus impoſitum (quod dici videtur probabilius) in omnibus Angelis tam bonis quàm malis dicetur incepiſſe ſimul, in inſtanti tamen determinato nouæ cognitionis, qua mali tandem abuſi fuerunt.

Quòd ſit diſtinguendum tertium inſtans à ſecundo probatur contra ſecundam ſententiam, 6.
quia præmium, & pœna ſimul bonis, & malis Angelis data ſunt; ſed Angeli boni non receperunt præmium beatitudinis in ſecundo inſtanti: ergo nec mali pœnam damnationis. Conſequentia tenet, Minor conſtat ex ſuprà dictis diſput. 21. cap. 1. num. 41. Maior eſt communis Doctorum valdeque veriſimilis, quia Deus ex ſe omnibus Angelis vniformiter prouidet; & ideò (vt rectè notat Scotus ſupra) omnibus Angelis eandem moram merendi vel demerendi præfixit; ſicut enim creauit ſimul omnes Angelos, iuxta id Eccleſiaſt. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*, Eccleſ. 18. quod de omnibus ſubſtantiis completis per creationem productis capiunt graues Doctores, ita etiam æqualem moram, ſeu durationem viæ omnibus ad merendum vel demerendum deſtinaſſe communi prouidentia credendus eſt ante præſcientiam hominum abſolutam; nec Deus magis accelerat pœnam, quàm præmium: ergo ſi non dedit præmium in eodem inſtanti meriti, neque pœnam intulit in eodem inſtanti, quo peccatum commiſſum eſt.

Confirmatur, quia propria pœna damnationis 7.
æternæ claudit negationem auxilij ſufficientis ad benè operandum, & merendum; ſed ſtatus viatoris petit hoc auxilium ſufficiens: ergo non poteſt ſimul dari ſtatus vterque, ſicut nec ſimul ſtare poſſunt pro eodem inſtanti auxilium, & negatio illius. Antecedens oſtenditur, quia dum Angelus peccauit, potuit in eodem inſtanti non ſolùm non peccare, ſed etiam operari meritoriè; ſicut Angeli boni operati ſunt: ergo in eodem inſtanti non fuit priuatus auxilio ſufficienti ad merendum, ac per conſequēs damnatus non fuit.

Quòd autem via malorum Angelorum iam 8.
ſit finita, illiſque ſupplicium damnationis inflictum, ac ſubinde detur tertium inſtans termini, tam eſt communis Doctorum conſenſus, vt oppoſitum cenſeant nonnulli temerarium. Probatur primo, ex tentatione primorum parentum, quam per Angelum iam damnatum ſub ſpecie ſerpentis factam eſſe Geneſ. 3. tradunt Doctores. Geneſ. 3. Accedunt verba Chriſti Luc. 10. *Videbam Satanam* Luc. 10. *ſicut fulgur de cælo cadentem.* Vbi verbum *videbam* denotat iam fuiſſe detruſum in vltimum ſupplicium, vt expendunt Hieronymus Iſaiæ 14. Hieron. & Cyprianus lib. de Cardinalibus Chriſti operibus ſermone de ieiunio, & tentatione. Cyprian. Gregor. Ambroſ. Conſentit Gregorius 23. Moral. cap. 4. Ambroſius de fuga Origenes. ſæculi cap. 7. & Origenes homil. 1. in Ezech. 2. Pet. 2. Præterea 2. Pet. 2. *Angelis peccantibus non pepercit*, ſignificatur Deum ſtatim poſt peccatum ab illis vindictam ſumpſiſſe, quod ſatis expreſſit Iſidorus lib. 1. de ſumm. bono cap. 2. ſententia 7. Iſidorus. dicens de Diabolo. *Mox vt factus eſt, ſuperbiam* [illegible]

erupit, & statim cecidit. Addit Petrus suprà, *rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, vbi loquitur de præterito, & infernum ac tartarum, nisi aliud cogat, quale non reperitur in præsenti, de vero inferno capere debemus, supplicioque ipsis iam finita via inflicto; sicut etiam Isaiæ 14. cùm Dæmon dicitur detractus ad infernum in profundum laci. [Isaiæ 14.]

9. Probatur secundò, quia cùm Angeli non sint mortales, via illorum non spectat aliquam mutationem substantialem, quæ fiat in illorum existentia, sicut in hominibus protenditur vsque ad mortem: debuit ergo Angelorum via præfiniri per ordinariam prouidentiam Dei, iuxta modum Angelicum operandi cum maxima efficacia, & velocissima deliberatione; ac subinde post breuem aliquam viæ moram, præsertim quia cùm modus Angelicus operandi communis sit bonis & malis Angelis, communis esse debuit Dei prouidentia in præfigendo cunctis termino viæ, vt dicebamus suprà num. 6. Sed Angeli boni iam finierunt viam suam, & terminum beatitudinis attigerunt, vt ostendimus disput. 21. cap. 1. Ergo pariter Angeli mali finierunt iam viam suam, & terminum damnationis attigerunt.

10. Confirmatur a simili: nam certum est homines qui decesserunt peccatores iam puniri damnatione perpetua, nec differri præcipuam illorum pœnam vsque in diem iudicij, vt sumitur ex Luc. 16. vbi anima diuitis Epulonis dicitur cruciari gehennalibus flammis, confirmant Patres & plures reuelationes fide dignæ. Videatur Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 25. 28. & 39. Augustinus lib. de ecclesiast. dogmat. cap. 29. S. Thomas in addit. q. 69. art. 2. dicens, sic huic veritati auctoritate Scripturæ manifestè testari & documenta sanctorum Patrum, vt contrarium pro hæresi sit habendum: ergo pari ratione mali Angeli iam luunt pœnas debitas: nec enim est cur tamdiu differatur eorum supplicium. [Gregor. August. S. Thom.]

11. Ex dictis colligimus durationem omnibus Angelis præscriptam ab instanti creationis vsque ad terminum vitæ fuisse æqualem. Vnde consequenter fit omnes Angelos malos simul fuisse damnatos per coexistentiam ad instans nostri temporis, in eodemque simul omnes Angelos bonos fuisse beatificatos, quare tertium instans, quod est æternitas pœnæ, vel gloriæ à parte post, omnibus est æquale, cùm habuerit idem initium sine fine: at primum instans quoad conseruationem gratiæ fuit in malis Angelis inæquale, siquidem in quibusdam fuit breuius, quia citius peccauerunt, in quibusdam longius, quia tardiùs peccarunt, & è contrà secundum instans peccati in via fuit in illis longius & in his breuius: Quòd si secundum instans velimus cœpisse ab aliqua noua cognitione vel reuelationis denuò factæ, vel præcepti denuò impositi, dicemus simul etiam cœpisse secundum instans in omnibus Angelis tam bonis, quàm malis, & per consequens singula instantia inter se collata æqualis fuisse durationis in omnibus Angelis.

12. Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur vltimam pœnam repugnare simul cum peccato, vt vidimus num. 7. & quidem pœna sensus est quoddam incentiuum peccati, quod Deus nunquam immittit in primo peccato, sed propter præcedentia delicta; pœna verò damni non est priuatio gratiæ, quouis modo accepta, sed coniuncta cum diuino decreto nunquam restituendi gratiam peccatori; hoc autem decretum non incipit damnare hominem vel Angelum eomet instanti, quo peccat, sed posteà cùm in termino viæ habet iam statum damnationis, per quod patet ad confirmationem primam.

Ad secundam respondetur loqui Fulgentium de initio damnationis extrinseco: nam proximè post peccatum incepit odium Dei exerceri contra rebelles Angelos, quos efficacibus, & vberioribus auxiliis priuauit, speciali dilectione destituens, donec post breuem moram damnatos sufficientibus etiam denudauit. Nyssenum, & Damascenum dicit Vasquius disputat. 229. cap. 7. non loqui de morte in facto esse, id est, de ipsa separatione animæ à corpore, sed de præuiis dispositionibus, cum quibus homo dicitur mori; colligit, quia subdunt prædicti Patres post lapsum præclusam esse Angelis omnem resipiscendi facultatem, sicut hominibus postquam ex hac vita migrarunt; non dicunt Angelis in lapsu, vel hominibus in morte, quamuis in puncto separationis animæ præcludatur salutis remedium: ergo nomine mortis intelligunt præuias dispositiones, & his comparant lapsum Angelorum. Addo, si per mortem intelligamus ipsam animæ separationem, per lapsum intelligendum esse Angelorum expulsionem à cælo, quando verè ceciderunt in gehennam. 13. [Vasquius.]

Ad fundamentum tertiæ sententiæ negamus Patres illos in ea fuisse, nec illorum verba talem sensum insinuant, sed ad summum vltimo, & generali iudicio nondum fuisse Dæmones iudicatos, sicut nec homines, quo etiam sensu loquuntur Petrus, & Iudas: sic enim de hominibus subdit Petrus ibi. *Nouit Dominus iniquos in diem iudicij reseruare cruciandos*, cùm tamen non reseruet eos sine præsenti cruciatu quasi primario, & essentiali. Similiter ergo licèt iudicio quasi particulari iam Angeli iudicati sint, reseruantur tamen iudicandi iudicio publicæ reprobationis, quando, vt colligitur ex Apoc. 12. claudentur etiam omnes in inferno nunquam inde prodituri, quæ noua quidem erit pœna non parua, licèt accidentalis. Sic intelligendum est verbum Christi Matth. 25. de igne æterno, *qui paratus est Diabolo & Angelis eius*. dicit enim esse paratum; non quia nondum cruciet Dæmones, sed quoniam ad illos cruciandos potissimum creatus est. 14 [2. Pet. 2.] [Apoc. 12.] [Matth. 25.]

Matthæi 8. timebant Dæmones à Christo nouam pœnam accidentalem, vel quatenùs pellebantur à corporibus obsessis, vel minuebatur potestas, quam in vexandis hominibus exercebant, vel quia verebantur perpetuò detrudendos fore in infernum, quam pœnam nouerant aliquando infligendam sibi, non tamen illam tam citò expectabant, ideò querebantur venisse Christum ante tempus torquere ipsos, ita communiter expositores ibi: Maldonatus, Barradas, Salmeron, & alij. Sic etiam manet expeditum cur Luc. 8. rogabant, ne sibi imperaret in abyssum ire, de quo Toletus ibi annotat. 63. 15.

CAPVT III.

Qua pœna Dæmones afficiantur.

Sicut beatitudo Sanctorum alia dicitur essentialis, alia accidentalis; sic pœna damnatorum 1.

natorum alia dicitur essentialis, alia verò accidentalis. Pœna essentialis est illa, quæ damnatis ab initio damnationis inflicta inuariabilis perseuerat. Accidentalis est omnis alia, cui potest contingere variatio, vel successio, vt est actualis detentio in tali loco, vel noua tristitia ex contingenti casu superueniens, vel aliquid simile.

2. (S. Thom. Salas. Suarius.) Pœna essentialis communiter diuiditur in pœnam damni, & pœnam sensus, videatur S. Thomas in 1. 2. quæst. 87. art. 4. & lib. 3. contra Gent. cap. 145. & in 2. distinct. 37. quæst. 3. art. 1. Salas 1. 2. tractat. 13. disput. 15. sect. 10. Suarius 3. p. tom. 4. disp. 46. sect. 1. aliique eisdem locis. Pœna damni per antonomasiam (omnis enim pœna infert damnum) dicitur primariò carentia diuinæ visionis, quam docuit S. Thomas ea quæst. 3. art. 1. esse priuatiuam, fierique à Deo non agente, sed subtrahente concursum suum. Secundariò pertinent ad hanc pœnam priuatio gratiæ habitualis auxiliorum luminis supernaturalis, & virtutum infusarum cum absoluto decreto non resistendi. Pœna sensus non solùm proprij, qualis solùm reperitur in corporibus damnatorum, sed generaliter sumpta est quæcunque vitaliter affligit damnatum, siue per dolorem sensibilem, siue per spiritualem tristitiam.

3. (Matth. 25.) Certum est has duas pœnas in Dæmonibus reperiri iuxta sententiam Christi, Matth. 25. *Discedite à me maledicti* (ecce pœna damni, per separationem æternam) *in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius* (ecce pœnam sensus, per ignem.) (Apoc. 21.) Præterea Apoc. 21. dicitur, nihil coinquinatum intraturum esse in beatitudinem: ergo cùm Dæmones sint maximis peccatis coinquinati, secluduntur à visione Dei, & cap. 20. dicitur Diabolus missus in stagnum ignis & sulphuris: ergo sustinent Dæmones vtramque pœnam. Accedit ratio sancti Thomæ suprà & 3. part. quæst. 86. art. 4. docentis in peccato dari auersionem à Deo, cui respondet pœna damni, & conuersionem ad creaturam, cui respondet pœna sensus, sed in peccato Dæmonum datur eadem auersio, & conuersio: ergo in eisdem repetitur similiter pœna damni, & sensus.

4. (Damasc.) Vt in particulari percurramus Dæmonum pœnas in illorum intellectu cæcitas, seu obtenebratio reperitur, de qua Damascenus 2. de fide cap. 4. dixit. *Dæmon lux a creatore conditus, bonusque procreatus libera voluntate caligo factus est.* (Anast. Syn.) Rectè quippe dixit Anastasius Synaita lib. 4. Hexameron. *Dæmones in abyssum missos expertes esse calestis luminis, & illuminationis,* quatenùs scilicet omni lumine, & cognitione supernaturali priuati sunt. (August. Isidorus. Beda. Bernard.) quod etiam docent Augustinus de Gen. ad litteram cap. 17. Isidorus lib. 1. sent. cap. 10. Beda tom. 8. lib. variar. quæstion. quæst. 9. Bernardus epistola 77. ad finem. Probatur, quia nullus habitus supernaturalis mansit in Dæmonibus: ergo nulla supernaturalis cognitio. Consequentia tenet, quia supernaturalis cognitio requirit principium supernaturale, quod sit vel habitus per se infusus; vel auxilium extrinsecum. Sed Dæmones carent omni Dei auxilio supernaturali, cùm sint destituti omni gratia diuina, & prætereà non habent habitus supernaturales, quia sicut per damnationem exclusi sunt ab omni spe vitæ æternæ, sic etiam ab omnibus medijs, quæ ordinant ad supernam felicitatem: ergo nullam possunt elicere cognitionem supernaturalem.

Hinc deducimus non esse in Dæmonibus bona Spiritus sancti, quæ pertinent ad intellectum, scilicet sapientiam, scientiam, intellectum, & consilium: nam hæc amittuntur simul cum gratia. Quare Dæmon etiam in via statim ac peccauit illis priuatus est. De fide versatur nonnulla controuersia: nam Alensis 3. p. quæst. 64. membr. 7. & sequentibus docet in Dæmonibus mansisse fidem infusam quoad substantiam, licèt informem; Durandus verò in 3. distinct. 23. quæst. 9. eandem fidem non solùm habitualem, sed etiam actualem, quam habuerunt in via, concedit damnatis. Quare si Dæmones habuerunt supernaturalem fidem in via (vt nos suprà diximus disputat. 12. cap. 3.) sentit etiam nunc retinere habitum fidei infusæ, illoque vti. Consentit Salmeron Iacobi 2. probabile dicit Valentia tom. 3. disputat. 1. quæst. 5. puncto 2. & videtur adstipulari sanctus Thomas hîc art. 1. quatenùs dicit cognitionem, quæ est per gratiam, & in speculatione consistit, non esse Dæmonibus totaliter oblatam, sed diminutam: nam aliqua cognoscunt per reuelationem sanctorum Angelorum, & 2. 2. quæst. 18. art. 3. ad 2. dicit damnatos esse capaces fidei informis, licèt non sint capaces spei. 5. (Alensis. Durand. Salmeron. Valentia. S. Thom.)

Probatur primò ex Iacobi 2. *Dæmones credunt & contremiscunt.* Vbi fides viatorum sine operibus videtur omninò conferri cum fide Dæmonum, quo etiam modo loquuntur Augustinus tractat. 6. in Ioann. circa fidem lib. de fide, & operibus c. 14. 16. & 22. lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 7. lib. 15. de Trinit. cap. 15. & 18. & epistola 105. & Gloss. in id Rom. 1. *Iustitia Dei reuelatur ex fide in fidem*, & in id ad Galatas 5. *Fides, quæ per dilectionem operatur*, & ad Tit. 1. *Confitentur se nosse Deum*, nec videtur firmum argumentum Apostoli ad arguendum eos, qui de sola fide gloriabantur, nisi supponeret fidem Dæmonum esse supernaturalem. 6. (Iacob. 2. August. Gloss. Galat. ad Tit. 1.)

Probat secundò Durandus, quia fides solùm amittitur per infidelitatem: sed Dæmones non admiserunt hoc genus peccati vt diximus disputat. 24. cap. 3. num. 4. ergo non amiserunt fidem. Confirmatur, quia Dæmones cruciantur de carentia visionis beatæ, de qua nihil nouerunt nisi per fidem. Item cruciantur, quia cognoscunt se non fecisse opera fidei consentanea, per quæ gloriam consequi possent. Vnde concludit Salmeron manere fidem istam in Dæmonibus in eorum malum, quia quantò magis cognoscunt Dei prouidentiam, tantò magis torquentur. 7.

Communis tamen, & vera sententia negat cum sancto Thoma 2. 2. quæst. 5. art. 2. inesse Dæmonibus veram fidem infusam, vel actualem, vel habitualem, tradit etiam Dionysius de diuin. nomin. cap. 4. dicens Dæmones carere cunctis diuinis donis tam secundùm habitum, quàm secundùm operationem, & Augustinus 9. de Ciuit. cap. 29. ait, Dæmones non cognouisse Christum per lumen quod illuminat fideles, sed per alia diuinæ virtutis effecta, & signa occultissima. Videantur Valentia tom. 1. disputat. 4. quæst. 15. punct. 1. Suarius lib. 8. de Angelis cap. 6. Becanus cap. 5. num. 2. Molina 1. part. quæst. 64. art. 1. 8. (S. Thom. Dionys. August. Valentia. Suarez. Becanus. Molina.)

Bannes. art. 1. Bannes 2.2. quæst. 5. art. 2. qui sententiam Durandi vocat periculosam, & proximam errori: alij dicunt esse improbabilem, Suarius temerariam.

9. Probatur communis doctrina ratione status damnationis, qui reddit indignum Dæmonem tali bono, imò quodammodo etiam incapacem talis habitus, saltem moraliter, siquidem reddit illum incapacem eius exercitij, tum quia Dæmon nec habet, nec habere potest piam affectionem ad Deum, sine qua fides diuina nequit haberi; tum etiam quia non potest elici actus fidei supernaturalis sine auxilio supernaturali gratuito, quod meritò denegatur damnatis, quibus iam gratiæ, & misericordiæ locus non est, præsertim quia cessante fine supernaturali, cessant media ordinata ad talem finem. Quare cùm fides sit fundamentum rerum sperandarum, proprium viatorum per fidem & spem, non est cur eliciant actum fidei, nec habeant auxilium sufficiens ad credendum: at sine actu vnquam eliciendo frustrà maneret habitus supernaturalis in damnatis.

10. Sanctus Thomas nihil fauet oppositæ sententiæ: nam hîc artic. 1. diminutionem cognitionis per gratiam speculatiuæ non solùm intelligit quoad numerum cognitorum ex parte obiecti, quia non cognoscunt tot obiecta supernaturalia, quot Angeli sancti, sed etiam ex parte modi cognoscendi, quia cognoscunt quidem obiecta quædam supernaturalia, dum vel recordantur eorum, quæ crediderunt in via, vel docentur à sanctis Angelis, vel conuincuntur signis, vt dixit Augustinus suprà, sed non cognoscunt hæc per fidem supernaturalem, vt antè peccatum, sed per naturalem, & adquisitam fidem, quam sanctus Thomas 2. 2. vocat informem, non strictè, sed latè. Generaliter enim sic appellari potest omnis assensus cuiusque veritatis supernaturalis obscurus in diuino testimonio quomodolibet fundatus, & in persona carente gratia existens, & in hoc sensu constituit differentiam inter fidem, & spem, quia Dæmones per fidem adquisitam possunt veritatibus supernaturalibus assentiri, spem autem gratiæ, vel beatitudinis nullam habere possunt infusam, vel adquisitam, cùm nihil tale possint apprehendere, vt bonum sibi possibile.

11. Ad primum fundamentum Durandi dicunt nonnulli verbum illud *credunt*, licèt sit de præsenti, poni tamen pro præterito, id est, Salmeron. *crediderunt*, quia iuxta phrasim Hebræam, sæpè ponitur vnum tempus pro alio, vt docet Salmeron tom. 1. prolegom. 10. quinquagesi. 2. Luc. 7. can. 49. §. *Postremo inspiciendum*, sic Luc. 7. *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*, id est, Isaiæ 7. minùs dilexit. Item Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, in Hebræo manifestissimè habetur de præsenti. *Ecce Virgo pregnans, & pariens filium*, vt vertit Pagninus, iuxta quem sensum argumentum Apostoli validum est, quasi dicat, Dæmones quando erant viatores, etiam crediderunt, & tamen quia non habuerunt opera, damnati sunt: ergo tu similiter.

12. Communis tamen solutio est, Iacobum loqui de fide informi latè, similiterque Augustinum: nec enim comparant fidem Dæmonum, & viatorum informem in omnibus, sed solum in duobus, quæ ad præsens institutum erant satis, scilicet quòd vtraque assentitur eisdem veritatibus, & neutra sufficit ad salutem, quia fructibus operum vacua est, differunt tamen non parùm, tum quia Dæmonum assensus est coactus, seu necessarius, saltem, quoad specificationem ex euidentia signorum, vel attestantis; sciunt enim euidenter sanctos Angelos mentiri non posse; viatorum verò assensus est liber, & ex pia voluntatis affectione, tum etiam quoniam in Dæmonibus assensus est naturalis, & cum desperatione coniunctus, in viatoribus est supernaturalis, haberque coniunctam spem, vnde licèt nunc sit informis, poterit tamen posteà formari.

13. Ad secundum respondetur, licèt in via non amittatur fides, nisi propter infidelitatem, in termino tamen auferri ratione status, cui talis habitus non deseruit; vt autem crucientur Dæmones de amissa fœlicitate, sufficit istam cognoscere qualiber cognitione, vel cogi fide naturali cogitare: Similiterque vel inuiti, vel experimento conuicti, & coacti malitiam præcedentium delictorum agnoscunt, & confitentur, Sap. 5. *Ergo errauimus a via veritatis.*

14. Naturalis intellectus, & cognitio saltem aliqua integra mansit in Dæmonibus, ex parte scilicet intellectus, similiter species naturaliter sibi congenitæ, & si quem habitum naturalem adquisierunt: nam hæc omnia comprehenduntur sub illa regula Dionysij cap. 4. de diu. nom. p. 4. quòd Dionys. naturalia dona non sunt in Dæmonibus per peccatum diminuta, *quia quæ per naturam sunt incorruptibilia, per peccatum non corrumpuntur*. Idemque docent Augustinus, Isidorus, & Beda suprà relati. Rationeque patet in cognitione euidenti, quam Dæmones naturaliter habent plurium obiectorum naturalium: sed euidenti cognitioni non potest subesse falsum: ergo nihil in hac cognitione nihil est diminutum.

15. Nihilominùs vis magna cruciatuum, quos Dæmones patiuntur, atque prauitas voluntatis, odiũ & inuidia nonnihil illos distrahit ab vsu contemplationis, & scientiæ; præterea in coniecturali cognitione circa cognitiones internas, & circa futura contingentia libera, quæ per experientiam longi temporis possunt in dies meliùs coniectari, sæpiùs per imprudentiam illos præcipitat in errorem. Inde quoque priuantur rectitudine iudicij practici de rebus agendis, ita vt nunquam habeant verum iudicium practicum in ordine ad affectum, & opus simpliciter bonum; quod primariò, & per se contingit in supernaturalibus, vt indicat S. Thomas hic art. 1. nam Angeli mali primariò à supernaturali fine auersi sunt; Ceterùm quia constituerunt sibi prauum finem vltimum, ex quo non solùm in supernaturali, sed, etiam in naturali materia semper operantur, secundariò contingit etiam in naturalibus, vt docet Malonius in 2. distinct. 6. disput. 14. sect. 2. Malonius. & 3. referens alios, quia deuiando à fine non potest non errari practicè in medijs, quod peruersa Dæmonis opera rationi naturali contraria manifestè demonstrant.

16. Post mentis excæcationem sequitur obstinatio voluntatis, vel circa malum commissum per adhæsionem sine pœnitentia, vel circa malum futurum per impotentiam operandi benè, priùs dicemus de prima, deinde de secunda obstinatione. Circa primam fuit error antiquus asserentium voluntatem Dæmonum non esse nunc

ita obstinatum in malo: quin possit à peccatis resurgere per salutarem pœnitentiam, & obtinere vitam æternam; imò de facto post longa tempora Dæmones acturos esse pœnitentiam, per quam peccati veniam obtineant & cælestem felicitatem assequantur. Ita videtur docuisse

Origenes. Origenes lib. 1. Periarch. cap. 5. & 6. vbi sic præfatur. *Hæc quidem à nobis cum magno metu, & cautela dicuntur discutientibus magis, ac pertractantibus, quàm pro certo ac definito statuentibus*; postmodum inquit. *Dæmones redire, ac restitui ad statum beatitudinis possunt*, & inferiùs. *Opinor vnamquamque rationalem creaturam posse ab vno in alterum ordinem* (beatorum scilicet & damnatorum) *transire*, tandemque futurum esse docet, vt damnatorum tormenta finiantur, & Christo regnent, qui nullum iam habeat inimicum, sed omnia sibi subiecta, *cùm tradiderit Deo, & Patri regnum*, citatque in huius rei confirmationem alia Scripturæ testimonia perperam intellecta.

17. Phamphil. Ruffinus. Defendunt Origenem ab hoc errore Pamphilius Martyr in Apolog. quæ habetur in fine primi tomi operum Origenis. Ruffinus in Apologia pro Origene contra Hieronymum, Ioannes

Picus Mir. Sextus Sen. Scotus. Picus Mirandulanus in sua Apologia in disputatione de salute Origenis, Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. Scotus in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 2. & distinct. 50. quæst. 1. art. 1. dicentes vel ab Hæreticis fuisse libris Origenis hunc, & alios errores insertos, vel si quando illos docuit, in eis non permansisse, vel non cum pertinacia.

Epiphanius. Ceterùm hunc errorem Origeni tribuunt Epiphanius in epist. ad Ioann. Hierosolymitanum circa

August. Photius. medium, Augustinus lib. de hæres. in 43. & l. 21. de Ciuit. c. 17. Photius Patriarcha Constantinop.

Sophronius. in epistola ad Michaëlem, quæ habetur in principio tomi primi Conciliorum per Surium, Sophronius in epistola sua, quæ habetur in 6. Sy-

S. Thom. Molina. nodo act. 11. S. Thomas hîc art. 2. Molina ibi, & plures alij.

18. Ambros. Imò videntur consentire cum Origene Ambrosius in illud ad Ephes. 3. *Vt innotescat Principibus, &c.* dicens per Paulum, & Ecclesiam ali-

Hieron. quos Dæmonum ab errore, peccato, & tyrannide Luciferi fuisse liberatos, & Hieronymus in epistolam ad Ephes. cap. 1. & 2. & 4. significans pœnas damnatorum tam hominum, quàm Angelorum finiendas, & in postrema verba Isaiæ, & dialogo primo contra Pelagianos, licèt asserat pœnam Dæmonum, & infidelium fore æternam, non tamen improbat, quin potius videtur approbare sententiam illorum, qui dicebant pœnam fidelium peccatorum finiendam.

19. Veritas Catholica est pœnas damnatorum nunquàm esse finiendas, ac subinde nunquam Dæmones acturos esse veram pœnitentiam, per

Eccles. 11. quam veniam possint consequi peccatorum. Probatur primò ex Scriptura Ecclesiast. 11. *Si ceciderit lignum*, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem,

Psal. 6. *In quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Psalm. 6. *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui* (vt scilicet tunc petat à te veniam, quasi dicat, difficile admodum tunc fiet) *in inferno autem quis confitebitur tibi?* quasi dicat, nullus sanè poterit illic cõ-

Isaiæ 33. fiteri & conuerti. Isaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis.* Isaiæ vltimo; *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extin-*

Marc. 9. *guetur*, quod reperitur Marc. 9. & dicitur ignis inextinguibilis. Matth. 25. *Ite in ignem æter-* Matth. 25.

num, qui paratus est Diabolo & Angelis eius; & infrà, *ibunt hi in supplicium æternum*, Apoc. 14. Apoc. 14. 20.

& 20.

Secundò, definitur hæc veritas à Synodo generali quinta, & sexta, act. 16. vbi epistola Sophronij probatur, & in Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter*, dicuntur reprobi cum Diabolo perpetuam pœnam recepturi. Athanasius, in symbolo dicit, quòd in æternum peribunt, & ibunt in ignem æternum, frequénterque componant alij Patres apud Valentiam tom. 1. dispur. 4. Valentia.

quæst. 15. punct. 2. Ratio sumitur ex dictis, quia pro singulis peccatis mortalibus definita est æterna pœna ex iusta Dei lege grauem auersionem à Deo, iniuriamque contra illum in æternum puniente: sed peccatum Dæmonum grauissimum fuit, & maximè auertens à Deo, vt ab vltimo fine: ergo debetur illi pœna perpetua, quæ perpetuam culpam comitetur. Quòd si culpa perpetuò durabit in damnatis, certissimum est nunquam illos salutarem pœnitentiam acturos, cùm verè pœnitentibus venia non denegetur. Ideò ipsi Dæmoni, si vellet resipiscere, veniam promisit B. Martinus ex parte Dei, vt narrat Sulpicius in eius vita cap. 24. Vnde fit con- Sulpicius.

sequens non posse iam Dæmones pœnitere, alioquin non essent extra salutis statum, & inter tot millia damnatorum contingens esset aliquos pœnitere, causam verò, seu rationem huius impotentiæ disputatione sequenti discutiemus.

21.

Quod attinet ad Origenem, licèt eius temporibus res istæ non ita fuerint elucidatæ, quin viri docti sine crimine potuerint errare in iis, quæ iam constant de fide, sæpiusque prodat Origenes animum præparatum ad parendum Ecclesiæ, significetque subinde sine pertinacia docuisse, quæ contra sanam doctrinam in eius operibus reperiuntur. Quare præcipuum Ecclesiæ institutum in Origene damnando cum suis operibus non tam videtur fuisse definire Origenem in peccato hæresis decessisse, quàm damnare dogmata, quæ ipsi tribuuntur, omnemque eis, & ipsorum auctori propter Ecclesiæ bonum auctoritatem auferre. Tamen post Apologias Pamphilij, & Ruffini in V. Synodo art. 5. & 8. Anathematismo 11. & in Concilio LXX. Episcoporum Romæ habito per Gelasium Papam, & à Leone I. epistola 11. hæreticus appellatur, nec solùm opera illius, sed ipsemet, vt hæreticus damnatur. Commentaria illa super epistolam ad Heronym.

Ephes. dicuntur non esse S. Ambrosij. Hieronymus in Apolog. contra Ruffinum lib. 1. circa finem, & lib. 2. damnat errorem Origenis & seipsum defendit à calumnia Ruffini dicens super epistolam ad Ephes. referendo potiùs, quàm asserendo scripsisse. Quæ declaratio ad similia loca debet applicari, licèt in quibusdam indicet inferni pœnas esse temporales, nomine inferni purgatorium intelligens, vt expli- Sixt. Senens.

cat Sixtus Senensis l. 6. Bibliothecæ annot. 290.

* * *

DISP.

DISPVT. XXVII.

De causa obstinationis Dæmonum.

DVPLEX distingui potest obstinatio. Prima, quæ est culpa, nimirùm, vel macula ex peccato relicta constituens peccatum habituale, vel pertinax propositum semper peccandi, cuius causam certum est non esse Deum, sed deprauatam creaturæ voluntatem. Secunda obstinatio est pœna, scilicet carentia pœnitentiæ, seu dispositionis necessariæ ad gratiam expultricem culpæ, vel potiùs impotentia ad talem dispositionem habendam, cuius causa vel est voluntas Dei, vel voluntas ipsius Dæmonis, (alia enim causa præsertim necessitatem inducens talis obstinationis cogitari non potest) vtra sit autem illarum voluntatum inuestigamus.

CAPVT I.

Referuntur sententiæ.

1. S.Thom. Caietan. Alexand. Capreolus. Ferrara. PRima sententia censet voluntatem Dæmonum ex sua natura immobilem in electione semel facta radicem esse talis obstinationis. Ita S. Thomas in hac quæst. 64. artic. 2. vbi Caietanus, & Thomistæ communiter, Alexander 3. part. quæst. 1. memb. 2. Capreolus in 2. distinct. 7. quæst. 1. artic. 1. conclus. 2. Ferrara 2. contra Gent. cap. 95. Probatur primò, ratione S. Thomæ: nam intellectus Angeli apprehendit immobiliter vnum oppositorum, quia cognoscit sine discursu, sicut nos, prima principia, quæ subinde percipimus immobiliter: ergo & voluntas Angelorum adhæret vni oppositorum fixè, ac immobiliter: voluntas enim proportionatur intellectui, sicut mobile suo motori. Probatur secundò: nam si forent Angeli natura sua flexibiles, vix esset verisimile, quin Deus pro sua misericordia saltem aliquem, vel aliquos illorum adiuuisset ad salutarem pœnitentiam eliciendam: Sed nullum adiuuit, nec iuuabit vnquam, vt dictum est: ergo non sunt natura sua flexibiles.

2. Secunda sententia dicit, ideò Dæmonem non posse sua conteri, quia Deus infudit eius voluntati vehementem quendam habitum m[illegible]tiæ inclinantem necessariò ad malum, & ad odium Dei, ratione cuius non sinitur priorem voluntatem per pœnitentiam retractare. Aureolus. Holcot. Maior. Sic docuit Aureolus in 2. distinct. 7. quæst. 1. artic. 1. Sequitur Holcot. in 2. quæst. 4. versus finem, & probabilem reputat Maior in 2. dist. 7. quæst. 1. Probatur primò: nam huius obstinationis dari debet causa positiua, quæ neque [illegible] nisi dispositio intrinseca voluntatis: nec enim ab extrinseco reddi potest impotens, vt à priori actu peccati recedat, nec talis dispositio est al[i]quis actus, cùm nullus inhæreat semper voluntati: ergo est habitus perpetuò inhærens.

3. Probatur secundò, nam habitus vitiorum inhærentes voluntati difficilem reddunt electionem moraliter bonam: ergo sic possunt crescere, vel intendi, vt reddant impossibilem talem electionem, etenim quoties forma quæpiam difficilem reddit electionem voluntati, vel actionem alterius formæ sibi contrariæ potest adeò crescere, vt impossibilem reddat talem operationem, vt patet in frigore respectu caloris, & in pondere respectu virium humanarum. Si opponas cum Marsilio in 2. quæst. 5. art. 3. Deum fore au- Marsilius. thorem peccati, siquidem ipse solus infunderet voluntati habitum, qui necessariò moueret ad peccatum: Contrà, nam illud odium Dei, cùm sit necessarium, non erit peccatum, sicut in amentibus dari potest sine culpa: ergo licèt Deus sit author talis odij, non erit author peccati.

Tertia sententia docet Deum infundere Dæmonum voluntati odium suipsius, illudque perpetuò in illis conseruare. Cum odio autem Dei simul esse non posse pœnitentiam de peccatis. Ita Guillermus Ochamus in 2. quæst. 19. & quodlib. 1. quæst. 14. & Gabriel in 2. dist. 7. quæst. 1. a. 1. post secundam conclusionem, qui putant actum intellectus, & voluntatis à solo Deo produci posse; ideoque talem actum odij Dei produci à solo Deo in Angelica voluntate, quæ passiuè tantùm se habeat, nec possit non per illum odisse semper. Probatur, quia non repugnat Deum necessitare voluntatem ad aliquem actum vel producendo illum per se solum, vel cogendo voluntatem, vt semper illum eliciat; nec in tali actu odij Dei specialis inuenitur repugnantia, cùm non sit actus liber, & per consequens nec peccatum: ergo non repugnat fieri à Deo. 4. Ochamus. Gabriel.

Supposita non repugnantia, verisimile fit, sic de facto contingere in Dæmonibus, tum quia talis actus tunc non habet rationem culpæ, sed pœnæ, quam Dæmon iustè meretur; tum etiam quia talis actus est consentaneus statui damnationis; sicut enim beati ratione status necessitantur ad amorem Dei, sic videtur congruere, vt damnati ratione sui status ad contrarium actum odij necessitentur, præsertim cùm nulla alia causa sufficiens obstinationis Dæmonum reddi possit. 5.

Quarta sententia fit Scoti in reportatis in 2. distinct. 7. quæst. 3. art. 2. docentis Dæmonem non posse contritionem elicere, nec actum aliquem meritorium, quia caret semper habituali gratia, quæ requiritur ad meritum, nec gratiam istam Dæmonibus vnquam donandam esse, quia nunquam habituri sunt debitam dispositionem, quod declarat iuxta doctrinam à se traditam in 4. distinct. 14. quæst. 2. §. *de* 2. vbi ait cum solo generali, & naturali concursu posse creaturam rationalem dolere de peccatis etiam quatenus sunt offensa Dei, quem dolorem, dum non coniungitur cum gratia habituali, vocat attritionem, sed addit esse sufficientem dispositionem, vt de congruo mereatur remissionem peccatorum per infusionem gratiæ habitualis, quam Deus certissimè confert viatoribus, si dolor ille cre[sc]at vsque ad certum gradum intentionis. Dæmonibus verò quantumuis ex propriis viribus doleren[t] de peccatis, Deus suam gratiam perpetuò dene[g]ar[e], ac subinde Dæmones non dicerentur per illum dolorem ad gratiam ha[bi]tualem disponi. 6. Scotus.

Quinta sententia recurrit ad denegationem generalis concursus, sine quo voluntas creata nihil potest operari: quare denegato Dæmonibus concursu generali ad resipiscendum non poterunt resipiscere. Indicat Marsilius in 2. quæstione 5. articulo 3. post quartam conclusionem, magis expressit Paludanus in 4. distinctione. 50. quæstione 1. 7. Marsilius. Paludanus.

num. 10. consentit Molina in hac quæst. 64. art. 2. Probatur, quia iuste potuit Deus negare huiusmodi concursum omnibus damnatis ob illorum demeritum; & hæc est sufficiens ratio cur damnati nunquam possint resipiscere, nec opus bonum elicere. Credendum ergo est ita fieri de facto. Si dicas illud esse miraculum perpetuum: Respondet Paludanus, licèt respectu viatoris esset miraculum, non tamen respectu damnati, quoniam est quasi connaturale tali statui: magis enim supernaturale est torqueri spiritum ab igne corporeo, vel beatos videre Deum, & tamen ista non dicuntur propria miracula.

8. Sexta sententia reducit obstinationem istam ad conditionem status damnationis, ratione cuius priuantur damnati omnibus auxiliis supernaturalibus, & relinquuntur cum suis tantùm viribus naturalibus, cum quibus certum est non posse resurgere à peccatis. Ita Bonauentura in 2. dist. 7. art. 1. quæst. 1. Durandus quæst. 2. Richardus art. 2. quæst. 1. Scotus quæst. 1. §. *De secundo dico*. Gregorius quæst. 1. art. 2. Marsilius in 2. artic. 5. quæst. 3. Albertus in 2. part. tractat. 5. quæst. 15. artic. 4. Altisiodorensis lib. 2. summæ tractat. 2. cap. 6. Cassalius de quadripartita iustitia p. 1. Vasquius disp. 239. cap. 7. Suarius lib. 8. de Angelis cap. 7. Becanus cap. 5. num. 3. & alij. Nec quoad hoc dissentit S. Thomas: licèt enim hîc artic. 2. recurrat ad modum naturalem operandi Angelorum, ista potiùs est congruentia, ob quam status viæ, in quo Deus offert auxilia ad pœnitendum breuior concessa fuerit Angelis, quàm hominibus, at in aliis locis dicit, ideò Dæmones non posse pœnitere, quia peccarunt in termino viæ, vt præcipuè declarat in 2. distinct. 7. quæst. 1. artic. 2. Vbi tradit eandem esse causam obstinationis Dæmonum, & omnium damnatorum, scilicet quia sunt in termino, in quo diuina lege priuantur omnibus auxiliis gratiæ.

Bonauent. Durand. Richard. Gregor. Marsilius Albert. Altisiodor. Cassalius. Vasquius. Suarius. Becanus.

9. Probatur primò, quoniam auxilium supernaturale gratiæ præuenientis est simpliciter necessarium, vt possit quis pœnitere, sicut oportet, vt remissionem, & iustificationem obtineat, iuxta definitionem Tridentini sess. 6. sed omnia auxilia supernaturalia denegantur damnatis; qui cùm sint iam extra viam, & tendentiam ad patriam, & omni simul ordinatione ad finem supernaturalem priuati, mediis etiam omnibus tali fini proportionatis debent carere: ergo nullus damnatorum potest salutarem agere pœnitentiam ob defectum auxilij necessarij ad pœnitendum.

Trident.

10. Probatur secundò, quia sic faciliùs assignatur obstinationis causa communis omnibus damnatis: nam homines damnati non minùs sunt incapaces pœnitentiæ, quam Dæmones: Sed in istis obstinatio referenda est ad negationem diuinæ gratiæ consentaneam statui damnationis: ergo similiter in Dæmonibus. Sic etiam relinquitur integra libertas in damnatis cum indifferentia, & concursu naturaliter debito intra ordinem naturæ; nec ponitur Deus causa peccati, nec actus dissentanei rationi, sed causa priuatiua obstinationis, quæ est pœna, quatenùs non vult dare auxilia, quæ non debet, nec statui tali conueniunt.

11. Probatur tertiò, authoritate Fulgentij lib. de fide ad Petrum cap. 3. dicentis, ita Deum disposuisse Angelorum, & hominum causam, *vt si propria voluntatis arbytrio contra creatoris imperium suum niterentur facere voluntatem, ad supplicium eis relinqueretur æternitas misera erroribus, doloribusque cruciandæ.* Et subnectit. *Ac de Angelis quidem hoc disposuit, & impleuit, vt si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam diuino munere repararet.* Inferiusque subiungit, *vt Angeli mali nec mala possint vnquam voluntate carere, nec pœna, sed permanente in eis iniusta auersionis malo, permaneret etiam iusta retributionis æterna damnatio.* Vnde postmodum concludit, *bona quoque voluntatis, & cogitationis initium non homini ex seipso nasci, sed diuinitus & preparari, & tribui, in eo Deus eiudemet ostendit; quia nec Diabolus, nec aliquis Angelorum, ex quo ruina sua merito è cælo ejecti sunt, bonam potuit, aut poterit resumere voluntatem.* Vbi satis ostendit istam impotentiam pœnitendi ex Dei dispositione prouenire, diuinium gratiæ munus, & cognitionis initium merito denegantis.

Fulgent.

CAPVT II.

De sententiis iudicium.

1. Certum est causam aliquam obstinationis Dæmonum esse conditionem status eorum ex lege diuina, quia scilicet Deus iusto iudicio suo decreuit non dare Angelis damnatis gratiam, qua possint ad ipsum conuerti per salutarem pœnitentiam: sicut etiam eam gratiam denegat hominibus damnatis. An verò præter istam causam detur alia; prædictæ sententiæ variè philosophantur, vt vidimus: Prima quidem supponit falsum fundamentum, quod suprà refellimus disput. 17. cap. 6. Ad primum eius argumentum, concesso antecedente, negatur consequentia: nam iudicium intellectus, quantumuis sit immobile, non refert necessitatem volendi, dum non repræsentat rationem summi boni clarè visi. Præterea iudicium, etiam sine discursu habitum, potest mutari per cessationem illius, & cognitionem alterius bonitatis, quæ in obiecto contrario reluceat, & ad oppositam volitionem alliciat; imò stante priori iudicio speculatiuo, potest intellectus Angelicus practicè quodlibet oppositorum sub aliqua ratione boni, saltem delectabilis, proponere voluntati. Ad secundum dicimus, quamuis Angeli sint flexibiles, tamen ratione damnationis iustè priuati auxilius necessariis, sicut homines etiam damnati; nec mirum si Deus nullum iuuet illorum, quos in perpetuum repulit.

3. Secundam sententiam impugnat Suarius lib. 8. de Angelis cap. 10. quia sequitur ex illa Deum inclinare voluntatem ad malum mediante habitu à se infuso, quod maximè repugnat diuinæ bonitati, licèt talis inclinatio necessitatem inducat; imò tunc maximè: nam in solum Deum talis deordinatio voluntatis refunditur. Sed quidquid sit de hoc, manifestè reiicitur, quia nullus habitus dari potest, qui necessariò moueat voluntatem ad malum, aut eius libertatem, impediat, vel quoad exercitium, vel quoad specificationem, [illegible] omnis habitus voluntatis subdatur libertati creatæ: nam habitibus vtimur, cum volumus, nullusque voluntatis habitus tollit indifferentiam iudicij, quæ est radix libertatis: ergo licèt voluntas habeat habitum illum, potest ratio proponere obiectum, vt bonum simul & malum sub diuersis rationibus; imo

Suarius.

imò & actum circa tale obiectum potest proponere, vt bonum non necessarium, (loquimur enim de intellectu non vidente Deum: ergo nec obiectum, nec actus, quamuis directè proponatur, vt amabilis, potest necessitatem inferre voluntati, cuius potestas, & intrinseca indifferentia, cùm alias maneat illæsa, non obstante habitu, libertatem etiam circa talem actum retinebit. Addit Vasquius, nullum habitum dari posse, qui licèt cum actu bono, & contritionis esse nequeat, possit impedire voluntatem, quominùs bonum actum habeat, & eo talem habitum expellat; sicut gratia habitualis, licèt cum peccato esse non possit, tamen impedire nequit, quominùs voluntas peccet, & peccato pellatur ipsa gratia.

3. Ad primum huius sententiæ fundamentum respondetur causam positiuam radicalem dici posse statum damnationis, cui consequens est priuatio auxiliorum, nec oportet ad habitum fictitium recurrere. Ad secundum, negatur consequentia, alioquin etiam homines vitiosi libertatem amitterent in via per multiplicatos actus, aut habitus vitiorum, quos habent, itaque quamuis habitus intendantur, & aliquo modo impediant, vel imminuant potestatem operandi quasi extrinsecè, nunquam tamen intrinsecam voluntatis potestatem, & dominium subuertunt, nec tollunt indifferentiam simpliciter requisitam ad operandum liberè; nec exempla ibi allata sunt ad rem, quia qualitates materiales habent determinatam vim agendi, & resistendi, subindeque vinci possunt à maiori virtute, cui non possint resistere: Nihil autem huiusmodi contingit in præsenti: nam voluntas est potentia spiritualis, cui habitus non sunt propriè contrarij, licèt nonnihil minuant indifferentiam illius quasi extrinsecè, vt dictum est; absolutè tamen vtitur illis pro libito voluntas tanquam instrumentis ad actiones, quas liberè vult, & operatur.

4. Tertiam sententiam absurdissimam vocat Suarius, impiam dicit Molina hîc art. 2. pectoreque Christiano indignam, quia facit Deum auctorem cuiusdam actus, qui licèt formaliter non sit peccatum, quatenùs procedit à voluntate Dæmonis sine libertate proxima illius, tamen habet intrinsecam malitiam non solùm naturalem, sed quodammodo moralem obiectiuam, quatenùs versatur circa obiectum rationi naturali contrarium volendo, scilicet malum Deo, quod latiùs persequitur Suarius suprà varias euasiones præcludendo. Nobis sufficiat pro impugnatione Gabrielis, & Ochami doctrina communior, & verior in Philosophia docens actum vitalem non posse à solo Deo produci. Quòd si Doctores alij dicant, illud odium ab ipsa Dæmonum voluntate prodire, cogente tamen Deo, vel per physicam determinationem, vel per efficax decretum voluntatis diuinæ, quod esse possibile tradit Suarius (Suarius.) tom. 1. de gratia proleg. . cap. 4. certè reiiciendi sunt, quia sine fundamento confingunt miraculum perpetuum, nec requisitum ad statum damnationis, nec communi prouidentiæ conforme, quæ petit, vt naturales causæ iuxta propriam exigentiam cuiusque sinantur operari. Per quod soluitur fundamentum oppositum; repugnat enim Deum per se solùm producere vitalem actum, cogere verò voluntatem ad illud odium, licèt non repugnaret simpliciter (quod modò non definio) tamen non congrueret communi prouidentiæ, cùm præsertim multò sit facilius denegare concursum ad pœnitendum.

Quarta sententia non placet, quoniam ex nobis sine aliquo auxilio gratiæ nulla potest dari dispositio proxima vel remota ad iustificationem, nec initium illius, vt diximus lib. 1. disput. 41. cap. 6. imò licèt attritio naturalis esset dispositio saltem remota iustificationis, deberet tamen esse actus vndique moraliter bonus, & opus pietatis quale non posse fieri à damnatis dicemus capite sequenti. 5.

Quinta sententia videtur mihi probabilis, sicut enim confirmatos in gratia, saltem B. Virginem dicunt mali Doctores non potuisse peccare, quia Deus denegat concursum generalem ad actus peccaminosos ratione talis confirmationis; posset eadem probabilitate defendi damnationis statum secum deferre denegationem istam concursus ad pœnitendum; etiam per attritionem naturalem: nam respectu supernaturalis non debet Deus concursum generalem, nisi supposita causa secunda completa, & potente simpliciter operari: cùm autem sine auxilio supernaturali non sit voluntas Dæmonum potens simpliciter elicere supernaturalem dolorem, non offert illi Deus concursum generalem supernaturalem. De concursu autem ad pœnitentiam naturalem, & ad alios actus bonos naturales dicemus cap. 3. 6.

Sexta sententia, vt communior, sic etiam est probabilior; pro qua notat Vasquius disp. 240. cap. 3. non omnes authores illius satis discernere, de cuius gratiæ priuatione loquantur; certum verò debet esse non solùm denegari Dæmonibus gratiam habitualem, sed etiam auxilia gratiæ tam cooperantis, quàm præuenientis, & cùm sermo sit de gratia quoad intrinsecam quidditatem supernaturali in ordine ad actum pœnitentiæ simpliciter supernaturalis, non solùm denegantur Dæmonibus efficacia, sed etiam sufficientia, quia iam sunt omni ordinatione, ad finem supernaturalem priuari, ac subinde mediis omnibus proportionatis tali fini destitui, Quare diuersa ratio est Dæmonum in via: tunc enim habebant auxilia supernaturalia etiam, nimirùm sufficientia, quamuis nulli peccantium sit datum auxilium efficax ad conuersionem, ob congruentias suprà dictas disp. 26. cap. 1. num. 7. quæ non militant in hominibus peccatoribus, quibus subinde Deus nonnunquam tribuit efficacia. In termino autem damnationis æqua est hominum, & Angelorum ratio, sicut æqua est status conditio, ideoque cunctis omnia etiam sufficientia auxilia denegâtur ordinis supernaturalis. 7. Vasquius.

CAPVT III.

Vtrùm voluntas Dæmonum ita sit obstinata in malo, vt nullum actum honestum elicere possit.

Obstinationem voluntatis diximus disp. 26. num. 16. vel esse circa malum commissum, de qua processit hucusque disquisitio, vel circa malum futurum, de qua dicemus in præsenti: licèt enim Dæmonibus denegata sit gratia vocationis, qua conuerti possint ad Deum, vt visum est, possent nihilominus manere potentes ad alia opera bona moralia naturalis ordinis, & honestatis. Imò sic de facto mansisse tenent Scotus in 2. 1. Scotus. Tartaret.

Tartaret. Bassolis. Durand. Angles. Pelbartus. Valentia.

distinct. 7. quæst. 1. Tartaretus quæst. 1. dub. 2. Bassolis quæst. 1. art. 3. Durandus quæst. 2. Angles quæst. 2. conclus. 8. dub. 6. Pelbartus in Glossatio 2. p. verbo *Dæmones* tit. de obstinat. Dæmonum §. 36. Valentia tom. 1. disput. 4. quæst. 5. punct. 2. §. *Contrà verò Scotus.*

Sap. 5.

2. Probatur primò ex Scriptura, nam Sapient. 5. generatim dicitur de damnatis, vbi Dæmones etiam comprehenduntur, *Pœnitentiam agentes, & præ angustia Spiritus gementes*, & vsque ad numerum 14. describit sapiens seram veritatis cognitionem in ipsis, ex qua rectè concludunt: *ergo errauimus*, quasi videntes miseriam in quam deuenerunt, à tam felici statu, quem potuissent obtinere, doleant pœnitentia saltem naturali, quæ sit actus bonus moraliter Luc. 16. diues rogabat Abrahamum, vt mitteret aliquem ex mortuis prædicaturum fratribus suis pœnitentiam, qui videtur etiam actus bonus moraliter, quem expendens Chrysostomus hom. 4. de Lazaro, inquit. *Vide quam humanum, quam mansuetum illum pœna reddiderat* & consequenter sic explicat verba diuitis, vt indicet, *bono animo studuisse prouidere fratribus aduersus imminentia mala.* Matth. 18. fatebantur Dæmones, Christum esse filium Dei, in quo benè moraliter loquebantur. Iacobi 2. *Credunt, & contremiscunt*, qui videntur actus boni moraliter.

Luc 16. Chrysost. Matth. 18. Iacobi 2.

3. Probatur secundò, quia voluntas etiam Dæmonum, & damnatorum libera est vel in omnibus, vel in pluribus actibus, non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem; siquidem nulla est causa, quæ vtramque necessitatem, vel alterutram imponat: ergo potest operari, & non operari naturales actus, & cùm operatur potest benè sine vitiosa circumstantia suos actus naturales elicere: ergo ratione libertatis quoad exercitium potest interdum nec peccare, nec bene agere, atque ratione libertatis quoad specificationem potest aliquando opus simpliciter bonum facere. Confirmatur argumento Valentiæ, quia non apparet, cur damnati non possint dolere, v.g. de peccatis commissis, quatenùs sunt causa pœnarum, quas patiuntur, idque nulla huic actui superaddita circumstantia praua: Sed hic actus est attritio, quam definit Tridentinum ob turpitudinem peccati vel pœnam inferni elicitam esse bonam moraliter, & oppositum damnat hæresis: ergo possunt Dæmones elicere bonos actus naturales.

4. Probatur tertiò, quoniam actus naturalis ex omni circumstantia bonus, non est suprà naturalem facultatem Angeli, qui tam ex parte intellectus, quàm voluntatis habet connaturalem vim, & proportionem ad bonum honestum naturale dignoscendum, & diligendum: sed facultates naturales manserunt in Dæmonibus integræ, iuxta commune axioma Dionysij, & Theologorum. ergo possunt Dæmones actus bonos ordinis naturalis elicere. Quinimò hinc etiam deducitur Dæmones nonnunquam aliquod opus bonum operari, frustrà enim esset potentia, quæ per infinitam durationem nunquam reduceretur ad actum: ergo si Dæmones habent natiuam potentiam, & facultatem operandi bonum naturale, videtur sanè moraliter impossibile quòd inter tot millia damnatorum per totam æternitatem nullus vnquam aliquem actum eliciat simpliciter bonum.

5. Contraria sententia communis est Theologorum dicentium, tum Dæmonem in omnibus actibus, quos liberè producit, malè moraliter operari, tum etiam nunquam ab omni actuali peccato cessare, sed aliquod semper committere liberè, saltem quoad exercitium. Ita S. Thomas in hac quæst. 64. art. 2. ad 5. quæst. 16. de Malo artic. 5. quæst. 24. de Verit. art. 10. & in 2. dist. 7. quæst. 1. artic. 2. vbi sic sensit Magister cap. *Nunc ergo.* Consentiunt Capreolus quæst. 1. Bonauentura, Richardus, Gregorius, Gabriel, Maior, Ægidius, quæst. 1. artic. 2. Malonius ibi disp. 15. referens alios, Marsilius in 2. quæst. 5. artic. 3. Holcot quæst. 4. Altisiodorensis lib. 2. summæ tractatu 2. cap. 7. quæst. 1. & 2. Alensis 2. part. quæst. 102. memb. 2. & 3. Ferrara 4. contra Gent. cap. 95. Henricus quodlib. 8. quæst. 11. Adrianus in 4. tit. de Sacramento pœnitentiæ quæst. 3. Sotus in 4. dist. 50. art. 4. conclus. 2. & art. 5. Caietanus, Molina, & alij Iuniores hic artic. 2. Vasquius disput. 241. Suarius lib. 8. de Angelis cap. 8. & sequentibus.

S. Thom. Magister. Capreolus. Bonauent. Richard. Gregor. Gabriel. Maior. Ægidius. Malon. Marsilius. Holcot. Altisiodor. Alensis. Ferrara. Henricus. Adrianus. Caietan. Molina. Vasquez. Suarez.

6. Probatur primò, ex Patribus, Fulgentius lib. de fide ad Petr. cap. 3. sæpè repetit, Dæmones non posse mala voluntate carere, nec resumere bonam, & post multa similia concludit. *Sicut beati nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt, sic damnati nullam bonam habere poterunt voluntatem* Sunt aliæ sententiæ Patrum communes damnatis omnibus, relatæ à Malonio suprà, qualis est illa Innocentij III. lib. 3. de contemptu Mundi cap. 10. Voluntas damnati licèt amiserit potestatis effectum, semper habebit malignitatis affectum. Similiter loquitur Prosper lib. 3. de vita contemplatiua cap. 12. vbi ait, ideò dixisse Christum damnatos ligatis pedibus, & manibus in tenebras mitti, quoniam *in inferno, vbi Deo nemo confitetur, actione priuantur*, scilicet honesta, siquidem non omni carent operatione: Bernardus epistola 255. dicit damnatos semper persistere in voluntate peccandi.

Fulgentius. Innoc. III. Prosper. Bernard.

7. Probant secundò Caietanus, & Thomistæ: nam omnia, quæ volunt damnati, volunt propter suum vltimum finem malum, ad quem fuerunt per peccatum conuersi auertentes se à Deo: ergo omnes illorum actus sunt mali. Antecedens probatur, quia voluntas creaturæ existentis in suo termino ita se habet ad suum vltimum finem, siue bonum, siue malum, sicut voluntas viatoris ad bonum in communi. sicut ergo voluntas viatoris non potest in aliquid ferri, nisi sub ratione boni, sic nec voluntas illius, qui iam existit in termino potest operari, nisi propter suum vltimum finem formaliter, vel virtualiter.

8. Hanc rationem facilè refellunt Aduersarij, quia non est necesse omnem actum viatoris existentis in mortali referri ab eo in vltimum ipsius finem malum: possunt enim peccatores quædam bona moraliter operari, nec opus est, vt in omnibus actibus sine gratia Dei factis peccent, sicut Lutherus hæreticè sensit: ergo nec omnem actum damnati necesse est referri ad malum finem, quia ratione damnationis nihil superuenit damnato nisi vel ex voluntate diuina, vel ex eo quod damnatus æternam patitur pœnam: quam semper cogitat, & fugere etiam conuersus est ad suum prauum finem. Deus verò non vult peccatum, subindeque non prouenit damnatis ex voluntate Dei, vt omnes suos actus referant in suum finem malum; nec etiam prouenit ex cogitatione pœnæ, cùm hæc potius illos mouere possit ad

dolendum

dolendum de causa talis pœnæ, qui dolor est actus per se bonus moraliter; nec demum ex conuersione ad finem prauum, siquidem nihilominus aduertere potest, se posse quosdam actus elicere, qui nullum habeant ordinem, seu connexionem cum illo fine vltimo, ad quem ipse per peccatum, ob quod damnatus est, se conuertit, auertens se à Deo: ergo nó est opus vt propterea referat omnes suos actus ad illum vltimum finem.

9. Declaratur exemplo, si quis damnatus sit propter auaritiam vnde perpetuò maneat habitualiter conuersus ad pecunias tanquam ad vltimum finem, quem prætulit Deo, non equidem apparet, cur is, si doleat de tali peccato quatenùs ei fuit causa damnationis, referre debeat hunc etiam actum doloris ad pecunias tanquam medium ad finem: nullum enim ordinem habet is actus ad pecunias tanquam medium ad talem finem vltimum; estque latum discrimen inter bonum in communi, & finem vltimum damnatorum: nam bonum in communi est quidpiam vniuersale comprehendens omne voluntatis obiectum, quare non potest voluntas tendere in aliquid non comprehensum sub bono in communi. At vltimus finis prauus damnati est aliquid particulare, scilicet bonum illud vtile, vel delectabile quod peccator præposuit Deo. Quocircà non est necesse, vt omnes actus damnatorum referantur in illum finem creatum; siquidem plures potest exercere damnatus, qui nullam prorsus habeant connexionem cum tali fine, vt visum est. Propter hæc censet Vasquius supra cap. 3. num. 9. rationem istam Caietani non solùm infirmam esse, verùm etiam ex illa sequi aliquid absurdi, scilicet peccatorem in omnibus suis actibus continenter peccare.

10. Aureolus, & Holcot recurrunt ad illum habitum infusum à Deo Dæmonũ voluntati, quem reiecimus cap. 2. num. 2. Ochamus, & Gabriel ponunt odium Dei necessarium in Dæmonibus, sed præter impugnationem cap. 2. num. 3. ad præsens institutum non sufficeret odium illud, ex quo non sequeretur, omnes alios actus necessariò futuros esse malos: nam vel sequela fundatur, quia carerent circunstantia vltimi finis, scilicet Dei dilecti super omnia, vt inquit Gabriel, & hoc non, quia talis circumstantia non requiritur ad bonitatem moralem actus, cùm sufficiat habere pro obiecto bonum aliquod peculiaris virtutis, vel quia cæteri actus inficerentur illo actu odij Dei, vt indicat Ochamus, & hoc etiam non, quia cùm actus ille odij foret necessarius, non esset capax peccati, vel culpæ, subindeque non posset alios inficere, siquidem non posset communicare malitiam moralem, quam non habet. Imò licèt odium illud esset liberum, & peccatum, non tamen excludit omnem alium actum virtutis; potest enim simul voluntati displicere Deus, & placere bonum proximi sui propter ipsum ex misericordia.

11. Vnde refellitur alia ratio Gabrielis, & Gregorij dicentium, cùm Dæmon sit in perpetuo cruciatu, semper tristatur; hæc autem tristitia est causa perpetuæ murmurationis contra Deum, qui est causa talis pœnæ: sed cum tali murmuratione non potest Dæmon benè operari: ergo nunquam facere potest bonum. Cæterùm illa minor non subsistit, quia licèt Dæmones odio perpetuo prosequantur Deum, & maledictis insectentur, inde non fit omnem aliam operationem Dæmonum necessariò futuram esse prauam, vt numero præcedenti dictum est.

12. Addit Gabriel perpetuò Dæmones peccare, quia semper appetunt suam beatitudinem, & carere pœna, quam patiuntur, cùm tamen Deus velit beatitudinem eis semper denegare, pœnamque perpetuam infligere. Sed contra, quia non tenemur conformari voluntati diuinæ in volito materiali; nec Angelus efficaciter velle potest beatitudinem suam, cùm videat esse impossibilem; non peccabit autem ex eo solùm quòd sibi desideret affectu simplici beatitudinem, & carentiam inflictæ pœnæ, nisi ex superbia, vel odio contra Deum illam desideret. Prætereà si vtramque voluntatem habet Angelus necessariò, vt ait Gabriel, neutra erit peccatum, nec ex eo capite iugiter Dæmon peccabit.

13. Marsilius, Paludanus, & Molina dicunt, Deum in pœnam damnatorum constituisse damnatis omnibus denegare concursum generalem ad omne bonum opus morale, ideoque non posse illos benè moraliter operari; quod asserit Paludanus citrà miraculum fieri; sicut nullum erit miraculum elementa non agere post diem iudicij, sicut enim, quia elementorum actiones solum erant necessariæ propter generationes, & corruptiones, quæ post diem iudicij protsùs cessabunt, sine miraculo Deus negabit concursum generalem elementis ad agendum; sic similiter quia Dæmones sunt in termino, sine miraculo denegat illis Deus concursum generalem ad operationes bonas, quæ propter viam, & tendentiam ad patriam requirebantur.

14. Suarez. Hanc rationem impugnat Suarius lib. 8. de Angelis cap. 9. num. 18. quia minùs videtur consentaneum diuinæ bonitati, quòd Deus per se intendat impedire, ne Dæmones aliquid boni faciant, & proptereà deneget concursum generalem ad opera bona, illumque concedat ad mala, nec talis finis impediendi omnem actionem bonam videtur per se amabilis, vel Deo dignus, etiamsi dicatur Deus id velle in pœnam præcedentium delictorum. Imò videtur inde deduci Deum velle (nec solùm permittere) peccata Dæmonum, quia permissio solùm habet locum, quando Deus ex parte sua nihil tollit necessarium, vt voluntas hoc vel illud operari possit. Sed Deus iuxta prædictam opinionem simpliciter vult Dæmonem operari, siquidem ad hoc dat illi facultatem volendi, quæ iuxta probabiliorem sententiam in 1.2. non potest moraliter, nec etiam metaphysicè loquendo purè omittere per omnimodam actus suspensionem, & aliunde ex se vult, vt nequeat operari benè; siquidem denegat ipsi generalem concursum ad opera bona: ergo simpliciter vult, vt malè operetur. Nec satisfacies, si dicas hanc esse voluntatem Dei virtualem; tum quia in moralibus eadem est vtriusque ratio; tum etiam quia quidquid Deus vult virtualiter, vult etiam formaliter & expressè quippe quòd pertineat ad perfectionem diuinæ voluntatis.

15. Vasquius. Vasquius 1. p. disp. 241. cap. 4. docet Dæmones non posse benè operari, non quia illis iam præparatis ad operandum deneget Deus concursum cooperationis suæ (hoc enim putat fore violentum) sed quia denegat illis auxilium præueniens, non quidem denegans omnem cogitationem bonam moraliter etiam sufficientem (hoc enim tolleret etiam indifferentiam iudicij,

ac

ac subinde libertatem actionis) sed tantùm congruam & efficacem, & ita impossibilitate consequenti non posse Dæmones operari bonũ morale; nihilominùs differre à teptobis viatoribus etiã obduratis, non ex parte impossibilitatis: nam eadem est in vtrisque, sed quia Dæmonibus ita iam constat de tali negatione, vt nulla possit illis spes superesse; viatoribus autem quantumuis induratis non adimitur spes congruæ vocationis.

16. Contra rationem istam præter alia, quæ minùs vrgent, obiicit Suarius, quia iuxta illam Deus non tantùm priuatiuè, sed positiuè simul esset causa obstinationis Dæmonum, quod non est dicendum: Sequelam ostendit: nam cognitio boni honesti naturalis sufficiens ad illud operandum, potest naturaliter haberi per ordinarium cursum causarum naturalium cum solo generali concursu causæ primæ sine alia speciali illuminatione, vel inspiratione diuina: ergo si Deus causas secundas sinat agere motus suos, occurret aliquando talis cogitatio, quæ congrua sit. Igitur, vt decretum diuinum denegandi semper cogitationem congruam naturalem sit firmum & efficax, necesse est vt comprehendat non solùm volitionem negatiuam ex parte obiecti, id est, non dandi gratuitum auxilium, sed requiritur positiua voluntas eligendi semper in omni occasione cogitationem sufficientem duntaxat, imò impediendi positiuè, ne cogitatio honesta occurrens sit congrua, quod Vasquius disp. 240. num. 3. & disp. 241. num. 15. dicit. Deum posse facere varias immittendo cogitationes, quibus cogitatio mouens ad bonum honestum retardetur, ideoque voluntas non consentiat, etiam si posset; hoc autem (inquit Suarius) est virtualiter necessitare ad malum, saltem quoad specificationem, quia voluntas dæmonis (vt supponimus) necessariò est aliquid volitura: ergo si ex directa intentione impeditur, ne benè velit, virtualitèr intenditur, vt malè operetur. Vasquius.

17. Obiicit secundò nullum esse discrimen inter obstinationem damnatorum & indurationem viatorum, tum quia etiam isti possunt cognoscere per diuinam reuelationem decreuisse Deum denegare ipsis auxilium congruum, sicut Petrus cognouit se negaturum, & adhuc mansit viator; tum quia Dæmonibus sine fundamento tribuitur talis reuelatio; tum denique, nam vel illa reuelatio formaliter destruit, vel impedit sufficientiam auxilij, quia non potest liberum arbitrium contra cognitionem actualem talis reuelationis conari, & sic iam Dæmon cum illa cognitione non habebit cogitationem sufficientem ad operandum benè; vel illa reuelatio, dum actu cognoscitur, non impedit sufficientiam cogitationis honestæ (quod videtur verisimilius, vt traditur in materia de spe (& sic non obstante tali reuelatione manebit in Dæmonibus absoluta potestas benè operandi, sicut manet in viatoribus.

18. Vt communem sententiam declarem, fulciamque ratione. Dico primò, Dæmones (idem est de cunctis damnatis) saltem habent impotentiam, aut impossibilitatem moralem bene operandi. Conueniunt in hoc omnes Doctores secundæ sententiæ: nam ita sunt Dæmones destituti donis omnibus gratuitis, ita sunt malè affecti, tam ex parte intellectus, quam voluntatis, tum actuali consideratione acerbissimæ pœnæ per totam æternitatem sine remissione, vel intermissione duraturæ, tum recordatione summi boni, quod per peccatum amiserunt, tum desperatione euadendi ab illo statu; tum indignatione, ira, & odio contra Deum inuidiaque contra genus humanum, vt moraliter nequeant vel à prauis affectibus desistere, vel bonum operari propter ipsum ipsum, quod postulat operatio recta, iuxta doctrinam Aristotelis 2. Ethic. cap. 4. Aristot.

Hoc videtur significasse Eccles. cap. 9. dicens, *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.* Campensis vertit, *nihil consilij, nec prudentia*, opus enim bonum sine recta ratione non fit, vbi autem nec ratio, nec sapientia est, profectò nec prudentia, nec sanum consilium esse possunt. Vnde Innocentius tertius lib. 3. de contemptu Mundi cap. 7. hæc verba pertractans ait. *Tanta erit in reprobis mentis oblitio, tanta cæcitas animi, tanta confusio rationis, vt rarò, vel nunquam ad cogitandum quidquam de Deo possint assurgere, nedum ad confitendum valeant respirare*; adstipulatur Ignatius epistula 8. ad Philip. & Gregorius lib. 9. Moral. cap. 39. aliàs 48. tractans illa verba Iob 10. *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, per defectum enim ordinis intelligit confusionem, quæ mentibus inerit damnatorum, in quibus nihil ordinatè fieri poterit. Vnde Iob 41. de Dæmone saltem allegoricè dicitur. *Cor eius indurabitur tanquam lapis.* 19. Eccles. 9. Innocẽt. III Ignatius. Gregor. Iob. 10. Idem 41.

20. Exponamus sigillatim hanc Dæmonum impotentiam moralem, quam dicimus oriri ex misera conditione status iuncta naturali conditione, & fragilitate voluntatis creatæ suis tantùm viribus derelictæ; nam in primis damnati sunt in perpetua cognitione beatitudinis amissæ; peccatorum, quæ luunt; pœnalis actionis ignis, quam sustinent, vt docent egregiè Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 10. dicens, *Hic est vermis, qui non moritur, hæsit firmiter nunquam deinceps auellendus.* Colligitur ex principiis fidei, nam pœna Dæmonum tam damni, quàm sensus est æterna, vt ostendimus disp. 26. cap. 3. num. 59. non potest autem priuatio beatitudinis, vel actio ignis permanere iugiter in ratione pœnæ, nisi eius cognitio duret perpetuò; non enim habent Angeli modum aliud sentiendi laborem, nisi per cognitionem mentalem, & displicentiam voluntatis, quæ supponit cognitionem. Vnde talis actualis cognitio necessaria debet esse, ne per liberam cessationem illius possit talis pœna intermitti, siue necessitas proueniat ex vehementia obiecti, sicut homines aliquot grauissimum malum, & dolorem sustiuentes, non possunt ab illo cogitationem diuertere, siue (quod videtur verisimilius) proueniat ex Deo per se se damnatos adigente ad huiusmodi cogitationes. Vbi non malum culpæ reperitur, sed pœnæ, quam iustus iudex per se potest infligere. Bernard.

21. Deinde hinc oriuntur in voluntate Dæmonis affectus nonnulli, quibus magnopere torquentur, scilicet tristitia de bonis amissis & præcipuè de beatitudine perdita; dolor item, seu tristitia resultans ex perceptione illius mali, quod incutit ignis, prætereà desperatio displicentiæ sui status, & tormentorum, quiquidem actus dicuntur merè pœnales, quia non includunt ex se deordinationem à recta ratione; sed afflictionem damnati, atque pro æternitate pœnæ debent similiter esse necessarij, vel ex obiectorum vigorosa impressione

impressione, vel saltem ex efficacitate diuina determinante voluntatem Dæmonis ad similes affectus, sine quibus non esset dolor proprius in damnatis; nec ideò vis infertur voluntati, cùm ipsamet efficaciter concurrat ad eliciendos illos, & per consequens sint ei voluntarij, licèt non liberi, quamuis enim non possit voluntas cogi, potest necessitari, vt dicitur 1. 2. Hos damnatorum affectus commemorant etiam Bernardus, & Gregorius suprà, & capite sequenti amplius exponemus.

22. Ex his fit primò, de facto Dæmones nunquam benè moraliter operari. Hoc docent Patres suprà relati, & præter Doctores secundæ sententiæ fatentur etiam Scotus, & Bassolis, qui licèt potestatem benè operandi Dæmonibus concedant, addunt tamen illos propter suam malitiam nunquam benè operari; *Secundum quam* (inquit Scotus) *magis probabile est agere, quàm, secundum potestatem, quam habent ad actus oppositos.* Hoc item significant quædam generales locutiones Scripturæ dicentis tempus viæ esse tempus benè operandi, non sic in nocte damnationis, ad Galat. 6. *dum tempus habemus operemur bonum* Ioann. 9. *Venit nox quando nemo potest operari*, & cap. 11. *Ambulate, dum lucem habetis.* Prou. 18. *Impius cum in profundum venerit, contemnit*, &c. Ratio sumitur ex suprà dictis, quia moraliter non possunt ex misera conditione status operari bonum aliquod ex omnibus circumstantiis: Sed quod est moraliter impossibile, nunquam de facto contingit: ergo licèt damnati velint interdum obiectum ex suo genere bonum, semper tamen vel apponunt circumstantias, ex qua vitietur affectus, vel semper omittunt circumstantiam, sine qua non erit bonus, saltem illam finis honesti, vt scilicet eligatur propter ipsum.

Scotus. Galat. 6. Ioann. 9. Prou. 8.

23. Fit secundò Dæmones semper peccare. Sic etiam docent communiter Doctores secundæ sententiæ. Colligitur ex Scriptura Psal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, quod capiunt plerique de Dæmonibus, atque expendunt particulam *semper*, quasi nouis peccatis multiplicent priora, nec cessent vnquam à delictis. 1. Ioan. 3. *Diabolus ab initio peccat*, quod intelligunt nonnulli, non solùm de primo eius peccato, sed de continuatione peccandi. Ratio sumitur ex dictis, quia tanta incentiua peccandi, tanta destitutio diuini iuuaminis moraliter necessitant Dæmonem, vt semper in aliquo actu malo versetur, vel se nimium amando, vel Deum odio habendo, vel hominem, cui propter odium inuideat, & omne malum procuret.

Psal. 73. Ioan. 3.

24 Fit etiam verisimile, semper Dæmonem perseuerare in actuali odio Dei: à quo iam nihil sperat boni, imò ipsum esse & operari, quod à Deo se recipere cognoscit, beneficium non reputat, sed dispendium, quia maius incommodum censet, sic esse, quàm annihilari, nec bonitatem diuinam secundùm se & absolutè considerat, sed semper cum respectu ad seipsum, & ita non apprehendit Deum, vt benefactorem, sed absolutè vtindictorem malorum, vnde moue tur ad odium, & ex isto ad noua peccata, in quibus illud quasi imbibitur, sic homines iugiter odiis tentationibus inducit in varia peccata, quæ in Dæmone sunt etiam peccata noua. Quòd si nonnunquam contingat ita diuersis actu occupari, vt desistat ab odio Dei, non propterea cessabit ab actu malo, sed ab vno transibit in alium, quia suspendere nequit omnem actum liberum, vt etiam Scotus fatetur, & motiuis suprà positis ita moraliter impeditur, ne à malo actu transeat ad bonum, vt ipsi sit moraliter impossibile. Quare licèt fortasse nullus designari possit actus malus in indiuiduo, in quo Dæmon necessariò persistat, tamen nunquam ab omni peccato desistet, nec potest moraliter cessare.

25 Suarius lib. 8. cap. 11. hac impossibilitate morali contentus est, quam censet sufficere ad obstinationem simpliciter, quia tanta est, vt infallibiliter nunquam, nec etiam rarò contingat Dæmonem operari benè, sicut homo lapsus sine speciali dono gratiæ nunquam vitat omnia venialia, nec solis naturæ viribus grauissimam tentationem vincit ob solam impotentiam moralem; nec existimat dari Theologicum fundamentum, quod cogat maiorem necessitatem operandi malum voluntati damnatæ, & obstinatæ tribuere. Suarez.

Sed potest contra Suarium opponi; quod ipse cap. 9. num. 14. contra Vasquium opposuit argumentum, scilicet inde sequi, Dæmonum obstinationem non esse maiorem, quam sit ut du ratio viatorum, quod admitti non potest. Sequela patet, nam obduratum viatorem, quem Deus permittit grauissimis oppugnari tentationibus, & nimis corroborat auxiliis, non solùm ex præscientia inefficacibus, sed in suamet entitate debilissimis, impossibile moraliter est non cadere denuò, vel à lapsu resurgere; nec vllus istorum vnquam sub his circumstantiis moraliter impedientibus vel redit ad gratiam, vel resistit tentationi: ergo viatores obdurati habent æqualem impossibilitatem moralem cum damnatis, quod videtur falsum in Theologia. 26.

Ideò cogimur aliam inire viam theologizandi, supposita que distinctione operum bonorum naturalium in opera primi generis, quæ dicuntur opera pietatis, & in opera secundi generis, quæ dicuntur vitæ communis, quam diuisionem exposuimus lib. 1. disp. 41. cap. 6. dicendum existimo, damnatos priuari non solùm efficacibus, sed etiam sufficientibus auxiliis, & per consequens concursu generali ad opera primi generis, vnde physicam habent impotentiam efficiendi pietatis opera, quæ simpliciter sunt bona moraliter, ita vt impossibilitate antecedenti nequeant aliquid simpliciter bonum operari. 27.

Probatur auctoritate Patrum, quos suprà retulimus: nam Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. simpliciter denegat damnatis potentiam operandi benè, sed qui cum impossibilitate solùm morali retinet potentiam physicam, dicitur simpliciter potens ad operandum: ergo non simpliciter impotens. Rursus expendo comparationem illam. *Sicut Beati nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt sic damnati nullam bonam habere poterunt voluntatem*: Sed beati non habent concursum generalem ad peccandum quia non habent potentiam physice potentem ad peccandum: ergo similiter damnati physicam etiam impotentiam habent ad opera pietatis; nec conuenientius ligamen huius potestatis capi potest, quàm per denegationem auxiliorum, etiam sufficientium, & concursus generalis ad talia opera; quod indicant Euthymius, Theophylactus, & alij, M tth. 22. dicentes per ligamen manuum & pedum in tenebris significari non futuram in illis no potestatem operandi, scilicet physicam ad opera pietatis 28. Euthymius. Theoph.

Prosper. pietatis,& Prosper lib. 3. de vita contemplatiua cap. 12. asserit, ligari manus, quia *in inferno actione priuamur*: scilicet bona simpliciter, quatenùs præuia excitatione, atque concursu generali destituuntur.

29. Ratione præter supradictam. quia scilicet sic constituitur differentia propria inter damnatos, & obduratos, ostenditur ex congruentia, quia licèt potestas intrinseca operandi conformiter ad rationem, & cum intentione formali virtutis pertineat ad integritatem naturæ rationalis; attamen ipsa pietatis opera supposito eleuationis statu iam sont tendentia quædam ad iustificationem, & per consequens pia cogitatio proponens formale motiuum viatoris iam est quasi semen, & initium remotum salutis. Cùm ergo damnati iam sint extra viam omnem salutis, meritò priuantur omni pia cogitatione, ita vt perturbata interiòs mentis acies cæcitatis igne denoretur, dum foris flamma succenditur, vt inquit Gregorius 9. Moral. cap. 39. nec amabilitatem virtutis propter propriam ipsius honestatem considerent vnquam, nec Deus talem considerationem excitet in illorum intellectibus. Gregor.

30. Hinc possunt vocari verba Ecclesiast. 9. suprà relata num. 19. *opus* enim simpliciter dictum sonat actum virtutis dignum rationalis naturæ dignitate; *ratio*, *sapientia*, *scientia* indicant dictamen practicum circa honestatem superiori rationi congruentem, quo penitùs priuantur damnati. Fauet Ignatius epist. 8. ad Philip. vbi de Dæmone ait, *Sapiens est ad malefaciendum, bonum verò quid sit, ignorat*: vtique practicæ virtutis honestatem non considerat, sicut sequentia verba declarant. *Ignorantia oppletus est, propter voluntariam dementiam: Quo enim modo non est huiusmodi, qui nec ante pedes, & propatulo positam rationem non videt?* hoc est motiua pietatis rationi naturali conformia non aduertit. Addi potest illud Psalmi 48. *Auxilium eorum veterascet in inferno*. Vbi iuxta originale Petra, fortitudo, potentia nimirum naturalis eorum, licèt non pereat (vt explicat Genebrardus) redditur tamen impotens, & inutilis ad operationem scilicet rectam simpliciter. Vel si per auxilium intelligamus diuinum adiutorium, etiam generale, ac connaturale in ordine ad opera pietatis, *veterascet*, id est, deficiat, abolebitur, peribit, vt alij interpretantur. Ignatius. Psal. 48.

31. Quod si Deus iusto iudicio suo denegat damnatis cogitationem piam, qua præparanda foret eorum voluntas, vt in opera pietatis consentiret, consequens fit, vt deneget etiam concursum generalem ad hos actus: nam talis concursus non debetur, nec offertur causæ secundæ nisi potenti proximè operari. Sed voluntas damnatorum antecedenter impeditur per subtractionem præuenientis cogitationis, sine qua voluntas non potest operari, quia nihil volitum, quin præcognitum: ergo non debetur illis generalis concursus ad tales actus, nec erit illius denegatio violenta, sed potius valdè conformis statui, & dispositioni proximæ voluntatis damnatæ. Nec obstat secundùm Dionysium mansisse integra naturalia in Dæmonibus, quia sufficienter intelligitur illud axioma de potentiis animæ, viribusque ipsius internis: etenim istæ non minuuntur ex hoc, quòd Deus cogitationes illas deneget, quæ sunt salutis exordia, & per consequens concursum iam indebitum non concedat.

Ceterùm ne sint frustrà vires, & facultates damnatorum, si nihil omnino possint operari, & ne dicamus necessitari damnatos ad peccandum, saltem quoad specificationem, si nihil nisi malum morale velle possint; addimus ad opera secundi generis, quæ versantur circa proprium naturæ commodum vel expressè, vel confusè cognitum habere Dæmones auxilia sufficientia, & paratum generalem concursum; imò forsan interdum aliquod auxilium efficax, quo saltem rarò efficiant aliquem actum non prauum, sed infimæ bonitatis moralis; cum quo simul habebunt alios actus peccaminosos, vt sit verum, semper illos peccare, licèt non omnes omninò actus, quos eliciunt, sint in indiuiduo vitiosi. Non tamen ideò dicuntur operari benè simpliciter: nam illi actus, qui fiunt ob commodum naturæ præcisè, sunt adeò imperfecti, vt solùm dici possint boni secundùm quid, imò sæpè vocantur à Patribus peccata, & nihil, metaphoricè loquendo, vt diximus lib. 1. disp. 41. cap. 6. num. 21. 32.

Confirmatur nostra sententia, quia per illam commodiùs soluuntur difficultates in aliis occurrentes. Ad primum primæ sententiæ respondetur pœnitentiam, de quo fit sermo Sapient. 5. esse solùm naturalem displicentiam pœnarum, & culparum sine fructu quidem, quia vel est actus necessarius ex ipsamet experientia, seu iustitia diuina promanans, vel non attendit Dei offensam, aut motiuum virtutis, sed proprium commodum seruiliter sine retractatione voluntaria, vt docuit Fulgentius lib. de Fide cap. 3. de damnato inquiens. *Habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inueniet, quia etsi erit ibi stimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis*, quasi velint damnati peccare, sed non puniri, vel saltem non nisi propter pœnæ timorem vellent non peccasse. 33. Fulgentius.

Diuitem epulonem (admittendo illam esse historiam, etiam quoad vltimam partem de petitione, quod negant Maldonatus, & alij) communis sensus Doctorum est, non ex amore, vel misericordia fratrum, sed ex amore sui petitionem illam fecisse, ne si fratres damnarentur, cresceret eius pœna, quod tradunt Beda ibi, & Gregorius homilia 40. in Euangelia. Fatebantur etiam Dæmones Christi diuinitatem; credunt, & contremiscunt, sed isti actus sunt coacti, vel ex prauo fine, vel cum vitiosa quapiam circumstantia, vel forsan aliqui sunt boni secundi generis, seu secundùm quid, quia dolere de suo misero statu, auertere pœnarum incrementum, & similia facere possunt ob sui commodum, & amorem conformiter ad dictamen rationis, etsi cum imperfectissima bonitate naturali, quam videtur significasse Chrysostomus in diuite epulone. Nec opus est in omnibus, & singulis Dæmonum actibus pro nostro libito, vel diuinatione voluntaria prauas circunstantias accersere, quibus vitientur. 34. Beda. Gregor.

Ad secundum respondetur voluntatem Dæmonum manere liberam quoad exercitium, quatenùs singulos actus in indiuiduo ita elicit, vt posset non elicere istum, sed alium, manere quoque liberam quoad specificationem, quatenùs ita elicit actum prauum, vt posset elicere bonum, licèt bonitate secundi generis, & infimæ notæ. Itaque ratione libertatis quoad exercitium potest, non 35.

non quidem ab omni actu cessare, quia tanta est sympathia voluntatis cum intellectu, vt posita repræsentatione obiecti non possit voluntas connaturaliter omnem circa illud volitionem formalem, vel virtualem continere, sed tamen potest actum prauum istum numero non elicere; imò circa tale obiectum per nullum actum prauum operari. Rursus ratione libertatis quoad specificationem potest etiam actum elicere bonum secundi generis (loquor de potentia physica, & antecedenti.) Quoad actus verò bonos primi generis, licèt habeat libertatem intrinsecam, non tamen habet expeditam proximè potestatem, quia priuatur cognitione præcedenti, & concursu requisito ad sic operandum.

36. Ad confirmationem dicimus, Concilium forsan loqui de attritione supernaturali, vt multi volunt, & respectu huius certum est non habere Dæmonem auxilium etiã sufficiens, cùm sit omni supernaturali iuuamine prorsus destitutus; si verò solùm attendat damnatus pœnam vt incommodam naturæ volens auersari damnum proprium, concedo illum actum nulla praua circumstantia vestitum esse bonum moraliter, atque elici posse ab illo; sed tamen est valdè imperfectus in genere moris; ideoque ad secundum genus pertinere censendus est.

37. Ad tertium concedimus mansisse integra naturalia in Dæmonibus, scilicet quoad potentias, & vires intrinsecas, de quibus loquitur Dionysius, hoc tamen non sufficit, vt Dæmones eliciant, vel proximè possint elicere actus bonos primi generis, quia requiritur etiam pia cogitatio mentis proponens motiuum honestum voluntati, quam cogitationem Deus iustissimè negat damnatis, qui propterea non attendunt rationem vllam boni nisi proprij commodi, nec honestam virtutis, nec Deum ipsum apprehendunt vt bonum suum, sed solam carentiam illius status reputant sibi commodam: licèt cùm illa sit coniuncta diuinæ voluntatis, & naturalis rationis violatio. Quare nunquam elicient actum bonum primi generis, licèt aliquos secundi generis forsan operentur, vt diximus.

38. Fauet huic nostræ sententiæ ratio Paludani, & Molinæ posita num. 13. quoad denegationem generalis concursus ad opera primi generis; nec vrget contra nos impugnatio Suarij: nam Deus non intendit per se impedire omnia opera bona damnatorum; sed sicut supernaturalia, sic etiam illa naturalia, quæ connexionem habent, saltem remotam cum reparatione salutis, cùm iam sint extra spem omnem resurgendi. Quòd si Deus vult damnatos operari, sufficit dare ipsis auxilia præuenientia, & generalem concursum, quo possint actus bonos, licèt imperfectos elicere.

39. Obiicies primò cum Suario, & Vasquio, quia Dæmon liberè eligit inter bonum, & malum: ergo debet habere sufficientem vtriusque cognitionem ad volendum liberè quodlibet illorum: nam inter illa, quæ non cognoscuntur sufficienter, non est electio, nec libertas. Confirmatur, nam Angelus ex virtute suæ naturæ, quando sibi proponit obiectum amandum, cognoscit, vel cognoscere potest, quidquid retrahit secundùm rationem ab illius obiecti amore, vel inuitat: ergo potest etiam cognoscere motiuum honestatis, si velit, & per consequens habebit cogitationem sufficientem ad opera bona simpliciter perfecta.

40. Respondeo Dæmones habere sufficientem propositionem obiecti, quod liberè prosequuntur etiamsi non habeant cogitationem piam; cognoscunt enim (dum operantur cum libertate quoad specificationem) obiectum esse sibi commodum, vel amabile, sed contrarium naturali rationi, vel voluntati Dei; oppositum autem obiectum esse sibi commodum sub alia ratione non difformi naturæ, v. g. cognoscit Dæmon, damnationem hominum quam tentationibus procurat, esse sibi amabilem, vt Deum priuet externa gloria, & damnum inferat hominibus, quibus tantopere inuidet; simul tamen videt, non damnari homines, & per consequens non tentari, imò iuuari ad iustificationem fore sibi commodum, vt pœnam accidentalem euitet ex multitudine damnatorum resultantem: Sed hoc post posito eligit illud plena vtique libertate quoad exercitium, & quoad specificationem: nam vt eleganter expendit Chrysostomus hom. 1. de Lazaro. *Diabolus circumcursat cupiens obsistere nostræ saluti, nõ solùm ipse nihil lucri hinc reportãs, verumetiam suo studio grauissima detrimenta sibi concilians.* Cogitationem verò piã, & cognitionẽ boni honesti sub ratione honestatis connaturalẽ viatoribus denegat Deus dãnatis, vt diximus, cõnaturaliter quodãmodo statui misero damnationis, & præclusioni sempiternæ salutis.

Obiicies secundò cum aliis; Si Dæmones semper peccant, cresceret in infinitum pœna his nouis peccatis correspondens, quod non videtur dicendum: nam *vbi ceciderit lignum, ibi erit.* Respondetur conuenire Theologos per opera, quæ faciunt damnati, vel beati, non mereri augmentum pœnæ, vel præmij essentialis, quia iam sunt in termino; meritum verò & demeritum sunt propria viatorum. Cur autem illi sint status termini iam fixi, & non viæ tendentis adhuc ad vlteriorem pœnã, vel mercedem; quidam cum Vasquio solam conditionem statũ respicere videntur; alij verò solam ordinationem diuinam. Dicendum tamẽ est cum Suario suprà cap. 11. num. 26. & lib. 12. de gratia cap. 15. habere hoc fundamentum in perpetuitate status cum impotentia tendendi ad beatitudinem, consummati verò, vltimoque constitui per ordinationem diuinam. 41.

Suarius.

CAPVT IV

De tristitia, & dolore Dæmonum.

CErtum est primò Dæmones affici dolore, & tristitia, vt docet S. Thomas hîc art. 3. & probat in argumento, *Sed contrà* ex illo Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctum.* Vnde colligit S. Doctor multò magis Diabolum, qui maximè se glorificauit, puniri doloris luctu. Probatur ex Apoc. 20. 2. Pet. 2. Matth. 25. & aliis locis, vbi Dæmones dicuntur cruciari: cruciatum autẽ sequitur dolor, & tristitia. Conueniunt secundò Doctores dolorẽ istum Dæmonum non esse passionem appetitus sensitiui, sicut in nobis cum commotione corporea coniunctam, sed rationem formalem doloris, quam S. Thomas explicat per quandam renitentiam voluntatis, qua fugit, & auersatur obiectum doloriferum. 1.

S. Thom.

Apoc. 18.

Ibid. 20.

2. Petr. 2.

Matth. 25.

Inde colligit Valentia tom. 1. disputat. 4. q. 1. punct. 3. dolorem Dæmonum esse metaphoricum, & sic accipiendas esse Scripturas, sicut cùm Deo tribuitur Geneseos 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus.* Sed communiter Theologi vocant 2.

Valentia.

Gen. 6.

vocant illum proprium, quia commotio corporea non pertinet ad rationē formalem, sed materialē doloris, sicut in affectu misericordiæ, & similibus, ac iuxta regulam Augustini Scriptura propriè capienda est, cùm commodè potest; Deo autem non potest propriè tribui dolor, ideoque per metaphoram cogimur in Deo dolorem accipere, Angeli verò sunt capaces doloris, nec est quòd cogat in illis ad metaphoram recurrere.

3. Cur autem dolor propriè possit Angelis tribui, non Deo, nonnulli reddunt rationem, quia nemo dolet nisi de his, quæ accidunt contra suam voluntatem; multa verò contra Dæmonum voluntatem eueniunt, nihil contra diuinam. Sic innuit

Bernard. Bernardus 5. de consideratione cap. 10. dicens. *Quid tam pœnale, quàm semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit?* & rursus, *damnatus in æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult in æternum nihilominus sustinebit*. Sed opponit Vasquius quòd hominum peccata contra diuinam voluntatem eueniunt, & tamen proprium Deo dolorem non accersiunt; nec refert quòd non sit contra voluntatem efficacem Dei, sed contra simplicem: nam pœnitentia est proprius dolor de peccatis commissis, quæ tamen sunt contra simplicem volitionem dolentis: hic enim non vult efficaciter se non peccasse, cùm impossibilium non detur efficax volitio. Ceterùm adhuc potest illa doctrina sustineri, si dicatur dolor oriri de iis, quæ accidunt contra voluntatem alicuius non potentis illum euentum vitare, quo pacto nihil euenit contra Dei voluntatem, & multa contra voluntatem Angelorum.

4. Vasquius. Aliam rationem reddit Vasquius disput. 242. cap. 1. desumptam ex S. Thoma 1. 2. quæst. 35. art. 1. Scilicet quia delectatio est de bono coniuncto, & cognito tanquam coniuncto; econtrà verò dolor delectationi contrarius debet esse de malo, quod aliquaratione reputatur coniunctum, quo pacto potest quispiam tristari de malo sibi proprio, vel de malo amici, quod reputat sibi proprium. Sed Deus non potest habere malum sibi coniunctum aliquo modo, nec alterius malum vt proprium reputare; bene tamen Angelus: nam infinita perfectio Dei talem secum imperfectionem non patitur, omnis verò creatura cùm imperfecta sit, illam non respuit: ergo possunt Angeli dolere, de factoque dolent in inferno.

5. Conueniunt 3. cum S. Thoma hîc art. 3. & 1. 2. quæst. 35. art. 1. dolorem istum esse voluntatis contra nonnullos, qui volunt ad potentiam cognoscentem pertinere, sed falso: nam læsio, seu malum coniunctum est obiectum doloris: at cognitio mali lædentis tantùm est applicatio, seu propositio obiecti doloriferi; formalis verò ratio doloris consistit in displicentia, fuga, seu renitentia circa illud obiectum ab intellectu propositum; quæquidem renitentia est in nobis actus appetitus sentientis, & in Angelis actus voluntatis. Confirmatur, quia dolor versatur circa malum præsens, vt malum est, & disconueniens: ergo pertinet ad potentiam appetentem bona formaliter, & repudiantem mala. Hæc est voluntas: nam intellectus tantùm proponit obiectum doloris in quod formaliter tendit vt verum: ergo dolor in Angelis est actus formalis voluntatis.

6. Conueniunt quartò dolorem istum, seu tristitiam Dæmonum esse actum necessarium non li-

Scotus. berum: licèt enim Scotus oppositum insinuet, dum in 2. distinct. 7. quæst. 1. & in Reportatis eadem disp. 7. quæst. 3. docet damnatos posse cessare ab omni actu voluntatis, vnde fit consequens posse pariter ab istis, tamen illa quæst. 3. palam asserit non posse Dæmonem non tristari; consentiunt Bassolis in 2. distinct. 7. quæst. 1. art. 7. Bassolis.

Gregorius ibi quæst. 1. art. 2. Pesantius hîc, Vasquius disputat. 242. cap. 4. Suarius lib. 8. de Angelis cap. 11. num. 2. Probatur à posteriori: Gregor. Pesantius. Vasquius Suarius.

nam ex opposito sequeretur posse Dæmones liberare seipsos à pœna doloris, quod inquit Vasquius peius esse Origenis errore, siquidem Origenes dicebat pœnas damnatorum finiendas esse ex Dei misericordia, non ex voluntate damnatorum libera. Quare Suarius ait non posse sine errore negari actus merè pœnales esse necessarios in voluntate damnatorum, cùm Scripturæ clament istam pœnarum æternitatem.

Vnde tamen proueniat talis necessitas: non est 7.

eadem omnium ratio, Scotus in 3. dist. 15. q. 1. §. Scotus.

Aliter potest, & in 4. dist. 49. q. 7. putat, tristitiam formaliter non esse operationem facultatis appetentis, sed passionem ab obiecto, addit tamen priorem hac passione tristitiæ dari quendam actū elicitum voluntatis, sine quo tristitia esse non potest. At in Reportatis ea d. 7. q. 3. dicit, hunc actū, quo Dæmones tristantur, à solo Deo produci, & conseruari, ideoque non posse non tristari semper. Ceterùm falsum est, actum tristitiæ, seu doloris esse passionem solùm, aut actum aliquem voluntatis à solo Deo in Dæmonibus produci: nam, vt ostendimus in libris de anima, actus vitalis essentialiter includit actionem manantem à potentia vitali. Viuere quippe est agere, & viuens principium motus. Vasquius docet cogi Dæmones à Deo, manere semper in cogitatione mali, ac pœnæ, qua damnati sunt, & tale malum cogitatum ita rapere voluntatem ad dolorem, vt necessariò tristetur, ideoque non posse Dæmones non tristari, quantumuis in ipsomet actu tristitiæ rationem mali reperiant, proptereaque velint ab illo cessare. Quare sicut ponitur ibi Deus cogere Dæmonum intellectum ad talem cognitionem; potest etiam faciliùs poni necessitare voluntatem ad actū ipsū doloris; ideò suprà c. 3. n. 21. sub disiunctione dixi prouenire necessitatem istam, vel ex obiectorum vigorosa impressione, vel ex diuina efficacitate determinante voluntatem damnatorum.

Conueniunt quintò, doloris obiectum esse pœ- 8.

nam ipsam sensus, & damni. Pœna damni consistit in eo, quòd sententia irreuocabili secludatur damnatus ab æterna beatitudine, & ab omnibus bonis, quæ illa secum affert, ad quæ obtinenda fuit conditus à Deo. Pœna sensus continet ignem sulphureum, & alias afflictiones illum comitantes. Nec dubium est, quin pœna sensus sit inæqualis in damnatis pro inæqualitate delictorum, de pœna damni an sit inæqualis, dicetur infrà.

His positis dubitatur primò an tristitia Dæmo- 9.

num de amissa gloria pertineat ad pœnam damni, vel sensus: Tristitiam enim, seu dolorem ex cruciatibus ignis, vel ex alia noua causa accidentali prouenientem concedunt omnes ad pœnam sensus spectare. Prima sententia docet, non solùm priuatiuum, quod est in ista carentia visionis, sed etiam positiuum, scilicet tristitiam, quæ cum illa coniuncta est, pertinere ad pœnam damni. Sic tradit Malonius in 2. distinct. 6. disp. 21. dicens esse communem, sumitur ex Scoto in 4. dist. 50. quæst. 6. §. *Ad primam quæstionem*, quatenùs Malon. Scotus.

ait

Gabriel. Suarius.

ait pœnam damni non esse solam carentiam, quia sola illa non esset pœna, si non esset inuoluntaria, seu nolita, & ita nolitionem illius carentiæ dicit ad pœnam damni pertinere: Est autem illa nolitio quid positiuum, & fere coincidit cum tristitia, vel est proxima causa ipsius. Consentit Gabriel in 4. distinct. 22. artic. 3. in fine: dicit enim pœnam damni quoad carentiam esse æqualem in omnibus, quoad tristitiam verò esse inæqualem; & posteà loquitur de pœna sensus tanquam de diuersa: eodem fere modo procedit Paludanus. Sequitur apertè Suarius 3. part. tom. 4. disp. 13. sect. 2. num. 17. & lib. 8. de Angelis cap. 5. Vbi duo tradit, primum est pœnam damni sufficienter saluari in sola priuatione, licèt esset sine ipsius cognitione, ac per consequens ab omni tristitia, seu dolore seiuncta. Secundum est præter istam quasi essentiam pœnæ damni quædam alia mala, quæ quasi intrinsecè, vel necessariò consequuntur illam in Dæmonibus, sub pœna damni comprehendi.

10. Primum probat contra Scotum, quia nec tristitia, nec inuoluntarium actuale per proprium actum elicitum, & per consequens nec cognitio damnorum est de intrinseca ratione pœnæ, vt sic, sed satis quòd sit malum aliquod inflictum reipsa propter culpam, vt apparet exemplo puerorum in originali solùm decedentium, qui priuantur gratia, & gloria perpetuò, & talis priuatio est in illis pœna damni, licèt fortasse non cognoscant illam sub ratione nocumenti, nec de illa tristentur, & in humanis pœna pecuniaria erit pœna damni, siue de illa tristetur, aut inuoluntarius sit, qui eam patitur, siue non.

11. Secundum probat; nam in omni pœna, quæ sentitur, & contristat, datur damnum vel malum illatum, & sensus damni: ergo si in priuatione gloriæ distinguuntur hæc duo, tanquam duæ pœnæ damni & sensus, similiter in ipsa pœna ignis distinguentur pœna damni, scilicet malum illatum ab igne, & pœna sensus, scilicet tristitia proueniens ex apprehensione talis mali. Sicut ergo hæc duo in pœna ignis non distinguuntur tanquam duæ pœnæ, sed vnam pœnam sensus cōponere censentur, ita è cōtrà carentia gloriæ cum tristitia inde proueniente non sunt duæ pœnæ damni & sensus, sed vna ex vtraque coalescens, quæ per antonomasiam pœna damni nuncupatur, quia quæuis denominatur ab eo quod in illa grauius est, & in vna malū priuationis est grauius, tristitia verò quasi quid consequens, & accessorium, in alia dolor est principaliter intentus, ad quem ignis operatio dirigitur; ideò illa denominatur pœna damni, hæc verò sensus.

12. Confirmatur, quia delectatio proueniens ex visione Dei pertinet ad complementum beatitudinis supernaturalis: ergo cùm carentia visionis sit pœna damni præmio beatitudinis priuatiuè opposita, dolor inde manans pertinebit etiam ad pœnam damni tanquam complementum quoddam illius.

13. Sotus. Secunda sententia docet tristitiam ortam ex priuatione beatitudinis ad pœnam sensus pertinere. Indicat Sotus in 4. distinct. 50. quæst. 1. artic. 4. conclus. 1. in fin. quatenùs dicit quòd pœna sensus est quæcunque sensibilis læsio, & quælibet tristitia, & afflictio voluntatis, quæ ex apprehensione rei nocuæ, vel intellectuali, vel sensuali proficiscitur, magis expresserat distinct. 16. quæst. 1. artic. 1. dubit. 2. post altercationes, vbi asseruit illam tristitiam, & afflictionem, quæ prouenit ex carentia visionis, esse pœnam sensus, licèt ipsa carentia sit pœna damni. Sequuntur Molina in hac quæst. 64. artic. 3. disput. 2. Vasquius disput. 242. c. 3. Fauent Bonauentura, Durandus, Capreolus, Paludanus, Gabriel, Bassolis, & alij in 4. distinct. 22. quatenùs ideò probant in pœna damni non dari magis, & minùs, quoniam hæc consistit in sola priuatione.

Molina. Vasquius. Bonauent. Durand. & alij.

14. Probatur primò, quia pœna damni dicitur illa, quæ reipsa est malum inflictum alicui propter peccata, licèt à patiente non percipiatur; & subinde nec dolorem ingerat, nec tristitiam; talis est in Dæmonibus priuatio beatitudinis, quam sub ratione pœnæ sustinent, non quatenus illam sentientes tristantur, sed quatenùs per illam reuera damnum, & læsionem patiuntur; & sic in pueris cum solo originali decedentibus reperitur non solùm essentialis, sed integra, & completa pœna damni sine sensu, vel dolore coniuncto. At pœna sensus est malum propter culpam inflictum ea solùm ratione disconueniens (inquit Vasquius) quatenùs sentitur, & cognitum tristitiam affert. Quapropter omne obiectum carceris dicitur afferre pœnam sensus, quatenùs ingerit tristitiam, vel formaliter affligit, vt vitalis actio molestans, & crucians; sed dolor ex priuatione beatitudinis ortus formaliter affligit, & molestat vitaliter: ergo est pœna sensus.

15. Probatur secundò quia talis tristitia non oritur ex nuda carentia beatitudinis, in qua consistit pœna damni, sed ex cognitione priuationis istius, nec oritur æqualiter in omnibus damnatis, sed in pueris limbi nulla, in reliquis maior, vel minor pro grauitate, vel numero peccatorum, sicut pœna sensus: ergo non pertinet ad pœnam damni, sed sensus. Confirmatur, quia vermis damnatorum pertinet ad pœnam sensus, pars autem vermis est tristitia de beatitudine ob propriam culpam amissâ: ergo talis tristitia pertinet ad pœnam sensus.

16. Probatur tertiò: nam ista tristitia in ratione tristitiæ, ac doloris eiusdem rationis est cum tristitia manante ex cruciatibus inferni, & cum tristitia, & inuidia, quam habent damnati de beatitudine, & bonis beatorum. Sed ex omnium sententia non solùm dolor ex igne inferni proueniens, sed etiam qui manat ex inuidia de bonis beatorum pertinet ad pœnam sensus: ergo tristitia quoque de priuatione beatitudinis ad pœnam sensus spectat.

17. Circa dubium illud, Dico primo: ratio quasi quidditatiua, & essentialis pœnæ damni saluatur in sola priuatione beatitudinis, quæ cōmunis est Dæmonibus, & pueris limbi, & animabus Purgatorij, licèt diuersimodè apprehendatur ab illis, vel cum dolore secuto in voluntate, vel sine illo. Videntur conuenire in hoc omnes, & probatur ex dictis num. 10.

18. Dico secundū: in pœna sensus distinguendæ sunt duæ rationes, altera mali disconuenientis per sese, quod sentitur, vel agnoscitur, altera cognitionis, & doloris inde secuti. Videtur dissentire Vasquius in primo argumento relato num. 18. sed consentiūt Suarius, & Molina: nam omne malum, si verè malum sit prinsquam cognoscatur, & contristet malum est, & damnum, vel detrimentum dici potest; illud enim obiectum, quod cognitum

sternunt; item diminutionem mali, quam sibi bonam apprehendunt, & expetunt, vt quando petebant a Christo, ne mitteret eos in gehennam, vbi maiorem pœnam accidentalem timebant: quare sufficiens alicuius gaudij causa fuit eis, cum in hoc aëre relicti porcos intrare permissi sunt: ergo habent interdum sufficiens obiectum alicuius gaudij, cuius nec ratione status, nec ratione summæ tristitiæ redduntur incapaces, vt constabit ex solutione argumentorum.

26. Circa hoc suppono primò nullum posse gaudium accidere damnatis, quod minuat tristitiam istorum essentialem ex carentia visionis, & cruciatibus ignis prouenientem. In hoc conuenit cũ prima sententia Suarius suprà n. 1. Probatur, quia talis tristitia pertinet ad pœnam quasi essentialem damnatorum, quæ nec minui, nec augeri potest, sicut nec essentialis sanctorum beatitudo, sed inuariabilis perseuerat; tum quia est æterna, tum quia habet causam inuariabilem, cùm iam non detur locus merendi, vel demerendi denuò. Tristitia verò accidentalis iuxta varias occasiones variari potest, minui, vel augeri, & de ista procedit quæstio, an minui possit, vel cessare per superuenientem delectationem etiam si turpis sit, & de obiecto prauo capiatur.

Suarius.

27. Suppono secundò in Dæmonibus dari complacentiam boni quod expetitum obtinent, siue in euentu pro votis, in quo conuenit cum secunda sententia Molina. Probatur, quia non obstante vehementi tristitia habet intellectus & voluntas Dæmonis vim sufficientem ad cognoscendum, & amandum tale bonum, & ad eius assecutionem procurandam: ergo etiam ad complacendum in illo iam obtento. Consequentia probatur: nam eadem ratio boni, quæ in obiecto sufficit ad desiderium, quando bonum nondum habetur, sufficit ad complacentiam postquam obtentum est, eademque vis voluntatis ad eliciendum actum vtrumque, nec tristitia vehemens potest magis impedire complacentiam, quàm desiderium, vt per se patet: ergo possunt dæmones sic complacere.

28. Suppono tertiò, complacentiam istam, & si quod inde gaudium sequatur in præsenti post iudicium finale non fore, quia nunc ex bello, quod gerunt Dæmones circa hominum salutem possunt prosilire occasiones, in quibus praua desideria Dæmonum compleantur cum aliqua saltem eorundem complacentia. Post iudicium verò cessante pugna cessabit etiam omnis opportunitas obtinendi desideriorum complementum, nam intra claustra inferorum reclusi perpetuò manebunt in eodem tenore pœnarum, & perpetua desperatione obtinendi aliquid quod desiderent, habebuntque iam tunc summam miseriam etiam accidentaliter consummatam, quod fatetur Suarius suprà num. 16.

Suarius.

29. His positis, quæ certa videntur apud omnes circa delectationem Dæmonum, placet secunda sententia, tùm quia, iuxta regulam Augustini, Scripturæ capiendæ sunt in sensu proprio, cùm commodè possunt; sed Scripturæ sæpè ponunt delectationem, exultationem, & gaudium in Dæmonibus, nec apparet manifestum absurdum in hoc quod intelligantur propriè, vt constat ex fundamentis secundæ sententiæ, ac ex solutione fundamentorum primæ constabit: ergo sic capiendæ sunt. Tum etiam quia est doctrina S. Thomæ, qui licèt in 4. dist. 45. quæst. 1. quæstiuncula 1. ad 4. hoc gaudium Dæmonum appellet non verum, sed phantasticum, illudque comparet cum compassione, quam de nostris malis habent Angeli sancti, quare Cumelis, Bannes, & Ripa censent S. Thomam loqui de gaudio non formali, sed virtuali, id est, quod ex assecutione boni concupiti nasceretur, si subiectum esset capax, Vasquius de gaudio, quod proponitur, vt obtinendum, si desiderium impleatur, & reipsa nunquam obtinetur, sed semper euanescit. Molina de simplici complacentia boni adepti, sicut Angeli boni simpliciter displicent in nostris malis, tamen forsan S. Thomas Doctor phantasticum appellat; quia citissimè transit, vel quia est de re turpi, & inutili, & quidquid sit de sententia S. Thomæ in 4. certè in hac quæst. 64. art. 3. manifestè tradit secundam sententiam.

Quod ostenditur primò: nam expressè declarat S. Doctor se loqui de dolore, & gaudio secundùm quod important simplices actus voluntatis, quos dicit de eodem esse oppositos, non de diuersis. 30. Vnde colligit nihil prohibere Dæmonem simul gaudere de vno, & dolere de alio. Quæ distinctio non esset necessaria, si de solo virtuali, vel apparenti gaudio loqueretur. Ostenditur secundò, nam in primo argumento S. Thomas de gaudio vero, & formali locutus fuerat, & citat Augustinum, quem de vero gaudio loqui denotant verba relata suprà num. 23. Siquidem contra ponit lætitiam Dæmonum in hoc statu, gaudio, quod anteà de sublimi veritate capiebant.

Dices, hinc ad summum probari S. Thomam, & Augustinum loqui de formali gaudio, quod in simplici complacentia voluntatis saluatur, sicut 31. explicat Molina, & indicat illa comparatio sancti Doctoris; sicut enim Angeli boni simpliciter displicent in nostris malis, non tamen dolent, quia sunt incapaces doloris; sic Dæmones complacere possunt in complemento desiderij, licèt non propterea delectentur, quia sunt incapaces delectationis. Fateor propter hæc probabilem esse illam explicationem Molinæ, cuius sententia fit inde non parùm verisimilis. At posita illa complacentia in Dæmonibus probabilius apparet sequi pariter delectationem formalem in illis.

Probatur, quia posita consecutione boni concupiti cum actuali consideratione, & complacentia illius, connaturaliter resultat delectatio formalis, nec summa Dæmonum tristitia potest impedire resultantiam istam connaturalem, quia nec impedit capacitatem voluntatis passiuam, cùm hæc sit capax vtriusque affectus simul, & illi non opponantur formaliter inter se, pluresque actus non oppositi possint simul inesse voluntati; nec impedit capacitatem actiuam: nam hæc non absorbetur tota in actibus doloris, ad pœnam essentialem pertinentibus, siquidem alios simul actus tristitiæ accidentalis, odij, amoris, & desiderij circa diuersa obiecta, quæ liberè cogitat, & prosequitur, elicere potest: ergo non obstante tristitia, sicut potest obiectum istud cogitare, diligere, desiderare, & post assecutionem in illo complacere, poterit quoque delectari; quippe si dolor alios actus non impedit, cur istum ex illis connaturaliter resultantem impediet? quod magis elucescet ex solutione argumentorum. 32.

Ad primum negatur contrapositio, quia bonum ex integra causa, ideoque summa beatitudo secludit omne malum, non tamen datur summum malum positiuum, quod omnem bo- 33.

nitatem excludat, imò eo ipso quòd habeat realitatem, debet habere bonitatem connaturalem, sic ex parte intellectus nulla deceptio cadit in beatos, nec tamen è contrario damnati priuantur omni naturali cognitione vera. Similiter ergo licèt beati nullum patiantur dolorem, non tamen proptereà damnati priuandi sunt minima quadam accidentali delectatione, quæ respectu summæ tristitiæ ferè nihil reputetur, nec quidquam diminuat de dolore essentiali.

34. Ad secundum respondetur illam denegationem concursus pendere ex libera voluntate Dei, quæ per nullam nobis reuelationem innotuit, nec datur in Scriptura, & Patribus fundamentum sufficiens ad illam asserendam, quare qua facilitate ponitur, potest negari. Ad tertium negatur minor, ad cuius primam probationem dicimus cum Gregorio suprà, Aristotelem loqui de voluptate corporali, quæ ratione transmutationis corporeæ phantasiam, ac subinde intellectum impedit, ne possit de obiectis disconuenientibus ita cogitare, vt inde contristetur, & è contrario vehemens tristitia in nobis omnem considerationem aliarum rerum absorbere solet, imò nonnunquam vsum rationis, & libertatis suspendere; quod in spiritibus puris secùs contingit, cùm enim non dependeant in suis operationibus à corpore, non impediuntur propter summum dolorem, vel tristitiam, quominùs perspicacissimè alia intelligant, ament, desiderent, & per consequens de prauis desideriis expletis quoquo modo delectentur. Vnde patet ad tertiam probationem, quæ tenet in nobis, non in Angelis. Ad secundam respondetur, non ita limitari capacitatem passiuam, vel etiam actiuam voluntatis creatæ, vt plures actus simul non possit elicere, vel recipere, dummodo non sint formaliter oppositi.

35. Dubitatur tertiò, an pœna damni sit in omnibus Dæmonibus, vel damnatis æqualis. Affirmant plerique, Capreolus in 4. distinct. 22. quæst. 2. & 3. Bassolis quæst. 2. in fine, Paludanus quæst. 1. artic. 2. conclus. 2. Bonauentura art. 1. quæst. 2. Gabriel quæst. 1. conclus. 3. in fine, Durandus quæst. 1. num. 8. Angles quæst. de pœnit. artic. vltimo, difficultate 2. Medina Cod. de Pœnit. quæst. 8. in fine, Vasquius 1. 2. quæst. 87. artic. 4. & disputat. 100. cap. 5. Salas 1. 2. tract. 13. disputat. 15. sect. 10. Azor tom. 1. lib. 4. cap. 24. quæst. 3. & Victoria in summa quæstione 100. Probatur primò ex Scriptura, Iacobi 2. *Qui offenderit in vno factus est omnium reus*, quod intelligunt S. Thomas 3. part. quæst. 88. artic. 1. Victoria, & Bassolis suprà quoad pœnam damni, quæ non erit minor secundùm se in habente peccatum mortale, quàm in habente plura.

Capreolus.
Bassolis.
Paludanus.
Bonauent.
Gabriel.
Durand.
Angles.
Medina.
Vasquius.
Salas.
Azor.
Victoria.
Iacob. 2.
S. Thom.

36. Probatur secundò, quia priuatio totalis, quæ priuat subiectum tota forma, non suscipit magis, & minùs, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 73. artic. 2. & quæst. 82. artic. 4. & 5. & de malo quæst. 2. artic. 9. quippe totum esse priuationis est excludere formam oppositam, quare quæ totam excludit, non videtur esse posse maior, sed pœna damni est totalis priuatio diuinæ visionis in omnibus, & in singulis damnatis etiam propter vnicum minimum mortale, vel originale: ergo non suscipit magis, & minùs, nec potest esse inæqualis secundùm se, licèt secundùm suos effectus, imò secundùm suam stabilitatem, & firmitatem fateatur Salas esse pro diuersitate peccatorum inæqualem.

Hæc sententia reiicitur, quia pœna damni est præcipua pœna essentialis damnatorum; sed pœna iuxta rectum dictamen rationis sic respicit culpam, vt grauioribus delictis grauior punitio correspondeat: ergo in damnis habentibus inæquales culpas, inæqualis debet esse pœna damni. Confirmatur primò, quia videtur esse contra diuinæ iustitiæ rectitudinem, vt potissimam damnatorum pœnam æqualem sustineant, qui commisit vnum mortale, & qui mille, vel millia millium; æqualem Lucifer, Iudas, Mahometus, & puer cum solo originali decedens, imò & anima sancta Purgatorij. Confirmatur secundò, nam inæqualibus meritis inæqualis gloria essentialis respondet: ergo culpis inæqualibus correspondere debet inæqualis pœna essentialis, quoad præcipuam eius partem, quæ est pœna damni. Imò in sententia docente venialia coniuncta mortali puniri pœna æterna, sequitur æqualem omninò pœnam infligi habenti duo peccata mortalia, & habenti vnum cum pluribus venialibus; cùm tamen venialia quamplurima nunquam attingant malitiam, & grauitatem vnius mortalis. Sequela patet, quia pœna sensus respondens vni mortali est finita quoad intensionem, & cuilibet veniali respondet aliqua; ergo tot possunt esse venialia, vt illorum pœna æquet pœnam vnius mortalis; & prætereà ponitur pœna damni æqualis in omnibus: ergo quoad pœnam damni & sensus sunt æquales, qui fuerunt inæquales in culpa. 37.

Hæc certè conuincunt, pœnam damni, si capax sit inæqualitatis in seipsa, fore inæqualem in damnatis; de illa verò capacitate dubitatur. Et quidem esse capacem ostenditur generali ratione, quia pœna damni respondet auersioni, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 87. art. 4. Sed auersio est inæqualis, quamuis in priuatione consistat, quippe quo magis quis conuertitur ad vnum terminum, magis recedit ab alio: ergo similiter pœna damni ponetur inæqualis. Item priuatio gloriæ ob grauiora delicta maiorem affert cruciatum, & ignominiam: ergo est maior pœna damni. Respondet Salas inde colligi pœnam damni maiorem esse quoad effectum, non tamen in seipsa. Sed contrà, nam ex maiori effectu licet excessum causæ deducere. Idem enim secundùm idem semper est aptum operari idem: ergo cùm datur maior effectus, maior causa dignoscitur. 38.

Damnùm peccati macula est totalis priuatio nitoris gratiæ, nihilominus suscipit magis & minùs secundùm diuersitatem peccatorum à quibus causatur, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 86. art. 1. ad 3. ergo similiter pœna damni. Respondet Salas, maculam inuoluere peccatum ipsum actuale quod est quid positiuum capax inæqualitatis, pœnam verò damni nihil inuoluere positiuum, sed ordinem ad illud. Cæterùm contra euasionem vrgeri potest, quòd sicut ponitur pœna damni esse priuatio cum ordine ad suam causam, sic etiam macula, ponitur ibi à S. Thoma esse priuatio cum ordine ad suam causam, quæ est peccatum, & affert exemplum vmbræ, quæ est priuatio luminis ex corporis interpositione: ergo macula secundùm S. Thomam non inuoluit actuale peccatum, sed ordinem ad illud, sicut vmbra non inuoluit aliquid positiuum, sed causatu. 39.

causatu.

ſatur ab oppoſitione corporis poſitiui, & tamen ſecundùm iſtum ordinem recipit macula magis & minùs: ergo ſimiliter pœna damni. Propter hæc admittunt inæqualitatem huius pœnæ
Abulenſis. Abulenſis Matth. 25. quæſt. 639. & 640. Almai-
Almainus. nus cap. 23. 29. & vltimo circa finem, & in 4. diſt.
Dionyſ. Ciſterc. 22. quæſt. 1. vbi Dionyſius Ciſtercienſis, Palacius
Palacius. quæſt. vnica, & diſt. 46. quæſt. vnica, Scotus in
Scotus. 4. diſt. 16. quæſt. 1. art. 2. poſt ſecundam concluſ. & diſt. 50. quæſt. 1. art. 4. poſt primam concluſ.
Richard. Richardus ibi art. 5. quæſt. vltima, Maior quæſt.
Maior. 2. Ledeſma prima quarti quæſt. 29 art. 1. circa
Ledeſma. tertiam concluſ. Sotus in 4. diſtinct. 16. quæſt.
Sotus. 2. art. 1. poſt ſextam concluſ. Viguerius in In-
Viguerius. ſtitutionibus cap. 16. §. 4. verſ. 35. Cumelis. 1.
Cumel. 2. quæſt. 87. art. 4. dub. 2. Medina, & alij ibi,
Medina. Suarez. & quæſt 73. art. 2. & 3. p. quæſt. 88. art. 1. Suarez. 3. p. tom. 4. diſp. 13. ſect. 2. à num. 18. & lib. 8. de Angelis cap. 5. num. 7. & ſequentibus. Conſen-
Ægid. Luſit. tire videntur Ægidius Luſit. lib. 12. de beatitu-
Leſſius. dine. 9. art. 1. num. 63. & Leſſius de perfectionibus diuinis lib. 3. cap. 29.

40. In quo verò conſiſtat inæqualitas iſta, ſeu qualis ſit exceſſus pœnæ damni in maioribus pec-
Scotus. catoribus, variant iſti Doctores. Scotus, & cum
Herrera. illo Herrera in 2. diſt. 32. quæſt. 2. putant inæqualitatem ſumi ex eo quòd carentia viſionis vni ſit magis inuoluntaria, quàm alij. Sed contrà, quoniam hoc iam reducitur ad pœnam ſenſus, dum recurrunt ad dolorem ortum ex carentia, vel explicandus eſt talis exceſſus inuoluntarij reddendaque ratio, cur habenti plura peccata ſit magis inuoluntaria priuatio.

41. Ideò addunt carentiam iſtam, ſi ſumatur præcisè in ordine ad formam, quam negat, & ad naturam hominis præcisè ſecundùm capacitatem remotam viſionis beatæ, dici poſſe negationem, & æqualem in omnibus, tamen in eſſe priuationis eſſe inæqualem, quatenùs ſcilicet eſt negatio viſionis iam debitæ ſecundùm capacitatem proximam per merita, quæ poſſunt eſſe inæqualia, & per conſequens erit inæqualis carentia, prout priuat maiori, vel minori gloria debita maioribus, vel minoribus meritis. Hoc benè refellunt Cumelis, Suarius, & alij; tum quia poſſent nulla merita in duobus præceſſiſſe, quorum alter grauiùs peccauerit; tum etiam quia ſequitur, non eum, qui plus peccauit, ſed eum, qui poſt maiora merita peccauit, etſi leuiùs, quàm alius qui vel nihil, vel parùm meruerat; habere maiorem pœnam damni, quod videtur eſſe contra rationem iuſtitiæ.

42. Aliter Almainus dicit carentiam illam in eſſe priuationis eſſe ſemper æqualem, tamen in eſſe pœnæ reddi capacem inæqualitatis, quatenùs infertur propter maiorem, vel minorem culpam; quia de ratione pœnæ eſt ordo ad culpam; quare quo maior eſt culpa, eò carentia diuinæ viſionis in ratione pœnæ erit maior. Sed hoc reiiciunt Suarius, & Salas quoniam eſt nimis extrinſecum pœnæ, quòd imponatur de facto propter hanc, vel illam culpam, vt inde ſit maior, vel minor ſecundùm ſe; imò quia pœna eſt maior ſecundùm ſe, id eſt, inflictiua nocumenti maioris, ideò proportionatur maiori culpæ, ac debet imponi propter illam; alioquin omnia quoque peccata poſſent æquali pœna ſenſus puniri, quia licet eſſet æqualis ſecundùm ſe, redderetur inæqualis in ratione pœnæ, quatenùs daretur propter maiorem, vel minorem culpam, quod eſt omnino falſum, & in humanis etiam pœnis poteſt ſenſibilibus exemplis demonſtrari.

Sotus, & Abulenſis putant maximos peccatores magis affligendos pœna damni, hanc autem maiorem afflictionem prouenturam eſſe ipſis ex maiori odio, quo proſequuntur Deum: etenim quo quis grauioribus culpis ſcatet, magis Deum odit, quo autem quis aliquem magis odit, & cenſet inimicum, eò fert ægriùs damnum, quod ab illo patitur. Cæterùm licèt hoc interdum nonnihil conferat ad augmentum mœroris in damnis ſuſtinendis, in præſenti verò non videtur eſſe ſufficiens, vel adæquata cauſa inæqualitatis: non enim conſtat eos qui grauiùs peccarunt maiori actuali odio proſequi Deum in inferno: nam qui minora patrarunt crimina videntur habere maiorem cauſam murmurationis contra Deum, & dolendi de tanto damno, quam qui plurimis peccatis illud meruerunt, vt humanis exemplis facilè poteſt oſtendi. 43.

Ideò Leſſius, & Ledeſma docent, pœnam damni ex parte ipſius damni æqualem eſſe in omnibus damnatis, maiorem tamen, vel minorem ex parte afflictionis, & mœroris, quem damnum affert patienti; hanc verò diuerſitatem afflictionis ex illo damno prouenire, quatenus perfectiùs, & vehementiùs, vel minus perfectè, & vehementer magnitudo huius gaudij concipiatur, diuina iuſtitia id in illorum mentibus operante, iuſtum enim eſt, vt intelligant, ac ſentiant quantum bonum ſua culpa amiſerint, idque eò ampliùs, quò grauiùs peccauerunt. 44

Verumtamen in primis nouum hîc miraculum aſtruitur ſine ſufficienti fundamento, quòd ſi res poſſit ſine miraculo declarari, planior erit. Deinde maior illa perfectio, vel vehementia cognitionis (dum cognitio ſit vera) non repræſentat plus quàm in obiecto ſit; Sed totam grauitatem illius damni cognoſcunt planè omnes damnati, etiam qui minoribus culpis grauantur: nec enim credendum eſt, cùm pœna damni ſit præcipua peccatorum vindicta, quidquam magnitudinis illius quenquam damnatorum latere: ergo ſi cuncti afficiuntur æquali pœna damni, cuncti cognoſcunt æqualem grauitatem illius, & per conſequens habebunt æquale motiuum mœrendi. Præterea tota iſta inæqualitas, quam Sotus, Abulenſis, Ledeſma, & Leſſius aſſignant, pertinet ad actus poſitiuos doloris, & triſtitiæ, quos diximus ad pœnam ſenſus reduci, non ad ipſam priuationem viſionis, quæ propria eſt per ſeſe ſolam pœna damni, cuius inæqualitatem inquirimus. 45.

Suarius 3. p. dicit in ipſa priuatione reperiri moralem quandam inæqualitatem, non quidem in ordine ad merita præcedentia, vt dicunt Scotiſtæ, ſed in ordine ad actus, propter quos incurritur talis priuatio, ſicut enim ſingulis illis actibus ineſt priuatio rectitudinis debitæ, cui reſpondeter apud Deum aliquod præmium, ſic priuatio beatitudinis cenſetur reſpondere talibus actibus ſine debito modo factis, quia ratione illorum caruit homo, veluti prima diſpoſitione, per quam futurus eſſet proportionatus ad talem gloriam. At lib. 8. de Angelis pro huius doctrinæ declaratione addit, licèt priuatio gloriæ ſit in ſe quodammodo infinita, quatenùs gloria poſſet eſſe maior, & maior in infinitum, non tamen apprehendi totam illam priuationem à damnato, vt pœnam ſuæ culpæ, quia non apprehendit totam illam 46.

illam gloriam fuisse sibi possibilem in omni gradu. Quare damnati possunt apprehendere gloriam vt à se perditam in gradibus inæqualibus, atque ita priuatio visionis in ratione pœnæ damni poterit in eis esse inæqualis. Nec talis apprehensio erit ficta, sed cum fundamento in operibus eorum, & sufficienti ordine ex parte Dei.

47. Ceterum in ista doctrina displicet primò, quod totam inæqualitatem istius pœnæ reducat ad extrinsecam moralitatem, dicit enim eo cap. 5. num. 7. priuationem gloriæ physicam in omnibus esse æqualem: etenim cum priuatio secundùm physicam rationem sit malum damnati, debemus equidem in ipsa physica quidditate talis priuationis inæqualitatem damni rimari. Secundò quod malitiam actus peccaminosi reducat ad priuationem rectitudinis secundùm moralitatem extrinsecam, quoniam in sententia mihi probabiliori, malitia peccati est quid positiuum intrinsecum, & essentiale peccato actuali. Tertiò, quòd tandem recidat in opinionem Scotistarum, quam ipse reiecit: si enim inæqualitas priuationis prouenit à diuersis gradibus gloriæ, quæ damnatorum operibus ex ordinatione diuina respondere, contingeret eum qui propter vnicum peccatum mortale leue pluribus gloriæ gradibus sibi propter occurrentes operationes destinatis priuatur, maiorem sustinere pœnam, quàm eum, qui propter plurima, & grauissima peccata paucioribus gloriæ gradibus priuatus est.

48. Declaratur, nam Angeli quorum affert exemplum Suarius, quò perfectiores sunt in natura, eò maioribus auxiliis fuerunt præuenti, & ad maiorem gloriam destinati, vt suprà diximus: demus igitur aliquem septimi ordinis, vel octaui, scilicet Cherubinum duo peccata mortalia, vel vnicum, vel admodum graue commisisse (quod potuit accidere) Angelum verò infimi ordinis centum, & grauissima perpetrasse, certè in illo Cherubino, qui minùs peccauit, maior est pœna damni, quàm in isto Angelo, qui grauiùs deliquit. Idemque proportionaliter in aliis damnatis potuit euenire: nam sæpè qui plures excitationes & occasiones habuit adquirendi gloriam intensã, per venialis finis appositionem actus suos venialiter vitiauit, & tandem incidit in vnum mortale, quo periit, alius verò qui minorem potuit adquirere gloriam ob breue tempus, tenues, & raras excitationes, & occasiones excellentium virtutum, plura tamen mortalia commisit, ob quæ damnetur; ecce iste in doctrina Suarij minorem sentiet pœnam damni quàm ille, quoniam apprehendit gloriam à se perditam in paucioribus gradibus, quàm alter.

49. Quare dicendum existimo pœnam ipsam damni, quatenùs est priuatio beatitudinis, inæqualem esse in damnatis pro inæqualitate, ac numero peccatorum: nam, vt docui lib. 1. physic. priuatio quoad illam quidditatem priuatinam, quam habet, non solùm specificatur, ac indiuiduatur à forma, qua priuat, & à subiecto cui inest, sed etiam à causa, vnde prouenit, cùm ad istam etiam dicat transcendentalem, & essentialem respectum. Igitur cùm quodlibet peccatum mortale causet priuationem gratiæ, & gloriæ, prout peccata cuiuslibet damnati fuerint grauiora, vel plura, priuationes erunt diuersæ, vel plures in singulis, & cognitæ cum hac diuersitate à damnatis, maiorem, vel minorem incutient afflictionem, prout quisque videt in se fœdiores, vel plures priuationes ex grauioribus, vel pluribus peccatis prouenientes.

Hoc videtur expressè docuisse S. Thomas in 1.2. quæst. 86. art. 1. ad. 3. dum loquens de priuatione gratiæ per peccatum inducta, quam vocat maculam illius, dicit *non esse aliquid positiuè in anima, nec priuationem solam* (intellige cum solo ordine ad formam, & subiectum) *sed priuationem in ordine ad suam causam, quæ est peccatum; & ideò diuersa peccata diuersas maculas inducunt, quemadmodum secundùm diuersitatem corporum obiectorum diuersificantur vmbra.* Vbi cùm excluserit omne positiuum, ordinem illum intelligit aliquid esse priuatiuum in ipsamet priuatione imbibitum, illamque distinguentem specificè vel numericè. Idem videntur significare Palacius, Ægidius Lusit. & alij, cùm dicunt in pœna damni considerandam esse priuationem cum ordine ad suam causam: nam ille ordo in ipsa priuatione inest indistinctus ab illa, & per consequens pertinens ad ipsius specificationem, vel indiuiduationem. 50. S.Thom.

Præterea possumus ad hominem contra Salam arguere: nam admittit priuationem totalem per ordinem ad suas causas recipere magis, & minùs quoad suam firmitatem, & stabilitatem: sed firmitas ista non distinguitur à priuatione realiter, cùm non detur ibi realitas etiam priuatiua, quæ causetur à peccato, & distinguatur à priuatione, ergo inæqualitas firmitatis est inæqualitas ipsiusmet priuationis secundùm physicam quidditatem priuatiuam, quam habet in se. Nec valet quòd à simili effectus arguit Salas: nam effectus non specificatur à causa, magis ad rem est exemplum actionis, quæ secundùm meliorem philosophiam non solùm à termino, sed etiam ab agente totali specificatur propter debilissimam entitatem, quam habet: similiter ergo priuatio propter debilissimam eius entitatem negatiuam non solùm à forma, & à subiecto, sed etiam à causa totali (id est, quæ per se solam sufficit totalem priuationem inducere) pendet essentialiter, & pro causarum varietate, seu numero variatur, & multiplicatur. 51.

Ad primum primæ sententiæ respondetur varias esse illius loci expositiones, quæ nostræ sententiæ non repugnãt. Augustinus epistola 29. ad Hieronymum, Oecumenius, & Beda intelligunt *in vno*, id est, in primo, seu primario præcepto charitatis, de quo proximè locutus fuerat Apostolus, sicut enim in vno præcepto charitatis seruatur tota lex, quia plenitudo legis dilectio, sic etiam hoc violato tota videtur violari. Gregorius 19. Moral. cap. 16. explicat locum istum per illum Eccles. 9. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet*, quæcunque enim per omnium aliorum præceptorum obseruantiam lucratus quis fuerit, vnius peccati operatione disperdet. Addit Rickelius illum reatum omnium non intelligi formaliter, sed quodammodo æquiualenter in genere, quatenùs per vnum mortale perduntur charismata gratiæ in præsenti, & gloriæ dona in futuro. Aliter Augustinus tom. 4. lib. de vera & falsa pœnit. cap. 14. *In vno offendens* (inquit) *factus est omnium per ingratitudinem reus, ingratus enim extitit, qui plenius virtutibus Deum omnino non timuit.* Magister in 3. distinct. 36. recurrit ad amissionem charitatis, qua seruanda erant cũcta præcepta meritoriè, quod sequitur S. Thomas 2.2. quæst. 5. art. 3. & 1. 2. q. 73. art. 1. ad. 1. sequitur 52. August. Gregor. Rickelius. August. Magister.

sequitur expositionem Alberti de auersione ab vno summo bono, à qua quodlibet mortale habet formaliter quòd sit tale. Burgensis, quem se-
Vasquius. quitur Vasquius 1.2.quæst.73.art.1.explicat,qui offendit in vno, fieri transgressorem legis quam vniuersam debebat implere, nam Pharisæi putabant non damnari eum, qui maiore ex parte legem obseruaret, quasi saluaretur, qui maiorem cumulum bonorum operum, quàm peccatorum haberet. Quòd autem ad priuationem gratiæ & gloriæ referunt Pauli sententiam nonnulli Patres, potest etiam capi de identitate quoad formam, qua totaliter priuat, & quoad æternitatem durationis.

53. Vnde respondetur ad secundum, priuationem totalem non recipere magis & minùs ex parte formæ, quam quæuis penitùs tollit, & hoc voluisse S. Thomam ibi relatum: nam priuationem præcisè consideratam cum solo respectu ad formam vocat priuationem solam, vt vidimus num. 50. ac ex parte respectus ad causas variari, & multiplicari priuationes docuit idem S. Thomas, & suprà declarauimus. Vnde prouenit, quoad suos effectus, & quoad stabilitatem propriam secundùm magis & minus distingui.

DISPVT. XXVIII.

De cruciatibus Dæmonum.



VT Dæmonum supplicia concludamus, restat præcipua pœna sensus ab igne prouenìens discutienda, de qua inquiremus tria: An detur verus ignis Dæmonem crucians: Quomodo crucier, & vbi.

CAPVT I.

An Dæmones torqueantur igne corporeo.

1. Svppono contra quosdam antiquos Philosophos Pythagoram, Epicurum, Ciceronem in Tusculanis, Plinium lib.2. cap. 65. Auicennam 9. Metaphys. vltimo cap. qui pœnas omnes vitæ futuræ negabant; Dæmones, & damnatos puniri pœna quadam, quam ignis nomine
Cicero. Plinius. Auicenna.
Matth.25. Apoc.20. Scriptura significet. Matth. 25. Apoc. 20. & sæpè alibi, sicque docent communiter Patres, præ-
August. Gregor. sertim Augustinus 21. de Ciuit. cap. 10. & Gregorius 4. Dialogorum cap. 29. An autem verus ignis, an metaphoricus intelligendus sit, examinemus.

2. Ad metaphoram recurrunt nonnulli. Philo in
Philo. lib. de congressu, eruditionis causa dixit per ignem significari vermem conscientiæ, sequuntur
Catherinus. plures Lutherani, & ex Catholicis Catherinus lib. de præmiis bonorum, & suppliciis malorum dixit ignem inferni non esse verum ignem sensibilem, atque corporeum, sed esse pœnam spiritualem, quæ per metaphoram dicitur ignis. Probatur primò ex Scriptura, quæ simul cum igne tribuit damnatis & inferno res alias, quæ so-
Luc.16. lùm metaphoricè capi possunt, Luc. 16. simul cum flamma fit mentio oculorum, digiti, aquæ, linguæ, quæ animabus separatis propriè non competunt. Iob 24. Aquarum & niuium. Isaiæ Iob 24.
66. & Marci 9. Vermis, qui non moritur Matth. Isaiæ 66.
8. tenebrarum, fletus, & stridoris dentium. De- Marc 9. Matth.8.
nique Luc. 3. & Matth. 3. dixit Christo Ioannes Luc.3.
Ipse vos baptizabit spiritu sancto, & igne, vbi metaphoricus ignis accipiendus est, ne cauterium ignis, vt quidam hæretici baptismo coniungamus: ergo ignis etiam pœnalis metaphoricè capietur.

Probatur secundò ex Patribus, nam Tertul- 3.
lianus in Apologetico cap. 48. & Origenes lib. Tertull.
2. Periarch. cap. 20. aliàs 11. & homil. 9. in di- Origenes.
uersos locos Matthæi circa finem, ignem corporeum negant in inferno. Augustinus lib. 20. de Augustinus.
Ciuit. cap. 16. & lib. 21. cap. 10. & lib. 12. de Genes. ad litteram cap. 32. dubitare videtur, imò declinare in metaphoram, Gregorius lib. 15. Gregor.
Moral. cap. 14. aliàs 17. & Ambrosius lib. 7. in Ambrosius.
Luc. ad cap. 14. §. 3. vocant ignem incorporeum.
Fauent Hieronymus Isaiæ 66. & Damascenus 4. Hieronym. Damasc.
de fide cap. vltimo. Confirmatur, quia sic enodantur multæ difficultates, quæ in igne corporeo spiritum cruciante, & comitante conperiuntur.

Veritas Catholica docet ignem inferni, qui 4.
paratus est Diabolo, & Angelis eius esse verum ac proprium ignem corporeum. Probatur quia Scriptura sæpe tradit spiritus, & homines damnatos igne perpetuo cruciandos. Deut. 32. Iu- Deut.32.
dith. 16. Psalm. 10. Ecclesiast. 7. & 21. Isaiæ 3. Iudith.16. Psal.10.
Matth. 3. 5. 13. 18. & præcipuè 25. Marc. 9. Ecclef.7. & 21.
Apoc. 14. 18. 19. 20. & 22. 2. Thessal. 1. 2. Pet. 3. Isaiæ 3.
in epistola Iudæ, ac sæpe alibi: sed Scripturæ debent sumi cum proprietate, quando commodè Matth.3.5.
possunt, iuxta regulam sumptam ex Augustino 13.18.25.
lib. 8. de genes. ad litteram cap. 2. & lib. 3. de Marc 9.
Doctrina Christiana cap. 10. & 11. præsertim Apoc.14.18. 19.20 22.
quando modus loquendi est frequens, & vnifor- 2. Thessal.1.
mis atque proprius sensus non solùm non habet 2.Pet.3.
inconueniens, sed ad bonos mores vtilior est, vt Epist. Iudæ.
in præsenti reperitur: ergo datur in inferno verus Augustinus.
ignis corporeus.

Confirmatur, quia Tridentinum sess. 4. deci- 5.
dit Scripturas interpretandas esse iuxta commu- Conc. Trid.
nem Patrum sensum: Patres verò communiter in sensu proprio capiunt prædicta testimonia, tum quia simpliciter vocant ignem nullam metaphoricæ significationis mentionem facientes; tum etiam quoniam expressè nonnunquam dicunt esse corporeum. Gregorius 4. Dialogorum cap. Gregor.
29. ait. *Corporeum esse non ambigo*. Augustinus August.
lib. 21. de Ciuit. cap. 9. & 10. dicit corporeum esse ignem, & hoc confirmat cap. 11. & in sermone 181. de tempore. Hugo Etherianus lib. de Hugo Eth.
regressu animarum cap. 12. sentit non esse dubitandum in hac parte. Hugo Victorinus lib. 2. de Hugo Vict.
sacramentis par. 16. cap 3. inquit *Verissimè, auctoritate sacri eloquij, & Catholicæ veritatis probatur testimonio, corporali & materiali igne animas etiam nunc ante susceptionem corporum cruciari.*
Vide plures apud Iodocum Coccinm lib. 10. Iodoc Coc.
Thesauri art. 7. & Lorich. in suo Thesauro verb. Lorich.
Infernus. Consentiunt Magister, & Scholastici Magister.
in 2. dist. 6. & 7. & in 4. dist. 44. S. Thomas S.Th.
opusc. 2. cap. 179. & in 4. dist. 44. quæst. 3. a. 2. & in addit. quæst. 97. art. 5. Pesantius hic art. Pesantius.
4. disp 4. Vasquius disp. 243. cap. 1 Suarius 3. p. Vasquius Suarez.
com. 4. disp. 46. sect. 1. & lib. 8. de Angelis cap. Bellarm.
12. Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 11. Maldonatus
Maldonatus, Batradas, Salmeron, & similes ad & alij.

loca

loca citata. Vasquius tamen addit hoc adhuc non esse definitum ab Ecclesia; imò cùm Græci Patres in Florentino dixissent ignem Purgatorij non esse verum, & corporeum, in decreto fidei sessionis vltimæ, vbi multa contra ipsos definiuntur, nihil dicitur de igne Purgatorij.

6. Ex lib. de vera, & falsa pœnitentia, qui tribuitur Augustino cap. 18. sumpsit S. Gregorius suprà hoc argumentum pro veritate Catholica. Post diem iudicij homines reprobi punientur, etiam in corpore, pœna scilicet corporali, ac subinde per actionem corporalis agentis: ergo præcipuè per ignem corporeum, qui datur in inferno: sed ab eodem torquentur Dæmones à quo punientur homines post diem iudicij, iuxta illud
Matth. 25. Matthæi 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius:* ergo ignis crucians
Sotus. Dæmones corporeus est. Addit Sotus in 4. dist. 50. esse eiusdem speciei cum igne elementali, quod nomen ipsum ignis frequens apud Scripturam, & Patres præseferre videtur. Quòd verò dicit esse alterius materiæ, non probo, quia nec alia materia est capax talis formæ, vel talium qualitatum; nec opus est illam confingere; quòd enim sine pabulo inextinguibilis perseueret, contingere potest vel voluntate Dei, vel ratione loci, vbi nihil ab extrinseco patiatur, verosimilius est quod docet Suarius non esse purum elementum, sed longè maiorem habere densitatem aptam ad fortius agendum naturaliter in corpora ad modum sulphuris vel metalli liquefacti, vel ferri candentis, in cuius poris sit verus ignis, & ipsa tota materia vehementer ignita sit.

7. Ad primum in contrarium, dato antecedenti, posset negari consequentia, quoniam in nullo sunt tam frequentes locutiones Scripturæ, nec tãtus PP. ac Theologorum consensus, nec circunstantiæ, seu contextus Scripturarum, nec rationes vel coniecturæ, quæ sumuntur exinde, ita indicant literalem sensum secundùm proprietatem sermonis in alijs rebus, sicut in igne. Quare cum minori periculo posset de alijs pœnis, quàm de igne diuersimodè sentiri. Adde Christum in Euangelio loqui plerumque de pœnis inferni, respectu hominum, qui tandem in corporibus etiam redintiuis cruciabuntur, & ita in eis possunt ea loca cum maiori proprietate capi, quàm respectu spiritus puri, vel Dæmonum. Sed in particulari per adducta testimonia discurrendo, dicimus
Luc. 16. Luc. 16. Christum Dominum vsum fuisse verbis partim metaphoricis, partim proprijs, prout rebus accommodari poterant, & suæ intentioni magis seruiebant, vel vsum esse vocibus illis in significatione propria repræsentando pœnam illam, prout resumpta corpora in perpetuum torquebit.

8. Aquas, & niuem non pauci concedunt propriè sumi, significaréque quasdam vicissitudines pœnarum frigoris, & caloris, sed verosimilius est ex ipso contextu, & discursu capitis sermonem ibi fieri, non de pœnis inferni, sed huius vitæ: nam S. Iobus imprecatur peccatoribus ne habeant in hac vita refrigerij locum, sed ab vna tribulatione transeant ad aliam. Vbi calor & aquæ niuium metaphoricè designant varias miserias huius sæculi. Vermis dicitur metaphoricè respectu spirituum, & sumitur pro remorsu conscientiæ: nam actio vermis, quæ vitalis esse deberet, non habet locum respectu spiritus, cuius substantiæ nullam partem posset mordendo torquere. Ceterùm respectu corporum damnatorum admitti possent proprij vermes, qui miraculosè conseruentur ibi, eorúmque cruciatus vel sine ablatione substantiæ fiat, vel continuata reactione sine alia alteratione perpetuò conseruetur; & quidem Ecclesiast. 7. num 19. & Iudith 16. num. 21. Eccl. 7.
carnibus damnatorum tribuuntur vermes. Quare per hæc possumus alia etiam loca Isaiæ 66. & Iudith. 16. Isaiæ 66.
Marc. 9. de vermibus corpora damnata corrodentibus interpretari. Marc. 9.

Tenebras spirituales intelligunt Hieronymus 9.
ibi, Ambrosius lib. 7. in Luc. ad cap. 14. Augustinus epistola. 120. ad Honorium cap. 22. & in Psal. 6. scilicet extremam cæcitatem mentis, sed magis ad litteram capere possumus de propria priuatione lucis in loco pœnarum, quam B. Iudas vocat caliginem sub qua Dæmones reseruantur; nec ignis inferni pellet tenebras: nam vrit, & non lucet, vt dicunt Basilius, Damascenus, Gregorius, & alij Patres, licèt Gregorius, & Isidorus concedant tantam ibi lucem dari, quanta sufficiat ad aspicienda tormenta ipsa, vnde dolor etiam augeatur. In quo sensu Nazianzenus oratione in sanctum baptisma, dixit ex sæuo illo igne lucem nasci; dicuntur autem tenebræ damnatorum exteriores, siue extimæ, seu extremæ, vel quia sunt profundissimæ, vt indicat Hieronymus Isaiæ 24. & Theophylactus Marc. 13. vel quia sunt extra omne regnum cælorum triumphans, & militans, vt vult Suarius lib. 8. cap. 12. num. 32. fletus, lachrymæ, stridor dentium, solùm metaphoricè possunt spiritibus adaptari, denotando tristitiam & iram damnatorum, vel acerbitatem supplicij; corporibus verò possunt competere: nam stridor dentium motus localis est, qui iugiter poterit in damnatis durare, ac ex acerbitate doloris prouenire; lacrymis non deerit materia; nam corpora damnatorum, licèt perpetua, tamen erunt passibilia, & alterabilia, quare poterunt partes humorum in lachrymis resolui, & ne materia finiatur tantumdem ex aëre circumstante, vel ex alijs putridis materijs ibi redundantibus restaurari.

Hieron. Ambros. August. Nazian. Isaiæ 24. Theophyl. Suarius.

Ad vltimum locum fatemur ignem interdum 10.
metaphoricè sumi, non tamen ideò semper capiendus est metaphoricè, sed iuxta litteræ contextum, regulas Scripturæ, Patrumque sensum, & Ecclesiæ diiudicandum erit quando sumatur propriè, vel impropriè. Imò licet ibi metaphora quædam insit, nihilominùs ignis quoque visibilis significatus est quatenùs Christus Dominus Spiritum sanctum sub specie ignis missurus erat, vt communiter sancti declarant.

Ad secundam probationem non est multum 11.
curandum de Tertulliano, & Origene, qui circa materiam istam errarunt. Augustinus in eo Augost.
loco de Ciuitate solùm intendit ex illo testimonio Luc. 16. solitariè sumpto non conuinci quidem inferorum ignem esse corporeum, sed adiunctis alijs locis, & frequenti locutione Scripturæ rectè colligitur ibi fieri sermonem de igne proprio, quem libro 21. de Ciuit. cap. 10. Augustinus agnouit, & licèt incorporalem flammam appellet, qua diues exarsit, per flammam non intelligit ipsum ignem, sed effectum eius in animam diuitis, qui potuit esse spiritualis, licèt ignis illum causans sit corporalis. Hieronymus quoque prodit satis sensum suum; alij etiam Patres incorporeum vocant ignem, non quoad substantiam, sed quatenus non eget pabulo corporeo, sicut noster, Ambrosius vel excusandus est,

quia

quia tunc temporis nondum erat hæc veritas in Ecclesia prorsus perspicua, vel piè exponendus de effectibus spiritualibus ex igne prouenientibus in mente damnati. Ad confirmationem patebit ex sequentibus, omnes enim difficultates supposita voluntate diuina, quæ per Scripturas innotescit, vincit potentia facientis.

CAPVT II.

Quomodo torqueantur Dæmones igne.

1\. Durand. Bellarm. Pesantius. Augustinus. Hvius rationem reddi non posse dicunt Durandus in 4. dist. 44. quæst. vltima, Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 12. Pesantius 1. p. quæst. 64. art. 4. disp. 5. quoniam Augustinus 10. de Ciuit. cap. 10. ait miris, & ineffabilibus modis ignem illum torquere. Item Gregor. Gregorius 4. Dialogorum cap. 29. ait *Ex igne visibili inuisibilem pœnam animas trahere*; putant autem inuisibilem dici, id est, nobis occultam & Hugo. Vict. incognitam. Addi potest Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis p. 16. cap. 3. dicens. *Quomodo, inquiunt, anima sine corporibus à rebus corporalibus pati possunt? Ecce dicamus nescimus quomodo hoc fieri possit, numquid ideò verum non est, quia nescimus quomodo est?* & parte 9. cap. 11. in simili ait. *Nec mireris, opus Dei est hoc, opus mirum est, sed non ideò falsum, quia mirum est, & verum est quia mirum est, nec tamen sit mirum, quia opus Dei est, non est mirum si mirabilis mirabilia operetur.* Sed quamuis abstrusa sit pœna ignis spiritibus inflicta, nec possit nobis certò constare; non ideò penitùs desistendum erit ab aliquali disquisitione, saltem vt inter varios dicendi modos Suarius. magis verisimilem eligamus, siue, vt dicit Suarius lib. 8. cap. 14. num. 3. ad aliqua saltem prædicata essentialia huius pœnæ dignoscenda, nam si habemus ex doctrina reuelata ibi dari veram actionem ignis, sufficienter colligimus terminum illius esse verum accidens, quod ad prædicamentum aliquod, & ad aliquam speciem illius pertinere probabiliter opinemur.

2\. Prima sententia realem actionem excludit, & solam admittit apprehensionem, quia Dæmones apprehendunt ignem, vt sibi disconuenientem, quasi noxius illis appareat, licèt nullum reipsa Albert. nocumentum inducat. Insinuat Albertus in 4. dist. 44. art. 20. ad vltimum, & art. 34. Fauet Bonauent. Bonauentura in 4. dist. 4. p. 2. art. 3. quæst. 2. Gregor. Probatur ex D. Gregorio 4. Dialogorum cap. 29. vbi de spiritu, qui cruciatur in inferno, inquit. *Ignem namque eo ipso quod videt, & quia cremari se aspicit, crematur.* Confirmatur ratione, quia malum apprehensum non minus contristat, quàm verum, & sic sufficienter, & facilè cruciatus Dæmonum declaratur.

3\. Hæc sententia reiicitur primò, quoniam intellectus Angeli non potest sic decipi, sicut homines, qui falsa imaginatione cruciantur. Etenim Arist. vt dixit Aristoteles in libris de Anima. *Sola apprehensio, vel imaginatio non mouet affectum, nec causat amorem, vel tristitiam, nisi ad iudicium perueniat.* Quare ad causandam vehementem Dæmonum afflictionem non sufficit simplex apprehensio, sed requiritur iudicium de vehementi malo, quod præsens esse, personamque torquere iudicetur; sicut cupido, vel timor efficax supponit iudicium de bono possibili, vel de malo futuro; sed Angelus etiam per peccatum deordinatus non potest naturaliter iudicare ignem sibi nociuum esse, si reuera nihil nocet, nec Deus imprimet talem errorem mentibus Dæmonum, ne sit auctor mendacij; ergo si nihil nocet ignis Angelo, non potest hic ignem apprehendere, vt disconuenientem sibi. Secundò, quia iuxta illam sententiam non tam ignis Dæmones cruciaret, quàm ipsimet sua se cogitatione torquerent, quod non satis consonat Scripturis, & Patribus ignis Gregor. cruciatum expendentibus, præsertim Gregorio 9. Moral. cap. 38. aliàs 45. dicenti. Rectè inferni claustra tenebrosa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam transitoria, vel phantastica imaginatione, sed vltione solida cruciant.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur Gregorium in eo capite satis explicuisse mentem suam, subdit enim, *Igne visibili ardor, ac dolor inuisibilis trahitur, & per ignem corporeum mens incorporea etiam incoporea flamma cruciatur.* Vbi licèt referat cruciatum Dæmonum in 4. apprehensionem, quæ, cùm sit spiritualis, dicitur à Gregorio ardor inuisibilis, & incorporea flamma, tamen sicut dicit flammam ab igne corporeo deriuari, sic etiam docet apprehensionem spiritualem ab ipsomet igne prouenire, quod magis expressit subdens. *Quamuis colligere ex dictis Euangelicis possumus, quia incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur.* Quid clarius? quia verò corporeus ignis non inducit naturaliter dolorem, nisi medio sensu tactus; ideò declarat illam afflictionem spiritus ab igne non fieri medio tactu, sed per apprehensionem, seu visionem mentalem, non tamen sine quadam actione ordine naturæ præcedente, quæ dolorem inferat; & ideò cognoscatur esse dolorifera, quod significat illis verbis, *quia cremari se aspicit, crematur*, non solùm ergo videt ignem, sed etiam videt se ab igne cremari: Quare causalis illa facit hunc sensum, quia videt se cremari actione physica, & vera; crematur vitaliter, id est, affligitur, & dolet de combustione dolorifera. Ad confirmationem constat ex dictis, apprehensionem, seu iudicium falsum in Dæmonibus non habere locum circa materiam istam, nec per illam deceptionem satisfieri Scripturis, & Patribus dicentibus Dæmones à vero igne torqueri: nam iuxta illam sententiam ab igne solùm apparenti cruciarentur.

Secunda sententia sit, animas separatas, & 5. Dæmones in inferno torqueri cogitatione veri mali, sed non alterius, quàm priuationis desiderati boni, quæ dicitur afflictio ignis, vel quia maxima est, ideoque comparatur igni, qui maximè cruciat inter sensibilia, vel quia iuxta, vel intra ignem sic patiuntur. Ita Durandus suprà Durand. quæst. 11. & subdit, Patres in limbo non sic fuisse cruciatos, quoniam sperabant certissimè beatitudinem, nec pueros sine baptismo decedentes quia nesciunt, quid sit beatitudo; animas verò Purgatorij eatenùs affligi, quatenùs patefacta iam via salutis æternæ retardantur ab eius assecutione. Huius sententiæ meminit Hieronymus in Hieron. cap. vltimum Isaiæ, nec illam videtur improbare. Fauet Ambrosius lib. 7. in Luc. cap. 14. prope Ambros. fin. Vbi dicit. *Ignis est, quem generat mœstitia delictorum.* Isidorus lib. 1. de summo bono c. 13. Isidorus. sententia 1. duplicem tradit damnatorum pœnam, *quorum & mentem vrit tristitia, & corpus flamma.*

Innoc. III. *flamma.* Similiter Innocentius III. lib. 3. de contemptu Mundi cap. 2. & 6. Ignis tormentum in corporibus solùm damnatorum agnoscit tristitiam in anima.

6. Hanc sententiam reiiciunt communiter Patres, & Doctores, imò Durandus ipse non reputat illam sufficientem ad exponendam pœnam ignis, & meritò: tum quia metaphoricam facit pœnam ignis, cùm Patres cap. 1. relati præsertim Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 29 & lib. 9. Moral. cap. 38. & 39. alias 46. & 48. Nyssenus in disputatione de anima, & resurrectione paulò ante medium, & Hugo Victorinus quæst. 3. in epistolam ad Thessalon. non solùm ignem verum, sed veram ab illo passionem tribuant damnatis; tum quia præter tristitiam de priuatione gloriæ significant Scripturæ, & Doctores cruciatum ignis, & dolorem ex illo prouenientem, nec verus ignis potest verè cruciare per solam priuationem gloriæ, vel tristitiam ortam ex illa, quia prorsus impertinens est respectu illarum.

(Gregor. Nyssen. Hug. Vict.)

7. Quare contra istam, & præcedentē sententiam vrgent locutiones Scripturæ, nam Isaiæ 3. ignis inferni dicitur deuorans, Luc. 16. flamma cruciate, Matth. 3. paleæ, id est, reprobi combutendi dicuntur igne inextinguibili. 2. ad Thessalon. 1. dicitur ignis vindictam dare non cognoscentibus Deum, & apud Patres ignis inferni torquet, cruciat, affligit, cremat, vrit, punit damnatos, & hi ab igne patiuntur, cruciantur, trahunt dolorem, afficiuntur pœna. Videantur suprà citati, & Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. Cyrillus Hierosol. catechesi. 8. Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum lapsum, Cyprianus sermone de Ascensione Domini, Cyrillus Alexandrinus oratione de exitu animæ, & plures apud Iodocum Coccium tom. 2. Thesauri lib. 10. art. 7. qui non solùm loquuntur de igne isto respectu corporum, sed etiam respectu animarum, de quibus eadem est in hoc ratio cum Dæmonibus: Sed omnia hæc sonant realem actionem ignis in damnatos: ergo sic asserenda est.

(Isaiæ 3. Luc. 16. Matth. 3. 2. Thess. 1. Fulgent. Cyr. Hierosol. Chrysost. Cyprian. Cyr. Alex. Iodoc. Coc.)

8. Tertia sententia ponit actionem ignis in Dæmones, non realem quâ producatur calor in illis, sed intentionalem, quâ producatur species intentionalis cogens ad apprehensionem valdè contristantem ipsos. Sic Albertus suprà, qui putat ignem producere hanc speciem, vt instrumentum Dei, pro quo citatur Heruæus quodlib. 5. quæst. 7. & in 2. dist. 7. quæst. 2. art. 2. Fauet S. Thomas in 4. dist. 50. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad 3. dicens passionem damnatorum ab exterioribus non esse futuram materialem, sed spiritualem secundùm quod sensibilia agunt in sensum, imprimendo ipsi formam secundùm esse spirituale.

(Albert. Heruæus. S. Thom.)

9. Bonauentura in 4. dist. 44. p. 2. art. 3. quæst. 2. in fine corporis dicit, actionem istam intentionalem esse connaturalem tam spiritui, quàm igni: nam & spiritus est naturaliter receptiuus specierum intentionalium ignis, & ipsemet ignis natura sua quodammodo est intentionalis passionum, saltem per occasionem, iuxta doctrinam Augustini, quem allegat lib. 6. de Musica cap. 5. & explicatur ex iis, quæ solet anima, dum est in corpore ab extrinseco pati intentionaliter.

(Bonauent.)

10. Speciem istam ab igne productam impugnat S. Thomas. 4. contra Gent. cap. 9. & alij plures, primò quia superflua est, nam iuxta suprà dicta disp. 8. cap. 3. Angelus habet species rerum naturalium sibi congenitas, per quas, dum obiectum est possibile, cognoscit illud abstractiuè, dum existit autem, cognoscit illud Angelus intuitiuè, nec per damnationis statum priuatur his speciebus: ergo non eget noua specie ab igne producta, quæ repræsentet ignem, quem actu existentem per speciem inditam ignis cognoscere possunt Dæmones, vt præsentem; nec apparet quid aliud possit in ista sententia experimentalis (quam vocant) repræsentatio delineare.

11. Secundò, quia naturaliter nequit ignis producere per sese speciem spiritualem in Angelo, vt diximus eo cap. 3. quia nec corpus est naturaliter actiuum in spiritum, nec Angelus habet intellectum agentem ad educendas species à rebus sensibilibus, nec talia obiecta materialia possunt etiam per occasionem excitare intellectum Angeli, quia non præbent occasionem, nisi mediis sensibus, quos Angelus non habet. Nec Augustinus lib. 21. de Ciuit. cap. 10. dicit Dæmones aliquid ab igne naturaliter pati, vel recipere, sed ex eo quòd in nobis naturaliter experimur, cum anima spiritualis afflictionem corporis dolet, manuducit ad credendum posse Deum veris, licèt miris, modis cruciare Dæmones per ignem. August.

12. Præterea licèt possit Deus ignem assumere, vt instrumentum ad producendam speciem, tamen difficile videtur per impressionem intelligibilis speciei torqueri Dæmonem, vt arguit S. Thomas suprà; cùm enim sit forma intentionalis, potiùs perficiet, quàm affliget intellectum, vt patet in aliis speciebus Angelorum, & nostris: nam species constituit intellectum in actu primo ad intelligendum, & nulla alia perfectione naturali illum priuat. Respondet Ægidius Rom. quodlib. 2. quæst. 9. & quodlib. 4. quæst. 15. impressionem intentionalem, quando fit ab agente, à quo intellectus in suo esse non pendet, sed solùm quoad operationem non causare dolorem, ideóque nostrum intellectum possibilem, cùm ab intellectu agente recipit species eductas ex phantasmate non dolere, quia non pendet à phantasia in suo esse, sed solùm in operari; tamen quando impressio fit ab agente, à quo pendet intellectus in suo esse, tunc si fit impressio præternaturalis, causare dolorem; intellectus autem Dæmonis pendet à Deo in suo esse, quapropter impressio speciei, quæ in illo fit ab igne virtute diuina, inferet dolorem, *multo magis* (inquit) *quàm ignis naturalis cremans corpus naturaliter causet dolorem.* Ægid. Rom.

13. Hæc euasio præcluditur: nam dependentia Angelorum à Deo in suo esse nihil refert ad recipiendum dolorem per speciem à Deo productam mediante igne, si species ipsa (vt vidimus) non sit contraria, vel disconueniens Angelo, quia si effectus secundùm se non lædit, vel malè afficit recipientem, parùm refert quòd ab hac, vel ab illa causa procedat, vt causet dolorem, sicut è contrariò si nimia calefactio, vel calor causat dolorem, non est quia procedit ab igne, vel à sole, vel à Deo, sed quia talis calor est ita disconueniens homini, vt inde dolorifera qualitas resultet.

14. Recentiores quidam Thomistæ relati à Vasquio 1. part. disput. 243. num. 11. respondent, quòd licèt ignis ardentis species de se non sit noxia Dæmoni, nihilominus habere illam à re tam vili, subdique corporali obiecto quoad receptionem illius est imperfectio repugnans Angelicæ dignitati; atque ideò contristat Dæmonē; Vasquez.

sed

sed hoc etiam friuolum est, quia recipere ab igne tanquam ab instrumento Dei, est recipere principaliter à Deo, quod non est contra dignitatem Angelorum, sed valde conforme conditioni creaturarum; imò recipere gratiam mediante aqua, vel oleo in sacramentis ... decorum est naturę rationali. Deinde deberent isti Doctores exponere quod sit obiectum propriè, ac directè per illam speciem repræsentatum, & an illud noxium sit, necne: nam illa species per se, ac directè non repræsentat, quod ipsa fiat ab igne, hoc enim solum consequenter facit cognoscere, non tam vt species repræsentans intentionaliter, quàm vt effectus indicans causam suam: ergo debet aliquid aliud repræsentare. quòd si obiectum per se ac directè repræsentatum per talem speciem non lædit Angelum, nec vt tale repræsentatur per illam speciem, illa per se non afferet dolorem, & per consequens nec quod fiat ab igne, potest causare dolorem, quia hoc nullum infert Angelo nocumentum: si autem obiectum illius speciei est aliqua læsio Angeli, necesse est illam fieri per aliam actionem distinctam ab impressione speciei & præuiam ad illam: nam obiectum præsupponitur ad speciem.

15. Richard. Dicunt alij, quorum meminit Richardus in 4. dist. 44. a. 2. q. 3. sicut species excellens in sensu causat molestiam, sic ad instar Dæmones ex impressione istius speciei, quia vehemens est. Sed contra ipse Richardus notat in sensu quidem posse speciem excellentem, seu potiùs excellens obiectum causare dolorem, quia lædit per physicam alterationem nociuam, at species intelligibilis quantumuis sit excellens, sine alteratione physica non potest intellectui nocere, nec per consequens inferre dolorem. Quare Richardus addit speciem illam adeò vehementem produci, vt intellectum Angeli supra modum, & exigentiam naturalē immutet & perturbet, ac in ignis cōsideratione detineat, prohibēs, ne possit Angelus pro libito ad res alias cogitādas diuertere, vnde valdè contristatur.

16. Hoc etiam non valet, quia vel illa vehementia consistit in actionis celeritate, & hoc non, quia licèt impressio fiat in instanti, non est contra naturā, vel perfectionem intellectus; vel consistit in intentione speciei, & hoc etiam pertinet ad perfectionem, cùm nullam aliam excludat: vel consistit in excellentia obiecti, & hoc quoque per se se confert perfectionem, quia tendit ad actum meliorē, nec in prę... entidatur obiectum excellentissimum. Præterea sine fundamento dicitur per illam speciem Dęmones ab aliarum rerum libera cognitione prohiberi, quia capacitas cognitionis, & mētis Angelicæ nō limitatur ad vnicum obiectum; imò dicunt Dionysius, aliique Patres Dęmones esse in intelligendo velocissimos, & ad decipiendum acutissimos, & habere magnam rerum memoriam, & experientiam, per quam non solùm præteritorum recordantur, & præsentia intuentur, sed etiam futura solertissimè coniectant, quod in energumenis experimur: ergo non obstante pœna ignis possunt de variis obiectis pro libito cogitare.

17. Quarta sententia putat, Dæmonē ab igne torqueri, non per impressionem speciei impressæ, sed expressæ, id est, cognitionis actualis, quam Deus virtute sua per ignem in Angelum immittit, cogendo illum, vt in tali actu persistat semper, & cū tanta attentione, vt ad alia non possit diuerti, quæ determinatio, & passio, & impedimentum inde proueniens Dæmoni sunt inuoluntaria, & ... binde dolorem inducentia, Sic Scotus in 4. dist. 44.

Scotus.

q. 2. a. 2. supplementum Gabrielis ibi q. 3. a. 2. con- Gabriel.
clus. 3. Ochamus quodlib. 4. q. 9. qui secutus alios Ochamus.
modis hunc eligere ... quam possibilem, & sufficientem, paucioresque difficultates habentem.

18. Non tamen caret grauioribus, namactus vitalis ab agente solum extrinseco produci non potest, cùm essentialiter clandat actionem immanentem, vt ostendimus in libris de Anima. Quod si dicinc intellectum etiam Angeli simul cum igne ... currere ad illam cognitionem, vt ... adhuc, quia per illam intellectionem non cognoscitur ignis sub vera ratione lædentis, vel inferentis malum aliquod, præsertim graue, quod multùm possit contristare: nam actus ille secundùm substantiam est perfectio mentis; quòd autem sit contra voluntatem habentis, licèt possit aliquam afflictionem causare, non tamen acerbissimam, ... nisi per falsam apprehensionem illud ... modum multo maius reputetur, quam ... Dæmonis sit alligata tali obiecto, illudque ... non causa ... vehementem dolorem, cùm sufficientem virtutem, & libertatem relinquat ad ... alias ... nunc ista, nunc illa præter ... licèt non tot simul, quot posset, si actualem ... considerationem diuerteret. Hoc tamen impedimentum non est tanti momenti, vt vere perpetuum nimium contristet, si aliud incommodum secum non afferat, vel potiùs in obiecto supponat.

19. Vnde fit ignem non solum affligere damnatos spiritus per actionem intentionalem, vt volunt supradictæ sententiæ, sed maximè per actionem physicam & realem, vt à purè intentionali distinguitur, quod significant aperte locutiones Patrum adductæ num. 7. Etenim ad significandam physicam, & realem actionem ignis in corpora iuxta communem, & proprium loquendi modum dicimus ignem vrere, cremare, torquere, cruciare: ergo cùm similiter loquuntur Patres de actione ignis in spiritum, denotant physicam & realem actionem, non intentionalem duntaxat.

20. Rursus dolor, seu tristitia voluntatis supponit cognitionem, quia nihil volitum, vel odio habitum, quin præcognitum; illa verò cognitio supponit suum obiectum saltem prioritate naturæ, quare non potest habere pro obiecto dolorem formalem, qui est posterior cognitione, sed doloris obiectum ... quod priùs cognosci debet, vt de illo doleat voluntas, istud autem obiectum secundùm se debet esse dolorificum, vt vere cognitum causet dolorem: nam isti actus intellectus, & voluntatis non faciunt suum obiectum, sed supponunt esse tale; debet item realiter existere, quia dolor est de malo præsente, sed hoc obiectum dolorificum non præ... dit in damnatis cognitionem, nisi detur actio physica ignis in ipsos: nam ignis secundum se, vel quævis alia dispositio, vel actus, vel habitus existens in Dæmone non intelligitur esse obiectum ... tiuum istius doloris: ergo prima ignis actio crucians Dæmonem terminari debet ad obiectum dolorificum physicè producendum, & per consequens physica debet esse, ... realis.

21. Quinta sententia recurrit ad alligationem Dæmonum, quā sic isti alligantur, & detinentur in igne, tanquam in carcere, vt inde expedire sese, nec liberè suas actiones, vbi, aut quomodo voluerint agere permittuntur ... quo maximè cruciantur, & affliguntur ... Thomas in hac ... q. 64.

Capreolus. Ferrara. Bonauent. Scotus. Gabriel. Durand. Maior. Paludanus. Tartaretus. Abulensis. Vasquius.

quæst. 64. art. 4. ad 3. & 4. contra Gent. cap. 9. q. 26. de ver. a. 1. & quodl. 2. a. 3. & quodl. 3. a. 2. & in 4. dist. 44. q. 3. a. 2. quæstiuncula 3. quibus locis consentiunt Capreolus, Caietanus, Ferrara, Thomistæque moderni. Plures etiam Scholastici in 4. dist. 44. Bonauentura 2. part. a. 3. q. 1. Scotus quæst. 1. Gabriel quæst. 3. art. 2. Durandus quæst. vlt. Maior quæst. 8. Paludanus quæst. 7. Tartaretus quæst. 1. Abulensis Matth. 25. q. 506. & 507. Vasquius hîc disp. 243. cap. 6. qui tamen addit, non esse negandum alium modum, quo Dæmones ab igne torqueantur, sed illum esse nobis ignotum, quare ceteros ab aliis adductos sigillatim impugnat quod etiam ita præstant alij Doctores, quasi solam alligationem istam putent esse pœnam ignis.

22. Probatur primò ex Scriptura, quæ satis exprimit spiritus damnatos alligari igni gehennæ, tanquam perpetuo carceri, & instrumento diuinæ iustitiæ, sic Matth. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*, 2. Pet. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit*, quod etiam asseruit Iudas in sua epistola. Probatur secundò, quia talis alligatio, & detentio sufficit vehementer contristare, sicut inter homines diuturnus carcer magna pœna censenit, & obiectum non exiguæ afflictionis; imò bruta ipsa si catenis teneantur ligata vehementer affliguntur, quanto magis spiritus omni corporea natura superiores, si ab igne corporeo vi teneantur vehementer dolebunt alligationem istam?

Matth. 25. 2. Petr. 2. Epist. Iudæ.

23. Hæc Dæmonum alligatio potest fieri, vel solo imperio diuino, & eius actione sine concursu physico ignis conseruante Deo præsentiam Dæmonum intrinsecam in igne, nec permittente corruptionem illius, sine qua non dabitur adquisitio alterius, vel ab ipso igne, qui per potentiam obedientialem actiuam, vt instrumentum Dei producat, & conseruet illam vbicationem contra renitentiam Dæmonum, & eorum potentiæ motiuæ. Priorem modum debent amplecti Vasquius, & alij, qui negant potentiam obedientialem actiuam: at verò qui talem potentiam admittunt, posteriorem forsan eligêt, vt physice dici possit ignis detinere spiritus dãnatos; & sic illos cruciare, atq; alterutro modo de facto Dæmones illigari, vel tãdem alligandos esse igni, vel igneis corporibus consentiunt ferè Doctores Scholastici cum Augustino 21. de Ciuit. cap. 10. dicente. *Adhærebunt spiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi.*

August.

24. Quod autem insinuant aliqui partis huius fautores, scilicet non aliter spiritus ab igne torqueri, refellunt antiqui, Recentioresque non pauci. Henricus quodlibet. 8. quæstione 34. Sotus in 4. distinct. 50. quæst. 1. artic. 2. Angles in 4. part. 2. quæstione vltima difficultate 1. conclus. 2. Viguerius in institutionibus cap. 21. tit. de iudicio Gehennæ vers. 1. Malonius in 2. dist. 6. disp. 20. referens alios. Iansenius in concordia cap. 45. Suarius lib. 8. cap. 14. Lessius de perfectionibus diuinis lib. 13. cap. 30. Primò expendit Iansenius verba Christi Matth. 8. *Mittite illum in tenebras exteriores. ibi erit fletus, & stridor dentium.* Vbi videntur distingui detentio in tenebris, & acerba pœna sensus ibi sustinendi; quod etiam aduerti potest Apoc. 20. *Missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi & bestia, & pseudo-propheta cruciabuntur die, ac nocte*, & 2. Petr. 2. non solùm dicitur *rudentibus tradidit*, sed etiam *cruciandos*. Vnde Cyprianus lib. ad Demetriadem cap. 3. in fine, carcerem discernit à pœna ignis dicens, *Manet postmodum carcer æternus, & ignis flamma, & pœna perpetua.* Idem satis innuit Gregorius 4. Dialogorum cap. 29. aliique Patres satis exaggerant illam pœnam ignis; & sic illam describunt, vt non sit verisimile de sola detentione fuisse locutos. Quapropter Angles, & Malonius suprà dicunt, si Scriptura, & Patres solam detentionem in igne tot exaggerationibus proponunt, sequi profectò falsum supposuisse tormentum, vt pia fraude nos terrerent quod nefas esset existimare.

Henricus. Sotus. Angles. Viguerius. Malonius. Iansenius. Suarius. Lessius. Matth. 8. Apoc. 20. 2. Pet. 2. Cyprianus. Gregorius.

Secundò, quia si spiritus solam patiuntur alligationem, aptiora forent ad hanc pœnam ingentia saxa, vel moles terrarum, quæ sua grauitate, & crassitie detinent, quin ipsemet inferni locus sine igne sufficeret. Tertiò, non est dubium, quin ita Dæmones affligantur igne, sicut animæ separatæ, quæ sunt etiam spiritus nudi: Sed animæ præter alligationem experiuntur vim ignis: nam anima diuitis Luc. 16. non petit solui, sed refrigerari, nec dicit se teneri, sed cruciari in flamma, per quod satis denotatur pœna specialis inflicta per ignem præter detentionem in ipso. Confirmatur ex pœna Purgatorij, quam tantopere Patres exaggerant, vt grauiorem omnibus huius vitæ, ac similem pœnæ damnatorum esse conclament: At sola detentio animarum in Purgatorio præter carentiam visionis Dei parùm adderet afflictionis; quod enim habeant hoc, vel illud vbi, quòd sint indistantes ab igne, qui nihil aliud agat in illas, mentè bene compositam, & Deo subiectam, qualis est in animabus Purgatorij parùm potest perturbare. 25.

Quartò, Dæmones nunc cruciantur igne, & tamen vagantur in hoc mundo: ergo pœna ignis in Dæmonibus non est per solam alligationem; imò hæc videtur ad pœnam accidentalem pertinere, cùm in illa possit esse varietas: ergo consistit in alio cruciatu perpetuo per aliam ignis actionem immisso. Respondet S. Thomas in hac q. 64. a. 4. ad 3. Valentia & alij, Dæmones, qui vagantur in aëre nunc etiam igne torqueri quoniam apprehendunt illum, vt carcerem, in quem aliquando detrudendi sunt. Sed contrà, nam apprehensio futuræ pœnæ non est tanta pœna, quanta de præsenti malo, ac subinde cresceret in Dæmonibus post iudicium pœna ignis, quod fatetur Caietanus 2. Pet. 2. traduntque Patres Ambrosius in Luc. Chrysostomus hom. 19. in Matth. Euthymius, & alij. Ceterum falsum est de pœna sensus essentiali, quæ perpetua, & inuariabilis perseuerat. Vnde rectè Toletus Luc. 8. an. 63. dicit Dæmonibus iã esse inflictam pœnam damni & ignis æterni; pœnam autem incarcerationis nondum illatam esse, sed in diem iudicij reseruari. Demùm in sola detentione vix potest inæqualitas designari, multoque magis paterentur homines post iudicium, quam nunc animæ, & semper Dæmones, siquidem præter detentionem corpora patientur verum ardorem, & animæ per sympathiam vnionis cum corpore vehementiùs dolebunt. 26.

S. Thom. Valentia. Caietanus. Ambros. Chrysost. Euthym. Tolet.

Sexta sententia dicit, damnatos spiritus similem tristitiam, & dolorem passuros ab igne, qualem patiuntur animæ in corpore, dum istud comburitur. Hanc tradit Sotus in 4. dist. 50. q. vnica art. 2. circa finem dicens. *Hanc vim habet ille ignis, vt instrumentum diuinæ iustitiæ in Dæmones, ac animas, nempe quod afflictionem, quam in anima mediante dolore corporis reassumpti effecturus est, faciat* 27.

Sotus.

Suarius. *faciat absque illo dolore.* Probabilem dicit Suarius 3. p. tom. 4. disp. 46. sect. 2. num. 7. sequi-
Koninch. tur Ægidius Koninch: de Purgatorio dub. 3.
Lessius. Lessius de diu. perfection. lib. 13. cap. 30. Valen-
Valentia. tia hic disp. 4. quæst. 15. punct. 3. Vasquius su-
Vasquius. pra respectu animarum separatarum, Albertinus
Albertinus. tom. 1. principio 2. corollar. 4. dubit. 1. & 2. respectu Dæmonum.

28. Pro confirmatione supponunt primò, ignem vi sua naturali posse causare dolorem in anima rationali, dum est in corpore, quatenùs licèt calor & ardor maneat in corpore, dolor tamen vi caloris resultat in anima. Supponunt secundò, sicut homo per facultatem sensitiuam, & simul per rationalem percipit ardorem disconuenientem corpori, doletque de illo; sic in Dæmonibus, & Angelis non solùm esse vim intelligendi, quæ obiecta externa intelligendo cogitent, vel speculentur, sed etiam percipiendi modo sensibili obiectis ipsis accommodato, licèt longè perfectiùs, quàm homines percipere possint, quæ tamen vis, seu facultas ab intellectu realiter non differat, sed sit ipsemet intellectus, quatenùs eminentiori modo circa illa obiecta præstat, quod sensus præstat in corpore, & per corpus. Patet, nam etiam in spiritibus aliud est intelligere essentiam vocis, vel soni, aliud est vocem, vel sonum andire, & experientia cognoscere; aliud cernere naturam caloris, & frigoris, aliud calorem, & frigus sentire, vel experiri; non quòd possint in se calorem, & frigus recipere, sed quòd actu vitali, & proprio possint illorum præsentiam experiendo percipere.

29. His positis possibilitas huius pœnæ probatur primò: nam si naturaliter ignis per suum calorem potest affligere spiritum hominis mediante corpore, cur idem ignis, vt instrumentum Dei, non poterit eundem spiritum affligere sine corpore quopiam intermedio? corpus enim solùm se habet, vt medium per quod calor applicatur spiritui, vt eius præsentia percipiatur: Deus autem non eget aliquo medio, sed facilè potest omnem effectum, aut defectum medij supplere, talémque apprehensionem in Dæmone, vel in anima separata causare, quæ non minùs sit efficax ad contristandum, quàm si re vera corpus vnitum animæ cremaretur.

30. Probatur secundò, nam si naturaliter ignis vim habet affligendi spiritum infimum, scilicet animam rationalem: ergo diuinitus ita poterit eleuari, vt etiam superiores spiritus, nempe Dæmones affligere possit: nam vbi datur vis aliqua naturalis, quamuis imperfecta nimis ad aliquem actum, ibi locum habet eleuatio ad actum eiusdem generis perfectiorem, & superioris ordinis, sicut quia datur in intellectu nostro vis imperfecta cognoscendi spiritus, cognoscendi Deum ipsum, potest eleuari diuinitus ad cognoscendum clarè naturas spirituales, & ad videndum Deum.

31. Probatur tertiò, nam sicut anima rationalis naturaliter vnita corpori, nec potest se ab illo diuellere, nec ardorem impressum corpori non percipere, atque dolere, quia summet naturæ aduersatur simul cum tanto calore, quasi penetratiuè existere in eodem corpore, vel spatio: sic ipsa, vel alius spiritus, etsi perfectior, potest diuinitùs alligari corpori igneo, ita vt se ab illo non possit vllatenùs expedire, taliterque ligatus, & simul penetratiuè cum illo existens in eodem spatio, statim sentiet diuina virtute id agente ar-

Franc. de Lugo in 1. part. D. Thomæ.

dorem illius corporis, & ingenti dolore afficietur.

Quod autem hoc non solùm sit possibile, sed contingat de facto, probatur quartò, tum quia modus iste sufficiens est ad propriè capiendas Scripturas, & Patres, dum aiunt, animas, & Dæmones vri, ac ab igne cruciari. Sit enim rectè percipitur quod dixit Augustinus 21. de Ciuit. cap. 10. Dæmones licèt incorporei corporeis ignibus cruciari, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam, & quod dixit Gregorius 4. Dialog. cap. 29. animam diuitis, *non solum videndo, sed etiam experiendo pati incendia.* Quid enim est aliud (inquit Lessius) pati incendia experiendo, quàm pati dolorem incendij, vel ignis, qualem in hac vita homines pati solent? Tum etiam quia post diem iudicij animæ damnatorum ita cruciabuntur ab igne; nec augebitur tamen in illis pœna sensus, nec mutabitur, nec duplici modo ab igne cruciabuntur. 32.

Hæc sententia impugnatur, primò, quia non videtur sufficiens ad explicandam acerbitatem pœnæ sensibilis, quam Sancti docent longè grauiorem esse, ac alterius rationis, quàm sit ardor vel vstio corporis viui, quod vritur in hac vita. Quòd si solùm esset tristitia voluntatis eiusdem rationis cum illa, quam ignis combustio causat in anima coniuncta, non esset maior, saltem quoad rationem specificam, nisi forsan in intensione: nam in extensione minor esset, siquidem deficit ibi dolor sensus, qui vehementer affligit, & fortè sine illo fuga voluntatis non admodùm cruciaret. 33.

Impugnatur secundò, quia non potest dari vitalis actus, & immanens sine obiecto proportionato, cùm habitudo ad obiectum sit ipsamet essentia cuiuslibet actus vitalis immanentis: sed in anima separata, vel in Dæmone non assignat prædicta sententia proportionatum obiectum illius doloris, qui ex carne, dum comburitur transit ad animam coniunctam, & vsque ad ipsius voluntatem: ergo nec talis dolor potest in nudis spiritibus assignari. Maior, & consequentia constant. Minor probatur: nam obiectum doloris resultantis in voluntate animæ coniunctæ ex actione ignis est qualitas dolorifera corporea per ignem inducta in corpus, & specialiter in organum tactus, de qua propter vnionem physicam, & sympathiam cum corpore dolet anima tanquam de nocumento proprij suppositi: sed in anima separata, vel in Dæmone non fit talis qualitas ab igne secundùm prædictam sententiam: ergo non datur proprium obiectum talis doloris, & per consequens nec ipse dolor. 34.

Confirmatur: nam obiectum talis doloris in spiritu nudo non est ignis ipse gehennalis secundùm se spectatus, siquidem vt sic nihil infert spiritui nocumenti, nec potest nisi falsò iudicari nociuus, nec est aliquid factum in spiritu ab igne, cùm nihil tale prædicti Doctores asserant: nec enim ponunt aliquam qualitatem doloriferam in spiritu produci diuersam à calore, nec calorem ipsum: ille ergo sensus, vel perceptio caloris, vnde dicunt resultare tristitiam in spiritu, quid repræsentat aliud nisi calorem existentem in igne prorsus extrinsecum Dæmoni, nihilque mali eidem inferentem? Vnde non est quòd sequatur dolor in voluntate, nec apparet quid aliud possit esse cognitio experimentalis Dæmonum respectu qualitatum externarum, quàm cognoscere 35.

illas intuitiuè, vt existentes actu, siue præsentes simul, & coniunctas; vnde præter alligationem supra impugnatam nihil fit, nec iudicatur propriè doloriferum esse puro spiritui.

36. Vnde ad primum fundamentum huius sententiæ dicimus rationem esse discriminis: nam dolor animæ coniunctæ habet proportionatum obiectum, scilicet vehementem calorem, qui est qualitas disconueniens corpori humano, & subinde dolorifera, nociuaque supposito; at respectu animæ separatæ, vel Dæmonis non est cur iudicetur disconueniens supposito, nec etiam per eleuationem noceat illi, si non recipitur in illo, nec aliquid producit nociuum in spiritu. Quòd enim eleuetur ad concurrendum partialiter cum intellectu, & voluntate Dæmonum, vt eliciant perceptionem caloris, & dolorem circa illum, supponit obiectum doloriferum, quod percipiatur esse tale, vt possit ad tristitiam trahere voluntatem: at circa obiectum, quod non potest sine deceptione iudicare nociuum, quomodo concurret ad cognitionem vnde deriuetur tristitiã? Secùs est in visione Dei, quæ supponit obiectum verè cognoscibile summum bonum, & per hoc patet ad secundum.

37. Ad tertium respondetur dolorem animæ coniunctæ, quando comburitur corpus, non prouenire ex sola penetratione, vel alligatione vtcunque, sed ex vnione physica per quam constituitur vnum per se compositum, & suppositum ex anima, & corpore conflatum; & cùm malum partis redundet in malum totius, hoc malum corporis verè iudicat intellectus esse malum totius compositi, vel suppositi; ac per consequens obiectum doloriferum proportionatum dolori animæ rationalis: At spiritus nudus, quantumuis alligetur igneo corpori, dum non sit vnitus physicè, nec constituat vnum per se cum illo, (quod nec dicent illi Doctores, nec possunt cum fundamento affirmare) non agnoscit ibi malum aliquod proprium, de quo debeat dolere. Cùm igitur per istum modum dicendi non possint Patres, & Scripturæ sufficienter verificari, alius quærendus est, & videndum etiam quomodo animæ damnatorum ante reintroductionem corporum, & post illam torqueantur sine variatione pœnæ essentialis.

38. Septima sententia docet, ignem producere in spiritibus ipsis qualitatem aliquam doloriferam, quæ vt sic cognita causat vehementem voluntatis auersionem, & tristitiam. Sic sensit Henricus quodlib. 8, quæst. 34. Albertus in 3. dist. 44. art. 37. ad vltimum. Carthusianus Dialogo de iudicio particulari, art. 8. Suarius 3. p. to. 4. disp. 46. sect. 2. & lib. 8. de Angelis cap. 15. Malonius in 2. dist. 6. disp. 20. sect. 2. conclus. 3. ad 3. probabilem dicit Cumelis hic art. 4. probabiliorem ceteris. Pelansantius art. 4. disp. 5. in fine. Sed in hac qualitate declaranda non consentiunt. Quidam enim volunt produci calorem in spiritu, sic Carthusianus, & Henricus, qui tamen addit vel naturaliter esse spiritum receptiuũ caloris, vel aliqua vi, seu habitu supernaturali spiritus damnatos indui, quo pati possint, & recipere realem calefactionem, eodemque genere doloris affici, quo sensus corporei per combustionem afficiuntur.

Henricus. Albertus. Carthusi. Suarius. Malonius. Cumel. Pelantius.

39. Hæc Henrici vltima existimatio quoad vtramque partem disiunctionis communiter refellitur, quia nec spiritus naturaliter inextensus, & indiuisibilis erit connaturale subiectum accidentis corporei diuisibilis, & ex sua natura petentis extensionem: Nec illa vis, aut habitus supernaturalis si spiritualis sit, dabit maiorem capacitatem recipiẽdi calorẽ corporeũ, quàm ipse spiritus habebat de se; si verò sit corporea, non est magis apta recipi in subiecto spirituali, quàm ipse calor. Quare vel prærequirit aliam vim priorem in recipiente; & sic in infinitum, vel illa vis, aut habitus superadditus non est necessarius.

Ceterùm nec ipsum spiritum posse supernaturaliter etiam recipere calorem materialem probat 40.
Suarius, quia potentia receptiua proximè recipit actum, seu formam, qua informatur, vnde si forma non est apta de se ad informandum subiectum, nec subiectum poterit eleuari ad receptionem talis formæ: Calor autem non est forma de se apta nata informare spiritum, nec in causa formali locum habet eleuatio per potentiam obedientialem, cùm forma causet dando suammet entitatem subiecto, & per consequens denominationem realem intrinsecam inde connaturaliter resultantem: ergo nec supernaturaliter potest spiritus ad recipiendum in se calorem eleuari.

Ideò Suarius & alij dicunt, produci per 41.
ignem, & per potentiam actiuam obedientialem illius in spiritibus damnatis qualitatem quandam spiritualem in ordine suo doloriferam, dolore scilicet purè spirituali, ac subinde tanto maiorem quanto materialia superantur à spiritualibus: sicut enim gratia est qualitas spiritualis ornans, & perficiens substantiam spiritualem; in qua recipitur, ita per oppositum producitur ab igne qualitas spiritualis fœdans, & deturpans substantiam spiritualem, in qua subiectatur; nec apparet maior implicatio in ista qualitate quàm in illa. Quòd si datur talis qualitas secundùm se disconueniens spiritui, quem afficit, per consequens erit sufficiens obiectum, & motiuum doloris in damnatis.

Probatur primò, quoniam ignis verè cruciat 42.
Dæmones aliquid in ipsis agendo, per quod causet illorum dolorem: Sed nihil potest assignari factum ab igne in Dæmonibus, nisi qualitas ista spiritualis, vt ex aliarum sententiarum impugnatione, ac subinde à sufficiente partium enumeratione constat: ergo producitur ista qualitas. Maior ostenditur, tum quia consonat Scripturis, & Patribus suprà relatis, tum quia nullum agens extrinsecum causat immediatè dolorem, sed immittendo doloris obiectum, quod dolor vitalis supponit, & attingit, vt malum præsens, ostendique potest inductione in omni dolore sensibili, quem experimur non fieri ab extrinseco agente, nisi per impressionem obiecti, seu doloriferæ qualitatis, nec possumus spiritualia percipere, nisi per proportionem ad sensibilia.

Probatur secundò, quia sic faciliùs exponitur 43.
hæc pœna, & cum maxima proprietate, iuxta materiæ capacitatem: nam agens est materiale, & recipiens spirituale; omne autem quod recipitur ad modum recipientis recipitur; ideò dolor receptus in spiritu spiritualis est, & consequenter etiam obiectum illius; materiale verò agens dicitur realiter operari, quoniam est instrumentum Dei. Sed in hoc modo pœnæ nulla datur repugnantia: ergo præferendus est. Minor ostenditur, nam omnis repugnantia poterat oriri vel ex parte ignis, qui corporeus est, nec videtur posse spiritualem effectum producere, vbi

occurrunt

occurrunt argumenta communia contra omnem eleuationem per potentiam obedientialem actiuam, quæ soluimus lib. 1. disp. 11. cap. 5. nunc sufficiat sicut sacramenta producunt physicè gratiam, sic posse ignem obedientialiter producere qualitatem istam.

44. Vel oriri potest ex parte qualitatis ipsius, nam vt argumentatur Durandus, dolor non prouenit ex receptione qualitatis præcisè, sed ex expulsione contrariæ, quæ conueniens erat subiecto, & per superuenientem corrumpitur. Atqui per illam qualitatem spiritualem, cùm non habeat contrarium, nihil pellitur conueniens Angelo. Non ergo causabit dolorem in illo. Confirmatur, quia qualitas illa non est connaturalis Dæmoni: ergo supernaturalis quoad substantiã: ergo posita in illo potiùs perficiet supernaturaliter, quàm ingerat afflictionem. Sed respondetur facilè, qualitatem istam in Angeli substantia receptam nihil inde repellere, nec tamen esse de ratione omnis qualitatis doloriferæ, quòd sit expulsiua contrariæ conuenientis: licèt enim in alteratione materiali qualitas dolorifera non fiat sine depulsione dispositionis contrariæ, tamen dolor non solùm est de priuatione formæ conuenientis, sed principaliter de positiua qualitate dolorifera inhærente corpori, & præternaturaliter afficiente. Igitur in spiritualibus produci poterit qualitas spiritui disconueniens, non quatenus aliquid ipsi tollit, sed quatenùs turpiter deformat; vnde proportionatum erit obiectum doloris eò acerbioris, quò spiritualior est, & superioris ordinis. Ad confirmationem respondetur, qualitatem istam non esse naturalem Dæmoni, sed præternaturalem; & sic improportionatam Angelicæ substantiæ, vt non solùm illam non perficiat, sed potiùs fœdet, & deturpet: cur enim erit hoc diuinæ potentiæ denegandum?

45. In re lubrica certum esse debet pœnam essentialem ab igne prouenientem eiusdem esse rationis in Dæmonibus, & in animabus damnatorum siue ante, siue post resurrectionem; & de hac essentiali pœna loquitur Gregorius lib. 9. Moral. cap. 39. alias 50. postquam enim ostenderat, homines igne corporeo cruciandos esse, docet eodem etiam modo Dæmones esse torquendos, & ait. *Quamuis Angelorum, & hominum longè sit natura dissimilis, vna tamen pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat.* In pœna verò accidental[illegible] ne diuersitas reperitur nam anima separata duos patitur dolores in[illegible] alios ad pœnam ignis pertinentes. Vnus est quasi pœna essentiali[illegible] per qualitatem ab igne produ[illegible] in animæ substãtia, iuxta sententiam i[illegible]am, & istũ doloré semper retinebit vniformem, sicut Dæmones; alius est quasi accidentalis per apprehensionem futuræ combustionis in corpore; & hic dolor post resurrectionem mutabitur in alium de combustione corporis præsenti; nec mirum si tunc sit maior dolor accidentalis in damnatis, sicut in beatis maior erit accidentalis beatitudo. Dæmones autem qui non possunt combustionem corporis pati, pr[illegible] grauitate criminum alis pœn[illegible] accidental[illegible]us sufficientur æquiualenter.

Gregorius.

46. Rursus probabile mihi fit, ab igne produci verum, & materi[illegible]em calorem in spiriti[illegible]us damnatis: sic enim magis propriè sine dubio capiuntur Scripturæ, & Patres: nam illæ locutiones relatæ num. 7. ignis inferni cremat, vrit, comburit, apud nos propriè significant [illegible] ducti[illegible]em intensi caloris, Ardores sempiterni Is[illegible]æ 3. ardor

Isaiæ 3.

ex igne visibili tractus, apud Gregorium 4. Dialog. cap. 29. ardor emissus ab edaci flamma, apud Cyprianum de laudibus Martyrum, apud nos propriè significant intensum calorem ab igne productum. Sic etiam faciliùs intelligitur hæc pœna, siquidem vitantur difficultates illius qualitatis spiritualis, quam ipsimet eius authores fatentur difficilè concipi, nec posse declarari qualis sit, aut qualem habeat effectum formalem; & aliunde satis esset doloris obiectum calor naturalis in spiritu receptus contra naturalem capacitatem, & exigentiam subiecti, quod secundùm se petit omnimodam immunitatem ab huiusmodi peregrinis impressionibus, valdeque disconuenienter afficeretur per calorem, licèt non expellat dispositionem contrariam, nec dissolutionem, vel corruptionem inducat: iam enim num. 44. fuit ostensum sine his dari posse obiectum doloriferum.

Gregorius.

47. Deinde nulla contradictionis implicatio relucet in huiusmodi productione: non enim ex parte ignis, qui habet (vt supponimus) potentiam obedientialem actiuam, per quam possit vt instrumentum Dei producere, quidquid non implicat contradictionem, vbicunque & quomodocunque non implicet; nec ex parte spirituum, qui proportionaliter habent potentiam obedientialem passiuam ad recipiendum quidquid Deus voluerit in illis subiectare. Igitur sicut accidens spiritale potest recipi diuinitus in subiecto materiali, vt de intellectione vitali plures admittunt, & de potentia saltem intellectiua, non videtur negandum quin à Deo poni possit in bruto, vel in lapide; poterit è conuerso accidens materiale recipi diuinitùs in subiecto spirituali, sine contradictionis implicantia.

48. Et quod opponebat Suarius suprà relatus numero 40. solutione non caret, quia potentia receptiua respicit actum vel respectu connaturali, si forma sit connaturalis tali subiecto, vel obedientialiter duntaxat, si forma non sit connaturalis subiecto, sicut lapis, aut brutum respiciunt intellectum, aut gratiam, quam posset Deus diuinitùs ibi producere. Quare licèt forma non sit apta connaturaliter informare subiectum, nec calor dicat ex natura sua connaturalem habitudinem ad subiectum spi[illegible]ale (quod fatemur) sufficit aptitudo, vel habitudo obedientialis vt patet in prædictis exemplis, aliisque similibus. Quod autem ibi tangitur de denominatione communicanda subie[illegible]o, aliam insinuat quæstionem, an scilicet forma subiecto etiam incapaci det suam denominationem. Negant nonnulli dicentes gratiam in lapide, vel etiam in peccatore posse subiectari, quin denominet subiectum gratum; item albedinem in Angelo receptam non denomina[illegible] album, &c. Vnde calor similiter in spiritu non denominaret calidum.

49. Mihi videtur distinguendum, si denominatio prouenit à forma vnita, non solùm in genere causæ formalis, sed inuoluendo simul ordinem efficientis, requirit subiectum proportionatum, vt denominetur ab illa; sic cognitio vitalis in lapide non denominabit illum cognoscentem, quia cognoscere non dicit solam receptionem, sed efficien[illegible] et iam actus, vt diximus in libris de anima. Similiter intellectus in bruto non deno-

 minabit

minabit illud intellectiuum, quia non est potens vitaliter operari per potentiam illam intellectiuam, nec gratia denominabit lapidem gratum, quia gratia habitualis non solùm est nitor, & pulchritudo subiecti, sed etiam radix operationum supernaturalium, vt alibi dicimus, ac subinde gratum est obiectum potens elicere vitaliter actus supernaturales, & sic in similibus philosophandum est, At si denominatio proueniat à forma vnita solùm in genere causæ formalis, cuicunque subiecto communicetur forma, quamuis improportionato, dabit talem denominationem; sic albedo in Angelo denominabit illum album, calor calidum, &c. nec maius reperio miraculum in hoc quòd Angelus dicatur albus, vel calidus, quàm in ipsa receptione qualitatis materialis, quæ licèt petat connaturalem extensionem, potest illa priuari, sicut quantitas Christi in Eucharistia reducitur ad punctum, cùm multò magis repugnet penetrationi.

5.
Quia tamen plures sunt Doctores pro illa qualitate spirituali, quibus calor in spiritu receptus non arridet, expressè quippe negant illum Laurentius Iustinianus lib. de casto connubio cap. 16. Albertus in 4. distinct. 44. art. 37. ad vltimum, Pesantius, Suarius & alij, ob istorum auctoritatem defendi potest ipsorum sententia, ita vt illa qualitas non dicatur supernaturalis simpliciter, quia non est participatio diuinæ naturæ secundùm gradum quasi specificum illius, sed participatio naturæ, vel proprietatis igneæ: sicut enim participatio præsentiæ Angelicæ spiritualis communicatur corpori Christi in Eucharistia per *vbi* corporeum, sic participatio proprietatis igneæ materialis communicabitur Angelo per qualitatem spiritualem præternaturalem ipsi, vt vtraque participatio naturæ, vel proprietatis alienæ proportionetur, quantum fieri possit, subiecto, & ad modum recipientis recipiatur.

Laur. Iust.
Albert. us.
Pesantius.
& alij.

CAPVT III.

Vbi torqueantur Dæmones.

1.
VT circa locum tormentorum distinctè procedamus, Dubitatur primò An detur infernus ad damnatorum supplicium destinatus? Negasse dicuntur Marcionistæ, Albigenses, & Almaricus, qui dixerunt infernum nihil esse præter conscientiam peccati, vt refert Castro, verbo *infernus*, hæresi 1. Secuti sunt errorem istum Caluinus, Beza, Bucerus, & alij hæretici nostri temporis, quos refert & refellit Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 8. & sequentibus, & l. 2. de Purgatorio cap. 6. Imò Augustinus 8. de Genesi ad litteram cap. 5. dubitat, an hic locus pœnarum sit corporeus, & l. 12. cap. 32. 33. & 34. ait esse spiritualem, sicut sunt spirituales formæ, quæ imaginatione apprehenduntur; & dici infernum sub terris metaphoricè, quoniam vt cadauera in terram defodiuntur, & quæ sunt grauissima sub terra sunt, ita quodammodo animæ, dum tristitia obruuntur.

Castro.
Bellarm.
August.

2.
Secùndum fidem tenendum est dari quendam locum corporeum à Deo destinatum ad punitionem damnatorum, quem Scriptura, & Patres vocant infernum, tartarum, gehennam, caliginem, tenebras exteriores, Psalm. 93. Iob. 7. Sap. 5. Matt. 5. 10. 11. 16. & 23. Marc. 9. Luc. 10. 12. 16. 2. Pet. 2. in epistola Iudæ, Apoc. 19. & 29. ac sæpè alibi, quibus locis, licèt nonnunquam varient Interpretes, communior tamen expositio de loco pœnarum circumfertur. Specialiter Luc. 16. non potest infernus significare sepulchrum (vt sole, interdum) nam in sepulchro sepelitur corpus, Christus verò de anima loquitur, cùm dicit diuitem fuisse sepultum in inferno, potuisseque cognoscere Abrahamum, & sentire pœnas, & postulare refrigerium. Tartarus, & Gehenna communiter pro loco tormentorum capiuntur. Videatur Suarius 3. part. tom. 2. disp. 43. sect. 2. & tom. 4. disp. 45. sect. 2. & lib. 8. de Angelis cap. 16.

Psalm. 93.
Iob. 7.
Sap. 5.
Mat. 5. 10. 11. 16. 23.
Marc. 9.
Luc. 10. 12. 16
2. Pet. 2.
Epist. Iudæ.
Apoc. 19. 29.
Suarius.

3.
Accedunt Concilia, Florentinum in litteris vnionis sess. vlt. definit, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel in solo originali decedunt, in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendos*, in symbulo Apostolico, & Nicæno credimus Christum ad inferos descendisse; quod similiter confitentur Concilium Toletanum IV. Arelatense IV. ac fere alia in professionibus fidei, consentiunt Patres capitibus præcedentibus relati; dum enim docent ignem inferni esse corporeum, consequenter dicunt illum in loco determinato, qui dicitur infernus, contineri. Cyrillus Alexandr. lib. 1. in Isaiam cap. 5. vocat illum *animarum miserarum carcerem horrendum*. Iustinus lib. de necessariis quæstionibus quæst. 75. ait *Improborum animos ad inferorum loca deduci statim ac à corporibus separantur*. Gregorius lib. 4. Dialogor. c. 36. & sequentibus, ex pluribus visionibus locum inferni multipliciter describit. Videantur plures Patres apud Iodocum Coccinum tom. 2. Thesauri l. 10. art. 7. & apud Castrum verbo *Infernus* cap. 8. & 2. de Purgatorio. Notat autem Chrysostomus hom. 8. in 1. ad Thessalon. & hom. 49. & 50. ad populum, quæ de inferno dicuntur in Scriptura, non dici tantùm ad incutiendum metum: nam alioquin (ait) ipsa etiam beatitudo reuocabitur in dubium, & cùm videamus alia esse completa, quæ Scriptura vel minabatur, vel promittebat, eodem modo credendum est, vera esse, quæ de inferno dicuntur.

Conc. Flor.
Nicænum.
Toletan. IV.
Arelat. IV.
Cyril. Alex.
Iustinus.
Gregor.
Iodoc. Cocc.
Castro.
Chrysost.

4.
Ratio sumitur à congruentia: cùm enim omnes Angeli sint intra mundum creati, sicut boni in hoc mundo benè de Deo meruerunt, ita mali peccarunt in mundo, vnde sicut oportuit bonos in mundo præmiari, sic malos intra mundum puniri: ergo determinatus locus debuit assignari suppliciis damnatorum. Augustinus sententiam n. 1. relatam retractauit lib. 2. Retract. c. 34. & l. 1. cap. 5. ait infernum esse locum realem sub terris. Videatur etiam 20. de Ciuit. cap. 15. & in Psalm. 75. & lib. de triplici habitaculo.

August.

5.
Dubitatur secundo, An detur vnicus pœnarum locus omnibus damnatis communis? Quidam dicuntur negasse dicentes vnumquemque puniri, vbi peccauit: sed de loco æterni supplicij non est probabilis sententia: nam iuxta illam Dæmones in cælo puniendi forent, siquidem in illo peccarunt, cùm tamen illa Christi verba. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*, satis indicant Angelos, & homines damnatos in eodem loco puniri, quod docuit etiam Gregorius l. 4. dialogorum cap. 43. & probatur ex congruentia: nam status beatorum vnum communem locum beatitudini postulat, & societas ipsa sanctorum auget felicitatem: ergo expedit damnatis omnibus destinari locum vnum tormentorum vbi societas inordinata prauorum augeat pœnam singu-

Gregor.

singulorum [illegible] fuit hoc secundùm ordinariam
potentiam necessarium, vt omnes cruciari possint
ab eodem igne corporeo, qui debuit intra eun-
dem locum immobilem permanere.

6. Dubitatur tertiò, vbi sit infernus. Dubitat Au-
August. gustinus lib. 2[illegible]. de Ciuit. cap. 16. nec sciri posse
Gregor. citra reuelationem arbitratur. Gregorius 4. Dia-
logorum cap. 42. circa quæstionem istam ait, *hac
de re temerè definire non audeo*. Quidam dixerunt
esse in opposito nobis hemisphærio, sed iam ex-
perientia constat deceptos fuisse. Alij volunt esse
propè Ierosolymam in valle, quæ dicitur Gehen-
non, sed decepit eos vocabuli similitudo, cùm
vallis illa pareat oculis, sitque deliciosa, & irri-
Iosuë 15.18. gua, vt constat ex Iosuë 15. & 18. Inde tamen me-
taphoricè ductum est nomen Gehennæ, quoniam
in illa valle ænea statua Moloch ignita pueros
adurebat idolo sic oblatos.

7. Alij dixerunt esse in valle Iosaphat, sed hanc
Chrysost. opinionem Chrysostomus hom. 31. ad pop. circa
finem fabulosam appellat; ipse verò putat infer-
num extra orbem terrarum existere, quod intel-
ligi potest de orbe habitabili. Alij volunt esse in
Nyssen. sphæra ignis. Nyssenus in disputatione de ani-
ma, & resurrectione dicit esse in hoc aëre cali-
Abulens. noso, sed vtrumque bene refellit Abulensis lib.
de statu animarum conclus. 5. 6. & 7. & Paradox.
5. cap. 9. & sequentibus.

8. Certum est infernum esse sub terra. Sic Au-
Emissen. gustinus, Gregorius, & Abulensis suprà. Emisse-
Tertull. nus homil. 2. de Pascha. Tertullianus in Apo-
Arnob. logetico cap. 47. Arnobius lib. 2. contra Gentes,
Irenæus. Irenæus lib. 2. contra hæreses: Atque nomen
ipsum hoc denotat; dicuntur etiam in infernum
descendere damnati, & Christus ad inferos des-
cendisse, vocatur item abyssus, & profundum,
Num. 16. & dicitur subtus esse. Vide Num. 16. Psalm. 54.
Psal. 54. 85. 105. 113. 85. 105. & 113. Iob 11. & 14. Isaiæ 5. & 14.
Iob. 11. 14. Baruch. 3. Sapient. 5. ad Philipp. 2. Apoc. 5. 19.
Isaiæ 5. 14. & 20. Accedit omnium Gentium consensus, de
Baruch. 3. quo Tertullianus, & eius interpres Renatus Lau-
Sap 5. rentius in lib. de anima cap. 55. Theodoretus lib.
Philipp. 2. 10. de affectionibus, Clemens lib. 5. stromatum,
Apoc. 5. 19. 20. Minutius Felix in Dialogo.

Renat. Laur. Probabilius item est infernum esse in profun-
Theodoret. dissima terræ parte, scilicet in centro; significat
Clem. Alex. Isidorus lib. 14. Etymolog. cap. 9. §. penultimo:
Minutius Felix. iuuans C[illegible]llus [illegible] oratione de exitu ani-
mæ, Damas[illegible] .c. [illegible]
9. & Gregorius lib. [illegible] 7. & [illegible]
Isidorus. Cyrill Alex. cap. 16. & 17. aliàs 21. & 22. Distinguit [illegible]
Damasc. inferno varia loca; quatuor communiter nume-
Gregor. rantur sinus, primus est sanctorum Patrum ante
mortem Christi Domini, secundus puerorum
sine baptismo decedentium, tertius purgatorij,
quartus damnatorum, omnes isti sinus in Scri-
ptura indifferenter solent inferni nomine deno-
tari, ex contextu tamen, & circumstantiis di[iu]di-
candum est, de quo locus hic, vel ille capiatur.

10. Ex damnatione diuitis Luc. 16. sumitur di-
Luc. 16. stinctio locorum in inferno, & lacus damnato-
rum, qui locus tormentorum per antonomasiam
vocatur, dicitur longè distare à sinu Abrahæ, &
subtus illum esse, siquidem magnum chaos inter
vtrumque intercedit, & diues leuauit oculos ad
videndum Lazarum. Idem locus damnatorum
Psalm. 85. dicitur infernus inferior, iuxta proba-
bilem interpretationem, quam ponit Augustinus
ibi posteriori loco; fuitque valdè congruum, vt
esset damnatorum locus ab[illegible]ssimus, & ab um-
ni luce solis remotissimus, maximè oppositus loco
beatorum, id est, supremo cælo, & per consequens
in infimo terræ centro collocatus.

Dubitatur quarto. An omnes damnati sint 11.
iam ibi. De hominibus damnatis neminem video
dubitare, quin sint in inferno reclusi, nisi ex spe-
ciali Dei prouidentia nonnunquam exeat aliquis,
vt in nonnullis apparitionibus narratur. De Dæ-
monibus communis Scholasticorum docet, ali-
quos saltem in inferno torqueri. Sic Alensis 2. Alens.
p. quæst. 100. memb. vltimo, S. Thomas hic S. Thom.
art. 4. & in Addit. quæst. 7[illegible]. art. 3. ad. 8. sumi-
tur ex 4. dist. 44. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 3.
vbi addit, quòd *Spiritus damnati nunquam sunt
extra infernum, nisi ex dispensatione diuina, vel ad
instructionem, vel ad exercitium electorum*. Vnde
fit verosimile Dæmones in primo lapsu, quando
pulsi sunt de cælo, statim in profundum inferni
fuisse detrusos, iuxta id Isaiæ 14. *Detracta est ad* Isaiæ 14.
inferos superbia tua, & infra, *Verumtamen [illegible] in-
fernum detraheris vsque ad profundum laci*: tunc
enim non erat occasio vagandi, donec creati ho-
minibus, propter varios fines diuinæ prouid[enti]æ,
non pro illorum arbitrio, sed secundùm diuinam
dispositionem nunc hi, nunc illi permittuntur
exire; ita vt aliqui semper in inferno remaneant
ad maiorem damnatorum hominum afflictio-
nem; licèt enim ad pœnam ignis efficienter non
concurrant, sua tamen præsentia, & societate
pœnam accidentalem augebunt.

Aliqui verò Dæmones versantur in hoc mun- 12.
do, & in hoc aere, vt ex Scriptura ad Ephes. 2. Isaiæ 14.
& 6. 1. Pet. 5. Apocal. 12. ac sæpè alibi colligunt Eph. 2. & 6. 1. Pet. 5.
Patres in ea loca, & præterea tradunt Irenæus Apoc. 12.
lib. 5. cap. 14. Eusebius lib. 3. Demonstrationis Irenæus.
Euangelicæ cap. 5. & lib. 4. cap. 8. & lib. 7. de Eusebius.
Præparatione cap. 7. Isidorus lib. 4. Etymol. cap. Isidorus.
vltimo, Augustinus lib. de natura boni, & cap. August.
33. lib. 3. de Genes. cap. 10. lib. 8. de Ciuit. cap.
22. lib. 11. cap. 23. lib. 14. cap. 3. & lib. 20. cap.
1. Prosper lib. 3. de vita contemplat. cap. 2. Gre- Prosper.
gorius. 2. Moral. cap. 23. aliàs. 24. & lib. 33. cap. Gregor.
2. Tertullianus in Apolog. cap. 22. vbi ait, Gen- Tertull.
tiles etiam Philosophos hoc non ignorasse; quod
latè prosequitur Theodoretus lib. 3. de curatio- Theodoret.
ne Græcorum; alia refert Eugubinus lib. 8. de Eugubinus.
Perenni Philosophia cap. 27. probatque quoti-
diana experientia in corporibus obsessis, & alijs
apparitionibus Dæmonum. Videantur Tyræus Tyræus.
de locis infestis, & Rio in suis Magicis.

Origenes hom. 15. ad cap. 12. Iosuë circa finem 13.
insinuat, Dæmones, qui vincuntur à sanctis re- Origen.
pulsa suggestione perpetuò relegari ad infer-
num. At hoc sine fundamento dicitur, quia con-
stat ex Scriptura Dæmonem semel, ac sæpiùs vi-
ctum permanere in hoc aëre ad tentandum, sic
Ambrosius lib. 4. in Luc. de Diabolo, qui victus à Ambros.
Christo recessit ab illo, ait. *Postea non tentaturus,
sed apertè pugnaturus adueniet*. Vnde Matth. 12. Matth. 12.
Dæmon victus dicebat. *Reuertar in domum meam
vnde exiui*, & Gregorius 3. Moral. cap. 8. inquit, Gregor.
*Antiquus hostis, quò valentiùs vincitur, eò adhuc
ad insidias ardentius instigatur*. Non ergo trudi-
tur in infernum.

Dices, post Christi redemptionem Satanam 14.
esse reclusum in abyssum, *vt non seducat amplius
gentes, donec consummentur mille anni*, vt habetur
Apocalyp. 20. vbi per mille annos significatur to- Apoc. 20.
tum tempus legis gratiæ vsque ad aduentum
Antichristi, iuxta communem sensum Patrum

contra Millenarios. Respondetur etiam nunc plurimos Dæmones inter homines versari, quia post Christi mortem vocat Paulus Dæmones *Spiritualia nequitiæ in cælestibus, Principes, & Potestates, mundique rectores tenebrarum harum.* Nunc etiam ab Ecclesia exorcizantur Energumeni, & Apostolis dicitur, *Dæmonia eiicient.* Quare locus Apocalypsis intelligitur, vel quatenùs Dæmones non permittuntur tam acriter tentare, sicut anteà, vel quia solus Lucifer detrusus est in infernum, nec inde permittetur exire vsque ad aduentum Antichristi.

15. Ceterùm post diem iudicij recludentur omnes in inferno nunquam inde egressuri iuxta id
Matth. 25. Matth. 25. *Ite Maledicti in ignem æternum*, &c. vtique simul enim Diabolis ibi iugiter arsuris.
Apoc. 12. 20. Significatur etiam Apocalyp. 12. & 20. vt co-
August. piosè declarat Augustinus lib. 20. de Ciuit. à cap. 14. hoc idem sonant illæ querelæ Dæmonum putantium venisse Christum ante tempus
Matth. 8. Luc. 8. ad recludendum illos Matth. 8. & Luc. 8. Ratio sumitur ex dictis, quia permittuntur nunc vagari ad hominum probationem agone præstito: sed hic finis cessabit post finale Iudicium: ergo ex tunc simul omnes illo carcere non ampliùs exituri claudentur.

16. Dubitatur quintò. An Dæmones, qui nunc vagantur in hoc aëre, torquentur? Negarunt aliqui, sed communis Theologorum affirmat;
S. Thom. S. Thomas in hac quæst. 64. art. 4. ad 3. ideoque 3. p. quæst. 59. art. 3. dixit Angelos à principio fuisse iudicatos quoad præmium, & pœnam essentialem: Consonat in 4. distinct. 44. quæst. 3. artic. 3. quæstiunc. 3. ad 8. & in Addition. q. [illegible].
Glossa. art. 3. ad 8. & quæst. 89. art. 8. Tradit Glossa in id Iacobi 3. *inflammata à gehenna*, dicens, *sicut gehenna semper ardet, ita Diabolus, vbicumque sit, semper fert tormenta suarum flammarum.* Ratio est, quia Dæmones post viam suam puniti fuerunt pœna damni perpetua: ergo simùl puniti fuerunt pœna sensus essentiali, quæ secundùm ordinem iustitiæ diuinæ debetur peccato propter conuersionem ad bonum commutabile: sed ista pœna est æquè æterna, ac pœna damni: ergo æquè iugis, & inuariabilis.

17. Quomodo autem torqueantur Dæmones in hoc aëre. Quidam censent, Dæmones cùm veniunt ad nos, secum afferre portionem quandam ignis, quo recluduntur & cruciantur. Alij volunt in hoc mundo non torqueri Dæmones ab igne, sed à solo Deo. Veruntamen primum esset multiplicare miracula sine causa; secundum, variare causam cruciatus sine necessitate. Cùm enim ignis agat in Dæmones, vt instrumentum Dei per potentiam obedientialem actiuam, non eget approximatione, sed potest non minùs agere in spiritum distantem, quàm in proximum; conditio quippe propinquitatis solum est secundum naturalem ordinem necessaria, sufficitque ad actionem contactus virtualis, & [illegible] rtualis depend[illegible] ntia, vt in a[illegible] onibus Sacramentorum apparet,

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

DISPVT. XXIX.

De infestatione Dæmonum.

DE hac egit S. Thomas infrà q. 114. S. Thom.
sed pro materiæ complemento hac vltima disputatione ministeria Dæmonum prosequemur, quæ in hominum oppugnatione potissimum consistunt; nec est dubium quin diuinæ prouidentiæ subsint, quatenùs mala culpæ permittit, pœnæ verò per idonea instrumenta infligit.

CAPVT I.

Vtrùm Dæmones homines inducant ad peccandum.

COmmuniter docent Theologi malos An- 1.
gelos esse ministros diuinæ iustitiæ, ac prouidentiæ ad mala pœnæ hominibus infligenda: Et quidem in inferno iuxta supradicta non possunt Dæmones pœnam essentialem tam damni, quàm sensus, vel ignis infligere, sed aliquam accidentalem, animas scilicet damnatorum ignominiosè detrudendo in gehennam, ibique retinendo, conuitiis, & recordatione peccatorum exagitando. In hac vita sæpè malum pœnæ hominibus infligunt, vt colligitur ex Psal. 77. *Misit* Psal. 77.
in eos iram indignationis suæ, immissiones per Angelos malos. Vbi Hieronymus, Augustinus, & Hieron.
alij exponunt; Dæmones esse ministros iræ Dei. August.
Colligitur etiam ex Iob 1. & 2. Tob. 2. 3. 6. 7. Iob 1. 2.
& 8. 1. Reg. 16. 1. Corinth. 5. 1. ad Timoth. 1. Tob. 2. 3. 6. 7. 8.
Chrysostomo homilia 43. in Acta, & hom. 3. de 1. Reg. 16.
patientia Iob. Hieronymo Ioel. 2. & ex aliis Pa- 1. Cor. 5.
tribus, & Ecclesiasticis historiis multa de hoc 1. Tim. 1.
exempla refert Iodocus Coccius tom. 1. The- Chrysost.
sauri lib. 4. art. 5. & 6. Iodoc. Coc.

Certùm quoties cum malo per Dæmonem 2.
illato coniungitur peccatum hominis, qui ex suggestione Dæmonis alteri nocet, vel malum ipsum pœnæ est instigatio ad culpam, non fit iubente, sed permittente Deo, qui sicut *non est volens iniquitatem*, sic nec ea, quæ peccatum inferunt, vel inuoluunt, potest velle directè. Quoties verò malum est purè pœnale de se, vt neces Sodomitarum, & similium, cruciatus etiam obsessorum, atque alia id genus, potest infligi Deo iubente, licèt forsan de facto nonnumquam solùm permittat Dæmoni, qui est ex se nocendi cupidissimus, has vel illas pœnas inferre. Quidam Patres vniuersaliter insinuant, omnes pœnas temporales, & externas, quæ hominibus proueniunt à causis extrinsecis per Dæmonum ministerium & artem deriuari, mihi non est dubium quin Dæmones noceant, quantum possunt, aut permittuntur; sæpè tamen crediderim ex naturalium causarum concursu sine speciali Dæmonis operatione, vel applicatione damna temporalia causari.

Quoad malum culpæ Fides Catholica docet, 3.
Dæmones, quantum à Deo permittuntur, saluti nostræ insidiari, scilicet immittendo prauas cogitationes, vel interiùs phantasmata immutando, vel exteriùs obiecta sensibilia, quæ pro

nocent

mouent ad malum, offerendo, vel etiam aliquando exterius sub diuersis figuris apparendo, & loquẽdo. Sic primos homines sub figura serpentis Satan tentauit, vt habetur Gen. 3. & explicuit Christus Ioan. 8. dicens: *Ille homicida erat ab initio*, & Paulus 2. Corinth. 11. dictũ ait. *Timeo, ne sicut serpens seduxit Euam*, &c. significans illam tentationem fuisse quasi principium & exemplar reliquarum, sic tentauit Iobum, vt habetur cap. 1. & 2. sic Iudam Ioann. 13. sic Christum Matth. 4. vbi per antonomasiam Dæmon appellatur *tentator*. & 1. ad Thessal. 3. dicitur *is qui tentat* 1. Pet. 5. *circuire quærens, quem deuoret*. Apoc. 12. *seducere vniuersum orbem*.

Gen. 3. Ioan. 8. 2. Cor. 11. Iob. 1. & 2. Ioan. 13. Matth. 4. 1. Thess. 3. 1. Pet. 5. Apoc. 12.

4. Consentiunt passim Patres, Ignatius epistola ad Smyrnenses, Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 2. & 6. Cyrillus Alexandr. lib. 4. & 6. contra Iulianum, Chrysostomus hom. 31. in Genes. & 1. de Lazaro, Damascenus lib. 2. cap. 4. Tertullianus in Apologetico cap. 22. Irenæus lib. 5. cap. 23. & 24. Augustinus lib. 8. de Ciuit. cap. 21. & lib. 9. cap. 3. Leo Papa serm. 4. de collectis, Eusebius lib. 3. Demonstrat. cap. 5. & lib. 4. c. 9. Basilius homilia *Quod Deus non sit auctor malorum*, Nazianzenus oratione 39. in sancta lumina, Ambrosius epistola 84. alias 33. ad Demetriadem, Cassianus collat. 7. cap. 21. & collat. 8. cap. 13. Ex quibus & aliis colliguntur variæ rationes: nam ex parte Dæmonis motiuum tentandi homines est primò, quia Deum odit, ideóque hominem quasi Dei opus, & imaginem insectatur: Secundò, quia inuidet homini. Tertiò, vt gloriam regis sibi vendicet apud ignorantes. Ex parte Dei motiuum permittendi Dæmonum tentationes est, vt si homo vincitur, fragilitas humana noscatur, vnde homines in timore, & humilitate contineantur, & cognita necessitate diuinæ gratiæ ad prolixiùs orandum excitentur. Si verò vincat homo, commendetur excellentia diuinæ gratiæ, maiórque simul hominum gloria resultet.

Ignatius. Cyril. Ierosol. Cyril Alex. Chrysost. Damasc. Tertull. Irenæus. August. Leo Papa. Eusebius. Basilius. Nazianz. Ambros. Cassianus.

5. Cyprianus lib. 7. epistola 4. aliàs 76. vel 77. in 2. p. sentire videtur post baptismum nullam dari Dæmoni facultatem ad hominem baptizatum aggrediendum; sed si totus contextus expendatur, loquitur de tentatione Dæmonis externa per sensibilem apparitionem, aut corporalem vexationem; nec enim sic illudit fideles baptizatos Satanas sicut infideles, & Ecclesia multò efficacius potest per exorcismos cogere Dæmones, vt à baptizatis exeant, quam a non baptizatis; nunquam ergo permittit Deus Dæmonem tentare supra vires aliquem; imo semper est in potestate tentati victoria cum gratia diuina, quæ præsto adest, ceterum intra latitudinem istam tempore legis gratiæ dicitur potestas Dæmonis ligata, quia multò minùs sæuire permittitur, quàm possint vires hominum ferre. Videatur Gregorius lib. 32. Moral. cap. 12. & ipse Cyprianus in præfatione libri de exhortatione ad Martyrium, vbi planè fatetur (quod docent alij Patres) fideles etiam baptizatos tentari à Dæmone, sæpéque vinci. Multa congerit de tentationibus Dæmonum Barradas tom. 2. lib. 2. concordiæ à cap. 8. vsque ad 11.

Cyprian. Gregor. Cyprian. Barradas.

6. S. Thomas 1. part. quæst. 114. art. 5. docet Dæmonem, cùm superatur à iustis in suis tentationibus, quasi confusum recedere, illósque fugere, iuxta id Iacobi 4. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis*. Consonat Gregorius 2. Moral. cap. 22. scribens, recedere Dæmonem, cùm videt aliquem esse fortem in bello, ne augeat coronam, quod etiam docuit Chrysostomus homil. 24. ad populum. Magister tamen in 4. dist. 6. & Durandus ibi quæst. 4. Limitant dicentes, victum Dæmonem in vno genere tentationis, in eodem non tentare, si quis perseueret in eadem dispositione, quia spem amisit victoriæ. Sed hæc omnia intelligenda sunt de recessu ad tempus, vt dicitur Luc. 4. & notat Ambrosius lib. 4. in Luc. nam instare formidat, quia refugit frequentiùs triumphari; nihilominùs non omninò desistit, sed occasionem operitur, vt incautum adoriatur, vel ex speciali Dei prouidentia concedit inducias, imò dicebat Antonius Magnus apud Athanasium, *Sauciatos Dæmones grauiùs assurgere*. Cyprianus epistola 6. inquit; *Fortiorem magis aggreditur, & acrior factus, hoc ipso quod victus est superantem superare conatur*, & Chrysostomus homilia 1. de Lazaro ait; *Non solùm illos adoritur, quos omnino confidit se supplantaturum, verùm etiam eos, quos probabile est artibus ipsius fore superiores*. Vide suprà dicta disputat. 28. cap. 3. num. 13.

S. Thom. Iacob. 4. Gregor. Chrysost. Durand. Ambros. Athanas. Cyprian. Chrysost.

Restat nonnulla quæstio: Nam omnia hominum peccata ex Dæmonum tentatione proueniunt? in qua suppono vulgarem diuisionem tentationis in probatiuam, & seductiuam, quæ discernuntur ex intentione tentantis: nam tentatio probationis fit ad discernendum, vel experiendum quid sit in tentato, & sic dicitur Deus tentare iustos. Tentatio seductionis, seu subuersionis tendit ad inducendum hominem in peccatum, & sic Deus neminem tentat, sed Diabolus. 7.

S. Thomas 1. part. quæst. 114. art. 3. huius adhuc tentationis duos modos distinguit, alterum indirectum, quem Suarius vocat remotissimum; alterum directum, quem Suarius vocat proximum, & addit tertium, quem vocat remotum, seu mediatum. Primus est, cùm ponitur aliqua dispositio remota, vnde resultet occasionaliter effectus. Secundus est, cùm applicatur obiectum sensibile taliter, vt prauam cogitationem instillet, vel per locutionem, & suasionem repræsentatur sub aliqua ratione boni, vel per internam motionem humorum phantasmata conuenienter applicantur ad excitandam sensibilem cogitationem, quæ moueat ad peccatum. Tertius est, cùm vnus inducit alium ad peccandum, & hic sic inductus vocat alium tertium, qui secum in peccato cooperetur; vel cùm vnus inducit alium, vt alij tertio suadeat maleficium. 8. S. Thom.

De possibili certum est posse Dæmonem omnibus istis modis inducere homines ad peccandum, quia potest occasiones longinquas disponere, proximéque applicare motiua, & per homines sibi deuinctos pellicere alios ad ruinam. Certum etiam est, posse hominem sine vlla Dæmonis suggestione peccare, quia liberè potest eligere: ergo & malè eligere præferendo virtuti voluptatem, non solùm in natura lapsa per concupiscentiam, vel per prauos amicos illectus, sed etiam sine cuiuscunque suggestione in natura integra constitutus posset pro sola arbitrij libertate peccare, sicut primus Angelorum peccauit. 9.

De facto versatur controuersia, in qua fuit antiquus error dicentium Dæmonem sola sua virtute sine nobis causare peccata; quem tribuere videtur Augustinus Valentino lib. 1. de hæresibus 10. August.

hæresibus cap. 11, dum de illo dicit. *Malitiam non arbitrio tribuit, sed natura mundi, id est, generi Diabolico.* Eundem tribuit Armenis, & Albanensibus Castro, verbo *Peccatum*, hæresi 3. & Prateolus sub eorum nominibus. Hic tamen error facilè refellitur ex Gen. 4. *Nonne si benè egeris, recipies; si autem malè, statim pro foribus peccatum tuum aderit.* Et Ecclesiast. 15. *Reliquit illum in manu consilij sui*, nec alioqnin iuberemur resistere Diabolo, nec diceremur posse resistere, 1. Pet. 5. Ephes. 6. Iacobi 4. Item quia sine nostra libertate non peccamus, nec sine nostra efficientia, & indifferentia datur libertas.

Castro. Prateolus. Gen. 4. Ecclesiast. 15. 1. Pet. 5. Ephes. 6. Iacobi 4.

11. Quoad primum modum tentationis indirectum, seu remotissimum dicit S. Thomas suprà Dæmonem esse causam omnium peccatorum, & consequenter etiam omnium tentationū generis humani, quatenùs tentando primos parentes fuit causa lapsus illorum. Vnde cetera peccata, tentationesque manarunt: nam deordinatio mūdi, concupiscentiæ rebellio, Dæmonum frequentes de peccatoribus victoriæ ab originali peccato deriuantur. Vnde dixit Gregorius homilia 6. in Euang. *Nos cùm tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati in nobisipsis etiam gerimus, vnde certamina toleremus.*

Gregor.

12. Circa secundum modum tentandi nonnulli Patres censent, omnia peccata hominum esse ex tentatione Dæmonis. Ita Dionysius de Diuin. nomin. cap. 4. p. 4. Origenes hom. 15. in Iosue cap. 11. Damascenus lib. 2. cap. 4. Augustinus sermone 68. ad fratres in Eremo. Leo Papa sermone 4. de collectis; insinuant Cassianus collatione 7. & sequētibus, & Hieronymus ad Ephes. 6. Negant tamen Origenes lib. 3. Periarch. cap. 2. Augustinus, seu potiùs Gennadius, lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 81. dicens. *Non omnes malæ cogitationes nostræ semper Diaboli instinctu excitantur.* Basilius in Regulis breuioribus num. 75. Chrysostomus homilia 54. in Acta. Nazianzenus inter carmina tetrastica in 52. S. Thomas 1. p. quæst. 114. art. 3. & 1. 2. quæst. 80. art. 4. Vbi Medina, Valentia, Cumelis, Vasquius, Alensis 2. p. quæst. 100. memb. 3. & 4. Vincentius in speculo Morali lib. 3. p. 2. d. 10. Herrera in 2. disp. 39. quæst. 1.

Dionys. Origen. Damasc. August. Leo Papa. Cassianus. Hieronym. Gennadius. Basilius. Chrysost. Nazianz. Medina. Valentia. Cumel. Vasquius. Alens. Vincent. Herrera.

13. In quæstione de facto, vbi nec experientia, nec ratio suppetit; illud valdè verisimile fit, in hoc statu naturæ lapsæ communiter non fieri tentationes à solo Dæmone, sed istum ferè semper iuuari ab alio animæ hoste: vel enim vnum hominem per alium solicitat, vt explicat Hilarius in Psal. 128. vel à concupiscentia iuuatur, illam excitando, vt declarat Ambrosius lib. 4. in Lucam cap. 4. Quamobrem, vt Patres obseruant, semper attendit hominis affectum, & dispositionem, vt per debiliorem partem illum aggrediatur, sic enim faciliùs potest hominem debellare. Fit etiam è contrario credibile alios animæ hostes non tentare sine Dæmone: nam cùm hic sit nocendi cupidissimus, cognitam hominis oppugnationem ab appetitu, vel à paucis amicis prouenientem non desinet permouere, & vrgere quantum possit; ita vt aliquando ipse Dæmon incipiat excitare socios, vel concupiscentiam, vt per illam tentet, aliquando videns aliunde cœptam tentationem, quasi oblata occasione instigare pergat. Sic possunt relatæ sententiæ conciliari. Videatur Suarius lib. 8. de Angelis cap. 19.

Hilar. Ambros. Suarius.

14. Est etiam Diabolus, quantum est in se causa exemplaris omnium peccatorum, quo sensu Ioann. 8. dicitur *Pater mendacij*, vt exponit Nyssenus in orat. Dominica prope initium. Augustinus tractatu 4. & 5. in Ioannem. Eucherius Leuit. 19. inquit. *Concupiscentia est mater omnis peccati, & Diabolus est pater*, quod potest etiam capi, iuxta suprà dicta num. 13. quatenus simul concurrunt ad instigandum animum. Cyrillus Alexandr. lib. 6. cap. 6. in Ioann. in principio dicit. *Omnis peccator, in quantum per peccatum se subiicit Diabolo, & se prabet eius imitatorem, patrem habet Diabolum.*

Ioann. 8. Nyssenus. August. Eucherius. Cyrill. Alex.

CAPVT II.

An, & quomodo ministeria Dæmonum per varios ordines distributa sint.

1. SVppono primò, malos Angelos cecidisse ex omnibus Hierarchiis; & ordinibus Angelorum, iuxta suprà dicta disp. 25. cap. 1. num. 17. Vnde fit, eandem inæqualitatem perfectionis naturalis in Dæmonibus mansisse, quæ datur inter sanctos Angelos; ideoque malis Angelis nonnulla nomina talium ordinum tribuuntur, scilicet Cherub apud Ezechielem, Principatus, Potestatis, & Angelorum apud Paulum, & forsan etiam Virtutum, quia proprietates, à quibus ista nomina sumuntur, indifferentes sunt bonis, & malis, nimirum scientia, potestas, prælatio, vigor, efficacitas, & annunciatio. Hierarchia verò quæ significat sacrum principatum, & nomina Seraphinorum, Thronorum, & Dominationum, quæ à perfectionibus supernaturalibus potissimum deriuantur, non tribuuntur Dæmonibus: Nec sunt aliqui Dæmonum assistentes, quia sunt omni dono supernaturali priuati, remoti à Deo, cui non tam quàm Diabolo ministrant, & sic respectu huius dici possunt ministrantes.

2. Suppono secundò dari simul inter Dæmones subordinationem secundùm potestatem, & prælaturam quorundam in alios, vt docet S. Thomas 1. p. quæst. 109. art. 2. & saltem dari principem aliquem, cui Dæmones omnes subdantur testatur Scriptura manifeste Matth. 12. 13. & 25. Marcus. 3. Ioan. 12. 14. & 16. Luc. 11. 2. Corinth. 12. ad Ephes. 2. vbi Belzebub dicitur princeps Dæmoniorum, princeps huius mundi, & huius aëris, & Satanas habere regnum indiuisum, ceterique dicuntur ministri, & Angeli eius, nam, vt ait Chrysostomus hom. 42. in Matth. *Si Diabolus princeps est, ceteri Dæmones illi subiiciuntur.* Similia tradunt Hieronymus in cap. 3. Abacuc, Origenes lib. 1. Periarch. in principio, Cassianus collatione 7. & 8. & communiter Scholastici.

S. Thom. Matth. 12. 13. 25. Marc. 3. Ioann. 12. 14. 16. Luc. 11. 2. Corinth. 12. Ephes. 2. Chrysost. Hieron. Origen. Cassian.

3. Rectè S. Thomas suprà declarat hunc Dæmonis principatum fundari in naturali perfectione Angelorum, qua superant alios alij, quia licèt solus perfectionis excessus non inferat necessariò prælaturam, aliàs tenerentur homines singulis Angelis obedire, tamen valdè consentaneum est naturis rerum, vt in rebus eiusdem generis inferiores superioribus subdantur eo modo subordinationis, cuius sunt capaces; quare cùm Angeli etiam mali sint intellectualis naturæ, consonum illis est in vnam societatem politicam aggregari in ordine ad actiones liberas, & morales,

&

& prout sunt à bonis diuisi, ab illo gubernari, qui naturaliter ceteris antecellat.

4. S.Thom. Guillel. Par. Accedit tamen huic fundamento naturali communis consensus Dæmonum, vt docent S. Thomas suprà 2.2.ad 2.& Guillelmus Parisiensis 2.p. principali de vniuerso,parte eius secūda c.14.15. & 16.quatenùs enim omnes inferiores peccarunt consentiendo supremo,iuxta suprà dicta disp.25. cap. 2. per hunc consensum virtualiter saltem illum in principem elegerunt, & quia tali electioni firmiter adhærent voluntariè ipsi vt Principi subduntur ratí modum istum regiminis aptum sibi esse ad bellum prosequendum contra Deum, contra Christum,contra genus humanum;sic docet S.Thomas, *illam concordiam Dæmonum non esse ex vero amore inter se*, nec per consequens ex iustitia, vel honesta obedientia, *Sed ex nequitia, qua hominem odiunt, & Dei iustitiæ repugnant.*

5. S.Thom. Suarius. Accedit præterea prouidentia Dei, cui praua quoque creaturarum studia subsunt, præsertim cùm ordo diuinæ iustitiæ disponat, & Dæmones illius potestati subdantur in pœna, cuius suggestioni consenserunt in culpa,vt docet S.Thomas suprà quæst. 63. art. 8. ideoque infrà quæst.114. art. 1. dixit. *Impugnationem Dæmonum ab eorum malitia procedere,& non à Deo,nisi vt permittente, ordinationem autem impugnationis esse à Deo ordinante, & positiue prouidente*,quod Suarius lib.8. de Angelis cap.21. explicat de ordinatione finis, quatenùs Deus totam Dæmonum impugnationem, & omnia eius ministeria,seu distributiones ordinat ad altiorem finem gloriæ suæ, nostræque salutis,etsi distributionem ipsam,& priuatam Dæmonum intentionem duntaxat permittat.

6. Ceterùm si distributionem ipsam formalem ministeriorum fatetur Suarius prauam esse,nec à Deo, nisi permittente manare,non videtur posse Deus illam directè intendere,vel ordinare ad gloriam suam, nisi sicut ordinat peccata iam præuisa per scientiam absolutam, & tamen hæc non dicuntur esse à Deo simpliciter ordinante, seu positiuè prouidente, sed solùm permittente. Quapropter ego sic distinguerem;aliud est ordinatio, vel subordinatio Dæmonum inter se, qualis etiam reperitur inter Angelos bonos concepta priùs natura quàm vtrorumque ministeria, & talis ordinatio, fit sic à Deo positiuè ordinante, & iubente bonos Angelos,cogente verò malos inter se subordinari: Hac autem Dei ordinatione Dæmones abutuntur in ordine ad praua ministeria, quæ solum permittuntur à Deo:sed Angeli boni vtuntur eadem in ordine ad ministeria sancta;ideò concludit S.Thomas ex parte Angelorum(scilicet bonorum) tam ipsa custodia,quam ordo custodiæ reducitur ad Deum, sicut ad primum authorem.

7. Magister. S.Thom. Hinc etiā fit verosimile,dari quasi principes,& duces in Dæmonibus,qui sub Lucifero militantes habeant sub se alios inferiores sibi subordinatos.Indicat Magister in 2.d.6.dicēs, *Sicut inter bonos Angelos alij alijs præsunt,ita inter malos alij alijs prælati sunt, & alij alijs subiecti*,quod sequitur S.Thomas 1.part.quæst.109.art.2. & quæst. 114.art.8.estque satis consonum ordini naturali malorum Angelorum secundùm varios gradus perfectionis illorum, cùm præsertim Lucifer per superbiam æmuletur diuinitatem: Quare sicut Deus ad custodiendos homines, sic ipse ad impugnandos varia ministeria distribuit inter suos.

Ex parte vitiorum, ad quæ conantur inducere dicunt Magister suprà, Origenes homilia 15. in Iosue,Cassianus collatione 7.cap.17.Hieronymus ad Ephes. 6. Micheæ 2. Abacuc. 3. Guillelmus Parisiensis suprà, singulis peccatorum generibus diuersos Dæmones, vel Dæmonum cuneos deputati. Vnde alius dicitur spiritus fornicationis, alius auaritiæ,alius mendacij, alius vanæ gloriæ, alius infidelitatis,&c.& sic dicuntur septem Dæmonia fuisse in Magdalena, id est,septem peccata capitalia. Ita Gregorius, & Ambrosius, & Albertus Magnus in Lucam, quædam nomina, quæ de Dæmonibus dicuntur apta septem peccatis mortalibus. 8. Magister. Origen. Cassianus. Hieron. Guillel.Par. Gregor. Ambros. Albert.Mag.

Alij hoc incertum putant, nàm quilibet Dæmon sufficiens videtur ad tentandum de omnibus vitiis, & voluntatem habet in omnibus deprauatam. Vnde Gregorius lib.33.Moral.cap.penultimo,vni Leuiathan tribuit, *quod alias superbia, alias inuidia, alias luxuria, alias auaritia facibus inflammat*.Quare nonnullis probabilius videtur à singulis Dæmonibus omnium vitiorum fomenta præberi, licèt ex superioribus, qui non habent tam particularia ministeria, forsan aliqui præsint vitiis maximè capitalibus, quatenùs callent peculiares tentandi modos,quibus adiuuent inferiores ministros; sic enim apud Athanasium dixisse fertur Antonius, quosdam Dæmones esse magis hebetes, alios callidiores. 9. Gregor.

Ex parte personarum, quas oppugnandas Dæmones suscipiunt quidam deputati censentur ad singulos homines impugnandos, ita vt quilibet hominum peculiarem habeat Angelum oppugnatorem sicut habet custodem.Lucifer enim diuinitatis æmulus super hominum salutem bellum gerens cum Deo,sicut ab isto videt singulis hominibus singulos tutelares Angelos designari, sic singulis credendus est singulos impugnatores deputare; nec insufficiens erit Dæmonum numerus pro hominibus simul existentibus, nec Deus impediet deputationem istam, supposita tentationum permissione. Sic censet Origenes hom.35.in Luc.& lib.3.Periarch.cap.2.versus finem, Nyssenus lib.de vita Moysis. Fauet Tertullianus lib.de anima cap. 57.& clariùs cap.39. Pamelius num.451.multa refert ex Philosophis, & plura Eugubinus lib. 8. de perenni philosophia. Consentiunt Magister in 2.dist.6.& 11.& Scholastici cum illo,sumitur ex 2.Corinth. 12. *Datus est mihi Angelus Satanæ*.Psalm.108.*Diabolus stet à dextris eius*,&c.An autem incipiat deputatio à conceptione,vt vult Suarius,an ab ortu, vt significat Tertullianus suprà,incertum est;sicut in custodia bonorum:Durat tamen pro tota vita, nam licet aliquandiu cesset, vel voluntate propria, malo scilicet animo priuandi fructu victoriæ, aut arctiùs postmodum vrgendi, vel ex ordinatione diuina, vt faciat *Deus cum tentatione prouentum*,seu iuxta aliam litteram *exitum*, vt possimus sustinere;nunquam tamē omninò desistit vsque ad discessū animæ de corpore.Inter hos oppugnatores quidā sunt infimi pro hominibus vulgaribus, alij superiores pro Principibus,& fortasse pro viris sanctioribus astutiores Dæmones designantur in iuuamen priorum. 10.

Alij Dæmones censentur ad prouincias, vel regna, vel communitates alias oppugnandas 11.

deputa

deputari pro ratione maioris, vel minoris communitatis superiores, vel inferiores, & plures ex istis forsan vni principaliori subordinantur, quod tradit Magister in 2. dist. 6. innuit S. Thomas 1. p. quæst. 114. art. 1. dum æquiparat malos Angelos cum bonis. Fauet Hieronymus Abacuc 3. circa finem. Isaiæ 24. & Dan. 8. vbi per Principes Regni Persarum, & Græcorum apud Danielem capit hos malos Angelos ad impugnandas prouincias destinatos. Videatur Cassianus collatione 8. cap. 13. & 14.

Magister. Hieron. Isaiæ 24. Dan. 8. Cassian.

12. Contra huiusmodi oppugnationes, & insidias non solùm stat pro nobis Dei virtus, de qua dicitur 2. Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*, ita vt sufficiens saltem detur auxilium ad vincendum; sed etiam Angeli boni præliantur pro nobis contra malos, vt constat 4. Reg. 6. vbi plures dicuntur esse pro nobis, quàm cum hostibus, & Apoc. 12. Michaël pugnat cum Dracone. Nec de abstrusis Angelorum naturis, conditionibus, actionibus, proprietatibus ampliùs, certiùs, aut clariùs occurrit enarrandum, dum peregrinamur à Deo, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum Amen.

2. Cor. 12. 4. Reg. 6. Apoc. 12.

F I N I S.



INDEX



CONSPECTVS

Rerum & Verborum huius operis.

Prior numerus paginam, alter marginalem numerum aſſignat.

A

Abſtractio, Abſtractum.



BSTRACTIO duplex, vel per modum accidentis à ſubiecto, vel per modum ſubſtantiæ ab habente. 771.n.2

Abſtracta quantumuis vltima per verbum ſubſtantiuum in diuinis prædicantur de concretis. n.4

Academia.

Academia prima Theologica à Salomone instituta. 2.n.7

Accidens.

Accidentia Angelica quomodo diſtinguuntur. 904.num.18.

Acedia.

Acediæ crimen an in Angelos cadere poſſit. 1085.n.5.

Actio.

Ad Actionem quid requiritur. 889.n.2

Actio non ſolùm reſpicit terminum à *quo*, ſed etiam terminum *ad quem*. 73.n 12

Actiones Angelorum corporibus aſſumptis quales? 841.842. vide *Angelus*.

Actus.

Actus humani ab obiecto ſpecificatur. 21.c.1.n.1

Actus ſpecificantur non ſolùm ab obiecto materiali, ſed & formali. 35.n.12

Actus virtutum infuſarum an ſint ſupernaturales quoad ſubſtantiam. 83.*cap. I. toto.*

Actus ſupernaturalis an poſſit verſari circa obiectum naturale, vel è contra. 90. *cap. II. toto.*

Actus naturalis terminari poteſt ad obiectum ſupernaturale vt ad obiectum materiale per accidens. 90.n.2

Vt ad obiectum formale. ibid.

Actus naturalis non poteſt tendere ad obiectum ſupernaturale ſub ratione formali ſupernaturali non cognita. n.2.& 92.n.12

Actus ſupernaturales quoad modum quomodo probantur. 99.n.1

Actus vitalis eſſentialiter & adæquatè claudit tam actionem quæ ſimul eſt paſſio realiter, quàm qualitatem ſeu terminum realiter diſtinctum ab actione. 100.n.4

Actus naturalis imperatus à ſupernaturali perfectionem quandam indiuidualem ab eo participat. n.5

Actus Theologici quoad ſubſtantiam an ſint naturales. n.7.& 101 n.10

Non ſunt naturales ex defectu motiui ſupernaturalis, ſed ex defectu principij efficientis 101.n 9

Actus ſupernaturales ſunt ipſius forma & finis proximus. 128.n.1

Influxus in Actus ſupernaturales an totus Deo adſcribẽdus. 135.n.1.2. vide *Influxus, Potentia*.

Actus Dei liberi quo pacto à Beatis videri poſſunt. 261. *cap VI.*

Actus libertas, & potentiæ in quo conſiſtit. 312.n.15

Actus bonus elicitus per ſolas vires naturæ non eſt diſpoſitio neceſſaria ad primum gratiæ auxilium obtinendum. 480.n.13

Actus ſupernaturales prædeſtinati ſiue fiant ante iuſtificationem ſiue poſt illam, &c. Sunt effectus prædeſtinationis. 524. n. 9. vide *Prædeſtinatio*.

Actus vitalis creatus non eſt receptio ſpeciei nec ſola actio, aut paſſio, nec ſola qualitas producta, ſed vtrumque continet eſſentialiter. 660. num.2.

Actus notionalis verè prædicatur de eſſentia abſtractiuè ſignificata, ſi ſubſtantiuum aliquod interueniat. 771.n.7

Actus notionales an priùs intelligantur proprietatibus. 774

Actus notionales an ſint attribuendi perſonis diuinis. 788

An ſint voluntarij. ibid.

An ſint de aliquo. ibid.& 790

An ad plures perſonas terminari poſſint. 789

De fide eſt eſſe neceſſarium ac naturalem. ibid. num. 2.

Actus liberi nobiliores ſunt quàm res naturales neceſſariæ, vnde minùs cognoſcibiles. 930. num.8

Actuum imperatorum, & elicitorum diſcrimen. ibid. n.12

Actuum intellectus diſtinctio. 931.n.15

Actuum intellectus distinctio. 935.n.15
Actuum item voluntatis liberorum & necessariorum. n.16

Adamus.

Adamus primus Theologiæ magister. 2.n.5
Adæ peccatum totum secundùm hominem corpus in deterius commutauit. 105.0.10. Recepit gratiam iustificantem ante lapsum, & in prima sui iustificatione, per dispositionem propriam. 106.n.11.
Adamus in statu innocentiæ per diuinam reuelationem cognouit mysterium Incarnationis. 979.n.22
Adamus in primo suæ creationis instanti potuit peccare etiam mortaliter. 1029.n.6

Adoratio.

Adoratio quid? Eius species triplex, & qualis Angelis debetur. 1078.n.1.2

Ægyptij.

Ægyptij ab Abrahamo Theologicam scientiam accepere. 2.n.6

Æqualitas.

An locum habeat in diuinis. 791

Æternitas, Æternum.

Æternitatis Diuinæ descriptio. 327.0.2
Æternitas licet coëxistat rebus omnibus, tamen è contra creaturæ in duratione propria non coëxistunt æternitati completæ & adæquatæ, ac subinde in mensura suæ durationis non dicuntur coëxistere Deo ab æterno. n.4
Æterni variæ acceptiones. 213.n.1
Quo sensu Deus dicatur Æternus. ibid.
Æternitatis definitiones variæ. 214.n.2
Ratio formalis Æternitatis in quo posita. n.7
Æternitas importat rationem positiuam & perfectam simpliciter in ratione durationis. 215. num.10
Quomodo distinguatur ab existentia Dei. n.12

Agilitas.

Agilitas in corporibus beatis quid & vnde proueniat. 72.n.5

Alligatio.

Alligatio Dæmonum quæ & in quo posita. 1125. n.21. & seqq. vide *Dæmon.*

Amor, Amare.

Amor Dei erga creaturas exponitur. 367. *cap.I. toto.*
Amor an sit proprium nomen Spiritus.S. 764
Amor in Angelis & hominibus electiuus & naturalis datur, quo seipsos & Deum plusquam seipsos diligunt. 1014.1015
Amare propriè quid? 1016.n.5
Amor Angelorum erga seipsos quatenus concupiscentia est, necessarius est. n.6
Amor naturalis tripliciter dicitur. n.7.8
Amoris amicitiæ & concupiscentiæ discrimen. 1018. n.2.
Vtroque Amore Deus ab Angelis vel ab homine diligi potest. n.3

Angelus.

Angeli omnes prædestinati à Deo prælecti fuerunt ante omnem præuisionem absolutam meritorum. 468.n.7.8
Angelus an omnino sit corporeus. 801
An compositus ex materia, & forma. ibid.
Angeli omnem materialem multitudinem excedunt. 802
Differunt omnes specie. ibid.
Incorruptibiles sunt natura sua. ibid.
Angelus nomen est officij, non naturæ. ibid.
Angelos qui corporeos esse tenuerint. 802.n.3. & 803. n.4.5. Quod Scripturæ auctoritate confirmatur. num.6.7
Angeli sunt substantiæ intellectuales incorporeæ homine superiores. Súntque boni & mali n.8. 9. & seqq.
Angeli creati sunt ad vniuersi perfectionem. 805. n.19 20.
Angeli ratione naturali probantur. 806.n.23
Probatur quòd Angeli sint spirituales & incorporei. 807.n.28
Non componuntur ex partibus integrantibus quod fieri sine quantitate nequit. 808.n.1
Qui sentiant quòd ex materia spirituali & indiuisibili componantur. n.3.& 809.0.4
Contrarium asseritor, quod nempe non componantur ex materia & forma. n.6. nec etiam spirituali. n.7
Angelus non est omnino simplex vt Deus. 809. n.9.810.n.10.
Sed in eo datur compositio ex substantia & accidenti. ibid.0.11
Angeli sunt in genere, non tamen ex genere & differentia componuntur. n.12
Non sunt cælestium corporum animæ. 0.14
Angeli sunt incorruptibiles ex natura sua respectu potentiæ creatæ, non tamen respectu diuinæ potentiæ 810. n.2.3. & 812.n.9.10
Sunt annihilabiles tam per extrinsecam Dei potentiam, quàm ex intrinseca natura sua. 811.n.4 813.n.18
Sunt immortales.n.5.6.7. Quomodo dici possint corruptibiles. 812.n.9
Angelus dici non potest ens absolutè necessarium. 813.n.15
Angelus natura sua est perpetuus aut incorruptibilis propositio duplicis sensus. 813.n.16
Angelicæ naturæ multiplicitas vnde petitur. 813.n.1.
Angeli quo nomine ab Aristotele cogniti. 814. num.2.
An sint plures quàm corpora. n.3.4
Angeli excedunt numerum omnium specierum materialium. n.5
Angelorum numerus an maior quàm hominum. num.6
Vix potest talis numerus definiri. 815.n.7
An numerus Angelorum in tres Hierarchias & nouem choros distribuatur. n.8
Angelicorum ordinum distinctio. 0 9
Angelorum appellatione veniunt *Virtutes, Throni, Cherubim,* &c. 815.n.10
Angeli propriè dicuntur quibus singulorum hominum cura commissa. 816.n.18
Angelos qui non posse inter se specie differre asseuerent. 816.n.1
Qui contrarium teneant. n.2
An multiplicentur solo numero. n.3
Angeli potuerunt creari à Deo specie diuersi. 817.n.6.
Potuerunt eiusdem speciei solóque numero distincti. 0.8.& seqq.
Angeli an differant de facto & quomodo. 822. 823. *cap.IV. toto.*
Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita. 823.

An



CONSPECTVS
Rerum & Verborum huius operis.

Prior numerus paginam, alter marginalem numerum assignat.

A

Abstractio, Abstractum.


Bstractio duplex, vel per modum accidentis à subiecto, vel per modum substantiæ ab habente. 771.n.2
Abstracta quantumuis vltima per verbum substantiuum in diuinis prædicantur de concretis. n.4

Academia.

Academia prima Theologica à Salomone instituta. a.n.7

Accidens.

Accidentia Angelica quomodo distinguuntur. 904.num. 18.

Acedia.

Acediæ crimen an in Angelos cadere possit. 1085.n.5.

Actio.

Ad Actionem quid requiritur. 889.n.2
Actio non solùm respicit terminum *à quo*, sed etiam terminum *ad quem*. 73.n.12
Actiones Angelorum corporibus assumptis quales? 841.842. vide *Angelus*.

Actus.

Actus humani ab obiecto specificantur. 21.c.1.n.1
Actus specificantur non solùm ab obiecto materiali, sed & formali. 35.n.12
Actus virtutum infusarum an sint supernaturales quoad substantiam. 83.*cap.I.toto*.
Actus supernaturalis an possit versari circa obiectum naturale, vel è contra. 90. *cap.II.toto*.
Actus naturalis terminari potest ad obiectum supernaturale vt ad obiectum materiale per accidens. 90.n.2
Vt ad obiectum formale. ibid.
Actus naturalis non potest tendere ad obiectum supernaturale sub ratione formali supernaturali non cognita. n.2.& 92.n.12
Actus supernaturales quoad modum quomodo probantur. 99.n.1
Actus vitalis essentialiter & adæquatè claudit tam actionem quæ simul est passio realiter, quàm qualitatem seu terminum realiter distinctum ab actione. 100.n.4
Actus naturalis imperatus à supernaturali perfectionem quandam indiuidualem ab eo participat. n.5
Actus Theologici quoad substantiam an sint naturales. n.7.& 101 n.10
Non sunt naturales ex defectu motiui supernaturalis, sed ex defectu principij efficientis 101.n 9
Actus supernaturales sunt ipsius forma & finis proximus. 128.n.1
Influxus in Actus supernaturales an totus Deo adscribẽdus. 135.n.1.2. vide *Influxus, Potentia*.
Actus Dei liberi quo pacto à Beatis videri possunt. 261. *cap.VI.*
Actus libertas, & potentiæ in quo consistit. 352.n.15
Actus bonus elicitus per solas vires naturæ non est dispositio necessaria ad primum gratiæ auxilium obtinendum. 480.n.13
Actus supernaturales prædestinati siue sint ante iustificationem siue post illam, *&c.* Sunt effectus prædestinationis. 524. n. 9. vide *Prædestinatio*.
Actus vitalis creatus non est receptio speciei nec sola actio, aut passio, nec sola qualitas producta, sed vtrumque continet essentialiter. 660. num.2.
Actus notionalis verè prædicatur de essentia abstractiuè significata, si substantiuum aliquod interueniat. 771.n.7
Actus notionales an præ intelligantur proprietatibus. 774
Actus notionales an sint attribuendi personis diuinis. 788
An sint voluntarij. ibid.
An sint de aliquo. ibid.& 790
An ad plures personas terminari possint. 789
De fide est esse necessarium ac naturalem. ibid. num. 2.
Actus liberi nobiliores sunt quàm res naturales necessariæ, vnde minùs cognoscibiles. 930. num.8
Actuum imperatorum, & elicitorum discrimen. ibid. n.12
Actuum intellectus distinctio. 931.n.15

Actuum intellectus diſtinctio. 931.n.15

Actuum item voluntatis liberorum & neceſſariorum. n.16

Adamus.

Adamus primus Theologiæ magiſter. 2.n.5

Adæ peccatum totum ſecundùm hominem corpus in deterius commutauit. 105.n.10. Recepit gratiam iuſtificantem ante lapſum, & in prima ſui iuſtificatione, per diſpoſitionem propriam. 106.n.11.

Adamus in ſtatu innocentiæ per diuinam reuelationem cognouit myſterium Incarnationis. 979.n.22

Adamus in primo ſuæ creationis inſtanti potuit peccare etiam mortaliter. 1029.n.6

Adoratio.

Adoratio quid? Eius ſpecies triplex, & qualis Angelis debetur. 1078.n.1.2

Ægyptij.

Ægyptij ab Abrahamo Theologicam ſcientiam accepere. 2.n.6

Æqualitas.

An locum habeat in diuinis. 791

Æternitas, Æternum.

Æternitatis Diuinæ deſcriptio. 327.n.2

Æternitas licet coëxiſtat rebus omnibus, tamen è contra creaturæ in duratione propria non coëxiſtunt æternitati completæ & adæquatæ, ac ſubinde in menſura ſuæ durationis non dicentur coëxiſtere Deo ab æterno. n.4

Æterni variæ acceptiones. 213.n.5

Quo ſenſu Deus dicatur Æternus. ibid.

Æternitatis definitiones variæ. 214.n.2

Ratio formalis Æternitatis in quo poſita. n.7

Æternitas importat rationem poſitiuam & perfectam ſimpliciter in ratione durationis. 215. num.10

Quomodo diſtinguatur ab exiſtentia Dei. n.12

Agilitas.

Agilitas in corporibus beatis quid & vnde proueniat. 72.n.5

Alligatio.

Alligatio Dæmonum quæ & in quo poſita. 1125. n.21. & ſeqq. vide *Dæmon.*

Amor, Amare.

Amor Dei erga creaturas exponitur. 367. *cap.I. toto.*

Amor an ſit proprium nomen Spiritus.S. 764

Amor in Angelis & hominibus electiuus & naturalis datur, quo ſeipſos & Deum pluſquam ſeipſos diligunt. 1014.1015

Amare propriè quid? 1016.n.5

Amor Angelorum erga ſeipſos quatenus concupiſcentiæ eſt, neceſſarius eſt. n.6

Amor naturalis tripliciter dicitur. n.7.8

Amoris amicitiæ & concupiſcentiæ diſcrimen. 1018. n.2.

Vtroque Amore Deus ab Angelis vel ab homine diligi poteſt. n.3

Angelus.

Angeli omnes prædeſtinati à Deo prælecti fuerunt ante omnem præuiſionem abſolutam meritorum. 468.n.7.8

Angelus an omnino ſit corporeus. 801

An compoſitus ex materia, & forma. ibid.

Angeli omnem materialem multitudinem excedunt. 802

Differunt omnes ſpecie. ibid.

Incorruptibiles ſunt natura ſua. ibid.

Angelus nomen eſt officij, non naturæ. ibid.

Angelos qui corporeos eſſe tenuerint. 802.n.3. & 803. n.4.5. Quod Scripturæ auctoritate confirmatur. num.6.7

Angeli ſunt ſubſtantiæ intellectuales incorporeæ homine ſuperiores. Súntque boni & mali n.8. 9. & ſeqq.

Angeli creati ſunt ad vniuerſi perfectionem. 805. n.19.20.

Angeli ratione naturali probantur. 806.n.23

Probatur quòd Angeli ſint ſpirituales & incorporei. 807.n.28

Non componuntur ex partibus integrantibus quod fieri ſine quantitate nequit. 808.n.1

Qui ſentiant quòd ex materia ſpirituali & indiuiſibili componantur. n.3.& 809.n.4

Contrarium aſſeritur, quod nempe non componantur ex materia & forma. n.6. nec etiam ſpirituali. n.7

Angelus non eſt omnino ſimplex vt Deus. 809. n.9.810.n.10.

Sed in eo datur compoſitio ex ſubſtantia & accidenti. ibid n.11

Angeli ſunt in genere, non tamen ex genere & differentia componuntur. n.12

Non ſunt cœleſtium corporum animæ. n.14

Angeli ſunt incorruptibiles ex natura ſua reſpectu potentiæ creatæ, non tamen reſpectu diuinæ potentiæ 810. n.2.3. & 812.n.9.10

Sunt annihilabiles tam per extrinſecam Dei potentiam, quàm ex intrinſeca natura ſua. 811.n.4 813.n.18

Sunt immortales. n.5.6.7. Quomodo dici poſſint corruptibiles. 812.n.9

Angelus dici non poteſt ens abſolutè neceſſarium. 813.n.15

Angelus natura ſua eſt perpetuus aut incorruptibilis propoſitio duplicis ſenſus. 813.n.16

Angelicæ naturæ multiplicitas vnde petitur. 813.n.1.

Angeli quo nomine ab Ariſtotele cogniti. 814. num.2.

An ſint plures quàm corpora. n.3.4

Angeli excedunt numerum omnium ſpecierum materialium. n.5

Angelorum numerus an maior quàm hominum. num.6

Vix poteſt talis numerus definiri. 815.n.7

An numerus Angelorum in tres Hierarchias & nouem choros diſtribuatur. n.8

Angelorum ordinum diſtinctio. n.9

Angelorum appellatione veniunt *Virtutes, Throni, Cherubim, &c.* 815.n.10

Angeli propriè dicuntur quibus ſingulorum hominum cura commiſſa. 816.n.18

Angelos qui non poſſe inter ſe ſpecie differre aſſeuerent. 816.n.1.

Qui contrarium teneant. n.2

An multiplicentur ſolo numero. n.3

Angeli potuerunt creari à Deo ſpecie diuerſi. 817.n.6.

Potuerunt eiuſdem ſpeciei ſolóque numero diſtincti. n.8.& ſeqq.

Angeli an differant de facto & quomodo. 822. 823. *cap.IV. toto.*

Angeli habeant corpora naturaliter ſibi vnita. 823.

An

Arius Hæresiarcha.
Arij error de Trinitate attingitur de Dei Filio. 655.n.6
Sectatores Arij in varias sectas diuisi. num.7
Ars.
Artium inuentores inter Deos relati. 9.n.33
Assensus.
Assensus intellectus nostri qui mediati, & immediati. 48.n.1.2.3
Assensus fidei, circa veritates reuelatas est mediatus. 49.0.5
Assistere.
Assistere quas habeat acceptiones & qui dicantur Angeli assistentes. 1073.n.1.2. vide *Angelus.*
Astra.
Astra quinam crediderint esse animata. 809. n.13
Quod refellitur, vt etiam quòd Angeli sint eorum anima. 810.n.14
Athenienses nouitatem sectantes à Demosthene & Apostolo, aliique carpuntur. 8.n.28
Athei.
Atheorum & veterum Philosophorum error, nihil in mundo præter corporalia hæc, & hominem asserentium. 802.
Attributum.
Attributum apud Theologos quid? 163.n.1
An generaliter pro omnibus prædicatis vsurpari debeat. 164.n.2
Debet esse perfectio simpliciter nostro modo intelligendi concepta per modum adiacentis diuinæ essentiæ. 164.n.3
Quæ de Deo metaphoricè dicuntur non sunt Attributa. num.5
Imò prædicata tam positiua quàm negatiua, quæ significant aliquam Dei perfectionem supradictam essentiæ. ibid.
Attributorum & essentiæ distinctio ao solùm repetiatur ratione nominum. 165.n.4
Attributa non prædicantur de Deo per accidens, sed per se primò. 167.n.33
Attributa diuina inter se realiter distinguuntur, ac subinde ratione ratiocinata. 191.n.1
Non sunt de essentia vel natura diuina. ibid.
Attributa diuina in abstracto de se inuicem prædicantur, in sensu identico, non formali. 193. num. 9
Attributa diuina an ab essentia diuina distinguantur & qua distinctione. 199.cap.I.toto.
Scotistarum sententia expenditur. cap.II. toto.
Nec inter se, nec ab essentia distinguuntur actualiter & ex natura rei. 201.n.3
Sed sola ratione cum fundamento distinctionis realit. num.2.
Attributa diuina propriè dicta videntur de facto à singulis beatis etiam distinctè. 255
Attributa latè dicta à nullo beatorum formaliter & distinctè cuncta videntur. 260.n.1
Attributa propria absolutè sumpta non multiplicantur in diuinis. 717.n.2
Imò relatiuè. num. 3
Auaritia.
Auaritiæ crimen an in Angelos cadat. 1085
Auctoris methodus & dispositio exponitur. 16. num. 53.
Auditio.
Auditio Angelorum realiter distinguitur ab eorum locutione. 960.n.25
Autotheani.
Autotheanorum hæreticorum error de Dei Filio. 655.num. 9
Auxilium.
Auxilium sufficiens siue gratia sufficiens quid? 536. n. 1.
Cunctis deesse negarunt hæretici, & quibus fundamentis. n.2.3
Auxilium sufficiens nemini quantumuis obdurato denegatur tam ad conuersionem, quàm ad operationem & præceptorum impletionem. 541.n.9.
Auxilium præueniens efficax pluribus etiam prædestinatis aliquando denegatur. 542.n.19
Sed semper adest sufficiens. num.10
Auxilium immediatè sufficiens ad vincendam imminentem tentationem non omnibus datur, sed mediatè, semper per orationem aut opera misericordiæ. 545 n.23. & seqq.
Tempore somni, vel distractionis inuoluntariæ non datur. 546.n.26
Auxilium sufficiens saltem naturale pro singulis occasionibus & opportunitatibus nunquam denegatur. 546.n.28
Non omnes illud æqualiter participant. 547. num. 29

B.

Baptismus cur à Græcis φώτισμα dictus. 81. num. 14.
Beatitudo.
Beatitudo propriè solius Dei est. 70.n.14
Beatitudinis essentialis diuinæ proprietates. 79. num. 6
Beatitudinem an immediatè receperint Angeli statim post secundùm instans consummati meriti. 1066. n.2
Beatitudo essentialis Angelorum intrinsecè variari non potest. 1072.n.8
Non extrinsecè crescit nec in obiecto secundario. num. 5
Beatus.
Beatorum similitudo cum natura diuina explicatur. 69.n.7
Beati Deum vt in se est videre possunt. 219.n.4
An insit ipsis intuitiua intellectio diuinæ essentiæ. 221.n.6
Similitudo, seu species obiectiua nec re ipsa datur in Beatis, nec est possibilis. n. 11. & 228. n. 21
Beati omnes videndo diuinam essentiam vident omnia quæ sunt formaliter in Deo, saltem materialiter, intuentes omnes diuinas perfectiones, prout omnes in Deo sunt vnica substantialis realitas simplicissima. 254.n.1
Beati quomodo vident diuinas personas. 254. num. 2
Quomodo omnes Dei perfectiones. n.3
Beati non vident attributa diuina latè dicta, formaliter & distinctè omnia. 260.n.1
Beati vident aliqua Dei decreta libera per visionem beatam. 261.n.3
Non est necesse singulos Beatos ea videre. 262. num. 4.
Beati quomodo in Deo vident creaturas. 263.n.4
An omnes possibiles videre possint. 267.n.1.3
Beati omnes in Verbo cuncta mysteria visuri sunt,

ſunt, quæ per fidem crediderunt, ſaltem præcipna. 270.o.t

Beatus quilibet an videat in Verbo veritates omnes in Eccleſia reuelatas: 275.n.5

Videbit in Verbo ſpecies omnes rerum naturalium, quibus hoc vniuerſum conſtituitur, earúmque proprietates, & totum ordinem vniuerſi. num.6

Videbit etiam ſpecies omnes quæ concurſu cauſarum naturalium naturaliter fieri poſſunt, licet nunquam futuræ ſint. n. 8

Beati an videant omnia indiuidua iſtarum ſpecierum naturalium in Verbo. num.9

Videbunt ſingularum ſpecierum indiuidua nonnulla, quæ ad diſtinctam cognitionem ſpeciei contractæ ſufficiant, & præcipuè ſingularia. num. 10

Item quidditates alias & naturas poſſibiles, quæ nullius agentis creati virtute continentur, nec vnquam producentur. n.11.

Non cognoſcunt omnia futura contingentia. 272. num. 12.13.

Beatus quilibet videt in Verbo ea futura, mentiſque ſecreta, quæ ad ipſius ſtatum pertinent. num.14

An hæc prædicta cognoſcat Beatus in Verbo formaliter, an ſolùm cauſaliter. n. 17. & ſeqq.

Beneficium.

Beneficia naturalia non ſunt prædeſtinationis effectus niſi producantur ſuper exigentiam & nexum cauſarum naturalium. 530.n.25

Blaſphemia.

Blaſphemiæ peccatum malis Angelis commune. 1085.n.4

Bonitas.

Bonitas diuina an in negatiuo vel poſitiuo conſiſtat. 207.n.1.2

Bonum.

Bonum aliud eſt abſolutum, aliud relatiuum. 208.n.3.4

Bona creata in ordinem naturæ & gratiæ diſtinguuntur. 68.n.4

Bona ſupernaturalia gratiæ in duplici genere continentur. Et quænam ſint prædeſtinationis effectus. 523.n.5.& ſeqq.

Bona naturalia quæ pertinent ad naturalem hominis conſtitutionem ſunt prædeſtinationis effectus. 557.n. 2. & ſeqq.

Etiam collata prædeſtinato ſi aliquo modo conferant ad eius ſalutem, ſunt prædeſtinationis effectus. n. 3. vide *Prædeſtinatio.*

Bona naturalia quæ aliquo modo præter exigentiam cauſarum naturalium producuntur, & ad ſalutem prædeſtinati conducunt, ſunt prædeſtinationis effectus. 529.n.14

C.

Cælum.

CÆlorum motus Angelos eſſe probat. 806. num. 24 & ſeqq. Et multiplices. 813.n.1. & ſeqq.

Cauſa.

Cauſa prima & vniuerſalis quomodo cum cauſis ſecundis concurrat. 77.n.14

Ens ſupernaturale creatum ſeu per participationem quid. 77.n.1

Certitudo.

Certitudo eſt determinatio intellectus ad vnum, vel infallibilitas formaliter pertinens ad cognitionem, oppoſita dubitationi. 35.n.1

Certitudo obiectiua quid. 36.n.2

Quid formalis. num.3

Strictè aliquando, quandoque verò largè vſurpatur. n. 4. vide *Theologia.*

Certitudo cognitionis duo includit, neceſſariam connexionem aſſenſus cum veritate, & firmam adhæſionem ex parte intellectus ad obiectum. 38. n. 1

Chaldæi ex omnibus Gentibus Theologi inſignes. 2.n.6

Character.

Character eſt ens ſupernaturale quoad ſubſtantiam, qui, de fide, à tribus Sacramentis imprimitur. 112.n.1

An ſit quid abſolutum modaliter tantùm diſtinctum ab anima. num.2

Quod eius ſubiectum. num.3

Character non eſt relatio prædicamentalis, ſed qualitas abſoluta quæ dicitur eſſe ſignum ſpirituale, indelebile & ſupernaturale animæ impreſſum in tribus Sacramentis. 112.n.4

Characteris tria officia, ſcilicet aptum facere ad cultum diuinum, configurare Chriſto, & diſtinguere ab aliis. 113.n.6.7

Character ſubiectatur in intellectu immediatè. 114.n.13

Cherubin.

Cherubini qui, & eorum officium. 855.n.14

Cherubinorum munus an ſit mitti aut miniſtrare. 1075.n.12

Chriſtiani.

Chriſtianorum pars maxima non ſolum hæreticorum, ſed & fidelium, tam ab initio mundi quàm in lege gratiæ damnabitur. 642. n. 13. & ſeqq.

Chriſtus.

Chriſtus iacentem prope Theologiam è tenebris eruit. 3.n.9

Chriſti poſt reſurrectionem comeſtio, ſiue alimentorum in ſtomacho conuerſio quæ fuerit. 842.o.14

Chriſti apparitiones hominibus veræ & reales. 844. n. 1. vide *Apparitio.*

Chriſtum cogitationes internas cognouiſſe de fide eſt. 936.n.8

Chriſtus in beatitudine ſuperior eſt Angelis. 1067.n.12

Chriſtus an meruerit noſtram prædeſtinationem. 510. n. 1. 5

An meruerit noſtram electionem. 512. *cap. II. toto.*

Dupliciter meruit hominum electionem. 516. n.1.517.n.5

Circuminſeſſio.

Circuminſeſſio in diuinis perſonis quid? 792.n.1

Eius adæquata ratio an ſit vnitas ſubſtãtiæ.n.3

Circuminſeſſio an dicat relationem realem, an rationis. 793.n.6

Claritas.

Claritas beatorum eſt qualitas permanens & inhærens corpori beato, eique naturalis. 72.n.4

Cogitatio.

Arius Heresiarcha.
Arij error de Trinitate attingitur de Dei Filio. 655.n.6
Sectatores Arij in varias sectas diuisi. num.7
Ars.
Artium inuentores inter Deos relati. 9.n.33
Assensus.
Assensus intellectus nostri qui mediati, & immediati. 48.n.1.2.3
Assensus fidei, circa veritates reuelatas est mediatus. 49.n.5
Assistere.
Assistere quas habeat acceptiones & qui dicantur Angeli assistentes. 1073.n.1.2. vide *Angelus.*
Astra.
Astra quinam crediderint esse animata. 809. n.13
Quod refellitur, vt etiam quòd Angeli sint eorum anima. 810.n.14
Athenienses nouitatem sectantes à Demosthene & Apostolo, aliique carpuntur. 8.n.28
Athei.
Atheorum & veterum Philosophorum error, nihil in mundo præter corporalia haec, & hominem asserentium. 802.
Attributum.
Attributorum apud Theologos quid? 163.n.1
An generaliter pro omnibus prædicatis vsurpari debeat. 164.n.2
Debet esse perfectio simpliciter nostro modo intelligendi concepta per modum adiacentis diuinæ essentiæ. 164.n.3
Quæ de Deo metaphoricè dicuntur non sunt Attributa. num.5
Imò prædicata tam positiua quàm negatiua, quæ significant aliquam Dei perfectionem supradictam essentiæ. ibid.
Attributorum & essentiæ distinctio an solùm reperiatur ratione nominum. 165.n.4
Attributa non prædicantur de Deo per accidens, sed per se primò. 167.n 13
Attributa diuina inter se realiter distinguuntur, ac subinde ratione ratiocinata. 191.n.1
Non sunt de essentia vel natura diuina. ibid.
Attributa diuina in abstracto de se inuicem prædicantur, in sensu identico, non formali. 193. num. 9
Attributa diuina an ab essentia diuina distinguantur & qua distinctione. 199.*cap.I.toto.*
Scotistarum sententia expenditur. *cap.II.toto.*
Nec inter se, nec ab essentia distinguuntur actualiter & ex natura rei. 202.n.1
Sed sola ratione cum fundamento distinctionis realis. num.2.
Attributa diuina propriè dicta videntur de facto à singulis beatis etiam distinctè. 255
Attributa latè dicta à nullo beatorum formabiter & distinctè cuncta videntur. 260.n.1
Attributa propria absolutè sumpta non multiplicantur in diuinis. 717.n.2
Imò relatiuè. num. 3
Auaritia.
Auaritiæ crimen an in Angelos cadat. 1085
Auctoris methodus & dispositio exponitur. 16. num. 53.
Auditio.
Auditio Angelorum realiter distinguitur ab eorum locutione. 960.n.25
Autotheani.
Autotheanorum hæreticorum error de Dei Filio. 655.num.9
Auxilium.
Auxilium sufficiens siue gratia sufficiens quid? 536.n.1.
Cunctis deesse negarunt hæretici, & quibus fundamentis. n.2.3
Auxilium sufficiens nemini quantumuis obdurato denegatur tam ad conuersionem, quàm ad operationem & præceptorum impletionem. 541.n.9.
Auxilium præueniens efficax pluribus etiam prædestinatis aliquando denegatur. 542.n.19
Sed semper adest sufficiens. num.20
Auxilium immediatè sufficiens ad vincendam imminentem tentationem non omnibus datur, sed mediatè, nempe per orationem aut opera misericordiæ. 545 n.23. & seqq.
Tempore somni, vel distractionis inuoluntariæ non datur. 546.n.26
Auxilium sufficiens saltem naturale pro singulis occasionibus & opportunitatibus nunquam denegatur. 546.n.28
Non omnes illud æqualiter participant. 547. num. 29

B.

BAptismus cur à Græcis φώτισμα dictus. 81. num. 14.
Beatitudo.
Beatitudo propriè solius Dei est. 70.n.14
Beatitudinis essentialis diuinæ proprietates. 79. num. 6
Beatitudinem an immediatè receperint Angeli statim post secundùm instans consummati meriti. 1066.n.2
Beatitudo essentialis Angelorum intrinsecè variari non potest. 1072.n.8
Non extrinsecè crescit nec in obiecto secundario. num. 5
Beatus.
Beatorum similitudo cum natura diuina explicatur. 69.n.7
Beati Deum vt in se est videre possunt. 219.n.4
An insit ipsis intuitiua intellectio diuinæ essentiæ. 221.n.6
Similitudo, seu species obiectiua nec re ipsa datur in Beatis, nec est possibilis. n. 11. & 228. n. 21
Beati omnes videndo diuinam essentiam vident omnia quæ sunt formaliter in Deo, saltem materialiter, intuentes omnes diuinas perfectiones, prout omnes in Deo sunt vnica substantialis realitas simplicissima. 254.n.1
Beati quomodo vident diuinas personas. 254. num. 2
Quomodo omnes Dei perfectiones. n.3
Beati non vident attributa diuina latè dicta, formaliter & distinctè omnia. 260.n.1
Beati vident aliqua Dei decreta libera per visionem beatam. 261.n.3
Non est necesse singulos Beatos ea videre. 262. num. 4.
Beati quomodo in Deo vident creaturas.263.n.4
An omnes possibiles videre possint. 267.n.1.3
Beati omnes in Verbo cuncta mysteria visuri sunt,

ſunt, quæ per fidem crediderunt, ſaltem præcipua. 270.n.1
Beatus quilibet an videat in Verbo veritates omnes in Eccleſia reuelatas. 271.n.5
Videbit in Verbo ſpecies omnes rerum naturalium, quibus hoc vniuerſum conſtituitur, earúmque proprietates, & totum ordinem vniuerſi. num.6
Videbit etiam ſpecies omnes quæ concurſu cauſarum naturalium naturaliter fieri poſſunt, licet nunquam futuræ ſint. n. 8
Beati an videant omnia indiuidua iſtarum ſpecierum naturalium in Verbo. num.9
Videbunt ſingularum ſpecierum indiuidua nonnulla, quæ ad diſtinctam cognitionem ſpeciei contractæ ſufficiant, & præcipuè ſingularia. nom. 10
Item quidditates alias & naturas poſſibiles, quæ nullius agentis creati virtute continentur, nec vnquam producentur. n.11.
Non cognoſcunt omnia futura contingentia. 272. num. 12.13.
Beatus quilibet videt in Verbo ea futura, mentiſque ſecreta, quæ ad ipſius ſtatum pertinent. num.14
An hæc prædicta cognoſcat Beatus in Verbo formaliter, an ſolùm cauſaliter. n. 17. & ſeqq.

Beneficium.

Beneficia naturalia non ſunt prædeſtinationis effectus niſi producantur ſuper exigentiam & nexum cauſarum naturalium. 530.n.21

Blaſphemia.

Blaſphemiæ peccatum malis Angelis commune. 1085.n.4

Bonitas.

Bonitas diuina an in negatiuo vel poſitiuo conſiſtat. 207.n.1.2

Bonum.

Bonum aliud eſt abſolutum, aliud relatiuum. 208.n.3. 4
Bona creata in ordinem naturæ & gratiæ diſtinguuntur. 68.n.4
Bona ſupernaturalis gratiæ in duplici genere continentur. Et quænam ſint prædeſtinationis effectus. 523.n.5.& ſeqq.
Bona naturalia quæ pertinent ad naturalem hominis conſtitutionem ſunt prædeſtinationis effectus. 527.n. 2. & ſeqq.
Etiam collata prædeſtinato ſi aliquo modo conferant ad eius ſalutem, ſunt prædeſtinationis effectus. n. 5. vide *Prædeſtinatio.*
Bona naturalia quæ aliquo modo præter exigentiam cauſarum naturalium producuntur, & ad ſalutem prædeſtinati conducunt, ſunt prædeſtinationis effectus. 529. n.14

C.

Cælum.

CÆlorum motus Angelos eſſe probat. 806. num. 24 & ſeqq. Et multiplices. 815.n.1. & ſeqq.

Cauſa.

Cauſa prima & vniuerſalis quomodo cum cauſis ſecundis concurrat. 77.n.14
Ens ſupernaturale creatum ſeu per participationem quid. 77.n.1

Certitudo.

Certitudo eſt determinatio intellectus ad vnum, vel infallibilitas formaliter pertinens ad cognitionem, oppoſita dubitatiuui. 35.n.1
Certitudo obiectiua quid. 36.n.2
Quid formalis. num.3
Strictè aliquando, quandoque verò largè vſurpatur. n. 4. vide *Theologia.*
Certitudo cognitionis duo includit, neceſſariam connexionem aſſenſus cum veritate, & firmam adhæſionem ex parte intellectus ad obiectum. 38. n. 1
Chaldæi ex omnibus Gentibus Theologi inſignes. 2.n.6

Character.

Character eſt ens ſupernaturale quoad ſubſtantiam, qui, de fide, à tribus Sacramentis imprimitur. 112.n.1
An ſit quid abſolutum modaliter tantùm diſtinctum ab anima. num.2
Quod eius ſubiectum. num.3
Character non eſt relatio prædicamentalis, ſed qualitas abſoluta quæ dicitur eſſe ſignum ſpirituale, indelebile & ſupernaturale animæ impreſſum in tribus Sacramentis. 112.n.4
Characteris tria officia, ſcilicet aptum facere ad cultum diuinum, configurare Chriſto, & diſtinguere ab aliis. 113.n.6.7
Character ſubiectatur in intellectu immediatè. 114.n13

Cherubin.

Cherubini qui, & eorum officium. 815.n.14
Cherubinorum munus an ſit mitti aut miniſtrare. 1075.n.12

Chriſtiani.

Chriſtianorum pars maxima non ſolum hæreticorum, ſed & fidelium, tam ab initio mundi quàm in lege gratiæ damnabitur. 642. n. 13. & ſeqq.

Chriſtus.

Chriſtus iacentem prope Theologiam è tenebris eruit. 3.n.9
Chriſti poſt reſurrectionem comeſtio, ſiue alimentorum in ſtomacho conuerſio quæ fuerit. 842.n.14
Chriſti apparitiones hominibus veræ & reales. 844. n. 1. vide *Apparitio.*
Chriſtum cogitationes internas cognouiſſe de fide eſt. 926.n.8
Chriſtus in beatitudine ſuperior eſt Angelis. 1067.n.12
Chriſtus an meruerit noſtram prædeſtinationem. 510. n. 1. 5
An meruerit noſtram electionem. 512. *cap. II. toto.*
Dupliciter meruit hominum electionem. 516. n.1. 517.n.5

Circuminſeſſio.

Circuminſeſſio in diuinis perſonis quid? 792.n.1
Eius adæquata ratio an ſit vnitas ſubſtâtiæ. n.3
Circuminſeſſio an dicat relationem realem, an rationis. 793.n.6

Claritas.

Claritas beatorum eſt qualitas permanens & inhærens corpori beato, eique naturalis. 72.n.4

Cogitatio,

Cogitatio.

Cogitationes cordis an sint cognitionis Angelicæ. 916.n.4. & seqq.

Cognitio, cognitum.

Cognitio merè naturalis vt certa sit, duo requiruntur, & quæ? 36.n.5

Cognitionis intuitiuæ & abstractiuæ distinctio. 971.n.2

Cognita à nobis vel sunt infra rationem, vel iuxta rationem, vel supra rationem, vel contra rationem. 725.n.1

Cognitio alia quidditatiua, alia accidētaria. 727.n.1

Iterum quidditatiua alia est intuitiua, abstractiua alia. num. 2

Cognitio supernaturalis an fuerit in Angelis viatoribus. 976.n.1

Et qualis illa fuerit. num.4

Cognitio matutina & vespertina in Angelis quid? 988. & 1003. *toto cap. II.*

Cognitio Angelica an semper vera sit. ib. *c. I toto.*

Columba.

Columba in Christi baptismo an vera columba? 845.n.10.847.n.19

Comestio quid, & quomodo Angelis conueniat post corporum assumptionem. 842.n.12.13

Communicabilitas.

Communicabilitas ad relationes an sit de essentia Deitatis. 704. *cap. IV. toto.*

Communicabilitas duplex, alia per identitatem, alia per visionem. 719.n.7

Comprehendere, comprehensio.

Comprehendere quid propriè. 276.n.1

Comprehensio in spiritualibus bifariam sumi potest, pro cognitione rei, & pro cognitione adæquata obiecti. 276.n.2

In quo posita est ratio propria Comprehensionis intellectiuæ. num.4

Comprehensionis modi duo, improprius est cognoscere intuitiuè, vel quidditatiuè, proprius verò est cognoscere rem quantum cognoscibilis est. 281.n.25

Quo modo Deus in patria comprehendatur à beatis. ibid.num.1

Conclusio.

Conclusio Theologica duplex est, vt explicata, & vt deducta, & quid vtraque. 51.n.1

Conclusio quando explicatur per propositionem de fide, & alteram naturalem, an sit adhuc de fide, vel solùm Theologica. 51.n.3

Quatuor modis explicatur ista Conclusio per præmissam naturalem. ibid.n.5.6

Conclusio vt deducta vel ex vna de fide & altera naturali, vel ex vtraque de fide, & per consequentiam de fide sub illa reduplicatione vt deducta, semper pertinet ad solam Theologiam, & non ad fidem diuinam. 53.n.14

Conclusiones scientiarum & principia in quo differant. 56.n.5.

Concretum.

Concreti substantiui vnitas vel pluralitas vnde sumatur. 773.n.10

Conforme.

Conforme esse est habere participationem eiusdem formæ. 69.n.10

Conscientia.

Conscientiæ bonæ signum est prædestinationis signum. 644.n.14

Constitutio.

Constitutio in diuinis personis an recipienda. 775. *cap. I. toto.* vide *Persona diuina.*

Corpus.

Corpora vera ab assumant Angeli. 834.835

Et de qua materia & qua virtute. 837. & seqq.

Quid possint efficere per ea corpora. 841. & seqq vide *Angeli.*

Corporatio ab Angelis assumptorum causa materialis. 837.838

Causa efficiens. 839.n.15. & seqq.

Corpus Christi palpabile, an validum fuerit Dominicæ resurrectionis signum. 8,9 n.13

Corpus Dominicum quomodo in Eucharistia mouetur. 878.n.19.

Creatura.

Creaturæ non propriè dicuntur coëxistere Deo ab æterno etiam in æternitate nisi solum obiectiuè. 32 n 6

Creaturæ quomodo videantur in Deo. 263.n.2

Earum esse in Deo aliquando sumitur pro ipsa entitate Dei. 263 n 1

Quomodo cognoscantur formaliter in Deo. num.3. & seqq.

Creaturæ omnes possibiles in Deo an videri possint a beato. 267. n 1

Non necessarium esse qui sentiant. num. 3

Qui verò non solùm non posse eas in Verbo videri, sed nec infinitas siue specie, siue solo numero distinctas. 269 n.10

Creaturæ quæ videantur in Verbo de facto. 270. *cap. III. toto.*

Culpa.

Culpæ malum an possit esse in Angelis. 1079. vide *Malum.*

Custodia.

Custodiæ Angelorum effectus. 1078. n. 15. vide *Angeli.*

D

Dæmon.

Dæmoni cur virginitas Deiparæ, & infantia pueri Iesu celatæ. 975. num.44

Dæmones mouent animam damnatam per vim naturalem loco motiuam. 850.n.35

Dæmon quomodo potest concurrere ad generationem viuentis. 843.n.17

Quomodo mirabiles aliquando effectus præstet. 843.n.19

Dæmon potest aliquando futura certitudine Physica prænoscere. 941.n.29

Dæmones venialiter peccare nō possunt. 1026.n.2

Dæmones quidam in aëre versantur. 1131.n.12

Post diem iudicij omnes in inferno recludentur. 1132.n.15

Dæmones qui nunc in aëre vagantur, an torqueantur. num.16. Et quomodo. num. 17

Vtrum homines inducant ad peccandum. 1132. *cap. I. toto.*

Dæmonum ministeria an & quomodo per varios ordines distributa sint. 1134. *cap. II. toto.*

Inter Dæmones datur subordinatio secundùm praelaturam & potestatem in alios. 1134. n. 2. 1135.n.7

Dæmones Deo aliquando grati fuere. 1051.n 8

Dæmones aliqui an natura sua mali. 1079

Dęmones nullos fuisse hæreticorū error. 1080.n.1

Qui contra tenuerint omnes naturâ suâ malos, & Diabolum è tenebris erutum nullúmque sui authorem habuisse. num.3

Non in primo suæ creationis instanti peccauerunt. 1084.n.4

Dæmones an non peccauerint in ſex primis diebus. 1084.n.8
Dæmon appetiit beatitudinem ſuis viribus, non auxilio gratiæ diuinæ conſequendam. 1088. num. 18
An appetierit æqualitatem cum Deo, ſecundum naturam. 1089.n.24
Dæmonum intellectus an obtenebratus per priuationem cognitionis omnis veritatis. 1097
An eorum voluntas ſit obſtinata in malo. ibid.
Duplex iis debetur locus pœnalis, aër & infernus. ibid.
Eorum negotium tribus inſtantibus peractum eſt, quæ explicantur. 1100.n.4.5
Dæmonum pœna duplex, damni & ſenſus. 1102 num.4
Eorum intellectus obtenebratus. ibid.
Nulla dona Spiritus S. in iis remanſere. n.5.
An fidem amiſerint. n.6.8.
Cruciatuum vis eos à contemplatione & ſcientia diſtrahit. 1103.n.15
Dæmones nunquam acturi ſunt pœnitentiam. 1104.n.19.20
Quænam cauſæ eorum obſtinationis. 1105.n.1
Cur conuerti non poſſint. num.2
An Deus eorum voluntati infundat odium ſuiipſius. num.4
Cur non poteſt actum contritionis, aut meritorium elicere. num.6
An iis ad id deneget Deus ſuum concurſum. num.7
Dæmones in omnibus actibus quos liberè producunt malè ſemper operantur. 1108.n.5
Non quia Deus denegat iis concurſum, ſed quia auxilium ſuum præueniens denegat. 1109.n. 15
Habent impotentiam aut impoſſibilitatem operandi. 1110.n.18
In quo conſiſtat hæc impotentia moralis. n. 20
Vnde colligitur dæmones nunquam bene moraliter operari. 1111.n.22
Vnde eos ſemper peccare. num.23
Semper perſeuerare in odio Dei. num. 24
Dæmones dolore & triſtitia afficiuntur. 1113. n.1.1114.n 3
Dolor iſte neceſſarius eſt, non liber. num.6
Vnde iſta neceſſitas proueniat. num. 7
Huius doloris obiectum eſt pœna damni & ſenſus. num.8
Dæmonum triſtitia an pertineat ad pœnam damni vel ſenſus. num 9
Dæmones an ſic dolore vrgentur vt nullam omnino delectationem capere poſſint. 1116
An torqueantur igne corporeo. 1121.*cap.I.tot.*
Falſa imaginatione torqueri nequeunt. 1123. num. 3
Dæmones quomodo igne torqueantur. 1123. *cap. II. toto.*
Eorum alligatio in quo poſita. 1125.n.21
Et quomodo fiat. 1126.n.23
Dæmones vbi torqueantur. 1130. *cap. III. toto.*

Damnatus.

Damnatorum ſupplicia nunquam finienda. 1104. num. 19
Damnati in corpore etiam poſt diem iudicij puniendi. 1122.n 6
Damnati an ſimilem triſtitiam & dolorem patiantur ab igne, qualem anima in corpore dum comburitur. 1126.n.27. & ſeqq.
Damnatis an pœnarũ locus aſſignetur. 1130.n. 5
An ſint omnes in Inferno. 1131.n.11
In Damnatis an dari poſſit aliqua delectatio. 1116.n.21.1117.n.26
De particulæ acceptiones peculiares apud Scholaſticos. 790.n 3
De & *ex* quomodo differant. num 4

Decretum.

Decreta ſua libera an Deus cognoſcat tanquam futura prinſquam intelligantur actu exiſtere in ſigno poſteriori. 322
Decreta eadem an Deus priùs videat futura quàm actualiter exiſtant. num.5
Deiformis, *Deificus*, *Deificatus*, voces ſunt ſupernaturalibus tributæ. 69.num.10
Deiſtarum de Trinitate deliria. 654. n.2

Deitas.

Deitas ſi concipiatur præciſa à relationibus, vt ſic, poteſt dici ſubſiſtere, & habere ſubſiſtentiam abſolutam prout hæc ſignificat rationem eſſendi per ſe. 722.n.9
Deitas vt antecedit relationes, nec eſt, nec intelligitur vt communicabilis alteri. 723.n.15

Deus.

Dij quondam habiti nouarum artium aut doctrinæ inuentores. 9.n.33
Deus ſecundùm ſe eſt obiectum fidei & Theologiæ. 23. n. 2. tam ſub ratione Deitatis, n. 8. & ſeqq. quàm ſub ratione glorificatoris. 24. num.14.15
Deus quomodo habeat actum formalis amicitiæ erga hominem ſi non reſpicit bonum hominis vltimatè, ſed vt cedit in gloriam ſuam. 60. num. 27
Deus duplici via cognoſcitur, per negationem & per affirmationem. 65.n.1
Deus in quibus gradibus conuenit cum creaturis. 66.n.7
Eſt cauſa æquiuoca creaturarum. 67.n.8
Deus nomen quamuis Deo ſpecificè conueniat, analogicè tamen Prophetis, Sacerdotibus, Regibus, &c. tribuitur, ſed magis propriè ſupernaturalia dona participantibus. 70.n.12
Deus per ſe & natura ſua beatitudo ipſa eſt, cuius adeptione fiunt alij beati. ibid.n.13
Deus quomodo à nobis concipitur. 74.n.1.2.3
Quo ſenſu dicatur omnipotens. 76. n.12
Quomodo concurrat cum cauſis ſecundis. 77. num. 14
Deus quomodo ſupplere poſſit efficientem habituum infuſorum. 247.n.2
Deus eſt, propoſitio affirmatiua eſt. 149. per ſe nota eſt quoad ſe; non quoad nos. 151.n.12
Deus eſt nomen ſignificans rem aliquam ſuperioris ordinis in ſeipſa ſubſiſtentem. 149.col.2
Deum eſt, non eſt demonſtrabile à priori. 152.n.5
Sed à poſteriori. num.6
Deus quomodo demonſtratur per creaturas. 153. num. 14
Quomodo probetur non corporeus. ibid.col.2
Non cõponitur de materia & forma. 154.c.1
Deus idem eſt quod ſua natura vel eſſentia. ibid.
Idem eſt in eo eſſentia & eſſe. 154.col.2
Directè nec eſt, nec poteſt ad prædicamentum reduci. 155.col.1
Nulla in eo ſunt accidentia, eſtque omnino ſimplex. ibid. col.2
De Deo quæ metaphoricè dicuntur non ſunt attributa. 164.n.4. vide *Attributum*.

An

An in Deo distinctio rationis admitti possit. 167.n.11. & 170. *cap. III. toto.*
An potentia intellectiua tam se ipsa quàm secundùm rationem nostram. 169. n. 24. & 173. *cap. IV. toto.*
An diuina intellectio distinguatur ab essentia diuina. ibid.
Deus ab intueri dictus. 187.n.25
In Deo datur compositio rationis. 195.n.5
Deus à nobis duplici modo cognoscitur in via, per negationem eorum quæ videmus, & per affirmationem eorum quæ ab his imperfectionibus abstrahimus. 205.n.8
Simplicitas in Deo quid innoluat. 206.n.1
Deo conuenit esse bonum & summum bonum per essentiam. 207.n.8
Deus immensus est & secundùm substantiam suam vbique adest. 208.n.8
An ex operatione Dei in omnibus rebus colligatur Dei præsentia in illis. 209.n.3
Deus est positiuè præsens omni spatio. imaginario per realem præsentialitatem distinctam ratione ac virtualiter ab essentia & omnipotentia sua. num. 7
Quomodo Deus dicitur esse in rebus per potentiam 210.n.13
An sit verè per immensitatem suam in spatiis imaginariis. 211.n.14
Dei immutabilitas probatur. 212. *cap. V.*
Æternitas. 213. *cap. VI.*
Vnitas. 215. *cap. VII.*
Deus videri potest ab intellectu creato immediatè vt est in se. 217.col.1. & 219.n.4
Deum videntes per essentiam, ipsum non comprehendunt. ibid. col. 2
In Deo quæ videntur, an per aliquas similitudines videantur. ibid.
Deum videntes per essentiam simul omnia vident quæ in ipso videntur. ibid.
Deus in hac vita videri non potest per essentiam. 218. col. 1
An per rationem naturalem. ibid.
An perfectiùs per gratiam. ibid.
Dei species creata dari non potest. 225.228.n.25 vide *Species.*
Deus oculis corporeis videri non potest. 234.n.1
An possit eleuare potentiam aliquam corpoream cognoscitiuam ad visionem intuitiuam Dei. 235.n.9
Deus & creaturæ vnico actu reali simul videntur. 265.n.11
Quomodo à Beatis comprehendatur. 281.n.8
Dei incomprehensibilitatis ratio. 282.n.1.2
An possit à viatore videri. 288 cap.1
In Deo an detur scientia. 290
An seipsum intelligat, & comprehendat. ibid. col. 2
An eius intelligere sit eius substantia. 291
An cognoscat alia à se & propria cognitione. ibid.
An eius scientia sit discursiua. col.2
An illa scientia sit causa rerum. ibid.
An scientiam habeat non entium. 292. col.1
An cognoscat mala. ibid.
An singularia, infinita, futura contingentia, enunciabilia. ibid. col.2
Dei scientia an variabilis, an practica. ibid.
Est vndequaque perfecta. 293.n.2
Deus quantumuis sit indiuisibilis & actus purus in sua entitate, an tamen ratione nostra possit concipi vt actus primus intelligendi secundùm diuersa munera quæ præstat. 297.n.1
Deus non habet speciem intelligibilem distinctam ab essentia diuina, vel alio modo receptam. n.4
Respectu intellectionis essentialis non est in Deo propriè ratio speciei intelligibilis 298.n.5
Deus non fecit scientias creatas ab æterno. 302. num. 11
Deus cognoscit seipsum. 303. n. 1
Et per seipsum. num. 2
Deus an cognoscat se in alio. 303.n.6
Cognoscit se in creaturis. 304.n.7
An cognoscat se ex creaturis. 305.n.14
Deus cognoscit extra se omnia possibilia distinctissima cognitione. 306.n.5
An videat creaturas in seipso, non in ipsis. 306. num. 1.
Videt eas in seipso tanquam in causa & in obiecto priùs cognito. 308.n.12
Tanquam in obiecto primario quasi motiuo, & determinatiuo ad earum cognitionem. n.16
Deus cognoscit creaturas omnes in seipso tanquam in causa. 309.n.20
Videt etiam in sua cognitione possibilium directa, dum hæc cognoscitur per aliam reflexam. 309.n.21
Cognoscit eas tanquam in obiecto priùs cognito. n.23
Cognoscit eas in ipsismet. 310.n.25
Non idcirco vilescit. 311.n.32
Deus certo scit omnia futura cōtingētia. 314.n.2
An cognoscat futura in ipsamet entitate illorum quam habitura sunt tempore. 320. n.7
An præcognoscat decreta sua tanquam futura in aliquo priori signo rationis. 321. *cap. IV. toto.*
Deus an cognoscat omnia futura contingentia in suis ideis tanquam in obiecto proximo determinante diuinam scientiam visionis. 330.n.1
Quo modo ea cognoscit ex sententia Molinæ 336. *cap. I. toto.*
Deus præuidet futura contingentia absoluta cum in propensione causæ secundæ, tum in diuino decreto absoluto concurrendi cum nostra voluntate iam propensa, & inclinata in actu primo proximo. 349.n.18
Deus quomodo cognoscat negationes, priuationes, & mala. 356.n.3.4
Quomodo entia rationis. ibid. *cap. II. toto.*
Dei scientia quotuplex. 361.n.1
Qualis sit illa scientia. 365. *cap. II. toto*
Deus amat omnes creaturas possibiles. 367.n 7
Deus liberè potuit amare vel non amare creaturas possibiles per simplicem complacentiam in illarum bonitate prout in se est non repugnās, sine ordine aliquo ad existentiam. 368.n.9
Deus efficaciter an semper velit meliora. 368. *cap. II. toto.*
Deo quomodo cōuenit odium peccati. 375.n.5.6
Quomodo ira. 376.n.12
Quotuplex Dei voluntas. 377. *cap. IV. toto,* vide *Voluntas.*
In Deo datur volitio inefficax siue velleitas simplex. 379.n.13
Deus valde cupit salutem hominum, etiam propter peccatum damnandorum. 379.n. & seqq.
Deo an ratio omnis propriæ & specialis iustitiæ deneganda. 381. n. 1. 382. n. 8. 385. n. 15

Ineſt Deo iuſtitia vera & propriè dicta quæ vnum eſt ex eius attributis. 387.n.1
Datur in Deo iuſtitia commutatiua. 392. *cap.IV. toto.*
Tribuitur etiam Deo iuſtitia diſtributiua. 399. num. 1
Datur legalis & punitiua. 401. *cap.VI. toto.* vide *Iuſtitia.*
Dei prouidentia probatur cui omnia ſubiacent. 405.cap.1.col.1
Deus an prouideat immediatè rebus omnibus. 406. col 2
Deus quomodo efficaciter prouideat ſuis electis per media efficacia vt gloriam infallibiliter aſſequantur. 407.n.4
Deus an habeat æqualem prouidentiam de omnibus. 421.n. 5. vide *Prouidentia.*
Deus an aliquem hominem reprobet aut prædeſtinet. 423. vide *Prædeſtinatio.*
Deus poteſt eligere ad gloriam homines vel Angelos efficaciter & abſolutè ante præuiſa merita. 447.n.28
Quomodo Deus in eiuſmodi electione ſe habeat. 448.n.34. & ſeqq.
Deus prædefinit actus aliquos ſupernaturales noſtros liberos. 449.n.1
Deus elegit de facto Prædeſtinatos ad gloriam ante præuiſa merita. 451.n.13
Deus non denegat gratiam facienti quod in ſe eſt, quo ſenſu capiendum hoc axioma. 501.n.1
Deus an poſſit velle permiſſionem peccati. 534. n.18.19. & 535.n. 25
Deus quantum ex ſe eſt vult omnium ſalutem, & ad eam auxilia ſufficientia prouidet. 537.n.4
Non ſolum ante lapſum Adami, ſed etiam pòſt, hanc Deus voluntatem habuit. n. 6. & ſeqq.
Deus quomodo vult omnes ſaluos fieri. 538. n.12. 539.n.12. 550.n.6
Aliquando obdurat & excæcat propter peccata. 540.n.2. & ſeqq.
Semper paratus eſt conferre cunctis auxilium ſufficiens. 541.n.5. 544.n.18
Deus ex ſe nemini denegat auxilium ſufficiens proximum vel ſaltem remotum ad ſalutem, quoties per ordinarias cauſas & obiectorum exigentiam debent aut poſſunt piæ cogitationes inſpirari. 546.n.27
Deus an plures infantes ſaluare noluerit. 549. *cap. III. toto.*
In Deo nihil datur prius natura vel duratione 668.n.10
In Deo datur propriè realis potentia & principium quo per modum potentiæ ad generandum & ſpirandum. 684.n.5.
In Deo quomodo reperitur totum, pars, numerus, maius & minus. 711.col.1
In Deo an detur vnica ſubſiſtentia abſoluta communis tribus perſonis, non verò tres relatiuæ. 719.n.1
An vero tres ſubſiſtentiæ relatiuæ & nulla abſoluta. num.2
In Deo eſt vnica ſubſiſtentia abſoluta, & tres relatiuæ. 720.n.5
In Deo non eſt vna perſona vel perſonalitas abſoluta, ſed ſolùm tres relatiuæ. ibid. col. 2.n.1
In Deo ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. 721.n.5
Deus non ſolùm, ſed etiam Deitas prout eſt à parte rei, verè propriéque ſubſiſtens eſt, imò ſuppoſitum & perſona num.8
Deus nomen immediatè ſupponit pro natura diuina. 772.n.3
Quandoque pro perſona num.5
Deus quomodo eſt in creatura rationali ad quam mittitur. 797.n.11. vide *Miſſio.*
Deus quomodo manet in ſanctis cognitus & amatus. 798 n.13
Deus non ſolum filius, ſed etiam trinus & abſolutus in veteri lege hominibus apparuiſſe quomodo cenſeatur. 844 n 4.5.6
An Angelorum miniſterio. n.7. & 845.846
Deum & Angelos quomodo deſiuierit Ariſtoteles. 889.n.3
Dei ſolius eſt cordium ſecreta intueri, non Angelorum, aut Dæmonum. 926.n.6
Deus quomodo ab Angelo naturaliter cognoſcatur. 932. *cap. V. toto*
In Deo quomodo omnia cognoſcuntur. vide *Cognitio.*
Deus illuminationum omnium origo. 985.n.1
An vnicum Angelum an etiam plures immediatè illuminet. 986.n.10
Poteſt de potentia ſua abſoluta ſuperiorem per inferiorem illuminare. 987 n.16
Deus Dæmonum voluntati an infundat odium ſui. 1105
Deus ab Angelis vel ab homine dupliciter amari poteſt, amore ſcilicet amicitiæ, & concupiſcentiæ. 1018.n.2
Deus cur Angelos & duos primos homines non fecerit impeccabiles. 1025.n.25

Diabolus.

Diabolus an fuerit malus in primo inſtanti ſuæ creationis per culpam propriæ voluntatis. 1079. vide *Dæmon.*
Dicere & dictionis variæ acceptiones. 661. n.6.7.

Diſciplina.

Diſciplinæ in dies perficiuntur, nec inuentum quidquam ſimul eſt & perfectum. 11. n.40

Diſcurſus.

Diſcurſus Angelici & Animæ differentia. 997. n 5. *vide de Diſcurſu illo totum.c.III.996.& ſeqq.*
Diſcurſus virtualis & formalis diſtinctio. 48.n.3. 997. n. 7. 8

Diſtinctio.

Diſtinctio quid? 156.n.1
Eius communior diuiſio eſt in diſtinctionem realem & rationis, quæ multas patitur acceptiones. num.2. & ſeqq.
Diſtinctio virtualis probatur. 158.n.3. & ſeqq.
An detur diſtinctio formalis actualis. 159.n.8
Alia Diſtinctionum diuiſio in eſſentialem, realem, formalem, & modalem. num.9
An detur Diſtinctio rationis. 160. n. 1. 2. & ſeqq.
Probatur dari, & diluũtur oppoſita.n.6.& ſeqq.
Quid & quotuplex ſit. 162. *cap. IV. toto.*
Diſtinctionem multiplex varietas explicatur. 622.num. 10
Diſtinctio rationis quæ? num.11

Doctrina.

Doctrina antiquorum Theologorum quibus nominibus recentiorum ſententiis anteponenda. 7.n.25.& ſeqq.
Doctrina ſacra. vide *Theologia.*
Doctrina Temporis filia. 29. n. 30
Eius perſpicuitas aquà in Scriptura notatur. n.31

Dolor

Dolor.

Dolor in Dæmonibus datur. 1097.1114.o.3.
Quis sit. ibid.
Dominationum officium. 816.n.15

Donum.

Donum an sit nomen personale. 768
An proprium nomen Spiritus S. ibid.
Dona gratiæ accipere, est accipere diuinam naturam. 69.n.11.70.n.15.16

Duratio.

Dusatio Angelis omnibus præscripta ab instanti eorum creatioois ad vitæ terminum æqualis fuit. 1101.o.51

E

Electio.

ELectio prædestinatorum, vide *Prædestinatio.*

Ens.

Enti quinque gradus enumerantur. 166.o.3
Entis supernaturalis excellentia est connexio quam habent cum Deo physicè vel intentioonaliter vnito. 63.o.10. vide *Supernaturalitas.*
Entia supernaturalia sunt participationes Dei. 71. n.19
Et supra capacitatem naturæ creatæ. n.21
Entia supernatoralia ad prædicamentorum seriem reuocari possunt: estque Ens supernatusale simpliciter & secundum quid. 71.n.5
Entia supernaturalia non sunt perfectiora in suo esse quàm naturalia. 72 n.2
Entia supernaturalia secundùm quid quædam sunt positiua, quædam negatioa. ibid.
Ens supernaturale simpliciter diuiditur in increatum, qui solus Deus est, & creatum. 74.o.1
Eos supernaturale iterum diuiditur in substantiale, & accidentale. 78.n.1
Entis supernaturalis creati in ens quoad substantiam & ens quoad modum diuisio. 82.n.5.2
Item Eotis supernaturalis secundùm substantiam. n.3
Eotium supernaturalium fines & causæ. 115.col.1
Ens supernaturale increatom, nec entia supernaturalia quoad substantiam potest Angelus quidditatiuè cognoscere. 964.n.6. Ita superant iotellectum Angelicum vt oon possit solo lumine naturali euidenter cognoscere singula ista entia esse possibilia determinatè. 965.n.9
Entia rationis an Deus cognoscere & efficere possit. 357.n.1.2. & seqq. & 359.n.56

Essentia.

Essentia diuina constitoiiur vltimò per gradum intellectiuum siue radicaliter siue potentialiter sumptum. 168.n.20
Esseotia & natura in quo distinguantur. 576. *cap.V. toto.*
Essentia vel natura diuina non includit esseotialiter attributa. 178. *cap.VI.toto.* 181.n.20
Essentiam diuinam noo constituit intellectio dinina. 182.n.3. & seqq.
Nisi in ratione naturæ. 586.n.23
Quando prædicantur de diuioa essentia formalitates quæ ad illius essentialem constitutionem pertineot, est vera propositio. 191. oum. 4
Essentia diuina an ab eios attributis distinguatur distinctione actuali & inter se. 199.*cap.I.toto.*
Quid censeant Sotistæ. *cap.II.toto.*
Essentia dioina an ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur. 217.col.1
An oculis eorporalibus. ibid.
An ab intellectu creato per naturam suam. ibid.
An aliquo lumine indigeat intellectus ad eam videndam. col. 2
Essentia Dei an perfectiùs ab vno videatur quàm ab alio. ibid.
Essentia diuina potest obire munus speciei impressæ circa visionem beatam. 225.n.2
Videri oon potest solius naturæ viribus. 237 n.1
Essentia diuina videri potest de potentia absoloa, non visa formaliter & distinctè vlla personalitate. 255.n.1
Essentia diuina habet rationem obiecti noo solùm terminatiui suæ intellectionis, sed etiam quodammodo motiui, & determinatiui intellectus diuini, ooo efficienter, sed formaliter, 298.n.7
Essentia diuina etsi propriè non moueat dioinum intellectum, potest tamen propriè dici eum determinare, non efficienter, sed formaliter. n.9
Determinat etiam eundem intellectum formaliter ad cognitionem eorum quæ continentur eminenter in Deo, non quidem primariò. 299.n.10.
Essentia diuina propriissimè sumpta non est de conceptu essentiali relatiooum. 701.n.9
Essentia & natora vnica datur in Deo. 712.n.5
Vnde quidam colligunt tres essentias in Deo. num. 1
Essentia simpliciter distincta vnica est in Deo, sicut & oatura diuina siue Deitas voica est commoois & absoluta. 713.n.8
Essentiæ diuinæ perfectio & reliqua transcendentia explicantur. 715.*cap.II.toto.*
Essentia in diuinis an idem sit quod persona. Vide remissiuè. 770

Eucharistia.

Eocharistiæ mysterium Angelis ipsis naturaliter ioeognitum. 968.669.970
Eucharistiæ Sacramenti supernaturalitates. Vide *Supernaturalitas.*

Excæcatio.

Excæcatio mentis io quo coosistit. 547.n.30. vide *Obduratio.*

Existentia.

Existentia vnica, absoluta & essentialis in Deo datur communis tribus personis. 713.n.9
Existentiæ tres relationum inter se distinctæ dantur in Deo præter absolutam Deitatis existentiam. 714.n.10

F

F*Acienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* 501. explicatur locus ille, *toto. cap.VIII.*

Fides.

Fidei & Theologiæ obiectum materiale Deus est. 23.n.2.3.
Fides ad quid iostituta. n.5
Fides lumen est cuius formalis effectus est clarificatio & illustratio intellectus. 30.o.6.& 7
Fides quid Aristoteli. 33.o.12
Fidei assensus affirmatiui & oegatiui specie differuot. 35.n.18
Fidem non esse discursiuam multis probatur. 46. n.1. & seqq.

Fides ſaltem diſcurrere non poteſt ex myſteriis reuelatis ad alia. n.4
Oppoſita ſententia enodatur. 47.n.7.&ſeqq.
Fides non caret omni diſcurſu. 48.n.1
Cum Geometria comparatur. 49.n.7
Fides in quo à Theulogia diſcrepat. 50 n.12. & 56.n.7.
Fides & ſpes licet ſint diſpoſitiones ad gratiam, ſunt etiam eius proprietates. 78.n.5

Figmentum.

Figmenta an formentur per diuinum intellectum. 359.n.14.15

Filiatio, Filius.

Filiatio perfecta obtinetur viſione beatifica & participatione diuinæ naturæ in ſeipſa. 68.n.3
Filiorum Dei genera duo, ibid. Cur dicuntur nati. n.4
Filiatio in Deo per formam iuſtificantem confertur, & ſignificat participationem & ſimilitudinem diuinæ naturæ. 79.n.8
Filij Dei per adoptionem an propriè dicantur nati. 68.n.5
Filium Dei à Verbo diuino quinam diſtinxerint hæretici. 655.n.6
Quinam ipſum à ſe diuinitatem habere non à Patre aſſeruerint. n.9
Filius an ſit alius à Patre? 712.col.1
Filius non ſolùm eſt intentionalis, ſed etiam naturalis imago Patris. 750 n.3
Quomodo Patrem repræſentet. 751.n.2
Quomodo probatur quòd ſit ſolius Patris imago. 752.n.1
An poſſit dici imago intentionalis Patris. n.2.3
Filij, Verbi & imaginis rationes ſunt de quidditate notionali ſecundæ perſonæ. 753.n.5
Filius an æquè immediatè producat Spiritum S. ac Pater. 760 *cap.IV.toto.*
An Filius & Pater ſint vnicum principium Spiritus S. & vnicus ſpirator.761. *cap.IV.toto.*
An ſe diligant Spiritu ſancto. 765
Filius an dici poſſit ſapiens ſapientia genita. 766. num.2.
Filius an ſit æqualis Patri ſecundum magnitudinem. 791
Filius an ſit in Patre & è conuerſo. ibid.
An ſit æqualis Patri ſecundùm potentiam.ibid.
Filio an conueniat inuiſibiliter mitti. 793
Filius dupliciter denominatur miſſus. 794.n.5

Finis.

Finis vltimus in obiecto volito dupliciter ab Angelis vel homine conſtitui poteſt. 1027.n.8

Fomes.

Fomes peccati qui dicatur. 107.n.1
Dicitur peccatum, non quòd tale ſit, ſed quòd ex eo ſit, & ad illud inclinet. 108.n.1
Fomes peccati an in anima, licèt ex carne maneat. n.2.3
An ſit ipſamet inclinatio appetitus in bonum delectabile præter rationem. n.4
An ſit motio ipſa inordinata appetitus ſenſitiui, alliciens voluntatem ad aliquid contra rationem. n.6
Fomitis in actu ſecundo & in primo diſtinctio an veram fomitis rationem aperiat. 109 n.7
Fomes realiter eſt appetitus ipſe cum connotatione tamen quòd tendat in illicitum præter rationem. n.8
Fomes peccati formaliter eſt ipſa inclinatio appetitus ſenſitiui, quatenus appetitus ex ſe ſe pronus eſt, & proximè expeditus ad bonum ſenſibile rationi repugnans, & difficilis ad bonum rectæ rationi conueniens. n 9
Fomes peccati non ſolùm ligari poteſt, ſed & extingui. 110.n.13
Aliud eſt illum ligari, aliud extingui. n.14
Partialiter poteſt ligari per gratiam adoptionis, per virtutes infuſas vel acquiſitas, totaliter autem nequit ſine protectione diuinę prouidentiæ auertentis occaſiones. 111.n.17
Fomitis extinctio per quid cauſari debet, & differre à ligamine. n.19
Extinctio fomitis intrinſeca explicatur. n.21
In Chriſto & in Beatis extinctus eſt per viſionem beatam & ſcientiam infuſam. 112.n.22
Item in Adamo. n.23

Forma.

Forma iuſtificans debet participare gradum quaſi ſpecificum diuinæ naturæ ſecundum rationem eſſentialem & differentiam quaſi ſpecificam illius. 79.n.7
à Forma iuſtificante excluduntur omnes actus & habitus voluntatis. 79.n.9
Item prudentia infuſa & ſcientia infuſa. n.10
Forma omnis ſanctificans ex natura ſua ita phyſicè peccatum omne depellit, vt nec diuinitus ſit cum illo compoſſibilis. 81.n.17.19

Futurum.

Futuri germana acceptio. 312.n.2
de Futuro contingenti germana propoſitio nec eſt determinatè vera, nec determinatè falſa. num.4
Veritas huius propoſitiones duplex. 313.n.5
Huius item propoſitionis duplex ſignificatum, primarium ſcilicet, & ſecundarium. n.6
Quoad primarium ſignificatum eſt determinatè vera, vel falſa. n.7
Futura omnia cõtingentia Deus certò cognoſcit. 314.n.2. & ſeqq.
Futuritio rei an ſic diſtinguatur ab exiſtentia actuali, vt poſſit diſtinctam ſcientiam terminare. 316.n.9
Futurorum diuina cognitio non eſt abſtractiua, ſed intuitiua. 316.n.12
Repræſentatio præſens in mente non eſt Futuritio illius. n.13.
Nulla datur vera & propria futuritio præſens. num.14
Futura an cognoſcat Deus in ipſamet entitate illorum quam habitura ſunt in tempore. 320. *cap. III. toto.*
Futura contingentia an Deus cognoſcat propter eorum præſentiam realem in æternitate. 324. *cap.I.& II.*
An cognoſcat eadem in ſua cognitione. 330. *cap.I.& II.toto.*
Futura contingentia quomodo Deus cognoſcat? vbi examinatur Molinæ ſententia. 336. *cap.I.toto.*
Futura an præuideri poſſint in diuinis decretis. 337.n.1.
Futura contingentia alia pendent ex ſola Dei voluntate, quædam procedunt à cauſa prima, & ſecunda libera. 340.n.1
Futura non ſunt futura quia prænoſcuntur à Deo, ſed potius præſciuntur quia futura ſunt. 352.n.5.

Futura duplici modo possunt certò & infallibiliter cognosci. 938.n.1

Futurorum contingentium triplex genus. 939.n.2

Quomodo cognoscuntur ab Angelis. num.3. & seqq.

Futura contingentia dependentia à libero arbitrio non certò ab Angelis præcognoscuntur. 941. num.16.

Possunt tamen per signa probabilia de iis coniectare. n.19

Futurorum certa cognitio est signum diuinitatis. 942.n.2

G

Gabriel.

GAbriel Archangelus vnde colligitur quòd sit Michaele inferior. 1075.n.14

Gehenna.

Gehennæ nomen vnde deductum. 1131.n.8

Generatio.

Generatio Verbi diuini an sit processio. 669.970

Vera est & propria Generatio Verbi. n.6

Generatio latè, strictè, strictiùs & strictissimè vsurpatur. 679.n.7

Primo modo dicitur *origo viuentis*. n.8

Secundo, *a principio*.

Tertio *à principio coniuncto*.

Quarto, *secundum rationem similitudinis in natura specifica*. ibid.

Generationis ad rationem formalem sufficit vt aliquam similitudinem ex vi sua communicet, dummodo saltem per identitatem conferat similitudinem in natura. 671.n.1.&672.n.10

Generatio est æterna non à voluntate vt à principio, sed ab intellectione. 789.n.4

Generationis volitio est ratione posterior ipsa volitione. n.5

Gentes, Gentiles.

Gentes penè omnes cur ad idola confluxerint, Iudæi verò veri Dei cultum seruarint. 538

Gentiles quidam moraliter benè viuentes ad fidem miraculosè vocati. 538.n.9

Gradus quasi specificus Deitatis qui dicatur. 71. n.18.19. vide *Deus*.

Græcorum error de processione Spiritus sancti. 754.n.1.& 755.n.4.

Gratia.

Gratia gratum faciens est habitus per alios supernaturales sibi connexos operatiuus. 78.n.3

Est prima radix virtutum supernaturalium. n.4

Christo Domino fuit connaturalis, & quasi per proprietatem debita. ibid.

Gratia habitualis est forma iustificans ex natura & essentia sua. 79.n.11

Est primaria quædam diuinæ naturæ participatio hominem deificans. 80.n.11

Est quasi natura respectu accidentium supernaturalium. n.22

Sub metaphora lucis designatur in Scriptura. n.14.

Gratia iustificans, seu gratum faciens an separari possit à iustitia originali, & quid si præcidatur. 106.n.14.& seqq.

Gratia non est effectus prædestinationis. 482. n.1. vide *Prædestinatio*.

Gratia habitualis & virtutes illam comitantes sunt effectus prædestinationis. 525.n.16

Gratia finalis seu perseuerantiæ donum est potissimus prædestinationis effectus. 526.n.21

Gratia & gloria nobis dantur in tempore propter meritum Christi. 513.n.3

Gratiæ mysteria supernaturalia postquam facta sunt ab Angelis virtute naturali videri posse qui teneant. 964.n.1. Qui aliter sentiant. n.4

Gratiæ necessitas ad bona opera in Angelis, & hominibus locum habet. 1055

Gratiæ dispositio quæ? 1056.n.1

Gratia habitualis est peculiare vinculum amicitiæ inter Deum & hominem. 1057.n.6

H

Habitus.

HAbitus Theologici quatuor. Declaratiuus, Probatiuus, Defensiuus, & Deductiuus. 20.n.10

Habitus humani ab obiecto specificantur. 21. c.1.n.1.

Habitus discursiuus quomodo circa subiectum suum procedit. 25.n.1

Habitus Theologici sequuntur naturam actuum à quibus dimanant. 35.n.14

Habitus Theologiæ est acquisitus. 60.n.1.2

Theologia.

Habitus per se infusos saltem Theologales afferunt Theologi. 101.n.1

Quod ratione probatur. n.2

Habitus Theologiæ licèt acquisitus, supernaturalis tamen est quoad substantiam. 102.n.7

Est naturalis quoad substantiam. 103 n.9

Habitus per se infusi non sunt potentiis vitalibus tota vis actiua ad operandum supernaturaliter, sed potentiæ ipsæ naturales vt distinctæ à supernaturalibus habitibus sibi superadditis immediatè & actiuè influunt in actus supernaturales. 133.n.11

Habitus infusus non est tota virtus qua nos elicimus actus supernaturales, sed potentiæ quoque vitales influunt propria virtute vt causæ partiales. 147.n.11

Habitus supernaturales an sint tota ratio producendi suos actus potentiis vitalibus, an verò hæ natiua vi quidquam conferant ad illos. 130.n.1. & seqq.

Habitus fidei, spei, & charitatis dantur in Angelis. 1009.n.2. Quid de habitibus alij sentiant Doctores. n.4. *ad finem cap.*

Hæretici.

Hæretici sólo nouitatis nomine SS. Patribus exosi. 8.n.28

Hæretici scholasticæ Theologiæ infensi. 19. n.3. & 4.

Hæretici alicui veritati reuelatæ culpabiliter discredentes, non credunt aliis fide diuina, sed humana. 97.n.34

Hæreticorum circa mysterium Trinitatis hallucinationes. 657.*cap.IV.sect.*

Refelluntur. 658.*cap.V sect.*

Hierarchia.

Hierarchiæ, siue Angelorum chori vnde denominationem & distinctionem sumant. 815. n.11.12. vide *Angeli*.

Hierarchia ad quid ordinem dicit. n.13

Homo.

Homo viator qui dicatur. 287.col.2

An diuinitus fieri possit vt viuens Deum videat. 288.n.3

Potest Deus illi sine raptu & extasi essentiæ suæ visionem communicare. 0.4

Nullus homo purus viator potest consequi beatitudinem essentialem. 289.n 9

Hnmines à Deo prædestinantur. 423.col.2. vide *Prædestinatio, Prædestinatus.*

Homines omnes saluos fieri velle Deum quibus probetur. 538.n.11.& 12

Homo factus ad similitudinem Dei vnius & trini. 660.n.1

Hominis in sanctificatione non datur persona diuina, sed solùm dona creata gratiæ & virtutum. 796.n.2

Homines qui Angelis esse natura superiores teouerit. 805.n.16

Homines quomodo possint cum Angelis loqui. 961.n.26.27.

Homo quomodo intelligatur esse capax boni perfecti. 974.n.41

Homini non datus est appetitus innatus Deum videndi, seu beatitudinis supernaturalis, sed naturalis tantùm. 974.n.42

Homines quomodo alij alios illumioent. 983. num.13.

Homo in primo instanti quo ad vsum rationis peruenit, peccare potest etiam mortaliter. 1029. num.6.

Homines plures in beatitudine futuri sunt superiores pluribus Angelis. 1067.0 11

Hominibus singulis an singuli Angeli ad custodiam deputati. 1076.n.1.2

An omnibus tam prædestinatis quàm reprobis hominibus Angeli custodes assignentur. n.3.4

Ab instanti natiuitatis suæ. 1077.n.8

Homines singuli an à diuersis Angelis custodiantur. n.9

Hominibus cur à Deo redemptor paratus sit, non Angelis. 1078.n.6.7

I

Idea.

IN Ideis suis an Deus cognoscat omnia futura contingentia tanquam in obiecto proximo determinante diuinam scientiam visionis. 330. num.1.

Idea duplex, formalis, & conceptus obiectiuus. 332.n.1.

Idea formalis iterum duplex in Deo consideratur. n 2

Idea propriè dicta vt sic non habet rationem obiecti directi in quo tanquam in imagine obiectiua repræsentante cognoscantur creaturæ, vel possibiles vel futuræ. 352.n.3

Ideæ non multiplicantur in Deo nisi secundum rationem. 414.n.6

Ignis.

Ignis inferni an metaphoricus sit, vel per vermem conscientiæ significetur. 1121.n.2

Verum esse & corporeum de fide est. n.4

Ignis in damnatos actio an intentionalis an realis. 1124.n.8.1125.n.19.

Ignis inferni an producat in Spiritibus qualitatem aliquam doloriferam quæ cognita vehementem causet voluntatis auersionem & tristitiam. 1128.n.38

Illuminatio.

Illuminatio Angelorum probatur. 980 n.3.4. & seqq.

Illuminatio ista non fit per nutus, vel signa instrumentalia. 981.n.1

Illuminatio omnis est locutio. 984.n.1

Quid sit discriminis inter vtramque. n.2.3

Illuminatio propriè est de rebus supernaturalibus, vel saltem supernaturaliter cognoscibilibus. 985.n.4

Illuminationis Angelicæ descriptio. n.5

Illuminationum omnium prima origo, Deus. ibid. n.1.

Quo progressu vel modo fiant illuminationes. 985. *cap. IV toto.*

Imago.

Imago hominis triplex, vna creationis, altera regenerationis, tertia glorificationis, earúmque conuenientiæ. 69.n.89

Imago in diuinis dicitur personaliter. .48

Estque nomen proprium Filio. ibid.

Imago est similitudo ab aliquo expressa. 749.n.1

Triplex est, artificialis, intentionalis, & naturalis. n.2

In diuinis datur vera & propria imago. 750.n.2. non essentialiter, sed notionaliter. 751.n.1

Imaginis ratio propriè soli Filio conuenit non Spiritui sancto. 751.n.3

Immensitas.

Immensitas Dei ex eius infinitate probatur. 208. num.1.

Ex eius immutabilitate. 209.n.2

Immensitas propriè quid sit. 209.n 4

An idem prorsus sit cum omnipotentia. n.5

Immensitas est ratio formalis & attributum virtualiter distinctum ab omnipotentia. 210.n 8

Immensitas diuina per distinctionem trium modorum existendi Dei in rebus per præsentiam, potentiam, & essentiam explicatur. n.12. vide *Deus.*

Immutabilitas.

Immutabilitatis appellatione quid veniat. 212. num.1.

Eius ratio variè à Doctoribus agitatur. n.2

Absoluta necessitas est radix adæquata immutabilitatis diuinæ. n.3

An differat formaliter à necessitate. n.4.5

Impassibilitas.

Impassibilitas vnde prouenit. 72.n.2

Quid si sit qualitas aliqua positiua inhærens intrinsecè corpori glorioso. n.3

Imperium.

Imperium an sit actus intellectus distinctus à iudicio. 410.n.17.18.

An ad diuinam prouidentiam necessarium. 411. n.20. vide *Prouidentia.*

Imperium voluntatis admittendum. n.23. vide *Voluntas.*

Item intellectus. 412.n.27

Quomodo exerceatur à prudentia politica. num.29.

Incarnatio.

Incarnationis mysterium & vnio hypostatica videri nequeunt ab Angelis prout est in se naturaliter. 967.n.3

Imo nec eius possibilitas. 968 n.6

Nec

Nec ab intellectu humano. n.7. Nisi per diuinam reuelationem. 979. n.10.11.12
Incarnatio non potuit esse primum obiectum peccati Angelorum supposito ordine diuinorum decretorum. 1091.n.39

Incorruptibile.

Incorruptibile dupliciter aliquid dicitur. 810. num.1

Infans.

Infantes plures an Deus saluari noluerit. 549. cap.III.sect. vide *Paruuli.*

Infernus.

Infernus ad damnatorum supplicium an destinetur. 1130.n.1
Vbi sit. 1131.n.6
Est in profundissima terræ parte. n.9
Locorum distinctio in Inferno ex diuitit damnatione colligitur. o.10

Infidelis.

Infidelis si faciat quantum ex se potest, illuminandus est fidei mysteriis. 539.n.12

Ingenitum.

Ingeniti triplex acceptio apud Patres. 735.n.1
An non sit proprium solius Patris. 736.n.2
Ingenitum formaliter quid sonet. n.3.4

Ingenium.

Ingeniorum in cultura meliores in dies & maturiores fructus natura parit. 10.n.37
Initium vox in Trinitate non vsurpanda pro *principio.* 733.n.5

Instans.

Instans Angelicum quo mensuratur motus qui fit ab Angelo totus simul, an differat ab instanti nostro. 881.n.16.17
Instantia Angelorum quoad viam & terminum quomodo distinguenda. 1065.n.1. & seqq.
Instantia tria siue morulæ quibus totum Angelorum siue bonorum, siue malorum, negotium peractum est, explicantur. 1100

Instrumentum.

Instrumenta supernaturalia sunt duplicia, alia connaturalia ad certos effectus determinata; alia potè obedientialia. 121.n.2
Qui differunt naturalia & supernaturalia. n.3
Qui item connaturalia & obedientialia. ibid.
Instrumentum duplex, aliud quod agit virtute propria, alterum quod per virtutem receptam ab alio. 141.n.5

Intellectio, Intelligere, Intellectus.

Intellectio diuina nec est tota essentia Dei, nec de conceptu essentiali diuinæ essentiæ. 182. n.3.184.n.10
Intellectio diuina est de constitutione essentiali naturæ diuinæ, ac subinde diuinæ essentiæ, non in ratione essentiæ, sed in ratione naturæ. 186.n.23
Intellectionum in Angelis genus duplex. 961. num.28
Intelligere & *Intellectionis* variæ acceptiones. 661
Intellectio nostra cum diuina, sicut nec Verbum cum Verbo comparari debet. 662.n.8
Intellectio communis est tribus personis diuinis. 666.n.1. & 667. n.667.n.7
Vnica in Deo. n.2
Intelligere essentialis & notionalis distinctio. 667. n 5.668.n.5
Intelligere Dei est eius substantia. 291.col.1 *Franc. de Lugo, in 1.p.D.Thom.*

Intelligere Angeli non est eius substantia, nec eius esse. 883.n.4.& seqq. vide *Angelus.*
Intellectus humanus nec coniunctus, nec separatus potest solis viribus naturalibus Deum videre. 129.n.1
Intellectus nomine venit sæpissimè ipsa intellectio. 176 o.16
Intellectus creatus an possit Deum videre per essentiam, per aliquam similitudinem. 217
An idem Intellectus per sua naturalia diuinam essentiam videre possit. ibid.
An aliquo ad id lumine creato indigeat. ibid. vide *Deus.*
Intellectus non potest naturalibus viribus Deum videre. 173.n.3
In Intellectu diuino an distinguantur ars & prouidentia. 421.n.3
Intellectus agens in Angelo probatur. 891.n.1. & seqq.
Probatur possibilis. 892.num.10
Quid sit intellectus possibilis. 892.n.13
Intellectus agens quomodo in omnibus illuminet phantasmata. 893.n.14.18
Intellectum Angelicum ad sui cognitionem an possit obiectum per seipsum permouere. 898. num.27.
Intellectus Angelicus habet ab initio suæ creationis species rerum materialium & immaterialium congenitas, aut à Deo infusas. 912. num.16
Intellectus Angelici & humani obiectum adæquatum est ens simpliciter & absolutè sumptum. 91.n.22
Obiectum connaturale & proportionatum vtriusque intellectus est ens naturale vt à supernaturali distinctum. n.3
Intellectus Dæmonis an sit obtenebratus per priuationem omnis veritatis. 1057
Vide *Demon.*

Intelligentia.

Intelligentias cælestes ex cælorum motibus agnouit Aristoteles. 814.n.1
Intelligentiæ non sunt entia per se necessaria. 1040.n.1. vide *Angelus.*
Intelligibilis & sensibilis obiecta distinguuntur. 136.n.14

Inuentum.

Inuentis semper vti, miserrimi ingenij est. 10. num.37
Iis addere præstantis. 11.n.39

Inuidia.

Inuidia quid. Eius filiæ & vtrum tale peccatum Angelis conueniat. 1085.n.3
S Ioannes Baptista ad supremam Angelorum hierarchiam assumptus. 1067.n.13

Ira.

Ira propriè an Deo tribui possit. 376.n.11
Iræ peccatum in quo sensu Angelis tribui potest. 1083.n.4

Iudæi.

Iudæi Theologi omnium antiquissimi. 2.n.6
Iudæi alicui veritati reuelatæ culpabiliter discredentes, non credunt aliis fide diuina, sed humana. 97.n.4
Iudæi cur soli verum aliquando Deum coluerint. 538 n.10
Iudicium mentis quid? 355.n.1
Iurandum non est in verba Magistri. 12.41

Iuſtificatio.

Iuſtificatio & alia dona ſeu virtutes ſupernaturales nec videri poſſunt intuitiuè præſentes, nec euidenter poſtibiles cognoſci poſſunt. 975. num.47

Iuſtitia.

Iuſtitia originalis fuit vltra debitum puræ naturæ, atque ideò ſupernaturale Dei donum. 104.n.6

Iuſtitia originalis reipſa diſtincta eſt à gratia gratum faciente, ab illáque ſeiungi potuit. 106. num.14.

Quid Iuſtitia illa præciſa ab adoptionis gratia. 107.n.17.20

Iuſtitiæ ratio an Deo deneganda. 381.n.1

Vel eſt ſpecialis, vel commutatiua, vel diſtributiua. 381.n.2

Harum neutra Deo competit. n.3.& ſeqq.

Iuſtitiæ & Iuris variæ acceptiones. 383. num.1. & ſeqq.

In qua acceptione datur iuſtitia in Deo. 385. num.15.

Iuſtitia in Deo exiſtit tanquam vnum ex eius attributis. 387.n.1

Iuſtitia commutatiua in Deo probatur. 392. cap.IV. toto.

Iuſtitiæ commutatiuæ materia eſt in æqualitate dati, & accepti. 398.n.32

Verſatur circa tria duntaxat bona pecuniam, honorem & ſalutem. n.33

Quo ſenſu dicatur eius rationem eſſe repaſſionem & compaſſum. n.36

Iuſtitia diſtributiua Deo eſt propriè & formaliter tribuenda. 399.cap.V.toto.

Iuſtitia legalis & punitiua in Deo datur 401. cap.VI.toto.

L

Lares.

Lares dij olim credebantur ex hominibus facti. 816.n.1

Lemures ſiue laruæ ex prauis hominibus facti. 816.n.1

Lex.

Lex membrorum & carnis quæ & in quo poſita. 108.n.1

Lex an Moſi data per miniſterium Angelorum. 845.n 13

Liberum quomodo quid dicatur? 789.n.3

Liberum arbitrium in Angelis datur. 1015.n.1.2

Ligamen fomitis peccati. vide *Fomes*.

Locus.

Locorum communium vſus & vtilitas. 40.col. 1.fin.

Loci Theologici duodecim enumerantur. ibid. cap.1.n.7.

Locorum in Theologia vſus docetur. 43. cap.III toto.

Locutio.

Locutionis ab aliis ſonis differentia, & qualis eſſe poſſit in Angelis corpora aſſumentibus. 841. n.11

Locutio datur inter Angelos qua conceptus ſuos ſibi inuicem manifeſtent. 950.n.1

Quomodo fiat iſta locutio. 951.n.5

Non fit per externa ſigna. ibid.n.1

Non fit per efficientiam loquentis in audientem. 954.cap.III.toto.

Locutio eſt vitalis actio in eo qui loquitur. 959. num.18

Quinam actus ad locutionem concurrunt. ibid.

Quæ ſit locutio Angelorum practica. 960. num.21.

Diſtinguitur ab eorum auditione. n.24

Locutionis & illuminationis differentia. 984. num.23

Lucifer.

Lucifer an priùs peccauerit quàm primos parentes tentauerit. 1084.n.7

Lucifer an peccauerit per ſuperbiam appetendo hypoſtaticam vnionem. 1090. n.33

Lucifer peccauit volendo nulli ſubeſſe, ſed omnibus præeſſe. 1091.n 42

Lucifer an cupierit eſſe vt Deus, non naturâ, ſed in aliorum mentibus & voluntatibus, & quoad cultum. 1092.n.46

Quo nomine ipſi arrogantia, præſumptio, & inuidia tribuitur. n.2.3.4

Lucifer an fuerit ſupremus Angelorum. 1093. cap.I.toto.

An & quomodo alios ad peccandum induxerit. 1094. cap.II.toto.

Lumen.

Lumen gloriæ octo munera obit, & quæ? 129. num.3

Lumen gloriæ non eſt intellectui tota vis ad Deum videndum. 131.n.4

Lumen gloriæ non ſubiectatur immediatè in ſubſtantia animæ, ſed in intellectu naturali. 132.n.10

Lumen gloriæ quod de facto beatis infunditur an ſit ſpecies impreſſa Dei. 223.n.7.224.n.9. & ſeqq.& 229.n.24.

Quid conferat potentiæ intellectiuæ. 229. num.26.

Lumen gloriæ ad videndum Deum an neceſſarium. 237.n.5.

Quid ſit. n.7.

Lumen naturæ dari in Deo ſcientiam perfectiſſimam manifeſtat. 293.n.3

Lux.

Lux in Scriptura cognitionem & manifeſtationem alicuius obiecti ſonat. 80.n.14

Luxuria.

Luxuriæ crimen quomodo in Angelos cadere poteſt. 1085.n.6

Non fuit primum eorum crimen. ibid. num.1. col. 2.

Luxuria ſpiritualis quid? 1088.n.2

M

Macedonij.

Macedonij & eius ſectatorum errores de Trinitate aperiuntur. 655.n.12

Magiſter ſententiarum Scholaſticam Theologiam in methodum redegit. 19.n.1

Malum.

Mala naturæ quomodo Deus cognoſcat. 356.n.1

Mala pœnæ ſunt prædeſtinationis effectus. 531. num.1

Malum culpæ quod peccatum eſt non eſt effectus prædeſtinationis. n.2

Malum

Manes dij olim crediti, de quorum merito dubitabatur. 816.n.8

Materia.

Materia triplex, elementalis, cælestis & spiritualis, & quænam sit Angelorum materia. 808.n.2.3. & seqq. vide *Angelus.*

Medij communicantis & non communicantis distinctio. 886 n.1

Mensura an sit de ratione intrinsecæ æternitatis. 214.n.5

Meritum Angelorum quale, & vnde petitur. 1055 *cap.I.* & seqq. vide *Angelus.*

Metaphora & similitudinis disparitas. 41.n.5

Metaphysica.

Metaphysicæ definitio, & quid à Theologia peculiare habeat. 28.n.16

Metaphysica principia non possunt elicere conclusiones verè Theologicas. 31.n.1

Michaël nomen pluribus Angelis pro ratione officij impositum. 1075

Misericordia.

Misericordia an sit in Deo formaliter & propriè. 377.n.16

Misericordia erga proximum euidens est prædestinationis signum. 644.n.12

Missio.

Missio an diuinis personis conueniat. 793
An sit æterna, vel temporalis tantùm. ibid.
An Missio inuisibilis diuinæ personæ sit solùm secundum donum gratiæ gratum facientis. 793
An conueniat Patri ibid. Conuenit Filio & Spiritui S. inuisibiliter mitti. ibid.

Missio an inuisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ. ibid.

Missio in diuinis quid sit? 794 n.1
Quid ad hanc Missionem requiratur. n.3

Missionis nomen quid importat. 797.n.6.7

Missionis quinam termini *à quo* & *ad quem*. 794.n.7.8.

Missionis tam ex parte personæ mittentis, quàm missæ diuisio in actiuam & passiuam. 795.num.1

Missio diuinæ personæ ad creaturam rationalem qualis sit expenditur. n.3.4.& seqq.

Missio visibilis Spiritus S. in forma columbæ explicatur. 798.n.19.799.n.20.21

Missio quibus personis diuinis competat. ibid. *cap.III*

Missione inuisibili nunquam mittitur Filius sine Spiritu sancto. 799.n.6

Missio quare non sit essentialis, sed notionalis. 800.n.7

Missio in Angelis duplex, visibilis & inuisibilis 1075.n.10. vide *Angelus.*

Mors.

Mors præmatura quæ nos ab imminenti peccandi periculo eripit, est prædestinationis effectus 530.n.18

Mors in statu peccati contingens quando est reprobationis effectus. 565.n.3

Moses.

Moses primus de Theologia scripsit. 2.n.6

Moses in omni doctrina Ægyptiaca versatissimus multa noua ex suo adinuenit. 9.n.34

Motus.

Motus acceptio duplex, prout dicit passionem, *Franc. de Lugo, in 1.p.D.Thom.* aut receptionem alicuius formæ, & prout dicit directionem vel applicationem alicuius operatiuæ potentiæ. 116.n.17

Motus quinam ille sit quo Sacramenta, vel aliæ creaturæ applicantur & eleuantur ad actiones miraculosas. 126.n.10

Motus cælestium corporum quot sunt ex Aristotele. 814.n.1

Motus localis communis est omnibus corporibus, tam corruptibilibus quàm incorruptibilibus, & ipsis Angelis. 828.n.23

Motus progressiuus quomodo fiat, & qualis esse possit in Angelis, assumptis corporibus. 842.n.9

Motus localis Angeli an sit in instanti. 873
Non inhæret motus ille Angelis ipsis intrinsecè tanquam modus intrinsecus illorum, sed solùm per denominationem extrinsecam. 875. num.2

Motus per accidens modi tres. 877.n.12

Motus Angeli an tantùm inter positiuos terminos versetur. 878 n.2

Motus Angeli an continuus sit, an discretus. 879 *cap.III. toto.* vide *Angelus.*

Muli generatio imperfecta est & ad monstrum accedens. 670.n.9

Mutatio localis in Angelo est vel continua vel discreta. 879.n.2. vide *Motus.*

Mysteria supernaturalia quæ Angelis viatoribus cognita. 978.n.14

N

Natura, Naturale.

NAturæ status variè considerantur. 103.n.1
Pelagianorum aliorúmque hæreticorum error circa naturæ statum. 103.n.2

Naturæ humanæ status è gratiæ statu in peccatum deflectentis, Parabola hominis descendentis in Hiericho, & in latrones incidentis describitur. 109.n.10

Natura in quo distinguitur ab essentia. 176.n.1

Natura designat principium actus. 177.n.3

Naturæ nomen quid sonet. n.5

Natura diuina non includit essentialiter attributa. 178. *cap IV. toto.* vide *Deus, Essentia.*

Naturà suà huius particulæ duplex acceptio explicatur. 813 n.16.& 17

Natura rationalis an possit creari impeccabilis ab intrinseco & connaturaliter. 1021.n.1.1023. num.14

Naturale multipliciter vsurpatur. 104.n.5

Naturalia omnia infra animam rationalem Angelis cognita. 950. *cap.V. toto.*

Necessitas an eadem sit cum diuina immutabilitate. 213.n.3. & seqq.
Vide *Immutabilitas.*

Negatio.

Negationes quæ sunt in Deo recensentur. 206. num.15

Negationes quomodo Deus cognoscat. 356. num.3

Negationes an fiant entia rationis per diuinum intellectum. 359.n.13

Nomen.

Nomina essentialia an prædicentur de tribus personis diuinis. 770
An possint supponere pro persona. ibid.

An talia nomina in abstracto significata possint supponere pro persona. ibid.
An sint approprianda personis. ibid.col.2
Nominum substantiuorum & adiectiuorum disparitas. 771.n.7.8
Nomen concretum substantiuum non solùm connotat suppositum, sed etiam directè significat suum habens seu suppositum, etsi materialiter. 772.n.1

Notio.

Notiones an in diuinis sint ponendæ. 724.col.2
Quinque tantùm sunt notiones. ibid.
Nec licet contrariè opinari. 725.col.1
Notiones dantur in Deo, & in intellectu humano, vel voce datur earum repræsentatio vel significatio. 731.n.3
Notiones rectè concipiuntur & explicantur de nominibus abstractis. 732. n.6
Quinarius notionum numerus probatur. 733. *cap.II.toto.*

Notitia.

Notitia duplex, practica & speculatiua, vtraque explicatur. 54.n.3

Nouator, Nouitas.

Nouatores, & præcipuè doctrinæ, eo nomine omnibus infesti sunt. 8.n.28
Nouatores Theologi quinam iure suspecti. 13. num 45.
Nouitas quàm sacro Euangelio fuerit iniuria, quam Christus ipse præcauit. 8.n.28
Nouitas partim ex inscitia, partim ex arrogantia est. n.29
Nouitatis doctrinæ apologia. 9.n.30.& seqq.
in Nouitate multi falluntur: vbi & Nouitatis triplex distinctio explicatur. 12. num.43.44. & seqq.
Numerus est ens per accidens, ac subinde non vnum ens.sed multa. 711.col 2
Numerus quomodo ponatur in diuinis. ibid.
Non excludit omnem identitatem rerum numeratarum. ibid.

O

Obduratus, Obduratio.

OBduratis nunquam denegatur auxilium sufficiens tam ad conuersionem quàm ad operandum. 541.n.9.542.n.11
Duo in Obduratis ad supernaturaliter, & liberè operandum requiruntur, scilicet arbitrij libertas, & auxilium gratiæ. 543.n.17.
Obduratio mentis in quo posita est. 547.n.30

Obiectum.

Obiecti & subiecti in scientiis differentia. 21.c.2 num.1
Obiecti diuisio in materiale & formale expenditur. 22.n.2.& 7
Quid obiectum vniuersale. n.4
Quid obiectum materiale adæquatum, primarium. n.4
Quid attributionis. n.5
Ratio formalis alicuius obiecti triplex, *qua, propter quam, & sub qua.*
Omnes explicantur. 22.n.7.8. & 9
Obiectum & subiectum quomodo cum habitu & potentia comparantur. 24.n.13
Obiecti distinctio triplex in materiale, formale & formalissimum. 90.n.1
Obiectum materiale & formale respectu alicuius scientiæ quodnam sit. 300.n.1

Obstinatio.

Obstinatio duplex, pœna scilicet, & culpa. 1105
Causæ Obstinationis Dæmonum fusè referuntur. ibid. *toto. cap.I.* & *II.* vide *Dæmon.*

Odium.

Odium peccati & peccatoris an in Deum cadere possit. 375.n.5
Probatur quod sit. n.6
An tristitia. 376.n.8.9

Omnipotentia.

Omnipotentiæ diuinæ quomodo probatur infinitas. 77.n.13

Opus.

Operis studiosi & virtutis sat non est quòd sit studiosum, sed vt studiosè fiat, id est, ex electione propter ipsum. 102.n 4
Opera bona naturalia primi generis quæ per specialem gratiam auxilij efficacis indebiti naturæ eliciuntur, sunt prædestinationis effectus. 530. num 20
Opera bona moralia secundi generis quæ solis naturæ viribus fiunt, non sunt effectus prædestinationis. 529.n.13
Origenes ab errore, quòd damnatorum & Dæmonum pœnæ sint finem habituræ, vindicatur. n.16.21

Origo.

Origo & relatio in personis diuinis conuertibiles sunt. 782.n.6. vide *Persona.*

P

Parabola.

PArabola illius qui in Hiericho descendens incidit in latrones, statum hominis à statu gratiæ in peccati statum deflectentis aperit. 109. num.10

Paruulus.

Paruulos plures an Deus saluari per denegationem auxiliorum sufficientium noluerit. 549. *cap.III.toto.*
Paruuli sine Baptismo decedentes damnantur nisi Baptismi vicem suppleat martyrium. ibid.n.4.
Paruulorum reprobationis causa est originale peccatum non remissum. 564.n.9

Paternitas.

Paternitatis appellatio Deo propriè magis quàm hominibus congruit. 670.n.6

Pater.

Patri æterno competit esse principium. 734
Hoc nomen *Pater* propriè est nomen diuinæ personæ. ibid.
Pater an in diuinis dicatur per prius, secundùm quod sumitur personaliter. ibid.
Patri ingenitum esse propriè congruit. ibid.col.2. & *cap. I I.toto.*
Pater est principium sine principio. ibid. n.2. & 735.n.3.
Qua ratione conueniat Patri esse Patrem. n.8
Pater an principaliùs producat Spiritum S.quàm Filius. 760. *cap. IV. toto.*
Pater & Filius an sint vnicum principiū & vnicus spirator Spiritus sancti. 761.*cap.V.toto.*
An simul ad spirandum requirantur. 763.*cap.VI.*
An se diligant Spiritu S. 765

Pater

Pater an intelligat Filio & vterque se diligat Spiritu S. ibid.n.2.3

Peccator, peccatum.

Peccatores ob priora peccata interdum ita obdurantur vt resipiscere non possint. 539. n.8.540. num. 2. 3

Peccatum originale an sit causa reprobationis. 562. num. 1. & seqq.

Fuit causa volitionis diuinæ denegantis reprobis electionem efficacem ad gloriam, & congruas vocationes quibus de facto saluarentur. 563. num. 6

Peccati fomes. vide *Fomes.*

Peccati & peccatoris odium an Deo conueniat. 375. num. 4

Peccati permissio an interdum sit effectus prædestinationis. 532.n.3. Id asseritur. n.10

Potest esse vtile ad salutem prædestinati. 533. num. 12

Peccati proprij permissio à nullo nec peti nec amari potest. 536.n.28

Peccati permissio eo modo quo eligitur à Deo, & quo Christus illam impetrat, honesta prorsus est. 536.n.29

Peccati permissio an sit effectus reprobationis. 565. n. 5. & seqq.

Peccata omnia hominum an ex Dæmonum tentatione proueniant. 1133.n 7

Peccata quænam possint esse in Angelis. 1079

Peccatum primi Angeli an fuerit causa aliis peccandi. 1080

Peccata quæ potuerint Angeli committere.1085. *cap. I. toto.*

Et quod primum. *cap. II.*

Peccati secundùm affectum, & secundùm reatum distinctio. ibid.n.3

Pelagiani.

Pelagianorum de prædestinatione & reprobatione sensus. 470.n.3

Perfectio.

Perfectiones diuinæ attributi nomine à Theologis vsurpantur. 563. n. 5. vide *Attributum.*

Perfectiones diuinæ quomodo se habent nostro modo concipiendi. 178.n 5. & seqq.

Perfectiones diuinæ, nec in se, nec ab essentia distinguuntur actualiter ex essentia rei. 202. num.1

Perfectionum genus dupliciter à Theologis distinguitur. 253.n.18

Perfectiones omnes formaliter existentes in Deo tam absolutæ, quàm relatiuæ an pertinant ad obiectum formale & primarium diuinæ scientiæ. 303.n.5

Perfectiones accidentales quæ citra exigentiam causarum naturalium prædestinato contingunt ad illius salutem conducentes, sunt effectus prædestinationis. num. 19

Perfectio dupliciter dici potest esse simpliciter. 716. n. 8

Perfectio naturæ inferiori conueniens non est necesse vt superiori naturæ conueniat. 974.n.43

Perseuerantia.

Perseuerantiæ donum adeò necessarium est vt sine eo nullus saluetur. 537.n.3

Perseuerantiæ donum duplex distinguitur, aliud sufficiens, aliud efficax. 539.n.13

Perseuerantia in peccato vsque ad mortem an sit reprobationis effectus. 556.n.55

Perseuerantia vsque in finem non solùm in hominibus, sed & Angelis requiritur. 1051.n.5

Perseuerantia in bono duplex continua & interrupta, & qualis fuerit in Angelis. 1064. n. 15. & seqq.

Persona.

Personarum Trinitati in Deo quæ videantur repugnare. 653. *cap. I. toto.*

Personarum pluralitatem in Deo negare à fide alienum est. 655.n.1

Persona quæque in Deo Deus est. 687. *cap. IV. toto.*

Personæ diuinæ procedunt per intellectionem & volitionem essentialem specificatiuè, non reduplicatiuè. 657.n.5

Vt notionales sunt. 668 n.3

Personæ definitio, nempe quod sit *natura rationalis indiuidua, substantia*, an congruat, 709.c.1

Persona idem est quod hypostasis, non idem quod essentia. ibid. col. 2

Persona nomen an ponendum sit in diuinis. ibid.

Quomodo in diuinis significet relationem. 710. col.1

Personarum pluralitas in diuinis quadrat. ibid.

Tres duntaxat sunt, & cur non plures. ibid. col.2

Personæ nomen an possit esse commune tribus personis. ibid.

Personæ nomen substantiuum est, nec multiplicari potest, nisi multiplicata forma. 718.n.5

Personæ tres diuinæ an dicendum sit quòd sint vnius essentiæ. 770

Personæ diuinæ an possint prædicari de nominibus essentialibus. 770.col.2

Vtrum diuersa prædicata personis appropientur. ibid.

Persona & relatio an idem sint. 774

Personæ an distinguantur per relationes. ibid.

Vtrùm ablatio per intellectum relationibus à personis remaneant hypostases. ibid.

Quibus rationibus dubitatur an personæ diuinæ constitutionem recipiant. 775

Persona diuina constituitur verè & propriè ex essentia & proprietate personali. ibid.n.4

An illa constitutio sit realis, vel rationis. 776, n. 6. & seqq.

Personæ diuinæ constituuntur per proprietates relatiuas. 777. *cap. III. toto.*

An tales personæ constituantur originibus, an relationibus. 779. *cap. IV. toto.*

Quid sit constitutiuum & distinctiuum diuinæ personæ. 782.n.1

Quid sit vltimum constitutiuum in persona diuina. num. 2

Personalitas diuina, relatio personalis, & ratio notionalis, quam potentia productiua & origo superaddunt Deitati, idem sunt. 782.n. 3

Personæ duobus modis dici possunt constitui & distingui per aliquid. 782.n. 4

Persona quæuis constituitur ac distinguitur propria origine, ac relatione simul. num.5.

Personæ diuinæ nec relationibus, nec originibus explicitè conceptis, sed personalitatibus constituuntur. 783.n.9

Conceptus proprius formandus de persona, relatione ac origine diuina. 783.n.7

Inter hæc tria nulla datur prioritas etiam rationis. ibid. n.14

Personæ diuinæ constituuntur relationibus vt transcen

transcendentales sunt, non vt prædicamentales. 784. num. 2
An in diuinis personis sit potentia respectu actuum notionalium. 788
Personæ diuinæ ex nihilo non producuntur, sed de substantia producentis. 790.n.2
Personæ procedentes an sint coæternæ suo principio, vt Filius Patri. 791
An in iis sit ordo naturæ. ibid.
Personarum diuinarum an detur aliqua inæqualitas. 791.n.1
Nulla in iis datur prioritas secundùm aliquos. 792. num. 2
Datur tamen realis prioritas originis. num.3
Non est eadem ratio potentiæ in tribus personis. num.4.5.6
Persona vna an dicatur esse in alia secundum se totam, an solùm ratione essentiæ. num.4
Personæ alicui diuinæ an conueniat mitti. 793
An non mittatur aliqua diuina persona nisi ab ea à qua procedit æternaliter. 794
Personæ diuinæ quomodo ad creaturam rationalem mittuntur. 797.n.7. vide *Missio*.
Personæ diuinæ quibus competat missio, exponuntur. 799. *cap. III. toto.*

Pertinacia.

Pertinacia in malo duplex. 1064.n.15
Petri peccatum & pœnitentia quomodo à Deo præuisa & præfinita. 553.n.15.555.n.26
Phantasia immutationis causæ. 828.n.19
Pharaoni obdurato Deus non denegauit auxilia sufficientia. 542.n.11
Præter *Physicas* disciplinas necesse est aliam doctrinam haberi. 17
Plato Arianismi fundamenta iecit. 654.n.1

Pœna.

Pœna duplex damni & sensus. 1101.n.2
Duplex reperitur in Dæmonibus. num. 3.
Nunquam finienda. 1104.n.19
Pœnæ damni essentia an in priuatione beatitudinis consistat. 1115.n.17
In hæc pœna duæ distinguendæ rationes, altera mali quod sentitur, altera cognitionis & doloris inde secuti. num. 18
Pœna damni an in omnibus Dæmonibus & damnatis sit æqualis. 1118.n.35. & seqq.
Inæqualis est pro ratione criminum. 1120. num. 49
Pœnæ malom. vide *Malum*.

Possibile.

Possibilia quomodo ab Angelis cognoscantur. 949. n. 15
Possibilia omnia distinctissima cognitione Deus cognoscit. 306. n. 5. vide *Deus*.

Potens, Potentia.

Potens obedientialiter vt *quod* & potentia obedientialis in quo distinguantur. 116.n.1
Potentiæ diuinæ graduum distinctio. 77.n.13
Potentia non solùm obedientialis, sed & actiua admittenda. 115.n.2
Potentia obedientialis passiua est, & quomodo definiatur. 115.n.4
Potentia obedientialis actiua duplex, vna simpliciter pura, altera non omnino. 116.n.7
Potentia obedientialis tam actiua quàm passiua an dicat aliquid positiuum, an negatiuum. 117. num. 2
An res creatæ habeant potentiam obedientialem actiuam vt influant in effectus supernaturales, non physicè, sed influentia morali. num.5
Potentia obedientialis an sit aliquid positiuum propriæ creaturarum entitati superadditum. num. 15
Est qualitas superaddita. num.16
Est modus distinctus. 120.n. 17
Potentia obedientialis actiua in rebus creatis quam virtutem dicat. 121.n.1
Potentia obedientialis vnde sumat speciem. 124. num. 7
Est in omnibus creaturis æqualis. num.8
Quomodo eleuetur à Deo ad actualem vsum operationis suæ. n. 9. & 127.n.21
Potentia obedientialis potius naturalis est quàm supernaturalis in seipsa. 127.n.22
Actiua non solum in entibus naturalibus reperitur, sed etiam in supernaturalibus, vt in gratia, &c. num. 23
Potentiæ humanæ eleuantur de facto ad actus supernaturales eliciendos per virtutes supernaturales. 129 n.2
Potentiæ vitales an virtute propria concurrant ad actus supernaturales. 130. *cap. II. toto.*
Potentia quæcumque naturalis non habet vires sufficientes ex se ad actus supernaturales visionis Dei & similium. 132.n 6
Potentiæ vitales non influunt in actus supernaturales formaliter per potentiam obediennalem quam habent communem cum cæteris creaturis, sed per potentiam naturalem vitalem, & intellectricem, quam habent specialem ad intelligendum. 139.n.15
Potentiæ naturales an influant in actus supernaturales per potentiam obedientialem. 137. *cap. IV. toto.*
Influunt per virtutem naturalem vt naturalis est primo modo, non secundo. 139. n. 13
Potentiæ vitales an concurrant vt causæ instrumentales, an vt principales ad actus supernaturales eliciendos. 141. *cap. V. per totum.*
Potentia intellectiua vel volitiua in Deo non datur. 175.n.2
An possit Deus eleuare potentiam aliquam cognoscitiuam ad visionem intuitiuam Dei, siue de iam creatis siue de creabilibus sermo sit. 235.n.9
Potentia productiua notionalis quid sit. 686.n.1
An sit sola relatio personæ producentis. ibid.
An sola essentia etsi requirat relationem vt conditionem ad producendum. num.2
Potentia notionalis an includat diuinam essentiam in recto, connotétque relationem in obliquo. num. 4
An essentia & relatio simul sint potentia notionalis. num. 5
Potentia productrix notionalis includit non solam relationem, sed simul essentiam diuinam. 686.n.6
Potentia generatiua non est sola intellectio, nec potentia spiratiua sola volitio, sed in vtraque præterea clauditur relatio producentis vt intrinseca & essentialis virtuti productiuæ. 687. num. 8
Essentia & relatio æquè necessariò & essentialiter requiruntur ad rationem potentiæ productiuæ. 688.n.16
Potentia motiua Angeli an distinguatur ab eius intellectu.

Intellectu & voluntate. 830.831. vide *Angelus*.
Potentia omnis actiua, etiam immanenter, distinguitur à substantia realiter, siue in Angelis siue in qualibet creatura. 831.n.4
Potestatum officium. 816.n.15

Practicum.

Practicum & speculatiuum sunt differentiæ essentiales habituum & actuum intellectualium. 34.n.6
Quidam putant solum accidentales. num.7
Præ particula in prædestinatione quid indicet. 425.n.6.427.n.3

Prædestinatio, Prædestinatum.

Prædestinatio an sit actus intellectus an voluntatis. 413. *cap. II. toto.*
An homines prædestinentur à Deo. 421. col.2
Prædestinatio an aliquid ponat in prædestinato. ibid.
Prædestinatio an certa sit. 424. col.2
An possit iuuari precibus sanctorum. ibid.
Prædestinationis nomen & existentia explicatur. 425.n.1
Prædestinatio an ratione naturali in Deo demonstrari possit. 426.n.9
An sit libera Deo non solùm simpliciter & absolutè, sed etiam supposita hominum creatione. 426.n.10
Prædestinatio qua necessitate fuerit necessaria cum diuina bonitate. num.12
In quo conueniat cum prouidentia & in quo differat. 427. *cap. II. toto.*
Prædestinationis obiectum & terminus proximus & vltimus an sit sola gloria. 429.n.4
An gloria simul cum gratia. n.5. & 430.n.8
Prædestinationis definitio expenditur. 431. *cap. IV. toto.*
Prædestinatio certa & infallibilis de fide tenenda est quantum ad assecutionem effectus. 432.n.8
Vnde petitur ea certitudo. num.9
Prædestinationis diuisio. n.16. & seqq.
Prædestinationis causæ ex parte præelectionis diuinæ à fol. 435. ad 470
Prædestinationis causa ex parte prædestinati. 470. *Disp. XL. tota.*
Prædestinationem an mereamur per opera quæ procedunt ex gratia. 482. *cap. IV. toto.*
Prædestinatio est gratuitum Dei beneficium. 486. num. 1
Prædestinationis causa an dari possit ex parte prædestinati de potentia Dei absoluta. 498. *cap. VII. toto.*
Prædestinationis causa ex parte aliorum à prædestinato. 510. *Disp. XLI. tota.*
Prædestinationem nostram an Christus meruerit. 510. *cap. I. toto.*
Prædestinationem alterius an causari possint merita puri hominis. 519. *cap. IV. toto.*
Prædestinationis effectus qui? 521. *cap. I. toto.*
Quænam supernaturalia beneficia sint huius effectus. 522. *cap. II. toto.*
Quænam beneficia naturalia. 527. *cap. III. toto.*
Prædestinationis certitudo vnde petatur. 567. *cap. I. toto.*
In quo conueniat cum reprobatione. 640. *cap. II.*
Prædestinatus an semper recipiat maiora dona gratiæ, quàm reprobus. 640.n.2. & seqq.
De Prædestinatione sua viator aliquis certus esse sine speciali reuelatione non potest. 643. n. 2. & seqq.
Prædestinationis varia signa assignantur. 644. num.11. & seqq.
Prædestinati an eligantur à Deo. 423. col.2
An eorum certus sit numerus. 424 col.2
Prædestinatum quibus modis aliquid dici potest. 429. n. 1
Prædestinatos Deus eligit ante præuisa merita. 451.n.13
Quali præelectione. 467. *cap. VI. toto.*
An detur aliqua ratio cur Deus prædestinatos elegerit. 469.n.16
Prædestinatorum numerus an sit maior quàm reproborum. 641.n.6

Prædicamentum, Prædicatio.

Prædicamenta pro entibus solùm naturalibus ordinata. 71.n.1
De prædicationibus diuinis regulæ quædam præscriptæ. 771.n.1.2
Prædicatio quoties facit sensum formalem, ea possunt solùm prædicari de alio quæ conueniunt subiecto formaliter, quatenus subiectum reduplicatiuè sumitur prout distinctum ab aliis formalitatibus. 771.n.3
Prædicationes diuinæ multipliciter variantur. 191. n. 2
Prædicata omnia quæ de Deo affirmari possunt latè dicuntur attributa. 164. n. 2. vide *Attributum.*

Prædicamentum.

Prædicata diuina dantur quæ & voce & sensu sint affirmatiua, denotentque perfectionem realiter formaliter existentem in Deo. 205.n.5
Prædicata diuina negatiua plerumque denotant perfectionem aliquam formalem existentem in Deo. ibid n.7
Prædicata essentialia in diuinis substantiuè sumpta dicuntur solùm in singulari. 718.n.6
Prædicata verò relatiua secundùm rationem communia pluraliter enunciantur, etiam substantiuè num.7

Præelectio.

Præelectio antecedens prædestinationem qualis. 467. *cap. IV. toto.* vide *Prædestinatio.*

Præmissa.

Præmissa naturalis ad hoc vt sufficienter explicet conclusionem de fide qualis esse debeat. 53. num. 12

Præscientia.

Præscientia meritorum an sit causa prædestinationis. 424 col.1. vide *Prædestinatio.*

Præsentia.

Præsentia diuina in omnibus rebus an colligatur ex operatione eius in illis. 209.n.3
Præsentia Dei in rebus omnibus explicata difficillima. ibid.n.6
Deus est positiuè præsens omni spatio imaginario per realem præsentialitatem distinctam ratione, ac virtualiter ab essentia & omnipotentia sua. 209.n.7. vide *Deus.*
Præsentia diuina ad locum positiuum, vel ad res creatas dicit relationem rationis aduenientem Deo ex tempore ad positionem creaturarum. 200.n.9
Præterita quomodo ab Angelis cognoscantur. 946. *cap. IV. toto.*
Praxis appellatione quid intelligendum. 34 n.3

Principatuum.

Principatus.

Principatus ideò ſic dicti quòd omnibus Angelis & Archangelis præſint. 816.n.16

Principium actiuum actionis ſupernaturalis in quo poſitum. 119.n.13

Principium.

Principium quid, & quod in diuinis reperiatur, Patre ſcilicet & Filio. 734.n.1

Principia proceſſionum diuinarum. 684. *cap. III. toto.* 686. *cap. IV. toto.* vide *Proceſſio.*

Prioritas.

Prioritas *in quo*, & *a quo* in quo diſtinguantur. 668.n.6

Item, Prioritas rationis *in quo*, & prioritas realis *à quo.*

Priſcillianiſtæ.

Priſcillianiſtæ quam prædeſtinationis & reprobationis cauſam aſſignabant. 470.n.1

Priuatio.

Priuationes quomodo Deus cognoſcat. 356.n.3

Priuationes an fiant entia rationis per diuinum intellectum. 359.n.13

Proceſſio.

Proceſſio datur in diuinis. 652

Proceſſio aliqua in diuinis dicitur generatio. ibid.

Datur in diuinis proceſſio alia à generatione Verbi. ibid.

Proceſſio amoris in diuinis non eſt generatio. 653

Non dantur plures proceſſiones in diuinis quàm duæ. ibid.

Proceſſiones diuinæ an ſint per intellectum & voluntatem. 665. n. 2. & ſeqq.

Sunt per intellectionem & volitionem. 665. *cap III. toto.*

Notionalem. *cap. IV. toto.*

Proceſſio Verbi diuini an ſit generatio. 669. *cap. I. toto.* 670.n.5.10

Procedere in diuinis nihil poteſt quod non ſit Deus. 669.n.3

Proceſſio Spiritus S. non eſt generatio. 676.n.1

Rationes in contrarium. n.2.& ſeqq.

An ſimpliciter credendum proceſſionem Verbi eſſe generationem, non ita proceſſionem Spiritus S. nec relationem vllam diſcriminis requirendam. num 8

Quo modo iſta quæſtio enodanda. num. 9

Vera ſententia eſt Verbum procedere per modum ſimilitudinis & imaginis, non Spiritum ſanctum. 677

Inter vtramque proceſſionem diſcrimen duplex aſſignatur. 678.n.4.5

Rationes difficultatis inter vtramque proceſſionem aſſignantur & enodantur. ibid. *toto. cap. III.*

Proceſſiones diuinæ aliæ actiuæ, aliæ paſſiuæ. 679. n.1

Propriè non ſunt actiones, nec paſſiones. ibid. num. 2

Sunt actiones immanentes. num. 3

Sunt vitales. num. 4

Proceſſiones actiuæ an ſint intellectio & volitio. 680.n.1

An ſint idem adæquatè cum relationibus producentium. num. 3

An connotent relationes in obliquo. 681.n.5

An relationem dicant in recto, & in obliquo intellectionem, & volitionem eſſentialem. num. 7

Proceſſio tam actiua quàm paſſiua an identificentur conuertibiliter cum perſona producta, & ſubinde diſtinguantur realiter à perſona producente, atque ab eius relatione. num.8

Includunt intrinſecè ac in recto tam intellectionem, vel volitionem quàm relationem cuilibet proportionatam. 682.n.14

Proceſſiones actiuæ & paſſiuæ non identificantur adæquatè cum natura diuina, ſed cum perſonis. 683.n.10

Proceſſiones actiuæ ſunt in perſonis producentibus, paſſiuæ in productis. 684.n.22

Spirationes actiuæ inter ſe virtualiter diſtinguuntur. ibid.

Proceſſio actiua & paſſiua ab intellectione diſtinguitur diſtinctione rationis ratiocinatæ inadæquatè præciſiua. num.23

Proceſſiones actiuæ à paſſiuis ſibi correſpondentibus realiter diſtinguuntur, ſed non à non correſpondentibus. num. 24

Proceſſionum diuinarum datur principium *quod* & *quo*. 684.n.1

Proceſſionis terminus adæquatus eſt perſona producta. 690

Terminus inadæquatus proceſſionis duplex. num. 28.

Intellectio ſeu natura diuina eſt terminus formalis proceſſionis, & volitio cæteráque attributa ſunt terminus materialis. num. 29

Terminus formalis proceſſionis quatenus producit, eſt relatio perſonæ productæ, ſecundarius verò proprietates tranſcendentales relationum. 690.n.30

Proceſſionum numerus & diſtinctio. 691. *cap. I. toto.*

Proceſſionum comparatio quadruplex eſt. 692. num. 1

Proceſſiones paſſiuæ realiter diſtinguuntur. n. 2

Sunt tantùm duæ. num. 5

Non ſolùm diſtinguuntur realiter, ſed etiam ſpecificè. num.7

Vnde ſumatur hæc diſtinctio. num.8

Proceſſiones actiuæ licèt realiter inter ſe non diſtinguantur, quia realiter non opponuntur, diſtinguuntur tamen virtualiter ex natura rei. 693 n 9

Proceſſio quæuis actiua diſtinguitur à paſſiua ſibi correſpondente, non ſolùm realiter, ſed etiam ſpecificè. num. 21

Proceſſiones diuinæ quouis modo comparentur, conueniunt in aliqua ratione ſibi cõmuni. n.12

Proceſſionis Spiritus S. veritas aperitur. 754. *cap. II. toto.*

Proceſſiones diuinæ an ſint voluntariæ. 789. *cap. I. toto.*

Promiſſio.

Promiſſio ſimplex facta non acceptata non inducit obligationem iuſtitiæ, ſed ſolius fidelitatis. 388. n. 4

Prophetæ an habuerint aliquam Trinitatis cognitionem. 729. n. 1. 735.n.56

Propoſitio.

Propoſitionis triplex acceptio, vocalis quippe, mentalis & obiectiua. 149. n. 1

Propoſitionis per ſe notæ quoad ſe, & quoad nos diſtinctio. 149.n.2

Quænam dicitur per ſe nota. 550.n.3

Quid requiritur vt Propoſitio ſit per ſe nota quoad nos. 551.n.6

Propoſitiones

Propositiones quæ in terminis diuinis enunciant aliquid in ablatiuo casu, cùm plerumque habeant sensum formalem, non possunt verè formari, nisi ponatur in auferendi casu forma vel ratio adæquata ipsius esse vel subiecti significati nomine substantiuo concreto. 193.n.13
Propositiones reduplicatiuæ ferè semper continent sensum formalem atque, ideò solum sunt veræ quando prædicatum est per se consequens termini reduplicati. 293.n.14

Prouidentia.

Prouidentia Deo conuenit. 405.col.1
Huic omnia subiecta sunt. ibid. n. 1. & seqq.
Per Prouidentiam an Deus possit immutare cursum causarum naturalium eùmue impedire. 408. n 6
Prouidentia an rebus propositis necessitatem imponat. 407
Prouidentia in quo actu diuino consistat, & quos requirat actus intellectus. ibid. n. 1. & seqq. vide *A tus.*
An requirat scientiam conditionalem. num.5
Prouidentia diuina an ad suam integritatem requirat actum imperij propriè dicti. 410.n.15
Prouidentia an sit actus intellectus an voluntatis. 415. *cap. II. toto.*
Prouidentia Dei an includat assecutionem finis. 416. *cap. III. toto.*
Prouidentia & comparatio quomodo inter se comparantur. 420.n.1
Prouidentia & ars an distinguantur in intellectu diuino. 421.n.3 4
Prouidentiam an æqualem Deus habeat de omnibus. 421.n.5
Prouidentia an necessariò conueniat Deo. n. 6
An prouidentia moralis. 422.n.8
Prouidentia in quo conueniat cum prædestinatione, & in quo dissentiat. 427. *cap. II. toto.* & 428. n 10
Prouidentiæ Dei erga reprobos præcipuus effectus est auxiliorum sufficientium opportuna distributio. 546

Prudentia.

Prudentia infusa cur excluditur à ratione formæ iustificantis. 79. n. 10
Prudentia infusa quam quidam eandem Theologiam dicunt, alij fidem, circa quid versatur, 102.num.6
Prudentia acquisita item. ibid.

Q

Qualitas.

QValitas quænam est quæ dicitur dare aptitudinem & potentiam obedientialem positiuam ad effectus supernaturales. 121. n. 23. vide *Potentia obedientialis.*
Qualitatum ordo duplex, materialium, & intentionalium explicatur. 827.n.13
Qui est, nomen primum Dei illius essentiæ magis expressiuum. 187.n.26

R

Raphaël.

RAphaël vnus ex septem principibus ante Deum adstantibus ad vniuersi guberna-tionem. num.25
Franc. de Lugo, in 1 p. D. Thom.

Rebellio.

Rebellio legi mentis quæ, & in quo consistat. 108. n. 1

Redemptor.

Redemptorem cur Deus hominibus parauerit, non Angelis. 2098. n. 6

Relatio, Relatiuum.

Relatio realis transcendentalis Dei ad creaturas datur. 250. n. 2
Nullam imperfectionem dicit in Deo. num.5
Tam in Deo quàm in creatura respicit in particulari omnes effectus quos in particulari potest facere. 252.n.12
Relatio & terminus illius cognoscuntur distinctis actibus re vel ratione saltem, & virtualiter diuersis pro maiori vel minori cognoscentium perfectione vel imperfectione. 301.n.5
Relationis alicuius realis cognitio non petit per seipsam formaliter attingere terminum talis relationis, sed coëxigit essentialiter aliam cognitionem re vel ratione saltem virtualiter distinctam, ad terminum illius relationis terminatam. 301.n 6
Relationes reales dantur in Deo. 695
An sint idem quod eius essentia. ibid.
An ab inuicem distinguantur realiter. ibid.
Relationes in Deo sunt quatuor. 696
Quales sint istæ relationes. ibid. *cap. I. toto.*
Probantur in Deo Relationes reales. 697.n.1
Non solùm quoad esse *in*, sed etiam quoad esse *ad.* num.4
In quo Relationes diuinæ reales differant à prædicamentalibus. num. 5
Dantur in Deo relationes transcendentales quæ non respiciunt terminum purè vt sic, sed vt principium vel principiatum. num.7
An & quomodo Relationes prædicamentales distinguantur à transcendentalibus in Deo. 698.num.9
Relationes Diuinæ an ab essentia distinguantur. 699. *cap. I.* vbi multæ referuntur sententiæ.
Non distinguuntur ab essentia actualiter, nec vt res à re, nec vt modus à re. ibid. *cap. II.* n. 1. & 700.n.2
Relationes non sunt de essentia Deitatis aut essentiæ diuinæ. 700.n.3
In quo distinguuntur ab essentia diuina. 701. num. 11
Argumentis illustratur hæc doctrina. ibid. *cap. III. toto.*
Relationum diuinarum numerus & distinctio exponitur. 705. *cap. I. toto.*
Relatio realis spiratoria communis Patri, & Filio qua respiciunt Spiritum Sanctum distincta est ab aliis tribus & dicitur actiua. ibid. 706. num. 1
Relatio spiratoris realiter distinguitur à relatione spirati. num 4
Non tamen à paternitate & filiatione, nec vt res à re, nec vt res à modo. num. 5
Distinguitur à paternitate & filiatione virtualiter ex natura rei. num. 6
Relationes diuinæ an habeant fundamentum vel rationem fundandi. 708.n.1
Quos terminos habeant istæ relationes in Logica & Metaphysica. num. 2

Relatio spirati an terminetur ad Patrem & Filium vt Pater & Filius sunt, an vt sunt spirator. n. 3
An & quomodo differant à personalitatibus & personis. num.4
An conueniant in aliqua ratione vniueca. num. 5
Relationes diuinæ vt sic, distinctæ virtualiter ab essentia dicunt perfectionem non absolutam, sed relatiuam. 715.n 2
Relationes tres diuinæ dicunt tres perfectiones relatiuas inter se realiter distinctas, & ab essentia virtualiter. num 3
Relatio an idem sit quod persona. 774
Relatio & origo in personis diuinis conuertibiles sunt. 782.n.6. vide *Persona.*
Relatiua secūm dicuntur esse simul, id de ratione mutua intelligitur. 300. n.4
In relatiuis non mutuis respectus ad terminum non potest cognosci quidditatiuè, nisi præcognoscatur terminus. 301.n.4

Reprobatio, Reprobus.

Reprobationis appellatione quid veniat. 552. num. 1
Quid sit. 533. n.3
Reprobatio duplex, negatiua & positiua. 553. num 4
Quid vtraque. n. 6.7
Reprobationis causæ exponuntur. 554. *cap. II.* & 562. *cap. III*
An originale peccatum eius causa fuerit. 562. num. 1. 2. & seqq. & 564. n. 9
Reprobationis positiuæ adultorum causa, est eorum finale peccatum. num. 10
Reprobationis ad effectus quæ necessaria. 564. num. 1
Reprobationis certitudo vnde petenda. 567. *cap. I. toto.*
Quid commune habeat cum prædestinatione 640. 641
Reproborum numerus multo maior quàm prædestinatorum. 641.n.9
Reprobationis signa quædam. 644. n. 11
Reprobi an sic vocentur vt possint obtinere gratiam iustificationis, & in illa finaliter perseuerare. 536 n 1
Reprobis nunquam denegatur auxilium sufficiens ad conuersionem. 541.n.9. 543.n.17. 544. num. 22
Reprobis hominibus an custodes Angeli deputentur. 1076.n.4 5
Res in se & in alio esse tripliciter dici potest. 300. num. 2

Respiratio.

Respirationis & inspirationis causæ, & quales esse possint in Angelis post corporum assumptionem. 842.n.10

Reuelatio.

Reuelatio diuina an sit obiectum Theologiæ, 28.n.1. vide *Theologia.*

Risus.

Risus quomodo fiat & qui fieri possit in Angelis post assumpta corpora. 842.n.10

S

Sacerdotium.

SAcerdotium quomodo sit particeps Characteris Christi Domini. 114.n.12

Sacramentum.

Sacramenta quomodo eleuantur ad productionem gratiæ per motum. 126.n.19
Sacramentorum applicatio prout distinguitur ab effectu supernaturali Sacramenti, quæ prædestinato contingit in maximum eiusdem emolumentum spirituale est, prædestinationis effectus. 529. n. 16

Saducæi.

Saducæorum error Spiritum S. negantium, vel potius omnem Spiritum. 655.n.10

Salomon.

Salomon primus Theologicam Academiam instruxit. 2 n.7
Salomon Antiquorum Sapientiæ multa ex suo adiecit. 10.n.34
Sanctus Græcè ἅγιος sine terra aliquid diuinæ naturæ proprium præfefert. 81.n.18
Scholasticorum consensus circa aliquod fidei dogma vix negari potest. 45. n.19

Scientia.

Scientia subalternata procedens ex principiis sola fide creditis non est propriè scientia. 33.n.12
Scientiæ acquisitæ non sunt simplices qualitates, sed per aggregationem plurium habituum. 33. num. 1
Scientiarum naturalium certitudo ex parte obiecti præstat Theologico assensui. 37.n.12
Scientia infusa extendi potest ad cognoscenda tam supernaturalia quàm naturalia. 75 n. 5. & seqq.
Eius supernaturalitas ab obiecti supernaturalitate desumitur. num.9
Scientiæ acceptio apud D. Thom. an Deo conueniat. 290.col.2
Scientia diuina an sit discursiua & causa rerum, 291.col.2
An sit non entium, & malorum, & singularium. 292.col.1
An infinitorum, futurorum contingentium, enunciabilium. col.2
Scientia Dei an variabilis, An practica. ibid.
Scientia in Deo probatur. 293.n.1
Et vndecumque perfecta. num.2
Scientia diuina est actualis, imò ipsa substantia Dei. 294.n 1
Scientia futurorum vel existentium an addat aliquid necessariæ, & an inde aliquid mutabilitatis colligatur in Deo. num. 3
Scientia futurorum, præteritorum & præsentium, est realiter distincta. 316.n.11
Scientia diuina per seipsam ex vi suæ causalitatis non potest esse sufficiens ratio ob quam denominetur ad hoc obiectum siue ad iudicandum hoc esse futurum potiùs quàm illud. 352. num. 4
Scientiæ diuinæ attributa, primum est quod sit causa rerum quatenus practica est, vbi quæritur an detur eiusmodi. 363.n.1.2. & seqq.
Scientia simplicis intelligentiæ creaturarum licet sub vna ratione sit practica, sub alia tamen est speculatiua. 364 n.9
Scientia diuina an immediatè influat physicè, an voluntas diuina quæ immediatior & efficacior videtur. 369.n.18
Scientia conditionalis an necessaria sit simpliciter ad perfectam Dei prouidentiam, seu prædestinationem. 407. n. 3. & 408. n. 7

Non est prædestinatinnis effectus. 409. n. 12.
An sit ad prædestinationis perfectionem necessaria. 415. n. 55
Scripta antiqua nouis Scriptoribus non officiunt. 14. n. 49. & seqq.

Scriptura sacra.

Scriptuta Sacra cur debeat vti metaphoris. 18
Sub vna litera plures habet sensus. ibid.
Eius author Deus est. ibid.
Sctiptutæ Sacræ definitio explicatur. 40. n. 2
Scripturæ verus sensus his documentis eruitur.
Primò vt locus vnus alteri non repugnet. 42. num. 2
Scriptutæ sensus triplex historicus, mysticus, & per accommodationem. 45. n. 4. 6. & 42. n. 9. vide *Sensus*.
Scriptutæ inter tam multiplices sensus quomodo firmum elici possit argumentum Theologicum. 43. n. 3. & 44. n. 4
Probatur quòd ex sensu mystico possit. num. 5
Ex sensu literali proprio. n. 7. Mataphorico. num. 8

Secretum.

Secreta cordis an sint cognitionis Angelicæ. 925. num. 5. & seqq.
Sem veteris Theologiæ primus gymnasium aperuit. 2. n. 5

Semipelagiani.

Semipelagiani & Massilienses quid de prædestinatione senserint. 471. n. 4
Impugnantur. 474. *cap. II. toto.*

Sensus.

Sensus est conceptus rei per vocem significatus, aut res concepta per vocem significata. 41. num. 3
Sensus triplex Scripturæ Sacræ, literalis, qui & proprius, & metaphoricus. 41. n. 4
Mysticus qui & triplex, allegoricus, tropologicus, & anagogicus, seu moralis. num. 6
Sensus ex traditione Apostolica verus est. 42. num. 3
Si ab Ecclesia approbetur, infallibilis est, & quid sub nomine Ecclesiæ veniat. num. 4
Si communi Patrum consensu recipiatur. n. 5
Per accommodationem est duplex, per extensionem vnus, alter verò per allusionem. 42. num. 9
Sensus veri ex Scriptura eruendi documenta. 42. *toto cap. II.*
Sensus literalis quomodo à metaphorico discriminandus. 42. n. 6. & 43 n. 7
Sensus mystici qua industria euoluendi. 43. num. 8. 9
Innumeri sunt in Scriptura. 44. n. 4
Adhiberi possunt ad confirmanda dogmata Theologica. num. 5
Si Spiritu S. intendi eos constet. n. 50. & 45. n. 13
Ab accommodato Scripturæ sensu non sumitur firmum argumentum pro dogmatibus fide confirmandis. 45. n. 14

Seraphin.

Seraphini qui, & eorum officium. 815. n. 24
Seraphini ab officio purgandi sic dicti. 1075. num. 52

Signum.

Signa externa sensibilia quæ Deus disponit vt sanctas cogitationes prædestinatis immittat, sunt effectus prædestinationis. 529. n. 17
Franc. de Lugo, in 1. p. D. Thom.

Signa per quæ inter se Angeli loquantur quæ. 951. 952. vide *Locutio*.

Similitudo.

Similitudinis & metaphoræ discrimen. 41. n. 5
Similitudo quomodo ex vi generationis diuinæ in natura communicetur. 671. *cap. II. toto.*
Similitudo triplex in Filio distinguitur, specifica, indiuidualis, & accidentalis. 672. n. 6
Similitudo cum processione sufficit ad rationem imaginis. num. 8
Similitudo quæ est propria diuinæ intellectionis, non est similitudo infinita in esse intentionali, sed etiam in natura diuina formaliter. 677. n. 2
Similitudo seu species intentionalis. vide *Species*.

Simplicitas.

Simplicitas diuina præter negationem an inuoluat rationem aliquam positiuam quæ nomine simplicitatis indicetur. 207. n. 1
Est perfectio simpliciter simplex. num. 2
Quodnam immediatum eius fundamentum. num. 4
Simplicitatis nomen quid importet. 206. n. 5
Simplicitas diuina probatur. 153. vide *Deus*.
Solus dictio exclusiua an sit addenda termino essentiali in diuinis. 712. col. 5
An possit adiungi termino personali. ibid.

Species.

Species intentionalis aut intelligibilis deseruiens rerum cognitioni quadruplex explicatur. 220. num. 1
Quænam requiritur ad Dei visionem. num. 2
Species obiectiua nec reipsa datur in beatis, nec est possibilis. 225. n. 11. 222. n. 12
Species impressa triplex, prima aliena, altera rei propria; tertia propria & adæquata. 222. n. 57
Speciem diuinitus impressam qui possibilem affirment. ibid. n. 1
Qui non solùm possibilem, sed etiam de facto dari in beatis. 223. n. 4
Qui speciem illam esse lumen gloriæ asserant. num. 7. & seqq.
Species intentionales dantur non solùm sensibiles, sed etiam intelligibiles, & in nobis, & in Angelis, & respectu cognitionis abstractiuæ & intuitiuæ. 225. n. 5
Species intelligibilis est forma informans & actuans intellectum quem intrinsecè reducit de potentia ad actum. 225. n. 6
Species creata Dei de facto non datur in Beatis. 228. n. 21. 230. n. 1
Etiam inadæquata. num. 2
Species intelligibilis in Deo an distincta sit ab essentia diuina. 297. n. 4. & seqq.
Species creata an sit possibilis quæ non potest esse nisi in vnico indiuiduo. 820. *cap. III. toto.*
Species Sacramentales quomodo secum trahunt Corpus Christi. 878. n. 10
Species quibus Angelus intelligit sunt ei connaturales. 894. 898. n. 26
An tales in iis species admittendæ. ibid. n. 1. & seqq. 34. & 896. n. 12
Species intentionales qualis sint. 897. n. 21
Species intelligibiles realiter distinguuntur ab intellectione. 898. n. 23
Species rerum materialium an necessariæ in Angelis. 905. n. 24

Species intelligibiles tam in cognitione intuitiua, quàm abſtractiua an admittendæ. 906. num. 31
Species intentionales vnde accipiant Angeli. 907. num. 1
Tales ſpecies dimanant actiuè & intrinſecè ab intellectu Angeli. 908.n.8. & ſeqq.
Probatur contraria ſententia. 911.n.21. vide *Intellectus Angelicus.*
Species intelligibiles rerum ordinis naturalis ſunt formæ Angelo connaturales, ipſarúmque infuſio eſt naturalis actio. 912.n.28
Species vniuerſalis & particularis diſtinctio aperitur. 914.n.1
Species intelligibilis quomodo repræſentet ſuum obiectum. num 2
Speciem vnam intelligibilem non repugnat plures res ſingulares repræſentare. 914. n.5. 915. num. 8
Speciei adæquatum obiectum tripliciter conſideratur. 915.n.9
Species intelligibiles Angelorum ſunt vniuerſales in repræſentando vel in cauſando. 916. 1.num. 15
Aliquæ ſunt etiam particulares. 917.n.22

Speculatio.

Speculationis appellatione quid veniat. 34

Spes.

Spes an reperiatur in Deo. 376.n.10

Spiratio.

Spiratio libera cur ſic dicta. 789. num.3
Eſt à voluntate, id eſt, ab amore mutuo & neceſſitatio Patris ac Filij. num. 4
Poteſt dici voluntaria per ſeipſam. 789.n.5
Spiratio actiua & paſſiua, vide in verbo *Relatio.*

Spiritus S.

Spiritus S. cur non eſt Dei Filius. 79.n.8
Spiritum S. quinam negauerint, aut malè de eo ſenſerint hæretici. 655 n.11
Eſſe verum Deum probatur. 658.n.6
Spiritus S. non poteſt procedere ex amore libero creaturarum, etiam adæquata proceſſione. 743. n.9. & 744.n.15
Spiritus S. non poteſt eſſe imago Patris & Filij. 751.n.3. 752 n.5
Spiritus ſanctus an ſit nomen proprium alicuius diuinæ perſonæ. 753
Procedit à Filio & à Patre per Filium Paterque & Filius ſunt eius principium. ibid.
Spiritus S. ſi non procederet à Filio an diſtingueretur ab illo. 756. *cap. III. toto.*
An à Patre & Filio immediatè & æquè principaliter procedat. 760. *cap. IV toto.*
An ſint vnicum eius principium & vnicus ſpirator. 761. *cap. V. toto.*
An ſimul requirantur ad ſpirandum. 763. *cap. VI. toto.*
Spiritus ſancti nomen proprium an ſit amor, in quo Pater & Filius ſe diligant. 764. 765. & ſeqq.
Spiritus S. an propriè ſit donum? 768. *cap. I. toto.*
Spiritus ſancti proceſſio non eſt generatio. 676. n. 3. & ſeqq.
Spiritui ſancto vnde proueniat ratio doni, & quæ ſit iſta ratio. 769. *cap. II toto.*
Spiritui S. an conueniat inuiſibiliter mitti. 794.
Status naturæ variè ab Orthodoxis & hæreticis conſiderati. 103. n. 1. 104. n. 2. & ſeqq. vide *Natura.*

Subiectum.

Subiectum in quo ab obiecto diſcrepat. 21. c. 2. num. 1
Variæ ſubiecti diuiſiones explicantur. 22.n.3
Subiectum primarium continet omnes veritates pertinentes ad habitum cuius eſt ſubiectum. 26. n. 5. 6

Subſiſtentia.

Subſiſtentiæ acceptiones variæ. 718. n. 2. 722. num. 9. 11.

Subſtantia.

Subſtantia rationalis principaliùs concurrit ad actus ſupernaturales, quàm potentias vitales, tametſi homo, vel Angelus non aliter operetur quàm per ipſas. 141.n.2
Subſtantia creata ſupernaturalis an poſſibilis? vide à pag. 238. ad 248
Subſtantiæ tres quo ſenſu Deo tribui poſſunt. 715.n.16.17
Subſtantiæ ſeparatæ tot ſunt quot motus cælorum. 813.n.1

Subtilitas.

Subtilitas corporum beatorum vnde? 72 n 6
Super particula non ſemper dicit ſuperioritatem in ſua perfectione, ſed ſuperadditionem. 72. num. 2

Superbia.

Superbia quid, eius gradus, & quomodo Angeli in ea peccauerint. 1085.0.1 2
Fuit primum eorum peccatum. 1086.n.5

Supernaturale.

Supernaturale triplici via cognoſci poteſt. 65. num. 2
Supernaturalis acceptio multiplex. 104. n. 5
Supernaturalia naturaliter ab Angelis cognoſci nequeunt. 964. *cap. I. per totum.*

Supernaturalitas.

Supernaturalitas per ordinem ad Deum explicatur. 61. *cap. I. per totum.*
Supernaturalitas penes ordinem ad naturam exponitur. 64. *cap. II toto.*
Supernaturalitas penes participationem diuinæ naturæ ſecundùm gradum quaſi ſpecificum illius. 65. *cap. III. toto.*
Supernaturalitates tres in Euchariſtiæ Sacramento. 72.n.6
Prima circa ſubſtantiam, quæ nihil dicit poſitiuum. 73.n.8
Secunda eſt modus præſentiæ realis corporis Chriſti. num 9
Tertia eſt tranſſubſtantiatio. num. 11
Supernaturalitas vnionis realis inter Chriſti corpus & ſpecies Sacramentales qualis ſit. 74.n.13

Suppoſitum.

Suppoſitum rationale & anima noſtra concurrunt ad viſionem Dei, & ad alios actus ſupernaturales, vt vera cauſa realis phyſica & efficiens. 132.n.7

T

Tenebræ.

Tenebræ ſpirituales pro cæcitate mentis vſurpantur. 1122.n.9

Tentatio.

Tentationis probatiuæ & ſeductiuæ diſcrimen. 1131.

1132 n.8. & an omnia peccata hominum sint ex Dæmonum tentatione. 1134.n.12

Terminus.

Termini numerales an ponant aliquid in diuinis. 710. col.2

Terminorum cognitio necessaria est ad cognitionem respectuum, seu relationum. 729.n.5.6

Tertullianus.

Tertulliani error Deum corporeum & Angelos astruentis. 802.n.2

In quo excusatur à S. Augustino. 807.n.30

Theologia.

Theologiæ appellatione quid veniat, quique Theologi apud veteres Græcos. 1.n.1

Est a primo mundi exordio primis parentibus concessa. ibid. & pag.2.n.3

Quo ordine ab Hebræis ad nos vsque transmissa est. ibid. Christus eam tenebris inuolutam explicauit. 3 n.10

Theologiæ scholasticæ vtilitates, variæ. 5.n.19

Eius ex Sapiente descriptio. 6.n.14

Theologia Antiquorum quibus de causis videatur amplectenda. 7.& 8 tota.

Theologia recentiorum quo nomine Antiquorum sapientiæ, si non anteponenda, saltem æquari debeat. 11.n.39.& seqq.

Theologica placita non authoritate solùm, sed rationum energia fulciri debent. 11.n.38

Theologia nouantiqua receptior, quam Auctor sectatur. 13.48

Theologia an sit vnica scientia. 17

An vnica scientia. ibid.

Practica simul est & speculatina, aliisque scientiis dignior. ibid. Sapientia est, cuius Deus obiectum. ibid.

Theologia est argumentatiua. 18

Theologiæ necessitas aperitur. 18.n.1

Quid sub eius appellatione veniat. 18. num.2

Theologia non solùm quoad principia, sed etiam quoad conclusiones dici debet reuelata. n.3

Est simpliciter ad salutem necessaria. 19.n.4

Theologia scholastica in quo ab antiqna Patrum Theologia differat. ibid.num.2. De ea immeritò & iniustè queruntur hæretici. n.5

Theologiæ necessitas ex eius muneribus colligitur. 20.n.5

Eius munera sunt quatuor, *Declaratiuum*, quo fides gignitur, *Probatiuum*, quo roboratur, *Defensiuum*, quo defenditur & *Deductiuum*, quo nutritur. ibid.n.10

Theologiæ habitus discursiuus præcipuus est. 20.n 11. & 12

Theologiæ generatim sumptæ triplex diuisio. 21.n.1

Apud Catholicos quomodo definitur. n.2

Eius diuisio in Theologiam beatorum, & viatorum. n.3. Item in mysticam seu Symbolicam, & demõstrantem seu philosophicam, &c. ibid. & n.3

Qua Theologia theoricæ praxim adiungens. num.5

Quæ denique positiua, & quæ scholastica. n.6

de Theologiæ obiecto materiali variæ sententiæ exponuntur. 23.n.3

Subiectum Theologiæ ac fidei idem est. n.2

Subiectum Theologiæ siue obiectum eius primarium Deus est, & sub ratione Deitatis, & sub ratione glorificatoris. n.8

Theologiæ denominatio eius definitionem inchoat. 24.n.9

Theologiæ obiectum primarium sunt omnia entia diuina, siue Deus, & creaturæ per attributionem ad Deum. 25.n.19

Theologicus discursus quis & quomodo procedit. 25.n 1.& 2

Theologiæ obiectum formale non reuelatio diuina. 28.n.1.2. & seqq. Sed ens diuinum cognoscibile per reuelationem obscuram ex vi discursus applicatam. 29.col.1.n.5

Theologiæ euidentia in quibusdam Theologis, quibus ex principiis petitur. 29.n.1.2

Quibus argumentis probatur esse scientia. n.3 4 & seqq.

Non est verè & propriè scientia. 30.n.1.2.3

Nisi latè sumpta pro cognitione omninò certa. & firma. n.4.

Nititur principiis fidei per obscuram reuelationem cognitis. 33.n.8

Non subalternatur propriè scientiæ beatæ. num.10

Neque scientiis naturalibus practicis, sed speculatiuis ratione principiorum. n.55

Theologiæ habitus discursiuus, quatenus ex principiis reuelatis conclusiones elicit est vnica speciei scientia. 34.n.2

Theologiæ de praxi, & speculatione variæ sententiæ relatæ. 34.n.4. Vera opinio quòd practica simul & contemplatiua. n 5

Magis tamen contemplatiua. ibid.

Theologiæ habitus non est simplex qualitas, sed aggregatio plurium habituum. 25.n.9

Theologici assensus siue conclusiones affirmatiuæ à negatiuis, speculatiuæ à practicis differunt. 35.n.13

Theologia qua certitudine superat omnes scientias, & in quibus ab aliis scientiis superatur. 36.n.9. & 37.n.10

Certitudo formalis cognitionis Theologicæ maior est omni euidentia naturali. 37.n 11

Theologia dignitate obiecti superat omnes scientias naturales. 37 n.14

Etiam quoad scientias practicas. n.15

Cur Theologia dicta sit sapientia. n.16

Theologia collata cum cognitionibus supernaturalibus inferior est certitudine ac dignitate. 38.n.16

Theologia maior certitudo explicatur. ibid. toto. cap.VI.

Theologia in quo cum fide congruit & dissidet. 50 n.12

Theologiæ habitus qualiter ab habitu fidei infusæ distinguitur. 55.n.4 & 57.n.10

Ens supernaturale idem est quod esse diuinum, vel esse ordinis diuini. 62.n.8

Theologiæ habitus an sint naturales quòd sint acquisiti. 102.n.7.103.n 8. vide *Habitus*.

Theologorum insignium à Christo ad nos successio. 4.n.13.& seqq.

S.Thomas.

S.Thomas sacrum Theologiæ decus non solùm multa adinuenit & innouauit, sed & alios ad id stimulauit. 11.n.45

Moriens doluit quòd multa sibi nota, intacta relinqueret. 52.n.48

Thronorum officium. 815.n.14.vide *Angeli*.

Tranſcendentia in relationibus diuinis mnltiplicantur ſicut entitas eaiſtenſia & perfectio. 717.n.14.

Tranſſubſtantiatio.

Tranſſubſtantiationis in Euchariſtia myſterium Angeli naturali notitia aſſequi non poſſunt. 968. n 8.9. & ſeqq.

Trinitariorum ſiue Deiſtarum error. 654.n.1

Trinitas.

de Trinitate quomodo diſſerendum *proœm. de Trinit.* 651.652.

Trinitas an in vnitate ſit venerãda.653.*cap.I.toto.*

Trinitatem qu: ;: g;uerint vel ſaltem in eius myſterio ballucinati ſint. 654.*cap.II.toto.*

Trinitat perſonarum in Deo probatur contra Paganos, Iudæos, & Hæretic. 655.*cap.III.toto.*

Trinitas in diuinis probatur. 711.col.2

Eſt trium vnitas. ibid.

Cum tribus hypoſtaſibus reciprocator. ibid.

Trinitas perſonarum an poſſit per naturalem rationem cognoſci. 724.725

Non eſt contra rationem cognitionis humanæ, ac proinde non poteſt demonſtrari eſſe impoſsibilem in Deo. 725.n 4

Non eſt iuxta, ſed ſupra rationem, nec ſine reuelatione potuiſſet vnquam in via attingi. 726.n.5

Poſita diuina reuelatione, poteſt naturalibus rationibus fulciri Trinitatis myſterium. n.7

Trinitatis veſtigium in creaturis relucet. n.11

Trinitatis notitia quidditatiua etiam ſupernaturaliter repugnat viatori, 727. *cap.II. toto.*

Eſt tamen viatori euidens Trinitatis notitia, non per propriam ſpeciem, ſed per accidentariam. 728.n.10

Trinitatis an detur cognitio euidens in aliquo medio extrinſeco, ſaltem quoad *an eſt.* 729. *toto cap.III.*

Quomodocumque cognoſcatur Trinitatis myſterium extra viſionem beatam, eſt per accidens, non quidditatiuè. 730.n.7

Triplicitas.

Quid eſt, cur in diuinis negetur. 711.col.2

Triſtitia an in Deum cadat. 376.n.8

Triſtitia dæmonum an pertineat ad pœnam damni vel ſenſus. 1115.n.13

Tritheiſtæ hæretici vnde ſic dicti, ad Arianiſmum delapſi. 654.n.3

V

V*Allis* Ioſaphat non eſt damnatorum locus. 1131.n.7

Vbi corporei & Angelici conuenientia. 853.n.9

Verbum.

in Verbo qoæ creaturæ videri poſſint. 270. *cap.III.toto.* vide *Creaturæ.*

Verbi Dei libens auditio & guſtatio, prædeſtinationis eſt ſignum. 644.n.13

Verbum ſignificat expreſſionem rei ore prolatam. 661.n.3

Verbum mentis quid ſit & cui vſui? n.4

Verbi creati & diuini differentia. 653.n.9

Verbi diuini generatio an ſit proceſſio, 669. *cap I. toto.*

Verbum in diuinis eſt nomen perſonale & nomen proprium Filij. 737

Verbi nomine importatur reſpectus ad creaturas. ibid.

Verbum ex quarum rerum cognitione procedat. 738. *cap. I. toto.*

An ex cognitione ſolius eſſentiæ diuinæ.c.11.n.1

An ex cognitione eſſentiæ & perſonarum. n.4

An ex cognitione eſſentiæ & attributorum, Patris & Filij intuitiua, non verò Spiritus ſancti aut creaturarum. n.5.759.n.6

An ex cognitione eſſentiæ ac perſonarum omnium intuitiua, non autem creaturarum, etiam vt poſſibilium. n.8

An ex cognitione eſſentiæ omniúmque perſonarum, & etiam creaturarum vt poſſibilium, non tamen vt exiſtentium, ſiue abſolutè, ſiue ſub conditione. n.12

An ex cognitione non creaturarum exiſtentium abſolutè, ſed ex cognitione omnium aliorum quæ ſunt in Deo formaliter vel eminenter, & ſimul ex ſcientia conditionalium. n.18

An ex omni prorſus cognitione diuina, etiam viſionis, ſeu libera, prout libera reduplicatiuè. n.19. & ſeqq.

Verbum diuinum inſpecta eſſentiali generatione præcisè procedit eſſentialiter ex ſola cognitione diuinæ eſſentiæ. 742.n.3

Verbum adæquatè procedit ex ſcientia quoque ſimplicis intelligentiæ ad creaturas poſſibiles terminatæ. 743.n.6. Non poteſt procedere ex ſcientia viſionis, aut conditionali. n.9

Verbi proceſſio quomodo dicitur contingens. 744.n 12

Verbum an dicendum ſit procedere ex cognitione perſonarum tanquam ex obiecto primario, vel ſecundario. 747.n.1

Verbum quem reſpectum dicat ad creaturas. n.3

An hic reſpectus ei conueniat ratione intellectionis eſſentialis ſibi communicatæ, an verò ratione relationis propriæ. 748.o.5

Verbum an importet de formali relationem, an eſſentiam? 748.n.7

Verbum diuinum cui perſonæ repræſentet intentionaliter obiectum, ad quod repræſentandum profertur. 752.n.4

Veritas.

Veritates reuelatæ ſunt principia Theologiæ. 50.n.11

Veritas reuelata diſcredita alias omnes fidei humanæ non diuinæ ſubiicit. 97.n.34

Vermis conſcientiæ qui dicatur. 1122.n.87

Viator.

Viatoris ſub appellatione tam Angeli quàm homines veniunt, quatenus citra viſionem beatam poſſunt in Deum tendere cognitione 725.col.1

Viator homo an diuina virtute viſionis beatificæ particeps fieri poſſit. 288.n.3.& ſeqq. vide *Homo.*

B. Virgo Angelis omnibus beatitudine ſuperior eſt. 1067.n.12

Virtus.

Virtutes morales per ſe infuſæ quomodo probantur. 101.n.3

Virtutes morales infuſæ participant rectitudinem quaſi ſpecificam diuinæ voluntatis. 102.n.5

Virtus aliqua hominibus conueniens, vt Deo quoque conuenire dicatur, quid requiritur. 387. n.23

Virtutes, Throni, Cherubim. vide *Angeli.*

Viſio.

Viſio beata accidentium ſupernaturalium præcipuum eſt. 78.n.2

Viſio

Visio beata non à solo Deo efficitur, sed à lumine gloriæ & ab iotellectu procedit. 129.n.4
Visio beata est per se forma sanctificaos & iustificans formaliter. 81.n.16
Visioois & videre moltiplex acceptio. 218
Visio beatifica creata an necessariò terminetur ad omnia quæ sunt formaliter in Deo. 248.n 1
Visio creata diuiuæ essentiæ an terminetor simul ad omnia quæ particulariter Deo insunt. 249. num.5
Visio actunm liberorum probatur. 261. *cap.VI. toto.* vide *Actus.*
Visio creaturatum in Deo. 263. *cap.I.toto.* vide *Creatura.*
Visio beata an aliquando intendatur, vel remittatur. 173. n.1. An futura sit voica in omnibus Beatis. 274.n.1
An post resurrectionem futura sit intensior.n 4
Semper eadem perseuerabit sine iotensione vel remissione. 0.6
Etiam post resurrectionem. n.7. Communicata permanenter, & per modum transeuntis eiusdem est naturæ, ac efficacitatis. 288.n.8
Visionem beatificam an de facto alicui in hac via Deus communicauerit. 289.n. 1. & seqq.
Visio beata vnius non potest ab alio intuitiuè cognosci nisi in isto præcedat intuitiua cognitio Dei. 730.n.9
Visio beata naturaliter ab Angelis & intuitiuè videri non potest. 971.n.29
Imò nec eius possibilitas. 972.n.34. & seqq.

Vita.

Vitæ bonæ decursus est prædestioationis signum. 644.0.15

Vnio, Vnitas, Vnum.

Vnio hypostatica quomodo personalitatem diuinam & Deitatem cum natura humana vniat. 78.n.2. Est formaliter & ex natura sua forma sanctificans. 81.n.5
Vnio qualis necessaria sit Angelo ad corporis assumptionem. 839.n.18. & 840.0.19.& seqq. vide *Angelus.*
Vnitas in Deo est quid merè positiuum, licèt negationibus explicetur. 711.col.1
Vnum affirmatiuè, vel negatiuè dicitur: priori modo Deus vnus dicitur. 215.n.1
Vnitas an de formali dicat rationem positiuam vel negatiuam. n.2
Vnitas supra rationem entis non addit rationem diuisioois, vel in se, vel à se, quam sequitur diuisio à quolibet alio. 216.n.3
Vnum de formali & explicitè quid dicat. 216.n.4

Vocatio.

Vocatio vel gratia congrua in prædestinato est effectos prædestinationis. 523.n.5
Vocatio non congrua non item. n.7

Volitio.

Volitio Dei efficax & absoluta versatur circa creaturas futuras, & non possibiles. 367.n.6
Volitio qua voluntas vult intellectum concipere, & dictare aliquid producendum, an sit necessaria vel libera. 371.n.17
Volitio inefficax datur in Deo. 379.n.13
An volitio illa sit beneplaciti, necne. 380 n.25
Volitionis diuinæ actus dupliciter considerantur. 435.n.1
Volitionis, electionis, & prædestinationis quomodo distinguuntur. n.4
Volitio communis est tribus personis diuinis, non productio & processio. 666.n.1
Vnica est in Deo volitio. n.2
Volitionis notionalis ab essentiali distinctio. 668.n.5

Voluntas.

Voluntatis diuinæ actuum diuisio. 341.n 8.9.10
Voluntatem in Deo dari ex S.Thoma probatur, eámque non solùm circa Deom, sed & circa creaturas versari. 366.n.1.2. Quomodo non sit potentia sed actus purissimus, vide remissiuè. ibid col.1.n.1
Voluntas diuina oon determinatur efficaciter ab intellectu diuino, vel ab eius dictamine qnoad exercitium respectu amoris creaturarum. 370, n.13
Voluntatis diuina actus non sunt magis honesti eo quod sint de obiecto perfectiori, aut minus perfecto entitatiuè, sed ex eo quod sint magis aut minus conformes dictamini diuinæ sapientiæ. 371.n.18
Voluntatis diuinæ licèt vnicus sit actus, plurium tamen actuum formalem rationem continet nostræ voluntatis. 375.n.1
In Voluntate diuina verum gaudiom datur de bonis propriis non solùm, sed etiam de bonis creaturarum præsertim rationalium, & maximè bono ad earum salutem spectante. 375.n.3
Voluntas diuina diuiditur io voluntatem signi & beneplaciti. 377.n.1.2
Voluntas rationalis soli Deo subiacet à quo liberam sui potestatem accepit. 929.n.7
Voluntatis habitus qui ab actibus liberis generantur non cognoscuntur ab Angelo. 931.n.18
Voluntas libera siue diuina, siue humana dupliciter consideratur & quomodo cognosci potest ab Angelis. 941.n.17.18
Voluntas in Angelis datur. 1011. Est potentia realiter distincta ab illorum substantia. ibid.n.2
An sit semper in actu. 1012
Voluntas Angeli capax est habitnum naturalium. 1013. n.2. & seqq. Non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem libera est. 1015.n.4
Ao sit libera circa res alias. 1018. *toto cap.II.*
Volũtas non potest creari quæ noo sit libera. 1022 n.12. Quæ sit impeccabilis ab intrinseco. 1023. n 14. Quæ non sit naturâ suâ peccabilis tam in materia naturali quàm supernaturali. n.16
Voluntas vt sit libera, satis est quòd sit indifferens priùs natura quàm operetur. 1034.n.36
Voluntas Angelica ao naturaliter sit in libera volitione immutabilis. 1035. *cap.VI.toto.*
In Voluntate dari potest defectus seu culpa moralis sine præuio errore iotellectus. 1081. n.1
Voluntas Dæmonũ an sit obstinata in malo. 1097

Vox.

Vocis definitio ex Aristotele, & qoomodo fiat in Angelis post corporum assumptionem. 842.n.1

FINIS.

